NOVISSIMA PRAXIS THEOLOGICOLEGALIS IN UNIVERSAS DE EFFECTIBUS...

Gregorio Rosignoli

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
13
5 M
2

13.6.F.33

ROSIGNOLI
DE EFFECTIBVS
MATRIMONII.

Digitized by Google

Digitized by Google

NOVISSIMA PRAXIS THEOLOGICOLEGALIS IN VNIVERSAS DE EFFECTIBVS MATRIMONII CONTROVERSIAS

AVCTORE

D. GREGORIO ROSIGNOLO
NOVARIENSI,
Ex Cler. Reg. Congregationis S. PAVLI,

Opus omnibus Sacræ, & Moralis Theologiæ, & vtriuſq; iuris profeſſoribus, nedum vtile, ſed penè neceſſarium.

Cum duplici Titulo, alio Titulorum, alio rerum locupletiſſimo.



MEDIOLANI, 1690.
Typis Caroli Antonij Malateſtæ.

Digitized by Google

Digitized by Google

INDEX

Titulorum, Prænotionum, Sectionum, Diſquiſitionum, & Paragraphorum.

CONTRACTVS XV.

De Matrimonio VI.

Præn.I. QVO iure teneantur Coniuges cohabitare. 2.

2. An alter coniux poſſit diù abeſſe altero inuito. 3.

3. An coniuges mutuo conſenſu poſsint ſeparari thoro, & cohabitatione, & an ſemper. 7.

4. An maritus teneatur ad quærendam vxorem, quæ ſua temeritate ab eo receſſit, nec petit admitti. 8.

5. An coniux altero inuito poſſit ſe vendere, & mancipare ſeruituti. 11.

6. An maritus ob dotem promiſſam non ſolutam poſſit non traducere vxorẽ in propriam domum, vel traductã dimittere. 12.

7. An, & quomodo vxor teneatur ſequi virum alio proficiſcentem. 15.

8. An, & quomodo vxor ſequatur forum mariti. 18.

9. An facta in celebratione contractus matrimonialis conuentione habitandi in certo loco vxor ab illo loco maritum abeũtem teneatur ſequi, & an maritus teneatur ſeruare pactum. 21.

10. Quid, & propriè ſit diuortium, & quomodo differat à repudio. 25.

11. Explicantur ea omnia, quæ pertinent ad diuortiũ ex cauſa adulterij. 26.

Sect.I. An ratione adulterij alterius coniugis licitum ſit diuortium quoad thorũ, & quoad habitationem. 27.

2. An ſolum ex adulterio inducatur ius diuortij, an vero ex quocunque alio actu libidinoſo extra vſum matrimonij. 29.

3. Vtrum coniux innocens poſſit ab alio propria auctoritate diuertere ob fornicationem, ſeu adulterium. 32.

4. An ſi maritus vxorem eiecerit, eique negarit alimenta, & vxor interim fornicata fuerit, habeat idem maritus ius ad diuortium. 40.

5. An coniux innocens non ſolum poſsit, ſed etiam teneatur coniugem adulterum dimittere. 42.

6. An altero coniuge adulterante licitus ſit tranſitus ad Religionem, ſacroſq; ordines altero inuito. 47.

7. An innocens adultero inuito, vel inconſulto poſſit ſtatum mutare per profeſſionem, per ſacros ordines, & per votum caſtitatis. 59.

8. Quid agendum ſit, ſi lata ſententia diuortij conſtat Eccleſiam in illa fuiſſe deceptam. 67.

9. An quandoque non liceat diuortium propter coniugis adulterium. 71.

10. An, & quomodo fieri poſſit compenſatio adulterij cum adulterio. 76.

11. An, & quomodo condonatio dirimat ius diuortij. 80.

12. An fiat compenſatio adulteriorum etiam quoad pœnas ciuiles, & criminales. 86.

Præn.12. An, & quomodo ex adulterio ſpirituali, nempe ex hæreſi, & apoſtaſia à fide oriatur ius diuortij, & alia circa tale adulterium ſpirituale. 89.

13. An ſit ſufficiens cauſa diuortij, ſi vnus coniugum impellat alterum ad peccandum. 97.

14. An propter ſæuitiam alterius coniugis, alioſque defectus naturales dari poſſit diuortium. 100.

Digitized by Google

Index Titulorum, Prænotionum, &c.

DISQVISITIONES I.

A prima ad decimam prænotionem excluſiuè.

§.1. *AN coniux teneatur habitare cum altero coniuge nominatim excommunicato.* 105.

2. *An Eccleſia ex cauſa per ſpecialem diſpoſitionem poſſit priuare coniuges excommunicatos communicatione quoad obſequia coniugalia.* 107.

3. *An ſi coniux contraxerit ſcienter cum notoriè excommunicato, priuetur iure cohabitationis, & communicationis quoad debitum coniugale.* 110.

4. *An, ſi neſcius excommunicationis alterius, cum ipſo contrahat matrimonium eadem cognita, poſſit petere, & reddere debitum coniugale.* 112.

5. *An lata ſententia excommunicationis cõtra coniuges ob matrimonium illicitè initum, & de cuius valore pendet lis, teneantur iſti ab vſu coniugij abſtinere.* 114.

6. *An coniuges diuortio ſeparati, ſi excommunicentur, poſſint adinuicem communicare.* 115.

7. *An vxor poſſit participare cum excommunicatis, cum quibus maritus participat.* pag. 117.

8. *An coniux excommunicatus poſſit agere in iudicio ad repetendum alterum, qui ob excommunicationem ipſius receſſit.* 117.

9. *An marito perſeuerante, & contumaci in excommunicatione, poſſit vxor ab eodem dotem repetere.* 118.

10. *An, ſi ſponſus eſſet excommunicatus ante contractum matrimonij, vel maritus ante conſummationem eiuſdem poſsit ſponſa, vel vxor cum ipſo communicare.* 120.

11. *An vxor participans in crimine cum marito, ob quod iſte excommunicatus eſt, priuetur iure communicandi cum illo.* pag. 122.

12. *An, ſi maritus ſponte venditus à Domino in longinquas partes extrahatur, teneatur vxor liberè illum ſequi.* 123.

13. *An, ſi maritus ſe vendat inconſulta, ſeu inuita vxore tribuat eidem iuſtam cauſam diuortij.* 124.

14. *An, ſi maritus inuita vxore ſe venderet, & vxor inuito marito, peccarent contra iuſtitiam.* 125.

15. *An maritus agens ad reuocationem vxoris, quæ ſe ipſam vendidit, teneatur pretium pro ipſa ſolutum reddere.* 126.

16. *An vxor teneatur ſequi maritum ductum in captiuitatem, & cur, ſi non teneatur in hoc caſu, teneatur quando maritus ſe ipſum vendidit.* 127.

17. *Quibus remedijs poſſit vti coniux ad compellendum alterum nolentem cohabitare ad cohabitandum.* 128.

18. *An, ſi Pater iniuſtè detineat vxorem filij, poſſit filius agere aduerſus Patrem pro ipſius reſtitutione.* 128.

19. *An coniuges teneantur ſibi mutuò alimenta præſtare.* 129.

20. *An, ſi dos ſoluta marito pereat ex culpa vxoris, teneatur maritus eandem vxorem alere.* 132.

21. *An, ſi filiusfamilias duxerit vxorem ſine dote, nec habeat, quo ſe, & vxorem alat, teneatur Pater ipſius vxorem eiuſdem filij alere.* 133.

22. *An, ſi vxor ſine cauſa recedat à marito, ſit ab eodem alenda.* 135.

23. *An maritus inops teneatur alere vxorem, & filios, & an potius vxorem, quam filios, vel è contra & an vxor diues teneatur alere maritum inopem.* 137.

24. *An quando coniuges impediti ſunt ad reddendum debitũ, vxor poſſit expelli.* 138.

DISQVISITIONES II.

Ad reliquas omnes de Matrimonio VI. prænotiones.

§.1. *QVomodo cohæreat vinculum coniugale in diuortio cum iuribus, & SS.PP. auctoritatibus.* 139.

2. *An præcedente copula contractum matrimonij liberum ſit alij ex coniugibus ante conſummationem eiuſdem tranſire ad Religionem.* 140.

3. *An per conſuetudinem poſſit abrogari ius diuortij propter adulterium.* 141.

4. *An pro quocunque tempore poſſit diuortiũ, ob adulterium peti.* 142.

Digitized by Google

5. *An, ſi maritus negauerit matrimonium, & illud ob defectum probationum fuerit diſſolutum, & vxor ex ea occaſione adulterium commiſerit poſſit maritus ob illud diuertere.* 143.

6. *An, ſi matrimonium in facie Eccleſiæ fuerit contractum ſubſiſtente impedimento irritante occulto tunc non cognito, & vxor lapſa ſit in adulterium amittat dotem.* 145.

7. *An, ſi maritus occiderit vxorem deprehenſam in adulterio, amittat dotem, quã cæteroqui conſequeretur ex adulterio vxoris.* 146.

8. *An maritus acquirat dotem ob adulterium vxoris, quando qui illam tradidit, ſtipulatus eſt ſibi reddi ſoluto matrimonio. pag.* 147.

9. *An vxor legitimè accuſata de adulterio, ſi falſis teſtibus ſe defendat, & abſoluatur, teneatur dotem marito relinquere, & præbere aſſenſum diuortio.* 148.

10. *An lata in prima inſtantia quoad pœnas ſententia contra adulterum, ſi hic appellauerit, & falſis teſtibus ſe defenderit, eximatur ab eiſdem pœnis.* 150.

11. *Ad quem Iudicem pertineat cognoſcere mota cauſa ſuper alimentis negatis vxori à marito.* 150.

12. *An lite pendente ad diuortium, teneatur maritus præſtare alimenta vxori.* 152.

13. *An maritus qui vxorem ob adulterium accuſauit criminalitèr poſſit tranſire ad accuſationem ciuilem, & è contra.* 153.

14. *An coniux innocens poſſit alteri remittere pœnas adulterij, reſeruato ſibi iure ad aliquam partem dotis.* 155.

15. *An maritus, ſi ſit Iudex, inueniens vxorẽ in adulterio, poſſit licitè eam cum Drudo interficere.* 156.

16. *An, ſi maritus priuata auctoritate occiderit vxorem cum Drudo deprehenſam in adulterio, teneatur ad compenſationem damnorum.* 157.

17. *An pendente lite ſuper diuortio innocens teneatur alteri reddere debitum.* 158.

18. *An, ſi poſt expulſionem temerariam coniux expulſus fornicetur notoriè, ſit reſtituendus.* 159.

19. *An quando alteri coniugi conſtat matrimonium eſſet inualidum, poſſit propria auctoritate diuertere, adeo vt dimiſſus minimè ſit reſtituendus.* 160.

20. *An maritus ſuſpicans de adulterio vxoris, poſſit eam cum teſtibus idoneis obſeruare, vt conuincatur, & diuortium celebretur.* 163.

21. *An liceat marito offerre occaſionem vxori adulterandi eo fine, vt conuincatur de adulterio, & corrigatur.* 164.

22. *An liceat marito pactum inire cum vxore, vt amaſio ipſam violare tentanti conniueat, non vt adulterium perficiat, ſed vt in crimine deprehendatur.* 165.

23. *An vir potius teneatur excommunicationem ſuſtinere, quam redire ad vxorem pertinacem in adulterio.* 166.

24. *An, ſi maritus de futuro initis ſponſalibus detegat aliquod vitiũ in ſponſa, quo poſſet iuſtè illa diſſoluere, & poſtea oſcula, et amplexus, & copulam cum illa habeat, cenſeatur illud remittere.* 167.

25. *An maritus ſatisfaciat oneri dimittendo vxorem pertinacem in adulterio, ſi illi deneget debitum coniugale, retineat tamen tanquam ſororem.* 169.

26. *An nullo exiſtente ſcandalo ob ſolam prolis incertitudinem, teneatur maritus vxorem pertinacem in adulterio dimitteret.* 170.

27. *An, ſi quis glorietur ſe concubuiſſe cum vxore alterius, acquirat maritus ſufficiens ius diuertẽdi ab eadem vxore.* 171.

28. *An propria confeſsio vxoris inducat ſufficiens ius ad diuortium.* 172.

29. *An ſufficiat confeſſio vxoris de adulterio à ſe commiſſo, quando illa confeſſio cedit in præiuditium profeſſionis.* 174.

30. *An rationes, quibus inducitur violenta præſumptio de adulterio ſufficientèr poſſint innoteſcere per teſtes, & quoſnam. pag.* 175.

31. *An maritus adulter volens criminalitèr accuſare vxorem adulteram, teneatur illi reddere debitum.* 176.

32. *Vtrum in foro conſcientiæ licitum ſit marito adultero, & contumaci in adulterio accuſare criminalitèr vxorem adulterã. pag.* 178.

33. *Quinam modus ſeruandus ſit in diuortio. pag.* 179.

34. *Apud quem debeant educari filij facto diuortio inter coniuges.* 180.

† 2 CON-

CONTRACTVS XV.

De Matrimonio VII.

Præn. I. *Nonnulla præambula ad quæſtiones de debito coniugali.* 182.

2. *An præſtatio debiti coniugalis ſit neceſſaria ad ſalutem.* 183.

3. *An, & quænam cauſa excuſent à redditione debiti.* 187.

Sect. 1. *Vtrum qualitas loci, in quo petitur debitum, quandoque excuſet ab onere reddendi.* 187.

2. *Vtrum qualitas temporis, pro quo petitur debitum, quandoque excuſet à redditione debiti.* 197.

3. *An coniuges excuſentur ab onere reddendi debitum ratione modi, vel ſitus, quo copula exigitur.* 213.

4. *An ratione furoris, vel amentiæ, vel in altero, vel in vtroque exiſtente excuſentur coniuges à redditione debiti.* 219.

5. *An ad euitandum damnum rei familiaris, ob multiplicitatem prolis excuſentur coniuges ab onere reddendi debitum.* 222.

6. *An excuſentur coniuges à redditione debiti ob dubium valoris matrimonij.* 224.

7. *An ratione cognationis ſpiritualis ortæ inter coniuges poſt matrimonium excuſentur à redditione debiti.* 234.

8. *An excuſentur coniuges ab vſu coniugij ob affinitatem ortam inter ipſos poſt matrimonium.* 242.

9. *An ratione voti Religionis, ordinum ſuſcipiendorum, caſtitatis emiſſi ab altero, vel ab vtroque excuſentur ab onere reddendi debitum.* 252.

10. *An coniux poſſit irritare vota alterius coniugis.* 272.

Præn. 4. *An, & quomodo actus coniugalis poſſit eſſe licitus, vel illicitus ratione finis, ad quem refertur.* 275.

5. *An actus coniugalis inceptus, & diſſolutus ante vtriuſque ſeminationem inuoluat culpam, & quanam.* 281.

6. *An ſit licita attentatio vſus coniugalis, quando poſt matrimonium ſuperuenit impotentia ad copulam perfectam in altero coniuge.* 288.

7. *An tactus, oſcula, amplexus, aſpectus, verba turpia, delectationes ſint licita inter coniuges.* 290.

DISQVISITIONES I.

Ad omnes prænotiones de Matrim. VII.

S. 1. *An coniux voluntariè ſe reddens impotentem ad reddendum debitum peccet lethalitèr.* 294.

2. *An vxor, quæ abſtinentijs moderatis abſq; fraude ſe extenuat, ſeq; reddit minus aptam ad reddendum, & aliqualitèr deformem peccet.* 297.

3. *An coniux teneatur vti cibis calidis, & ſimilibus veneris irritamentis, vt potentior fiat ad reddendum.* 298.

4. *An coniuges poſſint vouere abſtinentias & alia in præiuditiũ debiti coniugalis.* 299.

5. *An coniux inconſulto altero poſſit vouere aſſumere habitum Tertij Ordinis D. Frãciſci, ſeu Eremitarum.* 301.

6. *Per quemnam actum vnius coniugis intelligatur poſita irritatio voti ab altero emiſſi.* 302.

7. *An, & qualitèr peccet maritus, qui contra licentiam datam, vel approbationem factam de voto vxoris, illud irritat.* 305.

8. *An, ſi maritus conceſſerit facultatem vxori vouendi, & ipſa vouerit ſe votum illud emiſſurum, poſſit idem maritus votũ illud ſine cauſa irritare.* 306.

9. *An fœmina intendens nubere poſſit ſoluere ieiunium, ne fiat deformis.* 306.

10. *An vxor, ob viri præceptum præciſè poſſit ſoluere ieiunium Eccleſiaſticum.* 308.

11. *An contrahens ſcientèr matrimonium cum obſtricto voto caſtitatis ſimplicis, poſſit ab illo debitum petere.* 309.

12. *An fornicans cum coniugata obſtricta voto caſtitatis emiſſo ante matrimonium nõ ſolum committat adulterium, ſed etiam ſacrilegium.* 310.

13. *An proles habita à coniugatis mutuo caſtitatis voto obſtrictus, vel ab altero profeſſo, vel promoto ad ſacros ordines ſit legitima, an ſpuria.* 311.

14. *Ad quemnam Iudicem ſpectet compellere coniuges ad ſibi reddendum debitum.* pag. 315.

DIS-

DISQVISITIONES II.

Ad reliquas omnes de Matrim. VII. Prænotiones.

§.1. *AN peccatum ſit in actu coniugali deſiderare non concipi prolem.* 316.

2. *An licitum ſit contrahere matrimonium cum intentione, & deſiderio excludente finem prolis.* 318.

3. *An petere debitum coniugale in diebus feſtis in contemptum feſti ſit peccatum lathale.* 319.

4. *An ſit peccatum mortale, ſi coniux in actu coniugali ad alium à ſuo coniuge intendat.* 321.

5. *An, & quomodo motus ſenſualitatis ſint peccaminoſi.* 322.

6. *An delectatio moroſa de re venerea, ſiue inter coniuges, ſiue inter alios ſit peccaminoſa, & quomodo.* 324.

7. *An coniugatis liceant delectationes moroſæ, quando ob aliquod impedimentum ipſis non eſt licitus actus coniugalis.* 327.

8. *An, & quando pollutionis periculum in coniugibus efficiat culpam mortalem, quæ antea non erat.* 329.

9. *An ſit culpa non euitare cauſam, ex qua periculum pollutionis extra actum coniugij præuideatur, quando nulla neceſſitas, vel vtilitas vrget.* 331.

10. *An, qui dedit cauſam pollutioni vacet culpa quoad eandem, ſi ante effectum pæniteat eiuſdem cauſæ.* 334.

11. *An aliquando licitum ſit deſiderare pollutionem.* 336.

12. *An copula habita inter coniuges aliquo modo inordinato, ne vxor concipiat, ſit lathaliter peccaminoſa.* 338.

13. *An actus coniugalis in inceptione relatus ad bonum finem declinet in lathaliter prauum, ſi in proſecutione referatur ad finem illicitum.* 339.

14. *An accedere ad Euchariſtiam cum conſcietia peccatorum venialium ſit peccatum veniale.* 340.

15. *An licitus ſit vſus coniugij non expectato purificationis tempore.* 342.

16. *An teneat votum coniugis de non communicando in die habita copula.* 344.

17. *An liceat puellæ ſtatim poſt ſtuprum alteri nubere.* 346.

18. *An vxor tempore menſtrui teneatur reddere marito petenti, quando iuſtè creditur monſtrum gignendum eſſe.* 347.

19. *An coniux, qui conſenſit alterum coniugem contrahere affinitatem per copulam fornicariam cum ſuo conſanguineo impediatur à petitione debiti.* 348.

20. *An, ſi alter coniux matrimonio adhuc non conſummato cognoſcat carnaliter conſanguineam proprij coniugis, priuetur iure petendi debitum.* 349.

21. *In quoto gradu copula habita cum conſanguinea alterius coniugis inducat priuationem iuris petendi debitum ab altero. pag.* 351.

22. *An coniux, qui inceſtuoſè commixtus eſt cum conſanguineo alterius coniugis in gradu prohibito, peccet lathaliter petendo debitum à proprio coniuge, & quo peccato.* 354.

23. *An quando coniux ratione cognationis ſpiritualis ſuperuenientis matrimonio impeditur à iure petendi, poſſit ab altero expelli ab habitatione.* 355.

24. *An, ſi maritus conſenſum præſtiterit, vt vxor à proprio conſanguineo per vim cognoſceretur, oriatur interdictum petendi. pag.* 357.

25. *An ignorantia facti, vel iuris excuſet coniuges contrahentes affinitatem à pæna priuationis iuris exigendi debitum.* 358.

CONTRACTVS XV.

De Matrimonio VIII. hoc eſt de onere parentum erga prolem in fieri, & iam conceptam.

Præn.1. *QVid, & quotuplex ſit abortus, & quomodo fiat.* 361.

2. *De grauitate, & pænis criminis abortus. pag.* 363.

3. *An reſſeruatio peccati, & excommunicationis ſublata per Gregorium XIV. intelligatur ſolummodo quando fætus erat inanimis, an vero etiam quando animatus.* 367.

4. *An irregularitas, quæ incurritur per abortum ſit adhuc S. Pontifici reſeruata.* 369.

Digitized by Google

5. *Quinã Sacerdos poſsit abſoluere ab incurſa excõmunicatione propter abortũ.* 370.
6. *An ſolum reſeruatio ab excommunicatione, quando fætus eſt inanimis, intelligatur ſublata à Gregorio XIV., an etiam ipſa excommunicatio.* 373.
7. *An, qui procurauit abortum fætus, ſiue animati, ſiue inanimis, non ſecuto effectu incurrerit excõmunicationem, aliaſque pœnas.* 374.
8. *An propinans potionem ad inducendam ſterilitatem incurrat pœnas abortus.* 376.
9. *An incurrant pœnas abortus ipſæ matres illum in ſe procurantes.* 379.
10. *An conſulentes, & mandantes incurrant in huiuſmodi pœnas, & quid, ſi reuocauerint mandatum, vel conſilium ante executionem.* 381.
11. *An liceat prægnanti ad vitandum periculum mortis in morbo ſumere pharmaca, ex quibus poſſit ſequi abortus.* 384.
12. *An procurans abortum fætus in dubio, an ſit animatus, nec ne, incurrat pœnas contra procurãtes abortũ fætus animati.* 390.
13. *Quænam ſint officia, beneficia, & dignitates, quibus priuantur procurantes abortum ex Conſtitutione Sixti V.* 391.
14. *An delinquentes in hoc genere ſubeant omnes pœnas ante Iudicis ſentẽtiam.* 392.
15. *An prægnans teneatur perpeti ſectionem vteri ad extrahendam prolem, quando alia via non ſuppetit.* 395.
16. *An ad euitandam mortem ab extrinſeco, vel infamiam licitum ſit procurare abortum fætus.* 400.
17. *An Pater, & Mater non impedientes abortum, cum poſſent, incurrant in excommunicationem, & irregularitatem latam à Sixto V.* 402.
18. *An, qui commiſit crimen abortus fætus animati ſecuto effectu gaudeat immunitate Eccleſiæ, ſi ad illam, confugiat.* 404.

DISQVISITIONES I.

A prima ad octauã prænotionem incluſiuè.

§.1. *AN ad incurrendas pœnas abortus fætus animati requiratur, vt ſit animatus anima rationali.* 405.
2. *Cur abortus fætus adhuc inanimis dicatur homicidij feſtinatio.* 406.
3. *An in aliquo caſu abiectio fætus inanimis puniatur pœna mortis.* 407.
4. *An procurans abortum fætus animati fiat reus multiplicis homicidij ob periculum multos occidendi.* 408.
5. *An committens abortum fætus animati nõ ſolũ ſit homicida, ſed etiã ſacrilegus.* 410.
6. *An approbans abortum iam factum incidat in pœnas latas à Sixto V.* 411.
7. *An conſulens abortum fætus inanimis incidat in pœnas procurantium abortum fætus animati, ſi fœmina ex interuallo vtatur conſilio.* 412.
8. *An interrogatus de remedijs abortiendi à fœmina prægnante, ſi remedium aliquod aptum referat, incidat in pœnas &c.* 415.
9. *An prægnanti paratæ ſe ipſam occidere cũ fætu licitum ſit ſuadere, vt dumtaxat fætum interimat.* 417.
10. *An fœmina, quæ poſt coitum mingit, vel digitis conatur ſemen expellere, incidat in pœnas procurantium abortum.* 419.
11. *An Monialis, quæ ex ſacrilego coitu concepit, pugnis ſe percutiens ad abortum præter pœnas abortus incurrat etiam cenſuram,* Si quis ſuadente. 421.
12. *An maritus incidat in pœnas abortus, ſi dum congreditur cum propria vxore prægnante, ex magna corporis agitatione ſequatur fætus interitus.* 423.
13. *An Medicus, qui ordinauit pharmacum tendens ad fætus interitum pro Caia prægnante, ſi ex incuria Aromatarij datum fuerit Semproniæ item grauidæ, ex qua ſecutus eſt abortus, incidat in pœnas procurantium &c.* 424.
14. *An ignorantia iuris, vel facti in abortu excuſet à pœnis.* 426.
15. *An ſubeat pœnas abortus, qui prægnantem percutit, aut metum incutit, ex quibus abortus ſequitur.* 428.
16. *An quilibet confeſſarius approbatus ab ordinario, quamuis ab eodem ſpecialitèr non deputatus ad caſum abortus, poſſit ex vi Iubilæi ab excommunicatione abſoluere ob abortum fætus animati.* 428.
17. *An ſuperiores Regulares poſsint habilitare ad officia ſuos ſubditos, qui procurarunt abortum fætus animati.* 430.
18. *An conſulens in dubio, quod prægnans mota fuerit ex vi conſilij ſui ad abortum, an vero ex ſe ipſa cenſendus ſit incurriſſe pœnas abortus.* 431.

DIS-

Digitized by Google

Index Titulorum, Prænotionum, &c.

DISQVISITIONES II.

Ad reliquas omnes de Matrim. VIII. Præn.

§.1. PRæmittuntur nonnulla quoad nomen cæſonis. 433.
2. An primus, qui in deſperatione partus naturalis experimentum fecit ſectionis, lethaliter peccauerit. 434.
3. An modo Medici, & Chirurgi non modo poſſint, ſed etiam teneatur remedium ſectionis cæſareæ periclitanti matri præſtare. 435.
4. An ſectio matris viuentis ipſam reddat inhabilem ad nouam conceptionem, aut ad naturalem partum. 436.
5. An prægnantes ſaltus edentes, & illi, qui cum eis choreas ducunt grauitèr peccent, & ſi inde abortus ſequatur, ipſi chorearũ ſocij contrahant irregularitatem. 438.
6. An prægnans non præcauens ab iræ paſſione, alijq; ipſam excitantes peccent, & qualitèr in fœtum conceptum. 439.
7. An infirmus in periculo mortis conſtitutus poſſit remedia illi profutura reſpuere remittens ſe diuinæ prouidentiæ. 440.
8. An quandoque licitum ſit medicinam corporalem reſpuere. 442.
9. An extractus per ſectionem cæſaream gaudeat iure natorum in ordine ad ſucceſſiones. 444.
10. An cæſo ex vtero matris extractus, ſi modicum viuat excludat ſubſtitutum à ſucceſſione. 446.
11. An venter prægnans excludat vocatum, ſi non prouehatur ad lucem. 448.
12. Quinam è gemellis cæſonibus habendus ſit pro primogenito. 449.
13. Quomodo diſponendum de Regno, vbi iuxta præcedentem caſum non conſtaret de primogenito. 450.

CONTRACTVS XV.

De Matrimonio IX. hoc eſt de onere parentum erga prolem iam natam.

Præn.I. DE obligatione parentũ bene educandi filios. 452.
2. Vbi, & apud quos educandi ſint filij præſertim impuberes. 459.
3. De culpa, & pœnis parentum tenentium infantes recentèr natos in lecto, in quo ipſi cubant. 468.
4. An, & quo iure parentes teneantur alere filios legitimos, & illegitimos, & ad quodnam tempus. 470.
5. An mater elapſo primo triennio teneatur æque primo cum Patre alere filios, ſeu filias. 476.
6. Comparando aſcendentes Patris, & matris tum ad inuicem, tum ad ipſum Patrem, & matrem cui prius incumbat onus alendi filios, & filias. 481.
7. Siſtendo in præfatis comparationibus, cui per prius incumbat onus dotandi filias, ſeu neptes. 490.
8. Quanã veniunt nomine alimentorũ. 496.
9. In quanam quantitate inſpecto præcisè iure naturæ, teneantur parentes filijs præſtare alimenta. 498.
10. Quænam alimenta, & quibuſnam filijs inſpecto iure ciuili ſint per parẽtes erogãda loquẽdo pro nunc præcisè de legitimis. 501.
11. Quænam, & quanta alimenta inſpecto iure ciuili, teneatur pater præſtare filijs illegitimis, & ſpurijs. 508.
12. An alimenta debeantur filijs officio Iudicis, an iure actionis. 514.
13. An in controuerſia ſuper alimentis inter patrem, & filium poſſint iſti compelli ad compromittendum. 516.
14. An alimenta præterita poſſint repeti. 517.

DISQVISITIONES I.

A prima ad ſeptimã prænotionem incluſiuè.

§.1. AN parentes exponentes filios ſiue legitimos, ſiue illegitimos ad Hoſpitale, vel ad ianuam Eccleſiæ peccent, & an quandoque excuſentur à culpa. 521.
2. An patre impotente compenſare Hoſpitali expenſas alimentorum, teneantur illas compenſare alij, qui tenentur in ſubſidium Patris. 524.
3. An ſi filius fuerit expoſitus ad ianuã alterius, poſſit hic tuto ad ianuã alterius deferre. 525.
4. De pœnis exponentium infantes abſq; iuſta cauſa. 527.
5. An Pater, qui expoſuit, teneatur hæredem relinquere expoſitum, & ſi ipſum præter-reant, poſſit hic rumpere teſtamentũ. 531.
6. An Prælatus Monaſterij, ad cuius ianuam expoſitus eſt infans, teneatur expenſis Mona-

Digitized by Google

Monaſterij illum alere. 532.
7. *An per Patrem pinguiora ſint alimenta præſtanda primogenito, quam cæteris fratribus.* 533.
8. *An Pater teneatur alimenta præſtare filio nolenti cum Patre habitare.* 535.
9. *An alij præter Patrem, qui tenentur alimenta præſtare, teneãtur eadem præſtare etiam extra propriam domum.* 536.
10. *An aliquo aſſerente ſe eſſe filium alicuius, hocque negante eſſe prolem ſint pendente lite eidem primo per ſecundum præſtanda alimenta.* 538.
11. *An filius pauper agens contra poſſeſſorẽ paternæ hæreditatis ex cauſa inofficioſi teſtamẽti pendẽte lite debeat habere à Reo conuento alimenta, et litis expenſas.* 541.
12. *Ad quoſnam extendatur diſpoſitio textus* in l. ſi inſtituta §. de inofficioſo ff. de inofficioſo teſtamento. 542.

DISQVISITIONES II.

Ad reliquas omnes de Matrim. IX. Prænot.

§. 1. *AN pater, teneatur iterum dare alimenta filio, qui culposè conſumpſit quantitatem ſibi ſemel pro eis datã.* 545.
2. *An alimenta ſint per Patrem ex redditibus tantum præſtanda, an vero etiam ex venditione proprietatum.* 547.
3. *Vtrum filius, ſi habeat bona ſtabilia, ex quorum fructibus non poſſit ſufficientèr ſe alere, teneatur eadem bona alienare, vt ex pretio ſe alat, an vero teneatur Pater ſupplementũ alimentorum præſtare.* 549.
4. *An bona fideicommiſſi poſſint alienari pro alimentis filiorum, tum ipſius inſtitutoris, tum primo vocati.* 551.
5. *Quid ſentiendum ſit, ſi aſcendens inſtitutor fideicõmiſſi prohibuerit bona fideicommiſſi diſtrahi etiam ex cauſa alimentorum.* 553.
6. *Quid ſentiendum ſit, ſi fideicommiſſarius contraxerit æs alienum, & fructus fideicommiſſi non ſufficiant ad ſanandum idem æs alienum, & ad alimenta eiuſdem fideicommiſſarij, & ſuorum deſcendentium.* 554.
7. *An, ſi grauatus fideicommiſſo habuerit legitimam, & Trebellianicam eamq; malè inſumpſerit poſſit bona fideicommiſſi alienare pro ſuis, & filiorum alimentis.* 556.

DON MAVRITIVS GIRIBALDVS CONGREGATIONIS CLER. REG. S. PAVLI PRÆPOSITVS GENERALIS.

CVM Librum, cui Titulus eſt: *Nouiſſima Praxis Theologico legalis in vniuerſas de effectibus Matrimonij controuerſias*, à Patre Don Gregorio Roſignolo Congregationis noſtræ Præsbytero Profeſſo compoſitum, duo eiuſdem Congregationis eruditi viri, quibus id commiſimus, accurata lectione, & graui iudicio recognouerint, ac in lucem edi poſſe probauerint, Nos, quantum in nobis eſt, facultatem facimus, vt typis mandetur. In quorum fidem &c. Datum Romæ in Collegio noſtro SS. Blaſij, & Caroli die 17. Iulij 1688.

D. Mauritius Giribaldus Præpoſitus Generalis.

Locus ✠ Sigilli.

D. Auguſtinus de Sancto Auguſtino Cancell.

NOuiſſima hæc Praxis Theologicolegalis in vniuerſas de effectibus Matrimonij Controuerſias, Auctore Adm. Reu. Patre *D. Gregorio Roſignolo* Congregationis Cleric. Regul. Diui Pauli Magiſtro illuſtri, cenſuram non imparem illi meretur, quam iure à me obtinuit inſcripta: *Nouiſſima Praxis in alias de Matrimomonio Controuerſias*. Vtraque plana, vtraque integra eſt. Mediolani in Sacris noſtris D. Antonij Ædibus, Nonis Octobris, Anno M. DC. LXXXVIII.

Sic ſincerè fateor Ego D. Hieronymus Meazza Clericus Regularis, Sacræ Theologiæ Profeſſor, pro S. Officio Cenſor Librorum, &c.

Attenta præfata atteſtatione
Imprimatur F. Sixtus Cerchius Inquiſitor Generalis Mediolani &c.
Iacobus Saita Canonicus Baſilicæ S. Ambroſij pro Eminentiſs. D. D. Card. Vicecomite Archiep.
Franciſcus Arbona pro Excellentiſſimo Senatu.

Digitized by Google

CONTRACTVS XV.

De Matrimonio VI. hoc eſt de primo effectu indiſſolubilitatis quoad mutuam coniugum cohabitationem.

NIL magis conſonum eſt indiuiduæ vitæ vnitati, quam inducit vinculum coniugale, quam coniuges ſimultaneam habere habitationem, & communem domum, ac thorum non diuiſum; hoc exigit conditio coniugij, quod ſicuti animos conciliat ad indiuiduam viuendi rationem, & corpora ad mutua obſequia, ita non patitur, ità coniunctos quoad habitationem ſeparatim viuere, & corpora aſſociata loco ſeparari. Socialia fœdera ſimultatem amant, nec ita coniunctos ſinunt diuidi, ne fœdera ipſa diſſoluantur. Hoc onus mutuò cohabitandi, ſi tamen onus eſt, quod naturæ congruit, eſt vnus ex præcipuis effectibus matrimonij, quem præterire in examine non permittit moralis ſolertia; hic tamen non eſt ità matrimonio adnexus, vt ſi ſeparetur, eiuſdem vinculum diſſoluat, ſed quandoque rationabili cauſa interueniente dirimitur per diuortium, & illæſum remanet vinculum coniugale. Hunc effectum, tàm in ordine ad ſe, quàm in ordine ad eius oppoſita indagandum in præſenti aſſumimus, vt nihil deſit, quod ad perfectam matrimonij indaginem, & cognitionem valeat perducere.

Agunt de hoc effectu *Coaruuias de ſponſalib. part. 2. c. 7., Marcus Antonius Cuccus inſtit. maior. lib. 5. tit. 11., Farinacius in praxi crimin. par. 5. q. 143., Sanchez de matrimon. lib. 9. q. 4., Rebellus de obligat. iuſtitiæ part. 2. lib. 3. q. 3. ſect. 1., Coninchus de Sacramentis diſp. 34., Baſilius Pontius de matrimon. lib. 12. c. 20., Auerſa de matrim. q. 22. ſect. 3., Caſtrus Palaus p. 5. tract. 28. diſp. 3. punct. 5. §. 1., Ioannes Angelus Boſſius de effect. matrim. c. 6. per totum, & alij.*

PRÆNOTIO I.

Quo Iure teneantur Coniuges cohabitare.

SUMMARIUM.

Tenentur Coniuges cohabitare. 1.
De iure naturæ, & diuino. 2.
Eſt onus iuſtitiæ. 3.
Ad quod extendatur huiuſmodi onus. 4.
Moderatio prædictorum. 5.
Poteſt diſſolui ex iuſta cauſa manente vinculo coniugali. 6.

1 *Onus coniugum cohabitādi.*

NON eſt dubium, quod coniuges contracto matrimonio teneantur cohabitare ad mutua obſequia ſibi adinuicem reddenda; hoc etenim exigit finis eiuſdem matrimonij ſaltem ſecundarius, qui eſt generatio actualis prolis, eiuſdem honeſta educatio, mutua inter ipſos coniuges amicitia. Id, quod ſub præſenti titulo venit examinandum, eſt primò, quo iure teneantur habitare ſimul, an iure naturali, an diuino, an tantum humano? an titulo iuſtitiæ, an tantum fidelitatis. Secundò, quid importet propriè hæc cohabitatio, & ad quæ obligat. Tertiò, an hæc obligatio cohabitandi ita reſtringat, vt nunquam, nullaq; ex cauſa poſſit diſſolui, ne quidem ad tempus.

2 *Eſt de iure naturæ, & diuino.*

Aſſertio I. Onus, quo afficiuntur coniuges cohabitandi, eſt de iure naturali, & diuino, *Sanchez de matrimon. lib. 9. diſp. 4. n. 23., & ſeqq., Valerus de differ. in vtrumque forum verb. vxor diff. 2., Auerſa de matrimon. q. 22. ſect. 3., Martinus Perez de matrimon. diſp. 50. ſect. 3., Caſtrus Palaus part. 5. tract. 28. diſp. 3. p. 5. §. 1., Ioannes Angelus Boſſius de effect. matrimonij c. 6. n. 2.*

Ratio primæ partis ex eo deducitur, quia contractus matrimonij ex ſui natura obligat ad reddendum debitum coniugi petenti, quotieſcunque licitè, & moderatè petit, ergo etiam ex natura ſua obligat eoſdem coniuges ad cohabitandum. Conſequentia tenet, quia ius, quod obligat ad finem, obligat etiam ad media, quæ neceſſaria ſunt ad eundem finem aſſequendum; cum autem non poſſit eſſe commoda redditio, niſi ſit cohabitatio, ſequitur, quod, ſi natura matrimonij obligat ad reddendum, obligat etiam ad cohabitandum, adeoq; de iure naturali eſt onus cohabitationis.

Onus ad finem obligat ad media.

Ratio ſecundæ partis deducitur ex illo Geneſeos 2. *Propter hanc relinquet homo patrem, & adhærebit vxori ſuæ, & erunt duo in carne vna*, quem textum *Alexander III. in c. 1., & 2. de coniug. leproſ.*, inducit ad ſignificandam obligationem coniugum ad cohabitandum, quod confirmari poteſt, ex illo Matthæi 5. *Omnis, qui dimiſerit vxorem ſuam excepta fornicationis cauſa, facit eam mœchari*; atq; hos textus intelligunt *D. Thomas ad Epheſ. 5. lect. 10., & Abulenſis c. 19. Matthæi q. 23.* de adhæſione coniugum per ſimultaneam cohabitationem.

Aſſignatur ius diuinū

Ea, quæ dicta ſunt quoad primam partem, varijs rationibus naturalibus poſſunt confirmari, & primò, quia de iure naturali tenentur coniuges honeſtè, & laudabilitèr prolem educare; quod vtiq; præſtare nequeunt, niſi ſimul habitent; non enim proles commodè, & educari, & inſtitui poteſt, niſi parentibus cohabitantibus in ordine ad varia munera, quorum alia propria ſunt matris, alia patris. Secundò, quia ex ipſa matrimonij definitione, ſecundum quam dicitur coniunctio indiuiduam, & inſeparabilem vitæ coniugum conſuetudinem retinens, apertè euincitur ipſum onus cohabitationis; quomodo enim poſſunt retinere indiuiduam, & inſeparabilem vitæ conſuetudinem, ſi diſiuncti habitatione viuant? Tertiò, quia viro, & vxori ex ipſa natura indicta videtur amicitia, & naturalis ipſa propenſio inducit hanc ſimultaneam habitationem.

Rationes naturales.

Aſſertio II. Hoc onus, quod habent coniuges cohabitandi, non ſolum prouenit ex titulo fidelitatis, ſed etiam rigoroſæ iuſtitiæ. *Ioannes Angelus Boſſius de effectibus matrimon. c. 6. n. 2.*, nec in hoc diſſentiri videntur DD. præallegati. 3

Eſt onus iuſtitiæ, nō meræ fidelitatis.

Ratio ex eo deducitur, quia hæc obligatio prouenit ex mutua conuentione, & contractu inito inter partes, ergo prouenit ex iure iuſtitiæ. Antecedens non videtur poſſe verti in dubium, quandoquidem ipſe contractus matrimonij conſiſtit in mutua promiſſione, & repromiſſione, adeoq; ea, quæ ex eodem contractu quomodocumq; emanant, implicitè, & virtualitèr procedunt ex eadem promiſſione, & repromiſſione, quandoquidem eodem iure, & titulo, quo quis ſe obligat ad aliquem effectum, ſe obligat etiam ad ea omnia, quæ ex natura eiuſdem effectus proueniunt. Conſequentia etiam tenet, quia onera, quæ proueniunt naturalitèr ex eodem effectu eodem titulo proueniunt, quo idem effectus. Confirmatur, quia onus cohabitandi non eſt ex illis effectibus, qui repugnant cadere ſub iuſtitia, cum ſit quædam ſpecies ſeruitutis, ergo ſtante promiſſione, & repromiſſione indiuiduam, & ſocialem vitam ſeruandi onus cohabitandi erit ex iuſtitia.

Onus cohabitandi eſt quædā ſpecies ſeruitutis.

Aſſertio III. Ex vi oneris cohabitandi tenentur coniuges non ſolum in eadem

domo

Digitized by Google

domo manere, ſed etiam in eadem menſa
4 Ad quid extendatur. accumbere, & in eodem lecto cubare *Marcus Antonius Cuccus inſtit. maior. lib. 5. tit. 11. n. 24., Villalobos p. 1. tract. 13. diff. 43., Sanchez de matrimon. lib. 9. diſp. 4. n. 2., Fagundez in decal. c. 7. n. 6., Ioannes Angelus Boſſius de effect. matrim. c. 6. n. 3.*

Ratio ex eo deducitur, quia allegata onera in aſſertione valdè ſecundū ſe conferunt ad indiuiduam, & ſocialem vitæ conſuetudinem, ergo inducuntur ex vi oneris cohabitandi, quandoquidem hoc ſpectat ad eandem indiuiduam viuendi conſuetudinem fouendam, & conſeruandam. Confirmatur primò, quia onus cohabitandi eſt in ordine ad coniugalia obſequia ſibi inuicem per coniuges præſtanda, & ad mutuum amorem fouendum, ſed inter coniugalia obſequia eſt, vt ſibi coniugale adinuicem petentibus reddatur debitum, quod commodè haberi nequit, niſi habitent in eadem domo, & in eodem lecto cubent, & amor mutuus eiſdem cibis nutritur, & mutuo fouetur accubitu, ergo &c. Confirmatur ſecundò, quia id intelligitur præcipi in iure præcipiente mutuam cohabitationem, quod regularitèr ſeruatur inter coniuges laudabilitèr, & honeſtè viuentes, ſed regularitèr inter iſtos non ſolum ſeruatur manſio in eadem domo, ſed etiam accubatio in eadem menſa, & in eodem lecto concubitus, ergo &c.

(Eſt in ordine ad obſequia coniugalia.)

Hæc tamen omnia, quæ dicta ſunt in hac aſſertione præcipuè quoad onus accumbendi in eadem menſa, & iacendi in
5 Hoc onus debet intelligi ſecundum moderamen, & quodnam eodem lecto intelligenda ſunt ſecundum quandam moralem habitudinem, & moderamen conueniens, non ſecundum rigorem Phyſicum; non enim eſt neceſſitas ſemper, & continuò ſeruandi eandem mēſam, & lectum, ſed quoties, vel alter exigit, vel aliud ratio non ſuadet; & vſus etiam apud aliquos obtinuit, maximè principaliores perſonas, vt diuerſis, vt plurimum accubent in menſis, & ſolum in eodem lecto iaceant, quando vti velint copula maritali; debent tamen eſſe parati, vel ad accubandum in eodem lecto, vel menſa, niſi neceſſitas, vel aliqua ratio alitèr ſuadeat.

Aſſertio IV. Onus cohabitandi, quantumuis à natura contractus proueniens
6 Poteſt ex iuſta cauſa diſſolui manente vinculo coniugali. non eſt tale, vt non poſſit legitima cauſa interueniente diſſolui rato manente vinculo coniugali. In hanc aſſertionem vniuerſi ferè propendent, dum aſſerunt mutuo conſenſu poſſe ſe coniuges liberare onere reddendi debitum, ex cauſa neceſſaria alterum coniugem diù abeſſe, interueniente cauſa diuortio ſeparari &c.

Ratio ex eo deducitur, quia mutua inter coniuges cohabitatio non eſt ex bonis eſſentialibus matrimonij, quæ ſcilicet pertineant ad ipſius ſubſtantiam, ſicuti, nec actualis concubitus, ergò legitima interueniento cauſa poterit diſſolui rato manēte eodem matrimonio quoad vinculum coniugale, quandoquidem per ea, quæ non pertinent ad ſubſtantiam contractus, maximè, ſi hic ſit ex iure diuino indiſſolubilis, contractus ipſe non diſſoluitur, cū ſemper remaneant ſubſtantialia eiuſdem. Sed de his fusè in ſubſequentibus.

PRÆNOTIO II.

An alter coniux poſſit diù abeſſe altero inuito.

SVMMARIVM.

Maritus ex cauſa neceſſaria familiæ poteſt diu abeſſe. 1.

Quænam ſint cauſæ neceſſariæ, & valdè vtiles talis abſentiæ. 2.

Non tamen mulier, niſi ob ſpeciales cauſas, quæ aſſignantur. 3.

Sententia aſſerens maritum ex allegatis cauſis alio proficiſcentem teneri vxorem ducere, ſi ipſa velit ſequi. 4.

Si non diu abſuturus eſt, vel, ſi diu, non tamen ſemper in eodem loco permanſurus, ſed vagaturus, non tenetur ducere. 5.

Secus, ſi ſit diu abſuturus, & in eodem loco permanſurus. 6.

Poteſt maritus breuem peregrinationem aſſumere deuotionis gratia, vel recreationis etiam inuita vxore, non ſic vxor inuito marito. 7.

Nec vir, nec vxor poteſt longam peregrinationem vouere deuotionis cauſa, altero inuito. 8.

Excipe, niſi maritus voueret peregrinationem, in Hieruſalem in ſubſidium terræ Sanctæ. 9.

Quid ſentiēdum ſit, ſi vxor iuuenis nollet comitari, & ſubſit periculo incontinentiæ ex illa abſentia. 10.

Probabilius nequit valdè vxor vouere peregrinationem etiam in ſubſidium Terræ Sanctæ inuito marito. 11.

Renuente marito non tenetur illud votum redimere, alium mittendo. 12.

Exempta vxore à voto, quomodo intelligatur etiam exempta ab onere mittendi alios, quos ſecum duxiſſet, ſi iuiſſet. 13.

Plura de his attigimus in præcedentibus voluminibus ſparſim, ſecundum quod exegit neceſſitas; Nunc ex profeſſo, & ſub vno titulo omnia, & ſingula veniunt compræhendenda; & quidem vertendum in dubium non videtur, quod maritus exigente iuſta, & legitima cauſa, ſi 1 Maritus ex cauſa neceſſaria familiæ poteſt diu abeſſe.

hæc ſit neceſſaria, vel etiam voluntaria, dummodo ſit valdè vtilis familiæ, poſſit etiam per diutinum tempus abeſſe, ſi per idem tempus neceſſitas, vel illa vtilitatis ratio perſeueret; & ratio indè deducitur, quia in huiuſmodi euentibus vxor eſſet irrationabilitèr inuita, nec vir tenetur eidem aſſentiri cum tanta familiæ iactura, vel bonorum ſuorum detrimento, prout docent *Nauarrus in manual. c. 16. nu. 32., Azorius inſtit. mor. part. 2. lib. 3. c. 31. q. 19., Toletus lib. 5. c. 2., Sairus lib. 6. clauis c. 6. n. 9., Paulus Laiman lib. 5. tract. 10. p. 3. n. 3. in fin.*, Si autem hic inquiras, quænam ſit cauſa neceſſaria, & voluntaria vtilis, quæ conferat facultatem diſcedendi altero inuito; plures aſſignat *Ioannes Angelus Boſſius de effectibus matrimonij c. 6. n. 6.*, nempè bonum publicum patriæ, ſeu Principis,

2 Quænam ſint cauſæ neceſſariæ & valdè vtiles.

iuſſio Principis ob militiam, inimicitiæ, ſi breui tempore eas non poſſit componere, & periculum ſit infortunij, vel necis in permanentia in eadem domo, ratio rei familiaris tuendæ, familiæq; ipſius alendæ, & his ſimilia. Sed, an ob has, & ſimiles cauſas, poſſit etiam vxor inuito marito diu abeſſe, negant, & meritò *Sotus in 4. diſt. 32. q. vnica art. 3. ad primum, Coninchus de Sacrament. diſp. 34., Martinus Perez de matrimon. diſp. 50. ſect. 3.*, qui ea potiſſimum

3 Non tamen mulier, niſi ob ſpeciales cauſas.

mouentur ratione, quia ex genere ſuo mulier non eſt ad ea munera idonea, nec ad eam ſpectat economia domus; Non negauerim tamen, quod ob aliquam cauſam poſſit etiam mulier diu abeſſe à marito, vel ſcilicet ob inimicitias, ob quas imminet periculum vitæ, ſi in eadem domo permaneat, vel ob periculum morbi contagioſi in eodem marito, vel ob ſimilem cauſam.

4 Sententia aſſerens maritum teneri vxorem ſecum ducere, ſi velit ſequi.

Hic ſolum ambigendum remanet, an in enumeratis caſibus, in quibus maritus poteſt diu abeſſe ab vxore ipſa etiam inuita, teneatur illam ſecum ducere, ſi ipſa velit eum comitari. Sentiunt aliqui teneri abſolutè eam ſecum ducere, & mouentur ex textu *in c. quod ſuper his de voto*, ibi, *vt quæ remanere noluerint, viros ſuos ſequantur*, & quamuis hic textus loquatur præciſè in terminis peregrinationis terræ ſanctæ, in quibus dicitur, quod maritus vxorem comitari volentem, teneatur ſecum ducere, quia tamen eadem militat ratio in quacunq; alia abſentia ex alia cauſa, ſiuè neceſſaria, ſiuè libera, vtili tamen familiæ, extendenda eſt legalis diſpoſitio ad quemcumq; caſum legitimæ abſentiæ. Nihilominùs procedendum eſt in hac dubitatione cum diſtinctione; vel etenim non diu abfuturus eſt maritus, & ſi diu abfuturus, non tamen diu in eodem loco permanſurus, ſed in diuerſa tranſiturus iuxta opportunitatem, & diuerſitatem negotiorum, vel diu abfuturus eſt, & in eodem loco permanſurus.

5 Non tenetur ducere, ſi non diu ſit abfuturus.

Iuxta primum membrum diſtinctionis aſſerendum eſt, non teneri quantumuis volentem ſequi eam ſecum ducere *Auguſtinus Barboſa collect. ad c. quod ſuper his de voto num. 4., Fagundez in decal. lib. 4. c. 7. n. 12., Caſtrus Palaus part. 5. tract. 28 diſp. 3. p. 5. §. 1. nu. 5., Auerſa de matrimon. q. 22. ſect. 3., Martinus Perez de matrimon. diſp. 50. ſect. 3.* Iuxta ſecundum membrum diſtinctionis ſentiendum eſt, teneri abſolutè eam ducere, & in hoc conſentiri videntur omnes DD. præallegati,

6 Secus, ſi diu abfuturus, & in eodem loco permanſurus.

qui dum reſtringunt primum aſſertum, quando non diu eſt abfuturus maritus, vel ſi diu, non tamen diu in eodem loco moraturus, ſed in diuerſis iuxta exigentiam cauſarum, videntur abſolutè aſſerere teneri ducere, quando diu eſt abfuturus, & in eodem loco moraturus, quia exceptio firmat regulam in non exceptis. Ratio primæ partis, quando, ſcilicet, non eſt diu abfuturus, deducitur ex ijs, quæ infra latiùs dicemus, nempè poſſe maritum etiam inuita vxore breuem aliquam profectionem efficere, quando verò eſt diu abfuturus, ſed non in eodem loco permanſurus, ſed in diuerſa tranſiturus iuxta diuerſitatem negotiorum, & opportunitatem cauſarum ex eo deducitur, quia talis translatio vxoris nimis moleſta foret marito, & oneroſa propter expenſas faciendas ad eam commodè transferendam; vndè eſſet irrationabilitèr inuita vxor, quod maritus ſecum eam non traduceret. Ratio ſecundæ partis deducitur ex allegato textu *in c. quod ſuper his de voto*, quandoquidem hoc non eſſet valdè oneroſum marito, & per hoc conſuleretur periculo incontinentiæ in vxore, & ſaluũ fieret ius ſimul permanendi, quod eſt inter coniuges, quod ex quocunq; incommodo non debet lædi, ſed tantum ex grauioribus.

Articuli examinandi.

His ergo tanquam certioribus ſuppoſitis id, quod in præſenti prænotione examinandum occurrit, eſt primò, an maritus poſſit ſuo arbitratu breuem aliquam profectionem meditari, & efficere, vel deuotionis, vel recreationis cauſa etiam inuita vxore abſq; onere ſecum eam ducendi, & an ſimilitèr vxor poſſit ſimilem ob ſimiles cauſas profectionem velle inuito etiam marito. Secundò, an poſſit longam peregrinationem in remotiores orbis partes vouere, eamq; perficere inuita vxore; & an vxor poſſit ſimile peregrinationis votum emittere abſque conſenſu mariti. Tertiò, an maritus poſſit inuita vxore vouere peregrinationem in ſubſidium terræ ſanctæ; & an vxor ob ſimilem cauſam poſſit talem vouere peregrinationem.

Aſſer-

Digitized by Google

7 Aſſertio I. Poteſt licitè maritus efficere breuem peregrinationem, vel per modicum tempus abeſſe etiam inuita vxore, vel deuotionis cauſa, vel etiam recreationis, non tamen vxor inconſultò, ſeu inuito marito, *Coninchus de Sacrament. diſp.* 34. *n.* 19., *Paulus Laiman. lib.* 5. *tract.* 10. *p.* 3. *c.* 2., *Sairus lib.* 7. *clauis c.* 7. *n.* 10., *& seqq; Villalobos p.* 1. *tract.* 13. *diff.* 43., *Ioannes Angelus Boſſius de matrim. effect. c.* 6. *nu.* 8., *& alij magis communitèr*.

Poteſt maritus breuem peregrinationem aſſumere inuita vxore, non è contra.

Prima pars ex eo liquet, quia valdè congruum rationi eſt, vt qui onera potiora matrimonij, & familiæ ſuſtinet, tamque in negotijs domeſticis, quam in forenſibus totus eſt pro bono eiuſdem matrimonij, & familiæ, poſſit iuxta proprium ſtatum congruas aſſumere recreationes, & pia deſideria in breui peregrinatione adimplere, ergo per modicum tempus poterit à propria domo, vel vxore abeſſe in ordine ad hæc pietatis, & recreationis munera; nec poterit ad hoc vxor eſſe rationabilitèr inuita, quæ ſicuti congaudet bonis, quæ ipſi per maritum proueniunt, ita non debet condolere de modico malo, ſi quod prouenit ex modica mariti abſentia, ob congruas deuotiones, & recreationes ipſius, præcipuè cum maritus ex proprio ſtatu, & conditione non ſit ita addictus domo, ſicuti eſt vxor.

Aſſignatur ratio honeſtatis talis peregrinationis.

Secunda pars deducitur, tum ex ſtatu, & conditione muliebri, tum ex ſubiectione, quam ipſa habet ad maritum, tanquã ad caput familiæ, & ad ſui ſuperiorem; non enim ipſa eſt miniſterijs forenſibus, ſed domeſticis dumtaxat curis addicta, nec ipſa nata eſt circumagi, ſed domi detineri, vnde ipſa natura viro rebus externis, & forenſibus occupari tribuit, vxori vero domeſticis. Rurſus domeſtica miniſteria, quæ potiſſimum apud vxorem reſident, non exigunt abſentiam. Rurſus ad virum, vtpotè prudentiorem ſpectet vxorem dirigere, & gubernare; ad vxorem verò obedire, & in rebus domeſticis viro famulari, ergo, cum munera, & ſubiectio vxoris ad virum ſint talis conditionis, non poterit eadem vxor ab ipſis ſe eximere inconſulto, & inuito eodem marito.

Vxor eſt ſubdita marito.

8 Aſſertio II. Nec vir, nec vxor poteſt longam peregrinationem ſolius deuotionis cauſa validè Deo vouere inconſulto, & inuito altero coniuge, *Sanchez de matrimon. lib.* 9. *diſp.* 4. *n.* 15., *Suarez de Religion. tom.* 2. *de voto lib.* 6. *cap.* 4. *n.* 14., *Fagundez in decal. lib.* 4. *c.* 7., *Ioannes Angelus Boſſius de effectu matrimon. c.* 6. *n.* 9., & alij apud Sanchez.

Nec vir, nec vxor, poteſt lõgam peregrinationem Deo vouere altero inuito.

Ratio in vniuerſum ex eo deducitur, quia, cum coniuges ſibi mutuo ad inuicem obligauerint fidem in contractu matrimonij mutuo cohabitandi, & reddendi ſibi adinuicem debitum, non poſſunt ex propriæ voluntatis arbitrio aliquid præſtare altero inconſulto, & inuito, quod cedat in læſionem eiuſdem fidei, & violationem oneris, quod ex illa fide data conſurgit; nec Deus acceptat obligationes, quæ conſurgunt ex voto, quando ſunt cũ læſione iuris alteri acquiſiti, & ſacramento firmati, ergo, cum illud votum longæ peregrinationis ſit ſecundum ſe læſiuum iuris alterius coniugis, non obligabit ad obſeruantiam, cum promiſſio alteri facta non obliget, niſi fuerit per eum, ad quem tanquam ad promiſſarium dirigitur, acceptata.

Neque obeſſe poteſt, ſi afferatur, quod ius alterius coniugis per illud votum non lædatur, quandoquidem alterum abeuntem tenetur comitari, per textum *in c. vna quæque* 15. *q.* 2., & ſic non poteſt eſſe inuitus coniux, qui non vouit, quod alter vouerit, & quod ipſe teneatur eum ſequi, cum hoc proueniat ex conditione contractus matrimonialis, ad quem conſequitur illa obligatio comitandi coniugem ab euntem. Non, inquam, obeſſe poteſt, quia in primis hæc inſtantia non ſubſiſtit in caſu, quo vxor vouerit talem diutinam peregrinationem, quandoquidem ipſa ad ſummum tenetur comitari virum abeuntem, cum hic ſit caput illius, non è contra vir tenetur vxorem diſcedentem ſequi, cum hæc illi ſubdatur. Deindè non ſemper vxor ipſa tenetur ſequi virum abeuntem, ſed ad ſummum, quando abit ex cauſa neceſſaria, & eſt diu abſuturus, & ſequi non eſt valdè onerosum eidem vxori; hic autem non interuenit cauſa neceſſaria abeundi, & maximè onerosum eſſet fæminæ in tàm longo itinere maritum abeuntem ſequi, & valdè dedecens ſtatui muliebri, *Sanchez de matrimon. lib.* 1. *diſp.* 41. *num.* 8.

Proponitur inſtantia, & ſoluitur.

Aſſertio III. Si maritus voueret talem peregrinationem in Hieruſalem non tantum deuotionis cauſa, ſed in ſubſidium terræ ſanctæ, tunc, & votum illud ſubſiſteret, & poſſet etiam inuita vxore illud exequi, *Gloſa in c. ex multa* §. *in tanta de voto verb. viri*, *Silueſter verb. votum* 5. *q.* 1., *Rodriquez in ſumma tom.* 2. *c.* 90. *n.* 7., *Auguſtinus Barboſa collect. ad d. c. ex multa n.* 10., *Suarez de Religione tom.* 2. *de voto lib.* 6. *c.* 4. *nu.* 14., *Sairus lib.* 6. *clauis c.* 6. *n.* 9., *Sanchez de matrimon. lib.* 9. *diſp.* 4. *n.* 16., *& lib.* 4. *ſumma c.* 34. *n.* 24., *Ioannes Angelus Boſſius de effect. matrimon. c.* 6. *n.* 10. 9

Excipe, niſi maritus vouerit peregrinationem in Hieruſalẽ in ſubſidiũ terræ ſanctæ.

Expreſsè colligitur *ex d. c. ex multa* §. *in tanta de voto*, quæ diſpoſitio inducta eſt in maximum fauorem totius Catholicæ Eccleſię, ad cuius decus, & ſplendorem maximè

mè confert, quod illa loca Sacratiſſimo Chriſti Sanguine ſanctificata à Saracenorum manibus redimantur, & quidem merito hoc inductum fuit, cum præualere debeat bonum totius vniuerſalis Eccleſiæ bono priuato alterius coniugis, præcipuè cum quoad hoc non diſſoluatur vinculum coniugale, & ſicuti ob priuatas familiæ neceſſitates poteſt abeſſe, non video, cur non poſſit ob bonum tale publicum totius Chriſtianæ Reipublicæ; Neque ex hoc inferas, quod poſſet etiam hac ratione exequi votū peregrinationis ex ſolius deuotionis cauſa, quandoquidem hoc cederet etiam in bonum animæ, quod vtique præferendum eſt cuicunque negotio temporali; Non, inquam, hoc inferas, quandoquidem cum hoc priuilegium ſit ſpecialiſſimum in fauorem terræ ſanctæ, non eſt extendendum ad alios caſus non compræhenſos in tali priuilegio, præcipuè cum tale priuilegium ſit in præiuditium vxoris; in præiuditialibus autem non fit quoad priuilegia extenſio; nec obſtat id, quod pro ratione adducitur, quod ſcilicet tale votum peregrinationis ex cauſa præciſa deuotionis cedat in vtilitatem animæ, quod propterea præferendū ſit cuicunq; negotio tempotali, & ſicuti ob negotia familiæ temporalia poteſt maritus diu abeſſe ab vxore eadem inuita, ita à fortiori videtur poſſe obeſſe ob hoc bonum ſpirituale animæ, non obſtat, inquam, in primis, quia id, quod dicitur de abſentia diutina ob negotia temporalia intelligendum eſt, quando talia negotia ſunt ex cauſa neceſſaria, vel valdè vtili quæq; non proueniat ex propriæ voluntatis arbitrio, ſed ex conditione ſtatus eiuſdem mariti diſcedentis; hic autem agimus de profectione ex propriæ voluntatis arbitrio, quamq; ex ſui conditione non exigit ſtatus coniugalis; Deindè neq; hæc profectio ex voto poteſt eſſe proficua eidem proficiſci contendenti, quandoquidem, vtſupra dicebamus Deus non acceptat votum, quod cedit in alterius ius habentis detrimentum.

Eſt ob bonum totius Eccleſiæ.

Nonnullæ inſtantiæ propoſitæ & ſolutæ.

10 **Quid ſentiendū ſit, ſi vxor iuuenis nollet aſſentiri, nec maritum comitari, & ſubeſſet periculo incontinentiæ.**

Hic ſolum remanet dubitandum, an maritus, qui tale votum emiſit, teneatur illud adimplere, ſi vxor nolit eam comitari, & ſit iuuenis, & relinqueretur eadem vxor in periculo incontinentiæ. Affirmant, non teneri illud in ea hypotheſi adimplere *Suarez de Religione tom. 2. de voto lib. 6. c. 4., Sanchez lib. 4. ſumma c. 34. n. 24., D. Thomas quodlib. 4. c. 11., D. Antoninus 3. part. c. 22. §. 1.*, qui videntur præferre periculum illud incontinentiæ in vxore iuuene illi fauori terræ ſanctæ, qui reſultare poteſt ex illa peregrinatione aſſumpta in ſubſidium ipſius. Sed in hoc dubio ego procederem cum diſtinctione; vel etenim illud periculum eſt tale, vt per conſuetas preces, ieunia congrua, & moderatas mortificationes poſſit ſuperari, vel tale, vt moralitèr nequeat tolli; iuxta primum ſenſum arbitrarer, teneri maritū illud votum adimplere, quandoquidem priuilegium illud conceſſum maritis in ordine ad ſubſidium terræ ſanctæ intelligitur eſſe cum aliquo grauamine vxorū, quæ propterea propter leues difficultates impedire rationabilitèr nequeunt opus tot fauoribus affectum ab Eccleſia in ordine ad vniuerſalem eiuſdem vtilitatem; Iuxta ſecundum ſenſum arbitror procedere opinionem prædictorum DD. aſſerentium non poſſe adimplere, quandoquidem illud periculum, non ità de facili auferibile, noxam infert in ipſo marito, quæ admitti non debet etiam proptèr quodcunque bonum publicum.

Aſſertio IV. Probabiliùs eſt ſaltem regularitèr loquendo vxorem contradicente marito non poſſe emittere votum peregrinationis, etiam in ſubſidium terræ ſanctæ, *Silueſter verb. votum 5. q. 1., Roſella verb. votum 2. §. 9., Suarez de Religione tom. 2. lib. 6. de voto c. 4. n. 15., Ioannes Angelus Boſsius de effect. matrim. c. 6. n. 11., & alij magis communitèr.* 11

Vxor, nec in ſubſidium terræ ſanctæ, poteſt peregrinatione vouere inuito marito.

Ratio ex eo deducitur, quia nec æquitas hoc exigit, vt mulier inuito marito votum illud exequatur, nec ius Eccleſiaſticum in illo *c. ex multa §. in tanta de voto*, hoc onus exequendi inducit, ergò licitè vxor inuito marito, nec poteſt illud votum emittere, & emiſſum non tenetur exequì. Antecedens quoad primam partem ex eo euincitur, quod non deceant ſtatui muliebri huiuſmodi peregrinationes, nec etiam effectus, ad quos ordinantur; non etenim ipſæ natæ ſunt ad bellum, & ipſæ reguntur à viris ſuis; non è contrà viri ab illis; quinimmò, vt benè notat D. Thomas, ipſæ nequeunt diſcurrere ſine periculo caſtitatis, ergo &c. Quoad ſecundam etiam ſic euincitur, quia illud *c. ex multa §. in tanta de voto*, cui innituntur DD. aſſerentes, & votum illud ab vxoribus emiſſum tenere, & obligare ad executionem, ſpecialitèr reſpicit votum mariti, quod non videtur extendendum ad vxorem, cùm præcipuè non militet eadem ratio propter imbecilitatem ſtatus, propter periculum incontinentiæ, & propter ſubiectionem eius ad maritum, priuilegia autem, vbi non militat eadem, ſeu fortior ratio, non ſunt extendenda, cum declinent à iure communi, & ſint ſtricti iuris.

Sed hic oritur difficultas, an ſaltem vxor, quæ inconſulto, ſeu inuito marito votum illud peregrinationis in ſubſidium terræ

Digitized by Google

terræ ſanctæ emiſit, teneatur illud redimere, & ſi non poſſit per ſe adire, adire per alium. Nonnulli aſſerunt per textum *in c. quod ſuper his in fin. de voto*, quod teneatur redimere, ſeu adire per alium, ibi enim dicitur, quod *vadat per ſe, aut per alium*. Nihilominùs probabiliùs ſentiendum exiſtimo, quod non teneatur redimere, nec per alium adire, quandoquidem votum illud inconſulto marito non tenet, adeoq; nequit ad aliquid æquiualens obligare; nec obeſſe poteſt textus *in d. c. quod ſuper his*, quandoquidem, vt benè conſiderat *Ioannes Angelus Boſſius de effect. matrim. c. 6. n. 11. in fin.*, cum ille textus non exprimat, an illud votum emiſſum in ſubſidium terræ ſanctæ fuerit de licentia viri, vel ſine, vtique intelligi debet eo modo, quo minus contradicat communi opinioni, ſecundum quam mulier non tenetur adimplere, ſicq; ſenſus eſt, quod tunc tantum teneatur redimere, quando votum emiſſum eſt de licentia mariti.

12 **Renuente marito nō tenetur vxor votū illud redimere.**

Dixi *ſaltem regularitèr loquendo*, propter nonnullos volentes teneri exequi tale votum, ſi non ſit iuuenis, & non ſuſpecta de incontinentia, & habeat talem facultatem, vt poſſit ſecum ducere milites, & auxiliarios. Sed in hac etiam hypotheſi conſiderandum eſt, quomodo illud votum emiſſum ſit, an ſcilicet ſubueniendi terræ Sanctæ per ſe ipſam, & intuitu ſui ipſius per ſeruos, & milites, quos ducere intendat in ſui famulatum, & cuſtodiam, an per ſe ipſam, & per milites, & auxiliarios æquè primo, adeò vt non ſolum intendat obligare ſe ipſam per ſe ipſam, ſed etiam principalitèr ſe ipſam in ordine ad illos milites, & auxiliarios, quatenus voueat illos mittere in ſubſidium eiuſdem terræ Sanctæ etiam præſcindendo ab intentione ſui famulatus, & cuſtodiæ. Iuxta primum ſenſum arbitror, non teneri ad exequendum illud votum, nec per ſe ipſam, nec per illos milites, & auxiliarios; Iuxta ſecundum vero ſenſum ſentio teneri exequi, ſi non per ſe ipſam, per illos milites, & auxiliarios. Ratio primæ partis ex eo deducitur, quia ſublato onere quoad principalem intelligitur etiam ſublatum in ordine ad acceſſorios, qui præcisè adijciuntur intuitu eiuſdem principalis, cum igitur famuli, & milites illi in hac hypotheſi adijciantur præcisè intuitu famulatus, & cuſtodiæ vxoris vouentis, & alio modo nō venirent ſub illa obligatione, & ipſa eximatur ab onere executionis illius voti per ſe ipſam ratione ſtatus muliebris, ratione ſubiectionis ad maritum contradicentem, vtiq; ſequitur, quod eximatur ab illo onere etiam in ordine ad milites, & auxiliarios. Ratio ſecundæ partis ex eo deducitur, quia, ſi vxor habeat facultatem in bonis, vt poſſit mittere milites in ſubſidium terræ Sanctæ, & voueat illos mittere, vtique tenetur illud votum exequi, & adimplere, ſiquidem nullum ius ipſam eximit ab obligatione illud exequendi, & adimplendi, ergo, ſi voueat ipſa peregrinationem per ſe ipſam in ſubſidium terræ Sanctæ, & æque principalitèr ducere, vel mittere milites ſuis expenſis in ordine ad illum effectum, quantumuis ipſa ratione ſui ſtatus eximatur ab onere illud adimplendi per ſe ipſam, non eximetur tamen ab onere adimplendi quoad illos milites, & ſubſidiarios. Conſequentia probatur, quia cum æquè principalitèr vouerit proficiſci per ſe ipſam, ac pium illud opus exequi per milites, & auxiliarios, vtiq; non verificatur, quod ratione principalis ceſſet acceſſorium, cum milites non ſint acceſſorij, ſed æquè principalitèr intenti, & quando duo ſunt æquè principalitèr intenta, ſi ceſset obligatio quoad vnum, non ceſſet obligatio quoad alterum, & in hoc verificatur, quod quādo adimpleri non poteſt onus in toto, adimpleri debeat in parte, in qua poteſt.

13 **Exempta vxore a voto quomodo intelligatur exemptū onus alios mittendi.**

PRÆNOTIO III.

An coniuges mutuo conſenſu poſſint ſeparari thoro, & cohabitatione, & an ſemper.

SVMMARIVM.

Poſſunt coniuges mutuo conſenſu ſeparari à communi thoro. 1.

Non tamen, ſi in vno, vel in vtroq; immineat periculum incontinentiæ. 2.

Exiſtente prole, quæ indigeat educatione, regularitèr nequeunt coniuges mutuo conſenſu ſeparari habitatione. 3.

Exceptio ad prædicta. 4.

Diuerſimodè res ſe habere poteſt referendo titulum prænotionis ad thorum, ac eundem referendo ad thorum ſimul, & habitationem in eadem domo, & communionem in cæteris præſcindendo à thoro; nam primum reſpicit ſolummodo ius eorundem coniugum quoad exercitiū petendi, & reddendi debitum, alioſq; actus inter coniuges licitos, & permiſſos; ſecundum vero non ſolum reſpicit ius eorundem coniugum, ſed etiam bonum prolis, & ius, quod habet eadem proles ad honeſtam, & congruam, rationabilemq; educationem. Conſiderabimus igitur primo rem in ordine ad ſeparationem à thoro præcisè, deindè in ordine ad thorū ſimul, & habitationem in eadem domo. **Status cōtrouerſiæ.**

Aſſer-

Aſſertio I. Poſſunt coniuges mutuo conſenſu cedere obligationi permanendi in eodem thoro, ſeu quod idem eſt ſeparari à communi thoro, ſi iuſta adſit cauſa ceſſionis.

1 Mutuo cõſenſu poſſunt ſeparari thoro

Conſentiunt *Sanchez lib. 9. de matrimon. diſp. 4. num. 5., Ioannes Angelus Boſsius de effect. matrimon. c. 6. nu. 18., Filliutius tom. 1. tract. 10. c. 9. n. 314., Martinus Perez de matrimon. diſp. 50. ſect. 3., Villalobos part. 1. tract. 13. diff. 43.* Dixi, *ſi iuſta adſit cauſa ceſsionis*; non enim auderem aſſerere, poſſe licitè ſeparari ex odio, ſeu indignatione, quandoquidem tenentur ex lege diuina illud, ſeu illam deponere, & mutuo amore, & beneuolentia ſe complecti;

Non tamen ex odio.

iuſta igitur erit cauſa amor continentiæ, pium deſiderium expeditius vacandi Deo, & ne multa prole grauentur ſupra proprias vires, quatenus commodè ipſam alere non poſſent.

Ratio ex eo deducitur, quia vſus coniugij non eſt de ſubſtantia contractus matrimonialis, & inductus eſt in fauorē coniugum, & propagationis ſpeciei in prole, ſed iuſta potiſſimum cauſa interueniente poſſunt coniuges mutuo conſenſu

Poſſunt cedere proprio fauori.

proprio fauori cedere, nec tenentur ad propagationem ſpeciei; non enim in eo ſtatu reperimur, vt bonum publicum totius naturæ exigat omnes vacare eiuſdem ſpeciei propagationi, cum modo adeo ſit propagata, vt, ſi deficeret, vel in vno, vel in altero eidem naturæ non obeſset, & ſicuti bonum eiuſdem naturæ in præſenti hominum ſtatu non obligat omnes ad contrahendum matrimonium, ità nec obligat poſt contractum omnes ad vacandum propagationi per coniugales concubitus, ſi coniuges ſibi adinuicem cedant. Conformitèr ad hæc optimè dixit D. Paulus 1. ad Corint. 7. *Nolite inuicem fraudari, niſi ex conſenſu ad tempus, vt vacetis orationi*.

2 Nõ tamen imminente periculo incontinentiæ.

Aſſertio II. Non poſſunt coniuges mutuo conſenſu cedere ius quoad thorum, ſi in vtroque, vel in altero ipſorum ſubeſſet periculum incontinentiæ, *Ioannes Angelus Boſsius de matrimon. effect. c. 6. n. 18.*

Hoc videtur colligi *ex D. Paulo 1. ad Corint. 7.*, vbi, *Nolite fraudare ad inuicem, niſi ex conſenſu ad tempus*, & vtique ſupponendus eſt reſtringere ad tempus proptèr periculum incontinentiæ, rurſus ſubdit, *Reuertimini in idipſum, ne tentet vos Satanas proptèr incontinentiam veſtram*; nec incongruæ rationi hæc aſſertio, & dicta Apoſtoli innituntur, quandoquidem periculum illud incontinentiæ præualere debet illi voluntati abſtinendi à coitu, & ſicuti periculum illud incontinentiæ præualere debet ex ſupradictis voto peregrinationis etiam in ſubſidium terræ ſanctæ, ita non eſt, cur non debeat præualere voluntati mutuo præſtitæ ſeparationis à thoro. Hinc communitèr docent DD., quod Eccleſia nullo modo debeat permittere coniuges iuniores ſeparatim viuere, quia regularitèr viget periculum incontinentiæ, & in ſpecie *Panormitanus in c. 1. n. 7. de coniug. leproſ., & ibidem Alexander de Neuo n. 6.*, & lex caritatis ſemper dictat ſubueniendum eſſe indigenti, maximè in periculo animæ.

Aſſertio III. Exiſtente prole, quæ indigeat educatione, regularitèr nequeunt coniuges mutuo conſenſu ſeparari habitatione. 3

Exiſtente prole, quę indigeat educatione, nõ poſſunt cedere habitationi.

Conſentiunt *Sanchez d. lib. 9. de matrimon. diſp. 4. n. 5., Filliutius tom. 1. tract. 10. c. 9. num. 314., Fagundez in Decalogum lib. 4. c. 7. nu. 7., Ioannes Angelus Boſſius de effect. matrim. lib. 6. n. 18., & alij*, qui omnes aſſerunt poſſe coniuges mutuo conſenſu cedere obligationi habitandi ſimul, niſi adſit detrimentum prolis educandæ.

Ratio aſſertionis ex eo deducitur, quia regularitèr loquendo filij quoad educationem ab vtroque parente dependent, & altero ipſorum deficiente regularitèr plura omittuntur, ſine quibus in praua decidunt, ergo in eorum præiuditium non poſſunt mutuo conſenſu ſeparari, quandoquidem licet poſſint cedere iuri, quod ipſos præcisè concernit, non poſſunt tamen cedere iuri, quod reſpicit filios.

Ex quibus tamen inferre licet, quod, ſi nullam prolem coniuges ex illo matrimonio ſuſceperint, vel ſi ſuſceperint iam ea ſit adulta, ita vt non egeat educatione, 4

Exceptio ad prædicta.

poſſint etiam coniuges cedere iuri quoad habitationem ſimul; ſicuti enim interueniente iuſta cauſa poſſunt cedere iuri quoad thorum, quia ſolum reſpicit ius ad ipſos pertinens, ita etiam in ea hypotheſi poſſunt cedere iuri quoad habitationem, quia hoc ad ipſos ſolum ſpectat, nec præiudicat filijs quoad honeſtam, & liberam educationem.

PRÆNOTIO IV.

An maritus teneatur ad quærendam vxorem, quæ ſua temeritate ab eo receſſit, nec petit admitti.

SVMMARIVM.

Si vxor ſine cauſa receſſerit, non tenetur maritus ex lege iuſtitia ipſam reuocare. 1.

Si ſpontè petat admitti, tenetur ex iuſtitia maritus ipſam recipere. 2.

Etiam extantibus filijs, qui egeant educatione, non tenetur ex iuſtitia maritus vxorem non petentem admitti, reuocare. 3.

Quamuis non teneatur ex iuſtitia, tenetur tamen

men

men ex lege charitatis, ſi inde aliquid bonum ſperetur. 4.

Si ex reuocatione immineat marito grauis infamiæ nota, non tenetur, nec ex charitate. 5.

Si receſſerit ex graui cauſa data à marito, tenetur hic ex iuſtitia reuocare remota cauſa. 6.

Status cõtrouerſiæ exponitur

INdubitatum eſt ſine rationabili cauſa non poſſe à marito ipſo inuito recedere, & maritum poſſe ipſam recedentem compellere omni iuris remedio ad redeundum, & ſecum cohabitandum, cum ipſa ſit ſub poteſtate mariti, quouſq; ipſe vixerit. Difficultas modo eſt, an teneatur ipſam non petentem admitti, reuocare, &, ſi petierit admitti, teneatur admittere; & quo iure, an rigoroſæ iuſtitiæ? an vero tantum caritatis?

Cauſæ, ob quas potuit vxor recedere.

Aduerte vxorem potuiſſe recedere dumtaxat ex propriæ voluntatis arbitrio nulla præcedente cauſa receſſus, ſeu culpa ex parte mariti, vel præcedente cauſa ex parte eiuſdem, quæ ad huc dupliciter poteſt conſiderari, vel quatenus grauis eſt, & valdè præiuditialis eidem vxori, vel quatenus leuis eſt, & non valdè noxia. Porrò, ſi receſſerit ſine graui culpa, ſeu cauſa ex parte mariti adhuc conſiderari poteſt, an maritus, ſi ipſam repeteret, afficeretur graui nota infamiæ, vel verò nulla. Item, an poſt receſſum vxor, quæ receſſit, fornicationem commiſerit, an vero in hoc genere innocens fuerit. Quibus ſic præhabitis ſit

1 Si receſſerit ſine cauſa, non tenetur maritus ex iuſtitia ipſam reuocare.

Aſſertio I. Si vxor ex ſua temeritate receſſerit nulla præcedente, vel ſolum leui cauſa ex parte mariti non tenetur idem maritus ex lege iuſtitiæ rigoroſæ eandem reuocare. In hanc conſentit *Ioannes Angelus Boſſius de effect. matrimon. c. 6. n. 19.*

Ratio ex eo deducitur, quia ipſa vxor temere recedens ſine culpa, vel dumtaxat leui mariti, quantum eſt de ſe ceſſit iuri cohabitandi cum eodem marito, ergo ipſe maritus quodamodo annuendo conſenſui tacito vxoris exhibito per illum temerarium receſſum poteſt firmare illam ceſſionem iuris cohabitandi, cum mutuo conſenſu ex præactis coniuges poſſint illi iuri cedere, ſicq; ex iuſtitia non tenebitur vxorem inuitam reuocare.

2 Si ſpontè petat redire, tenetur ex iuſtitia maritus ipſam admittere.

Difficultas eſt ſolummodo hic primo, an, ſi ipſa vxor, quæ temere ſine culpa mariti receſſit ſpontè petierit remitti ad cohabitationem, teneatur ex lege iuſtitiæ idem maritus eandem recipere. Nonnulli apud *Silueſtrum verb. matrimonium 10. q. 3.* ſentiunt non teneri ex iuſtitia maritum eandem recipere, quia ex quo ſpontè receſſit, videtur iuri ſuo in hoc ceſſiſſe, quod propterea non poteſt reaſſumere. Sed tutius crederem in ea hypotheſi teneri, niſi ipſa publicè fuerit fornicata, vel cum adultero publicè morata. In hanc opinionem videtur propendere *Ioannes Angelus Boſſius de effect. matrimonij c. 6. num. 19.*, dum aſſerit, quod maritus, ſi vxor ex propria temeritate receſſerit, nec ſe admitti ad cohabitationem petierit, non teneatur ipſam admittere ex iuſtitia, ergo, ſi illa ſpontè poſt receſſum petierit admitti tenebitur maritus ex iuſtitia ipſam admittere. Conſequentia probatur, quia exceptio ex genere ſuo firmat regulã, ergo, ſi non tenetur ex iuſtitia eam recipere, quando non petit, tenebitur recipere, ſi illa petit recipi. Hoc idem ſentit *Silueſter eod. verb. matrimonium 10. q. 3.*, qui alios pro ſe citat. Ratio ex eo deducitur, quia eo ipſo, quod petens admitti non admittitur, expellitur, & cadit à poſſeſſione *l. clam poſſidere in fin. ff. de acq. poſſeſſ. arg. etiam l. 1. §. ſiue autem ff. de vi, & vi. c. sua nos de iureiur.*, ſed maritus non poteſt vxorem expellere à cohabitatione, ergo &c.

Inſtantia propoſita, & diſſoluta.

Neque dicas, hoc non eſſe propriè expellere ſine cauſa, ſed ex legitima cauſa iniuſti receſſus cum iniuria eiuſdem mariti innocentis, qui propterea poteſt nolle acquieſcere redditui, & cohabitationi; contra enim impugnaberis, quia illa culpa vxoris temore recedentis quodamodo redimitur per ſpontaneum regreſſum eiuſdem, & ſubmiſſionem præſtitam marito, & licet quodamodo per receſſum iniuriam intulerit eidem marito, non eſt tamen talis, vt eundem eximat à iure cohabitandi, ſi ab eadem culpa ſpontè reſipuerit, niſi talis receſſus fuerit coniunctus cum alijs circumſtantijs, quæ ſecundum ſe tribuant ſufficientem cauſam ipſam expellendi, vt ſi fuerit fornicata, vel cum adultero publicè morata, prout attigi in reſponſione. Cæterum, ſi in receſſu ſe receperit in domum ſuorum parentum, vel in locum honeſtum, & nullatenus ſuſpectum, non agnoſco iniuriam talem, quæ mereatur illam pænam expulſionis, maximè, ſi ipſa vxor reſipuerit.

Difficultas eſt ſecundo, an, ſi vxor temere receſſerit, & non petat ſpontè admitti, teneatur maritus ex lege iuſtitiæ eandem reuocare, ſi extent ex eadem filij, qui indigeant educatione? Videtur aſſerendum in ea ſuppoſitione teneri ex lege iuſtitiæ reuocare, quandoquidem ex eadem lege iuſtitiæ tenetur honeſtam filiorum educationem inquirere, & procurare, & filij ipſi aduerſus parentes habent à natura ius ad illam congruam, & hone-

Digitized by Google

ſtam educationem : Nihilominus etiam in hac ſuppoſitione arbitror ex lege iuſtitiæ non teneri eam inuitam reuocare.

3 Ratio ex eo deducitur, primo, quia ius, quod acquirit ex vxoris temere recedentis culpa in ordine ad principale, hoc eſt in ordine ad negationem cohabitationis, acquirit etiã in ordine ad acceſſoriũ, hoc eſt in ordine ad filiorũ educationem, ſi qui ſunt, & poteſt ex hac cauſa aliunde eandem educationem inquirere. Secundo, quia, ex quo vxor reuocaretur inuita, poſſet iuſtè timere de non honeſta educatione, vel de omiſſione educationis, ergo ratione eiuſdem non tenetur eandem vxorem reuocare. Antecedens patet, quia ex quo filios dereliquit per receſſum, intelligitur ab eiſdem animum diuertiſſe.

Etiam extantibus filijs, qui egeant educatione, non tenetur ex iuſtitia maritus eam non petentem reuocare.

Hæc, quæ dicta ſunt in hac difficultate videntur tantum procedere, quando vxor eſſet reuocanda inuita, quid autem eſſet dicendum, ſi non eſſet inuita, ſed tantum ſpontè non peteret admitti? Etiam in hac ſuppoſitione ſentio, non teneri ex iuſtitia eandem reuocare, nec inquirere reditum ſtante etiam onere educationis filiorum. Ratio ex eo deducitur, quia ex quo vxor temere receſſit, nec quærit reditum, ipſe eſt in iure permanendi ſine illa, nec ipſe cum priuatione ſui iuris tenetur conſulere indemnitati filiorum, cum præcipuè paratus ſit eos educare, quantum poteſt, & ius filiorum non eſt aduerſus Patrem innocentem, ſed aduerſus matrem temere recedentem.

Etiamſi non eſſet inuita, ſed tantum ſpontè non peteret admitti.

4 Aſſertio II. Quamuis ex lege rigoroſæ iuſtitiæ non teneatur vxorem temere recedentem quærere, & ſibi reconciliare, tenetur tamen ex lege caritatis, ſi inde bonum aliquod ſperetur, vel in ordine ad eandem vxorem, vel ad filios *Sanchez lib. 10. de matrimonio diſp. 12. n. 16. verſ. rurſus infertur, Ioannes Angelus Boſſius de effect. matrimon. c. 6. n. 19., Silueſter verb. matrimonium 10. q. 3. in fin.*

Tenetur tamen reuocare ex lege charitatis, ſi inde bonum ſperetur.

Ratio inde deducitur, quia lex caritatis obligat vnumquemque ad auertendũ damnum proximi ſui, & conſulendum eius bono, ergo à fortiori tenebitur maritus auertere mala vxoris, & familiæ, eamque reuocare, quando ex tali reuocatione ſperantur bona, & non reuocatione timentur mala, cum potiſſimum ipſe ſit caput familiæ, & ad ipſum ſpectet regimen, & cura nedum vxoris, ſed etiam filiorum, quibus propterea debet conſulere per cõgruas hortationes, per remotionem à praua via, prauisq; operibus. Hæc potiſſimum verificabuntur, ſi vxor, quæ receſſit, verſetur in periculo incontinentiæ, & ſit obnoxia multis criminibus &c.

Aſſertio III. Si ex reuocatione immineat marito reuocanti grauis infamiæ 5
nota, probabilius eſt, nec ex lege caritatis teneri eam reuocare, quantumuis eſſet opus maximè meritorium, ſi imminente periculo incontinentiæ, vel alio graui damno animæ reuocaret. In hanc conſentire videtur *Ioannes Angelus Boſſius de effectibus matrim. c. 6. nu. 19.*, dum aſſerit teneri lege caritatis vxorem, quæ receſſit, quærere, ſi id abſque infamiæ nota facere poteſt, ergo, ſi non poteſt, niſi cum graui infamiæ nota non tenebitur quærere ex mente eiuſdem Boſſij.

Si ex reuocatione immineat marito grauis nota infamiæ, nec tenetur ex charitate.

Ratio huius aſſertionis ea eſt, quia lex caritatis, quæ ſit præceptiua, & non ſub mero conſilio non obligat innocentem cum graui ſuo detrimento in fama, & honore ad ſubueniendum delinquenti, qui ſua ſpontè intulit ſibi damnum, vel ſe conſtituit in ſtatu, quo rationabilitèr poſſit de damno timere, ſiquidem caritas exigit, vt prius proprio damno præcaueatur, quam alieno; nec obeſſe poteſt, ſi afferatur, quod damnum animæ alterius debeat præferri damnis propriæ famæ, & honoris, adeoq; quod maritus potius debeat pati iacturam propriæ famæ, quam damnum ſalutis ſpiritualis in vxore; Non, inquam, obeſſe poteſt, quia ad ſummum hæc verificantur, quando idem eſſet cauſa iacturæ propriæ famæ, vel ſalutis ſpiritualis alterius, quia tunc ad ſummum in concurſu vtriuſque videretur teneri præferre ſalutem ſpiritualem alterius propriæ famæ, & honori; in præſenti autem hypotheſi ipſe maritus non eſſet cauſa periculi incontinentiæ, & damni ſpiritualis vxoris, ſed ipſa ex ſe in tale periculum ſe conieciſſet, & propterea non videtur obligari maritus ad illud periculum redimendum cum damno, & iactura propriæ famæ. Deindè, quantumuis, quando mulier fornicata eſt poſt cõtractum matrimonium cum adultero, ipſa remaneret expoſita periculo incontinentiæ, non tenetur maritus illam ſibi reconciliare, ita quando grauem contulit marito iniuriam per receſſum, & per reditum reſultaret graue præiudicium in fama eidem marito, non tenetur ipſe cum tali dedecore illam ſibi reconciliare.

Ratio ſecundæ partis ex eo deſumitur, quia præferre ſalutem ſpiritualem alterius damno propriæ famæ, & hoc propter gloriam Dei ad euitanda ſcilicet peccata, quæ inde timentur, eſt opus maximi meriti apud Deum, ergo, ſi maritus præferat ſalutem animæ vxoris propriæ famæ,

Digitized by Google

mæ; maximè apud Deum merebitur, hocq; erit opus maximæ commendationis apud eundem Deum.

Aſſertio IV. Si vxor receſſerit ex graui cauſa, quam ſibi intulit maritus, recedendi, tenetur ex lege iuſtitiæ idem maritus eandem quærere, & ſibi reconciliare remouendo potiſſimum cauſam, propter quam illa receſſit. In hanc propendent omnes ſcribentes.

6 Si receſſerit ex graui cauſa data à marito, tenetur maritus reuocare remota cauſa.

Ratio ex eo deducitur, primo quia ex lege iuſtitiæ per ſuperius allegata, & probata, tenentur coniuges cohabitare, ergo etiam tenentur ea præſtare, quæ neceſſaria ſunt ad eam cohabitationem, quia lex, quæ obligat ad finem, obligat etiam ad ea omnia, quæ ſunt neceſſaria ad eundem finem, ergo, ſi aliqua præſtiterit alter ex coniugibus, quæ contrarientur eidem cohabitationi, & cauſa fuerint diſſolutionis eiuſdem, tenebitur eandem cauſam remouere, & ea omnia præſtare, quæ ſunt neceſſaria ad eandem integrandam; adeoque remouere cauſam diſceſſus, & omnem operam nauare, vt vxor redeat ad cohabitationem.

De vxore, quæ vel ex cauſa, vel ſine cauſa à marito receſſit, & fornicata eſt infra occurret ſermo vberior.

PRÆNOTIO V.

An coniux altero inuito poſſit ſe vendere, & mancipare ſeruituti.

SVMMARIVM.

Sententia aſſerens coniuges non poſſe ſe vendere. 1.
Vxor inuito marito non poteſt ſe ipſam vendere. 2.
Poſſet maritus illam vendicare. 3.
Probabilius maritus inuita vxore poteſt ſe ipſum vendere. 4.
Rationes Boſsij ſuadentes contrarium. 5.
Maritus ſe ipſum vendens grauiter peccaret. 6.
Soluuntur rationes contrariæ adductæ à Boſſio. 7.

PLura de præſenti difficultate attigimus *tom. VI. ſub tit. contractus XV. de matrimon. II. Prænot.* 8., *& Diſq.* 11. §. 4., quæ expedit repetere pro vlteriori notitia præſentis prænotionis, quæ ad vtrũq; coniugem poteſt referri, an ſcilicet vxor inuito marito poſſit ſe ipſam vendere, & è contra, an maritus inuita vxore poſſit ſe ipſum venundare, & ſeruituti mancipare. Quia in difficultate videtur prima fronte dicendum, neutrum poſſe ſe ipſum vendere altero inconſulto, eo quia talis venditio eſſet in præiuditium debiti coniugalis, ad quod non minus vnus, ac alter ex coniugibus tenetur. Nihilominus videtur quædam ratio diſparitatis inter vxorem, & maritum, qui quamuis ſint pares in iure, & onere debiti coniugalis, in alijs tamen non ſeruant adinuicem æqualitatem. Quamobrem ſit.

1 Rationes ſuadentes coniuges non poſſe ſe vẽdere.

2 Vxor non poteſt ſe ipſam vẽdere.

Aſſertio I. Vxor inuito marito non poteſt ſe ipſam vendere, & ſeruituti mancipare. Conſentiunt Canoniſtæ communitèr ſcribentes *in c. penult.* 29. *q.* 2., & Theologi, quos refert *Sanchez de matrim. lib.* 7. *diſp.* 23. *n.* 9., quibus nouiſſimè adhæret *Ioannes Angelus Boſsius de effect. matrim. c.* 6. *n.* 20. Vlterius hoc ſentiunt *D. Thomas in* 4. *diſt.* 36. *qu. vnica artic.* 3. *ad tertium*, *Aſtenſis in ſumma* 2. *parte lib.* 8. *tit.* 15. *art.* 3. *q.* 3., *Petrus de Ledeſma de matrimon. q.* 52. *art.* 3. *in primo argumento*.

Priuaret maritum iure ad debita obſequia.

Non difficilis probatio huius aſſertionis. quandoquidem vxor non ſolum ſubditur viro quoad onus reddendi debitum coniugale, ſed etiam quoad alia omnia, quæ ſpectant ad regimen, & adminiſtrationem familiæ, in quibus non poteſt præiuditium inferre marito, ſed ſe ipſam venundando maximum inferret præiuditium eidem marito, quandoquidem ſe ſubtraheret in pluribus à poteſtate eiuſdem, & ſe traderet domino, cui ſe venderet, ergo &c. Confirmatur, quia talis venditio eſt expreſsè contra iuſtitiam, quandoquidem priuat maritum iure, quod habet aduerſus eandem vxorem in ordine ad obſequia familiæ, ergo &c.

3 Poſſet maritus illã vendicare

Ex ijs erit deducere, quod, ſi vxor inuito marito ſe ipſam venundaret, poſſet maritus illam a Domino repetere, quandoquidem ius, quod ille habet in vxorem anterius, & fortius eſt iure, quod acquirit Dominus ex illa emptione, cum ſit de re alteri antecedenter fortiori vinculo obligata, adeo vt, ſicuti, qui emeret rem alteri antecedenter vinculatam, teneretur eidem reſtituere, ita etiam vxor, quæ ſe ipſam venderet, cum eſſet obligata antecedenter marito, poſſet ab emptore per maritum vindicari, & emptor teneretur eidem marito reſtituere.

4 Probabilius maritus poteſt inuita vxore, ſe ipſum vẽdere.

Aſſertio II. Probabilius maritus inconſulta, ſeu inuita vxore poteſt ſe ipſum vendere *D. Thomas in* 4. *diſt.* 36. *q. vnica art.* 3. *in corpore*, *& ibi D. Bonauentura in expoſitione litteræ n.* 5., *Riccardus art.* 5. *q.* 1. *in corpore*, *Aſtenſis in ſumma* 2. *parte lib.* 8. *tit.* 15. *art.* 3. *q.* 1., *D. Antoninus* 3. *p. tit.* 1. *c.* 3. §. 1., *Sotus in* 4. *diſt.* 35. *q. vnica art.* 3. *concl. vnica*, *Henriquez lib.* 11. *de matrim. c.* 10. *n.* 5., *Petrus de Ledeſma de matrimon. q.* 52. *art.* 3. *concl. vnica*, *Silueſter verb. matrimonium* 8. *q.* 2. aduerſus *Ioannem Angelum Boſſium de effect. matrimon. c.* 6. *num.* 24., *&*

 alios,

Digitized by Google

alios, qui pluribus mouentur rationibus aduerſus noſtram aſſertionem, & primo *ex c. penult. 29. q. 2.*, vbi dicitur volunta-

5 Rationes Boſſij ſuadentis cõtrarium.

riam ſeruitutem à marito contractam nõ poſſe eidem vxori officere; Secundo ex mutuo iure, quod acquirunt coniuges in corpus, & perſonam alterius iuxta illud Apoſtoli, quo aſſerit vxorem habere ius, & poteſtatem in corpus mariti, & è contra. Tertio, ex incommodis, quæ orirentur ex illa venditione quoad mutuam cohabitationem. Quarto, ex dedecore, quod inde proueniret vxori..

Probatur iam aſſertio, quia quantumuis maritus ſubdatur vxori quoad ea, quæ pertinent ad vſum coniugalem, in reliquis tamen ab illius ſubiectione eximitur, cum ipſe ſit caput vxoris, non è contra, ergo in ordine ad reliqua omnia ab vſu coniugali poteſt ſe ipſum vendere, cum quoad ea ſit ſui iuris, nec per talem venditionem læderetur ius mulieris quoad talem vſum, cum maritus per illam venditionem non eximeretur ab onere, quod habet verſus vxorem quoad ipſum, nec Dominus, qui maritum emit coniugatum, poteſt eſſe rationabilitèr inuitus, quod maritus debitum reddat eidem vxori, cum vinculum in ordine ad ipſum ſit anterius, nec poteſt demi per contractum ſubſequentem.

Neque obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, quod maritus ſit caput familiæ, & vxoris, ad

Inſtantia oppoſita, & diſſoluta.

quem propterea ſpectat eandem familiã, & vxorem regere, in eorumq, fauorem ſua obſequia præſtare, qui propterea ſine læſione iuſtitiæ non videtur poſſe ſe ipſum vendere, cum obſequia præſtanda Domino emptori ſint incompatibilia cũ obſequijs præſtandis familiæ, & vxori; Non, inquam, obeſſe poteſt, quia, ex quo eſt caput vxoris, videtur ab illa independens, & quodamodo ſui iuris, qui propterea poteſt de ſe ipſo diſponere independenter ab illa, dummodo ſeruet ea, quæ intelliguntur obligata ex vi matrimonij, nec ex eo, quod ex illa venditione ſui ipſius impediantur quodamodo obſequia præſtanda vxori, vel familiæ, irritatur ipſa venditio, non, inquam, irritatur, quandoquidem ad alia obſequia ab illis, quæ pertinent ad vſum coniugalem non tenetur maritus, niſi ex quadam pietate naturali, quæ propterea, ſi omittantur non irritant contractum circa ipſa factũ, licet aliquam noxam inducant, de qua in ſequenti aſſertione.

6 Maritus ſe ipſum vẽdens, grauitèr peccaret.

Aſſertio III. Si maritus ſe ipſum venderet, ſeu in ſeruitutem voluntariè ſe manciparet, quantumuis eſſet valida venditio ſui ipſius, non tamen eximeretur à graui noxa *Petrus de Ledesma de matrim. q. 52. art. 3. in ſolut. ad vlt., Sanchez de matrimon. lib. 7. diſp. 23. num. 2., & nos etiam ſupra documus tom. 6. ſub tit. contractus XV. de matrimon. 2. Diſq. 2. §. 4.*

Ratio ex eo deducitur, quia talis venditio, quantumuis non eſſet contra iuſtitiam, eſſet tamen contra naturalem pietatem, & cederet in graue dedecus, & iniuriam vxoris, & familiæ, ergo, niſi iuſta aliqua cauſa præponderet tali venditioni, ſeu dedecori ex illa reſultanti vxori, & familiæ, ipſa venditio ſui ipſius erit peccaminoſa. Dixi *niſi aliqua iuſta cauſa præponderet tali venditioni*, quandoquidem, ſi hoc præſtaret, vel ex neceſſitate, vel ad euitandum aliquod grauius damnum, vtique eximeretur à culpa, & vxor ipſa eſſet irrationabilitèr inuita ad talem venditionem.

Ad rationes, quæ ex aduerſo afferebantur contra ſecundam aſſertionem, facilis eſt reſponſio, quandoquidem textus 7

Soluuntur rationes contrariæ adductæ à Boſsio.

in illo *c. penult. 29. q. 3.*, ſolum innuit, quod illa venditio non poſſit præiudicare vxori, quatenus illa ſit dimittenda, quod potius firmat, quam minuat noſtrum aſſertum; minus officit id, quod ex Apoſtolo circumfertur, quandoquidem vir eſt quidem ſubditus vxori, & hæc habet poteſtatem in corpus, & perſonã illius quoad ea, quæ pertinent ad vſum coniugalem, non quoad alia, vt ſupradiximus; nec currit paritas de vxore ſe ipſam vendente, quandoquidem ipſa ſubditur viro non ſolum quoad redditionem debiti coniugalis, ſed etiam quoad reliqua omnia, quæ pertinent ad adminiſtrationem familiæ, in quibus læderet ius mariti, ſi ſe ipſam venderet.

PRÆNOTIO VI.

An maritus ob dotem promiſſam non ſolutam poſſit non traducere vxorem in propriam domum, vel traductam dimittere.

SVMMARIVM.

Ob dotem promiſſam, vel ab ipſa vxore, vel à Patre, vel ab alio, & non ſolutam non poteſt è domo dimitti. 1.

Non datur actio ad reciſcionem, ſed ad complementum, & quare. 2.

Onus cohabitandi non oritur ex dote, ſed ex iure naturali. 3.

Maritus ob dotem non ſolutam nequit vxori negare alimenta, ſi aliunde non habeat. 4.

Explicatio nonnullorum iurium, vt non repugnantium noſtræ aſſertioni. 5.

Maritus propter dotem promiſſam, & non ſolutam, non poteſt ceſſare è traducenda vxore à domo Patris ad domum propriam. 6.

Quam-

Rationes dubitãdi.

QVamuis daremus vxorem iam traductam in domum propriam ob dotem promiſſam, & non ſolutam maritum non poſſe dimittere, non propterea videtur directè ſequi, quod ipſam non traductam à domo Patris, teneatur traducere ad domum propriam propter vulgatum axioma, quod *turpius eijcitur, quam non recipitur hoſpes*. Nihilominus rem intimius penetrando vtrumque dubium propoſitum examinabimus, & an eadem ratione, quod de vno ſtatuitur ſit aſſerendum de alio, & an idem ſit ſtatuendum, ſi non ob eandem rationem, ſaltem ex alia; Vt tamen clarius procedamus à ſecundo eſt exordiendum. Pro quo ſit.

Aſſertio I. Probabilius, & tutius eſt maritum ob dotem ſibi promiſſam, vel ab vxore, vel à Patre vxoris, vel ab alio

I Traducta nō poteſt dimitti.

quantumuis extraneo, & non ſolutam non poſſe eandem vxorem iam in domum propriam inductam expellere. Eſt contrà *Abbatem c. per veſtras de donat. inter vir., & vxor. n. 4., & ibi Præpoſitus n. 2., Baldum c. quemadmodum n. 9. de iure iur., & l. quod in vxorem n. 2. C. de neg. geſt., & l. de diuiſione nu. vnico ff. ſolut. matrim., Boerium decis. 22. n. 3., Nenizanum in Silua nupt. lib. 1.* §. 2. *nu.* 45. Ipſam tamen ſuſtinent *Cacheranus decis. Pedemont. c.* 32. *num.* 28. Ex Theologis *Henriquez lib.* 11 *de matrimon. c.* 16. *nu.* 3. *in fine, Molina de iuſt. tract.* 2. *disp.* 425. *nu.* 6., *Rebellus de oblig. iuſtitiæ part.* 2. *lib.* 5. *q.* 10. *sect.* 4. *n.* 30., *Reginaldus lib.* 31. *n.* 300., *Villalobos part.* 1. *tract.* 13. *diſ* 44. *num.* 2., *Sanchez de matrimon. lib.* 9. *disp.* 5. *nu.* 17. ex iuriſtis *Modernus Pariſiens. addit. ad Alexan. cons.* 56. *nu.* 10. *ſuper verbo expellere lib.* 4., *Coaruuias* 4. *decret.* 2. *part. c.* 7. *in princip. nu.* 2., *Antonius Cuccus lib.* 5. *inſtit. maior. tit.* 11. *num.* 127., *Vrſillus ad Afflictum decis.* 124., *Auguſtinus Barboſa collect. ad c. per veſtras n.* 9. *de donat. inter vir., & vxor.*

Ratio multiplex huius aſſertionis eſſe poteſt. Prima, quia contractus matri-

2 Nō datur actio ad reciſcionem, ſed ad complementū.

monialis eſt ex nominatis, & ex illis, quæ ſolo conſenſu contrahuntur, ſed in contractibus nominatis, quiq; ſolo conſenſu perficiuntur, quando ex altera parte non complentur, datur ſolum actio ad complementum, non ad reciſcionem, ſic ſi quis vendiderit prædium, & adhuc pretium non fuerit ſolutum poteſt agere ad ſolutionem pretij, non ad reciſcionem contractus, ergo non adimpleta promiſſione dotis, ipſoq; contractu conſummato poterit quidem maritus agere ad dotem, non autem ad receſſum a contractu, atq; ab ijs, quæ ad eundem contractum naturaliter conſequuntur, adeoq; à ſocietate coniugali, in qua conſiſtit cohabitatio coniugum; Neque obeſſe poteſt, ſi aſſeratur; quod, quantumuis non detur actio ad reciſcionem contractus quoad principale, ideſt quoad vinculum coniugale, quod ex genere ſuo eſt indiſſolubile, detur tamen actio, quando non ſeruatur fides quoad acceſſorium ipſum diſſoluendi quoad aliud conſequens ad eundem contractum, nempè quoad cohabitationem; Non, inquam, obeſſe poteſt, quia qui ex vi cōtractus matrimonialis ſe obligat, ſe obligat etiam ad ea, quæ naturalitèr, ſeu ex natura ſua cōſequuntur ad ipſum, ſicque non poteſt ab ijs deficere, quamuis poſſit agere ad complementum ex parte alterius.

Secunda ratio eſt, deſumpta eſt ex illo *Matthæi* 5., vbi Chriſtus Dominus prohibet vxorem dimitti excepta cauſa fornicatio-

Ratio ex ſacra Scriptura deſumpta.

nis, quæ vtique prohibitio non eſt intelligēda de dimiſſione quoad vinculū coniugale, cum hoc etiam per fornicationem non diſſoluatur, ſed tantum de dimiſſione quoad domicilium, & thorum, ergo, ſi non poteſt dimitti, niſi propter fornicationem, non poterit dimitti propter dotem promiſſam non ſolutam.

Tertia ratio à priori deſumi poteſt ex eo, quod onus cohabitationis in coniugi-

3 Onus cohabitandi nō oritur ratione dotis, ſed ex iure naturali.

bus non oritur ex dote recepta, ſed ex ipſo iure naturali, ſecundum quod, ſicuti coniuges, tenētur ſibi inuicem reddere debitum, ita tenentur cohabitare, vt commodius poſſint ſibi idem debitum perſoluere, ergo ſicuti non ſolutio dotis non eximit maritum ab onere reddendi debitum, ita nec eundem eximit ab onere cohabitationis. Confirmatur, quia dos non datur propter cohabitationem, ſed propter onera ſuſtinenda in matrimonio, ſeu propter alimenta præſtanda vxori, ergo propter illius non ſolutionem non poteſt per maritum negari cohabitatio vxori.

Hic ſolum oritur difficultas, an ſi dos fuerit promiſſa marito, nondum tamen ſoluta, poſſit maritus eidem vxori denegare alimenta, quouſq; dos eidem perſoluatur à promittente. Gloſa *in auth. de non eligen. 2. nubent.*, videtur ſentire poſſe maritum in ea hypotheſi denegare alimenta vxori, quia iniquum videtur, vt vxor alatur à viro non tradita ſibi promiſſa dote; atque cum gloſa ſentire videtur

4 Maritus ob dotem non ſolutā nequit vxori denegare alimenta, ſi aliundè non habeat.

Sanchez d. lib. 9. *disp.* 5. *num.* 17., dum dicit dotem dari propter alimenta per maritum eroganda vxori, ex quo ſequi videtur, quod, ſi dos non fuerit erogata, nec alimenta ſint præſtanda; Nihilominus, nec Sanchez hoc expreſsè aſſerit, nec in hoc Gloſa attenta æquitate, ſeu honeſtate eſt admittenda ſaltem in ſuppoſitione,

qua

Digitized by Google

qua mulier non poſſit aliundè ſibi alimẽta quærere, prout expreſsè docent *Vallerus de different. in vtrumq; for. verbo vxor. dif. 2. in fin., Ioannes Angelus Boſſius de effect. matrimon. c. 6. num. 29.*, quandoquidem coniuges mutuo obligãtur ad ſibi inuicem alimenta præſtanda, vt latè ſuo loco dicemus; vndè maritus, cui dos ſoluta non eſſet, poſſet quidem agere contra promiſſorem, vt ipſa ſoluatur, non autem attenta honeſtate denegare alimenta.

Dixi *ob dotem ſibi promiſſam, vel ab vxore, vel à Patre vxoris, vel ab alio quantumuis extraneo*, quod in fortioribus terminis procedit, ſi enim ob eandem non ſolutam per eandem vxorem non poteſt expellere, quamuis tunc interueniat aliqua culpa ex parte ipſius non ſoluentis contra promiſſionem factam, nec à fortiori videtur poſſe expellere ob eandem non ſolutam ab alio promiſſore extraneo, quia tunc non interuenit aliqua culpa ex parte eiuſdem vxoris.

Etiamſi fuerit promiſſa ab extraneo.

Aduerſus tamen ea, quæ dicta ſunt in aſſertione, eiuſque probationibus, nonnulla militant argumenta, quæ nunc profero, & diluo. Primum deſumitur *ex l. final. C. ad Senat. Conſult. Velleian., & ex c. per veſtras de donat. inter vir., & vxor.*, in quo primo textu Iuriſconſultus dum aſſerit *Neque enim ferendum eſt mulierem fieri indotatam, & ſic à viro forſitan repelli*, ſupponit, quod ſi ſit indotata, ſeu quod idem eſt, quod dos non fuerit marito ſoluta, poſſit ab ipſo marito expelli; in ſecundo, Pontifex dum aſſerit, *Nec occaſione dotis detenta vxor à viro dimiſſa, ſiue vir, qui dimiſit vxorem adulterij reatum incurrat*, videtur ſentire ob eãdem dotem detentam maritum poſſe vxorem expellere, præcipuè, cum ea de cauſa mulier in eo caſu, de quo ibi agitur, fuerit expulſa, & tamen Pontifex non iubet, quod prius recipiatur vxor dimiſſa, quam dos marito perſoluatur. Sed reſpondendum eſt hos textus non officere aſſertioni; non primum, quia in illo textu non approbatur expulſio, ſed ſolum indicatur id, quod poteſt contingere ex ira mariti ob dotem non ſolutam, & hoc expreſsè habet *Sanchez d. lib. 9. diſp. 6. n. 18., & Ioannes Angelus Boſſius de effect. matrimon. c. 6. n. 30.*; non ſecundum, quia, vt benè notat *Barboſa collect. ad d. c. per veſtras nu. 56.*, ibi vxor non petebat reſtitutionem, & propterea Pontifex ibi non facta mentione de reſtitutione reſpondiſſe dumtaxat ad ea, quæ ibi petebantur.

5 Explicatio nonnullorum iurium, vt non repugnantium noſtræ aſſertioni.

Secundum argumentum deſumitur ex eo, quod vir eam non duxiſſet, ſi præuidiſſet dotem non fore ſoluendam. Sed hęc ratio nullam prorſus vim habere poteſt, quandoquidem, cum matrimonium ſit omni iure indiſſolubile, nec pendere poſſit à conditione, vtique non ſolutio dotis, non poteſt vim tribuere legitimè expellendi vxorem; Deinde illa qualitas dotis non ſolutæ non pertinet ad ſubſtantiam, ſed præcisè ad qualitatem, in qua propterea, ſi interceſſerit fraus, vel dolus, vel error, non irritat contractum, ſicuti non irritat fraus, vel error circa virginitatem, vel nobilitatem, aliaſq; ſimiles qualitates, quæ non pertinent ad ſubſtantiam, potiſſimum, cum hæc qualitas non ſit appoſita per modum conditionis expreſsæ, & quando eſſet appoſita in ipſo actu celebrationis matrimonij intelligeretur retractata, cum conſenſus, qui in eodem præſtatur, debeat eſſe abſolutus in actu exercito.

Matrimonium non pendet à conditione.

Tertium argumentum deſumitur ex eo, quod vir non tenetur alere vxorem dote non ſoluta, ergo nec tenetur cum eadem habitare, quia alimentorum nomine, & habitatio continetur *l. de legat. ff. de alim., & cib. legat.* Confirmatur, quia ex genere ſuo dos datur in ordine ad onera matrimonij ſuſtinenda, ergo ea non ſoluta, non tenebitur maritus onera matrimonij ſuſtinere, inter quæ non leue reputatur ferre leuitatem, loquacitatem, importunitatem, & alia nõ vulgaria mulierum vitia. Sed reſpondendum eſt in primis iuxta ſuperius dicta, quod ſaltem ex honeſtate, & æquitate tenetur maritus vxorem pauperem alere, ſi aliundè non poſſit acquirere. Deindè dato etiam, quod dote non ſoluta maritus non teneatur vxorem alere, non propterea ſequitur, quod poſſit ipſam à domo, & cohabitatione expellere, nam onus alimentorum prouenit ex dote recepta, onus vero cohabitandi ex natura contractus, & de iure naturali, & diuino; vnde ad id, quod ſubditur, quod cohabitatio contineatur nomine alimentorum, reſpondendum eſt id ad ſummum verum eſſe, quando onus alimentorum, & cohabitationis prouenit ex eodem motiuo, & eadem ratio militat pro vtroq; onere, ſecus vero quando ratio pro vno ſeparatur à ratione alterius, vt euenit in præſenti hypotheſi, ſecundũ quam fortior, eaq; diuerſa ratio militat pro cohabitatione in ordine ad reddendũ debitum, quæ non militat pro præſtatione alimentorum. Ad confirmationem idem ferè reſpondendum eſt dotem eſſe ad ſummum in ordine ad onera matrimonij ſuſtinenda quoad alimenta præſtanda eidem vxori, & familiæ, non autem in ordine ad cohabitationẽ, & redditionem debiti, cum hæc ex alio fortiori, & ſuperiori titulo proueniant.

Soluitur aliud argumentũ contrariũ.

Quar-

Digitized by Google

Quartum argumentum deſumitur ex eo, quod iura fauent deceptis, non deceptoribus; in hac autem hypotheſi potiùs fauerent vxori decipienti per non ſolutionem dotis promiſſæ, quàm autem marito decepto, ſi hic proptèr non ſolutionem eiuſdem nõ poſſet eandem vxorem expellere à domo, & à cohabitatione. Sed facilè occurrunt huic argumento *Sanchez d. lib. 9. diſp. 5. n. 18. in fine, & Ioannes Angelus Boſsius de effect. matrimon. c. 6. n. 33.*, aſſerentes iura conſuluiſſe maritis deceptis in eo, quod exemerint eoſdem ab onere alendi vxores, quæ certè reſponſio ſoluit vim inſtantiæ, ſed, cum nos aſſeruerimus non eximi ab onere eas alendi, quando aliundè non habent, quo poſſint ſibi alimenta acquirere, ideo ad aliam reſponſionem tenemur recurrere; Dicimus ergo, quod iura eidem ſubueniant tribuendo actionem ciuilem ad complementum, ſeu ad ſolutionem dotis.

Iura ſubueniunt tribuendo actionem ciuilẽ ad dotem.

6 Aſſertio II. Probabilius etiam, & tutius eſt, quod proptèr dotem promiſſam, non ſolutam, non eximatur ab onere eam traducendi à domo paterna ad domum propriam *Ioannes Angelus Boſsius de effect. matrim. c. 6. n. 36., Sanchez lib. 9. de matrimon. diſput. 5. nu. 17., Fagundez in Decal. lib. 4. c. 10. nu. 18., Villalobos 1. part. tract. 13. diffic. 44. num. 2., Caſtrus Palaus part. 5. tract. 28. punct. 5. §. 2. nu. 6.*

Maritus tenetur etiã eam ad domũ propriam traducere.

Ratio ex eo deducitur, quia cauſa finalis, ob quam ob dotem non ſolutam nequit maritus vxorem à domo dimittere, obligat etiam ad eandem traducendam in domum ſuam, ergo, ſi ipſam traductam nequit expellere, non poterit etiam, quin ipſam traducat non obſtante non ſolutione illius dotis. Antecedens probatur, quia ideo non poteſt traductam dimittere, quia onus cohabitandi, & reddendi debitum non prouenit ex iure eiuſdem dotis, ſed ex iure naturali, & diuino proueniente ex natura eiuſdem contractus matrimonialis, ſiquidem ex natura eiuſdem tenentur coniuges ſibi reddere debitum, & maritus vxorem regere, & gubernare, ad quæ munera maximè neceſſaria eſt mutua cohabitatio, & ad hæc obligat ipſa natura contractus independentèr à quacunque dote, ſed hæc eadem ratio militat etiam quoad onus traductionis, quatenus non ſit hactenus traducta, ergo &c. Minor probatur, quia matrimonium ipſum obligat ad reddendum debitum etiã independentèr à dote, ergo etiam ad cohabitandum, ergo etiam ad traducendũ, quia ſine tali traductione, & cohabitatione non poteſt eſſe commodus vſus coniugij.

Ratio aſſertionis.

PRÆNOTIO VII.

An, & quomodo vxor teneatur ſequi virum, alio proficiſcentem.

SVMMARIVM.

Regularitèr loquendo vxor tenetur ſequi maritum mutantem domicilium ex iuſta, & legitima cauſa. 1.

Niſi ſequendo exponatur periculo vitæ, & alterius grauis damni. 2.

Etiamſi mutet ſine cauſa, dummodo non mutet ex cauſa turpi. 3.

Etiam maritus, tenetur ſequi vxorem mutantem domicilium ex cauſa neceſſaria, non autem ſine cauſa. 4.

Maritum ſine mutatione domicilij, alio abeuntem, & ibi ad longum tempus permanſurũ ex cauſa, tenetur vxor ipſum ſequi, & quomodo. 5.

Regularitèr loquendo vxor tenetur ſequi maritum, vel ob delictum alio frugientem, vel bannitum. 6.

Exceptiones ad aſſertionem. 7.

Etiam maritus tenetur ſequi vxorem ex tali cauſa fugientem, & exulantem. 8.

Vxor, tenetur ſequi maritum vagantem, quãdo ipſe ante matrimonium ſolitus erat vagari, & ipſa contraxit conſcia talis moris mariti. 9.

Secus, ſi non fuerit conſcia talis moris. 10.

In dubio ſcientiæ, vel ignorantiæ præſumitur potius pro ſcientia. 11.

QVamuis titulus proponatur quoad onus vxoris de ſequendo marito alio proficiſcente, nihilominus procedere etiam poteſt quoad onus mariti de ſequenda vxore, quando alio ex legitima cauſa ſe transfert. Porrò quoad vtrumq; conſiderandæ ſunt cauſæ profectionis, de quibus plura attigimus in voluminibus præcedentibus, an ſcilicet ſint voluntariæ, an neceſſariæ, & ſi neceſſariæ, an procedant ex delicto, an vero ex aliquo bono, vel damno imminente. Tandem conſiderandum eſt, an coniux alio ſe transferens mutet domicilium, an vero prius domicilium retineat, ſed ſolum in alium locum, ſeu ciuitatem ſe transferat ad tempus, & in vtroque caſu, ſiue ſcilicet mutationis domicilij, ſiue non mutationis, an alio ſe transferat animo huc, & illuc diuagandi, an vero permanendi in aliquo loco determinato. Quibus conſideratis ſit

Aſſertio I. Regularitèr loquendo vxor tenetur ſequi virum mutantem domicilium ex iuſta, & legitima cauſa *Petrus Barboſa in l. maritum nu. 55. in fin. ff. ſolut.* 1

Vxor tenetur ſequi maritum mutantẽ domiciliũ ex cauſa.

mari-

matrimon., *Marcus Antonius Cuccus lib.5. inſtit. maior. tit.* 11 *n.*148., *Rota Roman. decis.* 278. *nu.* 11. *p.* 4. *diuerſorum*, *Laiman. lib.*5. *part.*3. *c.*2. *n.*4, *Auerſa de matrim. q.*22. *ſect.*3., *Bonacina de matrimon. q.*4. *punct.* 6. *à num.* 20., *Ioannes Angelus Boſſius de effect. matrim. c.*6. *n.*38.

Vxor ſubditur marito tanquam capiti.

Ratio ex ijs deducitur, quæ ſupra dicebamus, quod ſcilicet ex vna parte ex ipſo iure naturali, & diuino proueniente ex ipſa natura contractus matrimonialis coniuges ſibi adinuicem tenentur reddere debitum, & cohabitare; ex alia vxor in ijs, quæ ſpectant ad regimen, & adminiſtrationem familiæ ſubditur marito tanquam capiti, ergo tum ratione oneris cohabitandi, tum ratione ſubiectionis, quam habet vxor ad maritum, tenebitur hæc ipſum mutantem domicilium, & alio commigrantem ex iuſta, & legitima cauſa ſequi.

2 Niſi exponatur periculo vitæ, & alterius grauis detrimenti.

Dixi *regularitèr loquendo* ad excipiendũ præcipuè caſum, quo vxor ſequens virum exponeretur morali periculo vitæ, vel alterius grauis detrimenti, ſiue corporis, ſiue animæ, prout docent *Nauarrus lib.*4. *conſil. conſ.* 2. *n.*4. *de diuortio*, & alij plures, apud *Ioannem Angelum Boſsium de effect. matrim. c.*6. *n.*41., non enim ius illud cohabitationis, quantumuis ſit naturale, & diuinum, intelligitur obligare cum tanto periculo, ſicuti non obligat ad cohabitandum, & reddendum leproſo cum periculo infectionis, vt docent communitèr Theologi, & Canoniſtæ.

3 Etiamſi nõ mutet ex iuſta cauſa, dũmodo nõ mutet ex cauſa turpi.

Aſſertio II. Si maritus mutet domicilium abſq; cauſa, & alio ſe transferat, tenetur etiam vxor eundem ſequi, modo non mutet, & alio ſe transferat ex turpi, & inhoneſta cauſa. Conſentiunt *Turrecremata in can. ſi quis neceſſitate* 34. *q.*2., *Panormitanus in c. de illis num.* 4. *de ſponſalib. Hoſtienſis in c.* 1. *de coniug. lepros.*, *Sanchez lib.* 1. *diſp.*41. *n.*5., *Ioannes Angelus Boſsius de effect. matrimon. c.*6. *nu.*42., *& alij magis communitèr.*

Ad maritum ſpectat electio habitationis.

Ratio ex eo deducitur, quia ad maritum, tanquam ad caput vxoris, & familiæ ſpectat habitationem eligere, & figere, nec vxor habet ius, vt potius in vno, quam in alio loco domicilium eligatur, ergo quantumuis pro arbitrio maritus mutet, & alio ſe transferat, tenetur vxor ipſum ſequi. Quod, ſi ſupponas, quod in celebratione contractus conuentum fuerit, quod maritus in certo, & determinato loco habitet, & quæras, an tunc, ſi contra conuenta mutet, teneatur vxor ipſum ſequi, ad hoc infra ſatisfaciam.

Dixi, *modo non mutet, & alio ſe transferat ex turpi, & inhoneſta cauſa*, quandoquidem tali cauſa turpi interueniente poteſt vxor nolle illuc migrare, ne ſe exponat periculo infamiæ, ſalutis animæ, vel alicui damno, ſiue temporali, ſiue ſpirituali, & ne cooperetur peccato mariti eligentis illam habitationem ex turpi cauſa.

Aſſertio III. Etiam maritus tenetur ſequi vxorem mutantem domicilium, & alio commigrantem ex cauſa neceſſaria, & iuſta, non autem, ſi vxor alio ſe transferat ſine cauſa *Farinaccius in praxi crim. part.* 5. *q.* 143. *n.*260., *Sanchez lib.* 1. *diſp.* 41. *n.* 5., *&* 14., *Gutierez de matrim. c.*23. *nu.* 13., *& ſeqq.*, *Fagundez in Decalog. lib.*4. *c.*12. *num.*18., *Ioannes Angelus Boſsius de effect. matrimon. c.*6. *n.*43., *qui pro ſe alios plures citat.* 4

4 Etiã maritus tenetur ſequi vxorẽ mutantem domiciliũ ex cauſa neceſſaria, non ſine cauſa.

Ratio primæ partis ex eo deducitur, quia quantumuis in ordine ad familiæ gubernationem, & regimen vxoris maritus ab eodem vxore nõ dependeat, quoad onera tamen coniugalia, non minus maritus dependet ab vxore, ac vxor dependeat à marito, cum in ordine ad hæc ſint pares, ergo extante cauſa neceſſaria, intuitu cuius vxor teneatur alio ſe transferre tenebitur maritus eandem ſequi in ordine ad onera coniugalia obeunda, ad quæ maritus non eſt independens à poteſtate vxoris; Neque dicas, quod maritus in ordine ad habitationem ſit ſuperior vxori, quamuis non ſit talis in ordine ad vſum coniugalem; contra enim impugnaberis, nam licet in ordine ad eligendam habitationem maritus ſit ſuperior vxori; quando tamen habitatio non pendeat ex electione, ſed ex cauſa neceſſaria, vel iuſta maritus conformari debet neceſſitati, & iuſtitiæ, ne ius naturale, & diuinum lædatur mutuorum obſequiorum coniugalium, ſicque in hac hypotheſi præualere debet ius ad vſum coniugalem iuri, quod habet maritus eligendi habitationem.

Habitatio tunc non pendet ab electione, ſed à cauſa neceſſaria.

Ratio ſecundæ partis ex eo deducitur, quia quamuis cohabitatio inter coniuges ſit de iure naturæ, & diuino in ordine ad vſum coniugalem, electio tamen habitationis, & domicilij ſpectat ad maritum, non ad vxorem, cum hæc ſit quodamodo pediſequa ad ipſum, ergo, ſi hæc ex cauſa voluntaria, & pro ſuo arbitratu ſine conſenſu mariti velit alio commigrare, non tenebitur hic illam ſequi, ſed poterit reuocare, ſi alio migrauerit, vel compellere ad non recedendum, ſi ad huc non commigrarit.

Aſſertio IV. Si maritus ſit abiturus alio ad tempus ſine mutatione domicilij, & iter ſit diuturnum, vel laborioſum nimis, & non ſit ibi permanſurus per longum tempus, vxor non tenetur eum ſequi;

Digitized by Google

5 qui, ſi vero maritus ſit ibi per diutinum tempus permanſurus, tenetur eum ſequi, ſi abſq; graui detrimento ſalutis poſſit, dummodo tamen maritus iuſtam habeat cauſam proficiſcendi, ſecus, ſi non habeat cauſam rationabilem profectionis. *Panormitanus in c. de illis de ſponsal.*, *Farinacius in praxi criminal. part. 5. q. 143. num. 282.*, *Sanchez lib. 1. diſp. 41. n. 10.*, *Ioannes Angelus Boſſius de effect. matrimon. c. 6. n. 44.*

Maritum abeuntem ex iuſta cauſa ſine mutatione domicilij, & permanſurum ad longum tempus in certo loco, tenetur vxor ſequi, ſi iter non ſit valdè laborioſũ.

Ratio primæ partis ex eo deducitur, quia ex vno capite peregrinationes longæ, & laborioſæ vxoribus non decent, nec ſtatui muliebri conueniunt, & cum in termino, ad quem diriguntur huiuſmodi peregrinationes, maritus non ſit diu permanſurus, perindè eſſet, ac ſi eadem vxor ſequens maritum eſſet pro toto illo tempore itineris, & breuis permanentiæ in continuo itinere, quod eſt nimis durum eidem mulieri; ex alio capite, cum maritus non ſit diu permanſurus in loco, ad quem iter dirigit, non poteſt ipſi eſſe valdè iniurioſa non profectio vxoris, nec de priuatione vxoris pro modico illo tempore poteſt eſſe rationabilitèr grauitèr inuitus, ergo extantibus grauibus illis reſpectu vxoris incommodis, & modico illo præiuditio reſpectu mariti, non tenebitur vxor ipſum comitari.

Si iter nõ ſit diuturnum, & laborioſũ.

Ratio ſecundæ partis ex eo deducitur, quia quamuis maritus ſit rationabilitèr inuitus, quod vxor ipſum non ſequatur, quando iter laborioſum eſt, & mora in termino itineris non debet eſſe diutina, ſed modica, eſſet tamen rationabilitèr inuitus, quod ipſum non ſequeretur, quando in loco, ad quem eſt ordinatum iter ex iuſta cauſa, debet diutius immorari, quandoquidem in tam diutina mora poteſt agitari ſtimulis carnis, & exponi periculo incontinentiæ, ergo in ea hypotheſi vxor tenetur eum ſequi.

Dixi *dummodo maritus iuſtam habeat cauſam proficiſcendi*, ſi enim nullam habeat cauſam proficiſcendi, non tenebitur vxor eam ſequi, prout docent *Henricus Boic, & Alexander de Neuo in c. de illis de ſponsalib.*, *Farinacius in praxi crimin. par. 5. q. 143. n. 282.*, *Ioannes Angelus Boſſius de effect. matrimon. c. 6. nu. 44.*, *Sanchez lib. 1. diſp. 41. n. 10.*, Neque ea, quæ hic dicuntur, obeſſe poſſunt ijs, quæ ſupra dicta ſunt, nempe vxorem teneri ſequi virum, etiam ſi mutet domicilium ſine cauſa, vel ex cauſa omnino voluntaria; Non, inquam, obeſſe poſſunt, quia quando talis profectio eſt cum mutatione domicilij, eſt cum intentione ibi perpetuo permanendi, & figendi ibi domicilium, quando vero eſt ſine tali mutatione domicilij, ſeu habitationis, eſt ſemper cum animo redeundi ad priorem habitationem; & ſic quoad primum ſtatum non exigit maritus ex neceſſitate habere iuſtam cauſam illius mutationis, cum poſſit pro libertate eligere, nec vxor ad hoc poteſt eſſe rationabilitèr inuita; quoad ſecundum vero ſtatum exigit habere iuſtam cauſam (ſuppono enim quod iter ſit diutinum, & laborioſum) cum ſine cauſa non debeat inducere onus in vxore ſuſcipiendi laborem itineris longi in eundo, & redeundo, & ad hoc vxor poteſt eſſe rationabilitèr inuita.

Aſsignatur ratio exceptionis.

Aſſertio V. Regularitèr loquendo vxor tenetur ſequi maritum, vel ob delictum alio fugientem, vel bannitum, vel exulantem *Henricus Boic in c. de illis de ſponsal.* *Hoſtenſis in c. 1., qui mat. accus. poſ.*, *Hypolitus Rimínaldus conſ. matri. 81. n. 23.*, *Laiman. lib. 5. part. 3. c. 2. nu. 4.*, *Reginald. lib. 31. n. 310.*, *Auerſa de matrimon. q. 22. ſect. 3.*, *Ioannes Angelus Boſſius de effect. matrim. c. 6. num. 46.* 6

Tenetur vxor ſequi maritum fugientem ob delictum, vel bannitum

Ratio ex eo deducitur, quia ex ſuperius dictis vxor tenetur ſequi maritum alio proficiſcentem ex cauſa neceſſaria, ſeu rationabilitèr iuſta, ſed in hac hypotheſi alio ſe transferret ex cauſa neceſſaria, ſeu rationabili, ergo &c. Neque dicas, quod quantumuis ipſe ſe alio transferat ex cauſa neceſſaria, non tamen teneatur vxor ipſum ſequi, quandoquidem culpa mariti nequit ipſi obeſſe, cum innocens non teneatur pati incommodũ culpæ rei; contra enim impugnaberis, quia quantumuis innocens non poſſit pati incommodum rei delinquentis directè, & per ſe, quandoque tamen ex conditione propriæ perſonæ ab altera dependentis indirectè poteſt ſubeſſe infortunio eiuſdem delinquẽtis. Igitur in præſenti, cum vxor de iure diuino, & naturali teneatur ſequi maritum ex cauſa neceſſaria, & ineuitabili, per accidens, & indirectè infortunium mariti patitur, non tamen quaſi pænam, cum ſit innocens, ſed ex conditione propriæ perſonæ iure ſic diſponente. Hoc exemplificari poteſt in ſeruo, qui tenetur Dominum exulantem etiam ex delicto ſequi, & tamen infortunium Domini non patitur tanquam pænam, ſed ex ſua ſeruitutis conditione.

Tenetur ad illud incommodum ex conditione perſonæ.

Dixi *regulariter loquendo*, quandoquidem in multis caſibus vxor poteſt eximi ab onere ſequendi maritum fugientem ob delictum, vel ſententia Iudicis exulantem, vt ſi maritus v. g. ſe reciperet in locum, quo imminerent pericula vxori, vel ſpiritualia, vel corporalia, ſi maritus eſſet deportatus in pænam in loco, vbi noxius aer adeſſet, vel ſi ibi vigerent inimicitiæ, & ſimilia. 7

Exceptiones ad aſſertionẽ.

C Hæc,

Hæc, quæ dicta ſunt de marito ob delictum fugiente, vel bannito &c., proportionaliter intelligenda ſunt de vxore ob ſimilia delicta fugiente, vel exulante, quod colligi videtur *ex l. ſi cum dotem §. ſi maritus ff. ſolut. matrim.*, vbi in hoc maritus, & vxor conſtituuntur pares -Ibi- *Quid enim, tam humanum eſt, quam fortuitis caſibus mulieris maritum, vel vxorem viri participem eſſe?* Confirmari poteſt ex ijs, quæ dicta ſunt *in hac eadem prænot. aſſert. 3.*

8 **Idem intellige de onere mariti erga vxorē fugientem, & bannitam.**

Aſſertio VI. Si maritus nolit habere certum, & fixum domicilium, ſed velit hinc, & inde vagari, vxor tenetur eum ſequi, ſi antecedenter ad matrimonium cum eodem contractum ipſe erat ſolitus vagari, & ipſa vxor erat conſcia moris eiuſdem mariti; ſecus vero, ſi nec ille erat antecedenter vagabundus, nec, quantumuis ille fuerit talis, vxor erat conſcia talis moris. Prima pars eſt *Tiraquel. ad leg. connub. l. 1. num. 37., Farinacij in pract. crimin. part. 5. q. 143. nu. 269., & 272., Menochij de arbitr. caſ. 464. num. 4., Sanchez lib. 1. diſp. 41. num. 8., Auerſa de matrim. q. 22. ſect. 3. verſ. quinto, ſi vir velit, Fagundez d. l. 4. in Decalogum c. 12. nu. 19., Ioannis Angeli Boſſij de effect. matrim. c. 6. num. 52.* Secunda pars eſt eorundem, & vlterius *Coarruuiæ de ſponſalib. part. 2. c. 7. num. 5., Marci Antonij Cuci lib. 5. inſtit. maior. tit. 11. num. 149., Reginaldi lib. 31. nu. 211., Villalobos prima part. tract. 13. diffic. 43. num. 4.*

9 **Vxor tenetur ſequi maritum vagātem, ſi ante matrimonium erat ſolitus vagari, & ipſa cum tali cognitione contraxerit.**

Probatur prima pars, quia ex quo vxor tali marito nupſit non ignara conſuetudinis illius præcedentis ad vagandum, nec aliquid in celebratione contractus excepit, præſumitur conſenſiſſe contractui non obſtante illa conſuetudine, illique ſe conformaſſe, ergo, ſi ipſe maritus poſt illum contractum perſeueret in illa conſuetudine vagandi, non poterit vxor rationabiliter denegare illius ſequelam, & comitatum, quandoquidem in ipſo contractu ad hoc ſe implicitè obligauit, nec onus, quod aſſumpſit in contractu, poteſt proceſſu temporis ſine legitima cauſa deponere. Confirmatur, quia, ſi liber contrahat cum ancilla conſcius conditionis ſeruilis eiuſdem valide contrahit, & tenetur omnia onera matrimonij cum illa ſeruare *Gloſa in c. ſi quis ingenuus verb. faciat 29. q. 2., & c. fin. de coniug. ſeruor. in fin., Riccardus in 4. diſt. 36. art. 3. q. 1., D. Antoninus 3. part. tit. 1. c. 3. in fin., Angelus verb. matrimonium 3. impedim. 4. num. 13., Henriquez lib. 11. de matrim. c. 10. num. 5.*, & ratio eſt, quia iura induxerunt talem nullitatem matrimonij inter liberum, & ancillam in fauorem eiuſdem liberi decepti, ſed quando tempore celebrationis contractus aderat in libero ſcientia ſeruitutis alterius, non poteſt reſpectu illius eſſe paſſiua deceptio, adeoq; &c., ergo etiam, ſi vxor contrahat cum marito ſolito vagari cum ſcientia illius conſuetudinis, non ſolum tenebit matrimonium, ſed vlterius tenebitur onera matrimonij cum illo ſubire, & propterea ipſum diuagantem ſequi.

Præſumitur ſe voluiſſe conformare mori mariti.

Probatur ſecunda pars, quia æquum non eſt, quod vxor ſemper ſit in itinere huc illucque diuagans cum tot incommodis, periculis, dedecore &c., nec ſtatum muliebrem decet talis diuagatio, ergo, quando nec explicitè, nec implicitè in celebratione contractus conſenſum præſtitit ad illud onus, non poterit ex vi matrimonij compelli ad illud, cum matrimonium obliget ad conſueta onera, non ad inſueta, & portabilia, niſi cum incommodis grauibus, periculis &c. Confirmatur quia ex ſuperius dictis, quando maritus non mutat domicilium, ſed alio ſe transfert diutius etiam ibi moraturus, ſi hoc præſtat ſine cauſa rationabili, vxor non tenetur eum ſequi, prout docent *Panormitanus, Farinacius, Sanchez, Boſſius allegati in aſſert. 4.*, ergo multo minus tenebitur, quando huc, illucq; vagatur non moraturus in certo loco, cum hoc ſine cauſa præſtet. 10

Secus, ſi non fuerit conſcia talis moris mariti.

Difficultas ſolummodo eſt in præſenti, an in dubio, quod præceſſerit in vxore ſcientia conſuetudinis mariti diuagandi, an verò ignorantia, ſit præſumendum pro ſcientia, an verò pro ignorantia. Probabilius præſumendum eſt pro ſcientia *Farinacius in prax. crim. part. 5. q. 143. num. 274., Auguſt. Barboſa collect. ad c. de illis num. 4 in fin. de ſponſam.* Quibus adhærere videtur *Ioannes Angelus Boſſius de effect. matrim. c. 6. num. 53.*, nec incongrua ratione quandoquidem præſumitur, quod in celebratione contractus vxor fuerit exacta in indagine ſtatus mariti, cum in ſimilibus, quæ exigunt indiſſolubilem vitæ vnitatem, vnuſquiſq; ſoleat eſſe magis ſollicitus, quam in alijs contractibus. 11

In dubio ſcientiæ, vel ignorātiæ præſumitur potius pro ſciētia.

PRÆNOTIO VIII.

An, & quomodo vxor ſequatur forum mariti.

SVMMARIVM.

Articuli examinandi circa titulum. 1.

Si vxor ab alio à marito conueniatur, non tenetur reſpondere in loco priſtino, ſed in loco mariti. 2.

Si cauſa controuerſiæ fuerit ſuper delicto commiſſo in loco, à quo receſſit, poteſt in illo loco conueniri. 3.

Si

Digitized by Google

Si fuerit cauſa ciuilis, & cæpta in loco, à quo receſſit, poteſt in eodem loco terminari. 4.
Etiam in caſu appellationis. 5.
Vbi eſt controuerſia de dote accepta reſtituẽda, maritus conueniendus eſt in loco proprij domicilij, & coram ſuo Iudice. 6.
In controuerſia inter vxorem, & maritum dirimenda eſt lis coram Iudice mariti. 7.
Etiam ſi contingeret maritum, & vxorem ſimul non habitare. 8.
Mutato per maritum loco domicilij, in quo initus eſt contractus matrimonialis in controuerſia ſuper diuiſione bonorum conſtante matrimonio acquiſitorum attendendus eſt locus contractus. 9.

VXorem ſequi domicilium mariti videtur iuris indubitati, & clarè habetur *in l. cum quadam ff. de iuriſd. omn. Iud. & l. fin. §. item reſcripſerunt ff. ad munic.* Difficultas modo eſt, an quoad iudicia, ſiue ciuilia, ſiue criminalia, præcipuè in cauſa dotis, quæ ſecundum multos caſus, qui emergere poſſunt, poteſt examinari, teneatur forum viri, ſeu mariti ſequi, & primo, an conuenta teneatur reſpondere in loco priſtino, an vero in loco domicilij mariti. Secundo, ſi agatur de dote accepta reſtituenda, an maritus ratione vxoris ſit conueniendus in loco contractus, vbi prius degebat vxor, an vero in loco, vbi ipſe habet domicilium. Tertio, ſi contingat controuerſia inter maritum, & vxorem, & maritus ipſe ſit actor, vxor vera conuenta, an maritus teneatur eam conuenire coram Iudice, in cuius territorio, priuſquam contraheretur matrimonium, habebat domicilium, an vero coram Iudice proprij domicilij. Quarto, an, ſi contigerit, quod ex iuſta, vel iniuſta cauſa maritus, & vxor fuerint ſeparati, vxor ipſa ſit conuenienda coram Iudice domicilij, in quo habitat, an vero coram Iudice domicilij eiuſdem mariti. Quinto, an, ſi maritus contracto matrimonio domicilium mutauerit, ſuper controuerſijs, quæ forte contingent excitari, attendendæ ſint leges loci, vbi contractum eſt matrimonium, & vbi maritus tunc domicilium habebat, an vero leges loci, in quo mutauit domicilium.

1 **Articuli examinãdi circa præſentẽ titulum.**

Aſſertio I. Si vxor ab alio à marito conueniatur, non tenetur reſpondere in loco priſtino, ſed in loco domicilij mariti *Tiraquel. ad leg. connub. l. 1. nu. 28., Coaruuias de ſponſal. part. 2. c. 7. n. 6., Franciſcus Molinus de ritu nupt. lib. 1. comp. 23. num. 44., Sanlengerius reſol. can. lib. 1. c. 120. num. 11., & ſeqq., Ioannes Angelus Boſſius de effect. matrimon. c. 6. num. 55.*

2 **Si conueniatur ab alio à marito, non tenetur reſpondere, niſi in loco mariti.**

Ratio ex eo deducitur, quia vxor per contractum matrimonij, non ſolum deſinit eſſe ſub poteſtate Patris, & transfertur in dominium mariti, ſed etiam deſerit domicilium Patris, & acquirit illud mariti, ergo, ſi poſt contractum matrimonij, & mutatum domicilium paternum contingat vxor conueniri, conuenienda erit in loco domicilij mariti, non in loco priſtino, vbi degebat ipſa vxor, hocq; etiam videtur colligi *ex l. exigere ff. de iure dot.*

Per matrimonium acquirit domiciliũ mariti.

Difficultas ſolummodo eſſe poteſt in hypotheſi, qua cauſa, propter quam vxor ipſa conuenitur, originem habuerit pro tempore, pro quo nondum matrimonium contraxerat, nec domicilium mutauerat, an ſcilicet tunc poſſit conueniri coram Iudice loci, quem deſeruit, & in quo originem habuit, ſeu fundamentum cauſa, de qua conuenitur. Conſiderandum eſt, an cauſa fuerit ex delicto, & in hoc caſu vtique aſſerendum eſt vxorem poſſe conueniri coram Iudice loci, in quo fuit delictum commiſſum, quia ſicuti ratione delicti quis conſtituitur ſubditus loci, in quo deliquit per vulgatiſſima iura, ita ratione eiuſdem, quouſq; ab illo purgetur eidem loco, in quo deliquit, ſubditus remanet; an vero ex alia cauſa a delicto, & tunc etiam conſiderandum eſt, an iam cauſa fuerit incæpta ante contractum matrimonium, & ante tranſitum ad domum mariti, an vero poſt; iuxta primum ſenſum arbitror conueniendam eſſe vxorem in loco, in quo cæpta eſt cauſa, ratio eſt, quia Iudex ex quo coram ipſo cæpta eſt cauſa, ius habet ipſam proſequendi vſq; ad definitiuam ſententiam; ſed an in hac hypotheſi, ſi contingeret appellatio ſuper eadem cauſa, vxor conuenienda eſſet coram Iudice ad quem in territorio, in quo prolata eſt prima ſententia, an vero coram Iudice territorij, ad quod ipſa poſt matrimonium tranſijt cum marito. Sentiendum eſt conueniendam eſſe coram Iudice ad quem in territorio, in quo prolata eſt prima ſententia. Ratio eſt, quia in tali territorio iam cępta eſt prima cauſa per primam ſententiam, nec Iudex alterius territorij eſt ſuperior ad Iudicem territorij, in quo lata eſt prima ſententia, ergo ad eandem cauſam terminandam per vltimatam ſententiam debet fieri iudicium in eodem territorio, in quo incæptum eſt in prima cauſa; Iuxta ſecundum ſenſum arbitror conueniendam eſſe coram Iudice territorij, ad quod tranſijt cum marito, niſi bona, de quibus eſt controuerſia, ſita ſint in loco, a quo eadem vxor cum marito tranſijt. Ratio deducitur ex ſuperius dictis, quia, vbi aliud non obſtat, vxor ſequitur forum mariti, ſicuti ſequitur domicilium eiuſdem.

3 **Si cauſa controuerſiæ fuerit criminalis, & originem habuerit, in loco, à quo receſſit, poteſt conueniri in loco, in quo deliquit.**

4 **Si fuerit ciuilis, & ibi cæpta, poteſt ibi terminari.**

5 **Etiam in caſu appellationis.**

Digitized by Google

6 Vbi agitur de dote accepta reſtituẽda, maritus cõueniẽdus eſt coram proprio Iudice.

Aſſertio II. Vbi eſt controuerſia de dote accepta reſtituenda, maritus conueniendus eſt in loco, in quo idem maritus habet domicilium, non in loco, quo fuit celebratus contractus. *Coaruuias de ſponſal. part.2. c.7. nu.6., Marcus Antonius Cucus inſtit. maior. lib.5. tit.11. num.152., Bartolus in l. exigere ff. de iud., Baldus Nouellus in tract. de dote 9. part. priuil.18., Rocchus Curt. in c. fin. de conſuet.*

Expreſsè colligitur *ex l. exigere ff. de iudic.* -Ibi- *Exigere dotem mulier debet illic, vbi maritus domicilium habuit, non vbi inſtrumentum dotale conſcriptum eſt, nec enim id genus contractus eſt, vt & eum locum ſpectari oporteat, in quo inſtrumentum dotis factum eſt &c.* Nec obeſſe poteſt, quod alij plures textus ſint allegabiles, in quibus dicitur, quod debitor, ſeu reus conueniendus ſit in loco contractus, prout videntur innuere *Coaruuias, & Cucus, & Bartolus loc. cit.*, Non, inquam, obeſſe poteſt, quia in primis hoc intelligendum eſt, ſi ipſe reus reperiatur ibi, vel in loco celebrati contractus habeat bona per textum *in c. Romana §. contrahentes de foro compet. in ſeſto, Lapus alleg.10. in princip., Ruinus conſ.15. num.6. lib.4., Socinus Iunior conſ.81. num.24. lib.2., Berous conſ.165. num.4. lib.3., Rolandus à Valle conſ.26. num.35., & ſeqq.* Deinde, vt bene notat Bartolus *in d. l. exigere ff. de iudicijs*, hæc lex ſingularis eſt, & ſingulariter diſponit de dote, quæ propterea de hac ſpecialiter intelligenda eſt.

7 In cõtrouerſia inter maritum, & vxorẽ lis dirimẽda eſt coram Iudice mariti.

Aſſertio III. Contingente controuerſia inter maritum, & vxorem dirimenda lis eſt coram Iudice territorij mariti, in quo etiam habitat vxor, non coram Iudice loci, in quo celebratum eſt matrimonium, & in quo antecedenter eadem vxor habitabat. In hanc conſentiunt *Salingerius reſol. canon. lib. 1. c. 120. num. 12., Ioannes Angelus Boſſius de effect. matrimon. c. 6. num. 55., & alij apud eoſdem.*

Ratio clarè deducitur ex ijs, quæ ſupra dicta ſunt, quia ſcilicet vxor nedum ſequitur domicilium mariti, ſed etiam forum eiuſdem in ordine ad alios, ergo nõ eſt, cur eundem forum non debeat ſequi in ordine ad maritum, cum quo excitatur controuerſia; non enim in hoc poteſt eſſe diuerſa ratio, nec ex eo, quod ſit maritus, tenetur exigere diuerſum Iudicem ab eo, qui eſt ſimul Iudex mariti, ſeu ſui ipſius, & vxoris, quæ ſortitur forum cum ipſo.

8 Etiamſi, contingeret maritum, & vx[illegible] [illegible] [illegible]bitare.

Aſſertio IV. Ex ſuppoſitione, quod maritus, & vxor ſimul non cohabitarent, probabilius etiam intercedente controuerſia inter eundem maritum, & vxorem vxor eſſet conuenienda coram Iudice mariti *Salingerius reſol. can. lib. 1. c.120. n.12., Ioannes Angelus Boſſius de effect. matrimon. c.6. n.55. propè finem.*

Ratio ex eo deducitur, quia, vel maritus, & vxor ſimul non cohabitarent ex iniuſta cauſa, vel ex cauſa iuſta; ſi ex primo capite; (quod potiſſimum proueniret, ſi vxor è domo mariti ſine rationabili cauſa recederet) per illum iniuſtum receſſum vxor propriè non eſt exempta à domicilio mariti, qui, ſicuti poteſt eam reuocare, ità poteſt legitimè conuenire coram Iudice ſui domicilij; ſi ex ſecundo capite; cum ipſe maritus ſit caput vxoris, nec deſinat eſſe tale per non cohabitationem quantumuis iuſtam habet propterea ius ipſam conueniendi coram Iudice proprio, nec tenebitur ipſam conuenire corã Iudice loci, in quo quodamodo per accidens habitat ipſa vxor.

Aſſertio V. Si contracto matrimonio in aliquo territorio, in quo maritus tempore celebrati contractus domicilium habebat, & deindè contigerit eundem maritum domicilium mutare in controuerſijs ſuper diuiſione rerum conſtante matrimonio acquiſitarum, & ſuper alijs ſeruandæ ſunt leges, & conſuetudines loci, in quo celebratum eſt matrimonium, quique erat domicilium mariti, non conſuetudines, & leges domicilij vxoris; item loci celebrati contractus, qui erat domicilium eiuſdem mariti, non loci mutati. Etiam ſi contigerit maritum in hoc loco mutato mori. *Coaruuias de ſponſalib. part. 2. c. 7. num. 7., Ioannes Angelus Boſſius de effect. matrimon. c.6. n.55., & alij.* 9

9 Mutato domicilio à marito ab illo cõtractus matrimonialis in controuerſijs ſuper diuiſione bonorum acquiſitorum tempore matrimonij ſeruandus eſt locus cõtractus matrimonialis.

Prima pars deducitur ex ſuperius dictis, quandoquidem, ſi quoad dotem reſtituendam vxor ſequitur forum viri, & conformari tenetur legibus, & conſuetudinibus territorij eiuſdem viri, ita non eſt cur quoad alia conformari non debeat eiſdem legibus, & conſuetudinibus territorij eiuſdem mariti, cum nullum ſit aſſignabile ius, quod diuerſimodè diſponat.

Secunda pars deduci poteſt ex ijs etiam, quę ſupra dicta ſunt, nempè, quod contrahẽtes ſequi debeãt ius loci, in quo celebratus eſt contractus, & licet ab hac regula excipiatur caſus dotis reſtituendæ, in quo non attenditur locus contractus, ſed locus domicilij mariti per textum *in l. exigere ff. de iudicijs*, hæc tamen exceptio eſt ſingularis, quæ propterea non eſt extendenda ad alia, quæ non ſint de dote reſtituenda, prout notant *d. Coaruuias loco cit. n. 6., & Boſſius*, hic autem agitur de alijs ab ipſa dote, quare &c.

Nonnullas hic ponunt exceptiones à traditis regulis *Coaruuias loco cit., & Marcus Antonius Cuccus lib.5. Inſtit. maior. tit. 11. nu.152.*, & præcipuè, quod vxor non

tenea-

teneatur ſequi forum, & leges domicilij mariti, quando matrimonium contractũ fuit eo animo, & pacto, vt maritus in loco domicilij vxoris habitaret; ſed de hoc in ſequenti prænotione.

PRÆNOTIO IX.

An facta in celebratione contractus matrimonialis conuentione habitandi in certo loco vxor ab illo loco maritũ abeuntem teneatur ſequi, & an maritus, teneatur ſeruare pactum.

SVMMARIVM.

Sententia aſſerens pactum de habitando in certo loco non tenere. 1.
Contraria ſententia exponitur. 2.
Præfertur hæc ſecunda ſententia. 3.
Diſcrimen inter legatum relictum ſub conditione permanendi in certo loco, & pactum de habitando in tali loco. 4.
Intellige dummodo interuenerit iuſta cauſa talis pacti. 5.
Si pactum habitandi in determinato loco fuerit iuramento firmatum adueniente cauſa neceſſaria adhuc maritus poteſt ab illo recedere. 6.
Si maritus ſine cauſa violat pactum, vxor non tenetur ſequi. 7.
Maritum recedentem ex cauſa neceſſaria, non obſtante pacto, tenetur vxor illum ſequi. 8.
Non tenetur pœnam appoſitam luere, ſi ex cauſa neceſſaria recedat 9.
Si recedat ſine cauſa, poteſt reuocari implorato Iudicis auxilio. 10.
Maritus, qui ſine cauſa receſſit, poteſt conueniri coram Iudice Eccleſiaſtico. 11.
Poteſt etiam conueniri coram laico. 12.
Conueniendus eſt coram Iudice loci, à quo receſſit. 13.
Etiam coram Iudice loci, ad quem acceſſit. 14.
Et vtique actione ex matrimonio. 15.
Actio hæc eſt ad regreſſum, & ad damna. 16.

VT regulate hac in controuerſia procedamus, examinandum eſt primo, an illud pactum de permanendo perpetuo in certo, & determinato loco teneat, & obliget contrahentes ad illud obſeruandum. Secundo, ex ſuppoſitione, quod teneat, an vxor maritum illud pactum non ſeruantem, & iniuſtè recedentem, teneatur ſequi. Tertio, an eadem vxor ius habeat ipſum reuocandi, & quo remedio vti valeat.

In ordine ad primum dubium maxima eſt controuerſia inter DD. Non tenere illud pactum, nec obligare pluribus citatis, tum ex Theologis, tum ex iuris peritis tenet *Coarruuias de ſponſalibus part. 2. c. 7. verſ. verum,* qui etiam aſſerit hanc eſſe communem opinionem. Ipſum ſequuntur *Capucius decis. 135., Gailus lib. 1. de pace c. 2. nu. 20., Lopez prima part. Inſtruct. de matrim. c. 54. in fin.*, quorum rationes potiſſimum ſunt, primo quia obligatio permanendi ſemper in certo loco eſt quædam ſpecies ſeruitutis *arg. l. 2. ff. de lib. hom. exhib. l. ab hoſtibus ff. de capt., & poſt lim. reuer. l. penult. C. de op. libert.*, pacta autem, per quæ inducitur ſeruitus in iure reprobantur *l. Titio centum §. Titio centum ff. de condit., & demonſt. l. interrogatam C. de liber. cauſ.*, ſecundo, quia, qui factum præcisè promittit, ſoluendo quod intereſt liberatur *l. in ſtipulationib. ff. de verb oblig.*, adeoq; qui promiſit habitare in aliquo loco ab onere talis promiſſionis liber erit ſoluendo id, quod pertinet ad promiſſarium, quod ibi non permaneat, vel permanſerit. 1 **Sententia aſſerens pactum habitandi in certo loco non tenere.**

Tenere vero illud pactum, & obligare ſuſtinent ex iuris peritis *Gotofredus in d. l. Titio centum ff. de condit., & demonſt., Panormitanus in c. 1. Qui matrim. accus. poſ., Henricus in c. de illis de ſponſal., Virginius Sfortius de iure nouo vrb. conden. lib. 3. c. 7. n. 20.,* & alij plures tum apud *Sanchez lib. 1. de matrimon. diſp. 40. num. 2.*, tum apud *Ioannem Angelum Boſſium de effect. matrim. c. 6. n. 59.* Ex Theologis *Sanchez, & Boſſius locis mox alleg., Baſilius Pontius de matrimon. lib. 12. c. 2., Martinus Perez de matrimon. diſp. 7. ſect. 3., Villalobos part. 1. tract. 12. difficult. 11., Caſtrus Palaus part. 5. tract. 28. diſp. 1. punct. 15. §. 1., & alij,* cum his ſit 2 **Sententia aſſerens tale pactũ tenere.**

Aſſertio I. Et huiuſmodi pactum tenet, & obligat contrahentes ad ipſum ſeruandum.

Ratio ex eo deducitur, quia omnia pacta in contractibus, quæ nec aduerſantur naturæ contractus, nec ſunt illicita, nec iure poſitiuo reprobantur, & tenent, & obligant ad obſeruantiam; huiuſmodi eſt pactum illud de habitando in certo loco, quandoquidem hoc nec aduerſatur bono matrimonij, nec alicui ex eius bonis ſcilicet, nec bono fidei, nec bono prolis, nec bono ſacramenti; cum hæc omnia æque haberi poſſint in quocunq; loco, nec ſecundum ſe aliquam infert turpitudinem, nec inhoneſtatem, nec eſt aſſignabile aliquod ius poſitiuum prohibens, ſeu reprobans, ergo &c. 3 **Præfertur hæc ſecũda ſententia.**

Dices primo reprobari per omnia iura poſitiua ſupra allegata, per quæ damnatur, quod liber poſſit fieri ſeruus, & præcipuè per *l. Titio centum §. Titio centum ff. de cond., & demonſt.*, cuius hæc ſunt formalia verba. *Titio centum relicta ſunt, ita vt à mo-*

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

4 *monumento meo non recedat, vel vt in illa Ciuitate domicilium habeat, poteſt dici non eſſe locum cautioni, per quam ius libertatis infringitur*. Sed contra, quia longè diſpar eſt ratio de illa conditione appoſita in legato permanendi ſemper in determinata Ciuitate, ac de conuentione habita de permanendo in eadem; nam iuxta primũ ſenſum, in quo loquitur præfatus textus *in l. Titio centum*, illud onus apponitur præter voluntatem legatarij, cum proueniat ſolummodo ex voluntate legantis; iuxta vero ſecundum ſenſum onus illud prouenit determinatè ex vi propriæ voluntatis; vnde mirum non eſt, quod quis ſibi poſſit imponere onus ex ſe ipſo, quod abſolutè non demit libertatem, ſed reſtringit tantum ſecundum aliquam rationem; durum autem eſt, quod ex alienæ voluntatis arbitrio cogatur pati illam ſeruitutem. Conformitèr ad hoc nonnulli etiam docent, quod debitor poſſit conuenire cum ſuo creditore, vt ex mora poſſit in perpetuum carcerem mancipari, & præcipuè *Gailus lib. 2. de pace c. 2.*, quod tamen abſolutè verum non eſt, prout habetur *in auth. immò à dotis debitore C. de act., & oblig.*, cum duriorem inducat obligationem hæc conuentio, quam pactum præciſè permanendi in eadem ciuitate. Deinde cum lex illa alijs pluribus aduerſetur, intelligenda eſt cum moderamine, adeout eiſdem non officiat, ſed mutuo concilientur. Dic igitur cum *Gutierez de matrimon. c. 23. num. 15. verſ. probatur etiam Sanchez lib. 1. de matrimon. diſp. 40. num. 2., Ioanne Angelo Boſſio de effect. matrim. c. 6 num. 67.*, prædictam legem intelligi, quando ea conditio appoſita legato nulli vtilis eſt, quod non euenit in pacto cohabitationis in certo loco, quod poteſt eſſe, valde fauorabile vxori, vel ad tuendam ſalutem ob aeris ſalubritatem, vel ad permanendum cum ſuis parentibus.

Diſcrimen inter legatum relictum ſub conditione permanendi in certo loco, & pactum de habitando in tali loco.

5 Intelligenda tamen eſt aſſertio, dummodo interueniat iuſta, & legitima cauſa talis pacti; ſi etenim ſine cauſa induceretur tale pactum, tanquam fruſtratorium, & vanum non poſſet inducere tam ſtrictam obligationem, vt interueniente alia cauſa, quantumuis non ita neceſſaria poſſet violari, ſicuti mox dictum eſt, poteſt non attendi conditio appoſita legato, quando talis conditio eſſet vana, & nulli vtilis.

Si interuenerit iuſta cauſa talis pacti.

6 Hic oritur difficultas, an, ſi poſitum fuerit illud pactum, quantumuis iuramento firmatum, & poſtea interuenerit ex parte mariti grauis cauſa derelinquendi locum promiſſum eximatur maritus ab onere promiſſionis, ſeu conuentionis poſitæ. Hoc contingeret in hypotheſi, ſi in loco conuento talis intemperies eſſet eidem marito noxia, vel minus apta ſaluti, procreationi filiorum, vel ſi ibi ortæ ſint rixæ capitales &c. Qua in difficultate reſpondendum eſt, quod eximatur ab onere habitandi in tali loco *Enricus in c. de illis de ſponſal., Panormitanus in c. 1. Qui matrim. accuſ. poſ., Virginius Sfortius de iure nouo vrbis condendæ lib. 3. c. 7., Baſilius Pontius de matrimon. lib. 12. c. 2., Fagundez lib. 4. in Decal. c. 12. num. 8., Ioannes Angelus Boſſius de effect. matrim. c. 6. num. 62. in fin.*

[illegible] ob[illegible]e, [illegible] ſit [illegible]

tus ex cauſa neceſſaria recedere.

Ratio ex eo deducitur primo, quia illa conuentio, ſeu pactum de habitando in tali determinato loco initum in celebratione contractus matrimonialis ſemper intelligitur ſub tacita conditione, ſi poſſit adimpleri ſine graui præiuditio vitæ, & ſalutis mariti repromittentis, ſeu paciſcentis, nec iuramentum extendit promiſſum vltra modum, & conditionem, qua concepta eſt promiſſio; & quidem, quod conuentio intelligenda ſit ſub illa tacita conditione ex eo euincitur, quia ſecus eſſet de re illicita ſcilicet ſe exponendi graui periculo vitæ, & ſalutis, ergo &c. ſecundo, quia in ſimilibus ſuperueniente graui, & legitima cauſa diſſoluuntur obligationes, quæ conſurgunt ex contractibus ſucceſſiuis, vt ſpecialitèr de contractu ſocietatis euincitur *ex l. ſi conuenerit, & duabus ll. ſeq. ff. pro ſocio*, ergo &c.

Quænam ſit talis cauſa.

Reſtat nunc reſpondere ad ſecundum argumentum, quod allatum eſt pro contraria ſententia de promiſſione facti. Dic igitur, primo non eſſe abſolutè verum, quod promittens factum, teneatur præciſe ad intereſſe proclamantibus omnibus iuribus pacta omnia eſſe ſeruanda, quæ non ſunt contra bonos mores ciuiles, & naturales *arg. textus in c. qualiter de pactis, & l. iuris gentium ff. de pactis*, & tradunt *Panormitanus, & alij ſcribentes in c. per ſuas de arbitris*. Secundo ad textum *in l. in ſtipulationibus ff. de verb. oblig.* dicendum eſt verificari, quando ſolum promiſſio facti facta eſt ſub onere refectionis; tunc etenim intelligitur facta eadem promiſſio alternatiuè, vel adimplendi ſcilicet factum promiſſum, vel reficiendi per ſolutionem intereſſe.

Soluitur argumentum contrariæ opinionis.

Aſſertio II. Si maritus violet pactum ſine noua graui cauſa emergente, vxor non tenetur eum ſequi. *Gutierez. de matrimon. c. 23. n. 16., & 18., Sanchez de matrimonio lib. 1. diſp. 40. n. 5., Fagundez lib. 4. in Decalogum c. 12. nu. 11., & ſeqq., Ioannes Angelus Boſſius de effect. matrim. c. 6. nu. 63.* 7

Si maritus violet pactum, non tenetur eum vxor ſequi.

Ratio ex eo deducitur, primo quia ex vi illius conuentionis vxor acquiſiuit ius, ne rebus perſeuerantibus in eodem ſtatu maritus ab eo loco determinato recederet, ergo

Digitized by Google

ergo eundem ſine noua, & graui cauſa interueniente recedentem à tali loco non tenetur ſequi. Conſequentia probatur, quia nemo tenetur preſto eſſe ſibi fidem frangenti, & violanti ius, quod ipſi plenè acquiſitum eſt; Nec obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, quod vxor teneatur maritum ſequi de iure naturali, & diuino, tanquam ſuum caput in ordine ad coniugalia obſequia ipſi præſtanda; ius autem naturale, & diuinum præponderare debet cuicunque iuri acquiſito ex humanis conuentionibus; Non, inquam, obeſſe poteſt, quia lex diuina non obligat vxorem ad ſequendum maritum abeuntem, quando exempta eſt ab eodem marito ab illo onere ſequendi; ex eo autem, quod ipſe maritus pactum inierit cum eadem vxore de permanendo in tali loco, ſicuti ſe ipſum obligauit ad talem permanentiam, ita deobligauit vxorem ab onere ipſum ſequendi caſu, quo ipſe ſine cauſa recederet. Secundo ratio ex eo deducitur, quia frangenti fidem licet fidem frangere; cum igitur maritus fidem fregerit vxori recedendo contra conuenta ſine cauſa, etiam vxor poteſt in eodem genere eidem frangere fidem ipſum abeuntem non ſequendo.

Rationes ſuadentes aſſertum cum ſolutione obiectorum.

Hic ſolum oritur difficultas, an, ſi maritus recederet à loco conuento ex iuſta, rationabili, & graui cauſa, puta ob aeris intēperiem ſibi, vel generationi noxiam, vel ob graues inimicitias ibi contractas, teneretur vxor non obſtante illo pacto ipſum recedentem ſequi. Videtur prima fronte aſſerendum, non teneri eum abeuntem ſequi, quandoquidem licet ob tales cauſas maritus eximatur ab illo onere permanendi in tali loco, non ſoluitur tamen ius vxoris ad permanendum in illo, & moralis impotentia excuſat quidem impotentem à non implendo promiſſo, ius tamen alterius remanet illæſum. Nihilominus aſſerendum exiſtimo, in ea hypotheſi teneri ſequi maritum abeuntem *Ioannes Angelus Boſſius de effect. matrimon. c. 6. n. 62.* Ratio ex eo deducitur, quia ex iure naturali diuino, quando nullum pactum exiſtit, tenetur vxor ſequi maritum aliò abeuntem, ergo etiam, tenetur eundem ſequi exiſtente pacto, quando tale pactum ſubſequente graui cauſa non obligat maritum ad illud obſeruandum. Conſequentia probatur, quia pactum illud non exiſtere, & exiſtere ſine virtute obligandi pariformitèr ſe habent; Neque vrgent ea, quæ ex aduerſo mox dicebantur pro contraria opinione; Non vrgent, inquam, quia cum onus reſpectu vnius permanendi in tali loco, & ius alterius, quod primus in tali loco permaneat, ſibi ſint correlatiua, ergo eo ipſo, quo alter ex cauſa à tali onere eximitur, alter ius amittit, quod ille permaneat, & cū ex alio capite ceſſante in marito onere permanendi in loco conuento ius diuinum naturale obliget vxorem ad ipſum ſequendum, ideo non eſt &c.

8 Mariro recedente ex neceſſaria cauſa non obſtante illo pacto tenetur vxor illū ſequi.

Ex dictis etiam poteſt deduci, quod, ſi in conuentione facta inter coniuges de permanendo in certo loco appoſita fuerit aliqua pæna aduerſus maritum, ſi illud violauerit, teneatur hic exequi, ſeu luere talem pænam, ſi ſine noua, & graui cauſa receſſerit à tali loco, ſecus vero, ſi receſſerit noua aliqua graui cauſa ſuperueniente *Gutierez de matrimon. c. 23. nu. 16., Sanchez lib. 1. de matrimon. diſp. 40. nu. 5., Fagundez lib. 4. in Decalogum c. 12. nu. 11., & ſeqq., Ioannes Angelus Boſſius de effect. matrim. c. 6. num. 63.* Ratio primæ partis ex eo deducitur, quia appoſitio talis pænæ non eſt iniurioſa matrimonio, nec lædit ipſius libertatem, quin potius eidem matrimonio maximè fauet, cum conferat ad indiuiduam vitæ rationem conſeruandam, cum maritum obliget ad permanendum cum vxore. Quod autem libertatem matrimonij non adimat ex eo euincitur, quia hæc non eſt circa ſubſtantiam matrimonij, ſed ad conſequentia ad illud, & vtiq; non aduerſantia, ſed potius conformia. Ratio ſecundæ partis ex eo deducitur, quia diſſoluto onere, circa quod verſatur pæna, intelligitur, & deſſoluta eadē pæna, ſicuti deſſoluto principali deſſoluitur & acceſſorium, quod in eodem principali fundatur.

9 Nec tenetur luere pænam appoſitā, ſi ex cauſa neceſſaria recedat.

Aſſertio III. Si maritus recedat à loco conuento, nulla ſuperueniente graui, & legitima cauſa poteſt per vxorem reuocari implorata Iudicis ope. *Capicius decis. Neapol. 135., Gutierez de matrim. c. 23. nu. 16., Caſtrus Palaus part. 5. tract. 28. diſp. 1. punct. 5. §. 2. num. 5.*

10 Si maritus recedat ſine cauſa poteſt reuocari.

Ratio ex eo deducitur, quia fruſtratorium eſſet ius vxoris ex illo pacto, ſeu conuentione acquiſitum, ſi aduerſus recedentem, & reluctantem iuris remedia non haberet ad ius illud fouendum, & reparandum, ſi quid aduerſus ipſum contigerit, ergo maritum ſine iuſta cauſa ſuperuenienti recedentem, implorata Iudicis ope poterit reuocare. Confirmatur, quia in læſione iurium, quæ ex alijs contractibus proueniunt, iura aſſiſtunt læſo concedendo aduerſus lędentem actiones ciuiles ex tali contractu, ſi fuerit contractus nominatus, vel præſcriptis verbis, ſi fuerit innominatus, quæ actiones vtique habentur implorata ope Iudicis, ergo non eſt &c.

Circa hanc aſſertionem plures conſurgunt rationes dubitandi; Prima eſt pænes

Nonnullæ rationes dubitandi circa præſentem titulum.

nes quem Iudicem ſit conueniendus maritus, qui ſine noua graui cauſa receſſit à loco conuento, an ſcilicet ſolummodo apud Iudicem Eccleſiaſticum, an vero etiam apud Iudicem ſæcularem. Secunda, ſiue conueniendus ſit apud Iudicem Eccleſiaſticum, ſiue laicum, an conueniendus ſit coram Iudice loci, à quo iniuſtè receſſit, an vero coram Iudice loci, ad quem acceſſit. Tertia, quænam actio concedatur, & ad quænam, & aduerſus quem?

In ordine ad primam certi iuris eſt, quod poſſit conueniri coram Iudice Ec-

II Vbi ſine cauſa receſsit poteſt conueniri coram Iudice Eccleſiaſtico.

cleſiaſtico, qui, vbi maritus, qui receſſit, detrectauerit, poteſt, & debet implorare auxilium, & brachium ſæculare ad ipſum compeſcendum. Conſentiunt *Cuccus inſtit. maior. lib. 5. tit. 11. nn. 125.*, *Coarruuias de ſponsal. part. 2. c. 7. § 5. nu. 9.*, *Farinacius part. 5. praxis crimin. q. 143. n. 244. & 250.*, *Auguſtinus Barboſa collect. ad c. literas n. 11. de reſtit. ſpol.*, *Villalobos part. 1. tract. 13. difficult. 43. n. 1.* Conſtat expreſsè *ex d. c. literas in fin. de reſtit. ſpol*, nec difficilis eſt ratio, quandoquidem hæc cohabitatio pertinet ad ſtatum matrimonialem, qui ſtatus eſt fori eccleſiaſtici. An vero poſſit etiam conueniri immediatè, & directè coram Iudice laico, lis eſt apud DD. non minima. Sentiunt poſſe conueniri *Gloſa in c. non eſt de ſponsal. verb. vxores*, *Burſatus conſ. 307. in fin. vol. 2.*, *Franciſcus Molinus de ritu nupt. lib. 1. compar. 22. num. 24.* Mouentur ea ratione, quia hic non agitur de validitate, vel inualiditate contractus matrimonialis, ſed de aliquo contingente ab extrinſeco eidem contractui, hoc eſt ex voluntate libera contrahentium circa obiectum, quod non eſt neceſſario coniũctum cum ipſa ſubſtantia matrimonij; quæ autem ab extrinſeco contingunt matrimonio, & ſecundum ſe ſunt purè naturalia cadere poſſunt ſub iudicio merè laico; vt contingit in cauſis quoad dotes, quæ quamuis dantur propter matrimonium, quia tunc non pertinent ad ſubſtantiam eiuſdem, cadunt ſub iudicio laico. Non remotam à veritate arbitror hanc opinionem propter rationem mox adductam; nec obſtare poteſt primò, ſi aſſeratur, quod hæc cauſa ſit de connexis matrimonio, adeoque ad quem ſpectat cognitio ſuper cauſis matrimonialibus, ſpectare debeat, & hæc cognitio; Non, inquam, obſtare poteſt; quia non eſt ex connexis ex natura ſua, ſed ex voluntate contrahentium, & quidem quoad ea, quæ pertinent potius ad humana commertia politica, nõ quoad ea, quæ pertinent ad rationem Sacramenti, ſecundum quam rationem præ-

12 Poteſt etiam cõueniri coram Iudice laico.

ciſè materia matrimonij facta eſt eccleſiaſtica, adeoq; Neque vlterius poteſt obſtare, ſi aſſeratur, quod hac ratione nullo modo poſſet hæc cognitio cadere ſub inditio Eccleſiaſtico, cum ſit de obiecto mere temporali, & ſecundum ſe non connexo cum ſubſtantia matrimonij; Non, inquam, poteſt obeſſe, quia, quamuis ſit de obiecto ſecundum ſe temporali, & ex natura ſua non connexo cum matrimonio, quia tamen plurimum confert ad vſum eiuſdem matrimonij, quod coniuges cohabitent, & maritus ipſe ſe obligauerit ad habitationem in tali loco, hinc eſt, quod in ordine ad vsũ, ad quem Eccleſia poteſt compellere renitentem, poſſit etiam compellere eundem ad permanendum in tali loco, pro quo ſe obligauit, cum ſine tali permanentia non poſſit eſſe vſus, & in hac potiſſimum ratione fundatur textus *in d. c. literas in fin. de reſtit. ſpol.*

In ordine ad ſecundam aſſerendum eſt maritum contrà conuenta recedentem à tali loco conueniendum eſſe coram Iudice loci, à quo receſſit. Moueor non ſolum ex eo, quod ſupra diximus, nempe textum *in l. exigere ff. de iudic.*, per quem dicitur maritum conueniendum eſſe in loco, in quo habitat, non in loco contractus, eſſe ſingularem, & ſolum diſponere in cauſa de dote accepta reſtituenda, non quoad alia; ſed potiſſimum moueor ea ratione, quia ratione pacti de commorando in tali loco ſe conſtituit ſubditum tali loco, ſeu Iudici habenti iuriſdictionem in tali loco, & proindè coram illo eſt conueniendus. Sed an etiam poſſit conueniri in loco, ad quem acceſſit, crederem vtique poſſe conſentiente in hoc iudicio vxore læſa per talem receſſum, ſi ipſe maritus ibi fixerit habitaculum. Ratio ex eo deducitur, quia ipſe maritus per illud habitaculum ſe conſtituit ſubditum loco, ad quem acceſſit, & vxor ipſa eo ipſo, quod illum conuenit coram Iudice talis loci conſentit ipſius iuditio, & prorogat eiuſdem iuriſdictionem.

13 Conueniẽdus eſt coram Iudice loci, à quo receſſit.

14 Etiam cõſentiente vxore coram Iudice loci, ad quem acceſſit.

In ordine ad tertiam aſſerendum eſt primo pro reſtitutione coniugis, qui iniuſtè receſſit dari actionem ex matrimonio, non tamen propriè *Molinus de ritu nupt. lib. 1. compar. 22. num. 27.*, cui adhærere videtur *Ioannes Angelus Boſſius de effect. matrimon. c. 6. n. 76.*, ſicuti enim ex cæteris contractibus nominatis conſurgunt actiones ex proprio nomine, vt actiones ex empto in contractu emptionis, & venditionis, ex locato, & conducto in locatione &c. ita non eſt, cur non conſurgant actiones ex matrimonio, cum ſit contractus propriè nominatus, &

15 Et quidẽ actione ex matrimonio.

& gaudeat proprio nomine &c. Quia tamen illa obligatio non prouenit ex matrimonio præciſè, cum hoc non obliget ad permanendum in loco vxoris, ſed potius vxorem in domo mariti, ſed prouenit ex pacto inter contrahentes inito, ideo in hac hypotheſi dicendum eſt potius actionem, quæ concedenda eſt, eſſe actionem præſcriptis verbis; vndè conſultò poſui particulam, *non tamen propriè*. Sed an actio ad huiuſmodi reſtitutionem poſſit eſſe in petitorio iudicio tantum, an vero etiam in poſſeſſorio, ſentiendum eſt poſſe in vtroq; iudicio eſſe *Rimmaldus conſ. matrim. diuerſ. 81. n. 15., Menochius recup. rem. 1. nu. 328., Theſaurus decis. 11., Couaruuias de ſponſalib. part. 2. c. 7. §. 5. nu. 9., Farinacius part. 5. prax. crimin. q. 143. num. 143.*

Diſputant hic DD., an vxor à marito deſerta in ea hypotheſi poſſit agere vindicatione adiecta cauſa talis pacti, & iuris diuini, & canonici obligantis coniuges ad cohabitandum. Contendunt nonnulli, quod non poſſit agere rei vendicatione, quia hæc vendicatio non competit, niſi habenti rei dominium verum per textum *in l. in rem in princip. ff. de rei vendic.*, vxor autem non habet dominium in corpus mariti, niſi ad ſummum quoad vſum coniugalem *Calderinus in c. non eſt vobis de ſponſal., Franciſcus Molinus de ritu nupt. lib. 1. compar. 22. num. 20., & ſeqq., Butrius in c. illud de præſumpt.* Addunt, quod nullibi in iure cautum eſt, quod concedatur hæc vendicatio; neq; obeſſe poteſt expoſitio *Gloſ. in illo c. illud n. 18. de præſumpt.*, ſecundum quam videtur concedere vendicationem; Non, inquam, obeſſe poteſt, quia vt exprimit *eadem gloſa ibidem* nomine vendicationis venit petitio; neq; nouum eſt in iure præcipuè canonico, ita huiuſmodi nomen vſurpari. Alij vero ex aduerſo ſentiunt competere huiuſmodi vendicationem, quia licet vxor non habeat dominium propriè in corpus mariti, tamen iure naturali, & diuino habet poteſtatem in corpus eiuſdem, quod ſufficere exiſtimant ad propriam vendicationem; & ita ſentiunt *Gloſa in l. 1. §. 1. ff. de rei vendicat., Angelus in §. præiudiciales inſtit. de act., Sanchez lib. 9. de matrimon. diſp. 4. n. 9., Laiman. lib. 5. tract. 10. p. 3. c. 2. nu. 5.*, Quid igitur hac in controuerſia concludendum? Non valdè curandum eſt de hac difficultate, tum quia parum refferre poteſt, quod dicatur maritus vendicatione repeti, vel petitione, cum ſemper idem effectus habeatur, nempè reſtitutio mariti, qui ſine cauſa receſſit; tum quia, vt benè notat *Ioannes Angelus Boſſius de effect. matrimonij c. 6. nu. 78.* modo actionum formulæ de iure canonico ſublatæ ſunt; Quamobrem in petitione reſtitutionis exponitur dumtaxat factū, & Iudex deindè decernit quænam actio competat, ſeu ex qua actione poſſit reuocari.

Parum refert, an repetat vendicatione, an petitione.

In ordine ad quartam aſſerendum eſt huiuſmodi actionem eſſe ad compellendum coniugem recedentem ad cohabitationem, & ad reddendum debitum, & ad reparanda damna, ſi quæ indè obuenerint ex tali receſſu; In hoc conueniunt omnia iura, & DD. Sed quonam remedio vti poſſit Iudex ad talem effectum? Aſſerendum eſt primo Iudicem Eccleſiaſticum poſſe cenſuris compellere, & etiā, ſi opus fuerit implorando auxiliū brachij ſæcularis, prout expreſsè colligitur *ex c. literas in fin. de reſtit. spol.* Ibi- *ad reſtitutionem plenariam debet eccleſiaſtica cenſura compelli*, quod idem habetur *in c. 1. & c. non eſt de ſponſal.* Secūdo Iudicem laicum, ſi quæ actio circa hoc ipſi competit poſſe alijs pænis, vel pecuniarijs, vel iuridica coercitione, & etiam detentione, ſi opus fuerit, compellere &c.

16 *Actio hæc eſt ad regreſſum, & ad damna.*

PRÆNOTIO X.

Quid propriè ſit diuortium, & quomodo diferat à repudio.

SVMMARIVM.

Quid ſit diuortium. 1.
Diſcrimen inter diuortium, & repudium. 2.
Non ex quacunque cauſa altero inuito poteſt eſſe diuortium. 3.
Cauſæ diuortij remiſſiuè. 4.
Nec ex cauſa adulterij licitum eſt diuortium quoad vinculum coniugale. 5.

HActenus egimus de obligatione coniugum ad cohabitandum; nunc ex oppoſito agendum de iure, quod quādoque conſurgit in eiſdem coniugibus diſſoluendi quodamodo coniugium non quidem quoad vinculum coniugale, ſed quoad torum, & cohabitationem; atq; hæc diſſolutio quoad thorum, & cohabitationem communi nomine appellatur diuortium apud Theologos, licet iuris periti idem nomen vſurpent etiam ad indicandum diſſolutionem vinculi coniugalis, prout colligitur *ex tot. tit. ff. de diuortijs*. Hic iuxta Theologorum placitū, & modum loquendi ſumentes nomen diuortij ſolummodo pro diſſolutione quoad habitationem, & thorum agemus dumtaxat de eodem in rigoroſo ſenſu, nō prout importat diſſolubilitatem coniugij, ſeu vinculi coniugalis, cum de hoc

In quo conſiſtat ratio dubitandi.

D latè

Digitized by Google

latè egerimus in præcedentibus voluminibus.

1 *Quid propriè ſit diuortium.*

Hoc nomen *diuortium* ſpectata nominis ethimologia deſumptum eſt, prout aſſerit *Iuriſconſultus in l. 2. ff. de diuortijs* à diuerſitate mentium, quatenus coniuges, qui per diuortium ſe ſecernunt, quodammodo quoad affectus ſe alienant, vel quatenus ex alienatione affectuum ſe ab inuicem ſeparant, ſeu deſumptum eſt ex eo, quod ad diuerſas partes diuertunt.

2 *Diſcrimen inter diuortium, & repudium.*

Hinc fas erit deducere diſcrimen, quod intercedit inter diuortium hoc modo ſumptum, & repudium; illud etenim importat ſolummodo diſſolutionem quoad thorum, & habitationem; hoc vero importabat etiam diſſolutionem quoad vinculum coniugale, quod an olim licuerit Hæbreis, & quomodo ante legem euangelicam, & an etiam Gentilibus, & an modo eiſdem etiam liceat alibi fusè dictum eſt, nec vacat in præſenti immorari. Differt etiam repudium à diuortio ſumpto iuxta modum iuriſperitorum pro diſſolutione vinculi coniugalis per hoc, quod repudium eſt ſolius vxoris, quatenus marito licitum erat vxorem dimittere, non vxori dimittere maritum; diuortium vero eſt vtriuſq;, quatenus ex cauſa vtriq; coniugi licitum eſſe poſſit ſe dimittere; vel fortè melius in hoc differunt, quod repudium eſt ſolius vxoris de præſenti; diuortium vero non ſolũ vxoris de præſenti, ſed etiam ſponſæ de futuro; atq; hoc diſcrimen ſpecialitèr agnoſcit *Sanchez de matrimon. lib. 10. diſp. 11. n. 1.* per textum *in l. inter ſtuprum, & l. inter diuortium de verb. ſignif.*, & certè hoc diſcrimen ſubſiſtens eſt, non propriè primum, & ſine dubio, cum multi contrarium aſſerant.

His pro notitia ſuppoſitis ſumptoque in præſenti diuortij vocabulo pro diſſolutione quoad habitationem, & thorum ſolum hic remanet dubitandum, an ex quacunque cauſa poſſit diuortium inter coniuges intentari.

3 *Non ex quacunq; cauſa poteſt eſſe diuortium altero inuito.*

Aſſertio. Non ex quacunque cauſa altero coniuge inuito poteſt per diuortium diſſolui habitatio, & thorus inter coniuges, ſed dumtaxat ex legitima, & à iure approbata. Dixi *altero inuito*; ſi enim de communi conſenſu ſe a thoro ſepararent, & fortè etiam habitatione, vt commodius Deo vacarent, & pijs exercitationibus, & cultui animæ propriæ, propriæq; ſalutis, non negauerim cum certis limitationibus poſſe validè, & licitè ſic ſeparari. Dixi *cum certis limitationibus*, quod intelligè, niſi ſit periculum incontinentiæ in altero ipſorum; tunc etenim non ita eſſet concedenda talis diſſolutio, & ſeparatio, ſed de hoc infra ex profeſſo.

Ratio ex eo deducitur, quia onus diuinum, & naturale cohabitandi, & reddendi ſibi adinuicem debitum eſt tale, vt ſtrictè obliget ad obſeruantiam, & obligatio eſt quaſi iuris naturalis, ergo ex qualibet alia cauſa à legitima non poteſt diſſolui. Confirmatur, quia cæteri contractus initi mutuo conſenſu abſoluto non diſſoluuntur ex qualibet cauſa, cæteroqui humana commertia facilè dilaberentur, & corruerent, ergo &c.

Si autem hic inquiratur, quænam habeatur pro iuſta, & legitima cauſa talis diſſolutionis mox ſubdam per ſubſequentes prænotiones ſingillatim. 4 *Cauſæ diuortij remiſſiuè.*

Hinc latè diſputant DD., an ex cauſa adulterij alterius coniugis licitum ſit nedum matrimonium diſſoluere quoad cohabitationem, & thorum, ſed etiam quoad vinculum coniugale deſumpto fundamento dubitandi ex illo Matthæi 19. *Quicunque dimiſerit vxorem ſuam, niſi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur, & qui dimiſſam duxerit, mœchatur,* quem textum aſſerunt, non poſſe deflecti ad innuendam ſolam ſeparationem ab habitatione, & thoro, quandoquidem non eſſet ad rem reſponſio Chriſti ad interrogata Phariſeorum, qui loquebantur de dimiſſione quoad vinculum, quam repudium appellabant, quod videtur etiam innuiſſe D. Ambroſius primo ad Corinth. 7. *Vxor à viro non diſcedat, niſi cauſa fornicationis, quod ſi diſceſſerit, aut maneat innupta, aut reconcilietur. Ideo non ſubdit de viro, quod de vxore præmiſit, quia viro liceat ducere illam*; Sed in hac diſputatione immorandum non eſt, quandoquidem de ea fusè egimus *tom. 6. ſub tit. Contractus XV. de matrimon. I. Prænot. 3. num. 7. pag. 14.*, vbi non ſolum veritatem catholicam propugnauimus, ſed etiam à contrarijs aduerſantium argumentis vindicauimus, & Chriſti reſponſionem ad Phariſæorum interrogata iuxta DD., & SS. PP. placitum, vt non repugnantem germano ſenſui aſſertionis noſtræ explicuimus. Recolite, quæ ibi dicta ſunt.

5 *Nec ex cauſa adulterij licitũ eſt diuortiũ quoad vinculum coniugale.*

PRÆNOTIO XI.

Explicantur ea omnia, quæ pertinent ad diuortium ex cauſa adulterij.

SVMMARIVM.

Ratione adulterij in altero coniuge poteſt diuortium celebrari. 1.

Prouenit hoc ius ex ipſa natura contractus. 2.

Etiam inter infideles hoc Ius militat ex hac cauſa. 3.

Et

Digitized by Google

Et etiam, ſi infidelis adulter conuertatur ad fidem, poteſt ab altero dimitti. Ibid.
Et etiam, ſi hic fuerit baptizatus. 4.
Tam maritus, quam vxor poteſt celebrare diuortium, ſi alter adulterauerit. 5.
Hoc ius ad diuortium nequit contraria conſuetudine tolli, nec etiam quoad vxorem. 6.
Poteſt tamen praſcribi ius quoad pœnam criminalem, & ciuilem. 7.
Non eſt neceſſe ad diuortium, quod ex parte innocentis præmittatur monitio. 8.

AMplam ſatis ſub hoc titulo materiam aggredimur, quæ innumeros ferè articulos continet examinandos. Fuſa nimis, & prolixa euaderet hæc prænotio, quam propterea in aliquot ſectiones diſtinguimus, vt ſingillatim ſingula diſcutiantur. Sit igitur.

SECTIO I.

An ratione adulterij alterius coniugis licitum ſit diuortium quoad thorum, & quoad habitationem.

Rationes dubitandi circa præſentem titulum.

PRopoſitus ſectionis titulus plura continet. Primum eſt, an ratione adulterij liceat diuortium. Secundum, an diuortium intuitu talis criminis licitum eſſe proueniat ex iure naturali, hoc eſt ex ipſa natura contractus matrimonialis, an vero ſolummodo ex iure poſitiuo. Tertium, an coniuges quoad hoc ius diuortij ex adulterio pares ſint. Quartum, an adulterium commiſſum tempore infidelitatis ſit ſufficiens cauſa diuortij, etiam ſi committens adulterium conuertatur ad fidem. Quintum, an ratione contrariæ conſuetudinis intelligi poſſit ſublatum ius diuortij. Sextum, an præ requiratur ad diuortium monitio, & his ſimilia.

Aſſertio I. Ratione adulterij in altero coniuge poteſt diuortium celebrari.
1 Ratione adulterij in altero coniuge poteſt diuortiũ celebrari.
Conſentiunt communitèr ſcribentes in hac materia *Gofredus, & Roffeus in c. admonere 33. q. 1., Immola c. tuæ n. 5. de Procurat., Sanchez lib. 10. de matrimonio diſp. 3. num. 2.*, qui etiam aſſerit hanc aſſertionem de fide eſſe, & à nemine controuerſam.

Expreſsè conſtat ex illo *Matthæi 19.* ſupra allegato, vbi dictum eſt non licere dimittere vxorem, niſi ob cauſam fornicationis, ergo ob cauſam fornicationis licitum erit ipſam dimittere; exceptio etenim extrahit exceptum a communi regula. Hoc idem euincitur ex c. 5. eiuſdem Matthæi, & alibi in ſacris ſcripturis, *& ex c. ſignificaſti, c. gaudemus, & c. ex literis de diuortijs.*

Aſſertio II. Ratione adulterij poſſe dimitti ab altero innocente coniugem adulterum prouenit probabilius ex ipſa natura contractus, non ex mero iure poſitiuo Diuino poſt legem euangelicam. Conſentit in hanc noſtram aſſertionem expreſsè *Sanchez de matrimonio lib. 10. de diuort. diſp. 3. num. 4.*, vbi alios plures allegat.
2 Prouenit hoc ius ex ipſa natura contractus.

Non difficilis eſt huius aſſertionis probatio, quandoquidem ipſum adulterium aduerſatur bonis eiuſdem matrimonij, nempe bonis fidei; qui enim contrahit matrimonium obligat ſe non ſolum ad reddendum debitum alteri coniugi, ſed etiam ad ſeruandam eidem fidem negando alteri, ſeu alteri non ſe communicando quoad vſum coniugalem, ergo ratione adulterij innocens, cui fides debita eſt ex natura matrimonij, poterit fidem alteri denegare, ſeu eidem debitum non concedere; ex genere etenim ſuo indignus eſt, vt qui alteri fidem debitam non ſeruauit, eidem fides ſeruetur innoxia.

Ex hac aſſertione, eiuſq; ratione fas erit deducere, primo, quod non ſolum inter fideles, ſed etiam inter infideles ob cauſam adulterij poſſit adulter per diuortium dimitti. Secundo, ſi coniux infidelis, qui adulterium commiſit, conuertatur ad fidem, poſſe adhuc ab altero dimitti. Ratio horum omnium ex eo deducitur, quia ius naturæ omnes indifferenter obligat, omneſq; eidem legi naturali ſubduntur. Sed, an adhuc poſſet dimitti, ſi non ſolum fuerit conuerſus ad fidem, ſed etiam fuerit baptizatus, diſſidium eſt inter DD. Videntur negare *Gloſa in c. quod autem in fin. 32. q. 1., Monaldus in ſumma tit. de matrimon., vbi de diſpari cultu vers. item numquid, Nauarrus in ſumma c. 16. num. 29.* Mouentur ea potiſſimum ratione, quia per baptiſmum purgantur omnia præcedentia; vnde *gloſa in c. quod autem in fin. 32. q. 1.* aſſerit, quod baptizatus non poſſit poſtea accuſari de crimine antecedenter commiſſo. Affirmant adhuc poſſe dimitti alij magis communitèr quos refert, & ſequitur *Sanchez lib. 10. de matrimon. diſp. 3. num. 5.*, atq; his adhærendum exiſtimo, quia illud effatum, quod per baptiſmum omnia præcedentia purgantur, verificatur ſolum in ordine ad Deum, cum per baptiſmum etiam independentèr à ſacramentali confeſſione deleantur omnia peccata ante eundem baptiſmum commiſſa, non autem in ordine ad hominem, cuius ius aliquod fuerit læſum.
3 Hoc ius diuortij ex hac cauſa militat etiã inter infideles.
4 Etiam ſi fuerit adulter conuerſus ad fidem, & baptizatus.

Aſſertio III. Equè poteſt vxor ſeparari à marito, ſi hic commiſerit adulte-

D 2 rium,

rium, ac maritus poſſit ab vxore per diuortium ſeparari, ſi illa conſtante matrimonio fuerit adulterata. Conſentiunt *Magiſter in 4. diſt. 35.*, *D. Thomas ibid. q. vnica art. 4.*, *D. Bonauentura*, & *Durandus q. 1. art. 1. num. 6.*, *Bellarminus lib. 1. de matrimon. c. 14. §. ſunt etiam*, & alij innumeri, quos citat, & ſequitur *Sanchez lib. 10. de matrimon. diſp. 3. num. 6.*

5 **Hoc ius diuortij eſt commune marito, & vxori, ſi alter adulterauerit.**

Quoad ius viri dimittendi vxorem ex cauſa adulterij expreſsè colligitur ex illo *Matthæi 19.*, & *5.*, vbi expreſsè hoc decernitur. Quoad ius vxoris dimittendi virum ex ſimili cauſa fornicationis colligitur ex illo Apoſtoli prima ad Corinth. 7. *His, qui matrimonio iuncti ſunt, præcipio non ego, ſed Dominus vxorem à viro non diſcedere, quod ſi deſceſſerit, manere innuptam, aut viro ſuo reconciliari*, quem textum *Sanchez lib. 10. diſp. 3. num. 2.* quoad illam particulam *Quod ſi deſceſſerit*, intelligit de iuſto receſſu per fornicationem viri, & cum non cogat vxorem ad reuertendum, ſed eidem relinquat optionem aut redeundi, aut remanendi innuptam, vtique aſſerit poſſe ex tali cauſa recedere, ſeu receſſiſſe.

Neque aduerſus ea, quæ in hac aſſertione dicuntur, obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, quod in pænalibus, & in odioſis ſtricta facienda ſit interpretatio, nec pæna ſit extendenda vltra ea, quæ exprimuntur, adeoq; cum in illo *Matthæi 19.* ſermo dumtaxat ſit de vxore fornicante, non eſt facienda extenſio etiam ad maritum fornicantem, potiſſimum cum maius videatur delictum fæminæ propter incertitudinem prolis, & propter maius dedecus, quod infertur marito. Non, inquam, obeſſe poteſt, quia, quantumuis in tali loco non exprimatur, exprimitur tamen in alio, nempe *in illo Apoſtoli prima ad Corinth. 7.*, vbi loquitur de coniunctis matrimonio indefinitè, nec reſtringit diſpoſitionem ad ſolas vxores fornicantes. Quod, ſi quæratur, cur in illo *Matthæi 19.* fiat dumtaxat mentio de vxore fornicante, tunc dicam ibi dumtaxat memorari eandem vxorem fornicantem, quia ibi erat reſponſio ad interrogata Phariſæorum quærentium, an liceret dimittere proprias vxores, & Chriſtus Dominus aſſeruit, non licere dimittere, niſi ex cauſa fornicationis, hancq; reſponſionẽ expreſsè non extendit ad maritos, quia ibi de illis non erat expreſſa interrogatio. Ad illud, quod ſubditur de maiori grauitate delicti, reſpondendum eſt, *cum D. Thoma in 4. diſt. 35. q. vnica art. 4.* pænas legales non ponderare in eodem genere maiorem grauitatem culparum, ſed dumtaxat cauſam ſufficientem ad talem pænam infligendam, ſic omnia homicidia puniunt pæna capitis, quamuis vnum ſit grauius altero; in adulterio autem, ſiue commiſſo à marito, ſiue ab vxore reperitur ſufficiens cauſa diuortij; cum æquum ſit, vt qui alteri fidem non ſeruauit, fidem ſibi nouerit fractam.

Soluuntur rationes oppoſitæ.

Hæc noſtra aſſertio pluribus in locis conciliorum, ſacrorum canonum, & SS. PP. auctoritate reperitur ſtabilita; Primo *in concil. Melinitano can. 17. relato in c. placuit 37. q. 7.*, Secundo ex Innocentio I. *epiſt. 2. ad Exuperium*. Tertio *ex D. Auguſtino lib. 1. de ſermone Domini in monte c. 28. ex D. Hieronimo Epiſt. ad Oceanum; ex D. Ambroſio prima ad Corinth. 7.*, & *alijs*.

Aſſertio IV. Hoc ius ad diuortium ex cauſa adulterij in altero coniuge, nec eſt, nec poteſt contraria conſuetudine abrogari, quod intellige, ſiue in ordine ad vxorem adulterantem, ſiue in ordine ad virum, quantumuis nonnulli aſſerant contraria conſuetudine eſſe abolitum ius vxoris ad dimittendum virum adulterantem, & inter cæteros ita ſentire videtur *D. Baſilius in ſuis canon. c. 9.*, & *21.*, totam tamen aſſertionem ſecundum ſuas partes communius videntur ſuſtinere ſcribentes in hac materia. 6

Hoc ius ad diuortium nequit contraria cõſuetudine tolli, nec etiã quoad vxorẽ.

Ratio ex ijs deducitur, quæ ſupra dicebamus, quia ſcilicet hoc ius dimittendi alterum coniugem fornicantem eſt naturale, & immutabile; quod autem naturale eſt, & immutabile nequit contraria conſuetudine tolli *§. ſed naturalis inſtit. de iure naturali*.

Solum hic remanet dubitandum, an ſaltem conſuetudine per aliquod tempus determinatum poſſit præſcribi ius quoad pænam criminalem, & ciuilem. Ex textu *in l. adult., C. ad leg. Iul. de adult.*, expreſsè colligitur tale ius præſcribi quinquennio, quod vtique verum exiſtimo, ſicuti de cæteris omnibus criminibus quoad talem effectum; nec propterea ex hoc ſequitur, quod etiam pro tali termino poſſit præſcribi ius ad diuertendum à matrimonio; non, inquam, ſequitur, quia ius quoad pænam criminalem, & ciuilem inductum eſt de iure ciuili, quod propterea præſcriptione à iure præfinita poteſt tolli; ius autem quoad ſeparationem eſt naturale, quod propterea &c. 7

Poteſt tamen præſcribi ius quoad pœnam criminalem, & ciuilẽ.

Aſſertio V. Non eſt neceſſe ad celebrationem diuortij, vt ex parte innocentis præmittatur monitio de abſtinendo ab adulterio. *Barboſa l. 2. part. 1 num. 98. ff. ſolut. matrimon.*, *Sanchez de Matrimon. lib. 10. diſp. 3. num. 8.* 8

Non eſt neceſſe ad diuortiũ, quod ex parte innocentis præmittatur monitio,

Ratio ex eo deducitur, quia ius ipſum, quod competit coniugi innocenti interpellat pro diuortio, nec iura exigunt

hanc

Digitized by Google

hanc monitionem præuiam. Quod, ſi dixeris *in auth. vt liceat matri, & auia §. quia vero plurimas verſ. ſi quis in ſua domo col.8.*, præſcribi non poſſe vxorem mittere repudium viro adultero, niſi prius eum moneat; tunc dicam, diuerſam eſſe rationem de repudio, ac de diuortio, nam in primis quoad repudium erat ſolum permiſſum maritis dimittere vxores, non verò è contra; quoad diuortium, verò coniuges ſunt pares. Deinde allegatus textus ſolum innuit quoad repudium, quod vt vxor dimittat maritum adulterum, indigeat præuia admonitione, non verò quod maritus, vt dimittat vxorem, indigeat tali præcedenti admonitione; quod fortè ea cauſa inductum eſt, quia eſt grauius delictum vxoris, quam mariti.

SECTIO II.

An ſolum ex adulterio inducatur ius diuortij, an verò ex quocunq; alio actu libidinoſo extra vſum matrimonij.

SVMMARIVM.

Per ſolam voluntatem efficacem, & ſenſibilem fornicandi non contingit ius ad diuortium. 1.

Nec per ſolam fornicationem inchoatam per oſcula, & amplexus, & etiam conatum ad copulam. 2.

Nec per fornicationem, qua maritus non ſeminauit intra vas fœminæ, vel vxor non recepit ſemen adulteri. 3.

Nec per crimen ſodomiæ ab altero commiſſum. 4.

Nec per actum ſodomiticum inter maritum, & vxorem. 5.

Nec per crimen beſtialitatis. 6.

QVamuis textus Euangelicus in illo *Matthæi* 5., & 19., hoc ius ad diuortium expreſsè tantum concedat proptèr fornicationem; & quamuis regularitèr loquendo leges pænales reſtringantur ad verborum formam, quibus concipiuntur, nec extendantur vlterius, quia tamen alij actus libidinoſi extra coniugium videntur deformitatem quandam contra fidem matrimonij præferre, quæ eſt ratio, proptèr quam proptèr fornicationem permittitur diuortium, non incongruum erit in præſenti omnes, & ſingulos actus recenſere, ex quibus poteſt conſurgere dubium, an inducant ius ad diuortium.

Hic occurrit ſermo primo de voluntate fornicandi, quantumuis aliquo ſigno extrinſeco manifeſtata. Secundo, de fornicatione non quidem conſummata, cum de ipſa actum fuerit in præcedenti, ſed incohata puta per oſcula, & amplexus, vel fortè etiam per conatum ad eandem copulam, ſeu fornicationem. Tertio de eadem fornicatione conſummata ex parte vnius dumtaxat, & non alterius. Quarto, de ſodomia commiſſa cum altero à proprio coniuge, ſiue fuerit actiua, ſiue paſſiua. Quinto, de ſodomia commiſſa inter eoſdem coniuges. Sexto de crimine beſtialitatis.

Articuli examinandi circa præſentem titulum.

Aſſertio I. Per ſolam voluntatem quantumuis efficacem fornicandi in altero coniuge non conſurgit ius ad diuortium; quod intellige, quantumuis illa voluntas efficax fuerit aliquo ſigno extrinſeco, & ſenſibili, puta verbis, aut nutibus manifeſtata. *Abulenſis c. 5. Matthæi q. 233., Aſtenſis in ſumma part. 2. lib. 8. tit. 11. art. 3. q. 9., D. Antoninus 3. part. tit. 1. c. 21. §. 2., Siluester verb. diuortium q. 7., Sotus in 4. diſt. 36. q. vnica artic. 1. verſ. vtrum verò, & alij ſcribentes communitèr.* 1

Non ſufficit ad diuortium ſola voluntas fornicandi quantumuis ſenſibilis.

Facilè euincitur, quia per illam voluntatem efficacem adulterandi committit quidem peccatum fornicationis coram Deo, non tamen ipſum exequitur coram hominibus, nec per illam infert matrimonio damnum, nec caro coniugis diuiditur cum adultero, quod principalitèr conſiderarunt iura inducentia ius ad diuortium. Dixi *etiam, ſi talis voluntas eſſet aliquo ſigno ſenſibili manifeſtata*, quia nec voluntas ipſa, vt mox probaui, nec ipſa manifeſtatio ſecundum ſe, quãdo voluntas non coniungitur cum effectu, inducit culpam talem, quæ inferat damnum matrimonio, nec inuoluit diuiſionem carnis; Neq; obeſſe poteſt, ſi afferatur, quod voluntas illa ſic determinata, & manifeſtata iniuriam maximam inferat marito, cum indicet alienationem animæ eiuſdem vxoris ab eodem marito, & propenſionem ad adulterum; Non, inquam, obeſſe poteſt, quia non quæcunque iniuria illata per vxorem marito tribuit ius ad diuortium, ſed illa dumtaxat, quæ eſt cum damno matrimonij, & cum diuiſione carnis, niſi ſit in aliquo alio genere per iura ſpecialitèr determinatum, quod non militat in præſenti hypotheſi, in qua nihil eſt definitum quoad voluntatem fornicandi præcisè, quando non coniungitur cum effectu.

Non quæcunque iniuria ſufficit ad diuortiũ.

Aſſertio II. Per fornicationem ſolummodo incohatam per oſcula, & amplexus, quinimmo etiam per conatum ad copulam non tribuitur ſufficiens ius coniugi innocenti ad diuortium *Couaruuias 4. decret. 2. part. c. 7. §. 6. nu. 3., Ludouicus Lopez 1. part.* 2

Nec fornicatio incohata etiam per conatum ad copulam.

I. part. inſtruct. c. 295. §. ad hac quæſtio hac Sotus in 4. diſt. 36. q. vnica art. 1. vers. vtrum verò Sanchez de matrim. lib. 10. diſp. 4. n. 12., vbi alios innumeros refert.

Ratio ex eo deducitur, quia potiſſima ratio, ob quam inductum eſt ius diuortij, eſt proptèr carnis diuiſionem, quæ conſequitur ex adulterio, proptèr quam in re læditur ipſum matrimonium, oritur prolis incertitudo, perſona quoad vſum vni obſtricta contra fidem datam alteri communicatur, ſed per ſola oſcula, amplexus, & conatum ad copulam non oritur carnis diuiſio, nec in re læditur ipſum matrimonium, nec oritur prolis incertitudo, vt per ſe patet, ergo &c. Confirmatur primo, quia pœna affixa delicto conſummato non intelligitur affixa præparatorijs ad idem ſecundum ſe ſumptis, quandoquidem pœnæ ſunt ſtrictè interpretandæ, non extendendæ, ergo &c. Antecedens clarè euincitur ex l. ſæpè ita in fin. ff. de verb. ſignific.

Neque obeſſe poteſt primo, ſi aſſeratur, quod Patri permittatur filiam in oſculis, & amplexibus inuentam necare per textum in l. quod ait lex in princip. ff. ad leg. Iul. de adulter., vbi hoc ſtatuit expreſſius Gloſa in verb. in ipſis, ergo à fortiori maritus poterit ab vxore diuertere quoad thorum, & habitationem, ſi illam cum alio inuenerit in oſculis, & amplexibus, & multò magis in conatu ad copulam. Non, inquam, obeſſe poteſt, quia allegatus textus ſolum loquitur, quando filia deprehenditur in ipſis actibus venereis, hoc eſt in ipſa actus turpitudine, vt benè explicat Sanchez de matrimon. lib. 10. diſp. 4. n. 12. in reſponſione ad quartum allegato Barboſa in l. 2. in princip. part. 1. nu. 71. ff. de verb. ſignific., quamobrem gloſa ibidem extendens etiam pœnam, quando in ſolis oſculis, & amplexibus reperitur non eſt audienda. Fortior dubitandi ratio in hoc genere tunc eſt, quando reperitur in conatu ad copulam; ſed in hac etiam hypotheſi dupliciter poſſumus Philoſophari; vel etenim conſtaret adfuiſſe dumtaxat conatum, & non complementum; vel non conſtaret; ſi apertè conſtaret, certum eſt ex illo conatu non conſurgere ius ad diuortium, quia non conſurgeret carnis diuiſio, & ſolum eſſet attentatio talis diuiſionis, & hoc in fortioribus terminis euincitur ex illo, quod docet Sanchez de matrim. lib. 10. diſp. 4. n. 13., vbi aſſerit, quod poſita etiam vaſis penetratione ſine ſeminis emiſſione non ſit iuſta cauſa diuortij, quia non ſit carnis diuiſio; ſi vero non conſtaret, tunc ex præſumptione in foro externo diudicandum foret pro iure ad diuortium, quia talis actus regularitèr connectitur cum effectu, ſecundum tamen rei veritatem, & in foro interno non eſſet ius ad diuortium, quia in re non eſſet conſummatum delictum.

Inſtantia oppoſita, & diſſoluta.

Neque obeſſe poteſt, ſecundo, ſi aſſeratur, quod per huiuſmodi oſcula, amplexus, & conatum ad copulam maximè lædatur fama matrimonij, & irrogetur infamia marito, ratione cuius poterit maritus ab ipſa vxore recedere arg. textus in c. plerumque de donat. inter vir., & vxor., præcipuè, ſi fuerit vxori animus perueniendi ad adulterium Baldus c. tua n. 4. de Procurat. Non, inquam, obeſſe poteſt, quandoquidem in primis textus ille in c. plerumque de donat. inter vir., & vxor., ſi quid euinceret, euinceret ſolum, quod proptèr ſimiles actus vxor dotem amitteret, eamque maritus lucraretur, quæ pœna non eſſet etiam extendenda ad diuortium, quia in pœnalibus a rationis identitate non eſt facienda extenſio ab vna ad aliam pœnam, niſi facta ſit in ipſis legibus pœnalibus extenſio. Deindè, nec ex illo textu arguitur, quod proptèr illos actus vxor amittat dotem, illamque lucretur maritus, quia non quælibet iniuria eſt ſufficiens cauſa illius amiſſionis, & diuerſionis, ſed tantum ea, quæ coniungitur cum carnis diuiſione.

Alia inſtantia ſoluta.

Neque tandem obeſſe poteſt textus in l. conſenſu §. 1. C. de repud., vbi videtur ſatis innui, quod ſit ſufficiens cauſa repudij, & iacturæ dotis, quod vxor inſcio marito virorum conuiuijs interſit, ergo à fortiori erit ſufficiens cauſa, quod oſcula, & amplexus virorum, & conatum ad copulam patiatur. Non, inquam, obeſſe poteſt, quia ille textus non eo colimat, vt probat ex illo interuentu ad conuiuia virorum eruatur ſufficiens cauſa diuortij, & iacturæ dotis, ſed eo tendit, vt inferat ex illo interuentu proptèr circũſtantiam loci, & temporis, & perſonarum ſatis efficaciter, & præſumptiuè induci adulterium, quod poſtea eſt cauſa diuortij, & iacturæ dotis.

Alia inſtantia diſſoluta.

Aſſertio III. Per fornicationem alterius coniugis non conſummatam, hoc eſt per quam, ſi fuerit maritus, non effudit ſemen intra vas fœminæ fornicariæ, licet illud penetrarit, vel non recepit, ſi fuerit vxor, ſemen virile, licet ipſius vas fuerit penetratum, non inducitur ſufficiens cauſa diuortij ex parte innocentis. Conſentit Sanchez lib. 10. de matrimon. diſp. 4. n. 13., qui quæſtionem hanc apud neminem agitatam vidiſſe teſtatur.

3 Nec per fornicationem, qua maritus non ſeminauit vel vxor ſemen nõ recepit.

Ratio ex eo deducitur, quia per ſolam vaſis muliebris penetrationem ſine ſeminis effuſione, vel receptione non fit pre-

Digitized by Google

propriè inter fornicarios, & ſic congredientes vna caro per ſanguinum commixtionem, nec propriè diuiſio carnis coniugis fornicarij à carne alterius coniugis innocentis, ergo non inducitur ſufficiens cauſa ad diuortium.

Aſſertio IV. Per ſodomiam etiam non inducitur ex parte innocentis ſufficiens cauſa diuortij. Ita contra *D. Thomam in 4. diſt. 35. q. vnica art. 1. ad quartum, D. Antoninum 3. part. tit. 2. c. 21. §. 5., Sotum in 4. diſt. 36. q. vnica art. 1. verſ. vtrum vero, Sanchez de matrim. lib. 10. q. 4. n. 3., Veracrucem 3. part. ſpeculi art. 1. concl. 2., Ludouicum Lopez 2. part. inſtruct. de matrimon. c. 54., vbi de diuortio quoad habitationem paulo poſt principium verſ. quintus caſus, Aſtenſ. in ſumma lib. 8. tit. 11. art. 3. q. 6.* Ex iuris peritis contra *Abbatem in c. maritus num. 3. de adult., Ioannem Andream in c. diſcret. num. 5. de eo qui cognoſ. conſang., Henricum c. ſi vir num. 5. de adult.* Ita, inquam, contra præcitatos DD. ſuſtinent *Gloſa in c. omnes cauſationes verbo ſodomita 32. q. 1., Innocentius c. 1. de adult. num. 1., qui etiam dicit hanc opinionem eſſe communem, Florianus c. maritus eodem titul. Ludouicus Romanus rub ff. ſol. matrim. num. 20., Palatios in 4. diſt. 37. diſp. 3. col. 25. vers. verum etiam, & diſt. 35. diſp. vnica col. 5., & seqq. vers. vocant in dubium.*

4 Nec per crimen ſodomiæ ab altero commiſſum.

Ratio ex eo deducitur, primo quia per actum ſodomiticum propriè non conſtituuntur ſodomitæ in carne vna, quia per illum non fit ſeminum commixtio, ergo non inducitur ſufficiens cauſa diuortij, quandoquidem huiuſmodi cauſa refunditur ſolum in illam ſeminum commixtionem, per quam fit diuiſio carnis vxoris fornicantis à carne mariti; non enim diuiſio quomodocunque ſumpta poteſt inducere hoc ius diuortij, cæteroqui per ſimplicem pollutionem extra vſum coniugalem induceretur ius ad diuortium, quod communitèr negant, & etiam DD. aſſerentes, per actum ſodomiticum induci legitimam cauſam ad ſeparationem à toro, & habitatione; Neque obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, quod licet in actu ſodomitico propriè non reperiatur illa ſeminum commixtio, per quam conſtituuntur congredientes in carne vna, denegari tamen non poſſit, quin reperiatur illa carnis diuiſio, quæ aduerſatur matrimonio, cuius finis proprius eſt conſtituere vnam carnem, ſeu duo in carne vna; Non, inquam, obeſſe poteſt, quia diuiſio carnis, quæ requiritur ad ius diuortij, debet eſſe talis, vt conſtituat cum perſona, cum qua commiſcetur, vnam carnem, quod eſſe non poteſt per actum ſodomiticum, in quo non fit ſeminum commixtio, & propter hanc rationem in ſodomia non conſurgit affinitas inter conſanguineos eorum, qui ſodomiticè commiſcentur, quia inter ſe non oritur illa carnis vnitas. Cæterum, ſi quæcunque carnis diuiſio in altero coniuge induceret ius diuortij, induceret etiam, quando quis congrederetur cum beſtia, quod tamen negant plurimi ex DD. pro contraria opinione allegati.

Per actũ ſodomiticum non fit ſeminis commixtio.

Ratio ex eo deduci poteſt ſecundo, quia Chriſtus Dominus excludit ex quacunque cauſa diuortium Matthæi 19., præterquam ex cauſa fornicationis, ſed actus ille ſodomiticus non eſt propriè fornicatio, ergo ex illo non poteſt conſurgere ius. Neque obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, primo, quod ſodomia ſit grauius delictum adulterio per textum *in c. adulterij, & c. vſus 32. q. 7.*, ſecundo, quia nomine fornicationis quoad hunc effectum veniat quicunque illicitus concubitus, atq; illorum membrorum non legitimus vſus *ex D. Auguſtino q. 37. ad c. 23. Deuteronomij*, & refertur *in c. meretrices 32. q. 4.*, Non, inquam, obeſſe poteſt; non primum, quia ex maioritate delicti non benè arguitur inductum hoc ius ad diuortium, quandoquidem, vt docet *D. Thomas 2. 2. q. 154. art.* 12. omnia peccata, quæ ſunt in genere luxuriæ contra naturam, inter quæ computatur mollicies, ſunt grauiora adulterio, & tamen ex ſimplici mollicie non oritur ius ad diuortium, prout docent etiam contrariæ ſententiæ aſſertores; ſecundo, quia ratio, ob quam inducitur ius ad diuortium, eſt violatio fidei matrimonij; in hac autem conſideratione leuius lædit fidem matrimonij ſodomia, ac lædat adulterium, quia, vt notat *Caietanus 2. 2. q. 154. art. 12. dub. 1. ad fin.*, ſi vxor ſodomiam patiatur, ſola perſona, quæ eſt ſub dominio mariti, polluitur; per fornicationem autem, & perſona, & vas marito debitum violatur, ſi vero maritus actum ſodomiticum exerceat, etiam minus lædit fidem matrimonij, quia, quantumuis ſemen vxori debitum prodigatur, non tamen conſurgit proles ex aliena fæmina, quod grauiſſimè vxorem offendit, & filios ex matrimonio progenitos.

Aſſertio V. Per actum ſodomiticum commiſſum inter maritum, & vxorem non inducitur propriè ius diuortij *Roſella verbo matrimonium 7. num. 2., Silueſter verbo diuortium q. 7., Palacius in 4. diſt. 35. diſp. vnica art. 2. concl. 8., Sanchez lib. 30. de matrim. diſp. 4. num. 7., & 8., & alij magis communitèr.*

5 Nec per actum ſodomiticũ inter maritum, & vxorem.

Ratio ex eo deducitur, quia vel vxor paſſa eſt actum illum ſodomiticum volens,

lens,& conſentiens,vel renuens, & inuita, ſi volens, & conſentiens, iam ipſa nullum ius acquirit, quandoquidem eſt in eodem crimine, quo maritus ſodomiticè cum illa agens, & volenti, & conſentienti non fit iniuria, nec ex actu, quem ipſa voluit, aliquam actionem acquirit aduerſus exercentem illum actum; ſi renuens,& inuita;adhuc non habet ius diuortij, quandoquidem ratio fundamentalis diuortij eſt diuiſio carnis in alias fæminas ab vxore, vel in alios viros à marito, vt colligitur ex allegatis iuribus; maritus autem per actum ſodomiticum, quantumuis completum cum propria vxore non diuidit ſuam carnem in plures, ſed tantum in propriam vxorem, vt optimè notarunt *Roſella, Silueſter loc. cit., Caiet. in repet. c. ad limina 30. q. 1. §. 4. num. 212.*

Rationes pro aſſerto.

Neque obeſſe poteſt id, quod ex D. Ambroſio in illa verba *aut viro ſuo reconciliari*, quæ ſunt *Apoſtoli prima ad Corinth. 7.*, circunfertur nempe. *Si apoſtetur vir, aut vſum quærat vxoris inuertere, nec alij poteſt nubere vxor, nec reuerti ad illum.* Non, inquam, obeſſe poteſt,quia per allegata verba ſolum innuitur, & ad ſummum, quod propter ſimiles actus ſodomiticos poſſit ad tempus ſeparari, dum vir non reſcipiſcit; ſed hoc non eſt ex qualitate criminis, ſed ex inductione ad peccandum; nec propriè inducit diuortium,ſeu ius ad ipſum, ſed dumtaxat ius ad quandam temporaneam ſeparationem ad auertendum à tali crimine.

6 Aſſertio VI. Per crimen beſtialitatis probabilius non inducitur ius ad diuortium. *Abulenſis c. 5. Matthæi q. 253.*, licet ſibi metipſi ſit contrarius *in c. 19. Matthæi q. 64. in ſolut. ad tertium, & q. 66., & q. 70. in fin.* Rationes, quæ euincunt per actum ſodomiticum non induci ius ad diuortium, hoc in fortioribus terminis euincunt per actus beſtialitatis, quandoquidem non fit diuiſio carnis apta ad generationem; nec obſtat, quod grauius ſit crimen beſtialitatis, quam ſit actus fornicationis, & ſodomiæ, quandoquidem ex grauitate delicti non fit extenſio in pænalibus, vt ſupra probauimus. Addo, quod non ſit iuſta diuortij cauſa concubitus intra vas cum fæmina, aut beſtia mortuis, prout fatentur contrariæ ſententiæ aſſertores, & præcipuè *Sanchez de matrimonio lib. 10. diſp. 4. num. 14*, ergo, nec etiam concubitus cum beſtia viua. Conſequentia tenet, quia in ordine ad diuiſionem carnis,quæ eſt fundamentalis ratio diuortij,parum referre poteſt,quod beſtia ſit viua, vel mortua, cum illud ſemen, quod in eadem recipitur merè paſſiuè in eadem recipiatur, nec ad aliquid prodeſſe poſſit, ſiue illa ſit viua, ſiue mortua; ex quibus coludere poteris argumentum, quod circumfertur *ex Veracruce 3. parte ſpeculi art. 1. in probatione tertiæ concluſionis*, nempè, quod caro coniugis verè in aliam diuidatur,nempè in carnem beſtiæ, cui copulatur; eludere, inquam poteris,ſi aſſeras,non per quamuis carnis diuiſionem induci veram cauſam diuortij, ſed per illam dumtaxat, ex qua fit ſeminum commixtio apta ad generationem, cæteroqui per ſimplicem pollutionem fieret iuſta cauſa diuortij, quod tamen negant, & contrariæ ſententiæ aſſertores.

Per crimen beſtialitatis nō oritur ius ad diuortium.

SECTIO III.

Vtrum coniux innocens poſſit ab alio propria auctoritate diuertere ob fornicationem, ſeu adulterium.

SVMMARIVM.

Suppoſita certitudine ex parte coniugis innocentis de alterius adulterio, poteſt ex ſe illi denegare debitum. 1.
Proponuntur obiecta, & ſoluuntur. 2.
Si adulterium fuerit occultum in foro externo, nequit alter coniux ſeparari habitatione, ſecus ſi fuerit notorium. 3.
Ad priuationem poſſeſſionis in foro externo requiritur actus iudicialis. 4.
Spoliatus ex crimine occulto eſt reſtituendus. 5.
Sententia aſſerens reſtituendum eſſe ſolum quoad habitationem,non quoad debitum. 6.
Sententia aſſerens reſtituendum eſſe quoad omnia. 7.
Exponitur ſententia authoris. 8.
Coniux, qui propria auctoritate receſſit, quando delictum eſt occultum, ſi redeat, eſt reſtituendus. 9.
Vxor adultera, quæ ſua temeritate receſſit, non eſt per maritum quærenda. 10.
Vxor ſine cauſa eiecta à marito tenetur ad eumdem repetentem redire. 11.
Reſtitutio non eſt incontinenti facienda, ſi ſpolians incontinenti offerat probationes. 12.
Innocens ad impediendam reſtitutionem tenetur probare notorietatem delicti, & quomodo. 13.
Coniux innocens, vt poſſit tutè recedere, debet eſſe certus certitudine morali de alterius delicto. 14.
Nec ſufficit quæcunque ſuſpicio, ſed debet eſſe violenta. 15.
Quomodo haberi poſſit hæc violenta ſuſpicio. 16.
Reperiri ſolum cum ſola ſecundum ſe non infert efficacitèr fornicationem. 17.

Expli-

Digitized by Google

Explicantur aliæ circumſtantiæ, ex quibus inferri poteſt, vel non poteſt fornicatio. 18.
Per ſola oſcula, & amplexus non inducitur ſufficiens ſuſpicio adulterij. 19.
Plura referuntur, ex quibus non infertur ſufficiens ſuſpicio adulterij. 20.
Ad probandam hanc vehementem ſuſpicionem requiruntur teſtes non ſingulares. 21.

Conſiderationes circa titulũ.

DIuortium lato modo ſumptum poteſt dupliciter conſiderari; primo, quatenus dicit ius ad negandum debitum coniugale; ſecundo, quatenus dicit ius ad negandam cohabitationem. Iuxta vtramq; conſiderationem agemus hic, an coniux innocens propter alterius adulterium eidem denegare poſſet debitum coniugale propria auctoritate non expectata Iudicis ſententia, & an etiam poſſit ſimili auctoritate eidem denegare cohabitationem, & ipſum nocentem eicere, vel ab eodem recedere. Porrò ex ſuppoſitione, quod innocens poſſit vtrumque ex ſe ipſo præſtare inquiretur, quænam notitia ad legitimè diuortium, ſub vtroque ſenſu præſtandum requiratur.

I Coniux innocens poteſt ex ſe adultero denegare debitũ.

Aſſertio I. Suppoſita certitudine ex parte coniugis innocentis, quod alter adulterauerit, poteſt ex ſe, ſeu propria auctoritate eidem adultero denegare debitum, nec ad hoc requiritur Iudicis Eccleſiaſtici ſententia, nec facti notorietas. *Hoſtenſis c. porrò num. 3. de diuort. Præpoſitus c. de illa nu. 7. eod. tit., Aſtenſis in ſumma 2. part. lib. 8. tit. 11. art. 3. q. 17., Coaruuias 2. decret. 2. part. c. 7. §. 5. num. 11. in fin., D. Thomas in 4. diſt. 35. q. vnica art. 3. in corpore, D. Bonauentura ibid. art. vnico q. 3., D. Antoninus 3. part. tit. 1. c. 21. §. 5., Abulenſis c. 19. Matthæi q. 72., Graſſius 1. part. decis. lib. 1. c. 84. nu. 5., & alij magis communitèr* aduerſus *Innocentium c. penult. in fin. de adulter., Turrecrematam c. Agatoſa in fin. ſuper verb. vxorem 17. q. 2.*, in ea parte qua dicitur non requiri Iudicis ſententiam, & in ea, qua dicitur non requiri notorietatem facti aduerſus *Gloſam c. fin. verb. fornicationis paulò poſt principium de adult., Gofredum in ſumma tit. de diuortijs num. 5., Hoſtienſem c. inquiſitioni paulò poſt principium de ſent. excommunicationis, & alios*.

Illud ius negandi debitũ nõ eſt præcisè in pænam, ſed ex conditione contractus.

Probatur aſſertio in vniuerſum, quia ius illud, quod habet innocens ex adulterio alterius non eſt præcisè in pænam delinquentis, ſed ob conditionem implicitè imbibitam in ipſo contractu matrimonij, vt ſi fidem alteruter non ſeruauerit, eidem fides non ſeruetur, ergo eadem conditione non ſeruata innocens liber erit ab obligatione ſeruandi eidem fidem in reddendo debito. Conſequentia probatur, quia contractus initus ſub conditione de futuro eadem conditione non ſeruata non obligat quoad ea, quæ ſolubilia ſunt. Confirmatur, quia quantumuis daremus, quod diuortium quoad debitum eſſet pæna, adhuc tamen non exigeret ſuppoſita certitudine delicti, reſpectu innocentis, nec ſententiam Iudicis, nec notorietatem facti, quandoquidem hæc pæna eſt præcisè in fauorem innocentis, & adimplenda per ipſos contrahentes priuatim, & occultè, & conſiſtit in mera negatione reddendi, ergo &c. Ex quibus reſpondere poteris primo ad argumenta, quæ afferunt pro opinione requirente Iudicis ſententiam ſita in eo, quod negare debitum eſt pæna adulterij, vt aſſerit *Gloſa in c. porro vers. ſeparari de diuort.*, pæna autem eſt per Iudicem iniungenda; cæteroquin idem coniux innocens eſſet ſimul actor, & Iudex; item in eo, quod nemo poteſt ius ſibi dicere in cauſa propria *l. nullus 13. C. de Iudæis l. vnica C. ne quis in ſua cauſa iud.*, item in eo, quod huiuſmodi pæna diuortij eſt conuentionalis, quandoquidem contractus matrimonialis ea lege initus eſt, vt fides ſeruetur ſeruanti, non ſeruanti non ſeruetur; pæna autem conuentionalis non debetur ante Iudicis ſententiam, vt magis communitèr docent DD. allegati *à Sanchez lib. 1. de matrimon. disp. 37. n. 4.*, Tandem in eo, quod lex generalis non applicatur caſui particulari, niſi interueniente Iudicis ſententia; Reſpondere, inquam, poteris ad primum iuxta ſuperius dicta, quod ſcilicet non habeat præcisè rationem pænæ, ſed etiam conditionis implicitè imbibitæ in ipſo contractu matrimoniali, qua propterea non poſita liberum eſt innocenti ab onere aſſumpto recedere; qua ſtante reſponſione ceſſat etiam obiectum, quo dicitur, quod idem eſſet ſimul actor, & Iudex; ceſſat, inquã, obiectũm, quia, cum hic verſemur non præcisè in pænalibus, ſed in conditionalibus, non debemus conſiderare, nec rationem actoris, nec Iudicis, ſed præcisè ius, quod habet coniux innocens ob conditionem non adimpletam; Hoc idem reſpondere poteris ad id, quod obijciebatur ſecundo loco, quod ſcilicet nemo poſſit ſibimet ipſi ius dicere; non enim in controuerſia propriè ſibi ius dicit, ſed tantum vtitur iure, quod ſibi competit ex conditione implicitè adiecta in celebratione contractus. Ad illud, quod ſubditur, quod ſcilicet ſit pæna conuentionalis, adeoque exigat Iudicis ſententiam, reſpondendum eſt conuentionem in contractu duplicitèr poſſe conſiderari, vel quatenus præcisè pendet à vo-

2 Proponũtur obiecta oppoſita, & ſoluuntur.

Digitized by Google

voluntate contrahentium ,qui illam cõuentionem, ſeu conditionem adiecerunt, quæq; non eſt imbibita in natura contractus, vel quatenus includitur ſuaptè natura in contractu, tanquam conditio; hæc pena de qua hic agitur non eſt conuentionalis iuxta primum ſenſum, ſed dumtaxat iuxta ſecundum; ad pænam conuentionalem iuxta primum ad ſummum requiritur Iudicis ſententia; non ſic ad pænam conuentionalem iuxta ſecundum. Ad vltimum tandem dicendum eſt, legem generalem pænalem, quæ habet præciſè rationem pænæ, non eſſe applicabilem caſui particulari niſi per Iudicis ſententiam regularitèr loquendo non autem legem generalem, quæ fundetur in conditione implicitè annexa contractui.

Aſſertio II. Si adulterium alterius coniugis ſit occultum, quantum pertinet
3 Si adulterium fuerit occultũ, nequit alter coniux habitationem relinquere ex ſe, ſecus, ſi fuerit notorium.
ad forum externum, non poteſt coniux innocens propria auctoritate non expectata Iudicis ſententia, vel recedere, vel expellere nocentem, ſeu reum quoad habitationem; ſi verò adulterium fuerit notorium poteſt, vel recedere, vel expellere, dummodo ſit talitèr notorium, vt nulla tragiuerſatione poſſit cælari; quãtum verò pertinet ad forum internum animæ poteſt ab habitatione recedere, quantumuis adulterium fuerit occultũ, dummodo tamen innocens fuerit certus de eodem adulterio. Quoad primam partem aſſentiri arbitror ex Theologis *D. Thomam in 4. diſt. 35. q. vnica art. 3., Durandum ibid. q. 1. art. 2. nu. 7., D. Bonauenturam art. vnico q. 3., Abulenſem c. 19. Matthæi q. 72. in corpore, Bellarminum lib. 1. de matrimon. c. 14. §. ſecundum eſt, Graffium 2. part. decis. lib. 1. c. 12. n. 66. in fine*, ex Iuriſtis *Gloſam in c. porro verb. ſeparari de diuort., & c. gaudemus verb. ceciderunt de conuer. coniug., Antonium capit. fin. num. 8. in fin. de adult., Turrecrematam c. Agatoſa in fin. ſuper verb. vxorem 27. q. 2., Hoſtienſem d. c. porro de diuort.*, qui quamuis omnes videantur loqui indefinitè requirentes ſententiam Iudicis ad talem receſſum non diſtinguentes, an adulterium fuerit occultum, an notorium, nec quoad forum externum, nec quoad internum, intelligendi tamen ſunt de adulterio occulto in ordine ad forum externum, vt rationes infra ponendæ euincent. Quoad ſecundum expreſsè conſentiunt *Gloſa in c. 1. verbo patronus 32. q. 1., Innocentius c. inquiſitioni n. 1. de ſent. excommun., & in c. ſignificaſti num. vnico de diuort., Natta conſ. 116. nu. vnico, Coaruuias 4. decret. 2. part. c. 7. §. 5. n. 15.* ex Theologis *Maior. in 4. diſt. 35. q. 1. §. contra priorem concluſionem, & ibi Paludanus q. 1. art. 4. concl. 2. n. 28., D. Antoninus 3. part. tit. 1. c. 21. §. 5., Ludouicus Lopez 2. part. inſtruct. de matrim. c. 54., vbi de diuortio quoad habitationem col. 2.* Quoad tertiam *Abbas c. fine n. 6. de adult., Natta conſ. 115. nu. vnico, Nouarrus lib. 4 conſil. tit. de conuerſ. coniug. in priori edit. conſ. 5. in fin. in poſteriori conſ. 14. in fin., Barboſa rub. ff. ſolut. matrim. 2. part. nu. 26.* Ex Theologis *Henriquez lib. 11. de matrim. c. 17. n 2., Bellarminus lib. 1. de matrimon. c. 14 verſ. ſecundum eſt, Sotus in 4. diſt. 36. q. vnica art. 3. ad fin. corporis, Palatios in 4. diſt. 27. diſp. 3. col. 15. verſ. ait forſan rogitas*, In vniuerſum aſſertionem ſuſtinet *Sanchez de matrimon. lib. 10. de diuortio diſp. 12. num. 14., 25., & 31.*

Prima pars ex eo facilè poteſt deduci, quod in foro externo nemo priuandus eſt poſſeſſione, qua legitimè gaudet ſine citatione, & actu iuditiali *c. licet Epiſcopus* 4 Ad priuationẽ poſſeſſionis requiritur in foro externo actus iudicialis.
de prabend. in 6., & latè probat Menochius de recuperanda poſſeſ. tom. 1. n. 111., quod potiſſimum intellige, quando priuatio intenditur ob delictum, & delictum ipſum in foro externo non eſt probabile, niſi per actus iudiciales, ergo cum coniux quantumuis delinquens per adulterium ſit in poſſeſſione habitationis cum altero coniuge innocente in eadem erit manutenendus quantum pertinet ad forum externum, niſi delictum fuerit, vel per ſententiam declaratum, vel ex ſe plenè notorium.

Secundo ex eo poteſt euinci, quod, ſi coniux innocens ob adulterium occultũ ſe retraxerit ab habitatione cum coniuge delinquente, vel à ſe ipſum delinquentem retraxerit ſit reſtituendus coniugi ſpoliato, nec ſit admittendus ad excipiendum 5 Spoliatus ex crimine occulto, eſt reſtituẽdus.
de adulterio, niſi ad priſtinum ſtatum reſtituatur, prout expreſſa iura clamant *in c. 2. c. in literis c. ex conqueſtione c. item cum quis de reſtit. ſpoliat.*, ergo, nec poteſt ſe extrahere a coniuge delinquẽte quoad habitationem, nec coniugem delinquentem à ſe ipſo dimittere; ſi enim poſtquam ſe ipſum extraxit ab ipſo, vel ipſum dimiſit, tenetur ſe ipſum, antequam admittatur ad exceptiones, reſtituere, vel ipſum ſibi admittere, ex directo ſequitur, quod non potuerit ſe ab illo, vel illum à ſe ipſo retrahere; ſi enim potuiſſet legitimè ſe ipſum ab illo retrahere, vel è contrà, vtique non teneretur, nec ſe ipſum alteri, vel alterum ſibi ipſi reſtituere. Confirmatur ex illo communi Iuriſtarũ effato, quod *turpius eijcitur, quam non recipitur hoſpes*, ergo è conuerſo, ſi poſtquam dimiſſus eſt, debet recipi, à fortiori, non poteſt dimitti.

Diſputant hic primo aliqui, an ſpoliatus

Digitized by Google

liatus propria auctoritate innocentis propter adulterium occultum quoad forum externum ſit reſtituendus abſolutè quoad omnia, hoc eſt, tum quoad habitationem, quam quoad debitum ſibi reddendum, an verò ſolum quoad habitationem. Tancredus *c. 1. nu. 3. 33. q. 2.*, *Riccardus in 4. diſt. 35. art. 1. q. 3.*, *Aſtenſis in ſumma 2. part. lib. 8. tit. 11. art. 3. q. 17.*,
6 *Sententia aſſerens reſtituendum eſſe ſolũ quoad habitationem, nõ quoad debitum.* non improbant illorum opinionem, qui aſſerunt reſtituendum eſſe quoad habitationem, non autem quoad onus in innocenti reddendi debitum; mouentur potiſſimum ea ratione, quia conſtante innocenti de certitudine adulterij ius habet per ſuperius dicta in prima aſſertione propria auctoritate negandi reo debitum coniugale, ergo, quamuis non poſita notorietate facti, poſſit compelli ad cohabitandum, non poterit tamen compelli ad reddendum debitum. Sanchez *de matrimon. lib. 10. diſp. 12. num. 15.*, *Albericus in ſuo dictionario lit. M. verb. matrimonium 9. verſ. vlt.*, *Silueſter verb. matrimonium 10. q. 5.*, *& alij* docent, poſſe compelli ad omnia, tum ſcilicet quoad habitationem, quam quoad reddendum debitum, quod pluribus rationibus probant, primo, quia loquendo in foro externo eſt iniuſta ſpoliatio quoad omnia. Secundo *ex c. literas de reſtit. ſpol.*, vbi ſpe-
7 *Sententia aſſerens reſtituendum eſſe quoad omnia.* cialiter prohibetur, quando oppoſita eſt nullitas matrimonij, compulſio ad redditionem debiti, licet quoad alia omnia facienda ſit reſtitutio, & talis prohibitio eſt propter periculum fornicationis, ergo cum in noſtra hypotheſi non vrgeat periculum fornicationis, vtique poterit eſſe compulſio etiam ad redditionem debiti. Quid ergo hac in controuerſia concludendum? Sentio poſſe ſolum compelli quoad habitationem, non autem quoad debitum reddendum. Conſonat
8 *Exponitur ſententia auctoris.* cum ijs, quæ dicta ſunt in prima aſſertione, quandoquidem conſtante innocenti de alterius adulterio plenum ius habet eidem denegandi debitum, quod non ſolum prouenit in pænam, ſed etiam ex conditione implicitè imbibita, quod, ſi alter fidem non ſeruauerit, nec eidem fides ſit ſeruanda, nec ad hoc exigatur ſententia Iudicis, nec facti notorietas; vnde non video, qua conſequentia procedat *Sanchez lib. 10. de diuortio diſp. 12.* dum *num. 5.* aſſerit coniugem innocentem certum de alterius adulterio eximi ab onere reddendi debitum, nec ad id deſiderari ſententiam Iudicis, nec notorie-
Arguitur Sanchez inconſequentiæ. tatem delicti, dum modo *d. diſp. 12. nu. 15.* aſſerit expreſſis verbis, quod poſſit compelli ad reddendum debitum; ſi enim eximitur intuitu conditionis implicitè imbibitæ ab onere illius debiti, quomodo poteſt compelli ad illud reddendum? Quod, ſi dixerit ea, quæ dixit *num. 5.* procedere tantum in foro interno, ea vero, quæ dixit *num. 15.* procedere in foro externo, ſtatim impugnabitur, quia, cum in primo caſu excludat notorietatem facti, & ſententiam Iudicis, vtique intelligendus eſt, quod quæſtionem inſtituerit etiam pro foro externo, nam pro foro interno præcisè non eſt dubium, quod *Soluuntur rationes oppoſitæ.* non requiratur notorietas facti, nec Iudicis ſententia ſuppoſita certitudine delicti. Deinde ad quid agens de iure recedendi, vel expellendi adulterum quoad habitationem diſtinguit quoad forum internum, & quoad externum, & quoad hoc requirit notorietatem facti, vel ſententiam Iudicis, non quoad illud; agens vero de iure denegandi debitum propter adulterium, ſine vlla prorſus diſtinctione innocentem eximit ab onere reddendi, ſi voluiſſet pari paſſu procedendum eſſe? Ad rationes, quæ pro Sanchez afferebantur nunc reſpondendum eſt, & quidem ad primum dic in ordine ad reddendum debitum non eſſe iniuſtam ſpoliationem, ſed merum exonus proprium propter fidem ſibi non ſeruatam, ſeu non adimpletam conditionem, quod, cum fiat priuatim, & inter ipſos contrahentes, non exigit illam ſolemnitatem dimiſſionis, vel per ſententiam Iudicis, vel per notorietatem facti, ſicuti exigit dimiſſio quoad habitationem, quæ cum ſit palam, pro foro externo exigit huiuſmodi ſolemnitatem. Ad ſecundam deductam *ex c. literas de reſtitut. ſpol.* dicendum eſt, ibi dici faciendam eſſe reſtitutionem quoad alia omnia præter coniugale debitum addita ratione excluſionis eiuſdem debiti coniugalis propter periculum ſcilicet fornicationis, quia erat controuerſia, an illud matrimonium ſubſiſteret propter exiſtentem, vel non exiſtentem conſanguinitatem inter coniuges, nec certo conſtabat de tali conſanguinitate, & cognitio pertinebat ad Iudicem; hic autem certo conſtat innocenti de exiſtentia alterius adulterij, & quoad ius denegandi debitum reo reſpectu innocentis, iuxta ſuperius dicta innocens ſuppoſita certitudine non dependet à notorietate facti, nec à ſententia Iudicis.

Diſputant hic ſecundo alij, an ſi alter ex coniugibus propria auctoritate receſſerit, ſit ipſi redeunti reſtitutio concedenda quoad habitationem? ſecundum duplicem ſenſum hæc quæſtio poteſt agitari; vel etenim ille, qui propria auctoritate receſſit, eſt adulter, vel innocens; Aliqui, inter quos *Ramerius relatus ab Ar-*

chidia-

Digitized by Google

chidiacono c. de Benedicto 32. q. 1. n. 1., ſentiunt abſolutè non eſſe eidem concedendam reſtitutionem, quandoquidem ille, qui propria auctoritate receſſit, non eſt ſpoliatus, ſed ille, à quo receſſit. Nihilominus probabilius cenſendum eſt, ei-

9 **Coniux qui ob delictum occultum propria auctoritate receſſit, ſi redeat, eſt reſtituendus.**

dem faciendam eſſe reſtitutionem, prout ſentiunt *Gloſa c. ſignificaſti verbo materiam de diuort. Speculator tit. de ſponſalib. §. fin. n. 3., Ioannes Andræas c. plerumq; de donat. inter vir, & vxor, D. Antoninus 3. part. tit. 9. c. 8. in fin., Silueſter verb. matrimonium* 10. *q. 3.* Quoad innocentem, qui propria auctoritate ob alterius adulterium receſſit vix eſt difficultas, quandoquidem, quamuis ipſe ob adulterium occultum alterius ius habeat recedendi, vel alterum nocentem dimittendi, non amittit tamen ius, vt, ſi velit, alter teneatur cum ipſo habitare, quandoquidem ius diuortij eſt in fauorem innocentis, non delinquentis, ergo non obſtante, quod ipſe receſſerit, ſi redierit, alter tenebitur cum ipſo habitare, &, ſi renuerit, poterit compelli ad habitandum; neque obeſſe poteſt receſſus ille voluntariè factus, quaſi quod per illum ceſſerit iuri ſuo; Non, inquam, obeſſe poteſt, quia, cum ius illud diuortij ſit præciſè in fauorem ipſius innocentis, non alterius, poteſt etiam ex interuallo cedere illi iuri, & ſicuti poſtquam nocentem dimiſſerit, poteſt eidem reconciliari, ita, poſtquam receſſerit, poteſt ſe illi reſtituere. Accedit, quod quantumuis in illo voluntario receſſu non poſſit dici in rigore ſpoliatus, in ſpontaneo tamen reditu, altero renuente habitare,

Eſſet ſpoliatus in negatione reſtitutionis.

dicitur in rigore ſpoliatus per textum *in l. clam poſſidere §. qui ad nundinas ff. de acquirend. poſſeſſ. l. ſi id quod §. fin. ff. de vi, & vi armata*, ergo erit in hac hypotheſi reſtituendus. Quoad adulterum vero propria auctoritate recedentem ex eo euincitur, quia eidem non eſt deneganda reſtitutio, nec intuitu adulterij, nec ratione ſpontanei, ſeu voluntarij receſſus; non intuitu primi, quia ob adulterium occultum in foro externo ante ſententiam Iudicis, vel notorietatem delicti non conceditur ſeparatio quoad habitationem per ſuperius allegata, & probata; non intuitu receſſus, quia nec per illum receſſum redditur notorium delictum, nec per ſimplicem receſſum datur ius ad diuortium, niſi ille receſſus coniungatur cum adulterio notoriè vero, vel notoriè rationabiliter præſumpto; Neque obeſſe poteſt textus *in c. de Benedicto 32. q. 1.*, vbi dicitur liberum eſſe marito recipere vxorem, quæ ob adulterium diuerterat; non, inquam, obeſſe poteſt, quia textus procedit dumtaxat, quando adulterium eſt abſolutè notorium, ratione cuius denegatur eidem vxori reſtitutio. Hic tamen nonuulla ſunt animaduerſione digna, & primo, quod, ſi vxor adultera ſua temeritate receſſerit, non teneatur eam quærere, quia redeunti ſpontè tenetur ſe reſtituere, quantum eſt in foro externo, non tamen illius ſe præbere exactorem, & hoc, quia facto proprio ſe adultera ſuo iure, ſuaq; poſſeſſione ſpoliauit. Secundo, quid dicendum ſit, quando vir vxorem ſpoliauit ſine cauſa eam è domo expellendo, an ſcilicet tunc, ſi eam repetat, ſit reſtituendus, quantumuis vxor eiecta renuat. D. Thomas *in 4. diſt. 41. in fine in expoſitione literæ*, negat reſtitutionem tunc faciendam eſſe, quia tunc vir non dicitur ſpoliatus ab vxore, ſed ſemetipſum ſua ſe ſpoliaſſe poſſeſſione; ad reſtitutionem autem requiritur, quod fuerit ab altero ſpoliatus; Alij tamen aſſerunt abſolutè reſtitutionem faciendam, quia, quando eam repetit, & vxor non annuit repetitioni cenſetur ſpoliatus; neq; obeſſe poteſt textus *in l. ſi quis vi §. deferentia ff. de acq. poſſeß.*, vbi dicitur, quod qui expellit, animo amittendi poſſeſſionem, eam recuperare non poſſit, quamuis animum recuperandi habeat; Non, inquam, obeſſe poteſt, quia hæc regula minimè locum habet in poſſeſſione quoad matrimonium, quæ quoquo modo imitatur naturam eiuſdem matrimonij, quæ ſolo conſenſu non diſſoluitur, nec ſolo facto amittitur, ita vt nequeat recuperari *Gloſa c. literas verb. diuers. tit. de reſtit. ſpoliatorum*, atq; huic opinioni probabilius adhærendum.

10 **Vxor adultera, quæ ſua temeritate receſſit, non eſt per maritum quærenda.**

11 **Si ſine cauſa vxor fuerit eiecta à marito, ſi ab eodem repetatur, tenetur redire.**

Quæ hactenus dicta ſunt de reſtitutione ſpoliati intelligenda ſunt ſolummodo, quando petit reſtitutionem, & ſpoliatus agit iudicio poſſeſſorio allegans ſpolium, & reſtitutionem; non vero, ſi agat petitorio, tunc etenim admittenda eſſet exceptio; rationem huius aſſerti adducit *Sanchez lib.* 10. *de diuort. diſp.* 12. *num.* 18., quia ſcilicet reſtitutio non conceditur, niſi petenti.

Diſputant tertio, an reſtitutio non ſit incontinenti ob adulterium occultum facienda, ſi ſpoliatus offerret incontinenti probationes commiſſi occulti adulterij. Probabilius hac in controuerſia crederem non eſſe reſtitutionem incontinenti faciendam, ſed exceptionem admittendam *D. Thomas in 4. diſt. 35. q. vnica art. 3., & ibi D. Bonauentura art. vnico q. 3., Abulēſis c. 19. Matth. q. 72., D. Antoninus 3. part. tit. 1. c. 21. §. 5., Sotus in 4. diſt. 36. q. vnica art. 3. concl. 2. in fin.*, & ex Iuriſperitis *Hoſtenſis in ſumma tit. de diuort. nu. 7. verſ. dicas, Caieta rep. c. ad limina* 30. *q.* 1. §. 4.

12 **Reſtitutio nō eſt incontinenti facienda, ſi ſpoliatus incontinenti offerat probationes.**

Digitized by Google

§.4. *num.216.* Concludentèr euincitur ex *textu in l.fin.C.quorum bonorum*, vbi excluduntur omnes exceptiones, quæ fruſtrandi iudicij cauſa, & differendæ reſtitutionis offeruntur -Ibi- *Omnibus fruſtrationibus amputatis*, ſed, quando offeruntur probationes incontinenti, non ſunt exceptiones cauſa fruſtrandi iudicij, nec differendæ reſtitutionis, quandoquidem de ijs immediatè conſtat, ergo &c. Confirmatur, quia in iure admittuntur probationes incontinenti in cauſis, quæ deſidorant celeritatem per textum *in l. ſi is à quo ff. vt in poſſeſſ.leg.*, ſed in cauſis, in quibus agitur de alterius coniugis adultera magna deſideratur celeritas in expeditione, vt per ſe patet, ergo &c.

Secunda pars aſſertionis ex eo deducitur, quia, cum agatur de ſpoliatione poſſeſſionis, quæ eſt de matrimonio ſecundum ſe omninò indiſſolubili, vtique exigitur omnimoda plena probatio, & talis, vt contraria exceptione non poſſit elidi, quandoquidem, cum poſſeſſio tanquam acceſſoria matrimonio ſapiat eius naturam, quæ eſt, vt nonniſi ex euidenti inualiditatis cognitione diſſoluatur *Gloſa c. literas verſ. diuertit de reſtitut.ſpoliat.*, *& ibi Ioannes Andræas n.19., & 20.*, *Antonius num.23.*, *Abbas num.9.*, *Innocentius c.vertens num.4.de regul.*, *Aſtenſis in ſumma 2.part.lib.8.tit.33.art.2. q.1.*, *Lancelotus inſtit.iuris can.lib.2.tit.de diuort. §.ergo, niſi legitima verſ. manet*, vtique non eſt auferenda, niſi plenè conſtante de veritate delicti, quod haberi nequit, niſi per notorietatem facti, quæ nulla tergiuerſatione poſſit cælari, vel per ſententiam Iudicis. Plurimum ad hoc facit textus *in c. porro de diuortijs*, vbi dicitur non poſſe quemquam diuertere à proprio coniuge ob notoriam conſanguinitatem abſq; Eccleſiæ ſententia; ſi ergo, vbi agitur de conſanguinitate, in qua, ſi vere adeſſet congreſſus, eſſet omnino fornicarius, non eſt facienda ſeparatio ob quamcunque notorietatem, multominus facienda erit, vbi agitur de adulterio alterius coniugis, (cum ex congreſſu cum adultero non poſſit eſſe fornicatio) ob quamcunque adulterij notorietatem, ſed ſolum ob notorietatem, quæ nulla poſſit tergiuerſatione cælari.

Non eſt auferenda poſſeſſio ſine plena notorietate.

Circa hanc ſecundam partem oritur hic difficultas, an, ſi innocens dimiſerit adulterum, & adulter agat ad reſtitutionem, ad impediendam eandem reſtitutionem teneatur innocens eandem notorietatem probare, & quomodo? Vtique ſentiendum eſt ad effectum impediendæ reſtitutionis teneri innocentem probare notorietatem, nõ quidem p teſtes, ſed vel per euidentiam rei, vel per adulteri ipſius in iudicio confeſſionem. Expreſsè colligitur *ex c.penult.num.4. de adult.*, vbi ſic legitur *Mandamus quatenus, niſi tibi conſtiterit, vel per euidentiam rei, vel per confeſſionem legitimam mulieris, quod adulterata ſponte fuiſſet, ipſam recipere compellas eundem*. Quod autem non ſufficiat probatio per teſtes, expreſsè deducitur primo ex eodem textu, vbi cum reſtringat probationem ad euidentiam rei, vel ad confeſſionem iuridicam partis videtur excludere aliam quamcunque probationem. Secundo, quia cauſa reſtitutionis eſt valde fauorabilis, multiſque affecta priuilegijs per textum *in c. fin. de ordin. cognit.*, per conſequens ita eſt radicata, vt non debeat infringi, niſi per probationes, quæ ſint ipſa luce clariores. Si autem inquiras quid importetur per ly, *per euidentiam rei*; Gloſa *in eodem textu verbo euidentiam* intelligit importari, quod mulier publicè fuerit fornicata, vel quod poſt receſſum à marito prolem ſuſceperit, quæ non potuerit eſſe a marito; ſed per ly, *quod mulier publicè fuerit fornicata*, non poteſt propriè intelligi ipſe actus fornicarius, quandoquidem, cum huiuſmodi actus non fiant palam, vix contingeret, quod ex eadem fornicatione poſſit agi ad reſtitutionem, cum vix poſſit contingere, quod fornicatio fiat palam; Intelligitur igitur, quod palam ipſa mulier habitet, & cubet cum alio à marito, vel omnibus videntibus ſit publicè proſtituta.

13 Innocens ad impediendam reſtitutionẽ debet probare notorietatem delicti, & quomodo.

Tertia pars ex eo deducitur, quia Chriſtus Dominus *Matthæi 5., & 19.* liberam facultatem conceſſit innocenti ex coniugibus alterum nocentem dimittere ex cauſa fornicationis ſine vlla prorſus diſtinctione, quod fornicatio fuerit occulta, ſiue publica, ergo vbi certo innocenti conſtet de alterius fornicatione, quantumuis hæc non fuerit publica, poterit idem innocens à delinquente, quantum pertinet ad forum conſcientię, ſeparari. Confirmatur, quia cauſa formalis, proptèr quam conceſſa eſt facultas dimittendi adulterum, eſt adulterium, ſeu fornicatio, notorietas autem eſt ſolum conditio, proptèr quam eſt punibile delictum in foro externo, ergo in foro interno, in quo purè attenditur veritas, poſita certitudine delicti poterit innocens à nocente recedere, vel ipſum dimittere.

In foro interno etiam, ſi delictum fuerit occultũ, poteſt innocens ſeparari.

Limitanda tamen eſt hæc tertia pars in caſu, quo per talem dimiſſionem, ſeu receſſum immineret ſcandalum, tunc etenim ad ipſum vitandum non poſſet ſine Iudicis ſententia recedere, ſeu alterum dimittere, prout aduertunt *Angles*

Niſi immineret ſcandalũ

Flori-

Digitized by Google

Floribus 1. part. de matrimonio q. 9. de diuort. art. 1. diff. 3., Graſſius 1. part. deciſ. lib. 2. c. 84. n. 5., & vnuſquiſq; ſcandalum tenetur in conſcientia remouere.

Difficultas poteſt eſſe ſolummodo in conciliandis duobus textibus iuris canonicis, qui videntur directè ſibi oppoſiti, alter eſt *in c. porrò*, alter *in c. ſignificaſti* vterque *ſub tit. de diuort.*, & quidem in primo textu dicitur, quod non liceat abſque ſententia Eccleſiæ diuertere ob notoriam conſanguinitatem, adeoq; multò minus ob notorium adulterium; in ſecundo autem dicitur, quod coniugi dimiſſo ob adulterium notorium ſit deneganda reſtitutio, & ſi eſt deneganda reſtitutio, iuſtè videtur facta dimiſſio; & ſuppoſita hac iurium contrarietate non videtur ſubſiſtere ſecunda pars noſtræ aſſertionis, in qua alternatiuè fuit dictum, quod ad hoc vt innocens poſſit ſeparari a nocente in foro externo propria auctoritate requiratur notorietas adulterij, vel per ſententiam Iudicis, vel per euidentiam publicam facti, ita vt nulla tragiuerſatione poſſit cælari; ſi enim abſolutè requiritur Eccleſiæ ſententia non habet locum textus *in c. ſignificaſti de diuort.*, vbi poſita notorietate facti dicitur non faciendam eſſe reſtitutionem coniugi dimiſſo; ſi verò talis ſententia non requiritur, non habet locum primus textus *in c. porro eod. tit. de diuort.*, vbi requiritur talis Eccleſiæ ſententia ad dimiſſionem, nec ſufficit notorietas facti. Sanchez *d. lib.* 10. *de diuort. diſp.* 12. *nu.* 38. plures explicationes ad conciliandos huiuſmodi textus adducit ex mente aliorum DD. quos ferè omnes refellit. Nobis hæc vna ſufficiat, vel altera.

Conciliātur duo textus oppoſiti.

Dic igitur primo in textu *in c. porro de diuort.*, dici ob notoriam conſanguinitatem non licere diuertere ſine Eccleſiæ ſententia ab altero coniuge, quia conſanguinitas illa poterat tragiuerſatione cælari puta per exceptionem diſpenſationis; in textu verò *in c. ſignificaſti* dici ob notorium adulterium dimiſſo coniugi adultero denegandam eſſe reſtitutionem adeoque iuſte dimiſſum eſſe, quia ſupponitur, quod non poſſit tragiuerſatione cælari. *Silueſter verb. diuortium qu.* 8., *Barboſa rub. ff. ſoluto matrim.* 2. *part. nu.* 26. Dic ſecundo cum *Sanchez d. lib.* 10. *diſp.* 12. *n.* 38. *in fine*, ideò *in c. porrò de diuort.* præter notoriam conſanguinitatem requiri Iudicis, ſeu Eccleſiæ ſententiam, quia ſeparatio propter eandem non ſolum tendit ad ſpoliandum coniugem dimiſſum poſſeſſione, ſed etiam proprietate, adeoq; eadem Eccleſia ſtrictiorem exigit indaginem; *in c. ſignificaſti*, non requiri præter notorietatem adulterij ſententiam Iudicis, quia per talem ſeparationem non ſpoliatur dimiſſus, niſi ad ſummum poſſeſſione.

14 **Coniux innocens, vt recedat debet eſſe certus certitudine morali de alterius delicto.**

Aſſertio III. Ad hoc, vt coniux innocens poſſit tutè in foro conſcientiæ diuertere ab altero ob adulterium debet eſſe certus de eodem adulterio non certitudine quidem metaphyſica, ſed morali, nec ſufficit quæcunque ſuſpicio, ſed requiritur violenta. Prima pars eſt *Vincentij in ſuo ſpeculo doctrinali tom.* 2. *lib.* 10. *c.* 41., *Aſtenſis in ſumma* 2. *part. lib.* 8. *tit.* 11. *art.* 3. *q.* 5., & aliorum apud *Sanchez d. lib.* 10. *de diuort. diſp.* 12. *n.* 40. Secunda pars eſt *Alexandri de Neuo in c. ſignificaſti n.* 3. *de diuort.*, *Hoſtienſis c. porro nu.* 2. *eod. tit.*, *D. Thomæ in* 4. *diſt.* 35. *qu. vnica art.* 3. *ad* 4., *D. Bonauenturæ in* 4 *diſt.* 32. *art.* 2. *q.* 2., *D. Antonini* 3. *part. tit.* 1. *c.* 21. §. 5.

Metaphyſica certitudo vix poteſt haberi.

Ratio primæ partis ex eo deducitur, quia, ſi requireretur certitudo metaphyſica, vix poſſet eſſe legitima cauſa dimiſſionis; cum etenim adulterium ſit ex illis criminibus, quæ non fiunt palam, ſed in locis abditioribus, vix poſſet innoteſcere, & quamuis in locis abditioribus plurima paterent, quæ poſſent inducere in cognitionem adulterij præſumpti, illud tamen metaphyſicè certo non inferret, vt ſi ſolus cum ſola in loco remoto, vel nudus cum nuda fuerint reperti; poſſet enim contingere, quod, vel ob impotentiam, vel ob aliquod aliud impedimentum actum non compleuerint, vel perfectè non ſeminauerint, ſicque vix poſſet haberi certitudo metaphyſica.

15 **Nec ſufficit quæcunque ſuſpicio, ſed debet eſſe violenta.**

Ratio ſecundæ partis deducitur ex *D. Hieronymo in c.* 19. *Matthæi*, vbi aſſerit, *Vbicunque eſt fornicatio, vel fornicationis ſuſpicio liberè dimittitur vxor*; hoc autem non intelligendum eſt de quacunque ſuſpicione, ſed de ſuſpicione, quæ ſufficiat ad condemnandum, qualis eſt ſolummodo violenta per textum *in c. afferre, & c. literis de præſumpt.*

16 **Quomodo haberi poſſit hæc violenta ſuſpicio.**

Difficultas ſolummodo eſt in explicando, quandonam habeatur, ſeu haberi præſumatur ſuſpicio violenta fornicationis, ſeu adulterij in altero coniuge. Textus *in d. c. literis de præſumptionibus*, ita loquitur in hac materia. *Solum cum ſola, nudum cum nuda in eodem lecto iacentem viderunt multis locis ſecretis, & latebris ad hoc commodis, & horis electis. Reſpondemus, quod ex huiuſmodi violenta, & certa ſuſpicione fornicationis, poteſt ſententia diuortij promulgari*; & ſi pro foro externo ex illis inditijs poteſt promulgari ſententia diuortij; nunquid non poterit ex eiſdem in foro interno poni ſeparatio, & debitum negari?

Sin-

Digitized by Google

Singula tamen, quæ in eodem textu continentur, perpendamus, & per varia dubia examinemus.

Dubitatur igitur primo, an cum dicatur, *Solum cum ſola, nudum cum nuda in eodem lecto multis locis ſecretis, & latebris ad hoc commodis, & horis electis*, hæc omnia intelligenda ſint copulatiuè, quatenus prima verba locum habeant, prout coniunguntur cum ſubſequẽtibus, vel disiunctiuè, quatenus locum habeant ſe ſolis? Reſpondeo igitur primo locum non habere illa prima verba, *Solum cum ſola*, ſi nudè ſecundum ſe ſumantur, *Aſtenſis in ſumma 2. part. lib. 8. tit. 11. art. 3. q. 5.*, *Nauarrus rub. de indicijs nu.* 10., & ratio eſt, quia exiſtentia ſolius cum ſola non ità moralitèr certò infert eorundem concubitum; & licet vulgaritèr dicatur *Solus cum ſola non reputatur dicere coronam*, non propterea infertur, quod reputentur committere, vel commiſiſſe fornicationem, ſed vel ad ſummum turpes confabulationes, vel oſcula, & amplexus habuiſſe, vel quid aliud. Reſpondeo ſecundo, quantumuis li *ſolus cum ſola* coniungatur cum loco abdito, non propterea infertur ſufficiens ſuſpicio fornicationis, ſeu adulterij commiſſi. Conſentiunt idem *Aſtenſis, & Nauarrus loc. cit.*, & ratio etiam eadem eſt, quia etiam per illam coniunctionem non proximè infertur, & violentè concubitus eorundem, quidquid ex aduerſo dixerit *Menochius de præſumpt. lib. 5. præſumpt. 41. num.* 11., qui pro ſe allegat *Gloſam in c. præterea verbo conſcios de teſtib., & atteſt.*, nec Gloſa allegata, quidquam ipſi prodeſt, quandoquidem eadem gloſa non loquitur in terminis nudæ exiſtentiæ ſolius cum ſola in loco abdito, ſed in terminis exiſtentiæ ſolius cum ſola in eodem lecto, vel nudi cum nuda, vt legenti ſit manifeſtum. Reſpondeo tertio, ſi exiſtentia ſolius cum ſola nõ ſolum coniugatur cum loco abdito, ſed etiam cum alijs circunſtantijs temporis, & perſonarũ, aliarumq; actionũ probabilius inferunt ſuſpicionẽ violentã fornicationis, ſeu adulterij *Nauarrus rub. de indicijs nu.* 10. Ratio eſt, quia licet ſingulæ ex illis circunſtantijs ſecundum ſe ſumptæ non inducant violentam ſuſpicionem, ſumptæ tamen ſimul, & copulatiuè efficaces ſunt ad inducendam illam ſuſpicionem, quia vna alteram conualidat, & ad inuicem roborantur ad conſtituendam vnam efficacem. Reſpondeo quarto, ſi ſolus, & ſola deprehendãtur in loco abdito ſe amplexantes, & oſculantes, & tandiu in eo loco abdito permanſerint, quandiu potuerint adulterium conſummare, eſt ſufficiens, & violenta ſuſpicio fornicationis commiſſæ. Ratio eſt, quia amplexus, & oſcula ſunt præambula ad coitum, & licet ſecundum ſe non valeant violentè, & efficaciter inducere ſuſpicionem eiuſdem, prout tamen coniunguntur cum loco ſecreto, & latebris ad hoc commodis, & hora non ſolum congrua ad huiuſmodi actus, ſed etiam ſufficienti ad conſummationem eorumdem, habent maximam vim moralem ad eandem inferendam. Dixi, *& tandiu in eodem loco abdito permanſerunt, quandiu potuerint adulterium conſummare*; nam, ſi pro tanto tempore ibi non permanſerunt, quantum ſufficere potuerit ad conſummationem, ceſſat præſumptio illius conſummationis, adeoq; &c.

17 Reperiri ſolum cũ ſola ſecũdum ſe nõ infert fornicationẽ.

18 Explicãtur aliæ circunſtãtiæ, ex quibus inferri poteſt, vel non poteſt fornicatio.

Dubitatur ſecundo, an ſi nudus cum nuda reperiatur non ſolum in eodem lecto, ſed etiam in loco abdito, & ſecreto efficaciter præſumatur pro adulterio, & fornicatione? Reſpondeo affirmatiuè, ſi tamen tantum temporis ibi permanſerunt, quantum ſufficere potuerit ad conſummationem; hoc videtur expreſsè inferre textus *in d. c. literis de præſumpt.*, & licet in eodem textu non ſolum apponantur illæ conditiones, ſed etiam aliæ ſcilicet *in eodem lecto, locis ſecretis, & latebris ad hoc commodis, & horis electis*, hæ apponuntur non reſtrictiuè, ſed ampliatiuè; cæterum illæ ſolæ ſufficienter inducunt ſuſpicionem; non enim ſupponuntur ſe denudaſſe ad captandam auram, nec ſe recepiſſe in loco abdito, vt nudi ſecretò orarent.

Quomodo haberi poſſit hæc violenta ſuſpicio per exiſtentiam nudi cum nuda.

Dubitatur tertio, an per ſola oſcula, & amplexus inducatur violenta, & ſufficiens ſuſpicio adulterij ad effectum, vt innocens poſſit diuertere à præſumpto adultero? Affirmant plurimi ex textu *in l. quod ait lex ff. ad leg. Iul. de adult.*, vbi dicitur, quod Pater filiam deprehenſam in huiuſmodi actibus poſſet occidere, ſicuti, ſi deprehenderet in adulterio. Secundo *ex c. nec aliqua 27. q. 1.*, vbi dicitur adulterum iudicari, & inferri ex actu impudico, & venereo, ſicuti ex conſummato. Nihilominus, quantum ad effectum, vt innocens poſſit diuertere, ſentiendum eſt per ſola oſcula, & amplexus non induci violentam ſuſpicionem adulterij *Iulius Clarus lib. 5. receptarum §. adulterium num. 16. verſ., & ſcias, Menochius de præſumpt. lib. 5. præſumpt. 41. num. 28., & ſeqq., Palacios in 4. diſt. 27. diſp. 3. verſ. ſed numquid ſuſpicio, Ludouicus Lopez prima part. inſtruct. c. 295. §. ſed ad hac quæſtio eſt.* Ratio ex eo deducitur, quia plures requirit conditiones textus *in d. c. literis de præſumpt.*, ac ſint oſcula, & amplexus;

19 Per ſola oſcula, & amplexus non inducitur ſufficiẽs ſuſpicio adulterij.

tum

tum quia textus *in l. 1. ff. de extraord. crim.*, *& in c. ſollicitatores de pæn. diſt. 1.* extraordinaria pæna imponitur ſollicitatoribus alienæ vxoris, etiam per oſcula, & amplexus, ergo ex oſculis, & amplexibus non præſumunt adulterium, ſeu fornicationem. Ad argumenta, quæ ex aduerſo afferebantur, nunc reſpondendum eſt; & quidem ad primum dico, ex eo textu non inferri ſuſpicionem efficacem, & violentam adulterij, ſeu fornicationis comiſſæ à filia, ſed tribui Patri poteſtatem impunè occidendi filiam deprehenſam in huiuſmodi actibus, ſicuti per alia iura eidem tribuitur poteſtas impunè occidendi filiam deprehenſam in adulterio. Ad ſecundum dicendum eſt, per eum textum ſolum inferri deprauatam voluntatem adulterandi, non actuale adulterium.

20 *Plura referuntur, ex quibus non infertur ſufficiens ſuſpicio adulterij.*

Ex his, quæ dicta ſunt, plura poteris inferre ad præſens inſtitutum valdè accomoda, & primo, quod non inferatur violenta hæc ſuſpicio per munera, nec per literas amatorias miſſa, ſeu miſſas per amaſium alienæ vxori, nec per literas miſſas ab eadem vxore ſuo amaſio, quamuis in ipſis prouocet ipſum ad ſecũ concumbendum, quia illa prouocatio arguit quidem adulterium futurum, ſeu animum adulterandi, non adulterium præſens, & actuale; Si autem eadem vxor in literis amatorijs directis ad amaſium, & repertis, ſeu interceptis per maritum annueret præteritum concubitum cum eodem Amaſio, tunc *Sanchez d. lib. 10. de diuort. diſp. 12. n. 48. in fin.*, docet non ſufficere ad inducendum ius in marito diuertendi, quia eſt confeſſio extraiudicialis, quæ non plenè probat, ſed tantum eſt indicium ſufficiens ad torturam; Sed non lubens acquieſcerem, quia quantum pertinet ad forum internum animæ non requiritur notitia iudicialis, ſed ſufficit etiam extraiudicialis, & cum verſemur in ijs, quæ difficilis probationis ſunt, vtique confeſſio oris proprij ſatis, ſuperque ſufficiens eſt, maximè, cum non ſit præſumendum, quod quis fatendo velit prodere famam ſuam.

Non per literas amatorias.

Secundo, inferre poteris non inducere ſufficiens ius ad diuertendum confeſſionem factam ab Amaſio extraiudicialitèr aſſerente ſe adulterium commiſiſſe cum aliena vxore, quia hæc confeſſio præſumitur ad iactantiam, & confeſſio in alterius præiuditium non multum confert per textum *in c. 1. de confeſſis, & c. ſignificaſti de adult., & l. fin. C. de accuſat.* Fateor tamen, quod ſi alia indicia concurrerent cum tali confeſſione, puta, ſi inter ipſos frequentia, & ſecreta colloquia intercesſiſſent, ſi dona data, & acceptata fuiſſent, & alia ſimilia, quod vehementèr inclinarent ad rationabilem credulitatem.

Nec per confeſſionẽ extraiudicialẽ amaſij.

Aſſertio IV. Quando agitur de dimiſſione coniugis adulteri ob adulterium violenta ſuſpicione præſumptum, ſeu certum certitudine morali, licet non metaphyſica in foro externo, huiuſmodi vehemens præſumptio, ſeu inditia, quibus inducitur violenta ſuſpicio, probanda ſunt per teſtes non ſingulares, ſed omni exceptione maiores *Burſatus conſ. 435. n. 39. vol. 4., Sanchez de matrimonio lib. 10. de diuort. diſp. 12. n. 51.* 21

Ad probandam hanc vehementẽ ſuſpicionem pro foro externo requiruntur teſtes non ſingulares.

Ratio ex eo deducitur, quia cum agatur de ſpolio poſſeſſionis, quæ eſt de contractu irreuocabili, quæq; ſequitur conditiones eiuſdem contractus, videntur requiri probationes in iure validiores, quales habentur per teſtes omni exceptione maiores, non per merè ſingulares, & ſicuti in alijs iudicijs teſtes ſingulares non plenè probant, ita, nec videntur probare in hoc iudicio, in quo agitur de poſſeſſione ſtrictiori tollenda.

SECTIO IV.

An, ſi maritus vxorem eiecerit, eique negarit alimenta, & vxor interim fornicata fuerit, habeat idem maritus ius ad diuortium.

SVMMARIVM.

Duplex ſenſus tituli. 1.
Rationes ſuadentes maritum ex illa fornicatione non poſſe diuertere. 2.
Ex eo, quod maritus iniuſtè vxorem eiecerit, eique negarit alimenta, non tamen ad finem, vt fornicaretur, ſi illa fornicata fuerit, non amittit maritus ius diuortij. 3.
Si vxorem eiecerit ea intentione, vt fornicetur, & ipſe inde poſſit diuertere, amittit ius ad diuortium. 4.
Soluuntur rationes oppoſita. 5.

SVB duplici conſideratione poteſt titulus examinari, primo quatenus maritus vxorem eiecerit, & alimenta negarit non ad eum finem, vt inde ſumeret vxor occaſionem fornicandi, ſed ad finem vindictæ ob aliquam aliam præſumptam iniuriam, vel ob alium titulum. Secundo, quatenus eiecerit, & alimenta negarit ea intentione, & fine, vt vxor fornicaretur, & ipſe ſumeret motiuum diuortij. 1

Duplex ſenſus tituli.

In ordine ad primam conſiderationem videtur prima fronte dicendum, maritum proptèr talem fornicationem vxoris non poſſe diuertere, quandoquidem per talem eiectio-

eiectionem, & negationem alimentorum fuit cauſa eiuſdem fornicationis, quam

2 Rationes ſuadentes maritum ex illa vxoris fornicatione, non poſſe diuertere.

vtique vxor non commiſiſſet, niſi fuiſſet eiecta, & eidem non eſſent negata alimenta, vndè ſibi debet imputare, quod illa deliquerit, nec ius aliquod poteſt acquirere ex actione, cui ipſe cauſam dedit. Accedit, quod vtique potuit præuidere ex illa eiectione, & negatione alimentorum futurum illud delictum, cui propterea non occurrens per reuocationem, & preſtationem alimentorum videtur conſentire, ſeu ſaltem non prohibere delictū, cum poſſet; conſentiens autem delicto, ſeu illud non prohibens, cum poſſit, nullum ius ex eodem poteſt acquirere, cum tota ratio iuris diuortij ſit propter iniuriam illatam coniugi innocenti per adulterium alterius; ſcienti autem, & conſentienti nulla fit iniuria *reg. ſcienti de reg. iur. in ſexto*. Accedit ſecundo, quod maritus eijciens vxorem, illique denegans alimenta videtur per conſequens illi denegare debitum coniugale, ſed quādo vxor fornicatur ex eo, quod maritus ipſi denegat debitum coniugale, non acquirit maritus ius diuortij, prout expreſsè habet *D. Ioannes Criſoſtomus hom. 1. in pſal. 50. relatus in cap. ſi tu abſtines 37. q. 2.*, vbi ſic loquitur, *Si tu abſtines ſine vxoris voluntate, tribuis ei fornicandi licentiam, & peccatum illius tua imputabitur abſtinentiæ*. His tamen minimè obſtantibus ſit.

Aſſertio I. Ex eo, quod maritus vxorem iniuſtè eiecerit, eique alimenta de-

3 Non amittit maritus ius diuortij.

negarit, non tamen ad finem, vt ipſa fornicaretur, & ipſa fornicata fuerit, non amittit idem maritus ius ad diuortium. *Diana part. 9. tract. 8. reſol. 38., Sanchez de matrim. lib. 10. de diuort. diſp. 5. nu. 6., Paludanus in 4. diſt. 25. q. 1. caſ. 2. n. 13., Caiet. repet. c. ad limina 30. q. 1. §. 4. num. 217., Vega tom. 1. ſummæ c. 13. caſ. 17.*

Non ſolum iuribus, ſed etiam rationibus hæc aſſertio innititur; iuribus, & primo *in c. ſignificaſti de diuort.*, vbi deciditur, quod vir non teneatur recipere vxorem adulteram, non obſtantibus exceptionibus, quod ipſe cauſam, ſeu occaſio-

Euincitur, & iuribus, & rationibus.

nem dederit adulterij. Secundo, *in c. ex literis de diuort.*, vbi non excuſatur vxor à pænis adulterij ex eo, quod alleget ſe commiſiſſe adulterium eo, quod maritus congrua ipſi denegarit alimenta; rationibus item euincitur, quia, nec titulus paupertatis, nec iniuſta eiectio poteſt eidem ſuffragari; Non titulus paupertatis per textum *in l. palam ff. de ritu nupt.*, vbi expreſsè dicitur non eſſe ignoſcendum turpitèr viuenti prætextu paupertatis; non iniuſta eiectio, quia hæc confert quidem ius ad plenam reſtitutionem, non autem ad luxurioſè viuendum, nec vxor aliqua ratione poteſt adduci ad fornicandum.

Neque obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, quod ex vi contractus matrimonialis, teneatur cohabitare cum propria vxore, eique alimenta tribuere, ergo, ſi expellendo vxorem, & negando alimenta eidem non ſeruat fidem debitam, poterit impunè, ſeu ſine pæna expulſionis eidem fidem frangere ſe alter communicando, & ſic fiet quodamodo compenſatio iniuriæ pro iniuria in ijs, quæ debentur iure matrimonij. Non, inquam, obeſſe poteſt, quia non valet compenſatio vnius ad alium defectum in diuerſo genere, quantumuis vterque defectus ſit contra eundem contractum matrimonialem, & aduerſus defectum fidei violatæ in eiectione, ſeu ſpoliationis poſſeſſionis aduerſus vxorem iniuſtè ſpoliatam datur remedium reſtitutionis, quæ ipſo iure debetur, non autem ius ad violandam marito fidem in alio genere, ſcilicet per fornicationem, quæ in nullo vnquam caſu licita eſt; vndè ipſa violando fidem in hoc genere amittit remedium reſtitutionis, quod ante habebat.

Inſtantia propoſita, & diſſoluta.

Aſſertio II. Si maritus vxorem eiecerit, eique congrua alimenta denegarit ea 4

intentione, & ad eum finem, vt destituta congruis auxilijs fornicaretur, & eadem fuerit fornicata, non habet idem maritus ius diuertendi, & denegandi eidem vxori reſtitutionem. Conſentiunt in hanc aſſertionem præter allegatos DD. in prima aſſertione, *Caſtro lib. 2. de lege pænali c. 4. paulò ante §., vt igitur, Palacius in 4. diſt. 27. diſp. 3. col. 19., & diſt. 35. diſp. vnica col. 3. verſ. cæterum, ſi auctoritate*.

Si vxorem eiecerit ea intentione, vt fornicaretur amittit ius ad diuortium

Ratio ex eo facilè deducitur, quia ipſe maritus ſua voluntate, & prauitate conijcit vxorem in illum actum fornicarium, & ad eum finem adhibet media, vt effectus ille ſequatur, ſeu ſubtrahit media, quæ, ſi non ſubtraherentur, vxor probabilius non peccaret, ergo ex illo actu fauorem aliquem non poteſt nanciſci, ratione cuius poſſit ab vxore delinquente diuertere, ſeu eidem negare remedium reſtitutionis; non enim æquum eſt, vt ex proprio delicto ius aliquid acquirat, ſeu fauorem. Confirmatur, quia, ſi maritus non prohibeat adulterium vxoris, cum poſſit, non acquirit ex eodem adulterio ius ad diuortium, quinimmò punitur tanquam leno *l. 2. C. ad leg. Iul. de adult., Paludanus in 4. diſt. 25. q. 1. caſ. 2. nu. 13., & ibi ſupplementum Gabrielis q. vnica art. 2. poſt primam concluſionem caſ. 2., D. Antoninus 3. part. tit. 1. c. 21. §. 6. caſ. 1.,*

Rationes ſuadentes aſſertum.

 Silue-

Digitized by Google

Silueſter verb. diuortium q. 9. caſ. 1., Bartolomæus à Ledeſma de matrimon. dub. 65. poſt tertiam concl. caſ. 2., ergo à fortiori, ſi media conſtituat eo animo, vt eadem vxor fornicetur, non acquiret ex eadem fornicatione ius ad diuortium, quia eſt quid maius confluere per media ad effectum inducendi adulterium, quam illud præcisè non impedire, cum poſſit. Confirmatur ſecundo, quia ſcienti, & conſentienti non fit iniuria, ergo multò minus cooperanti ad illam actionem, quæ ſine conſenſu, & cooperatione eſſet eidem iniurioſa.

5 **Soluuntur rationes oppoſitæ.**

Nunc ad rationes, quæ ex aduerſo afferebantur contra primam aſſertionem reſpondendum eſt, & quidem ad primam dic, per illam eiectionem, & negationem alimentorum præcisè non fuiſſe cauſam illius fornicationis, nec ex fine, & natura actionis, nec ex fine eiicientis, & negantis, ſed tantum ex prauitate eiuſdem vxoris fornicantis, quæ indè ſumpſit occaſionem delinquendi, & ſibi poterat conſulere agendo per remedium reſtitutionis, vndè non eſt, cur eidem marito tribuatur negatio iuris ad diuortium ob illud delictum, ad quod ipſe niſi ad ſummum occaſionaliter, & remotè concurrit.

Soluitur prima.

Ad ſecundam dicendum eſt, quod illa eiectio, ſeu negatio alimentorum non habet infallibilem, nec Phyſicè, nec moralitèr connexionem cum futura fornicatione ex genere ſuo, ſed tantum ex prauitate operantis, adeoq; non potuit maritus eijciens, & denegans alimenta moralitèr certò præuidere eandem fornicationem præcipuè cum iura non obſtante illa eiectione, & negatione grauitèr obſiſtant eidem fornicationi, & ipſe non tenetur conſulere ijs, quæ ex prauitate alterius poſſunt obuenire. Ex quibus deduces ipſum maritum propriè non conſentire illi actui fornicatorio, adeoq; non amittit ius, quod in fauorem ipſius ex eodem actu conſequitur.

Soluitur ſecunda.

Ad tertiam dicendum eſt non eſſe ità verum, ſicuti præfertur, quod ex dilatione, ſeu negatione debiti conſurgat ius in vxore, cui defertur, ſiue negatur, vt ſi fornicetur, auferat in marito poteſtatem diuortij, prout aſſerit non eſſe verum *Gloſa in d. c. ſi tu abſtines verb. imputabitur 37. q. 2., Riccardus in 4. diſt. 35. art. 1. q. 1., Abulenſis c. 19. Matthæi q. 65. caſ. 2., D. Antoninus 4. part. tit. 1. c. 21. §. 6. caſus, Veracrux 3. part. ſpecul. art. 1. concl. 3. caſu 2.*, nec incongrua ſanè ratione, quia hæc non eſt cauſa, ſed ad ſummum occaſio, & quidem remota adulterandi; vndè ad dictum *D. Ioannis Chriſoſtomi* relatum *in d. c. ſi tu abſtines 37. q. 2.*, dicendum eſt ibi ſolummodo dici per quandam energiam ad deterrendos coniuges, ne debitū coniugale denegent, quod eorum abſtinentiæ imputetur delictum fornicantium coniugum, quatenus ipſi tribuunt occaſionem fornicationis, non propriè cauſam; vnde benè notat *Gloſa in d. c. ſi tu abſtines verbo licentiam*, quod per ly *licentiam*, intelligatur licentiæ occaſio; Non negauerim tamen, quod maritus ſic negando debitum coniugale peccaret, non ſolum, quia negaret id, quod debet, ſed etiam, quia alterum coniugem exponeret periculo delinquendi; non tamen ex hoc ſequitur, quod, ſi alter deliquerit fornicando ipſe ius amittat diuortij, cum non ſit propriè cauſa adulterij, ſed ad ſummum occaſio. Quod, ſi vlterius vrgeas, quod cum negando debitum coniugale det operam rei illicitæ, teneatur ad ea omnia, quæ conſequuntur ex tali re illicita, adeoque ad pænam, quæ conſequitur ad id, quod opus illicitum permiſerit, quæ pæna conſiſtit in eo, quod amittat ius ad diuortium, ſi ex illo opere illicito alter coniugum motus comiſerit adulterium; ſtatim impugnaberis, quia non ex quocunque opere illicito, quod quis committit; arguitur, quod teneatur ad ea omnia, quæ conſequuntur ex tali opere ex prauitate alterius operantis, ſed ad ſummum ad ea, ad quæ proximè influit illud opus illicitum, quod ipſe perpatrat, negatio autem debiti coniugalis, nec proximè, nec poſitiuè influit in alterius adulterium, adeoq; &c.

Soluitur tertia.

SECTIO V.

An coniux innocens non ſolum poſſit, ſed etiam teneatur coniugem adulterum dimittere.

SVMMARIVM.

Caſus particularis, ſecundum quem procedit titulus, 1.

Ex duplici capite poteſt eſſe ratio dubitandi, & quodnam. 2.

Quando vxor pertinax eſt in adulterio, tenetur maritus dimittere, nec reconciliare. 3.

Hæc obligatio prouenit ex motiuo charitatis, & correctionis fraternæ. 4.

Ex capite ſuſpicionis, quod ipſe conniueat vxori adulteranti, non tenetur dimittere, ſi delictum ſit occultum. 5.

Non ſatisfacit retinendo tanquam ſororem, non tanquam vxorem. 6.

Onus correctionis non eſt ex mero conſilio. 7.

Conditiones requiſitæ, vt ſit obligatio corrigendi. 8.

Hoc

Hoc onus dimittendi vxorem pertinacem eſt ſub læthali. 9.

Ex genere ſuo tenetur etiam vxor diuertere à marito pertinaci. 10.

Plures tamen cauſæ ipſam excuſant à tali dimiſſione, & numerantur. 11.

IVS dimittendi coniugem ob adulterium, cum ſit inductum in fauorem coniugis innocentis, regularitèr loquendo reſpectu eiuſdem innocentis non eſt coactiuum, quatenus ipſum obliget ad dimittendum coniugem adulterum, ſed facultatiuum, quatenus, ſi velit, poſſit ipſum dimittere. Difficultas igitur in præſenti titulo propoſita ad hoc dumtaxat reſtringitur, an in aliquo caſu teneatur maritus vxorem adulteram dimittere, vel dimiſſam ſibi minimè reconciliare, & è contra, an vxor teneatur à viro adultero diuertere, ſeque illi minimè reſtituere. Caſus hic poteſt contingere, quando vxor adultera perſiſteret in adulterio, & quamuis ſalutaribus monitis redarguta minimè reſipiſceret, & quando ſimilitèr vir adulter in ſimili delicto pertinacitèr perſeueraret. Pro quo

1 Caſus particularis, ſecundum quem poteſt titulus procedere.

Aduerte, quod hæc obligatio, ſi quæ eſſet, in præſenti hypotheſi ex duplici capite poſſet prouenire, vel ex natura eiuſdem adulterij ſuppoſita conditione perſeuerantiæ in eodem, & non reſcipiſcentiæ, quatenus adulterium ipſum inter coniuges proptèr fidem nō ſeruatam in matrimonio, & pertinacitèr læſam non ſolum eximat innocentem ab onere permanendi cum adultero, ſed etiam compellat deſerere, ne matrimonium etiam quoad torum, & habitationem firmum permaneat cum iteratis iniurijs, & læſionibus eiuſdem matrimonij, vel ratione alicuius adiuncti, puta ſcandali, vel oneris charitatis fraternæ, quatenus ex eo, quod per media omnia poſſibilia non ſtudeat remouere delinquentem ab adulterio, adeoq; etiam ipſum dimittendo videatur conniuere eidem adulterio per quod ingerit ſcandalum; vel quatenus, cum lege charitatis teneatur correctionem fraternam erga delinquentes adhibere, fortiori, & ſtrictiori iure teneatur eandem adhibere erga coniugem non quomodocunque, ſed etiam adhibendo media apta ad remouendum delinquentem à crimine. Suppoſito igitur, quod vel ex natura eiuſdem adulterij iterati, vel ratione ſcandali vitandi, vel correctionis fraternæ teneatur diuertere à delinquente, vel ipſum dimittere, oritur immediatè dubium, an teneatur hoc præſtare ſub onere peccati mortalis.

2 Ex duplici capite, poteſt prouenire ratio dubitandi, & quodnam ſit.

Aſſertio I. Tenetur maritus, quando vxor pertinax eſt in adulterio, nec alitèr reſipiſcit, ipſam dimittere, & dimiſſam ſibi non reconciliare *D. Thomas in 4. diſt. 35. q. vnica art. 2., & ibi D. Bonauentura art. vnico q. 2., Hoſtienſis c. porro nu. 3. de diuort., Abbas c. ſi vir n. 1. de adult., Henricus c. quemadmodum n. 8., & ſeqq. de iure iur.*, quorum aliqui, ita ſtrictam agnoſcunt obligationem; vt pleno ore aſſerant peccare læthalitèr, ſi non dimittat, vel non diuertat, & ſpecialitèr *D. Thomas loc. cit.*

3 Quando vxor pertinax eſt in adulterio, tenetur maritus illam dimittere, nec reconciliare.

Expreſsè ex SS. PP. auctoritatibus deducitur hæc aſſertio, & ex varijs iuribus; & primo ex *D. Chriſoſtomo hom. 32. operis imperfecti in Matthæum*, vbi ſic habet *Sicuti crudelis, & iniquus eſt, qui caſtam dimittit vxorem, ita fatuus, & iniuſtus eſt, qui retinet meretricem*, quod dictum videtur deſumptum ex Sacra Scriptura Prouerb. 18. *Qui autem tenet adulteram ſtultus eſt, & inſipiens*; Secundo, *ex c. 1. de adult. Si vir ſciens vxorem ſuam deliquiſſe, quæ non egerit pænitentiam, ſed permanet in fornicatione vixerit cum illa, reus erit, & eius criminis particeps*. Hoc idem pluribus rationibus euincitur, & primo, quia quantum poteſt, tenetur obſtare damnis matrimonij quoad fidem, & quoad prolem, quod vtique non præſtat aſſentiendo cohabitationi vxoris delinquentis, & pertinacitèr perſeuerantis in adulterio. Secundo, quia ingerit maximam ſcandali occaſionem, quandoquidem conſtante de ipſius ſcientia, & de perſeuerantia in habitatione, & thoro eſt præſumptio valida de conniuentia, & lenocinio. Tertio, ex facto D. Ioſeph, qui cum eſſet iuſtus proptèr ſuſpicionem adulterij voluit Deiparam Virginem dimittere, ex quo infertur, quod iuſtitia exigat, vt propter adulterium maximè, ſi fuerit cum pertinacia, vxor dimittatur.

Auctoritatibus SS.PP., & rationibus euincitur.

Hæc obligatio diuertendi, ſeu dimittendi vxorem non prouenit ex ipſa natura adulterij quantumuis iterati, & cum pertinacia, ſed vel ad euitandum ſcandalum, vel ex onere caritatis, ſeu correctionis fraternæ, & quidem non communis, ſed peculiaris rationis intuitu cuiuſdam ſuperioritatis, & economicæ gubernationis. In his terminis procedit *D. Thomas in 4. diſt. 35. q. vnica art. 2. in corpore*, & *Sanchez de matrimon. lib. 10. de diuortio diſp. 13.* licet *nu.* 8. diſcrepet in ea parte, qua dicitur teneri ex onere caritatis, ſeu correctionis fraternæ. Ratio facilè quoad primam partem ex eo deducitur, quia ob adulterium Chriſtus Dominus *Matthæi 5., & 19.*, permiſit quidem coniugi innocenti poſſe dimittere adulterum, nō autem præcepit, vt dimittatur, ergo ratione

4 Hæc obligatio prouenit ex motiuo charitatis, & correctionis fraternæ.

tione adulterij non oritur hæc obligatio, reſpectu innocentis diuertendi, ſeu dimittendi vxorem, cum illa facultas dimittẽdi ſit in fauorem innocentis, cui fauori poteſt cedere; Neque obeſſe poteſt, quod adulterium ſit cum pertinacia, & non cum reſcipiſcentia, ratione cuius qualitatis inducat onus, non meram facultatem dimiſſionis; Non, inquam, obeſſe poteſt, quia nullibi reperitur, quod illi qualitati ſecundum ſe ſumptæ ſit annexum onus abſolutè dimittendi adulterum, quod propterea onus, quantum eſt præcisè ex vi illius pertinaciæ, nec nos debemus adnectere, & ſicuti alijs criminibus, quibus non eſt annexa aliqua pæna in primo ſuo eſſe, nec intelligitur annexa in pertinacia ipſorum, niſi expreſsè apponatur, ita &c.

Ratio ſecundæ partis ex eo etiam deducitur, quia vnicuique incumbit onus ex motiuo ſaltem charitatis eas actiones, vel omiſſiones vitare in ſe ipſo, quæ poſſunt in alijs ingerere ſcandalum, & occaſionem perditionis, ſeu ruinæ ſpiritualis, ſed non eicere vxorem adulteram pertinacem in adulterio, & non reſcipiſcentem ex ſe poteſt maximum ingerere ſcandalũ, quandoquidem eam retinendo vehementem dat anſam ſuſpicandi ſuo conſenſu adulterium committi, & quod ipſe ſit conniuens, & fauens alterius coniugis adulterio, ergo &c.

Quomodo ex non dimiſſione gigni poſſit ſcandalum.

Hinc habes primo, quod quando ex hoc capite vitandi ſcandalum, ſeu ſuſpicionis, quod ipſe maritus conniueat adulterio vxoris delinquentis, & pertinacis in delicto, prouenit obligatio eandem dimittendi, ceſſet talis obligatio quãdo adulterium vxoris quantumuis iteratum occultum eſt, nec poteſt probari *D. Bonauentura in 4. diſt. 35. art. vnic. q. 2., Sotus in 4. diſt. 36. q. vnica art. 2. poſt primam concl verſ. de viris ergo. Veracrux 3. part. ſpeculi art. 2. concl. 2., Bellamera c. quemadmodum num. 10. de iure iur., Turrecremata c. Apoſtolus 32. q. 7. art. 3. nu. 2.* Ratio ex eo deducitur, quia ſub ea ratione ceſſare debet obligatio, ſub qua ceſſat ratio finalis obligationis, ſed quando delictum eſt occultum, quantumuis maritus eiuſdem fuerit conſcius, ceſſat ſcandalum, quod eſt ratio finalis iuris naturalis obligantis ad dimiſſionem, quandoquidem non poteſt eſſe ſcandalum, vbi non eſt cognitio delicti, ergo &c. Neque obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, quod, quamuis, quando delictum eſt occultum, ceſſet ſcandalum, non ceſſet tamen obligatio dimiſſionis eo quia adhuc vigeat periculum incertitudinis prolis, & ſupponendi hæredes indebitos; Non, inquam, obeſſe

5 *Nõ tamen tenetur dimittere, ſi adulteriũ ſit occultum, nec poſſit probari.*

poteſt, quia in primis noſtra illatio procedit dumtaxat, quando onus dimittendi procedit dumtaxat ex motiuo ſcandali, quod, ſi alia vrgeat ratio dimiſſionis, eſt quid vltra præſens inſtitutum, de quo alibi. Deindè non ita certum eſt, vt ſupponitur, quod ob periculum incertitudinis prolis, teneatur maritus vxorem dimittere; tum quia non tenetur adeo acerbo medio vti; tum quia eidem non poteſt tribui illa culpa incertitudinis prolis, cum ipſe aduerſetur illi fornicario concubitui, & media ſuauia adhibeat ad illum remouendum.

Habes ſecundo, quod vrgente ſcandalo, adeoq; cauſa dimiſſionis non ſatisfaciat maritus ſuæ obligationi, ſi vxorem retineat, non tanquam vxorem, ſed tanquam ſororem, quidquid ex aduerſo dixerit *Cardin. in c. ſi vir. de adult.* Ratio ex eo deducitur, quia ſub illa conſideratione non euitat ſcandalum, cum non innoteſcat vtrum eam detineat, vel ſub titulo ſororis, an vero ſub titulo vxoris.

6 *Non ſatisfacit maritus retinẽdo vxorẽ, non tanquam vxorem, ſed tanquam ſororem.*

Ratio tertiæ partis ex eo deducitur, quia onus correctionis fraternæ non eſt ex mero conſilio, ſed ex præcepto Christi Domini importato in illis verbis *Matthæi 18. Si peccauerit in te frater tuus &c. vade, & corripe &c.* prout docet *D. Thomas 2. 2. q. 13. art. 7., & DD. communitèr,* & in hoc magis conueniunt *SS. PP. Auguſtinus ſerm. 16. de verbis Domini Chryſoſtomus hom. 62., Gregorius lib. 4. reg. epiſt. 56.*, quod, ſi hoc onus de iure naturæ, prout fatetur *Suarez lib. 10. c. 7. num. 33.* afficit omnes, ſtrictiori tamen iure afficit parentes in ordine ad filios, dominos in ordine ad ſeruos, maritos in ordine ad vxores, tutores in ordine ad pupillos, prout docet *Hurtadus de Mendoza vol. 2. diſp. 153. ſect. 2. §. 10.*, quod adeo verum eſt, vt *Trullench. in Decal. tom. 1. lib. 1. c. 5. dub. 15. n. 1., Diana part. 7. tract. 3. reſol. 9., & 31.*, aſſerant huiuſmodi non ſatisfacere confeſſioni, ſi dixerint omiſiſſe correctionem fraternam, ſed teneri dicere ſe eſſe Patres, Dominos, maritos, tutores &c. proptèr ſpecialem obligationem, quæ ipſos afficit ratione cuiuſdam ſuperioritatis, ratione cuius præficiuntur filijs, ſeruis, vxoribus, & pupillis. Ad hanc autem correctionem fraternam nõ ſufficit benignè, & leuitèr monere delinquentem, ſed etiam contumacem arguere, & non reſipiſcentem cohibere adhibendo omnia media, quæ à delinquendo poſſint retrahere, ergo maritus vxorem pertinacem in adulterio, & non reſipiſcentem ad benigna monita, cohortationes, & argutiones, tenebitur dimittere, ſi indè ſperetur reſipiſcentia.

7 *Onus correctionis fraternæ non eſt ex mero conſilio.*

Verum

Digitized by Google

8 Verum tamen eſt, quod ad hoc, vt hoc onus correctionis fraternæ grauitèr obliget requirantur aliquæ conditiones, ſine quibus non eſſet obligatio ſaltem ſub graui. Prima eſt, quod certo moralitèr conſtet de peccato, & perſeuerantia in eodem, prout docent *Fillintius tom. 2. tract. 28. c. 6. n. 133., Diana part. 4. tract. 3. resol. 32.* Non negauerim tamen, quod, cum maritus ſit caput familiæ, & ſuperior ad vxorem, teneatur ſuper geſta eiuſdem inuigilare, vt eius peruerſitati poſſit occurrere, non tamen ipſam dimittere, niſi conſtet, & de delicto, & pertinatia in eodem non obſtante, quod præcedentèr fuerit fraternè monita, conuenientèr arguta &c.

Prima conditio requiſita ad hoc, vt ſit obligatio corrigendi ſub graui.

Secunda eſt, vt probabilitèr ſperetur dimiſſio profutura, & vxor emendanda; ſi etenim nulla ſpes ſubeſſet emendationis nulla obligatio adeſſet dimiſſionis, quantum eſt ex motiuo correctionis fraternæ, prout docet *Diana part. 7. tract. 3. resol. 21.* licet ipſe loquatur in terminis generalibus correctionis fraternæ faciendæ, qui tamen adaptari poſſunt etiam præſenti materiæ. Ratio ex eo deducitur, quia finis huiuſmodi correctionis eſt reſipiſcentia delinquentis, ergo vbi nulla eſſet ſpes reſipiſcentiæ non eſſet obligatio correctionis, quæ ordinatur ad ipſam; Dixi, *quantum eſt ex motiuo correctionis fraternæ*; non enim negauerim, quod ex alio motiuo ſcandali vitandi non obſtante, quod huiuſmodi correctio non eſſet profutura, adhuc eſſet adhibenda, ne ſcilicet ipſe maritus ingereret ſcandalũ, quatenus non dimittendo ingereret non modicam ſuſpicionem, quod ipſe conniueret vxoris adulterio, & faueret, & patrocinaretur eidem; hoc etenim motiuũ præualere debet illi negationi ſpei emendationis, & tunc correctio, ſeu dimiſſio aſſumeretur non ad emendationem, aut punitionem delinquentis, ſed ad defenſionem innocentis, & ad alia mala impedienda. *Diana part. 7. tract. 3. resol. 24.* Sed an talis correctio, ſeu dimiſſio vxoris adulteræ, & pertinacis eſſet facienda, quando eſſet dubium, an eſſet profutura fini a iure intento, nec ne, quantum eſt ex vi eiuſdem correctionis, cum diſtinctione reſpondendum exiſtimo; vel etenim eſt dubium, quod ſit profutura delinquenti, certum tamen eſt, quod non ſit obfutura, & tunc exiſtimo huiuſmodi correctionem, ſeu dimiſſionem eſſe faciendam; vel eſt dubium ſimul, quod non ſit profutura, & quod ſit obfutura, & tunc ſentio non eſſe ex neceſſitate adhibendã. Quoad vtramque partem conſentit *Diana part. 7. tract. 3. resol. 22.* Ratio primæ partis ex eo deducitur, quia talis correctio, ſeu dimiſſio poteſt ſolum prodeſſe, nullo modo obeſse, ergo non eſt, cur non ſit adhibenda. Conſequentia probatur, tum quia correctio fraterna non reſpicit emendationem certam, ſed duntaxat ſperatam, ſeu quæ poſſit eſſe; tum quia reſpicit debitum directè, quod ſe tenet ex parte innocentis, ſeu corrigentis ſuppoſito delinquentis adulterio, ergo debet illud adimplere, non obſtante, quod timeat correctionem non profuturam. Ratio ſecundæ partis ex eo deducitur, quia correctio fraterna eſt inſtituta in ædificationem, non in deſtructionem, ad tollenda crimina, non ad multiplicanda, ergo cum ſit æquè dubium, quod non ſit profutura, & quod ſit obfutura, non erit onus illam adhibendi, cum in æquali dubio boni, & mali futuri debeamus potius conſulere malo vitando, quando eſt malum in genere moris, quam bono acquirendo; hoc eueniret, quando ex dimiſſione timeretur, quod in grauiora, & crebriora crimina, ſiue in eodem, ſiue in diuerſo genere eſſet præcipiti lapſu, & ſine fræno ruitura.

Secunda conditio requiſita.

Illa correctio poſſet ſolũ prodeſſe, non obeſſe.

Tertia eſt, vt ex illa correctione non timeatur graue damnum, & notabile corripientis; tunc etenim nulla eſt obligatio, niſi in neceſſitate extrema, ſeu quaſi extrema damnationis, *Lorca in 2. 2. D. Thomæ diſp. 45. num. 7., Diana part. 4. tract. 4. resol. 228.* Hac ratione docent, nec incongruè *Sanchez lib. 10. de diuort. diſp. 13. n. 20., Paludanus in 4. diſt. 35. q. 1. art. 3. concl. 4. n. 23., D. Antoninus 3. part. tit. 1. c. 10. §. 9., Nauarrus in ſumma c. 16. num. 24., Graſſus 1. part. deciſ. lib. 2. c. 84. n. 6., Sotus in 4. diſt. 36. q. vnica art. 2. poſt 2. concl. verſ. neruus, ergo, & alij*, non teneri maritum dimittere vxorem adulteram quantumuis pertinacem, quando ipſi imminet graue damnum ſpirituale, vt quando grauibus ſtimulis carnis impetitur, & timet non poſſe reſiſtere; benè etenim ordinata charitas exigit, quod ad damna ſpiritualia vitanda prius quis ſibi conſulat, quam alteri. Sed an etiam eximatur ab hoc onere correctionis fraternæ, ſeu dimiſſionis vxoris faciẽdæ ob adulterium, in quo pertinax perſeuerat, proptèr damnum temporale, quod ſibi imminet, vel imminere poteſt ex tali dimiſſione, vel expulſione lis eſt, maxima inter DD. Loquendo ſpecialitèr in terminis mariti, qui eſt ſuperior ad vxorem, & ſpeciali quodam iure, tenetur erga vxorem, arbitrarer, quando eſſet ſpes futuræ emendationis, teneri ad eandem dimiſſionem habendam non obſtante illo periculo damni temporalis. Hoc

Tertia cõditio ad hoc requiſita.

de

de communi DD. conſenſu aſſerit *Diana part. 4. tract. 4. resol. 228. vers. 4., & part. 7. tract. 3. resol. 26., 27., & 28.*, qui etiam docet, quod ſuperiores in extrema neceſſitate proximi etiam cū vitę periculo teneantur correctionem adhibere. Intellige tamen hoc, quando aliundè eidem neceſſitati ſubueniri non poteſt, & certum eſſet, quod ex tali correctione emendatio oriri deberet.

9

Hoc onus dimittẽdi vxorem pertinacẽ, eſt ſub læthali.

Hic pro complemento eorum, quæ hactenus actitata ſunt quoad onus dimiſſionis, tam ratione ſcandali vitādi, quam ratione præcepti correctionis fraternæ adimplendi remanet inquirendum, an onus ſub vtroque hoc titulo ponendi hanc dimiſſionem ſit ſub lęthali, an dumtaxat ſub veniali. Arbitror abſolutè eſſe ſub læthali, niſi detur aliqua cauſa excuſans præponderans, ſic ſentire videtur *D. Thomas 2. 2. q. 13. art. 7., Valentia tom. 3. disp. 3. q. 10. puncto 2., Diana part. 5. tract. 13. resol. 42., & part. 7. tract. 3. resol. 3., & 4.*, & quando eſt in ordine ad ſcandalum cauendum *Sanchez lib. 10. de diuort. disp. 13. n. 19.* licet diſcrepet quodamodo, quando eſt in ordine præciſe ad præceptum correctionis faciendæ *ead. disp. 13. n. 8.* Ratio ex eo deducitur, quia motiuum vitandi ſcandali in re graui eſt ex genere ſuo graue, vt colligitur ex emphaſi, quæ Chriſtus Dominus dixit, *Veh mundo à ſcādalis, veh illi, per quem ſcandalum venit*, & deducitur ex ruina ſpirituali, quam ſecum trahit, & præceptum correctionis faciendæ potiſſimum in ijs, qui ſtrictiori iure, & titulo tenentur, ſtrictè, & grauitèr obligat; Nec hic poſſum acquieſcere *Sanchez d. disp. 13. nu. 8.* aſſerenti ſub tali onere peccati ex motiuo correctionis fraternæ, non teneri maritum dimittere vxorem adulteram pertinacem, eiq; debitum denegare; tum quia huic præcepto ſufficientèr ſatisfacit illam admonens, & propoſitis æternis pænis illam deterrens, & puniens modo ſibi permiſſo; tum quia, ſi hæc eandem non mouent ad reſipiſcendum, non poteſt eſſe moralitèr ſpes emendationis, quinimmo periculum deterioris peruerſionis, ſi fieret talis dimiſſio. Non, inquam, poſſum acquieſcere, quandoquidem non vno tantum modo, ſed etiam modis quibuſcunque licitis, tenetur conſulere peruerſioni coniugis, & ſi placida monitio, & exhortatio fraterna quinimmò, nec propoſitio Gehennæ non prodeſt, tenetur alia media opportuna adhibere, & inter cætera dimiſſionem, quandoquidem quoad animos deprauatos remouendos a ſcelere plus proſunt præſentia mala, & damna quantumuis temporalia, quam damna futura quantumuis atrociora, & æterna.

Reijcitur limitatio Sanchez.

Aſſertio II. Ex genere ſuo tenetur etiam vxor diuertere à marito adultero, & pertinaci in adulterio, quamuis plures ab extrinſeco extent cauſæ ipſam excuſantes a tali diuerſione. *Caietanus in opuscul. tom. 1. tract. 29. q. vnica, & in summa verb. matrimoniū c. vltimo vers. 10., Pedraza in ſumma præcept. 6., & 18., Bertachinus in ſuo diction. lit. A. verb. adulter. verſ. adulter vir, Monaldus in ſumma vbi de matrimon. tit. de effect. matrimonij ad finem* aduerſus *Sanchez de matrimon. lib. 10. de diuortio d. q. 13. nu. 29.*, qui ex vna parte; ſicuti non cognoſcit obligationem in marito dimittendi vxorem adulteram, & pertinacem in adulterio ex pręcepto correctionis fraternæ, ita multò minus eandem obligationem agnoſcit in vxore aduerſus maritum ſic delinquentem ex eodem præcepto; ex alia non recognoſcit in vxore præceptum vitandi ſcandali, quod cognoſcit in marito, quandoquidem omnibus manifeſtū eſt vxores ęgerrimè ferre, quod eorum mariti commiſceantur alijs fæminis, vndè non poteſt eſſe præſumptio, quod eorum adulterio conniueant, potiſſimum cum in earum mulierum poteſtate non ſit maritos cohibere, cum ſint ſub illorum poteſtate, & quodamodo illis ſubditæ. Nihilominùs

10

Ex genere ſuo tenetur etiam vxor diuertere à marito pertinaci.

Probatur primo aſſertio auctoritate *D. Chriſoſtomi relati in c. ſi quis vxorem el 2. 32. q. 1. in fin.*, vbi dicitur virum, & vxorem eſſe pares quoad obligationem diuertendi ob pertinaciam alterius in adulterio, quod cum nequeat intelligi ex vi adulterij præciſè quoad ſui naturam, vt probauimus in prima parte præcedentis aſſertionis, vtique intelligendum eſt, vel ex motiuo ſcandali euitandi, vel præcepti correctionis fraternæ faciendæ; quod etiam in particulari ſic euincitur, primo quoad motiuum ſcandali, quia ex quo vxor conſcia adulterij mariti, & pertinaciæ in eodem non adhibet media ad ipsū remouendum, inter quæ eſt ſe ſubtrahere ab illius conſortio, cenſetur conniuere illius delicto, quod æque ingerit ſcandalum, ac ſi maritus præſumeretur conniuere adulterio vxoris, non ſe ſubtrahendo ab illa, vel illam a ſe ipſo; Neque ratio adducta a *Sanchez* aliquid euincit, quandoquidem non minùs ægre fert maritus, quod vxor alijs viris commiſceatur, ac ægrè ferat vxor, quod maritus cum alijs fæminis congrediatur, quinimmo ratio poſtulat, vt potius maritus ægrius ferat congreſſum propriæ vxoris cum alijs viris; tum quia ex illo congreſſu oritur incertitudo prolis; tum quia veti-

Ratio pro aſſerto.

Ratio Sāchez eijcitur.

vetitum eſt de iure naturę ſtrictiori, quod fæmina eadem plures habeat maritos, non ſic autem, quod idem maritus plures habeat vxores, vt latiùs antea probauimus, quam quod vxor ægrè ferat congreſſum mariti cum alijs mulieribus, cum illa incertitudo prolis non indè oriatur, nec ità ſtrictè prohibeatur maritis plures ſimul habere coniuges; Si igitur ex eo, quod mariti ægrè ferant, quin immò ægerrimè, quod vxores alijs viris commiſceantur, non euitant ſcandalum, nec tollunt præſumptionem, quod conniueant earundem vxorum contubernio, ſi ab illis non diuertant, nec ex eo, quod vxores ægrè ferant commixtionem maritorum cum alijs fæminis euitare ſcandalum cenſendæ ſunt, nec tollere præſumptionem, quod conniueant adulterio maritorum, ſi ab illis contumacibus non diuertant; Nec etiam aliquid vrget, quod vxor ſit ſub poteſtate mariti, & quodamodo illi ſubdita; Non vrget, inquam, quia quoad vsū coniugij, & quoad onus cohabitationis maritus, & vxor pares ſunt, & æqualem adinuicem habent poteſtatem. Secundo quoad motiuum correctionis fraternæ ex eo etiam euincitur, quod præceptum correctionis fraternæ afficit etiam vxorem, & quidem ad adhibenda omnia media poſſibilia, vt maritus ab adulterio reſipiſcat; vt latè docent *ſupplementum Gabriellis in 4. diſt. 35. q. vnica art. 2. concl. 4., Nauarrus in ſumma c. 22. n. 21. in fin., Bartolomæus à Ledeſma de matrimon. dub. 66. concl. 1., Petrus de Ledeſma de matrimon. q. 62. art. 2., Petrus de Soto lect. 12. de matrim. col. penult.*

11 Plures cauſę ipsā excuſant à dimiſſione

Dixi, *quamuis plures ab extrinſeco extent cauſæ ipſam excuſantes à tali diuerſione*; & primo, quia difficilior eſt ſpes emendationis in marito, qui, ſi non mouetur pijs exhortationibus, nec propoſitis pænis, nec mouendus cenſendus eſt ex illo receſſu vxoris. Secundo, quia probabilius eſt, quod rueret in deteſtabiliora flagitia. Tertio, quia ipſa grauioribus damnis ſubeſſet; & fortè in hoc ſenſu attentis præciſè his circunſtantijs ab extrinſeco, non attenta natura rei, ex genere ſuo locutus eſt *Sanchez de matrimonio lib. 10. de diuortio diſp. 13. n. 29.*

SECTIO VI.

An altero coniuge adulterante licitus ſit tranſitus ad Religionem, ſacroſque ordines altero inuito.

SVMMARIVM.

An lata ſententia diuortij adulter teneatur reconciliari innocenti agenti ad talem reconciliationem. 1.
Sententia negatiua exponitur cum ſuis rationibus. 2.
Intellige, quando res eſt integra, reſpectu vtriuſque. 3.
Exponitur ſententia affirmatiua cum ſuis rationibus. 4.
Præfertur hæc ſecunda ſententia. 5.
Soluuntur rationes contrariæ opinionis. 6.
Adulter tenetur reconciliari, etiam non reuocata ſententia diuortij. 7.
Si lata ſententia diuortij innocens ſtatum mutauerit per profeſſionem in Religione, non poteſt amplius ſibi reconciliare adulterum. 8.
Idem dic, ſi ſtatum mutauerit per ſuſceptionem ſacrorum Ordinum. 9.
Non tamen, ſi votum ſimplex caſtitatis emiſerit. 10.
Si nulla præceſſerit ſententia diuortij, non poteſt adulter innocente inconſulto, vel inuito ſtatum mutare, vel per profeſſionem in Religione, nec per ſuſceptionem ſacrorum Ordinum, nec per votum ſimplex caſtitatis in præiuditium innocentis. 11.
Si adulter in hac hypotheſi profeſſionem emiſerit, hæc eſt abſolutè nulla. 12.
Nulla lata ſententia diuortij adulter, ſi ſacros Ordines ſuſcepit, validè quidem ſuſcepit, ſed illicitè. 13.
Si innocens non reuocet adulterum promotum ad ſacros Ordines ſine ipſius licentia, quia aſſentitur tali ſuſceptioni, poteſt adulter in ordinibus ſuſceptis miniſtrare. 14.
Nonnulla obiecta diſſoluuntur. 15.
Intellige, etiam ſi innocens vltra non reuocationem non vouerit caſtitatem. 16.
Si innocens non reuocet, ſed tamen non cedat iuri ſuo, non poteſt adulter in illis miniſtrare. 17.
Si innocens reuocauerit adulterum promotum ad ſacros Ordines, & poſtea mortuus fuerit, poteſt adulter ad miniſterium ſacrorum Ordinum tranſire. 18.
Votum ſimplex caſtitatis tenet, non tamen obligat, prout eſt in præiuditium innocentis. 19.
Vxorem dependere à marito quoad voluntatem, & eius actus ſententia affirmatiua. 20.
Sententia negatiua cum eius rationibus. 21.
Vxor quoad ea, quæ non concernunt matrimonium, non ſubditur marito. 22.
Maritus non poteſt irritare vota caſtitatis vxoris quoad ius petendi. 23.
Limita, ſi maritus ſit puſillanimis, qui non audeat petere. 24.
In hoc caſu non irritaret, ſed ſuſpenderet ad propriam vitam. 25.
Probabilius poteſt vxor ſuſpendere votum caſtitatis mariti etiam quoad ius petendi, donec vixerit. 26.

Si

Si præceſſerit ſententia Iudicis laici quoad ſeparationem, vxor adultera non poteſt intra biennium profiteri, benè tamen elapſo biennio. 27.

Ad hunc effectum prærequiritur ſententia Iudicis, vel quod adulterium fuerit notorium. 28.

Elapſo adhuc biennio, ſi mulier ſtatum non mutauerit, poteſt maritus illam ſibi reconciliare. 29.

Biennium non incipit currere marito à die ingreſſus in Monaſterium, ſed à tempore inceptæ emendationis vxoris adulteræ. 30.

Auth. ſed hodie C. ad leg. Iuliam de adult. correcta eſt per ius canonicum. 31.

Poſita ſententia diuortij per Iudicem Eccleſiaſticum, adulter non poteſt ingredi in Monaſterium inconſulto innocente. 32.

Vt poſſit ingredi ſufficit innocentis licentia tacita. 33.

Aſſignatur in quo conſiſtat hæc licentia tacita. 34.

SVB duplici ſenſu poteſt examinari titulus comparatiuè ad vtrumque coniugem adulterantem ſcilicet, & innocentem; primo, quatenus poſt vnius adulterium lata fuerit ſic inſtante innocente ſententia diuortij per Iudicem Eccleſiaſticum, & tunc quæri poteſt, an adulter poſſit licitè innocente etiam inuito tranſire ad Religionem, ſacroſq; ordines, vel votum caſtitatis emittere. Secundo quatenus innocens conſtante de alterius adulterio poſſit ad eandem Religionem, ſacros ordines, vel votum permeare; hocq; etiam attenta duplici conſideratione, vel quatenus præcisè præceſſerit alterius adulterium, nulla tamen ſuper eo ſecuta fuerit ſententia diuortij, vel quatenus, & præceſſerit adulteriũ,& ſententia diuortij ſuper eo iam emanarit.

Duplex ſenſus difficultatis proponitur.

1 Titulus quoad primam partem, ſeu ſecundum primam conſiderationem de adultero, maximè pendet ab illa quæſtione, an coniux adulter lata etiam ſententia diuortij teneatur innocenti agenti ad reconciliationem reconciliari, illique ſe reſtituere; Sub qua etiam conſideratione adhuc DD. diſtinguunt, vel etenim lata ſententia diuortij res adhuc remanet integra reſpectu vtriuſque coniugis, quatenus neuter ſtatum mutauerit, nec ingrediendo Religionem, nec ſacros ordines ſuſcipiendo, nec votum caſtitatis ſimplicis emittendo; vel lata huiuſmodi ſententia res mutata eſt, quatenus alter, vel ad Religionem, vel ad ſacros ordines tranſierit vel votum caſtitatis emiſerit.

An lata ſententia diuortij, adulter teneatur ſe reſtituere innocenti agenti ad reconciliationem?

Quando res adhuc integra manet, nec ſtatus coniugum eſt mutatus aliqui ſtatuunt, quod adulter non teneatur lata ſententia diuortij reconciliari innocenti, nec eum admittere *Monaldus in ſumma tit. de diuortio ratione fornicationis §. an poſſit vir reconciliare ſibi vxorem adulteram inuitam* 2 *Tabiena verb. matrimonium 4. q. 5. num. 6., Sotus in 4. diſt. 36. q. vnica art. 5. ad tertium, Nauarrus lib. 3. conſil. in prima edit. tit. de Regul. conſ. 31. nu. 1.*, quorum opinionem probabilem vocat *Sanchez lib. 10. de diuort. diſp. 10. num. 2.*, licet contrariæ adhæreat. Pluribus rationibus innititur hæc opinio, quæ tamen omnes poſſunt reduci ad hæc duo capita, primo ad naturam ſententiæ diuortij, quæ conſtituit ius irretractabile reſpectu vtriuſque, cum ex neutra parte debeat claudicare; vndè ſicuti coniux innocens poſita tali ſententia non poteſt cogi ad recipiendum adulterum petentem reconciliationem, ita 3 nec adulter tenetur innocenti eandem reconciliationem concedere; Secundo, ad voluntatem eiuſdem coniugis innocentis, qui ex quo admiſit ſententiam diuortij, non videtur amplius eidem poſſe obſiſtere, cum maximè, ſi egerit ipſe ad illam ſententiam, ceſſerit iuri ſuo in ordine ad corpus alterius coniugis adulteri. Ex aduerſo alij expreſsè aſſerunt innocente agente ad reconciliationem, non obſtante ſententia diuortij, teneri adulterum eandem admittere, ſeque illi reſtituere, atque huius opinionis ſunt *D. Thomas in 4. diſt. 35. q. vnica art. 6. ad tertium, & ibi D. Bonauentura art. vnico q. 5., D. Antoninus 3. part. tit. 1. c. 21. §. 6. vers. effectus accuſationis, Gloſa c. ex literis verb. redire de diuort., Hoſtienſis in ſumma tit. de conuerſ. coniug. num. 9. verſ., & numquid, Præpoſitus c. ex parte num. 4. de ſponſalib.* Mouentur primo, quia illa ſententia diuortij lata 4 eſt potiſſimum in fauorem innocentis, & in odium delinquentis, ergo per illam intelligitur adempta libertas reſpectu eiuſdem delinquentis, quatenus non ſit admittendus ad reconciliationem innocente inuito, non autem reſpectu eiuſdem innocentis, quatenus, ſi petat reconciliationem etiam aduerſus voluntatem delinquentis, non ſit admittendus, cæteroqui quod in fauorem ipſius innocentis introductum eſt retorqueretur in ipſius odium ſcilicet ad demendam ipſius libertatem. Secundo, quia cum ſententia diuortij lata ſit ad inſtantiam, & in fauorem eiuſdem innocentis intelligitur lata ſub tacita conditione, ſi ipſe noluerit reconciliari, quæ conditio valdè conſona rationi intelligitur ſtante vinculo indiſſolubili coniugij, quod, quamuis ſtare poſſit ſine actuali iure ad vſum corporis coniugum, petit tamen ex genere ſuo, vt in illo vſu, ad quem ordinatur, tanquam ad effectum perri-

Sententia negatiua exponitur cum ſuis rationibus

Intellige, quãdo res adhuc eſt integra, reſpectu vtriuſque

Exponitur ſententia affirmatiua cum ſuis rationibus.

Digitized by Google

perficiatur, ſeu perfici poſſit, & ſi quid tali vſui obſtet, eſt præciſè adulterium alterius, vndè reſpectu innocentis ſemper vrgere debet ius ad illum vſum, ergo, ſi ipſe innocens petat reconciliationem, & velit reconciliari, ſententia illa diuortij non poterit illi obeſſe, ſiquidem lata eſt ſub illa tacita conditione. Tertio, quia per illam ſententiam diuortij non intelligitur innocens condemnatus, nec aliqua pæna eidem iniuncta, ſiquidem iuſtitia non poſtulat, vt innocens condemnetur, & ſubeat pænam reo debitam, ergo, cum condemnatio, & pæna reſpiciat diuortium, & ſeparationem, hæc non poteſt afficere coniugem innocentem. Quid igitur in hac quæſtione concludendum? Arbitror tutiora iura, & rationes

5 Præfertur hæc ſecunda ſententia.

fouere hanc ſecundam ſententiam, cui propterea libentiùs adhæreo. Ad obiecta, quæ ex prima ſententia afferuntur, nunc reſpondendũ eſt, & quidem ad primum dico, ſententiã diuortij debere intelligi ſecundũ naturam, & conformitatem ad rem iudicatam, cum autem res iudicata ſit pæna coniugis delinquentis, & fauor innocentis, cenſendum eſt, quod eadem ſententia conſtituat ius irreuocabile reſpectu delinquentis, non vero reſpectu innocentis; nec arbitranda eſt hæc ſententia iniuſta, eo quia non conſtituat ius æquale reſpectu vtriuſq; cum etenim non vigeat eadem, & æqualis cauſa reſpectu vtriuſque, non idem ius reſpectu vtriuſque debet ſortiri, & iuſtitia exigit in ſententia iuſta, vt tribuatur vnicuiq; quod ſuum eſt, non ad æqualitatem perſonarum, inter quas eſt res iudicata, ſed ad æqualitatem cauſæ, ſupra quam cadit ſententia; hæc autem eſt delictum vnius, non alterius, adeoq; &c. Ad ſecundum dicendum eſt, quod quantumuis ſententia lata fuerit ad petitionem, & fauorem coniugis innocentis non propterea intelligatur, quod vigore illius acceptatæ, idem innocens ceſſerit iuri ſuo, ſed dumtaxat voluerit pænam delinquentis, non amittendo iura, quæ ipſi competunt, cum præſumendum non ſit, quod voluerit, vt delinquens pænam ſubeat, ipſe ſimilem pænam ſubire.

6 Soluuntur rationes contrariæ opinionis.

Hic ſolum oritur difficultas, an adhoc, vt adulter teneatur reconciliari innocenti poſt latam ſententiam diuortij, requiratur, vt prius Iudex eandem ſententiam retractet, an vero ea non retractata ad ſimplicem petitionem innocentis, teneatur reconciliari. Suſtinet *Palacios in 4. diſt. 35. diſp. vnica col. 18. verſ ſernitus ergo*, quod requiratur huiuſmodi ſententiæ retractatio præcedentèr ad reconciliationem, eo quia ſententia diuortij alitèr nullum ſortiretur effectum. Sed non arridet hæc opinio, quandoquidem, cum ſententia illa lata ſit in fauorem coniugis innocentis, non intelligitur lata cum læſione eiuſdem libertatis, ſed dumtaxat in odium delinquentis, adeoq; ſub tacita conditione, *ſi innocens noluerit reconciliari*; vndè, ſi poſtea ipſe innocens velit reconciliationem ceſſante illa conditione tacita appoſita remanet ipſe innocens in pleno ſuo iure, perindè ac ſi illa ſententia non fuerit poſita; Nec ex hoc ſequitur, quod illa ſententia nullius penitus eſſet effectus; non ſequitur, inquam, quia præſtat cum præſtat effectum, vt reus ſemper adſtrictus maneat illi pænæ, niſi ipſe innocens eum ſibi reconciliando eandem quodamodo indirectè remittat vtendo propria libertate, quæ ipſi competit.

7 Adulter, tenetur reconciliari etiam non reuocata ſententia diuortij.

Quando vero res adhuc integra nõ eſt, ſed ſtatus alterius coniugis mutatus, eo quod tranſierit ad Religionem, vel ſacros ordines ſuſceperit, vel votum caſtitatis emiſerit; tunc etiam res conſideranda eſt in ordine ad coniugem, vel innocentem, vel reum, quatenus, vel innocens ſtatum mutarit poſt ſententiam diuortij, vel reus; Si innocens ſtatum mutauerit; tunc etiam conſiderandum eſt, an ſtatum mutauerit per profeſſionem in Religione approbata, vel per ſuſceptionem ſacrorum ordinum, vel per emiſſionem ſimplicis voti caſtitatis, vel Religionis; ſi mutauerit per profeſſionem emiſſam in Religione approbata abſolutè non poteſt innocens reconciliare ſibi coniugem adulterum *Palacios in 4. diſt. 35. diſp. vnica col. 17. dub. 2., Ioannes de Friburgo ſumma confeſſorum lib. 4. tit. 22. q. 14.* Ratio ex eo deducitur, quia ex quo tranſiuit per profeſſionem in Religionem iam factus eſt impotens tam ad petendum debitum, quam ad cohabitandum cum vxore, ergo non poterit ipſi reconciliari, nec poterit ipſam compellere ad reconciliationem; Neque obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, quod ratione vinculi coniugalis indiſſolubilis, quod adhuc perſeuerat poſito etiam diuortio per ſententiam Iudicis, non potuerit ſe legitimè obligare Religioni per profeſſionem, cum vinculum coniugale, & vinculum profeſſionis ſint incompatibilia, quandoquidem matrimonium quoad vinculum obligat perſonas ſibi adinuicem quoad dominium, ſeu quaſi dominium, profeſſio vero obligat profitentem Deo quoad abſolutum dominiũ; Non, inquam, obeſſe poteſt, quia tota ratio, ob quam coniugatus non poſſit obligari Deo per ſolemnem profeſſionem non eſt ratione vinculi coniugalis præciſe, ſed ratione oneris, quod habet, red-

8 Si lata ſententia diuortij innocens mutauerit ſtatũ per profeſſionem, non poteſt ſibi reconciliare adulterum.

Digitized by Google

dendi alteri debitum, à quo onere intelligitur exemptus ob alterius adulterium præcipue ſuppoſita ſententia diuortij, nec per ipſum adulterum poteſt ad illud onus amplius obligari, adeoq; non eſt, cur Deo non poſſit obligari per ſolemnem profeſſionem in Religione approbata. Sed an tunc emiſſa per innocentem ſolemni profeſſione ſolutum remaneat vinculum coniugale, adeout adulter remanens in ſæculo poſſit ad alias nuptias tranſire, dicam inferius; Si verè innocens mutauerit ſtatum per ſuſceptionem ſacrorum ordinum adhuc arbitror non poſſe compellere adulterum ad reconciliationem proptèr eandem rationem, quia promotio ad ſacros ordines eſt incompatibilis cum vſu coniugali.

9 Idem dic, ſi ſtatum mutauerit per ſuſceptionem ſacrorũ ordinum.

Si tandem mutauerit per emiſſionem ſimplicis voti caſtitatis, tunc arbitror, poſſe compellere adulterum ad ſe illi reconciliandum *Sanchez lib. 10. de diuortio diſp. 10. n. 6.* Ratio ex eo deducitur, quia per votum caſtitatis non eximitur alter ab onere reddendi debitum ipſi, qui vouit, petenti, quantumuis ſacrilegè petat, quandoquidem votum ſimplex non priuat coniugem iure iuſtitiæ, quod habet in corpus coniugis, ergo etiam per illud votum caſtitatis non eximitur coniux adulter ab onere ſe reconciliandi eidem petenti reconciliationem.

10 Non tamen, ſi votum ſimplex caſtitatis emiſerit.

Si reus, ſeu adulter lata illa ſententia diuortij ſtatum mutauit id eſt, quod ſpecialiter propoſitum eſt diſcutiẽdum in explicatione tituli quoad primam conſiderationem.

Pro quo etiam nonnullæ aliæ inſpectiones ſunt conſiderandæ, & primo, an nulla ſententia diuortij præceſſerit, quod licet non fuerit in titulo propoſitum, multum tamen confert ad præſens inſtitutum, quod propterea non eſt omittendum; Secundo, ex ſuppoſitione, quod ſententia aliqua præceſſerit, an fuerit dumtaxat Iudicis laici, an vero etiam Eccleſiaſtici. Tertio, an adulter poſſit, vel ad Religionem, vel ad ſacros ordines tranſire, vel ſimplex votum caſtitatis emittere inſcio, & inconſulto altero coniuge, an etiam eo abſolutè inuito, & quid, ſi tranſierit ad huiuſmodi ſtatus eo, vel inconſulto, vel inuito, an ſcilicet ab innocente, qui non conſentit, poſſit reuocari.

Nonnullæ conſiderationes.

His ſic propoſitis quoad adulterum ſecundum primam conſiderationem paria, vel ſimilia dubia conſurgunt etiam quoad innocentem iuxta ſecundam conſiderationem in explicatione tituli propoſitam. Interim ſit

Aſſertio I. Si nulla præceſſerit ſententia diuortij, non poteſt adulter innocente, vel inconſulto, vel inuito ſtatum mutare per profeſſionem in Religione, vel per ſuſceptionem ſacrorum ordinum, quinimmo, nec per votum ſimplex caſtitatis in præiuditium eiuſdem innocentis, quod, ſi mutauerit, poterit reuocari. Ita quotquot ſuſtinent non poſſe mutare ſtatum poſt latam etiam diuortij ſententiam *Goffredus in ſumma tit. de conuerſ. coniug. n. 8., D. Antoninus 3. part. tit. 1. c. 11. §. 6. vers. effectus accuſationis, Barboſa rub. ff. ſolut. matrim. part. 2. n. 22. in fin., Graffius 1. part. decis. lib. 2. c. 84. num. 14., Silueſter verb. diuortium q. 10.*

11 Non lata ſententia diuortij, nõ poteſt adulter ſtatũ mutare in præiuditiũ innocẽtis.

Ratio ex eo deducitur, quia conſtante matrimonio, eoque conſummato nullo intercedente adulterio alter ex coniugibus non poteſt ſtatum mutare, vel per illam profeſſionem, vel per illam ſacrorum ordinum ſuſceptionem, vel per votum caſtitatis altero coniuge inconſulto, vel inuito, & ſi mutet, poteſt per alterum reuocari, vt eſt in confeſſo apud omnes, & hoc ratione iuris perfectè quæſiti, quod habet alter coniux in ipſius corpus, ergo etiam interueniente adulterio, ſi nulla præceſſerit ſententia diuortij, non poterit coniux adulter innocente inconſulto, vel inuito ſtatum mutare, & ſi mutauerit, poterit ab innocente reuocari. Conſequentia probatur, quia adulterium licet ius transferat in innocentem diuertendi ab adultero, non tamen eximit ipſum adulterum ab onere permanendi cum eodem innocente, eiq; reddendi debitum, ſi ipſe velit, ergo cum illæſum remaneat ius, quod habet innocens in corpus adulteri, non poterit idem adulter ipſo innocente inconſulto, vel inuito illum ſtatum mutare, & ſi mutauerit, poterit legitimè reuocari.

Rationes pro aſſerto.

Solum hic remanent nonnulla dubia examinanda, & diſcutienda. Primum eſt, an ſi de facto idem adulter inconſulto coniuge innocente profeſſionem in Religione approbata emiſerit, ſit abſolutè inualida talis profeſſio, adeout, ſi reuocetur per coniugem innocentem, & inuitum, non teneatur amplius eo defuncto onera profeſſionis ſuſtinere. Secundum, an, ſi de facto ſacros ordines ſuſceperit, valida ſit ſuſceptio, item, an poſſit in illis ordinibus miniſtrare, ſi non reuocetur, & ſi reuocetur, teneatur ab illorum exercitio abſtinere, item, an, ſi fuerit reuocatus, & poſtea coniux innocens præmortuus fuerit, poſſit immediatè ſine alio ad exercitium illorum ordinum redire.

Nonnulla dubia excitata.

Tertium, an illa emiſſio voti ſimplicis caſtitatis ſit ipſo iure irrita, an talis ſolummodo, vt poſſit per alium coniugem innocentem irritari, adeout non ſolum

tenea-

Digitized by Google

teneatur reddere, ſed etiam liberum ſit etiam petere; & an, ſi innocens obierit, teneatur adulter, qui vouerat, votum illud, quod emiſerat, adimplere.

Ad primum probabilius ſentio profeſſionem illam eſſe abſolutè inualidam, adeo, vt profeſſus ſit reuocatus etiam mortuo reuocante, non teneatur amplius

12 **Profeſſio emiſſa ab adultero nulla lata ſententia diuortij, eſt nulla.**

onera profeſſionis exequi *Gloſa in c. Agatoſa verb. debeas 27. q. 2., Sotus in 4. diſtinct. 27. q. 1. art. 4. col. penult. verſ. caſus autem, Lancel. Inſtit. iur. can. lib. 2. de diuortijs §. quæſitum tamen eſt verb. teneri, D. Bonauentura in 4. diſt. 27. in expoſit. lit. nu. 4.* Videtur expreſsè colligi ex textu *in c. quidam de conuerſ. coniug.*, vbi ſic legitur, *Votum non tenuit, vnde ratione voti ad Religionem redire*; Hic erat ſermo de coniuge, qui profeſſionem emiſerat in Religione altero coniuge incõſulto, & cum dicatur, quod votum illud non teneat, vtique intelligi debet, quod in ſui origine nullam vim habuerit, & quidem, nec in vim voti ſimplicis caſtitatis, prout latè docuimus *tom. 6. ſub tit. Contractus XV. de matrimon. 2. prænot. 9. nu. 11.* Neque obeſſe poteſt, textus *in c. placet de conuerſ. coniug.*, vbi dicitur, quod conſultiùs, & congruentiùs foret ad reuocati ſalutem, ſi ad monaſterium rediret; Non, inquam, obeſſe poteſt, quia ly *conſultiùs* non importat neceſſitatem, ſed melius eſſe, ſi ad Religionem redeat; Deindè dici poteſt conſultiùs eſſe non ratione obligationis ex illa profeſſione emanantis, ſed in pænam intentati delicti contra ius alterius; Neque vlterius obeſſe poteſt, ſi dicatur ea, quæ in probatione dicuntur, & *in d. c. quidam de conuert. coniug.*, rectè procedere, quia ibi agitur, quando matrimonium eſt perfectum, conſummatum, & illæſum, & integrum; non autem quando matrimoniū ratione diuortij eſt quodamodo læſum, licet non quoad principium, & vinculum coniugale, ſaltem quoad vſum, & ius actuale; Non, inquam, obeſſe poteſt, quia quoad innocentem ius adhuc remanet illæſum etiam quoad vſum, cum in libertate ipſius ſit adulterum ſibi reconciliare, & reuocare, vndè deficiente ipſius licentia, non eſt, cur profeſſio emiſſa non ſit irrita, & profeſſus reuocabilis.

Explicatur textus vt nō obſtans noſtro ſenſui

Ad ſecundum aſſero ſuſceptionem illorum ſacrorum ordinum inconſulto altero coniuge innocente certè quoad validitatem ſubſiſtere, quantumuis adulter ſic ſuſcipiens enormitèr, & grauiſſimè peccaret. In hoc aſſertum arbitror omnes propendere; non etenim eſt de iure diuino, quod coniugatus non poſſit promoueri ad ordines ſacros, ſed dumtaxat de iure Eccleſiaſtico, quod ius Eccleſiaſticum non poteſt irritare ordinem, ſi ſuſcipiatur cum omnibus requiſitis de iure diuino; nec ipſum coniugium aduerſatur ſubſtantiæ eorundem ſacrorum ordinū, adeo vt reſiſtat eorundem collationi, quandoquidem tota oppoſitio, ſi quæ eſſet, eſſet ratione caſtitatis annexæ eidem ordini, ſed illa connexio non eſt ex natura eiuſdem ordinis, ſed tantum de iure Eccleſiaſtico, adeoq; &c. Enormitèr tamen peccaret coniux, qui ad huiuſmodi ordines promoueretur altero inconſulto, quandoquidem, & læderet ius eiuſdem, & faceret contra præceptum Eccleſiaſticū; Neque dicas, quod ſicuti ex ſuperius dictis profeſſio emiſſa in Religione abſque alterius coniugis licentia eſt abſolutè in radice ſua irrita, ita, & ſit irrita ſuſceptio ſacrorum ordinum ſine tali licentia; contra enim impugnaberis, quia diſpar omnino eſt ratio de coniugato in ordine ad profeſſionem ſine alterius licentia, ac de eodem coniugato in ordine ad ſuſceptionem ſacrorū ordinum ſine eadem facultate; nam profeſſio eſſentialitèr conſiſtit in votis illis ſolemnitèr emiſſis, quæ vt ſubſiſtant, exigunt plenam libertatem in eo, qui illa emittit, quæ certè libertas eſſe non poteſt, quando id, quod intenditur in talibus votis, eſt alteri obligatum, niſi accedat ipſius, cui obligatum eſt, licentia, adeoq; illa non exiſtente irritum eſt votum, & profeſſio defectu libertatis requiſitæ; ſuſceptio autem ſacrorum ordinum eſſentialitèr non conſiſtit in aliquo voto, quod dependeat ab alterius coniugis licentia, & facultate, ſed in impreſſione caracteris, & facultatis ſpiritualis in ordine ad Eccleſiaſtica munera obeunda, quæ impreſſio caracteris, & facultatis ſpiritualis non dependet niſi à capacitate ſubiecti recipientis, & voluntate conferentis, quæ propterea non eſt, cur non ſubſiſtat, quantumuis non acceſſerit alterius coniugis licentia, cum ab eo nullo modo dependeat. Verum tamen eſt, quod cum ex diſpoſitione iuris canonici adnectatur ſacrorum ordinum ſuſceptioni votum, vel præceptum continentiæ ſeruandæ, & quoad hoc dependeat a voluntate alterius coniugis, non accedente facultate illius alterius coniugis illud votum, ſeu præceptum quoad ius eiuſdem coniugis non ſubſiſtat, quantumuis ſubſiſtat quoad onus eiuſdem vouentis implicitè in ſacra ordinatione; quatenus ſcilicet ipſum non eximat ab obligatione reddendi, licet priuet iure petendi.

13 **Nulla lata ſententia diuortij adulter, ſi ſacros ordines ſuſceperit, valide ſuſcepit, ſed illicitè.**

Diſpar ratio de ſuſceptione ſacrorum ordinum, ac de profeſſione.

Ad illud, quod ſubditur primo loco circa hoc ſecundum dubium, an ſcilicet, ſi de facto ſuſceperit inconſulto altero

G 2 coniu-

Digitized by Google

coniuge huiuſmodi ordines ſacros,& non reuocetur ab altero coniuge facto conſcio, ſeu certiorato de tali ſuſceptione poſſit miniſtrare in ſacris ordinibus ſuſceptis, an vero teneatur ab illorum miniſterio abſtinere, cum diſtinctione pro reſolutione procedendum eſt; vel etenim innocens non reuocat, quia præſumitur aſſentiri, ſeu tacitè licentiam præbere, quam præſumptam voluntatem etiam indicant alia adminicula, vel non reuocat, quatenus non intendat quidem ratam habere illam ordinũ ſuſceptionem, ſed dumtaxat perſeuerare in iure ſibi cõpetente ex adulterio alterius non cohabitandi,nec reddendi debitum,ita tamen, vt non cedat iuri ſuo ſibi reconciliandi adulterum. Iuxta primum membrum diuiſionis arbitror poſſe miniſtrare in ſacris ordinibus ſuſceptis, etiam ſi alter innocens vltra talem non reuocationem non voueat caſtitatem. Ratio ex eo deducitur, quia illa tacita non reuocatio, cum poſſet reuocare, adiuncta cum alijs adminiculis habetur pro tacita licentia *D. Antoninus 3. part. tit. 1. c. 21. §. 6. vers. effectus accuſationis, Albericus in ſuo diction. lit. M. verb. matrimonium 8. vers. quod, ſi aliquis coniugum, & lit. D. verb. diuortium §. diuortium ſecundum vers. quæro vtrum coniux, Ioannes de Friburgo ſumma confeſſorum lib. 4. tit. 22. q. 14., Nicolaus de Orbellis in 4. diſt. 35. q. 2. §. 2., Silueſter verb. matrimonium 9. q. 11.*, ſed ſuſceptio ſacrorum ordinum reſpectu coniugati quãtumuis adulteri cum alterius coniugis licentia non eſt cum impedimento ad exercitium eorundem ordinum, ergo &c. Neque obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, quod non poſſit miniſtrare in eiſdem ſacris ordinibus quodamodo in pænam, eo quod eoſdem ſacros ordines ſuſceperit coniuge innocente inconſulto, nec poſſit eidem ordinato ſuffragari, quod poſtea acceſſerit alterius licentia; Non, inquam,obeſſe poteſt, quia intantum impeditur ab exercitio ſacrorum ordinum, in quantũ congruum non eſt, vt ſimul verſetur in exercitio ordinum, & in vſu coniugali,ſi reuocaretur à coniuge innocente, à quo, ſi licentiam non præſtiterit, vtique poſſet reuocari, ergo, ſi poſtea talis licentia acceſſerit, non erit, cur non poſſit in eiſdem ordinibus miniſtrare, nam ceſſante cauſa prohibitionis non eſt, cur ceſſare non debeat prohibitio; Neque vlterius obſtare poteſt, ſi aſſeratur, quod per illam ordinum ſuſceptionem inconſulto altero coniuge non ſolum fuerit læſus ipſe alter coniux, ſed etiam Eccleſia, quæ prohibet ſuſcipi huiuſmodi ordines ſine alterius coniugis licentia, & ſic quod licet per illam tacitam, & rationabilitèr præſumptam licentiam,remittatur iniuria facta eidem coniugi, non tamen intelligatur remiſſa iniuria facta Eccleſiæ, à qua propterea requirenda eſt remiſſio, vel per diſpenſationem, vel per expreſsã licentiam, ſicq; non poterit ipſo iure miniſtrare; Non,inquam,obſtare poteſt, quandoquidem tota ratio, ob quam irrequiſito, & inconſulto altero coniuge vetat Eccleſia in coniugato ſacrorum ordinum ſuſceptionem, eſt proptèr ius, quod alter habet, ne proprius coniux cõtra ipſius voluntatem promoueatur ad eoſdem ordines, & ne cum iure, quod habet vt ſibi reddatur debitum, ſtet miniſterium in eiſdem ſacris ordinibus, quod valdè incongruum eſt, & propterea indixit abſtinentiam ab vſu ordinum, niſi habeatur licentia à coniuge innocente, ratione cuius licentiæ eximitur à iure petendi debitum. Dixi *etiam, ſi alter innocens vltra talem non reuocationem non voueat caſtitatem*, quandoquidem ſicuti poteſt non reuocare, quantumuis adulter non fuerit promotus ad ſacros ordines,& ſemper permanere in tali ſeparatione, non obſtante, quod votum caſtitatis non eliciat, ita poteſt non reuocare,& tacitè licentiam concedere per illam non reuocationem firmatam alijs adminiculis quantumuis fuerit promotus ad ſacros ordines, etiam, ſi ipſe non voueat caſtitatem; Neque obeſſe poſſunt ea, quæ alibi dicta ſunt *ex c. ſanè c. cum ſis c. ſignificauit de conuers. coniug.*, in quibus dicitur, quod alter coniux, non poſſit ſtatum mutare altero in ſęculo manente ſaltem abſque voto caſtitatis; Non, inquam, obeſſe poſſunt, quia,vt benè aduertit *Sanchez de matrim. lib. 10. de diuortio diſp. 10. n. 15.*, allegati textus procedunt dumtaxat,quãdo matrimonium eſt omnino illæſum, & integrum, ſecus autem, quando eſt per adulterium læſum, & per diuortiũ quodamodo ſeparatum, ſi non quoad vinculum coniugale, ſaltem quoad torum, & habitationem; cum etenim tunc innocens ius acquiſierit ad diuertendum ab adultero, & liber ſit ab ipſius conſortio, ſufficit,quod iuri ſuo ceſſerit, ratione cuius ceſſionis etiam alter conſtituitur liber, & ſicuti innocens independentèr à conſenſu adulteri, & abſque voto illius, poteſt ad Religionem tranſire, vel ſacros ordines ſuſcipere, ita hoc poterit præſtare adulter, ſuppoſita præciſè facultate innocentis abſq; illius voto.

Iuxta ſecundum membrum diſtinctionis arbitror teneri coniugem adulterum promotum ad ſacros ordines abſtinere ab exercitio ordinum ſuſceptorum,donec inno-

14 **Adulter, poteſt in ordinibus ſuſceptis miniſtrare, ſi innocens non reuocet; quia aſſentiatur.**

15 **Nonnulla obiecta diſſoluuntur.**

16 **Intellige etiam, ſi innocens vltra non reuocationem non vouerit caſtitatem**

Digitized by Google

innocens eidem præſtiterit facultatem ſe
17 abſtinendi ab vſu coniugali, eumque liberarit ab onere reddendi ſibi debitum. Ita ſentire videntur licet in diuerſis terminis, *Sanchez de matrimon. lib. 7. disp. 35. n. 14., Silueſter verb. diuortium q. 16. cas. 3., Palatios in 4. diſt. 27. disp. 2. col. 34. vers. hæſitus 2.* Dixi, *licet in terminis diuerſis*, quandoquidem iſti loquuntur, quando alter coniux tranſiuit ad Religionem, altero, nec conſenſum poſitiuum præbente, nec diſſenſum, ſed præcisè tacente, & inde deducunt, quod profeſſio per coniugem, qui tranſiuit in Religionem, non teneat, eo quia illa taciturnitas non habeat rationem licentiæ requiſitæ ad validam profeſſionem, ſed hæc eadem ratio militat in caſu, de quo hic loquimur, ſiquidem etiam ad ſuſceptionem ſacrorum ordinum in altero coniuge ad effectum, vt eximatur ab onere reddendi debitum, requiritur alterius coniugis licentia, quæ vtique non habetur, quando alter non reuocat, ſed præcisè tacet; neque obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, non requiri eſſentialitèr licentiam formalem, & expræſſam, ſed ſufficere tacitam, & interpretatiuam; hic autem arguitur tacita licentia, tum ex eo, quod taciturnitas in ijs, quæ noxia ſunt tacenti, quæque auertere poteſt loquendo, habetur pro conſenſu *Bartolus in l. qui dotis nu. 13. verb. ſi vero contradicendo ff. ſol. matrim., Caſtrenſis ad l. Caius col. 2. ff. de pignor. act., Alexander in l. ſæpe n. 18. ff. de re iud.*, tum ex eo, quod, ſi coniux in ſæculo relictus longo ſpacio diſſimulauit, cum poſſet reclamare rata efficitur profeſſio proptèr præſumptam licentiam, & interpretatiuam ratificationem *c. conſuluit de cōuerſ. coniug., Roſella verb. impedimentum imped. 11., Nauarrus lib. 3. conſil. tit. de conuers. coniug. in priori edit. conſ. 4. n. 4. in poſteriori cons. 5. n. 4.*, ergo etiam rata habebitur ſuſceptio ſacrorum ordinum quoad effectum deobligandi promotum ad ſacros ordines ab onere reddendi debitum; Non, inquā, obeſſe poteſt, quia illa diſſimulatio, ſeu non reuocatio, quando non coniungitur cum alijs adminiculis, non habetur propriè pro licentia ſufficienti ad effectum, vt promotum eximat ab onere reddendi ſibi debitum, eique ius tribuat ad miniſtrandum in ſuſceptis ordinibus, quandoquidem ex quo ipſe promotus deliquit in adulterio per ſe commiſſo antecedenter ad ipſam promotionem innocens ius quæſiuit ad dimittendum, & ex quo forte dimiſerit, non amiſit ius ſibi etiam competens ad reuocandum, hocq; ius ad reuocandum non limitatur ad determinatum tempus, nec obligat ad reuocandum in hac, vel in illa determinata temporis circumſtantia, adeo vt, ſi in illa non reuocet, amittat ius reuocationis. Cum igitur innocens ſemper ius habeat ad reuocandum, nec obligetur ad reuocandū pro determinato tempore, vtique ex eo, quod taceat, nec reuocet promotum ad ſacros ordines ad vſum coniugalem, non intelligitur ius illud ad reuocandum amittere, nec illa taciturnitas, ſeu non reuocatio illi poteſt præiuditium afferre, quandoquidem non reſtringitur ad determinatum tempus poteſtas reuocandi, nec ex actione contra iuſtitiam, quam exercet adulter in promotione ad ſacros ordines minuitur ius innocentis ad reuocandum, quotieſcunque voluerit.

Si innocens non reuocet, ſed tamen non cedat iuri ſuo, nō poteſt adulter in illis miniſtrare.

Non ſufficit mera diſſimulatio.

18 Ad illud, quod ſubditur ſecundo loco dicendum eſt, quod, ſi fuerit poſt ſuſceptionem ſacrorum ordinum coniux adulter reuocatus, & poſtea innocens obierit, probabilius poſſit idem adulter ſic promotus ad miniſterium ſacrorum ordinū ſuſceptorum tranſire. Non alia ratione moueor, niſi quia nullum eſt aſſignabile impedimentum, quominus poſſit in ſuſceptis ordinibus miniſtrare; non defectus poteſtatis ordinis, quandoquidem ſupponitur validè ordinatus; non debitū coniugale, quādoquidem hoc diſſolutum intelligitur, non ſolum quoad thorum, & habitationem, ſed etiam quoad vinculum coniugale per mortem, ſcilicet, alterius coniugis; Solum, ſi quod eſſe poſſet impedimentum, eſſet aliqua ſuſpenſio in pænam ordinis ſuſcepti durante coniugio ſine licentia alterius coniugis, de qua pæna ſuſpenſionis, ſi verè conſtaret, dicerem ad ſummum impedire pro tempore, pro quo durat coniugium, cum æquum non ſit, vt quis ſacris altaribus adminiſtret, & ſimul coniugi quoad vſum matrimonialem inſeruiat; vndè ceſſante tali coniugio per mortem alterius coniugis, non eſt, cur ad ſacra miniſteria non valeat tranſire, nec quoad ſuſpenſionem indiget abſolutione, prout indiget quoad excommunicationem, quandoquidem ſuſpenſio ex genere ſuo tollitur ſublato eo, pro quo eſt impoſita, prout in ſimilibus docet *Megalius in 3. par. lib. 5. c. 2. q. 1. num. 2., & 3.* per textum *in c. ex literis de conſtit., & c. præsbiter 2. q. 5.*, tum quia non tolli abſq; abſolutione per reſcipiſcentiam ſtatuitur ſolum de excommunicatione per textum *in c. cū deſideres de ſent. excom.*, quæ diſpoſitio propterea non eſt extendenda ad ſuſpenſionem per textum *in l. odia de reg. iur., Diana part. 5. tract. 10. reſol. 25.*

Adulter reuocatus mortuo reuocante, poteſt ad miniſteriū ordinum ſuſceptor. tranſire.

Nec obſtat ſuſpēſio, ſi quæ.

Ad tertium tandem ſentio vota ſimplicia caſtitatis emiſſa ab altero ex coniu-

gibus

Digitized by Google

gibus altero inconſulto, ſeu inuito non
19 eſſe ipſo iure irrita, ſi loquamur de votis, prout important promiſſionem de nõ petendo debito, ſecus vero, prout important promiſſionem de negando debito, quandoquidem ſub hac ſecunda conſideratione certè ipſo iure ſunt irrita, nec inducunt obligationem non reddendi ipſum debitum, quia hoc eſſet contra iuſtitiam matrimonij. Ratio autem, cur non ſint irrita, prout important promiſſionem Deo factam de non petendo debito, ex eo deſumitur, quia eſt obligatio de obiecto, quod eidem vouenti omnino liberum videtur, nec videtur alteri coniugi noxium.

Votũ ſimplex caſtitatis emiſſũ ab adultero, obligat, nõ tamẽ, prout eſt in præiudicium innocẽtis.

Maior difficultas eſt, an alter coniux poſſit irritare votum caſtitatis alterius emiſſi etiam poſt conſummationem matrimonij quoad ius petendi debitum, adeo vt illud iuſtè poſſit petere. Hæc difficultas potiſſimum procedit ex illo Geneſis 3. *Sub viri poteſtate eris, & ipſe dominabitur tui*, & ex illo Apoſtoli ad Epheſios 5., *mulieres viris ſuis ſubditæ ſint, ſicut Domino, quoniam vir eſt caput mulieris, ſicut Chriſtus eſt caput Eccleſiæ, ſed ſicut Eccleſia ſubiecta eſt Chriſto, ita, & mulieres viris ſuis in omnibus*. Ex quibus textibus duo videntur colligi; primum, quod maritus vtpotè ſuperior ad vxorẽ poſſit eiuſdem vota irritare, non quidem ratione præcisè rei promiſſæ, quæ eidem marito ſit debita, ſed etiam ratione perſonæ propter ſubiectionem, quam habeat vxor eidem in omnibus. Secundum, quod idem non militet in vxore quoad vota mariti, cum hic non ſit illi ſubditus. Vt clariùs hac in re procedamus, ea controuerſia prius examinanda eſt, an vxor quoad vota non ſolum habeat dependentiam a marito ratione rei promiſſæ, ſed etiam quoad voluntatem, omneſque actus dependentèr ab eadem voluntate; *Affirmant*
20 *Abulenſis in c. 30. Numerorum Sotus lib. 7. de iuſt. q. 7. art. 1. verſ. an vero ſicuti, Aragonius 2. 2. q. 88. art. 1., Sanchez de matrimon. lib. 9. diſp. 39. n. 4., & lib. 4. ſummæ c. 34. num. 3., Fagundez in Decal. lib. 2. c. 38. n. 2., Diana part. 4. tract. 4. reſol. 110., & part. 3. tract. 4. reſol. 220., Ioannes Angelus Boſſius de effect. matrimon. c. 8. n. 16., & 19.*, hocque videtur expreſsè colligi; *ex c. 30. Num.*, vbi ſic legitur, *Si mulier maritum habuerit, & vouerit aliquid, ſi audiens vir ſtatim contradixerit, & irritas fecerit pollicitationes eius, propitius ei erit Dominus* nec poteſt hic textus præciſè intelligi quoad ea vota, in quibus ratione rei promiſſæ vxor ipſa intelligitur prius obligata marito, quia omnes interpretes, & præcipuè *ſeptuaginta, Vatablus, Pagninus, D. Auguſtinus relatus in c. noluit, & in c. manifeſtum 33. q. 5., & D. Ambroſius relatus c. fin. 33. q. 5.*, intelligunt de quocunque voto etiam continentiæ. Quod etiam innuiſſe videtur, *D. Thomas 2. 2. q. 88. art. 8. ad 3.*, vbi habet, quod *nullum votum Religioſi ſit firmum, niſi de conſenſu Prælati, ſicut, nec votum puellæ exiſtentis in domo, niſi ſit de conſenſu Patris, nec vxoris, niſi de conſenſu viri*; & quidem rectæ rationi videntur huiuſmodi iura, & auctoritates inniti, quandoquidem recta familiæ gubernatio, cuius maritus eſt caput, mutuus inter coniuges amor, politica filiorum educatio exigunt, ne vxor nouas obligationes ſibi aſſumat, cum inde poſſent oriri rixæ, & diſcordiæ. Ex aduerſo negant *Cardinalis in c. ſcripturæ de voto, Turrecremata in c. manifeſtum 33. q. 5., Nauarrus in man. c. 12. nu. 64. verſ. maritus, Graſſus decis. aurear. par. 1. lib. 2. c. 29. n. 8., & part. 2. lib. 2. c. 12. nu. 45.*, eo quia nullo iure euincitur, quod vxor ſit ſubdita marito in ijs, quæ non concernunt matrimonium, nec vſum ipſius, ſed ſunt merè dependentia à libera voluntate eiuſdem vxoris; non iure naturali, quia vinculum, quod conſurgit ex vi matrimonij, debet commenſurari iuri eiuſdem matrimonij, & non aliter; ex vi autem matrimonij non conſurgit, niſi ſubiectio, & obligatio conueniens, & proportionata ſtatui matrimoniali, quæ conſiſtit in ijs, quæ pertinẽt ad vſum matrimonij, ad educationem prolis, & familiæ gubernationem; quæ non impedit votum caſtitatis ſimplex, cum adhuc vxor viro petenti, teneatur reddere debitum, poſſit æquè benè prolem educare, & familiam in ijs, quæ ſui muneris ſunt, gubernare; neque ex illo voto, vt ex dictis pro contraria ſententia, poteſt oriri illa diſſolutio pacis, & mutui amoris, quandoquidem tale votum non diſſoluit ea, quæ ſunt debita ex vi matrimonialis vinculi, & in ordine ad alia, quæ ſtatum matrimonialem non concernunt, maritus eſt irrationabilitèr inuitus, & immeritò pacem ſolueret, & amorem; Non iure diuino, nam, ſi quod ius eſſet aſſignabile, vel illud eſſet, quod pro priori ſententia adductum eſt *ex c. Num. 30.*, vel illud *Pauli ad Epheſ. 5.*, in quorum primo, dicitur, quod maritus, ſi audierit, & ſtatim contradixerit pollicitationibus vxoris, eas irritas reddat, quod intelligendum eſt de pollicitationibus, & votis, tàm ratione rei promiſſæ, quàm ratione voluntatis promittentis, ſeu vouentis, cum textus ille loquatur ſine vlla diſtinctione, & reſtrictione; In ſecundo verò dicitur, quod mulieres ſubditæ ſint viris ſuis, ſicut Domino;

An innocens poſſit irritare votũ adulteri quoad ius petendi.

Ratio dubitandi à quo deſumatur.

Vxorem pendere à marito quoad voluntatem, & eius actus ſentẽtia affirmatiua.

21 *Sententia negatiua cum eius rationibus exponitur.*

Soluuntur rationes opinionis oppoſitæ.

Digitized by Google

mino; Domino autem ſubditæ ſunt in omnibus; vndè ſubdit, quod *ſicuti Eccleſia ſubiecta eſt Chriſto, ita, & mulieres viris ſuis in omnibus*; ſed hæc iura nihil euincunt; non primum, quia, vt benè notant *Suarez lib. 3. de voto c. 6. nu. 26., & lib. 6. c. 4. n. 26., & 7., Leſſius de iuſt. lib. 2. c. 40. n. 99., Caſtrus Palaus tom. 3. tract. 15. diſp. 2. p. 6. n. 2., & 3.*, textus ille non importat legem naturæ, ſed merè ceremonialem, & pro illo populo latam, quæ propterea in aduentu Chriſti Domini abrogata eſt. Deindè, vt benè notant præcitati DD., quantumuis ille textus non contineret merè cærimonialia, adhuc nihil euinceret, quia procedit tantum de votis abſtinentiæ, prout important macerationes, & cruciatus corporis, ſub quibus non comprehenditur votum abſtinentiæ; Non ſecundum deſumptum ab Apoſtolo ad *Epheſ. 5.*, quandoquidem paritas, & proportio, qua vtitur Apoſtolus, non procedit quoad omnia, cæteroqui ſicut Chriſtus eſt Dominus proprietatis, & iuriſdictionis quoad omnia circa Eccleſiam, ita maritus eſſet Dominus tali pacto quoad omnia circa vxorem, quod non eſt dicendum; Procedit igitur ſolummodo quoad omnia, quæ ſunt dependenter à matrimonio, quæque pertinent ad iura eiuſdem formalitèr ſumpta; Non tandem iure humano, cum ius humanum non poſſit adimere libertatem quoad ea, in quibus, nec iure naturæ, nec diuino adimitur. Quod igitur in hac controuerſia concludendum? Arbitror in alijs materijs, in quibus vota non concernunt iura matrimonij, vel ratione debiti reddendi, vel ratione prolis educandæ, vel familiæ gubernandæ vxorem non eſſe ſubditam marito. Conſentiunt DD. omnes pro ſecunda opinione allegati, & vlterius *Flamma part. 3. method. c. 4. num. 27., Fernandez in medulla part. 1. in c. 6. §. 23., Azorius 1. part. lib. 11. c. 16. q. 10., & c. 17. q. 12., Leſſius lib. 2. de iuſt. c. 40. n. 99., Laiman. lib. 4. tract. 4. c. 7. n. 12., Baſilius Pontius de matrim. lib. 10. c. 17. n. 3., Gordonus Theolog. mor lib. 6. q. 5. n. 70., Filliutius tom. 2. tract. 26. c. 8. nu. 235., & ſeqq., Bonacina tom. 2. diſp. 4. q. 2. punct. 7. prop. 3. §. 2.*, hocque ſatis, ſuperque euincunt rationes pro ſecunda opinione adductas. Quibus ſtantibus

22 **Vxor quoad alia à matrimonio non ſubditur marito.**

Dico primo, maritum non poſſe irritare votum caſtitatis ab vxore emiſſum quoad ius petendi debitum *Suarez lib. 6. de voto c. 4., & tomo 3. de Religione lib. 9. c. 8. n. 5., Leſſius lib. 2. de iuſt. c. 40. n. 94., Baſilius Pontius de matrim. lib. 10. c. 17. n. 5., Laiman lib. 4. tract. 4. c. 7. n. 16., Gordonus Theologia moralis lib. 6. q. 5. n. 70., & ſeqq.*

23 **Maritus, nō poteſt irritare votū vxoris quoad ius petendi.**

Ratio ex eo deducitur, quod dicebamus pro ſecunda opinione, quod ſcilicet vxor non ſubdatur marito, niſi in ijs, ad quæ maritus habet ius ex vi vinculi coniugalis, non in ijs, in quibus ſtante adhuc vinculo coniugali vxor eſt omnino libera, ſed vxor ex vi vinculi coniugalis tenetur tantum viro petenti reddere, & quoad petendum omnino libera eſt, & non petendo nullum marito præiudicium infert, ergo maritus, quoad ius petendi, non poteſt irritum reddere votū vxoris.

Limitarem tamen hoc dictum in hypotheſi, qua maritus ob ſuam puſillanimitatem, & naturam à fæminea non abſimilem potiſſimum, ſi vxor eſſet ſuperexcedentis conditionis in nobilitate, & inſigni auctoritate erubeſceret petere; vel nimis ægrè ferret ſemper petere, & ex hoc minueretur mutuus amor, & occaſiones diſſidiorum indè orirentur; in huiuſmodi etenim caſibus non incongruè arbitrarer, poſſe vxoris votū etiam quoad ius petendi irritare, quandoquidem eſſet ipſi nimis oneroſum, & præiudicium quoquomodo inferret; atq; in hac limitatione conſentit *Laiman lib. 4. tract. 4. c. 7. n. 16.*

24 **Limitatio ad ſupradicta, ſi maritus ſit puſillanimis, qui nō audeat petere.**

Sed circa hanc limitationem modo oritur difficultas, an, ita poſſit irritare, vt votum illud intelligatur abſolutè irritum, vt nec amplius obliget etiam ceſſante matrimonio ob obitum eiuſdem mariti, an vero ſolummodo eiuſdem voti effectum ſuſpendere, quouſque perſeuerat matrimonium, adeo vt eodem ceſſante per obitum mariti, teneatur vxor plenè tale votum adimplere, nec poſſit ad alia vota conuolare. Probabilius arbitror, non poſſe abſolutè irritare, ſed dumtaxat ſuſpendere ad tempus conſtantis matrimonij, quo diſſoluto per obitum mariti tenebitur vxor plenè votum illud adimplere, nec poterit ad alias nuptias tranſire. In hanc opinionem propendent *Baſilius Pontius lib. 10. de matrimon. c. 17. n. 30.*, & ſpecialitèr in materia voti caſtitatis *Azorius part. 1. lib. 11. c. 18. q. 4., Sanchez lib. 4. ſummæ c. 26. n. 2., Innocentius in c. ſcripturæ de voto*, & ibi *Hoſtienſis, Ioannes Andræas Butrius, Cardinalis, & alij.*

25 **In hoc caſu nō irritaret, ſed ſuſpenderet.**

Ratio ex eo deducitur, quia materia voti caſtitatis non eſt talis naturæ, & conditionis, vt nequeat manente ſubſtantia eiuſdem ſuſpendi ipſius obligatio quouſque perſeuerat aliqua cauſa, quæ præponderet ipſius executioni, vt in pluribus deciſum eſt *in c. ex parte de conuerſ. coniug., & in c. Agatoſa 27. q. 2.*, hocque in ſimilibus docent *Hoſtienſis in ſumma tit. de conuerſ. coniug. n. 8., Abbas c. 1. num. 8. eod. tit., Angles Florib. 1. part., vbi de matrimon.*

Digitized by Google

trimon. q. 1. de eſſentialibus matrimonij diſp. 27. art. 3. difficult. 5., ſed in votis, in quibus poteſt eſſe ſuſpenſio ad tempus firma manente ſubſtantia eiuſdem, non poteſt maritus abſolutè irritare, ſed dumtaxat ſuſpendere, ergo &c. Minor probatur, quia totum ius, quod habet maritus aduerſus alteram coniugem eſt, ne ſibi inferatur præiuditium in ijs, quæ ſui iuris ſunt, ſed per præciſam ſuſpenſionem eiuſdem voti caſtitatis ad tempus conſtantis matrimonij, ſibi conſulit, ne aliquod præiuditium ſibi inferatur in ijs, quæ ſunt iuris matrimonialis, & ad quæ præciſè ius habet, ergo non eſt, cur poſſit abſolutè irritare.

26 **Vxor poteſt ſuſpẽdere votũ mariti etiã quoad ius petendi, donec ipſa vixerit.**

Dico ſecundo, probabilius poſſe vxorem ſuſpendere votum caſtitatis à marito emiſſum etiam quoad ius petendi debitum, quouſque ipſa vixerit *Henriquez lib. 11. c. 15. n. 8., Laiman lib. 4. tract. 4. c. 7. n. 16., Nauarrus in manual. c. 12. n. 60., Trullench. in decal. lib. 2. c. 2. dub. 33.* hancq; opinionem tanquam benigniorem, & vxoribus fauorabiliorem amplectitur *Ioannes Angelus Boſſius de effect. matrim. c. 8. de poteſtate coniug. irritandi vota alterius nu. 136.*, Ratio ex ijs deducitur, quę ſupra mox dicebamus, nempe huiuſmodi votum nimis grauoſum eſſe vxoribus ſtante earum conditione, & natura timidiori, & verecundiæ maximè obnoxia, & certè nimis cederet in earum præiuditium, vndè dici poteſt, quod huiuſmodi vota à maritis emiſſa etiam quoad ius petendi concernant quodamodo bona matrimonij; Neque obeſſe poſſunt ea, quæ diximus *tom. 5. ſub tit. Contractus XIV. de ſponſal. II. prænot. 4. n. 4. verſ. hinc inferres primo*, nempe illud præiudicium, quod fortè contingere poſſet in fæminis ratione naturæ timidioris, & naturalis, & innatæ verecundiæ prouenire ex conditione eiuſdem fæminæ, quod non eſt imputandum maſculo parato reddere petenti, quinimo, ſi eadem fæmina non expreſsè petat, petat tamen tacitè, vel blanditijs nimis, vel per quid ſimile non peccabit maritus quantumuis obſtrictus voto caſtitatis reddendo, quia illæ blanditiæ æquiualent actuali petitioni; Non, inquam, obeſſe poſſunt, quia ea, quæ ibi dicta ſunt ad ſummum procedunt quoad validitatem voti, quatenus ſcilicet non obſtante illa erubeſcentia, ſeu timiditate in fæmina non vitietur votum a marito emiſſum, quia poteſt vxor vel expreſsè, vel tacitè petere medijs blanditijs, & ſi non petat, hoc imputandum ſit ipſius conditioni, non culpæ mariti; non autem procedunt quoad poteſtatem infirmandi, ſeu ſuſpendendi quoad ius petendi tale votum quouſque eadem vxor vixerit; nam emittere votum caſtitatis ſpectat ad eundem maritum, qui quantum eſt ex ſe, tenetur illud adimplere; irritare autem, ſeu ſuſpendere cedit in vtilitatem vxoris, quatenus per hoc ſe eximit à præiudicio, quod quoquo modo poteſt ipſam afficere; quamuis igitur votum illud a marito emiſſum teneat, & vxor eo permanente in ſuo ſtatu poſſit ſibi conſulere tacitè petendo, vel blanditijs nimis erga maritum; nihilominus denegari non poteſt, quin ſtante naturali verecundia illud votum graue ſit eidem vxori, cum ſemper teneretur ſic tacitè petere; quamobrem non video, cur grauamen illud non poſſit à ſe auferre per ſuſpenſionem illius voti; & ſic conciliare poteris ea quæ dicta ſunt *d. tom. 5 de ſponſalibus II. prænot. 4. num. 4. verſ. hinc inferes primo*, cum ijs, quæ hic dicuntur. Dic etenim ea procedere ſtante voto in ſuo robore, eoq; non læſo neque per ſuſpenſionem, quia tunc concurrente obligatione voti cum conditione naturali mulieris illud debet præualere; non autem ſuſpenſo voto quoad executionem per mulierem, quia tunc ſuſpenſo onere executionis ius vxoris debet præualere, quam vtique ſuſpenſionem præſtare poſſe videtur vxor, eo quia libertas dempta marito per votum quoad ius petendi ſtãte conditione naturali eiuſdem mulieris eſt ipſi noxia, & vtiq; in ijs, quæ concernunt vſum matrimonij.

Inſtantia ex alibi dictis propoſita, & diſſoluta.

Ex ijs, quæ hactenus dicta ſunt, facilè deducere poteris, quod in ijs, in quibus maritus poteſt irritare, ſeu ſuſpendere votum caſtitatis ab vxore emiſſum, vel vxor votum mariti, ſi irritans, ſeu ſuſpendens præmoriatur, teneatur ille, qui vouerat, & ſuperſtes eſt, plene ſeruare caſtitatem, quam vouit, nec poſſit amplius ad ſecundas nuptias tranſire obſtante eodem voto caſtitatis. Ratio ex ijs deducitur, quæ ſupra dicebamus, quia non intelligitur ſublatum, & extinctum tale votum quoad ſubſtantiam, ſed dumtaxat ſuſpenſus eius effectus, quouſque perſeuerauerit vinculum coniugale.

Mortua vxore, tenetur maritus votũ ſeruare.

27 **Lata ſententia ſeparationis per Iudicem laicum, vxor adultera, non poteſt intra biennium profiteri, ſecus eo elapſo.**

Aſſertio II. Si præceſſerit quidem ſententia, ſed Iudicis dumtaxat laicalis, ſecundum quam iuxta diſpoſitionem *auth., ſed hodie C. ad leg. Iul. de adult. ſtatuitur Vxor adultera in Monaſterium mittitur, quam intra biennium vir recipere licet; biennio tranſacto adultera tonſa Monaſtico habitu ſuſcepto ibi, dum viuit, permaneat*, non poteſt vxor adultera intra illud biennium profiteri in Religione, & ſi profiteatur, poteſt per maritum innocentem reuocari, lapſo verò biennio poteſt liberè

rè

Digitized by Google

rè profiteri, nec poterit amplius reuocari. Conſentiunt *Gloſa in c. gaudemus verb. in clauſtris de conuers. coniug.*, *Aſtenſis in ſumma part. 2. lib. 8. tit. 11. art. 3. in fin.*, *Roſella verb. diuortium n. 11.*, *Silueſter verb. diuortium q. 10.*, *Sanchez de matrimon. lib. 10. q. 10. n. 8.*

Ratio ex eo deducitur quoad primam partem; quia textus ille *in auth.*, *ſed hodie C. ad leg. Iul. de adult.*, habet propriè vim legis, & effectum, ad quem condita eſt, non ſortiretur, ſi vel marito integrum non eſſet, eam intra biennium recipere, vel eo elapſo vxorem in Religione profeſſam poſſet reuocare, ergo ſtante tali iuris diſpoſitione mulier adultera non poterit intra biennium profiteri, & poſt illud vtique poterit, adeo vt poſtea non poſſit reuocari.

Circa hanc aſſertionem multiplex cõſurgit difficultas, & primo, an ad hunc effectum præ requiratur ſententia. Secundo, an, ſi præceſſerit illa ſententia, & vxor adultera elapſo biennio nondum profeſſa fuerit, poſſit adhuc per eundem maritum elapſo etiam biennio reuocari quouſq; ſecuta fuerit profeſſio. Tertio, an tempus poteſtatis, reſpectu mariti ad reuocandam vxorem adulteram reſtringatur ad illud biennium, quando intra illud emendata non eſt, ſed perſeuerauit in adulterijs. Quarto, an illa *auth. ſed hodie C. ad leg. Iul. de adult.*, vim in præſenti habeat, an vero intelligatur per ius canonicum retractata.

Nonnullæ rationes dubitandi proponuntur.

In ordine ad primam ſentio præ requiri Iudicis ſententiam, vel quod publicè in adulterio mulier fuerit deprehenſa, adeo vt delictum nulla tergiuerſatione poſſit cælari *Abbas c. gaudemus de conuerſ. coniug. n. 7.*, *Nauarrus lib. 3. conſil. in prima edit. tit. de regul. cons. 38. num. 1. in 2. vero lib. 4. tit. de diuort. cons. 4. nu. 1.*; atq; his conſentit *Sanchez de matrimon. lib. 10. de diuort. diſp. 10. nu. 8.* Ratio ex eo deduci poteſt, quia *in d. auth. ſed hodie C. ad l. Iul. de adult.*, dicitur *detrudi, vel mitti in Monaſterium*; detrudi autem, ſeu mitti appellat Iudicis miniſterium, qui procedere debet ordine iudiciario ſeruato, vbi delictum clara, & meridiana luce non innoteſcat, quatenus vxor ipſa publicè in adulterio deprehendatur.

28 *Præ requiritur ſententia, vel notorietas*

In ordine ad ſecundam dico, quod, ſi elapſo biennio adhuc vxor ſtatum non mutauerit, tonſis capillis, & ſuſcepto habitu monacali adhuc maritus poſſit ipſam ſibi reconciliare, eamque compellere ad redeundum *Paludanus in 4. diſt. 35. q. 2. art. 3. n. 16.*, *Sanchez de matrimon. d. lib. 10. diſp. 10. nu. 8.* Ratio ex eo deducitur, quia illud tempus biennij à iure præſcriptum eſt, vt liberum ſit poſt illud vxori profiteri, & ſi profeſſa fuerit, non poſſit amplius à marito reuocari, ergo, ſi eo elapſo nondum fuerit profeſſa, poterit adhuc à marito reuocari. Conſequentia probatur, quia cum illud tempus præſcribatur in ordine ad mutationem ſtatus, & quidem non quomodocunque, ſed per profeſſionem ſtatu illo poſt illud tempus immediatè non mutato adhuc res integra perſeuerat. Neq; dicas, quod licet res integra perſeueret quoad forum internum animæ, non tamen quoad externum, in ordine ad quod elapſo termino à iure præſcripto ceſſat quodcunque ius mariti innocentis; contra enim impugnaberis, quia etiam pro foro externo præſcribitur ille terminus, vt poſſit adultera poſt illud profiteri, non autem antecedentèr ad illum, non autem intercluditur aditus innocenti ad adulteram ſibi reconciliandam, ſi eo elapſo non fuerit profeſſa, ergo non mutato ſtatu per profeſſionem poterit adhuc illam ſibi reconciliare.

29 *Si vxor ſtatum nõ mutauerit, poteſt adhuc maritus illã ſibi reconciliare.*

In ordine ad tertiam dico, quod ſi vxor adultera intra illud biennium non emendata fuerit à delicto, non incipiet currere tempus marito ad ſibi reconciliandam vxorem adulteram à die detruſionis eiuſdem in monaſterium, ſed à die inceptæ emendationis, adeo vt, ſi biennium pertranſierit, & intra illud adhuc vxor perſeuerauerit in adulterio, poſſit elapſo biennio adhuc maritus illam reuocare, ſibique reconciliare *Nicolaus Orbellis in 4. diſt. 35. q. 2. §. 2.*, *Roſella verb. diuortium num. 11.*, *Silueſter eodem q. 10.* Ratio ex eo deducitur, quia iura præſcribunt illum terminum biennij ad effectũ, vt adultera pro eo tempore, ſi reſcipuerit, teneatur maritus illam ſibi reconciliare, & ſi non reconciliauerit, eo elapſo poſſit illa in Religione profiteri, nec poſſit amplius idem maritus ipſam repetere, ſicque ille terminus biennij eſt præſcriptus taxatiuè marito ad deliberandum, ſed hic terminus marito non currit, quouſq; eadem vxor perſeuerat in adulterio, ſi quidem vrgente cauſa ſeparationis, non poteſt ius obligare ad reconciliationem, ergo &c.

30 *Biennium non incipit, marito à die detruſionis vxoris adulteræ in Monaſterium, ſed à die inceptæ emendationis.*

In ordine ad vltimam abſolutè crederem ius illius auth. eſſe per ius canonicum correctum, non quidem per textum *in c. vxoratus, & tot. tit. de conuerſ. coniug.*, vbi præſcribitur, quod ſemper integrum ſit viro vxorem ſibi reconciliare, nec permittit vxorem ad Religionem tranſire viro in ſæculo permanente; Non, inquam, per hunc textum, quia, vt bene notat *Sanchez de matrim. lib. 10. diſp. 10. num.*

31 *Correcta eſt per ius canonicũ.*

Digitized by Google

num.8.in fine textus illi procedunt ſolummodo, quando integrum permanet; ſeu perſeuerat matrimonium, ſecus autem quando læſum eſt per adulterium; Sed propter generalem regulam, ſecundum quam in materia matrimonij, vtpotè, quod eleuatum eſt ad eſſe ſacramenti, iura ſæcularia nequeunt ſe ingerere, prout latè alibi diximus.

Aſſertio III. Si præceſſerit ſententia diuortij per Iudicem Eccleſiaſticum adhuc probabilius inuito innocente, quinimmo nec ignorante, nec inconſulto non poteſt adulter ingredi Religionem, & ſi ingrediatur, poteſt ab eodem innocente reuocari. Itaquoad primam partem *Gofredus in ſumma tit. de conuerſ. coniug. num.8., D. Antoninus 3. part. tit. 1. c. 11. §.6. verſ. effectus accuſationis, Graſſius prima part. deciſ. lib. 2. c. 84. num. 14., Barboſa rub. 2. part. num. 22. in fin. ff. ſol. matrim.* Quoad ſecundam *D. Thomas in 4. diſt. 35. q. vnica art. 6. ad tertium, D. Bonauentura ibid. art. vnico q. 5. ad ſecundum, Abulenſis c. 19. Matthæi q. 75. ad finem corporis, Brunellus de ſponſal. concl. 30. decl. 8. num. 12. verſ. tertius eſt.*

32 Poſita ſententia diuortij per Iudicem Eccleſiaſticum adulter altero inuito nō poteſt ingredi in Religionē.

Ratio primæ partis ex eo deducitur, quia ſententia diuortij eſt in pænam coniugis delinquentis per adulterium, & vtique in fauorem innocentis, ergo innocente diſſentiente non poterit delinquens in Religionem tranſire, & ad nutum innocentis erit reuocabilis. Conſequentia tenet, quia, ſi innocens non poſſet reuocare, & adulter liber eſſet ad tranſeundum ad Religionem eodem innocente inuito, pæna diuortij per ſententiam æque afficeret innocentem, ac delinquentem. Recolite ea, quæ ſuperius dicta ſunt.

Ratio ſecundæ partis ex eo deſumitur, quia, cum agatur de iure, quod habet innocens ad reconciliationem, non poteſt eodem priuari, niſi ipſo conſentiente, ſeu ſine ipſius conſenſu; non enim huiuſmodi priuatio poteſt eſſe in pænam, cum ipſe non deliquerit, ergo delinquens non poteſt eodem ignorante, & inconſulto mutare ſtatum per profeſſionem in Religionem, quandoquidem ſine notitia, & actu voluntatis non poteſt ſtare conſenſus; Neque arbitrandum eſt, quod talis conſenſus ſufficientèr habeatur ex eo, quod ipſe innocens intentarit iudicium ſeparationis, & diuortij, & in eodem conſecutus fuerit ſententiam ad normam ſuæ petitionis; Non, inquam, arbitrandum eſt, quandoquidem, vt ſupra dicebamus, ſententia diuortij eſt iniurioſa delinquenti, non innocenti, nec ex eo, quod innocens illi acquieuerit, cenſendus eſt

Et ſi ingreſſus fuerit, poteſt reuocari.

renuntiaſſe iuri ſuo ad reconciliationem, nec conſenſum præſtitiſſe ad perpetuitatem ſeparationis, ſed dumtaxat ad beneplacitum ſuum.

Circa hanc etiam aſſertionem nonnulla conſurgunt dubia, quæ expono, & breuiter diluo. Primum eſt an, cum inconſulto coniuge innocente etiam lata ſententia diuortij nequeat delinquens ſtatum mutare per ingreſſum, & profeſſionem in Religionem, requiratur eiuſdem innocentis conſenſus, ſeu licentia expreſſa, an vero ſufficiat etiam tacita. Secundum ex ſuppoſitione, quod ſufficiat tacita, quandonam ſufficientèr hæc habeatur.

In ordine ad primum aſſerendum eſt ſufficere etiam licentiam tacitam. Conſentiunt *D. Antoninus 3. parte tit. primo c. 21. §. 6. verſ. effectus accuſationis, Silueſter verb. matrimonium 9. q. 11., Tabiena verb. matrimonium 4. q. 5. num. 6.* Ratio eſt, quia nullibi præſcribitur determinata forma talis licentiæ, & ſolum requiritur, quod mutatio ſtatus per delinquentem non fiat contra voluntatem innocentis, qui inuitus non ſupponitur, vbi tacitè conſentit; & quoad hoc valet vulgaris regula, quod taciti, & expreſſi idem ſit iudicium, & æqualis ratio. 33

33 Vt poſſit ingredi ſufficit innocentis licentia tacita.

In ordine ad ſecundum arbitror, primo ſufficientèr haberi quoad hunc effectum, conſenſum, ſeu licentiam tacitam, ſi innocens ſciat adulterum mutare ſtatum, nec contradicat. Ratio ex eo deducitur, quia, vbi agitur de tacentis præiudicio in taciturnitate præſumitur conſenſus per ea, quæ ſcribit *Bartolus in l. quæ dotis verb. ſi verò contradicendo ff. ſol. matrim., Caſtrenſis in l. Caius col. 2. ff. de pignor. act., Alexander in l. ſæpenum. 18. ff. de re iudic.* Secundo etiam ſufficienter haberi, ſi maritus ſerio monitus nolit adulteram ſibi reconciliare. *Hoſtienſis in c. gaudemus num. 3. de conuerſ. coniug., Aſtenſis in ſumma part. 2. lib. 8. tit. 11. art. 3. in fine.* Probant nonnulli ex textu *in d. c. gaudemus de conuerſ. coniug.* Sed hic textus hoc intentum non probat, quandoquidem ſolum dicit, quod debeat in clauſtris cum Religioſis mulieribus collocari ad euitandum periculum incontinentiæ, non ad profitendum. Arbitror igitur eam eſſe rationem, quia innocens reſiſtens reconciliationi videtur tacitè aſſentiri ingreſſui, & profeſſioni in Religione, & quamuis neget talem ingreſſum irrationabilis eſt talis negatio, nam in tantum poteſt negare ingreſſum, in quantum poteſt velle ſibi illam reconciliare, ergo, vbi requiſitus ſerio negauerit reconciliationem iniuſtè denegare præſumendus eſt ingreſſum, 34

34 Aſſignatur in quo conſiſtat hæc licentia tacita.

adeoq;

Digitized by Google

adeoq;&c. Hæc tamen intelligenda ſunt poſita duplici conditiono, altera, ſi adulter, qui petijt reconciliationem, fuerit emendatus; altera, ſi non ſemel tantum, ſed ſæpè, & ſerio adulter petierit reconciliationem *Aſtenſis in ſumma 2. parte lib. 8. tit. 11. art. 3. in fin., Hoſtienſis in d. c. gaudemus de conuerſ. coniug., & ibi Ioannes Andræas, Antonius, Ancharanus*; nec incongrua ratione hæc duplex conditio apponitur; quandoquidem congruum non eſt, vt quouſque adulter perſeuerat in cauſa ſeparationis, admittatur ad conſortium, & reconciliationem, nec conſonum eſt, vt ad primam petitionem innocens acquieſcat, ne adulter paruipendat ſuum delictum, & facilè poſtea in ſimilia crimina dilabatur.

SECTIO VII.

An innocens adultero inuito, vel inconſulto poſſit ſtatum mutare per Profeſſionem, per ſacros ordines, & per votum caſtitatis.

SVMMARIVM.

Poſita ſententia diuortij poteſt coniux innocens mutare ſtatum per profeſſionem in Religionem, etiam ſi adulter non voueat caſtitatem. 1.

Adhuc non poſita ſententia diuortij alij aſſerunt non poſſe ad Religionem tranſire altero inuito. 2.

Alij aſſerunt poſſe tranſire, ſi delictum ſit notorium, ſecus ſi occultum. 3.

Alia ſententia ſub diſtinctione. 4.

Ex eo, quod poſsit denegare debitum, non bene infertur, quod poſsit ingredi Religionem. 5.

Si delictum fuerit notorium poteſt ingredi, & profiteri. 6.

Quantumuis adulter in ſæculo permanens non vouerit caſtitatem. 7.

Innocens quamuis permanens in ſæculo poteſt altero inconſulto vouere caſtitatem. 8.

Quod ſentiendum ſit, quando innoocens poſt votum caſtitatis fornicatus fuit, an ſcilicet poſſit compelli ad reconciliationem. 9.

Sententia aßerens, quod quando lata eſt ſententia diuortij, & votum caſtitatis ab innocente fuit emiſſum, non poſſit ratione fornicationis ab ipſo commiſſæ cogi ad reconciliationem. 10.

Sententia aſſerens poſſe compelli. 11.

Quando ſententia diuortij non præceſſit, ſententia aſſerens, quod ſi innocens poſtea fornicatus fuerit, poſſit reuocari. 12.

Sententia negans poſſe reuocari. 13.

Præfertur hæc ſecunda ſententia. 14.

An innocens ſeparatus ab altero ob adulterium alterius, ſi poſtea fornicatus fuerit, poſſit velle ad Religionem tranſire. 15.

Sententia affirmatiua. 16.

Sententia negatiua præfertur. 17.

Si innocens ſeparatus ab adultero ob ipſius adulterium notorium poſtea fornicatus fuerit, & tranſierit ad Religionem, in qua profeſſus fuerit, non poteſt reuocari. 18.

Intellige, ſi innocentis ſubſequens adulterium fuerit ignoratum. Ibid.

Si poſt profeſſionem ſecundi adulterantis prior adulter fuerit certioratus adhuc non poteſt illum reuocare. 19.

Si innocens poſt ſecutam ſententiam diuortij fornicatus fuerit, ſed prius emiſerit votum caſtitatis, non poteſt amplius reuocari. 20.

Si innocens fornicatus fuerit ante ſententiam diuortij ob adulterium alterius, & poſtea ignorata ipſius fornicatione lata fuerat ſententia ob prioris adulterium, non poteſt matrimonium inſtaurari. 21.

Si poſt alterius adulterium non ſecuta ſententia diuortij innocens tranſierit ad Religionem, & fornicatus fuerit, dum eſſet nouitius, poſſet reuocari. 22.

Coniux innocens etiam inconſulto adultero poteſt ad ſacros ordines tranſire poſita notorietate adulterij, vel certitudine eiuſdem. 23.

Procedit quoad forum internum animæ. 24.

In foro externo, ſi innocens compelleretur ad cohabitandum cum adultero ſub pæna excommunicationis non teneretur ex vi illius pænæ adultero reddere debitum. 25.

HActenus de iure adulteri ad mutationem ſtatus inconſulto, vel inuito innocente. Nunc de iure innocentis quoad eandem mutationem inuito, ſeu inconſulto adultero; & quidem titulus procedere poteſt iuxta conſiderationes præcedentis ſectionis, vel ſcilicet ante ſententiam diuortij, vel poſt eandem.

Status cõtrouerſiæ.

Aſſertio I. Poteſt coniux innocens etiam inconſulto, ſeu inuito adultero mutare ſtatum per profeſſionem in Religionem, quantumuis alter adulter in ſæculo permaneat, etiam ſine voto caſtitatis ſuppoſita ſententia diuortij. Conſentiunt communiter. 1

Poteſt innocens profiteri in Religione etiã ſi adulter non voueat in ſæculo caſtitatem.

Expreſsè euincitur *ex c. conſtitutus, & c. veniens de conuerſ. coniug., & ex c. Agatoſa 27. q. 2.*, nec incongrua ratione hæc decernuntur, quandoquidem coniux adulter per adulterium omne ius amiſit; & tota ratio, ob quam alter coniux altero inuito non poteſt ad Religionem tranſire, ea eſt, quia tenetur ipſi petenti reddere debitum; ſuppoſito autem alterius adulterio eximitur a tali onere, ergo non eſt, cur non poſſit ad Religionem

Digitized by Google

tranſire, & potiſſimum hoc verificatur ſuppoſita ſententia diuortij, ſi quidem tunc nedum in foro interno, ſed etiam in externo apparet de adulterio, & ſententia ipſa magis firmat ius innocentis, ne teneatur reconciliari adultero. Quid autem ſit ſentiendum, ſi ſententia diuortij non præceſſerit.

2 Sententia aſſerens non lata adhuc ſẽtentia innocentem non poſſe ad Religionem tranſire.

Nonnulli, qui arbitrantur coniugem innocentem ante ſententiam diuortij, non poſſe denegare coniugi adultero debitum coniugale; atque hi ſunt *Gloſa c. 1. verbo patronus 32. q. 1.*, *Innocentius c. penult. in fin. de adult.*, *Turrecremata c. Agatoſa in fin. in verbo vxorem 27. q. 2. Supplementum Gabriel. in 4. diſt. 35. q. vnica art. 2. concl. 6.* ſentiunt etiam ante eandem ſententiam non poſſe ad Religionem tranſire adultero inuito, & ſi tranſeat poſſe reuocari.

3 Alij aſſerunt poſſe tranſire, ſi delictum fuerit notorium, ſecus, ſi fuerit occultum.

Alij, qui ſuſtinent coniugem innocentem etiam ante ſententiam diuortij poſſe adultero denegare debitum coniugale, ſi adulterium fuerit notorium, ſecus ſi fuerit occultum, atq; hi ſunt *Gloſa in c. fin. verb. fornicationis paulo poſt principium de adult.*, *Gofredus in ſumma tit. de diuortijs nu. 5.*, *Hoſtienſis c. inquiſitioni paulo poſt princip. de ſent. excommun.*, *Monaldus in ſumma tit. de matrimon. §. de effectu matrimonij in fin.*, docent etiam poſſe tranſire ad Religionem, ſi adulterium ipſum fuerit notorium.

4 Alia opinio cum diſtinctione.

Inter eos, qui ſuſtinent poſſe coniugem innocentem etiam ante ſententiam denegare debitum coniugale coniugi adultero alij ſuſtinent poſſe eundem innocentem tranſire ad Religionem eodem adultero inconſulto, ſeu reluctante, eo quia tota ratio vetans talem tranſitum eſt onus debiti reddendi, quod propterea, ſi non tenetur reddere, videtur liber ad mutationem ſtatus; alij negant poſſe tranſire ad Religionem, eo quia denegatio debiti eſt actio priuata dependens ab ipſis coniugibus, qui ex quo conſcij ſunt adulterij, habent ſufficientem cauſam pro eadem negatione, tranſitus vero ad Religionem eſt actio publica, quæ propterea videtur exigere officium publicum Iudicis. Pro clariori notitia.

Plura ſunt hic conſideranda; primo, an dubium procedat ſpectato præcisè foro interno animæ, an etiam inſpecto foro externo fori; ſecundo, an adulterium fuerit notorium, an vero occultum notum tamen certò coniugi innocenti. His ſic conſideratis

Reſpondeo primo ad quæſitum, non benè inferri, quod ex eo, quod coniux innocens cercioratus de alterius adulterio poſſit propria auctoritate eidem debitum coniugale denegare ante Iudicis ſententiam, poſſit etiam ante eandem ſententiam propria auctoritate eodem adultero inconſulto tranſire ad Religionem intelligendo quantum ſpectat ad forum externum, ſi delictum fuerit occultum. Coincidit cum ijs, quæ ſupra diximus *in hoc eodem tom. ſub tit. Contractus XV. de matrimon. VI. prænot. XI. ſect. III. aſſert. I.*, *& II.* in quarum prima diximus coniugem innocentem certioratum de alterius delicto poſſe propria auctoritate denegare eidem debitum coniugale. In ſecunda vero non poſſe propria auctoritate recedere quoad habitationem adultero inuito, ſeu inconſulto; ex quibus rectè deducitur, quod, ſi non poteſt diuertere, multo minus poſſit eodem inconſulto profiteri in Religione. Vide, quæ latè diximus loco citato; non enim vacat ea hic repetere.

5 Ex eo, quod poſſit denegare debitum, non benè infertur, quod poſſit ſumere habitum Religionis.

Reſpondeo ſecundo. Si adulterium fuerit notorium, etiam non expectata Iudicis ſententia in foro nedum interno, ſed etiam in externo, poteſt innocens inconſulto, vel inuito adultero tranſire ad Religionem, in eaq; irreuocabilitèr profiteri *Gloſa in c. 1. verbo patronus 32. q. 1.*, *Innocentius c. inquiſitioni n. 1. de ſent. excommunic.*, cum alijs innumeris, quos retulimus, & ſecuti fuimus *ſub hac eod. tit. d. præn. XI. ſect. 3. aſſert. 2. quoad ſecundam partem*, & quamuis ibi dicta procedant ſolummodo quoad ius recedendi a coniuge adultero, rectè tamen procedunt etiam quoad ius reſpectu innocentis profitendi in Religione. Ratio ex eo deducitur, quia adulterium ſecundum ſe ius tribuit innocenti ad recedendum ab adultero, tàm quoad thorum, quàm quoad habitationem, prout euincitur *ex c. 5.*, *& 19. Matthæi*, & hoc non ad tempus determinatũ, ſed in perpetuum, cum nullum tempus præſcribatur; ex alio capite cum delictum illud ſupponatur notorium, ceſſat ratio ſcandali in dimiſſione coniugis adulteri, adeoq; non eſt, cur innocens, qui legitime poteſt ab adultero recedere, vel ipſum dimittere, non poſſit ad Religionem ipſo inconſulto, ſeu inuito tranſire.

6 Si delictum fuerit notorium, poteſt ingredi, & profiteri.

Rationes pro opinione.

Ad hoc corroborandum plurimum facit textus *in c. ſignificaſti de diuort.*, vbi dicitur, quod coniux adulter non ſit reſtituendus; item *ex c. ex parte de ſponſalib.*, vbi dicitur, quod nulli coniugi liceat vxorem dimittere ſine manifeſta cauſa fornicationis ergo, vbi cauſa fornicationis erit notoria, & manifeſta licebit dimittere, adeoque integrum erit innocenti ea dimiſſa ad Religionem tranſire, cum impedimentum tranſitus ad Religionem poſſit ſolummodo eſſe onus cohabitandi,

&

& reddendi alteri debitum; cum igitur ratione adulterij notorij, & manifeſti eximatur innocens ab onere cohabitationis, & redditionis debiti, & non ſolum ad tempus, ſed etiam in perpetuum, vtiq; nihil obſtabit, quominus poſſit ad Religionem tranſire. Idem *ex c. ad decimas de reſtitut. ſpol. in 6.*, vbi Pontifex denegat reſtitutionem decimarum canonicis ſpoliatis ob notorietatem defectus iuris ipſis competentis.

Circa præſentem aſſertionem nonnulla veniunt dubia examinanda; & primo, an ad hoc, vt innocens poſſit ad Religionem tranſire, in eaq; profiteri, neceſſe ſit, vt adulter in ſæculo permanens voueat caſtitatem, vel ſaltem poſſit obligari ad eandem vouendam. Secundo, an idem innocens poſſit adultero inuito quãtumuis in ſæculo permanens vouere caſtitatem. Tertio, an, ſi innocens, qui ad Religionem tranſiuit, nec dum profeſſus fuerit, comiſerit adulterium, poſſit per adulterum manentem in ſæculo reuocari proptèr compenſationem iniuriæ cum iniuria, & alia huiuſmodi.

Nonnulla dubia excitata.

7 Quantũuis adulter non voucrit caſtitatẽ.

Ad primum aſſerendum eſt poſſe innocentem ad Religionem tranſire quãtumuis adulter in ſæculo permanens, non vouerit caſtitatem, quin immo, nec poſſe compelli ad eandem vouendam. Conſentit *Sanchez lib. 10 de matrimon. diſp. 10. n. 5., & diſp. 11. num. 2., Sotus in 4. diſt. 36. q. vnica art. 5. ad 3.*, Ratio ex eo deducitur, quia coniugi innocenti liberè conceditur poſſe diuertere ab adultero, & non quidem limitatè ad tempus, ſed ad beneplacitum eiuſdem innocentis, & quidem in perpetuum, ſi ipſe voluerit, nec ad hoc requiritur, quod adulter emittat votum continentiæ, ergo etiam eidem innocenti liberum erit ad Religionem tranſire, quantumuis adulter huiuſmodi votum continentiæ non emittat. Conſequentia probatur, quia in tantum adulter teneretur emittere votum caſtitatis, quando innocens tranſiret ad Religionem, in quantum adulter poſſet ſubeſſe periculo incontinentiæ, ad quod auertẽdum votum illud eſſet emittendum, ſed non obſtante illo periculo incontinentiæ poteſt innocens in perpetuum permanere ſeparatus ab adultero, in quo caſu ſubeſſet illi periculo incontinentiæ, nec tamen tunc adulter tenetur emittere votum continentiæ, vt eſt inconfeſſo apud omnes, ergo, nec tenebitur emittere ad hoc, vt innocens poſſit ad Religionem tranſire; Neque dicas, diſparem eſſe rationem, quando innocens tranſit ad Religionem, ac quando permanet in ſæculo, ſi quidem quouſque permanet innocens in ſæculo, poteſt moueri ad reconciliationem, dum vero tranſit ad Religionem, non eſt amplius locus eidem reconciliationi; contra enim impugnaberis, quia ex quo innocens ratione adulterij acquiſiuit ius diuertendi in perpetuũ, poteſt ſtatim ſe obligare ad nunquam redeundum ad adulterum, vel per votum, vel per receſſum in longinquas regiones, adeo, vt nulla ſit ſpes reditus; nec tamen in his caſibus, tenetur adulter emittere votum continentiæ, ergo ratione perpetuitatis, ſeu impotentiæ ad reconciliationem prouenientis à profeſſione in Religionem, non poteſt obligari adulter, quando alter profeſſus eſt, ad emittendum votum continentiæ; Nec in hoc vim aliquam facere poteſt textus *in c. ſane, & c. cum ſis, & c. ſignificauit de conuers. coniugatorum*, vbi prohibetur mutatio ſtatus alterius coniugis, niſi alter in ſæculo manens voueat caſtitatem; Non, inquam, vim aliquam facere poteſt, ſiquidem illa iura procedunt tantum, quãdo matrimonium remanet integrum in omni ſua perfectione, quoad omnia iura, & onera, ſecus quando læſum eſt per diuortium ratione adulterij, prout rectè adnotauit *Sanchez de matrimon. lib. 10. diſput. 10. n. 15.*, nec certè incongrua ratione hoc docet, quandoquidem ex quo innocens ratione adulterij alterius liber remanet à iugo debiti coniugalis, poteſt independentèr à mutatione ſtatus alterius ſtatum proprium mutare per ingreſſum in Religionem, & profeſſionem in eadem, quod, ſi poſtea adulter in ſæculo permanens ſubiaceat periculo incontinentiæ, debet hoc proprio delicto imputare, & ſibi conſulere per alia media, vel etiam per votum, ſi illi placuerit; Ex quibus omnibus inferes, quod, nec ipſe adulter ex vi profeſſionis alterius poſſit compelli ad votum continentiæ emittendum, quantum eſt ex vi eiuſdem profeſſionis, licet, quando alia media non ſuppeterent, congruum eſſet, vt emitteret ad conſulendum propriæ ſaluti periclitanti ob vehementes ſtimulos carnis, & libidinis.

Diſpar ratio, quando innocens permanet in ſæculo, ac quando tranſit ad Religionem.

Iura contraria procedunt tantum, quãdo matrimoniũ permanet integrum.

8 Coniux innocens quamuis permanẽs in ſæculo adultero inconſulto, poteſt vouere caſtitatem.

Ad ſecundum abſolutè ſentiendum eſt, poſſe innocentem, quantumuis in ſæculo permaneat, etiam inconſulto, ſeu inuito adultero emittere votum ſimplicis caſtitatis *D. Thomas in 4. diſt. 35. q. vnica art. 5. ad 3., Sanchez de matrimon. lib. 10. diſp. 11. nu. 3.*, & in hoc ferè omnes conſentiunt. Ratio ex ijs deducitur, quæ mox dicebamus, quia ſcilicet innocens ratione alterius coniugis adulterij factus eſt liber ab onere reddendi debitum eidem adultero, nec adulter ius amplius habet illud exigendi,

Digitized by Google

gendi, ergo non eſt, cur ipſe innocens, non poſſit in ea hypotheſi votum caſtitatis emittere, ſi quidem non habet, à quo prohibeatur. Hic ſolum oriri poteſt difficultas, an, ſi coniux innocens in ſæculo permanens, poſtquam votum caſtitatis emiſerit, fornicatus fuerit, poſſit adulter ipſum compellere ad reconciliationem, & votum illud ſuſpendere ſaltem quoad effectum, vt ipſe innocens teneatur eidem petenti reddere debitum. Ratio dubitandi ex eo deſumitur, quod communitèr docent DD., quod ſcilicet ex vtraque parte extante adulterio fit compenſatio, & quod propterea nequeat vnus ab altero diuertere *Gloſa in c. fin. in fin. de adult., & c. ex literis verb. ad inuicem de diuort., & ibi Hoſtienſis n. 2., Nauarrus lib. 4. conſil. in vtraque edit. tit. de diuort. conſ. 1. n. 1., & 3., Coaruuias 4. decret. 2. part. c. 7. §. 6. nu. 5., Iulius Clarus lib. 6. recept. §. adulter verſ. facta autem tori ſeparatione, D. Bonauentura in 4. diſt. 35. art. vnico q. 5., D. Antoninus 3. part. tit. 1. c. 21. §. 6. verſ. item nota, quod, ſi poſt diuortium, Ludouicus Lopez 1. part. inſtructorij c. 295. §. præterea, quia non eſt facilis verſ. cæterum, & ſi prædicta*, de qua re infra ſecundum varias conſiderationes, & qualitates erit ſermo vberrimus. Maior ratio dubitandi prouenit ratione voti caſtitatis, quod emiſit, dum eſſet liber, & poterat nullo iure reluctante emittere, cum per illud ſtatum quodamodo mutauerit, & per conſequens non videtur, quod prior adulter poſſit illum compellere titulo compenſationis ad reconciliationem. Qua in difficultate aliqui conſiderant, an innocens, qui poſito alterius adulterio emiſit votum caſtitatis, & eodem perſeuerante fornicatus eſt, ſeparatus fuerit per ſententiam Iudicis decernentis ſeparationem, an vero propria auctoritate; quando ſeparatio contigit per Iudicis ſententiam, & ſucceſſit poſt votum caſtitatis fornicatio in eo, qui erat innocens, & vouit poſt talem ſententiam, nonnulli arbitrantur, non poſſe priorem adulterũ reuocare poſteriorem, nec compellere titulo compenſationis ad reconciliationem; atque hanc opinionem ſuſtinent in fortioribus terminis, *Innocentius c. de illa nu. vnico verſ. de alijs de diuortijs, & ibi, Ioannes Andræas n. 2., Abbas c. fin. n. 5. de adulterijs, Albericus in diction. lit. D. verbo diuortium §. diuortium 2. vers. poſt latam ſententiam, Monaldus in ſumma tit. de diuort. §. propter quid diuortium fiat verſ. item, ſi lata, D. Thomas in 4. diſt. 35. q. vnica art. 6. ad 4., Abulenſis c. 19. Matthæi q. 76. ad 4., Sotus in 4. diſt. 36. q. vnica art. 6. ad 3., Thylarcus de offic. Sacerd. tom. 1. part. 2. c. 17. ad fin., Sanchez de matrimon. lib. 10. diſp. 9. nu. 30.*, qui omnes ſuſtinent etiam non præmiſſo voto caſtitatis, non dari compenſationem inter huiuſmodi adulteria ratione ſententiæ diuortij, quæ tráſiuit in rem iudicatam, quæ, ſi verificantur, quando ille in cuius fauorem lata eſt illa ſententia, non emiſit adhuc votum caſtitatis, à fortiori verificari debent, quando ante adulterium à ſe ipſo commiſſum votum illud elicuit. Ad hoc aſſerendum pluribus rationibus mouentur primo per textum *in c. quod bene 6. q. 4.*, vbi dicitur, quod iam benè definitum eſt non ſit retractandum. Secundo *ex c. quarto de conſecration. diſt. 4., & l. ſtichum §. aream ff. de ſolut.*, vbi dicitur, quod ſeruitus ſemel amiſſa non reuocatur; per ſententiam autem ſeruitus innocentis iam amiſſa eſt. Tertio, quia ſententia diuortij non lata eſt ſub aliqua conditione, ſiue tacita, ſiue expreſſa pendente de futuro, ſed præciſè ratione delicti ab altero conſummati. Quarto, quia per alterius adulteriũ, & per ſententiam diuortij, ille, qui prius erat innocens libertatem anſit quoad torum, & habitationem manente dumtaxat vinculo coniugali; vndè, ſi poſtea idem innocens fornicetur, lædit quidem bonum ſacramenti in ordine ad Deum, quod eſt vinculum coniugale indiſſolubile, non autem ius alterius coniugis adulteri, quod eſt onus reddendi debitum, & eidem fidem ſeruandi, cum iam illud per adulterium, & ſententiam diuortij amiſerit. Alij vero è contra ſuſtinere videntur poſſe priorem adulterum titulo compenſationis eundem ſecundum adulterũ compellere ad reconciliationem *Gloſa in c. fin. in fine de adulter., Hoſtienſis c. ex literis num. 2. de diuort., Felinus c. lator declar. 8. num. 9. de ſent., & re iud., Nauarrus lib. 4. conſil. in vtraq; edit. tit. de diuort. conſil. 1. num. 1., & 3., D. Bonauentura in 4. diſt. 35. art. vnico q. 5., D. Antoninus 3. part. tit. 1. c. 21. §. 6. verſ. item nota quod, ſi poſt diuortium* & alij, quos refert *Sanchez de matrimonio lib. 10. diſp. 9. num. 27.* Rationes plurimas huius opinionis adducunt, & primo, quia ſententia diuortij includit tacitam conditionem, ſi innocens nolit adulterum repetere; intelligitur enim dumtaxat lata in ipſius fauorem, ergo etiam tacitam includere debet conditionem, ſi innocens ſe continuerit, nec in ſimile delictum lapſus fuerit, quandoquidem aliter non eſſet æqualis vtriuſque conditio. Secundo, quia, ſi ſuppoſita ſententia diuortij propter vnius adulterium, non poſſet alter ſimiliter poſt talem ſententiam adulterans compelli ad reconciliationem, ſententia ipſa diuortij tribueret anſam innocenti

Marginal notes:

9 An, ſi innocens poſt votũ caſtitatis fornicatus fuerit, poſſit cõpelli ad reconciliationẽ.

10 Poſt latã ſententiam diuortij, & votum caſtitatis, non poteſt compelli nonnullorum ſententia.

Eiuſdem opinionis rationes.

11 Sententia aſſerens poſſe compelli.

Eiuſdem ſecundæ opinionis rationes.

Digitized by Google

nocenti impunè delinquendi. Tertio, quia de iure diuino datur compenſatio adulterij cum adulterio in ordine ad effectum, vt coniuges delinquentes ad inuicem reconcilientur, ergo per ſententiam diuortij, quæ eſt merè Eccleſiaſtica non poterit eidem derogari, ſiquidem ſententia hominis non poteſt officere iurj diuino. Quarto, quia rei iudicatæ multa præponderant, nempè vinculum matrimonij indiſſolubile, circa quod in multorum ſententia res non tranſit in iudicatum, adulterium innocentis, periculum adulterandi, æquitas compenſationis &c. Neque obeſſe poteſt, quod præceſſerit in eodem, qui prius erat innocens, votum caſtitatis. Non, inquam, obeſſe poteſt, quia, cum ſtatus, qui acquiritur per votum ſimplex caſtitatis, non ſit omnino inuariabilis, nec omnino perfectus non poteſt vxori præiudicare, quæ ius habet ex ordinatione diuina, vt delicta compenſentur, quantum ad effectum reconciliationis.

Quando vero ſeparatio contigit non per Iudicis ſententiam, ſed vel antecedenter ad ipſam, vel ſolum ex propria

12 Sententia aſſerens, quod, ſi innocens ante latã ſententiã diuortij fuerit fornicatus poſsit reuocari.

auctoritate innocentis ex adulterio alterius, cuius omnino certus eſt, adhuc Doctores diuiſos inuenio; alij etenim abſolutè aſſerunt, quod, ſi innocens fornicatus fuerit ante latam ſententiam diuortij, quantumuis poſt emiſſum votum caſtitatis, poſſit abſolutè ab eo, qui prius adulterium commiſerat, reuocari; atque ita inter ceteros ſentit *Sanchez de matrim. lib. 10. de diuortio diſp. 9. num. 34.*, qui eam rationem adducit, quia cum ille ſtatus, quem quis aſſumpſit per votum ſimplex caſtitatis non ſit inuariabilis, nec omnino perfectus, non poteſt hic præiudicium inferre alteri coniugi adultero vtendi iure compenſationis, vnde in hac hypotheſi titulò compenſationis facta reuo-

13 Sententia negans, poſſe reuocari.

catione poterit quidem ille, qui votum emiſit, reddere debitum alteri petenti, non autem ab eodem petere obſtante eodem voto caſtitatis; alij verò ſentiunt non poſſe amplius reuocare, quia quantumuis inter adulteros detur compenſatio, hoc intelligendum eſt, quando vterque in eodem ſtatu permanet, nón verò, quando variatus eſt; per votum autem ſimplicis caſtitatis emiſſum ante fornicationem eius, qui antea erat innocens, intelligitur ſtatus quodamodo mutatus. Quid iam in hac controuerſia concludendum. Arbitror vtique per eum, qui fuerat ob adulterium dimiſſus, poſſe illum, qui poſt votum caſtitatis fornicatus fuit, & ante ſententiam diuortij reuocari, & compelli ad reconciliationem prop-

ter rationem, quam Sanchez adducit; quam mox retuli; quod, ſi hæc verificantur, quando fornicatus eſt poſt emiſ- 14

14 Præfertur hæc ſecũda ſententia.

ſum votum caſtitatis, non video, cur non verificari debeat, quando poſt fornicationem commiſſam tale votum emiſit, quandoquidem tunc illud votum videtur emiſſum in fraudem iuris alterius, quod habet ad ipſum reuocandum titulo compenſationis? Hæc tamen intelligenda non ſunt, quando innocens iam ſtatum mutauit per profeſſionem in Religione à Sede Apoſtolica approbata, vel per ſuſceptionem ſacrorum ordinum ſtatum

Nõ tamẽ, ſi profeſſionẽ emiſerit, vel ſacros ordines ſuſceperit.

mutauerit *Paludanus in 4. diſt. 37. q. 2. art. 2. num. 14., Ouandus in 4. diſt. 39. q. vnica prop. 15., Gloſs. c. veniens verb. ſponte de conuers. coniug., & ibi Hoſtienſis n. 6., Ioannes Andræas n. 5., Abbas n. 7., Ancharanus n. 5., & alij*. Ratio ex eo deducitur, quia profeſſionem legitimè emiſit nullo tunc obſtante iure alterius, cum à ſuo iure deciderit per adulterium notorium, & ſic Monaſterium perfectum ius acquiſiuit in illum ſic profeſſum, quo propterea non eſt ſpoliandus, quantumuis poſtea adulteretur.

Sed, an in hypotheſi eorum, quæ vltimo loco hic dicuntur, poſſit innocens nõ

15 An adhuc non poſita ſententia diuortij, ſi innocens fornicatus fuerit, poſſit velle ad Religionem tranſire.

adhuc lata ſententia diuortij, ſi fornicatus fuerit ante ingreſſum in Religionem, & ſuſceptionem ſacrorum ordinum, velle in Religionem profiteri, & ſacros ordines ſuſcipere altero inuito, qui fuerat ob adulterium dimiſſus. *Guglielmus relatus ab Abbate in c. veniens nu. 7. de conuerſ. coniug., Paludanus in 4. diſt. 35. q. 2. art. 2. num. 14., & ibi ſupplementum Gabriellis q. vnic. art. 2. poſt 9. concl. vers. ſed quid, ſi nocens*, arbitrantur vtique non obſtante illa ſubſequenti fornicatione per ſe ipſum commiſſa poſſe velle profiteri in Religione, vel ſacros ordines ſuſcipere. Rationem ex eo ſuæ aſſertionis deducunt, quia, ſicuti ante conſummationem matrimonij, poteſt coniux Religionem ingredi, quod ius minimè perditur fornicando, ſed tenetur reddere, niſi eligat Religionis ſtatũ, ita alterò fornicante poſt conſummationem matrimonij poteſt innocens ad Re-

16 Sententia affirmatiua.

ligionem tranſire, non obſtante, quod poſtea, & ipſe fornicatus fuerit, quandoquidem ex quo alter primo fornicatus eſt, acquiſiuit ius non reddendi, & vouendi, ex quo autem poſtea, & ipſe fornicatus eſt amittit quidem ius non reddendi, ſed non ius vouendi. Hæc illi. Sed non libentèr acquieſcerem huic opinioni, prout nec illi acquieuit *Sanchez d. lib. 10. de matrimon. tit. de diuortio diſp. 9. nu. 26.*, & quidem in primis noto rationem, quam DD. præallegati aſſignant, non

ſubſi-

Digitized by Google

ſubſiſtere vniuerſaliter in hypotheſi, ſcilicet qua ſecundus adulter intenderet ſacros ordines ſuſcipere, quandoquidem licet conceſſum ſit coniugibus ante conſummationem matrimonij eodem abſolutè inito per verba de præſenti, ſeruatis omnibus, quæ in eo genere ſeruanda ſunt, tranſire ad Religionem, in eaq; profiteri, non tamen conceſſum eſt eiſdem ſacros ordines præciſè ſuſcipere, quia illud priuilegium eſt ſolummodo in fauorem Religionis, non ordinis præciſè ſacerdotalis per ea, quæ alibì fusè commendauimus; vndè fundamentum, cui innituntur huiuſmodi DD. non vniuerſalitèr procedit, nec prodeſt in ordine ad ſacros ordines ſuſcipiendos. Deindè, nec in ordine ad profeſſionem poteſt vim aliquam habere, quandoquidem eo ipſo, quod ante ſententiam diuortij fornicatus eſt, compenſantur huiuſmodi delicta, & matrimonium redit ad ſuum priſtinum ſtatum, & cum hoc ſit conſummatum neutri licitum eſt diuertere etiam ad effectum tranſeundi ad ſtatum perfectum Religionis; atq; ſit nobiſcum ſentiunt *Hoſtienſis in c. veniens n. 7. de conuerſ. coniug.*, *Nauarrus lib. 5. conſil. in prima edit. tit. de adult. conſ. 1. n. 4., & ſeqq.*, *Cardinalis in d. c. veniens de conuerſ. coniug. q. 5., & alij magis communitèr*.

17 **Sententia negatiua præfertur.**

18 **Si innocẽs poſt fornicationem ab ipſo cõmiſsá profeſſus fuerit in Religionẽ, non poteſt reuocari.**

Sed quid dicendum ſit, ſi innocens poſt diuortium propria auctoritate factum ob adulterium alterius notorium fornicatus fuerit, & deindè altero ignorante fornicationem à ſe ipſo ſubſequentèr commiſſam tranſierit ad Religionem, & in ea profeſſus fuerit, vel ſacros ordines ſuſceperit, an ſcilicet cognita poſteà fornicatione ab ipſo cõmiſſa ante profeſſionem, & ſuſceptionem ordinum poſſit reuocari? Abſolutè ſentio poſſe ſic profeſſum in Religione perſeuerare, & in ſuſceptis ordinibus. Rationem ex eo deducò, quia quouſque adulterium non eſt notoriũ, nec alter coniux eſt certus de illius exiſtentia, adhuc ipſe adulter perſeuerat in ſuo iure ergà alterum coniugem, à quo nequit dimitti, vt ſentiunt communitèr in hac materia ſcribentes, dum alij volunt requiri Iudicis ſententiam, vt priuetur tali iure *Hugo relatus à Gloſa c. fin. verb. fornicationis de adult.*; *Innocentius in c. penult. in fine eod. tit. Supplementum Gabrielis in 4. diſt. 35. q. vnica art. 2. concl. 6.*, alij volunt requiri notorietatem *Gofredus in ſumma tit. de diuortijs nu. 5.*, *Hoſtienſis c. inquiſitioni paulò poſt princip. de ſent. excommun.*, *Archidiaconus in c. in coniugio 32. q. 1. n. 3.*, *Præpoſitus c. ex parte n. 4. de ſponſ.*, *Monaldus in ſumma tit. de matrimonio §. de effectu matrim. ad fin.*, alij volunt requiri certitudinem ſaltem ex parte innocentis, vt præcipuè *Sanchez lib. 10. de matrimon. tit. de diuortio diſp. 12. n. 5.*, qui alios innumeros pro ſe allegat, vndè meritò idem *Sanchez d. lib. 10. diſp. 9. n. 34.*, docet, quod, ſi adulterium non ſit notorium, & alter ab vxore receſſerit, ſit reſtituendus vxori, tanquam ſpoliatæ, non quidem proptèr fornicationem poſterius commiſſam, ſed proptèr ſpolium, ergo etiam, ſi alter adulterium poſt diuortium commiſerit, quod tamen non ſit notorium, & de quo prior adulter non ſit certus, & interim ad Religionem tranſierit, & in ipſa profeſſus fuerit, poterit in eadem perſeuerare, non obſtante tali adulterio à ſe ipſo ſubſequentèr commiſſo. Conſequentia probatur, quia, ſi non ſufficit adulterium primo commiſſum ad hoc, vt innocens poſſit diuertere, niſi, vel illud ſit notorium, vel de eo certitudinem habeat, ita non videtur ſufficere adulterium ſecundo commiſſum ab altero, ad hoc, vt poſſit reuocari, niſi, vel illud ſit notorium, vel de illo alter fuerit certioratus, quia non propriè ſit compenſatio certi, & notorij ad incertum, & occultum.

Intellige, ſi innocẽtis adulterium fuerit tunc ignoratũ.

Rationes pro hac opinione.

Quod, ſi poſtea adulter dimiſſus certioretur de adulterio alterius poſtquã profeſſionem emiſerit, vel ſacros ordines ſuſceperit, tunc oritur difficultas, an poſtquam certo conſtiterit de tali adulterio, poſſit adulter primo dimiſſus ſecundum profeſſum è Religione reuocare. Crediderim abſolutè non poſſe. Ratio eſt, quia profeſſio illa fuit legitimè emiſſa, & ius verè, & realitèr acquiſitum monaſterio, quandoquidem adulterium non obſtat, niſi quatenus fuerit notorium, vel ſaltem certum reſpectu alterius, quod tale non ſupponitur, quando profeſſionem emiſit, quod autem ſemel validum eſt in ſua radice, non poteſt per ſubſequentem cognitionem quantumuis certam inualidari. Confirmatur, quia adulterium non commiſſum, niſi poſt profeſſionem legitimè emiſſam, & adulterium non apparens, niſi poſt eadem profeſſionem paria ſunt quoad effectum iuris alteri competentis ad reuocandum profeſſum, ſed quando profeſſus adulteratus eſt poſt profeſſionem, non poteſt per adulteram iam ante dimiſſam reuocari per ea, quæ docent idem *Sanchez d. diſp. 9. nu. 34.*, & cum eo alij communitèr *Gloſa in c. veniens verb. ſpontè de conuerſ. coniug.*, *& ibi Innocentius n. vnico ſuper verb. continuit*, *Hoſtienſis n. 6.*, *Ioannes Andreas n. 5.*, ergo etiam, quando adulteratus eſt ante profeſſionem, ſed adulterium non innotuit, niſi poſt profeſſionem emiſſam; Neque obſtare poteſt, ſi aſſeratur, quod ius, quod oritur in coniu-

19 **Si poſt profeſsionem ſecũdi adulterãtis prior fuerit certioratus, non poteſt adhuc illũ reuocare.**

Digitized by Google

coniugibus, vel dimittendi alterum adulterum, vel reuocandi alterum, qui incidit in ſimile adulterium, ob quod reuocans fuit dimiſſus proueniat ex vi adulterij præciſè, non ex vi cognitionis illius, ergo exiſtente verè adulterio, ſiue de illo conſtiterit ante profeſſionem, ſiue poſtea verè ſecundus adulter titulo compenſationis, poterit reuocare; Non, inquam, obſtare poteſt, quia quantumuis adulterium ſit ratio fundamentalis, ob quam conceditur innocenti ius diuertendi, & adultero ius reuocandi alterum titulo compenſationis, ſi in ſimile adulterium inciderit, non tamen ſortiri poteſt ſuum effectum, niſi quatenus innotuerit, nec iura tribuunt ius in ſimilibus, niſi appareant, cum nemo teneatur ſua crimina propallare, nec in ſe ipſo pænam exercere.

Inſtantia propoſita, & diſſoluta.

Remanet ſolum hic dirimendũ, quod in ſecundo dubio propoſitum fuit, an ſcilicet, ſi diuortium ob alterius coniugis adulterium fuerit ſecutum per ſentẽtiam Iudicis, & alter, qui vouit poſt talem ſententiam caſtitatem, fornicatus fuerit, poſſit hic non obſtante tali ſententia reuocari? Pro vtraque parte diſſeruimus allegantes DD., & rationes. Quid tamen ſentiendum ſit non definiuimus. Adhæreo opinioni aſſerenti, non poſſe reuocari propter rationes ſuperius adductas in reſolutione ſecundi dubij pro prima opinione. Sed hic immediatè ſuboritur difficultas, cur poſt ſententiam diuortij latam à Iudice non poſſit adulter dimiſſus reuocare alterum, qui poſt talem ſententiam adulterium cõmiſit titulo compenſationis, poſſit autem reuocare eundem, ſi diuortium non fuerit factum per ſententiam Iudicis, ſed per notorietatem facti, potiſſimum cum talis notorietas quoad effectum celebrandi diuortium æquiualeat ſententiæ. Sed huic difficultati breuitèr reſpondeo hoc prouenire ex natura eiuſdem ſententiæ, quandoquidem licet adulterium per ſimile adulterium compenſetur, exceptio tamen rei iudicatæ, quæ obſtat priori coniugi repetenti minimè tollitur per crimen poſt ſententiam commiſſum; quinimmo ipſa ſententia, quæ tranſit in rem iudicatam, eximit abſolutè innocentem ab onere erga adulterum, cui oneri non ſubiecit amplius ex eo, quod ipſe etiam poſt talem ſententiam deliquerit, vndè per tale poſterius delictum peccabit quidem aduerſus Deum, non autem aduerſus priorem adulterum, à cuius iure vigore illius ſententiæ intelligitur exemptus. Dixi, *ſi alter deliquerit poſt ſententiam latam diuortij*, nam, ſi, & ipſe deliquerit antecedentèr ad ipſam propter nonnullos, qui docent lata iam diuortij ſententia poſſe coniugem dimiſſum ob adulterium agere ad inſtaurandum matrimonium aduerſus alterum, qui etiam ante talem ſententiam ſimile adulterium commiſit, quantumuis ante talem ſententiam hoc poſtremum adulterium non fuerit deductum in iudiciũ per viam actionis, prout præcipuè tenet *Ancharanus in c. fin. in fine de adult.*, qui ea ratione mouetur, qua aſſerit, quod vbi alicui competit actio, & exceptio, quantumuis eandem in iudicium non deduxerit, poſſit ex interuallo deducere, quod etiam conſiderauit *Innocentius in c. ſuper ſpoliatione n. 2. de ord. cognit.*, & probat in compenſatione debiti, vbi, ſi non fuerit oppoſita exceptio à principio, poteſt poſtea opponi *l. vendicatis ff. de except.* Hoc idem alia ratione probat *Sanchez de matrimonio lib.* 10. *diſp.* 9. *n.* 25., quia ſcilicet, quando vterque eſt adulter ante ſententiam in neutrius fauorem, aut odium ſententia tranſit in rem iudicatam. Sed non libentèr annuerem huic opinioni, quia, vel adulter dimiſſus, in cuius odium lata eſt ſententia diuortij, erat conſcius ante talem ſententiam adulterij alterius, vel non erat conſcius; ſi primum aſſeratur; ex quo ſciuit, & non excepit, cum deberet, videtur iuri ſuo renuntiaſſe, ac proindè non poſſe amplius illud reaſſumere; ſi ſecundum; ex iam dictis patet, quod cum adulterium non fuerit notorium, nec de eo alter certitudinem habuerit ante ſententiam, non poſſit tribuere fundamentum compenſationis, & cum poſt ſententiam extinctum ſit ius, quod alter habere potuit, ratione ipſius, non poteſt poſtea amplius reuiuiſcere; atque iuxta hunc noſtrum ſenſum ſentire videtur *Ioannes Andreas in d. c fin. in fin. de adult.*, *& ibidem Antonius n.* 8.

20

Si innocẽs poſt latã ſentẽtiam diuortij, & poſt votũ caſtitatis à ſe emiſſum fornicatus fuerit, non poteſt reuocari.

Prouenit ex natura eiuſdem ſententiæ diuortij.

21

Si innocẽs ante ſententiam diuortij fornicatus fuerit, & poſtea ſẽtentia ſecuta fuerit, non cognito hoc ſecũdo adulterio, non poteſt matrimoniũ reſtaurari.

Ad tertium dicendum eſt, quod, ſi innocens poſt alterius coniugis adulterium ex notorietate, ſeu ex certitudine, quam habet de eodem, non autem ſecuta ſententia diuortij, tranſierit ad Religionem, &, dum adhuc erat nouitius, fornicatus fuerit, poſſit per adulterum dimiſſum reuocari *Sanchez de matrimon. lib.* 10. *diſp.* 9. *n.* 34. Ratio ex eo deducitur, quia illa mutatio ſtatus per ingreſſum in Religionem ante profeſſionem in eadem emiſſa non eſt ita perfecta, & inuariabilis, vt tollat ius alterius ad compenſationem, quoties ante ſententiam diuortij, in ſimile adulterium inciderit.

22

Si innocẽs poſt alterius adulteriũ ante ſentẽtiam tranſierit ad Religionem, & poſtea fornicatus fuerit, dũ eſſet nouitius, poteſt reuocari.

Aſſertio II. Poteſt coniux innocens etiam inconſulto, ſeu inuito adultero tranſire ad ſacros ordines, vel votum caſtitatis emittere, ſiue ſecuta ſententia diuortij,

23 **Poteſt innocens tranſire ad ſacros ordines poſita notorietate adulterij alterius.**

uortij, ſiue eadem non ſecuta, ſed poſita præciſè notorietate adulterij, vel certitudine, quam innocens habeat de ipſo. *Sanchez de matrimon. lib.* 10. *de diuortio diſp.* 11. *nu.* 10., *Silueſter verb. diuortium q.* 13. *diſt.* 2. *n.* 16. Procedit aſſertio *in foro conſc.entiæ*, nam in foro externo plura alia requiruntur, de quibus infra.

Rationes aſſertionis

Ratio ex eo deducitur, quia poſito illo adulterio, vel notorio, vel de quo innocens certus eſt, licitum eſt eidem innocenti ab eodem adultero diuertere non expectata Iudicis ſententia per ea, quæ ſupra docuimus, quod etiam deducitur ex eo, quod habetur *in c. dicit dominus* 32. *q.* 2., vbi dicitur, quod *vbicunq; fornicatio eſt, vel fornicationis ſuſpicio libere dimittitur vxor*; ly autem *liberè* denotat nullam requiri ſententiam *Tiraquel. in l. ſi vnquam verb. reuertatur à n.* 134. *vſque ad nu.* 138., item ex eo, quod Chriſtus Dominus *Matthæi* 5., *&* 19. dixit poſſe dimitti vxorem ex cauſa fornicationis, nec diſtinguens inter publicam ex ſententia, vel ex notorietate, & priuatam ex certa ſcientia; atque hanc ſententiam ſuſtinent præter citatos DD. *Abbas in c. fin. n.* 6. *de adult.*, *Natta conſ.* 115. *nu. vnico*, *Barboſa rub. ff. ſolut. matrim.* 2. *part. nu.* 26., *Bellarminus lib.* 1. *de matrimon. c.* 14., vbi afferunt, ideo non licere, quando delictum eſt occultum, dimittere adulterum, quia talis dimiſſio eſſet cum ſcandalo, ergo ratione ſui ſecluſo ſcandalo poterit licitè innocens diuertere; Ex quibus omnibus ſic infero, ergo in foro conſcientiæ poterit etiam ad ſacros ordines tranſire, & votum ſimplicis caſtitatis emittere; hæc illatio ſic euincitur, quia vbicunque in foro conſcientiæ quis poteſt ab adultero diuertere, vtique in eodem foro ab eodem eſt liber, vbi autem ab ipſo liber eſt, non eſt, cur non poſſit ſtatum mutare, vel per ſuſceptionem ſacrorum ordinum, vel per votum ſimplicis caſtitatis.

Dixi *in foro conſcientiæ*, nam in foro externo, ſicuti ad hoc; vt coniux innocens poſſit diuertere ab habitatione, requiritur, vt adulterium ſit notorium, vt nulla poſſit tragiuerſatione cælari, prout

24 **Procedit quoad forum internũ animæ.**

docent *Gloſa in c.* 1. *verbo patronus* 32. *q.* 1., *Innocentius c. inquiſitioni n.* 1. *de ſent. excom.*, *Coaruuias* 4. *decret.* 2. *part. c.* 7. *§.* 5. *n.* 15., *Barboſa rub. ff. ſolut. matrim.* 2. *part. n.* 26., *D. Antoninus* 3. *part. tit.* 1. *c.* 21. *§.* 5., *Henriquez lib.* 11. *de matrimon. c.* 17. *n.* 2., *Ludouicus Lopez* 2. *part. inſtruct. de matrim. c.* 54., *vbi de diuortio quoad habitationem col.* 2., ita vt poſſit in eodem foro tranſire ad ſacros ordines, vel votum caſtitatis emittere, adeo vt nequeat ab altero obligari, requiretur, quod adulterium illud, ita ſit notorium, vt nequeat tragiuerſatione cælari; cum etenim coniux adulter ſit in poſſeſſione pacifica, ad hoc, vt in foro externo ipſa ſpolietur, non videtur ſufficere priuata ſcientia alterius coniugis, ſed requiri notorietas talis, qualis ſufficiat ad excludendam quamcunque exceptionem eiuſdem adulteri.

Circa ea, quæ hoc vltimo loco dicta ſunt quoad forum externum, oritur hic immediatè difficultas, an, ſi innocens ex certa priuata ſcientia propria auctoritate dimiſerit adulterum, & cum in foro externo nequeat delictum probare agente adultero ſic dimiſſo ad reſtitutionem compellatur per iudicem Eccleſiaſticum ad eandem reſtitutionem, teneatur idem innocens adultero ſic reſtituto petenti reddere debitum, potiſſimum, ſi ipſe Iudex ſub excommunicatione latæ ſententiæ præcipiat eidem innocenti, vt alteri tale debitum reddat. Diuiſos circa hoc dubium inuenio DD. Alij, inter quos *D. Thomas in* 4. *diſt.* 35. *q. vnica art.* 3. *in corpore, & ibi D. Bonauentura art. vnico q.* 2., *Durandus q.* 1. *art.* 2. *num.* 7., *D. Antoninus* 3. *part. tit.* 1. *c.* 21. *§.* 5., *Silueſter verb. diuortium q.* 8., *& alij*, docent teneri reddere; & rationem adducunt, quia, cum Eccleſia in ea hypotheſi procedat ſecundum allegata, & probata, iuſtè præcipit illam redditionem, cui propterea non eſt, cur ipſe innocens non teneatur obedire. Alij ex aduerſo inter quos *Paludanus in* 4. *diſt.* 27. *q.* 4. *art.* 2. *num.* 11., *& diſt.* 35. *q.* 2. *art.* 2. *num.* 18., *Abulenſis in c.* 19. *Matthæi q.* 72. *in ſol. ad quartum*, *Sotus in* 4. *diſt.* 36. *q. vnica art.* 3. *ad fin. corporis verſ. alia eſt ambiguitas*, *Petrus de Ledeſma de matrim. q.* 62. *art.* 3. *not.* 2., *Sanchez de matrim. lib.* 10. *de diuortio diſp.* 12. *num.* 6., ſuſtinent non teneri, quia Eccleſia in illa ſententia falſæ innititur præſumptioni, quæ obſtare nequit veritati, nec innocens non obtemperans intelligitur coram Deus excommunicatus. Ego cum eodem Sanchez arbitror quantum eſt ex vi illius ſententiæ non teneri reddere, teneri tamen ratione ſcandali, quatenus, ſi diu moraretur in illa excommunicatione, proximum offenderet, & ſi per annum inſordeſceret in illa, ex diſpoſitione *Concilij Trident. ſeſſ.* 25. *c.* 3. *de reformat. in fine*, eſſet, ſeu haberetur ſuſpectus de hæreſi.

25 **Si innocens, qui receſſit ante ſententiam compelleretur per Iudicem ſub pœna excommunicationis ad reconciliationẽ non teneretur adultero reddere.**

SEC-

Digitized by Google

SECTIO VIII.

Quid agendum ſit, ſi lata ſententia diuortij conſtet Eccleſiam in illa fuiſſe deceptam.

SVMMARIVM.

Quomodo poſſit contingere error, & rationes circa ipſum dubitandi. 1.

Si per errorem innocens fuerit condemnatus, & neuter ſtatum mutauerit ſententia retractanda eſt, & coniuges reconciliandi. 2.

Innocens poſſet agere per viam actionis ad talem retractationem, & reconciliationem. 3.

Si per ſententiam diuortij reus fuerit condemnatus, cum tamen alter eſſet æquè nocens, ſententia eſt retractanda, & coniuges reconciliandi. 4.

Intellige, ſi delictum alterius fuerit deductum in iudicium, & ex errore illius nulla habita fuerit conſideratio. Ibid.

Si ſententia diuortij lata fuerit ex errore, & alter ſtatum mutauerit, vel per profeſſionem in Religionem, vel per ſacros ordines, vel per votum caſtitatis eſt alteri reſtituendus. 5.

Sic reſtitutus tenetur reddere, non poteſt tamen petere, ſi profeſſus fuerit animo ſe obligandi, quantum potuit. 6.

Si vterque poſt a illa ſententia conſcius profeſſionis alterius profeſſus fuerit, vtriuſq; profeſſio tenet, ſecus, ſi cum ignorantia. 7.

Si alter ex vi illius ſententiæ erroneæ conſcius profeſſionis alterius ſacros ordines ſuſceperit, non poteſt illum reuocare. 8.

Et profeſſio tenet. Ibid.

1 Error quomodo poſſit cõtingere, & rationes circa ipsũ dubitãdi.

ERror Eccleſiæ in ſententia diuortij poteſt contingere, vel quatenus ex falſis præſumptionibus innocentem condemnauerit, vel quatenus vnum nocentem, vere condemnauerit, cum alter æquè eſſet pro eo tempore nocens. Porrò ſuppoſita tali ſententia erronea triplex caſus venit conſiderandus. Primus, quando cognito illo errore res adhuc remanet integra, quatenus neuter ex coniugibus ſtatum mutauerit, nec per profeſſionem in Religione emiſſam, nec per ſuſceptionem ſacrorum ordinum, nec per votum ſimplex caſtitatis. Secundus, quando ex parte vnius res adhuc non intelligitur integra, quatenus ſcilicet ille, vel profeſſus fuerit in Religione, vel ſacros ordines ſuſceperit, vel votum ſimplex caſtitatis emiſerit. Tertius, quando ex parte vtriuſque res non intelligitur integra, quatenus vterq; ſtatum mutauerit altero ex prædictis modis, nempe vel vterq; profeſſus, vel alter profeſſus, alter ſacris ordinibus initiatus, vel alter profeſſus, alter voto ſimplicis caſtitatis obſtrictus.

2 Si per errorem innocẽs fuerit condemnatus, ſententia retractanda eſt.

Aſſertio I. Si per errorem in ſententia diuortij innocens fuerit condemnatus, & neuter ſtatum mutauerit ſententia retractanda eſt, & coniuges reconciliandi *D. Thomas in 4. diſt. 35. q. vnica art. 5. ad tertium, Aſtenſis lib. 8. ſummæ 2. part. tit. 34. art. 2. q. 3., Abulenſis c. 19. Matthæi q. 76. ad tertium, Graffius 2. part. deciſ. lib. 1. c. 12. num. 62., Paludanus in 4. diſt. 35. q. 2. art. 2. num. 18.*

Ratio ex eo deducitur, quia ſententia diuortij non tranſit in rem iudicatam, niſi in fauorem innocentis, & in odium delinquentis per ea, quæ latè docet *Sanchez de matrimon. lib. 10. diſp. 9. num. 4.*, ſed in hac hypotheſi vterque eſt innocens, & nullus delinquens, ergo aduerſus neutrum poteſt illa in rem iudicatam tranſire, ergo conſtante de errore circa ipſam æquo iure erit reuocanda, & coniuges reconciliandi, cum nemo poſſit opponere exceptionem rei iudicatæ.

3 Quomodo agendum eſſet ad talem retractationem.

Sed hic immediatè oritur difficultas, quomodo poſſit fieri talis retractatio, cum etenim pro ſententia, quouſque de ipſius iniuſtitia non conſtat, præſumendum ſit, aduerſus condemnatum obſtabit ſemper exceptio rei iudicatæ, ne audiatur. Nonnulli arbitrantur non per viam actionis eſſe retractandam, ſed ex officio Iudicis, quatenus ipſe eoſdem reconciliet, ſi adſit periculum incontinentiæ *Abbas c. lator num. 12. de ſent., & re iudic., & ibi Alexander de Neuo num. 12., & Felinus decl. 8. num. 9.* Alij aſſerunt alterum coniugem, in cuius fauorem lata eſt ſententia diuortij habita cognitione erroris, teneri cedere iuri, quod acquiſiuit ex illa ſententia, & ſibi reconciliare dimiſſum; atque ita ſentiunt *Paludanus in 4. diſt. 35. q. 2. art. 2. num. 18., D. Antoninus 3. parte tit. 1. c. 21. §. 6. ad finem*, rationemq; ex eo deducunt, quia ex illa ſententia nullum ius acquiſiuit, vnde adhuc vrget ius naturale, & diuinum cohabitandi, & reddendi, ſibi debitum. Hæc opinio certa eſt, ſed ſufficienter non prouidet in caſu, quo iſte renueret reconciliationi innixus fundamento latæ ſententiæ. Quamobrem abſolute aſſero dimiſſum poſſe procedere per viam actionis ad reconciliationem, & ad retractationem ſententiæ; nec obſtant, quæ ex aduerſo afferebantur, nam poteſt petere beneficium reſtitutionis ex clauſula generali, *ſi qua cauſa iuſta mihi jubeſt*, de qua loquitur *Iuriſconſultus in l. 1. §. fin. ff. ex quibus cauſis maiores*, atq; hoc beneficium conceditur quibuſcunque maioribus, vt retractetur ſententia, quæ in rem iudica-

Innocens poſſet procedere per viam actionis ad talem retractationem.

tam tranſiuit *Gregorius Lopez l. 19. verb. contra el rei tit.22.part.3.*, *Padilla l.ſub præ-textu num.17.*, *C.de iur., & fact.ignor.*, *Gu-tierez de iuram.3.part.c.7.num.8.*, *Ioannes Garzia de nobil.gloſ.6.§.2.num.8.*, vnde in hac hypotheſi licet non poſſet agere ex antiquis actis, ex nouis tamen actis, & teſtibus poterit ſententiæ falſitatem allegare, & per viam actionis inſurgere ad ipſius retractationem.

4 **Si per ſententiam diuortij reus fuerit condemnatus, cum alter eſſet æque nocens, ſunt recõciliãdi, & ſententia retractanda.**

Aſſertio II. Si per ſententiam diuortij reus fuerit condemnatus, cum tamen alter, in cuius fauorem lata eſt illa ſententia, eſſet æque nocens, & ex errore non habita fuerit ratio de delicto iſtius, poteſt talis ſententia, & debet retractari, & coniuges ad inuicem reconciliari. Intellige, ſi delictum illius, in cuius fauorem lata eſt ſententia, fuerit in iudicium deductum, nam, ſi ex ignorantia alterius, qui fuit dimiſſus, non fuerit deductum, quatenus nec de illo certitudinem, nec notitiam habuerit, non eſt onus talis retractationis, nec reconciliationis iuxta ſuperius dicta, nam adulterium non eſt ſufficiens cauſa diuortij, niſi fuerit notorium, vel alter de ipſo habuerit certitudinem, ac proinde adulterij vnius certi, & notorij non datur compenſatio cum adulterio alterius, quod non ſit notorium, nec reſpectu alterius certum; vnde

Intellige, ſi delictũ iſtius fuerit deductũ ad forum contentioſũ.

iam lata ſententia diuortij contra adulterum certum, & notorium, non poteſt talis ſententia retractari ex eo, quod poſt illam ſuperuenerit notitia de adulterio ab altero commiſſo ante talem ſententiam, cum ex vi illius ſententiæ ille, in cuius fauorem lata eſt illa ſententia, plenum ius acquiſierit. Hanc opinionem ſuſtinet præter præallegatos DD. in prima aſſertione *Sanchez de matrimonio lib.10.de diuortio diſp.9.num. 6.*, *Ioannes de Friburgo in ſumma confeſ. lib 4. tit.19. q.4.*, *Roſella verb. diuortium num. 6.*, *Silueſter eod.verb q.21.num. 24.*

Ratio ex eo deducitur, quia non adeſt ius ad diuortium, quando ante latam ſententiam pro eodem vterque coniux reus eſt eiuſdem delicti, quandoquidem, ſi vni competit actio, eundem repellit exceptio, ſed in hypotheſi præſentis aſſertionis, vterque coniux ſupponitur æquè nocens, & ſi in fauorem vnius emanauit ſententia, hoc fuit ex errore, qui non tollit ius alterius, ergo &c. Con-

Rationes pro aſſerto.

firmatur, quia, quando ex errore lata eſt ſententia contra innocentem, qui condemnatus fuit, vt reus, hæc ſententia retractanda eſt, & coniuges ſunt reconciliandi per ea, quæ probauimus in præcedenti aſſertione, ergo etiam, quando ex errore lata eſt ſententia contra vnum, & in fauorem alterius, qui tamen æquè nocens erat, ac primus, hæc poterit retractari, quinimo debebit, & coniuges erunt reconciliandi. Conſequentia probatur, quia æquè læditur ius innocentis, quando condemnatur, vt reus, ac lædatur ius delinquentis, quando damnatur in pænam diuortij, quando alter eſt æque delinquens, ſiquidem æque damnari nequit innocens, ac damnari nequeat delinquens, quando alter æquè eſt delinquens, ac ipſe, & ſi in primo caſu obſtat innocentia, in ſecundo obſtat compenſatio, ergo &c.

Si ſententia fuerit ex errore, & alter ſtatũ mutauerit, eſt iſte alteri reſtituendus. 5

Aſſertio III. Si ſententia diuortij lata fuerit ex errore, & alter ſtatum mutauerit, vel per profeſſionem in Religione, vel per ſuſceptionem ſacrorum ordinum, vel per votum ſimplicis caſtitatis, hicque fuerit innocens, ille ſcilicet, in cuius fauorem lata eſt ſententia, hic vtique erit alteri reſtituendus *D.Thomas in 4. diſt.35. q.vnica art.5. ad tertium*, *Aſtenſis lib.8.ſummæ 2. parte tit.34.art.2.q.3.*, *Armilla verb. diuortium num.15.*, *Caiet.rep.c.ad limina 30. q.1.§.4.num.225.*, *Tabiena verb. matrimonium 4.q.1.num.6.*, *Sanchez de matrimonio lib. 10. de diuortio diſp. 9. num. 9.*

Ratio ex eo deducitur, quia nemo ex coniugibus tranſire poteſt ad ſtatum Religionis, vel ſacrorum ordinum, vel emittere votum caſtitatis in præiuditium alterius ſine iſtius licentia, vel ſine alterius culpa, ex qua oritur ius ab eodem abſolutè diſcedendi, ſed in hac hypotheſi, nec intercedit licentia alterius, nec culpa ipſius, ex qua in altero oriatur ius diſcedendi ſimpliciter, quandoquidem mutauit ſtatum altero inuito, nec illa ſententia poteſt illi prodeſſe, cum conſtet euidenter de illius errore, nec error Iudicis poteſt nocere innocenti, ergo ſuppoſito errore in ſententia, ille qui ſtatum mutauit, erit reſtituendus illi, qui fuerat, vt reus condemnatus, cum eſſet innocens.

Nõ intercesſit licẽtia alterius, nec ſententia poteſt prodeſſe.

Sanchez *loc.cit.num.10.*, probat hanc aſſertionem ea ratione, quia illa profeſſio ſine licentia, & abſque vera cauſa emiſſa fuerit omnino irrita, adeoque, quod coniux, qui illam emiſit ex vi illius non remaneat obligatus, ac proinde, quod nedum poſſit ſic profeſſus ab altero reuocari, ſed ipſe quoque poſſit propria auctoritate exire, & redire ad alterum coniugem. Sed quamuis ex hoc aſſumpto rectè deducatur hæc conſequentia, aſſumptum tamen non videtur ita certum, cum plena voluntate vouerit, vel ſacros ordines ſuſceperit, vnde ad ſummum quoad effectum ſuſpendetur profeſſio, vel exercitium ordinis, non autem irrita erit ipſa profeſſio, vel ſuſceptio ſacro-

Non poteſt dici irrita profeſſio.

Digitized by Google

ſacrorum ordinum. Sed re vera arbitror irritam eſſe profeſſionem, quandoquidem conſummato matrimonio non poteſt valide alter ex coniugibus tranſire ad Religionem altero inuito, vnde etiam rectè procedit probatio eiuſdem Sanchez. Sed an in hac ſuppoſitione coniux, qui ſic profeſſus eſt, atque reſtituendus eſt, vt dicitur, alteri coniugi, teneatur nedum debitum reddere alteri petenti, ſed etiam poſſit petere, *Sanchez d. diſp. 9. n. 9.* aſſerit teneri debitum reddere, ſed non poſſe petere, quod probat *ex c. placet de conuerſ. coniug.*, atque pro hac opinione citat *D. Thomam in 4. diſt. 35. q. vnica art. 5. ad 3.*, *Aſtenſem lib. 8. ſumma 2. part. tit. 34. art. 2. q. 3.*, *& alios innumeros*. Sed neſcio, qua ratione hoc abſolutè, & ſine vlla limitatione aſſerat, cum ipſe *lib. 7. de matrimon. diſp. 34. nu. 3.* inquirens, an poſita reuocatione facta per alterum coniugem eo quod tranſierit in Religionem ſine ipſius licentia, teneatur ille, qui ingreſſus fuerat in Religionem, & in ipſa profeſſus, non ſolum reddere debitum, ſed etiam poſſit exigere, reſpondeat cum diſtinctione, vel etenim ille, qui poſt contractum, & conſummatum matrimoniū abſque alterius coniugis facultate profeſſionem emiſit, eandem elicuit ex fine immediatè permanendi in Religione, vel abſolutè emiſit cum animo ſe obligandi eo modo, quo ſe obligare potuit. Iuxta primum ſenſum ſentit, ne dum poſſe reddere, ſed etiam petere, perindè ac ſi profeſſionem illam non emiſiſſet; iuxta ſecundum vero arbitratur poſſe, & teneri reddere, non autem poſſe petere, & rationem vtriuſque ex eo deducit, quia vota non obligant, niſi ſecundum intentionem vouentis; & ſic in primo caſu cum intenderit vota dependentèr ſolummodo à Religione, ſeu permanentia in eadem irrita eadem profeſſione non intelligitur votum permanere in ſuo robore, adeoq; &c. in ſecundo vero caſu, cum intenderit ſe obligare, quantum potuit, cumque non potuerit in vim profeſſionis, benè tamen in vim voti ſimplicis, videtur iuxta naturam eiuſdem voti ſimplicis obligari ad ea, ad quę potuit, hoc eſt ad non exigendum; cum inquam, ipſe ita diſtinxerit, non video, cur modò ita abſolutè, & ſine limitatione aſſerat, quod licet teneatur reddere, non poſſit tamen petere. Niſi fortè velis dicere, quod præſumatur in dubio, quod elicuerit cum animo ſe obligandi, quantum potuit; quod videtur conformari menti eiuſdem *Sanchez d. lib. 7. diſp. 34. num. 3.* dum aſſerit, quod iura præſumant, quod vouens voluerit ſe obligare, quantum potuit iuxta textum *in c. quidam, & c. placet de conuerſ. coniug.*, quæ certè præſumptio videtur militare in præſenti hypotheſi, adeoque rectè procedere ſenſum Sanchez indefinitè loquentis, cum præſumptio ipſa ſatis rem determinet. Cæterum, ſi conſtaret, quod profeſſionem emiſiſſet ex motiuo præcisè permanendi in Religione, non video, cur non poſſet etiam exigere debitum, ſi fuerit ab altero reuocatus. Nonnulla dubia, quæ circa præſentem aſſertionem poſſunt emanare vide propoſita, & diſſoluta *tom. 6. ſub tit. contractus XV. de matrimon. 2. prænot. 9. per totum*; non enim vacat ea repetere.

6 Sic reuocatus tenetur reddere, ſed nō poteſt petere, ſi vouerit, cū animo ſe obligādi, quantū potuit.

Ea, quæ dicta ſunt quoad profeſſum ſecundum præſentem hypotheſim, proportionalitèr intelligenda ſunt, ſi ille ſuſceperit ſacros ordines, vel votum ſimplicis caſtitatis emiſerit; hic etenim eſt alteri reſtituendus propter eaſdem rationes. Hoc tamen vnum conſiderandum eſt, quod, ſi ille ſacros ordines ſuſceperit, ſit quidem alteri reſtituendus, cum in ipſius præiuditium non potuerit illos ſuſcipere, non tamen reddatur inualida eorundem ordinum ſuſceptio, cum re vera etiam in illa hypotheſi fuerit impreſſus caracter; verum tamen eſt, quod poſt reuocationem teneatur iſte ab exercitio eorundem ordinum abſtinere ex diſpoſitione iuris Eccleſiaſtici.

Quæ dicta ſunt de profeſſo poſſunt intelligi æquè de promoto ad ſacros ordines.

Aſſertio IV. Si vterque poſita illa ſententia ſtatum mutauerit, quatenus vterque profeſſus fuerit in Religione, & vterque ſciuerit alterius ingreſſum neuter poteſt alterum reuocare, ſi vterque profeſſus fuerit, ſed alter ignorabat profeſſionem alterius, tunc nullius profeſſio tenet. Ita quoad primam partem *Sanchez de matrimon. lib. 7. diſp. 34. n. 24., & lib. 10. diſp. 9. n. 12.*, *Innocentius c. quidam nu. 2. in fin. de conuerſ. coniug.*, *& ibi Ioannes Andreas num. 2. in fin.*, *Ancharanus ad finem*, *Henricus c. vxoratus n. 13. de conuers. coniug.*, *Brunellus de ſponſal. concl. 30. n. 15.*, *Aſtenſis in ſumma 2. part. lib. 8. tit. 11. art. 2. q. 14., & ſeqq.*, *Ioannes de Friburgo ſumma confeſ. lib. 1. tit. 8. q. 56.*, *Silueſter verb. diuortium q. 22. nu. 25., & ibi Armilla n. 16.* *Quoad ſecundam idem Sanchez vtroque loc. cit.*, *Cardinalis in c. quidam num. 2. q. 4. de conuerſ. coniug.*, *Gugliel mus apud Henricum in c. vxoratus n. 13. eod. tit., & alij*.

7 Si vterq; poſita illa ſententia profeſſus fuerit vterq; conſcius alterius profeſſionis, vtraq; tenet.

Antequam procedam ad probationem vtriuſq; partis operæ pretium duxi diſſoluere rationem fundamentalem, cui innitūtur aduerſarij quoad primam partem, & præcipuè *Roſella verb. diuortium nu. 7.*, nempè licere ei, qui ſtatum mutauit per profeſſionem exiſtimans diuortium iuſtè celebratum alterum repetere, & ſi

Obiectio propoſita à Roſella.

Digitized by Google

& ſi vterque ex falſa cauſa inductus fuit ad profeſſionem licere vtrique alterum repetere, eo quia illa profeſſio eo errore emiſſa ſit inualida, quandoquidem, ſi ille, qui arbitratus eſt diuortium eſſe iuſtum, vel, ſi vterq; tale cogitauerit, cognouiſſet errorem, ex quo proceſſit illa ſententia diuortij, non fuiſſet profeſſus. Hanc, inquam, rationem diſſoluere operæ pretium duxi pro quo

Error cōcomitans non ſemper irritat profeſſionem.

Aduerte errorem, ſeu dolum concomitantem circa cauſam finalem in ordine ad profeſſionem in Religione non ſemper irritare eandem profeſſionem *Silueſter verb. diuortium q. 22. n. 25., & ibi Armilla nu. 26., Gloſa in c. cum dilectus de his, qui vi, & c. fin. in fine 20. q. 3., Euerardus in ſuis topitis loco a matrimonio ſpirituali ad carnale q. 1. in fine, Crotus repet. c. in ciuitate n. 20. de vſuris Flaminius de reſignat. benefic. lib. 13. q. 3. n. 12., Sanchez de matrim. lib. 10. q. 9. n. 20.*, hocque expreſsè colligitur *primo ex c. fin. 20. q. 3.*, vbi expreſse definitur profeſſionem dolo monachorum emiſſam validam eſſe; ſecundo *ex c. ex parte el 2. de conuerſ. coniug.*, vbi indiſtinctè dicitur profeſſionem mulieris ex falſa cauſa, per quam arbitrabatur ſe poſſe a viro leproſo recedere validam eſſe, & licet ibidem ſubdatur validam eſſe, eo quia matrimonium illud non fuerat conſummatum, infertur tamen, quod ex illa falſa cauſa non irritetur, cum etenim textus illam falſam cauſam non conſideret, ſupponit illam non eſſe efficacem ad infringendam profeſſionem; nec incongrua ratione hæc omnia decernuntur, quandoquidem profeſſio Religioſa comparatur matrimonio carnali, ſicuti votum ſimplex comparatur ſponſalibus, matrimonium autem ex ſolo errore perſonæ, & conditionis ſeruilis irritatur, nō autem ex quocunque errore dante cauſam contractui, prout docent *Gloſa in l. à Dino Pio 58. verb. actionē ff. de ritu nupt., & c. cum dilectus verb. ad ſatuitatem de his, quæ vi, Abbas in c. cum dilecti n. 7. de empt., & vendit., Iaſon. inſtit. de act. §. actionum nu. 38., Sotus in 4. diſt. 35. q. vnica art. 2. col. 4. verſ. ad hæc, Coarruuias 4. decret. 2. part. c. 3. §. 7. num. 3., Molina tom. 2. de inſt. tract. 2. diſp. 352. paulò ante ſecundam concl., Valentia 2. 2. diſp. 5. q. 20. punct 4. §. 2. probatur concluſio*, ergo non ex quocunque errore dante cauſam contractui irritatur profeſſio Religioſa. Ratio fundamentalis huius noſtri aſſerti ex eo deducitur, quia voluntas profitentis, ſeu profeſſi altero coniuge ſciente, & non contradicenti fertur abſolutè in illum ſtatum, quo profitens ſe abſolutè Deo deuouet, nec illa voluntas vitiatur per illum errorem concomitantem, cum incongruum ſit ſtatum ſumere ſecundum ſe fixum, & indiſſolubilem dependentèr ab alijs præter ea, quæ ſunt de ſubſtantia talis ſtatus. Ex quibus omnibus inferre licet non ſubſiſtere rationem, qua contrariæ ſententiæ aſſertores dicunt alterum coniugem, qui ex errore ſententiæ, per quam deciſum eſt diuortium, profeſſus eſt, poſſe alterum profeſſum repetere, quia illa profeſſio fuit inualida; cum ex dictis conſtet validam eſſe.

Soluitur prædicta obiectio.

Probatio primę partis aſſertionis.

Probatur iam aſſertio quoad primam partem, quia, quando vterq; fuit conſcius profeſſionis alterius, & vterque æque primo profeſſus eſt, vterque habuit omnia requiſita ad validitatem ſuæ profeſſionis, nempe vterque habuit alterius licentiam, & vtique non ignoratam, & vterque in ſtatu conſtitutus eſt, in quo non poteſt timere de incontinentia alterius, ergo non poterit alter alterum reuocare. Antecedens probatur, quia dum vterq; altero ſciente, & quodamodo conſentiente ſe transfert in Religionem ibidem profeſſurus, facto ſibi ad inuicem facultatem concedunt. Quid enim aliud eſt ſcire alterum velle in Religione profiteri, & decernere etiam ſe velle profiteri, quam annuere alterius profeſſioni, & facto proprio ratificare? Neque ille error poteſt quid officere propter ſuperius dicta.

Probatio ſecundæ.

Probatur quoad ſecundam, quia, quando alter ignorabat profeſſionem alterius, prioris profeſſio fuit omnino inualida, vtpote, quæ emiſſa fuit ſine facultate alterius in actu exercito, ergo per ſubſequentem profeſſionem alterius præcisè non poterit validari, quia, quod fieri nequit, niſi per mutuum duorum conſenſum, & eſt in ſua radice inualidum non poteſt per conſenſum alterius præcisè conualeſcere; ex quibus ſequitur, quod etiam profeſſio poſterioris ſit inualida; ſi etenim prior eſt inualida, ergo per illam non eſt conceſſa facultas alteri emittendi profeſſionem. Vide quæ latè dixi *tom. 6. ſub tit. Contractus XV. de matrimon. 2. prænot. 9. num. 18.*, vbi etiam dignoſces, an in hac hypotheſi alter poſſit alterum reuocare, an vero vterq; teneatur profeſſionem ratificare.

8

Poſita illa ſententia erronea, ſi alter conſcius profeſsionis alterius ſacros ordines ſuſceperit, tenet illius profeſsio.

Aſſertio V. Si alter in data illa hypotheſi ſententiæ erroneæ ſtatum mutauerit per profeſſionem in Religione, alter per ſuſceptionem ſacrorum ordinum, vel per votum ſimplicis caſtitatis, & vterque fuerit conſcius mutationis ſtatus neuter poteſt alterum reuocare, ſi verò alter ignorabat ſtatum alterius mutatum profeſſio eſt inualida, & ſuſceptio ordinis,

Digitized by Google

nis, vel emiſſio voti ſimplicis caſtitatis quoad exercitium ſuſpenditur. Conſonat cum ijs, quæ dicta ſunt in præcedenti aſſertione.

Ratio primæ partis ex eo deducitur, quia, ſicuti per profeſſionem vnius ſimul cum ſcientia profeſſionis alterius arguitur per ipſum factum licentia vtriuſque adinuicem, ita per ſuſceptionem ordinis ſacri, & emiſſionem voti ſimplicis caſtitatis ab altero poſitam cum cognitione profeſſionis alterius intelligitur etiam facta licentia reſpectu vtriuſque.

Promotus ad ſacros ordines altero ignorante ſuſpenditur.

Ratio etiam ſecundæ partis ex dictis deducitur, quandoquidem quando eſt ignorantia vnius, profeſſio alterius intelligitur emiſſa ſine licentia ignorantis, & etiam ſuſceptio ordinis quoad vnũ cum ignorantia quoad alterum, ergo, & profeſſio erit inualida, & ſuſceptio ordinis, ſeu emiſſio voti ſuſpenſa, ſiquidem vnus non poteſt profiteri ſine licentia alterius, nec hic alter ſuſcipere ordines ſine licentia illius. Dixi *ſuſceptio ordinis, & emiſſio voti ſimplicis caſtitatis ſuſpenſa quoad exercitium*, quia ſuppono quoad ſubſiſtentiam ordinem eſſe validè ſuſceptum, & coniugatum poſſe validè emittere votum caſtitatis.

SECTIO IX.

An quandoque non liceat diuortium propter coniugis adulterium.

SVMMARIVM.

Non poteſt maritus vxorem dimittere, ſi ipſe eam proſtituit. 1.

Etiam ſi proſtituerit conſentientem. 2.

Etiam ſi non proſtituerit, ſed ſciens futurum adulterium vxoris non prohibuerit, cum commodè poſſet. 3.

Vxor ſciens futurum adulterium mariti, & non impediens, quia annuit, non poteſt ab eodem diuertere, ſecus, ſi non annuit. 4.

Vxor eiecta à domo mariti, vel priuata alimentis, ſi adulterauit, poteſt dimitti. 5.

Intellige, niſi fuerit eiecta à marito eo animo, vt fornicaretur. Ibid.

Vxor per vim ab alio oppreſſa non poteſt à marito per diuortium dimitti. 6.

Vxor monita à marito, vt fugeret, eximitur etiam ab hac pœna, quantumuis fuerit oppreſſa. 7.

Etiam non poteſt dimitti, ſi fornicationem paſſa fuerit per metum grauem. 8.

Vxor, quæ alteri nupſit cum probabilitate, quod prior maritus deceſſerit, non poteſt ab eo dimitti. 9.

Si certiorata de vita prioris mariti concubuerit cum ſecundo, poteſt à primo dimitti. 10.

In dubio, an prior maritus viuat, non poteſt petere à ſecundo, tenetur tamen reddere, & excuſatur à pœna diuortij. 11.

Si ſecundus maritus etiam ſit dubius de morte prioris, non poteſt debitum ab vxore petere. 12.

Vxor in bona fide mortis mariti fornicans cum altero eximitur à pœna diuortij. 13.

Si concumbat cum altero arbitrans eſſe ſuum maritum eximitur à pœna diuortij. 14.

Non eſt locus diuortio, ſi innocens condonauit adultero iniuriam, & eidem fuerit reconciliatus. 15.

PLures enumerant DD. caſus, in quibus non licet alteri coniugi dimittere adulterum, quos ſingillatim placet recenſere per ſubſequentes aſſertiones omiſſo pro nunc caſu compenſationis adulterij pro adulterio, de quo latè erit ſermo ſecundum omnes conſiderationes in ſubſequenti ſectione.

Aſſertio I. Non licet marito vxorem adulteram dimittere per diuortium, quãdo ipſe eandem proſtituit. *D. Thomas in 4. diſt. 35. q. vnica art. 1., Ioannes Andræas in c. ſignificaſti n. 7. de diuortijs, Abbas in c. diſcretionem n. 8. de eo, qui cogn. conſang., Silueſter verb. diuortium q. 9. caſ. 1., Roſella verb. impedimentum impedim. 8. n. 14., Nauarrus lib. 4. conſil. in 1. edit. tit. de ſponſal. conſ. 19. nu. 3., D. Bonauentura in 4. diſt. 25. q. 1. nu. 7., Abulenſis c. 19. Matthæi q. 65. c. 2., Sotus in 4. diſt. 36. q. vnica art. 1. verſ. 2. caſus, D. Antoninus 3 part. tit. 1. c. 21. §. 6. caſu 1.*

I Si maritus vxorē proſtituit, nõ poteſt eã dimittere.

Expreſsè habetur *in c. diſcretionem de eo, qui cogn. conſang.*, nec incongrua ratione hoc decernitur, quãdoquidem diuortium inductum eſt in fauorem innocentis, & in odium delinquentis per ſuperius latè probata, ſed in hac hypotheſi non poteſt dici maritus innocens, cum ipſe eandem vxorem proſtituerit, ac proindè ipſe conſtitutus eſt reus eiuſdem adulterij, ergo &c. Confirmatur, quia nemo ex ſua culpa poteſt commodum reportare; maritus autem in hoc caſu ex ſua culpa, per quam induxit vxorem ad adulterandum, reportaret commodum ſeparationis, ergo &c.

Nonnullæ rationes dubitandi.

Circa ea, quæ dicta ſunt in hac aſſertione, & eius probationibus nonnullæ inſurgunt rationes dubitandi, quas mox profero, & expono. Prima eſt, an ea, quæ dicta ſunt, intelligenda ſint, quando vxor à marito inuita, & contra voluntatem eſt proſtituta, an vero etiam, quando conſentiens, & volens. Secunda, an etiam intelligenda ſint, quando maritus verè, & formalitèr vxorem non proſtituit, ſed conſcius vxoris adulterij, cum prohi-

Digitized by Google

prohibere poſſit, non prohibet, & vt vulgo dicitur cornutus contentus remanet. Tertia, an, ſi maritus quaſi aliud agens occaſionem indirectam dederit vxori adulterandi puta iniuſtè eam domo repellendo, debita alimenta negando poſſit ratione adulterij ab eadem commiſſi celebrare diuortium; & alia huiuſmodi.

In ordine ad primam nonnulli arbitrantur requiri, vt maritus proſtituat vxorem inuitam, & non conſentientem; atque iſti ſunt *Riccardus in 4. diſt. 35. art. 2. q. 1., Aſtenſis in ſumma 2. parte lib. 8. tit. 11. art. 3. q. 12.*

2 Etiamſi proſtituerit conſentientem.

Idipſum ſentit *Gloſa in d. c. diſcretionem verb. præſertim de eo, qui cognouit conſang.*, vbi explicans illam particulam *præſertim*, ait ſignificare, *ac tantum*, & rationem ex eo deducunt, quia quando ipſa non eſt inuita, ſed conſentiens rea eſt adulterij, propter quod propterea poteſt dimitti; ex quo à contrario ſenſu poteſt deduci, quod ſi fuerit inuita, & non conſentiens, non conſtituatur rea adulterij, & propterea non ſubſit pœnæ dimiſſionis. Nihilominus his minimè obſtantibus aſſerendum eſt, non poſſe vxorem proſtitutam à marito dimitti per diuortium, quãtumuis ipſa fuerit conſentiens; atq; ita præter præcitatos DD. in aſſertione ſentiunt ex Iuriſtis *Alexander de Neuo in c. ſignificaſti nu. 7. de diuortijs, & ibidem Antonius n. item 7., Ananias c. penult. n. 3. in fin. de adult., Burſatus conſ. 18. num. 6. vol. 2., Centura quæſt. crimin. quæſt. conting. punit. delicti c. 4. n. 42. Quæſade in quæſt. iur. ciuil. c. 18. num. vnico* ex Theologis *Henriquez lib. 11. de matrimon. c. 17. nu. 4., Bellarminus lib. 1. de matrimon. c. 14. §. tertium eſt, Veracrux 3. part. ſpeculi art. 1. concl. 5. caſu 2., Palacios in 4. diſt. 27. diſp. 3. col. 19. fol. 601., Graffius 2. part. deciſ. lib. 1. c. 22. n. 72. caſu 3., & Sanchez lib. 10. de diuortio diſp. 5. n. 4.*, qui omnes præcitatos allegat, & alios plures. Ratio ex eo deducitur, quod pœna diuortij ob adulterium inducta eſt propter iniuriam illatam alteri coniugi innocenti ob fidem ipſi datam, & non ſeruatam, ſed quando vxor proſtituta eſt a marito ſic volente, quantumuis ipſa conſenſerit, & non fuerit inuita nulla iniuria fit ipſi marito, quandoquidem ſcienti, & conſentienti non fit iniuria; ergo &c. Neque dicas, quod quantumuis eidem marito non fiat iniuria, fiat tamen ſacramento, propter quam poſſit fieri diuortium; contra enim impugnaberis, quia diuortium non eſt inductum ob læſionem ſacramenti, ſed propter læſionem fidei præſtitæ alteri coniugi, adeoq; &c. Deindè non minus lædit matrimonium vxor conſentiens proſtitutioni, ac maritus proſtituens, adeoq; &c. Ad illud, quod ex aduerſo dicebatur *ex c. diſcretionem de eo, qui cogn. conſang.*, dicendum eſt potius fauere noſtræ opinioni, quandoquidem illa particula *præſertim* ampliat, & confirmat diſpoſitionem præcedentem *Reinoſo in obſeruat. pract. obſeruat. 16. num. 6.*, & exprimit caſum minus dubitabilem, & implicat magis dubitabilem *l. fin., & ibi Gloſa in verb. præſertim ff. de lib. exhib. c. pro humano in verb. præſertim, & ibi DD. de homicidio in 6., Mandoſius reg. 28. cancel. q. 6. n. 2., Menochius de arbitrar. caſ. 416. nu. 19.* Ad illud, quod ſubditur pro ratione dicendum eſt, quod quantumuis ipſa fuerit conſentiens, ex quo tamen fuit per maritum ad illud adulterium inducta, conſtituitur ipſe maritus particeps illius, adeoq; ex illo non poteſt ius aliquod acquirere.

Soluuntur rationes oppoſitæ.

In ordine ad ſecundam ſentiendum eſt, quod, ſi maritus conſcius adulterij proximè patrandi ab vxore non prohibuerit, cum commodè potuerit prohibere, non poſſit per diuortium eandem vxorem dimittere *Silueſter verb. diuortium q. 9. c. 1., Tabiena verb. matrimonium 4. n. 1. caſu 2., Armilla verb. matrimonium nu. 73. caſu 2. ſupplementum, Gabriellis in 4. diſt. 25. q. vnica art. 2. poſt primam concl. caſu 2., Vega primo tom. ſummæ c. 13. caſu 17., & 18., & alij plures apud Sanchez lib. 10. de diuortio diſp. 5. n. 5.* Ratio ex eo deducitur, quod in præcedenti ratione dubitandi dictum eſt, quod ſcilicet, ſi maritus conſenſerit in adulterium vxoris non habeat ius illam dimittendi, cum per adulterium eiuſdem vxoris ipſi iniuria non inferatur *ex reg. ſcientis de reg. iur. in 6.* quandoquidem ſcienti, & conſentienti non fit iniuria, ſed quando maritus nouit adulterium proximè futurum vxoris, & potuit commodè prohibere, & non prohibuit, intelligitur eidem adulterio conſenſiſſe, cum idem ſit omnino ſcientem non prohibere delictum inferioris cum poſſit, ac eidem delicto conſentire, ergo &c.

3 Etiam, ſi non proſtituerit, ſed non prohibuerit adulterium vxoris, cum poſſet prohibere.

Dixi *cum commodè potuerit prohibere*, nam, ſi non prohibuerit ob metum cadentem in conſtantem virum, quatenus ſcilicet ex illa prohibitione timuerit maximum præiuditium imminere, tunc certè nec intelligitur conſenſiſſe, nec amiſiſſe ius ad diuortium, prout docet *Palacios in 4. diſt. 27. diſp. 3. col. 19. fol. 601.*, vel quia ſine graui ſui damno non potuit prohibere, vt tradit idem *Palacios diſt. 35. diſp. vnica col. 3. vers. cæterum, ſi auctoritate*. Sed hic immediatè oritur difficultas, an, ſi vxor conſcia adulterij mariti ipſum non prohibeat, intelligatur eidem conſentire, & amittere ius ad diuortium? Cum diſtinctione reſpõdendum exiſtimo,

vel

Digitized by Google

vel etenim non prohibuit, quia conſenſit illi adulterio, vel non prohibuit præcisè, nec tamen conſenſit. Iuxtà primum ſenſum cenſeo non poſſe cum eodem marito ſic adulterante celebrare diuortium proptèr rationem ſuperius adductam, quia ſcienti, & conſentienti non fit iniuria. Iuxta ſecundum vero ſenſum abſolutè ſentio poſſe à marito per diuortium diuertere, quia efficax præſumptio eſt, quod non prohibuerit, quia non auſa eſt prohibere ob timorem eiuſdem mariti, præcipuè cum vxor ſit inferior, & ad ipſam maritum non ſpectat corripere.

4 Vxor ſciẽs futurum adulteriũ mariti, & non impediẽs, quia annuit, nõ poteſt ab eodem diuertere.

In ordine ad tertiam iura abſolutè decidunt, quod, ſi vxor adulterauerit ex eo, quod è domo fuerit eiecta, vel ipſi denegata alimenta, non priuetur maritus iure ipſam dimittendi per diuortium; hoc expreſsè habetur *in c ſignificaſti de diuortio, & in c. ex literis eod. tit.*, & *Gloſa in d. c. ſignificaſti*, adducit rationem, quia ſcilicet mulier, nec ex ratione paupertatis, nec alio titulo adduci debet ad fornicandum. Limitãdum tamen hoc eſt in hypotheſi, qua vir iniuſtè expuliſſet vxorem à domo, vel alimenta eidem denegaſſet ea intentione, vt paupertate oppreſſa adulteraret; & ratio limitationis ex eo deducitur, quia intelligitur ſimplicitèr fornicationi vxoris conniuere, prout docent *Caieta. repet. c. ad limina 30. q. 1. §. 4. n. 217.*, *Sanchez de matrimon. lib. 10. diſp. 5. nu. 6.* Neque dicas cum *D. Thoma in 4. diſt. 39. in fine in explicatione literæ magiſtri*, quod infidelis ad fidem conuerſus non poſſit ab infideli item ad fidem conuerſo diuertere ob fornicationem ab eodem commiſſam pro tempore infidelitatis, eo quia ipſe coniux innocens noluerit ad conſortium maritale ipſum admittere volentem cohabitare abſque iniuria Creatoris, ergo etiam, ſi maritus eiecerit iniuſtè vxorem, vel eidem iniuſtè alimenta denegauerit, & vxor ipſa fornicata fuerit non poterit maritus ab eadem per diuortium diuertere, cum ipſe cauſam dederit per illam iniuſtam eiectionem, & negationem alimentorum. Conſequentia probatur, quia in tantum *D. Thomas loc. cit.* negat innocentem poſſe diuertere à delinquente in tempore infidelitatis, in quantum eidem cauſam dedit negando conſortium maritale, non obſtante, quod promiſerit cohabitare ſine iniuria Creatoris, ergo etiam maritus non poterit diuertere ab vxore adultera, cum eidem dederit occaſionem fornicandi eiecendo a conſortio maritali, & congrua alimenta eidem denegando; contra enim impugnaberis, primo, quia conſiderata præcisè illa reiectione vxoris ſecundum ſe non video, cui fundamento poſſit inniti illa doctrina ex D. Thoma adducta, cum, vt antea diximus, illa expulſio non ſit occaſio, niſi remota illius fornicationis in vxore; vndè, ſi quæ ratio obſtare poſſe videtur, refundenda eſt in infidelitate vxoris in eo ſtatu infidelitatis fornicantis; quare ſecundo ſic impugnatur præfata inſtantia aſſerendo, quod quamuis eſſet verum antecedens, non rectè deducatur conſequentia. Ratio eſt, quia quando conuerſus ad fidem abſolutè excludit alterum coniugem infidelem à conſortio maritali videtur quaſi liberam facultatem quoad vſum ſui corporis eidem concedere, abſq; iniuria matrimonij, vt benè notat *Sanchez d. lib. 10. de diuortio diſp. 5. num. 8.*, quod non euenit, quãdo fidelis alterum coniugem fidelem eijcit, quia non ſupponitur ipſi tradere facultatem quoad vſum corporis, adeoq; &c.

5 Vxor eiecta à domo à marito, vel priuata alimentis, ſi adulterauit, poteſt dimitti.

Intellige niſi fuerit eiecta, eo animo, & fine, vt fornicaretur.

Illa expulſio non eſt occaſio, niſi remota fornicationis.

Aſſertio II. Non poteſt maritus licitè vxorem per diuortium dimittere ob fornicationem, qua eadem vxor fuit violentèr cognita *Gloſa in c. de pudicitia verb. eripi 32. q. 5.*, *& ibi Archi Diaconus n. vnico*, *Sanchez de matrimonio lib. 10. de diuortio diſp. 5. n. 13.*, & alij communitèr. 6

6 Vxor per vim oppreſsa, non poteſt per maritum dimitti.

Expreſsè colligitur *ex l. vim paſſam ff. ad leg. Iuliam de adult.*, vbi indiſtinctè dicitur, quod non ſit imputandum adulterium vim paſſæ; nec incongrua ratione hoc decernitur, quandoquidem cum nulla adſit culpa in ſic violentèr oppreſſa, vt habetur *in c. ita, & c. propoſito 32. q. 5.*, vndè etiam D. Lucia virgo Paſchaſio minitanti carnalem oppreſſionem reſpondit. *Si inuitam iuſſeris violari caſtitas mihi duplicabitur ad coronam*, per conſequens non poteſt eſſe pæna diuortij, quæ contrahi nequit ſine culpa.

Circa hanc etiam aſſertionem, & cauſam excuſantem à pæna diuortij nonnullæ inſurgunt rationes dubitandi, quarum prima eſt, an vxor eximatur etiam ab hac pæna, quantumuis non ſe exemerit à periculo illius violentæ oppreſſionis; quatenus monita a marito fugere, non fugijt. Secunda, an non ſolum eximatur ab illa pæna, ſi fuerit violenter, ſeu per violentiam oppreſſa, ſed etiam, ſi fornicationem ſuſtinuerit ob metum cadentem in conſtantem virum.

Nonnullæ rationes dubitãdi.

In ordine ad primam *Cancera in quaeſt. crimin. quaeſt. tangent. punitionem delicti c. 4. num. 49.*, ſuſtinet non liberari vxorem à pæna diuortij, ſi monita à marito, vt fugam arriperet, ne ab hoſtibus opprimeretur, non obedierit fugiendo, eo quod quodamodo cauſa fuerit illius fornicationis. Alij è contra communius ſuſtinent à tali pæna eximi, quia ſemper ve-

7 Vxor monita à marito, vt fugeret, ſi nõ fugijt, & ab hoſtibus fuit oppreſſa, nõ poteſt etiam dimitti.

K rifica-

Digitized by Google

rificatur, quod violenter fuerit oppreſſa, nec culpa illa inobedientiæ vxoris ipſam conſtituit ream adulterij, cum ipſam non ordinauerit ad illum effectum fornicationis, & licet quodamodo deliquerit non obediendo, non eſt tamen talis culpa, quę mereatur talem pænam arg. textus *in c. quoniam de conceſ. praben.* atq; ita ſentit *Bellamera in d. c. de pudicitia 32. q. 5.*, *Gregorius Lopez l. 7. verb. por fuerza tit. 9. part. 4.*, quod, & ego probabilius exiſtimo.

In ordine ad ſecundam communior ſententia aſſerit per metum cadentem in conſtantem virum vxorem, ſicuti non eximitur à culpa adulterij, ita non eximi à pæna diuortij, & amiſſionis dotis; atq; pro hac communi opinione *Sanchez d. lib. 10. de diuortio diſp. 5. nu. 16.* allegat innumeros DD., quos ſequitur. Tota ratio huius opinionis in eo ſita eſt, quod denegari non poſſit, quin illa vxor contraxerit culpam adulterij, à qua non poterit eximi ob illum metum, cum potius debuerit mori, quam fædari, & canones in ordine ad illas pænas incurrendas ad aliud non reſpiciunt, quam ad culpam adulterij. Ex aduerſo alij ſuſtinent eximi à tali pæna, atque hi ſunt *Abbas conſ. 4. num. 3. vol. 1.*, *Roſella verbo adulterium nu. 5.*, *& ibi Silueſter q. vlt.*, *Graffius 2. part. deciſ. lib. 1. c. 12. num. 72. caſ. 2.*, quibus in hac parte adhærendum exiſtimo.

8 **Etiam nõ poteſt dimitti, quã tumuis per metũ grauẽ fornicationẽ paſſa fuerit.**

Rationem ex eo deduco, quia pænæ ex communi conſenſu non ſunt ampliandæ, ſed reſtringendæ, nec incurruntur, niſi ob delictum cum plena deliberatione, & libertate patratum, ſed adulterium commiſſum ab vxore per metum cadentem in conſtantem virum non eſt commiſſum cum plena deliberatione, & libertate, vt per ſe patet, cum metus, ſi fuerit grauis, & cadens in conſtantem virum, valde minuat de libero, & volontario. Secundo, quia, vbi iura ad pænam requirunt dolum, non ſufficit, quod interueniat culpa delinquentis per textum *in l. 1. ff. de Sicar. l. in actionis ff. de in litem iurand.*, *& l. quod Nerua ff. depoſiti*, ſed iura in adulterio quoad pænam requirunt dolum *l. penult. ff. ad leg. Iuliam de adulterio*, ergo &c. Tertio, quia plura requiruntur ad pænam, quam ad culpam, vt docet *in c. propoſito verb. adulterium, & verb. vnus 32. q. 5.*, & ibi Archidiaconus, vbi dicunt metum cadentem in conſtantem virum efficere, quod vnus tantum ſit adulter quoad reatum, & pænam adulterij, & tamen quoad culpam, vterque eſt adulter; Neque obeſſe poteſt, ſi aſſeratur hæc tantum procedere quoad diſpoſitionem iuris ciuilis, non quoad canones, qui præcisè attendunt ad culpam ad incurrendam pænam diuortij inductam per idem ius canonicum; Non, inquam, obeſſe poteſt primo, quia *Gloſa in d. c. propoſito* loquitur in terminis iuris canonici, quos ibi commentat, & interpretatur; ſecundo, quia etiam iura canonica pænalia ſunt reſtringenda ad delicta ſecundum plenam deliberationem, & libertatem.

9 **Vxor, quę alteri nupſit, cum probabilitate, quod prior maritus deceſſerit, non poteſt ab eo dimitti.**

Aſſertio III. Excuſatur etiam à pæna diuortij vxor, quæ probabiliter credens virum deceſſiſſe, alteri nupſit, eidemque carnalitèr commixta eſt. In hanc aſſertionem propendent *Hoſtienſis in ſumma tit. de diuortijs num. 8. caſ. 3.*, *Monaldus in ſumma tit. de diuort. §. propter quid fiat diuortium verſ. item ſunt quidam caſus*, *D. Antoninus 3. part. tit. 1. c. 21. §. 6. caſu 3.*, *Veracrux 3. part. ſpeculi art. 1. concl. 5. caſu tertio*, & alij innumeri apud *Sanchez d. lib. 10. diſp. 5. n. 11.*

Expreſsè colligitur ex textu *in c. cum per bellicam 34. q. 2.*, *& ex l. vxor C. de repud.*, nec incongrua ratione hoc decernitur, quandoquidem vxor in hoc caſu non eſt rea adulterij, vbi autem non eſt reatus culpæ, nec poteſt eſſe pæna.

Nonnulla dubia excitata.

Hic ſolum nonnulla remanent dubia explananda; quorum primum eſt; an, ſi eadem vxor poſt contractum matrimonium cum ſecundo, cum bona fide de interitu primi, poſtea certificetur de ſuperuiuentia iſtius, & ſtante tali certitudine petat, aut reddat debitum ſecundo, contrahat pænam, ratione cuius poſſit dimitti ab eodem primo ſuprauiuente; ſecundum ſi eadem vxor verſatur in dubio, an primus coniux adhuc viuat, & ſtante tali dubio petat debitum, an tali pænæ diuortij ſubiaceat. Tertium, an, ſi vxor ſtante bona fide interitus coniugis fornicetur, cum tertia quadam perſona, cui non nubit contrahat talem pænam.

10 **Si certiorata, de vita prioris mariti coeat cũ ſecundo, poteſt à primo dimitti.**

In ordine ad primum abſolutè cenſeo non eximi vxorem a tali pæna *Paludanus in 4. diſt. 35. q. 1. art. 2. caſu 3. num. 14.*, *& ibi ſupplementum Gabriellis q. 1. art. 2. poſt primam concluſionem caſu 3.*, *Silueſter verb. diuortium q. 9. caſu 2.* Ratio ex eo deducitur, quia poſita certitudine de vita prioris coniugis vxor, quæ alteri nupſit, ipſo iure amittit ius, & onus reſpectu ſecundi mariti, nec amplius remanet ſua, nec quoad ſubſtantiam, nec quoad bonam fidem, nec quoad apprehenſionem, ergo nec poteſt petere, nec reddere, et ſi petat, vel reddat propriè, & ſcienter, cōmittit adulterium, ergo ratione eiuſdem primus maritus poterit ab ipſa, vtpotè propriè adulterante diuertere; nec ad hoc, vt eximatur à culpa adulterij requiritur, vt primus maritus petat, vt vxor ſeparetur à ſecundo putatiuo, quandoquidem conſtante certò de vita prioris

ſe-

Digitized by Google

ſecundum remanet ipſo iure nullum, adeoque ceſſant iura, & onera ipſius.

In ordine ad ſecundum dico ſuperueniente tali dubietate vxorem peccare quidem petendo à ſecundo marito debitum, non autem reddendo; in vtroque tamen caſu eximi à pæna diuortij. Quoad tertiam partem, quando vxor in tali dubio petit debitum, eſt contra *Sanchez de matrimon. lib. 10. diſp. 5. num. 11. in fine.*

11 In dubio, an viuat, an non, tenetur reddere, non poteſt tamen petere, & in vtroq; caſu excuſatur à pæna diuortij.

Ratio primæ partis ex eo deſumitur, quia petendo in tali dubio exponitur periculo fornicationis, & cum, vt aſſerit idem *Sanchez loc. cit.* illa copula reſpectu vxoris petentis ſit ſpontanea, non vacat culpa adulterij in caſu, quo re vera prior maritus ſuperſtes eſſet, ergo ſic petendo conſtituitur rea peccati. Ratio ſecundæ partis in eo conſiſtit, quod ſecundus maritus in dubio, quo afficitur vxor de vita prioris mariti, non amittit ius, quod habet petendi debitum ab vxore reputata, vt ſua, ergo eodem legitimè petente tenebitur vxor reddere, nec peccabit reddendo, cum adimpleat id, quod debet; Quod, ſi ſupponatur, quod ſecundus etiam maritus dubius ſit de vita prioris mariti, tunc arbitrarer, non poſſe licite petere, quandoquidem in ordine ad ea, quæ pertinent ad euitanda peccata, & ad ſalutem animæ omni iure clamante tutior pars in dubio eſt eligenda; tutius autem eſt, quod abſtineat a coitu carnali in ea hypotheſi ob periculum fornicationis arg. iuris *in c. literas de reſtit. ſpoliat.* Neque obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, quod ea, quæ hic dicuntur, verificentur ſolum, quando ſecundum matrimonium contractum eſt ſtante tali dubio, non autem, quando contractum eſt bona fide, & poſtea ſuperuenit tale dubium, quia in hoc

12 Si maritus ſecundus, etiam ſit dubius de morte prioris mariti debet abſtinere à coitu.

ſecundo caſu cum poſſeſſio ſtet pro matrimonio inito per bonam fidem in ſua origine, dubium ſuperueniens non poteſt tali poſſeſſione priuare, cum poſſeſſio ipſa præualere debeat tali dubio; Non, inquam, obeſſe poteſt, quia, vt mox dicebam, in ijs, quæ pertinent ad peccata vitanda, & ad ſalutem ſpiritualem, ſiue dubium præceſſerit, ſiue fuerit ſuperueniens, iura diſponunt tutiorem partem eſſe eligendam in fauorem eiuſdem ſalutis ſpiritualis, & de dubio etiam ſuperueniente conſanguinitatis procedebat textus *in d. c. literas de reſtitut. ſpoliatorum,* & tamen ibidem Pontifex præcipit faciendam eſſe reſtitutionem quoad alia omnia, præterquam quoad debitum coniugale ob periculum fornicationis, quatenus voluerit periculum illud fornicationis præualere cuicunque iuri in illo dubio exiſtentiæ, vel non exiſtentiæ conſanguinitatis. Ratio tertiæ partis ex eo deducitur, quia pænæ, quæ inducuntur ob aliquod delictum determinatum, non ſunt trahendæ ad delictum incertum, & dubium, cum in dubio in ordine ad pænas melior ſit ſemper conditio poſſidentis, & delicta in ordine ad pænas ordinarias contrahendas debeant eſſe ipſa luce meridiana clariora.

Pænæ non trahuntur ad delictum incertum.

13 Vxor exiſtens in bona fide mortis mariti fornicans cum altero eximitur à pæna diuortij.

In ordine ad tertium abſolutè ſentio vxorem exiſtentem in bona fide interitus mariti, & fornicantem cum altero eximi à pæna diuortij *Sanchez de matrim. lib. 10. de diuortio diſp. 5. num. 12., Albericus in ſuo dictionario lit. A. verb. adulterium verſ. idem, ſi crediderit, Caſtillo l. 82., Tauri nu. 8.* Ratio ex eo deducitur, quia cum in ea hypotheſi vxor illa rationabiliter ſupponatur, vt libera, & ſui iuris, per illam fornicationem non intelligitur, quantum eſt ex ſe, & animo malitioſo inferre iniuriam marito, quinimmo nec formaliter committit adulterium, ergo non eſt, cur à marito poſtea ſuperueniente poſſit ratione illius dimitti, cum diuortium marito ſolum concedatur ob iniuriam ſibi irrogatam intuitu adulterini concubitus, qui adulterinus concubitus non eſt abſq; dolo, atque peruerſitate operantis in alterum coniugem *l. penult. C. ad leg. Iul. de adultero.* Confirmatur, quia accedens ad conſanguineam vxoris ignarus conſanguinitatis non incurrit pænam inceſtus, quæ eſt priuatio petendi debitum coniugale, prout latè probat *Sanchez de matrim. lib. 9. diſp. 32. num. 47., & ſeqq*, ergo etiam &c.

14 Concumbens cum altero arbitrans eſſe ſuum maritum euitat pænam diuortij.

Aſſertio IV. Excuſatur etiam à pæna diuortij vxor, quæ cum alio concubuit bona fide arbitrans eſſe ſuum maritum *Hoſtienſis in ſumma tit. de diuortijs num. 8. caſu 3., Aſtenſis in ſumma 2. part. lib. 8. tit. 33. art. 3. caſu tertio, Sanchez de matrimon. lib. 10. diſp. 5. num. 17.*

Non difficilis eſt probatio præſentis aſſertionis ſuppoſitis ijs, quæ ſparſim diximus in hac aſſertione, videlicet non habere locum pænam diuortij, vbi nulla eſt culpa ex parte coniugis cum altero fornicantis, hocque euincit textus *in c. lectum 34. q. 2.*, ſed in præſenti nulla eſt culpa ex parte vxoris ab altero fornicariè cognitæ, ſiquidem arbitrabatur ipſum eſſe maritum, & quidem bona fide, ergo &c.

Sed cum hoc videatur creditu difficile, cum vix præſumi poſſit, quod vxor non cognouerit illum non eſſe ſuum maritum, hinc oritur ratio dubitandi, quomodo probanda ſit ignorantia, & bona fides eiuſdem vxoris fornicariè cognitæ. Certum eſt, quod, cum præſumptio ſtet

pro marito, quod vxor habuerit ſcientiam de adultero, ac proindè onus probandi contrarium transfertur in vxorem. Ex alia parte cum difficilis ſit probationis, quod delictum commiſerit, vel cum ſcientia, vel ſine ſcientia, ideo dico, quod in hac hypotheſi ſtandum ſit iuramento eiuſdem vxoris aſſerentis, ſe credidiſſe fornicarium eſſe ſui maritum attentis alijs circunſtantijs bonæ famæ, & honeſtatis eiuſdem vxoris, & ſimilibus, prout docent DD. præallegati in aſſertione.

Standum eſt iuramento vxoris.

15 Aſſertio V. Non eſt locus diuortij, ſi coniux innocens alteri condonarit adulterium ſeruatis ſeruandis, eique fuerit reconciliatus. *Alexander in l. iuris gentium §. ſi paciſcar ad fin. ff. de pact.*, *Barboſa in l. 2. in princip. part. 1. n. 100. ff. ſolut. matrim.*; *Sanchez de matrim. lib. 10. de diuortio diſp. 5. nu. 19.*

Ceſſat diuortij ius per condonationem iniuriæ factam ab innocẽte.

Expreſsè colligitur ex textu *in l. ſi maritus 25. §. ſi negauerint ff. ad leg. Iul. de adulterijs*; nec incongrua ratione hoc decernitur, quandoquidem lex diuortij potiſſimum inducta eſt in fauorem innocentis; vnuſquiſq; autem poteſt cedere iuri in ſui fauorem præcisè inducto; Sed de hac condonatione in ſubſequentibus ſectionibus vberrimè.

SECTIO X.

An, & quomodo fieri poſſit compenſatio adulterij cum adulterio.

SVMMARIVM.

Vtroque adulterante ante ſententiam diuortij fit mutua compenſatio delictorum. 1.
Debet vtriuſq; delictum eſſe liquidum, & ſufficiens ad diuortium. 2.
Coniux adulter occultus non poteſt in foro interno diuertere ab altero notoriè tali. 3.
Coniux occultè adulter non priuatur iure petendi debitum. 4.
Ad compenſationem non requiritur, quod delictum vtriuſque fuerit commiſſum eodem tempore, nec quod potius illud vnius, quam alterius præceſſerit. 5.
Non derogat iuri compenſationis, quod alter pluries deliquerit. 6.
Non datur compenſatio quoad hunc effectum, ſi alter fornicationem, alter ſodomiam comiſerit. 7.
Si alter alteri prius fornicanti iniuriam condonarit, & poſtea ipſe deliquerit fit compenſatio. 8.
Extante adulterio ex parte vtriuſq; poteſt ex conuentione poni diuortium. 9.
Si vterque fuerit adulter, alter vero corrigatur, altero in fornicatione perſeuerante, poteſt correctus præmiſſa congrua monitione à contumaci diuertere. 10.
Lata ſententia diuortij ob vnius adulterium non fit compenſatio, ſi alter poſtea deliquerit. 11.

IVxta triplicem ſenſum poteſt præſens titulus examinari; primo, quatenus adulterium ex parte vtriuſq; fuerit commiſſum ante latam ſententiam diuortij; ſecundo, quatenus fuerit commiſſum reſpectu vtriuſque poſt eandem ſententiam. Tertio, quatenus reſpectu vnius fuerit ante ſententiam, reſpectu vero alterius poſt eandem.

Iuxta primum ſenſum plures excitantur articuli ſub hoc titulo diſcutiendi, & primo, an re vera detur compenſatio adulterij cum adulterio. Secundo, quænam conditiones requirantur, vt legitimè fiat illa compenſatio. Tertio, vtrum referat ad hanc compenſationem, quod potius vnus, quam alter prius fuerit fornicatus. Quarto, vtrum fieri poſſit iuſta compenſatio, ſi alter bis fornicatus fuerit, alter vero ſex, vel ſepties. Quinto, an poſſit fieri compenſatio, ſi alter fornicationem commiſerit, alter vero ſodomiam, vel beſtialitatem. Sexto, an, ſi innocens alteri condonauerit adulterium, & poſtea ipſe fornicatus fuerit, fiat inter ipſos compenſatio. Septimo, an commiſſo ex parte vtriuſque adulterio poſſit maritus adulter conuenire cum vxore item adultera, vt conniueat in diuortium, ne ipſam criminalitèr accuſet.

Varij ſenſus, ſecundum quos poteſt examinari titulus.

Iuxta ſecundum ſenſum etiam plures articuli veniunt examinandi, qui tamen ex præactis in præcedentibus ſectionibus remanent diſſoluti, ſicuti illi, qui pertinent ad tertium ſenſum, de quibus tamen aliquid currenti calamo attingemus.

Aſſertio I. Si vterque coniux ante latam ſentẽtiam diuortij adulterium commiſerit, fit mutua compenſatio, adeo vt neuter poſſit alterum dimittere. In hoc, ſi cætera ſint paria, omnes conueniunt. 1

Vtroque adulterante ante ſentẽtiam diuortij fit compẽſatio.

Expreſsè euincitur *ex c. ſignificaſti de diuortijs c. intelleximus, & c. fin. de adult. l. viro atq; vxore ff. ſolut. matrim.*, atque horum omnium rationem adducit *D. Auguſtinus lib. 1. de ſermone Domini in monte*, illis verbis, *Nihil iniquius, quam fornicationis cauſa dimittere vxorem, & ipſe conuincitur fornicari; occurrit enim illud; in quo alterum iudicas te ipſum condemnas, eadem enim agis, quæ iudicas.*

Aſſertio II. Ad hoc, vt legitima fiat compenſatio adulterij pro adulterio, duæ potiſſimum requiruntur conditiones; prima, vt vtrumq; adulteriũ, ſeu vtriuſque ſit liquidum. Secunda, vt vtriuſque deli- 2

Debet vtriuſque delictum eſſe liquidum, & ſufficiens ad diuortium.

Digitized by Google

delictum ſit tale, vt ſit ſufficiens ad diuortium. Quod primam partem *Hoſtienſis in c. fin. n. 1. de adult.*, *& ibi Ancharanus n. 3.* Quoad ſecundam *Ledeſma 2. part. 4. q. 64. art. 2. verſ. eſt tamen notandum Sanchez de matrimon. lib. 10. de diuort. diſp. 6. num. 3.*

Ratio primę partis deducitur ex communi regula, quod liquidi ad illiquidum non datur compenſatio *l. fin. C. de compenſat.*, ergo ad hoc, vt fiat legitima compenſatio adulterij pro adulterio vtrumq; debet eſſe liquidum, & certum, nec ſufficit, quod alterum ſit certum, alterum incertum; vndè meritò infert *Sanchez loc. cit. n. 2.*, quod, ſi alter ex coniugibus ſit dubius de adulterio alterius, cum ſibi conſcius ſit de proprio, & falſis teſtibus comprobat illud alterius, ratione cuius eidem denegetur diuortium, non ſit tutus in conſcientia.

Ratio ſecundæ partis ex eo deſumitur, quia ad extinguendum aliquod ius titulo compenſationis requiritur, vt id, per quod intenditur compenſatio, ſit ſecundum ſe ſufficiens ad conſtituendum illud ius, quod per aliud ſimile auferatur, ſic, vt in alijs loquar, ad extinguendum creditum vnius valoris v.g., vt decem requiritur, vt alter, qui compenſare intendit, conſtituat æquale creditum, vt decem, per quod extinguatur, ſeu ſit ſufficiens ad extinguendum primum, ergo ad hoc, vt fiat compenſatio delicti, ex quo oritur ius diuortij, requiritur, vt ponatur aliud delictum, per quod etiam ponatur ius diuortij, cæteroqui, ſi non erit ſufficiens ad diuortium, non poterit tollere ius alterius, quod habet ex delicto ad diuortium; ſic in particulari, ſi vnus ex coniugibus conſummauerit fornicationem, & alter incohauerit, puta per conatum ad copulam, per penetrationem vaſis, non tamen cum ſeminatione, hic alter non habebit ius ad compenſationem, cum huiuſmodi actu non ſint ſecundum ſe ſufficientes ad diuortium; ſecundo, ſi vxor verè, & realitèr perfectè fornicata fuerit cum altero, & maritus rem habuerit cum fæmina mortua, adeo vt ſemen intra eandem emiſerit, certè vxor ipſa non habebit ius ad compenſationem, cum ille congreſſus cum fæmina mortua non ſit ſufficiens cauſa diuortij, vt fatetur *Sanchez d. diſp. 6. n. 3. in fine*.

Debet eſſe æquale debitum, & creditum, vt iuſta ſit cõpenſatio.

In ordine ad primam partem huius aſſertionis oritur hic difficultas, an, ſi adulterium vnius fuerit notorium, illud verò alterius fuerit occultum fieri poſſit iuſta compenſatio? Qua in difficultate plura aſſero, primo, quod coniux adulter occultus in foro interno, quantumuis alter adulter notorius non habeat certitudinem, nec notitiam de illius adulterio, non poſſit diuertere, nec intentare diuortium. Ita ex Iuriſtis *Hoſtienſis in ſumma tit. de diuortijs n. 11. in princip.*, *Ioannes Andræas in c. conſtitutus n. 1. de conuerſ. coniug.*, *Henricus c. ex literis n. 11. de diuort.*, *Lancellotus Inſtit. iur. can. lib. 2. tit. de diuotijs §. quantum autem intereſt verb. niſi*, ex Theologis *D. Thomas in 4. diſt. 35. q. vnica art. 6. ad quintum*, *& ibi D. Bonauentura in expoſitione literæ nu. 1.*, *& art. 1. q. 1. in fin. corporis*, *Abulenſis c. 19. Matthæi q. 75 in ſolut. ad vltimum*. Ratio ex eo deducitur, quia ipſe adulter occultus optimè norit ſe reum eſſe ſimilis adulterij, cuius eſt reus alter, quamuis iſte ſit notorius, ipſe vero occultus, ergo, quantum eſt coram Deo, & in foro conſcientiæ, ſecundum quod nudè veritas conſideratur, non poterit diuortium intentare, ſed tenebitur facere compenſationem adulterij pro adulterio, quod etiam confirmari poteſt exemplo illius, qui debitor eſt alterius de certa ſumma, quod debitum ipſi ſolummodo notum eſt, & Deo; hic autem, ſi contrahat creditum notorium cum eo, cuius ipſe eſt debitor occultus, non poteſt in foro conſcientiæ exigere illud creditum, ſed tenetur illud compenſare cum illo debito occulto, quo ipſe premitur, ergo etiam &c. Dico ſecundo coniux occultè adulter non priuatur ipſo facto iure exigendi debitum, non tamen ipſi conceditur ius diuertendi ab altero coniuge notoriè adultero, quantum pertinet ad forum conſcientiæ *Caietanus apud Sanchez lib. 10. de matrimon. diſp. 6. n. 9. propè medium*, *& ipſe Sanchez lib. 1. diſp. 68. nu. 4.*, ſecunda pars liquet ex mox dictis; prima ſic euincitur, quia nemo tenetur in ſe ipſo exercere pænam, niſi de delicto conuincatur. Dico tertio in foro externo, non datur compenſatio adulterij vnius omnino occulti cum adulterio alterius notorio *Gloſa in c. ſignificaſti verbo, niſi conſtaret, de diuortijs*, *Ioannes Andræas ex c. fin. n. 1. de adult.*, *& ibi Hoſtienſis n. 1.*, *Antoninus n. 4.*, à quibus non videtur diſſentire *Sanchez loc. cit.*, dum omnes textus requirentes adulterium vtriuſque ad iuſtam compenſationem debere eſſe notorium explicat intelligi dumtaxat quoad forum externum. Expreſsè hoc euincitur *ex d. cap. ſignificaſti de diuortijs*, *& c. penult. de adult.*

3 Coniux adulter occultus, nõ poteſt in foro conſcientiæ diuertere ab altero notoriè tali.

4 Coniux adulter occultè, non priuatur iure petẽdi debitũ ab altero.

Aſſertio III. Ad conſtituendam hanc iuſtam compenſationem non requiritur, quod adulterium vtriuſque fuerit ſimul tempore commiſſum, nec quod vnus potius, quam alter coniux prius fuerit fornicatus. Huius reſolutionis occaſionem dedit *Surdus de alimentis tit. 7. q. 16. n. 53.*, qui

Digitized by Google

qui falſo impoſuit *Bologneto conſ.23.n.2.*, quod ſenſerit ad hanc compenſationem

5 requiri, vt vtriuſque coniugis adulterium fuerit ſimul tempore commiſſum. Aſſertionem noſtram communitèr ſuſtinent DD. *Gloſa c. veniens verb. ſpontè de conuerſ. coniug.*, *Hoſtienſis in c. gaudemus in initio eod. tit.*, *Ludouicus Lopez 2. part. inſtructo. de matrimonio c. 54.*, *vbi de diuortio quoad habitationem §. penult. not. 3.*, *Sotus in 4. diſt. 36. q. vnica art. 1. verſ. dubium autem*, & alij plures apud *Sanchez d. lib. 10. diſp. 6. nu. 6.*, qui etiam aſſerit ſe nullum aduerſus aſſertionem dubitantem inuoniſſe.

Nō requiritur quod vtriuſque delictum, fuerit ſimul tempore, nec quod prius vnus, vel alter deliquerit.

Ratio ex eo deducitur, quia omnia iura inducentia in hac materia ius ad compenſationem inter adulteros conſiderant præcisè crimina æqualia vtriuſq; coniugis, non autem ordinem prioritatis, & poſterioritatis, vt eadem inſpicienti fit manifeſtum, ergo vbicunque in vtroque fuerit ſimilia adulteria, propria, & legitima inducetur compenſatio. Confirmatur, quia in alijs, in quibus propriè fit compenſatio, non attenditur, vtrum debitum vnius, vel alterius fuerit prius, an poſterius, nec quod vtrumq; ſimul tempore fuerit contractum, vt inducenti fit manifeſtum, ergo, nec in præſenti hypotheſi; Neque obſtare poteſt, ſi aſſeratur, peculiarem eſſe rationem quoad compenſationem adulteriorum inter coniuges, ſiquidem ratio, ob quam conceditur ius diuortij, eſt violatio fidei præſtitæ alteri coniugi in celebratione contractus matrimonialis; grauius autem videtur fidem violare, qui primo adulterium cōmittit, ac alter, qui ſubſequenter, qui ius quodamodo videtur acquiſiuiſſe frangendi alteri fidem ex eo, quod prius ipſi fracta fuerit ab eodem. Non, inquam, obſtare poteſt, primo, quia ex eo, quod alter adulterauerit, non acquirit ius ipſe adulterandi, vndè, ſi alter ipſi fidem fregit per adulteriū, ipſe poteſt eidem fidem frangere negando cohabitationem, non peccatum committendo. Secundo, quia, ſi prior ipſi fidem fregit adulterando, & ipſe eidem fidem fregit ſimile adulterium committendo, adeoq; fidei per fidem violatam fit compenſatio.

Ordo prioritatis, & poſterioritatis non facit ad rem.

6 Aſſertio IV. Non derogat iuri compenſationis, quod alter pluries fuerit fornicatus, alter minus. *Ananias c. penult. num. 5. de adult.*, *Sotus in 4. diſt. 36. q. vnica art. 1. verſ. dubitatio vero*, *Angles Floribus prima part. de matrimon. q. 9. de diuort. art. 1. difficult. 2. concluſione prima*, & alij, quos refert, & ſequitur *Sanchez d. lib. 10. diſp. 6. num. 8.*

Nō derogat iuri compenſationis, quod alter pluries deliquerit.

Ratio ex eo deducitur, quia iura in diſpoſitione huiuſmodi compenſationis reſpiciunt rationem formalem fractionis fidei reſpectu vtriuſque adulterantis, non numerum adulteriorum, qui ad hoc ſolum materialitèr ſe habet, ſed reſpectu, vtriuſque in præſenti ſuppoſitione verificatur, quod fides fuerit violata, ergo &c. Confirmatur, quia, ſi alter ex coniugibus fornicatus fuerit cum ſoluta, alter vero cum coniugato, vel profeſſo, inter eoſdem datur mutua cōpenſatio, adeout neuter poſſit diuortium intentare non obſtante, quod vnius delictum grauius ſit delicto alterius, vt ingenuè fatentur *Hoſtienſis c. fin. num. 4. de adult.*, & *ibi Ioannes Andreas num. 1.*, *Antonius num. 5.*, *Cardinalis in princip.*, quamuis contrarium ſentiant quoad numerum diuerſum adulteriorum, ergo etiam, ſi alter bis, vel ter fuerit fornicatus, alter vero pluries, dabitur mutua compenſatio inter eoſdem non obſtante &c. Conſequentia probatur, quia ſicuti maior illa grauitas intenſiua in delicto materialiter ſe habet ad illam fractionem fidei, ita etiam materialiter ſe habet illa maior grauitas extenſiua, vnde ſicuti illa non officit iuri compenſationis, ita nec iſta.

Maior grauitas extēſiua parū refert.

7 Aſſertio V. Si alter ex coniugibus fornicatus fuerit, alter vero ſodomiam, vel beſtialitatem commiſerit, inter ipſos non datur propria compenſatio quoad effectum, vt ille, qui ſodomiam, vel beſtialitatem commiſit, non poſſit celebrare diuortium. Conſonat cum ijs, quæ ſupra docuimus *ſub hoc eodem tit. Prænot. 11. ſect. 2. aſſert. 3.*, & *4.* contra *Sanchez d. lib. 10. diſp. 6. num. 5.*, & *alios ab ipſo relatos.*

Nō datur compenſatio quoad hunc effectum, ſi alter fornicationem, alter ſodomiā commiſerit.

Ratio ex eo deducitur, quia, vt detur compenſatio inter delicta, requiritur, vt vtrumque delictum ſit ſufficiens ad diuortium, prout ingenuè fatetur *Sanchez lib. 10. de matrimon. diſp. 6. num. 3.*, ſed nec ſodomia, nec beſtialitas eſt ſufficiens delictum ad ponendum diuortium per ea, quæ latè docuimus *d. prænot. 11. ſect. 2. aſſert. 3.*, & *5.*, & ſuſtinent etiam *Gloſa in c. omnes cauſationes verb. ſodomita 32. q. 1.*, *Innocentius in c. 1. de adult. n. 1.*, *Florianus c. maritus eod. tit.*, *Ludouicus Roman. rub. ff. ſolut. matrim. num. 20.*, & alij, quos ibi allegauimus adductis etiam rationibus pro hac opinione. Confirmatur, quia iura in ordine ad diuortium conſiderant grauitatem delicti reſpectu matrimonij, cui irrogatur iniuria, ſed in ordine ad matrimonium maior eſt grauitas, quæ habetur per adulterium, ac illa, quæ habetur per actum ſodomiticum, vel per beſtialitatem, vt rectè probat *Caietanus 2. 2. q. 154. art. 12. dub. 1. ad finem*, per hoc, quod per ſodomiam vxoris ſola perſona, quæ eſt

Vtrumq; delictum nō eſt ſufficiens ad diuortiū.

Digitized by Google

eſt in mariti dominio polluitur, per concubitum autem naturalem perſona, & vas polluitur, redditurque ex eo concubitu incerta proles. Confirmatur ſecundo, quia *ex eodem Sanchez dict. lib. 10. diſp. 6. num. 3.*, ſi vir congreſſus fuerit cum fæmina, vel beſtia mortua, & vxor congreſſa fuerit cum adultero non datur inter vtrumq; ius ad compenſationem, quia congreſſus ille viri cum fæmina, vel beſtia mortua non eſt ſufficiens ad diuortium, ergo, ſi maritus congreſſus fuerit cum maſculo, vel cum beſtia, quantumuis viuis, & vxor cum adultero non erit locus compenſationi. Conſequentia probatur, quia in ordine ad læſionem matrimonij parum referre poteſt, quod congreſſus fuerit, vel cum maſculo, vel cum beſtia mortuis, vel viuis.

Aſſertio VI. Si alteri prius fornicanti alter coniux condonarit iniuriam, & poſtea ipſe fornicatus fuerit probabilius non obſtante illa condonatione poteſt fieri compenſatio, adeout neutri liceat diuortium intentare *Turrecremata in c. primo, 32. q. 6. num. 4., & ibi Archidiaconus ad fin. verſ. in ea gloſa ibi-- dico adde, & male Bellamera num. 2., Gregorius Lopez l. 8. verbo eſſe miſmo tit. 2. part. 4.* contra *Aſtenſem 2. part. ſumma lib. 8. tit. 33. art. 3. ad fin., Sanchez de matrimon. lib. 10. diſp. 6. num. 7.*

8 Si alter prius fornicanti iniuriam cōdemnarit, & poſtea ipſi deliquerit fit compenſatio.

Rationem ex eo deduco, quia illa remiſſio, ſeu condonatio intelligitur præciſè facta, ne coniux iniuriatus, & condonans poſſit accuſare adulteram ad pænas iuris, neue ex illo adulterio poſſit diuertere, vel ipſam dimittere, non autem ad effectum, ne ipſe iniuriatus per viam exceptionis in ſimili caſu poſſit ſe tueri, ne iniurians condonatus ab ipſo diuertat, ergo eueniente caſu, quo poſt condonationem ipſe condonans in ſimile delictum inciderit, poterit vti exceptione aduerſus alterum contendentem ad diuortium de adulterio ab ipſo antecedenter commiſſo. Antecedens probatur, quia illa remiſſio præſumptiuè intelligenda eſt quoad pænam, & incommoda adulterantis, non quoad commoda, & iura innocentis. Confirmatur, quia iniquum omnino videtur alterum de crimine condemnare, ſeu accuſare, in quo crimine ipſe accuſans eſt inuolutus; vnde in hoc locum habet dictum *Auguſtini lib. 1. de ſermone Domini in monte ſupra relatum*, & textus *in c. qui crimen 9. q. 1., & c. 1. 32. q. 6.*, vbi dicitur, quod accuſans alterum de crimine debet eſſe à tali crimine immunis.

Remiſſio eſt quoad incōmoda adulterātis.

Neque obeſſe poſſunt ea, quæ ex aduerſo adducit *Sanchez loc. cit.* nempe, quod remittentibus actiones ſuas non detur regreſſus per textum *in l. quæritur verſ. ſi venditor ff. de adil. edict.*; & quod poſita reconciliatione contractus matrimonij ad ſuum priſtinum ſtatum reuocetur, perinde ac ſi nulla fornicatione fuerit violatus per ea, quæ docet *Sotus in 4. diſt. 36. q. vnica art. 1. verſ. dubitatio verò*; Non, inquam, obeſſe poſſunt; non primum, quia renuntiatio ſupponitur facta quoad pænas, & incommoda præcisè, quæ ex illo delicto competerent delinquenti, non quoad commoda innocentis, & ſic adulterium remiſſum nequit ex vi illius remiſſionis in iudicium deduci ad effectū accuſationis, poteſt tamen deduci ad effectum excipiēdi contra accuſantē ad diuortium; Non ſecundum, quia per illam condonationem reſtituitur quidem matrimonium ad priſtinum ſtatum, quatenus non poſſit amplius ex vi illius intentari diuortium, non autem, quod non poſſit idem matrimonium firmari, ſi in tale delictum innocens inciderit per exceptionem, & compenſationē.

Obiectio Sanchez, & ipſius ſolutio.

Aſſertio VII. Extante adulterio ex parte vtriuſque coniugis poteſt ex conuentione ſequi diuortium, ſi ſcilicet maritus adulter conueniat cum vxore item adultera, vt ipſe eam non accuſet ad pænam capitalem, ipſa vero vxor viceuerſa ſe recipiat in locum aliquem honeſtum ſeparata ab ipſo. Conſentit *Sanchez d. lib. 10. de diuortio diſp. 6. num. 10.* Intellige in caſu, quo ipſe maritus poſſet eandem vxorem ſic accuſare, & vigeat adhuc actio.

9 Extante adulterio ex parte vtriuſque poteſt ex cōuentione ſequi diuortiū.

Ratio ex eo deducitur, quia, cum maritus ius habeat ad talem pænam accuſandi, vt infra latius videbimus, poteſt vtique tale ius commutare cum minori pæna, vt docet *Gama in ſuis deciſ. part. 1. deciſ. 63. n. vnico*, qui etiam exemplificat in pacto, quo maritus cum vxore conueniret, vt includeretur in certo loco, vel exularet, ergo non eſt, cur facta illa conuentione non poſſit hoc pacto ſequi diuortium.

Solum aliquid officere poteſt præſenti aſſertioni, & eius probationi textus *in l. transſigere 18. C. de tranſaction.*, vbi expreſsè dicitur, quod ſuper adulteria non poſſit tranſigi, cuius textus plurimas rationes adducunt DD., ſed illa potiſſima eſt, ne detur anſa frequentibus adulterijs. Sed facilè poſſum occurrere aſſerens textum illum procedere dumtaxat, quando ex illa tranſactione maior anſa tribueretur adulterandi, quod non euenit in præſenti hypotheſi, ſecundum, quam, cum conſtituenda ſit vxor ſecundum conuentionem in loco honeſto, non datur anſa fornicandi; cæterum, ſi ex eo, quod conuentio

Quomodo poſſit eſſe tranſactio ſuper adulterio.

uentio

ſentio ſit de ſeparatione, diceretur anſa tribui adulterijs, etiam ex ſimplici fornicatione vxoris non liceret eam dimittere, quandoquidem ex nulla cauſa licet tribuere occaſionem adulterijs. Dicere etiam poteris, quod non licet tranſigere ſuper adulterijs propter pecuniam, vel aliud lucrum tranſigenti, ſecus ſub alio quouis pacto non afferente tale lucrum, vt docent *Barboſa l.2.part.1.in princip.nu.115.ff.ſolut.matrim., Gama in ſuis deciſ.part.1.deciſ.63.nu.vnico, Sanchez d.lib.10.de matrim.diſp.6.num.10.in fin.*

10 Emendatus poteſt à contumaci diuertere.

Aſſertio VIII. Si vterque coniux fuerit adulter, alter vero corrigatur, altero in fornicatione perſeuerante, poteſt correctus, & emendatus præmiſſa monitione, ſi alter nolit reſcipiſcere, per diuortium ab illo diuertere. Conſentiunt in hanc aſſertionem ex iuris peritis *Albericus in ſuo dictionariolit. M. verb. matrimon. 8. verſ. quod ſi aliquis coniugum Archidiaconus c.nihil 32.q.6., Henricus c.fin. n.24. de adult., Ioannes de Friburgo in ſumma confeſſor.lib.4.tit.22.q.15., Monaldus in ſumma tit.de diuortijs §.propter quod fiat diuortium verſ.item pone, quod vir,* ex Theologis, *D. Bonauentura in 4.diſt.35. in expoſit. litera nu.1., Ludouicus Lopez de matrimon. 2.part. inſtruct.c.54.§.penult. vers.accedit ad hoc Palaćios in 4.diſt.27.diſp.3. col.23. fol.603. ante vers. arbitror autem, & alij.*

Rationem ex eo deduco, quia ex quo vterque reus eſt eiuſdem delicti, & per conſequens facta eſt compenſatio, & ex quo alter iam emendatus eſt, & præmiſit monitionem per hanc videtur illi offerre reconciliationem, & per conſequens res reſtituere in priſtino ſtatu, ergo, ſi ſubſequenter alter perſeueret in adulterio, emendatus tanquam ex noua cauſa poterit intentare diuortium; neq; obeſſe poſſunt ea, quæ ſupradicta ſunt *ſub hac eadem ſectione aſſert. 6.*, nempè, quod remiſſio ab innocente alteri adultero facta, quantumuis poſtea, & ipſe fornicatus fuerit, illi proſit quoad excipiendum aduerſus priorem adulterum, ne ab ipſo dimittatur, ergo remiſſio, ſeu reconciliatio facta ab emendato, non poteſt eidem prodeſſe, vt alterum item delinquentem dimittat. Conſequentia probatur, quia, ſi remiſſio ab innocente illi non obeſt, quominus poſſit per exceptionem ſe tueri aduerſus priorem adulterum contendentem poſt remiſſionem ad diuortium ob adulterium remittentis, non video, cur remiſſio, ſeu reconciliatio ex

Proponitur inſtantia, & diſſoluitur.

parte emendati poſita poſſit eidem prodeſſe ad alterum non emendatum dimittendum; ſi enim remiſſio non obeſt, quominus poſſit excipere aduerſus alterum agentem ex adulterio ipſius poſtea commiſſo, ergo, nec poteſt prodeſſe ad eludendam exceptionem alterius iterum delinquentis opponentis ipſius adulterium; quod enim ipſi non nocet in ordine ad aliquem effectum, idem non debet alteri nocere quoad eundem; Non, inquam, obeſſe poſſunt, quia in caſu antecedentis illa remiſſio facta eſt ſolummodo quoad pœnas coniugis adulteri, non quoad commoda innocentis; in hoc autem caſu ſupponitur facta quoad omnia iura ad effectum perſeuerandi in matrimonio, perindè ac ſi crimina præcedentia non fuiſſent perpatrata; vndè per illam monitionem factam per emendatum intelligitur hic cum altero ita diſponere, vt ad præterita nulla habeatur ratio, & matrimonium quoad omnia integretur; quod, ſi poſtea hic perſeueret in adulterio pertinacitèr, ipſius culpæ imputabitur, ac ſi de nouo commiſiſſet adulterium, adeoque non eſt, cur ſubiacere non debeat pœnæ diuortij, ſi emendatus voluerit; nec obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, quod contumax in adulterio noluerit acceptare reconciliationem ſub illis terminis poſitam; non, inquam, obeſſe poteſt, quia tenetur admittere illam reconciliationem, quod, ſi poſtea ipſa neglecta iterum labatur in adulterium, vltima mora eidem nocere debet perindè, ac ſi reconciliatione facta commiſiſſet adulterium.

Aſſertio IX. Lata ſententia diuortij ob vnius coniugis adulterium, ſi innocens poſtea labatur in adulterium, non poteſt primus adulter, aduerſus quem lata eſt ſententia diuortij vti compenſatione reuocando alterum, qui poſt talem ſententiam fornicatus eſt. Conſonat cum ijs, quæ ſuperius dicta ſunt, vndè non eſt, cur in eius probatione immoremur. 11

11 Lata ſententia diuortij ob vnius adulterium, non fit compenſatio, ſi poſtea alter adulterauerit.

SECTIO XI.

An, & quomodo condonatio dirimat ius diuortij.

SVMMARIVM.

Remiſſio duplex alia expreſſa, alia tacita. 1.
Vt remiſſio ſit valida, non requiritur acceptatio adulteri. 2.
Facta condonatione adultero, ſi iterum relabatur, poteſt ab innocente dimitti. 3.
Facta condonatione adultero, ſi item hic deliquerit, non poteſt innocens, niſi poſterioris delicti pœnam exigere. 4.
Vt remiſſio tacita ſit valida, requiritur, vt remittens fuerit conſcius delicti, ſupra quod cadit remiſſio. 5.
Si innocens fuerit conſcius delicti alterius, ſed

ſed immemor illius non intelligitur tacitè per aliquam actionem illud remittere. 6.

Opinans probabilitèr de alterius adulterio petendo ab eodem debitum intelligitur condonare, ſecus reddendo. 7.

Vt remiſſio ſit valida, non eſt neceſſe, quod delinquens nouerit ſuum delictum eſſe notum remittenti. 8.

Innocens ſupponitur iniuriā remittere, quamuis non nouerit omnia alterius coniugis adulteria. 9.

Non eſt neceſſe, quod innocens nouerit in facto, quod exercet, conſiſtere condonationem. 10.

Actus, quibus fit remiſſio, debent eſſe liberi. 11.

Enumerantur actiones, ex quibus arguitur tacita remiſſio. 12.

Prima eſt copula ſpontanea præſtita ab innocente non ignorante alterius adulterium. 13.

Secunda eſt ſpontanea retentio coniugis adulteri cum ſcientia innocentis. 14.

Debet hæc detentio eſſe cautelata aliquibus conditionibus, & quibus. 15.

Tertia familiaritas magna inter vtrumq; 16.

NOnnulla circa hanc controuerſiam attigimus in præcedentibus ſectionibus, vbi ſpecialitèr vidimus per remiſſionem innocentis factam nocenti tolli ius illius, adeo vt ex vi præcedentis criminis non poſſit amplius intentare diuortium, quantumuis ipſa non obſtante poſſit ſe tueri per exceptionem, ſi alter remiſſus, ſeu reconciliatus ipſi obiecerit adulterium ſubſequentèr commiſsū. Nunc diſcriminatim omnia ad hanc materiam pertinentia examinanda proponimus. Pro quo

I Remiſſio alia expreſſa, alia tacita.

Aduerte, huiuſmodi remiſſionem duplicem eſſe alteram expreſſam, alteram quaſi tacitam, cuius vtriuſque meminit *Barboſa l. 2. in princip. part. 1. nu. 100. ad fin. ff ſolut. matrim.* Prima eſt, per quam innocens per verba expreſſa remittit iniuriam adultero, prout habetur *in l. ſi maritus §. ſi negauerint ff. ad leg. Iul. de adult.* Secunda eſt, qua non expreſſis verbis, ſed per aliquod factum, vel per omiſſionem alicuius facti indicatur animus condonandi iniuriam per adulterium irrogatam.

Circa primam oritur prima ratio dubitandi, an ad hoc, vt effectum ſuum conſequatur, requiratur, vt acceptetur ab adultero. Secundo, an facta reconciliatione ex parte innocentis intimata, & acceptata ab adultero, ſi iterum adulter reconciliatus dilabatur in adulterium ex vi illius reconciliationis intelligatur extinctum ius eiuſdem innocentis ad diuortium. Tertio, an poſita reconciliatione expreſſa, & poſtea relapſo adultero poſſit hic etiam de adulterio condonato accuſari, & condemnari.

Articuli examinādi circa remiſſionem expreſſam.

Circa ſecundam, primum dubium erit, an ad hoc, vt valida ſit remiſſio tacita, ſeu per factum, vel facti omiſſionem requiratur, vt remittens fuerit conſcius adulterij alterius, & an etiam requiratur, vt adulter ipſe ſciat ſuum adulterium cognitum eſſe innocenti. Secundum, an, ſi innocens conſcius fuerit vnius, vel alterius adulterij ab altero commiſſi, & non omnium, & facto faciat remiſſionem, intelligatur vàlida remiſſio. Tertium, an requiratur, vt factum, per quod intelligitur fieri tacita remiſſio, liberè abſolutè fiat. Quartum, quinam ſint actus, & quænam ipſorum conditiones, qui inducunt animum remittendi, & his ſimilia.

Articuli circa tacitam.

Aſſertio I. Vt remiſſio expreſſa ſit valida, & efficax ad remittendam iniuriam, & quoad pænam diuortij, & quoad alias tàm ciuiles, quàm criminales probabilius non requiritur acceptatio adulteri quoad eam remiſſionem. Circa hanc aſſertionem ſibimet ipſi contrarium inuenio *Sanchez lib. 10. de matrimonio*, dum *diſp. 5. nu. 19.*, abſolutè ſentit requiri nedum intimationem illius remiſſionis faciendam ab innocente adultero, ſed vlterius acceptationem eiuſdem adulteri, cuius ſenſus duplicem adducit rationem; primo, quia in tali remiſſione, vt ſit efficax, interuenit quidam contractus, ſecundum quem innocens priuat ſe iure diuortij, & adulter viceuerſa obligatur ad reddendum debitum, quod reddere non tenebatur non poſita reconciliatione; in huiuſmodi autem contractibus propoſitum innocentis in mente retentum, nec manifeſtatum alteri, nec acceptatum nullius efficaciæ eſt *l. cum in plures 62. §. locator ff. locati*; Secundo, quia illa remiſſio eſt ſpecies quædam donationis, per quam innocens remittens cedit adultero ius, quod habet illum accuſandi, & diuertendi ab eodem, donatio autem vim non habet, nec irreuocabilis eſt, niſi fuerit à donatario, ſeu ceſſionario acceptata per vulgatiſſima iura; E contra *diſp. 14. n. 2.*, expreſsè docet ſufficere remiſſionem ſolo animo innocentis factam; atq; hoc pluribus conatur rationibus euincere. Quamobrem adhærendo Sanchez iuxta mentem hoc vltimo loco expoſitam.

2 Vt remiſſio ſit valida non requiritur acceptatio adulteri.

Sanchez ſibimet ipſi contrarius.

Probatur aſſertio, quia diuortium conceſſum eſt in fauorem ſolummodo innocentis, non autem delinquentis, ex quo nullum ius acquirit, ergo, quantum eſt ex ſe quoad onera matrimonij abſo-

L lutè

Digitized by Google

lutè obſtrictus remanet, & eatenus ſolum exemptus intelligitur, quatenus obſtat voluntas alterius innocentis acquirentis ius ex illo adulterio ad non cohabitandum, & non reddendum debitum, ergo ſublata illa voluntate obſtante per contrarium actum erit efficax illa remiſſio, & omnia in priſtinum ſtatum redigentur; Neque obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, quod, ſicuti quando primo celebratum eſt matrimonium, & conceſſa facultas mutuo exigendi debitum requiſitus fuit mutuus vtriuſq; conſenſus, ſine quo non eſſet talis facultas, ita ad inſtaurandum idem matrimonium, & mutuam poteſtatem item exigendi debitum neceſſario requirenda ſit cum remiſſione innocentis acceptatio delinquentis; Non, inquam, obeſſe poteſt, quia diſpar omnino eſt ratio, nam in prima matrimonij conſtitutione, per quam confertur facultas vtrique exigendi debitum, tunc verè conſtituitur contractus, & conſurgunt iura, & onera reſpectu vtriuſq; contrahentis, quæ propterea exigunt mutuum conſenſum, cum ſine ipſo mutuæ actiones, & obligationes non oriatur; in inſtauratione verò eiuſdem, cum onera reſpectu delinquentis perſeuerent in primo contractu, & ſolum ius competat innocenti diuertendi, & in diuerſione permanendi ob adulterium eiuſdem delinquentis, hinc eſt, quod ſufficiat, quod ipſe innocens cedat iuri ſui, & remoueat obſtaculum propriæ voluntatis, vt omnia reſtaurentur.

Diuortiũ ſolum inductũ eſt in fauorẽ innocẽtis.

Ad rationes, quas primo loco adduxerat Sanchez pro contraria ſententia, cui primo viſus fuit adhærere, nunc reſpondendum remanet; & quidem ad primam nego interuenire illum contractũ, de quo fit mentio in eadem ratione, quandoquidem poſita præcisè remiſſione ex parte innocentis, tenetur delinquens omnia onera ſubire, quibus antecedentèr tenebatur, & per conſequens ſiue velit, ſiue nolit, omnia inſtaurantur; Ad ſecundam dicendum eſt, non eſſe propriè donationem, ſeu ſpeciem donationis, ſed ceſſionem iuris, ſeu per ablationem obſtaculi ſe tenentis ex parte innocentis remanente onere ex parte delinquentis, poſita autem illa ablatione obſtaculi per neceſſariam ſequelam oritur ius exigendi, & reddendi, vt per ſe patet.

Soluuntur rationes oppoſitæ.

3 Aſſertio II. Facta condonatione, ſeu remiſſione adultero, ſi poſtea hic relabatur in adulterium, nõ intelligitur ademptum ius innocenti intentandi diuortium *Alexander de Neuo in c. plerumq; num. 6. de donat. inter vir., & vxor.*, *Ioannes Lupus c. per veſtras in princip. §. 9. nu. 18. eod. tit.*, *Coaruuias 4. decret. 2. part. c. 7. §. 6. nu. 7.*, *Barboſa l. 2. part. 1. in princip. nu. 104. ff. ſolut. matrim.* Ex Theologis *Riccardus in 4. diſt. 35. art. 1.*, *D. Antoninus 3. part. tit. 1. c. 21. §. 5.*, *Henriquez lib. 11. de matrim. c. 17. nu. 5.*, *Graffius 2. part. deciſ. lib. 1. c. 12. n. 72. caſu 6.*

Facta cõdonatione adultero, ſi hic relabatur, poteſt innocens intẽtare diuortium.

Ratio ex eo deducitur, quia illa remiſſio refertur ad præterita, non trahitur ad futura, ergo ex ſuperuenienti adulterio in primo adulterante, cui facta fuit remiſſio, poterit innocens, non obſtante remiſſione agere ad diuortium, & ad alias pænas tàm ciuiles, quàm criminales. Antecedens patet, quia cæteroqui ex illa remiſſione anſa tribueretur impunè adulterandi. Confirmatur, quia per illam remiſſionem, maximè, ſi fuerit acceptata a delinquente, matrimonium reductum eſt ad priſtinum vigorem, & ſolum ſaluum ius innocentis ad excipiendum in hypotheſi, qua ipſi opponeretur ſimile adulterium, ergo, ſi poſtea ex parte eiuſdem delinquentis nouum contigerit adulterium, liber erit innocens ad ipſum dimittendum; neque obeſſe poteſt textus *in c. de Benedicto 32. q. 1.*, vbi hæc expreſſa verba habentur, *Nullum ei dumtaxat ſimile committenti peccatum allaturus.* Non, inquam, obeſſe poteſt, quia, vt benè notat *Coaruuias 4. decret. 2. part. c. 7. §. 6. num. 7.*, ille textus ſolummodo vult, vt maritus vxorem relabantem non poſſit propria auctoritate occidere.

Remiſſio trahitur ad præterita, non ad futura.

4 Aſſertio III. Facta condonatione per alterum coniugem innocentem adulterij per alium antecedentèr commiſſi, ſi iterum adulter in idem crimen relabatur, non poteſt innocens vltra pænam noui adulterij exigere pænam adulterij condonati *Ludouicus Lopez 1. parte inſtruct. c. 295. §. adde ad prædicta*, *Coaruuias 4. decret. 2. part. c. 7. §. 6. n. 7., & ſeqq.*, *Barboſa l. 2. part. 1. in princip. num. 104. ff. ſolut. matrimon.*, *Sanchez de matrimon. lib. 10. diſp. 5. nu. 21.*

Facta condonatione vnius adulterij, ſi adulter iterum deliquerit, nõ poteſt innocens vtriuſque pænam exigere.

Expreſſe colligitur *ex c. de his de accuſat.*, *& c. ſi illic 32. q. 4.*, *& l. tranſigere C. de tranſact.*, vbi dicitur, quod delictum ex tranſactione, vel indulgentia accuſatoris extinctum, non poſſe amplius per eundem accuſatorem in iudicium deduci. Fateor tamen, quod his non obſtantibus culpa præcedens, quantumuis remiſſa augeat ipſum delictum ſubſequens, quatenus ex ipſa dignoſcitur peruicacia in operando, quæ magis eſt obnoxia pænę, & Iudex faciliùs mouetur ad executionem pænarum ob multiplicata delicta, quamuis aliqua ipſorum fuerint remiſſa, quam ex vnico dumtaxat.

Aſſertio IV. In caſibus, ex quibus ex remiſ-

Digitized by Google

eſt ſignum manifeſtum amicitiæ, & per conſequens remiſſionis iniuriæ præſtitæ ab altero per adulterium.

14 *Secunda eſt ſpontanea detentio adulteri præſtita per innocentem.*

Secunda eſt retentio ſpontanea, & cum ſcientia coniugis adulteri præſtita per innocentem *Hoſtienſis in ſumma tit. de adulterijs n. 5. verſ. repellit etiam, D. Antoninus 3. part. tit. 1. c. 21. §. 5. caſ. 5., Silueſter verb. diuortium q. 9. verſ. 5., & alij*, & ratio eſt, quia talis voluntaria detentio eſt manifeſtum ſignum amicitiæ. Ad hoc tamen, vt hęc detentio effectum ſortiatur remiſſionis, plures requiruntur conditiones, quarum prima eſt, vt adulterium fuerit notorium, nam, ſi fuerit occultum, non detineret innocens occultum adulterum ex libertate, & voluntate propria, ſed quodamodo ex neceſſitate, cum nequeat ipſum dimittere *Abulenſis c. 19. Matthæi q. 72. in ſolut. ad 3., Paludanus in 4. diſt. 35. q. 1. art. 2. caſ. 6. n. 17.*, ſecunda eſt, vt detentio ſit diutina, ſi etenim fuerit ad modicum tempus, donec offeratur opportunitas intentandi diuortium, non infert tacitam remiſſionem, prout notarunt *Sotus in 4. diſt. 36. q. vnica art. 1. in fin. corporis caſ. 6., Sanchez de matrimon. lib. 10. diſp. 14. nu. 17.*, tertia, vt detentio ſit in conſortio coniugali, non quomodocunque in eadem domo; nam, ſi non dimitteretur adulter ab eadem domo, non tamen adinuicem colloquerentur, & diuiſi remanerent, & quoad menſam, & quoad thorum, non eſſet ſignum amicitiæ, nec reconciliationis, vt per ſe patet, potiſſimum, cum poſſit eſſe diuortium quoad debitum coniugale, non quoad habitationem.

15 *Debet tamē hęc detentio eſſe cautelata aliquibus conditionis.*

16 *Familiaritas magna inter vtrūq; & quæ nam.*

Tertia, familiaritas magna inter vtrumque coniugem, innocentem ſcilicet, & adulterum, puta in ludis, commeſſationibus, in riſu, in amplexibus, & oſculis, dummodo hæc omnia voluntariè fiant, & ſine vlla compulſione *Gloſa §. fin. Inſtit. de iniur. verb. diſſimulatione, Iaſon in l. 1. num. 15. ff. de pactis, Sanchez de matrim. lib. 10. diſp. 14. n. 18., & 19.*

17 *Hæ actiones nō inferūt propriè remiſſionē, ſed præſumptionē pro illa.*

Aſſertio X. Illæ actiones, per quas hactenus diximus inferri remiſſionem, nō inferunt ſecundum ſe, nec ex diſpoſitione iuris illam remiſſionem, ſed ſolum præſumptionem pro eadem. In hanc conſentiunt cōmunitèr DD., tam Theologi, quàm iuris interpretes.

Ratio ex eo deducitur, quia omnia iura, quæ loquuntur de huiuſmodi actionibus, non dicunt per illas innocentem abſolutè condonare, ſed cenſeri, & præſumi remittere, quæ verba inducunt ſolummodo præſumptionem, non veram, & realem remiſſionem; atq; in his terminis præcisè loquuntur textus *in l. quæſitum §. item quæritur ff. ad leg. Iul. de adult., Gloſa in c. 1. verb. patronus 32. q. 1.*, & omnes ferè DD., tam Theologi, quàm iuris interpretes exceptis nonnullis, de quibus infra. Addo primo, quod tacitè hic fieret remiſſio, non per verba, ſed per actiones, vt ex ſe patet, actiones autem non operantur vltra intentionem agentis, *l. non omnis ff. ſi cert. pet.*, ergo, ſi non fuerit intentio remittendi, nec erit efficax, & valida remiſſio. Adde ſecundo, quod, ſi remiſſio neceſſario, ſeu ſecundum ſe conſequeretur ad huiuſmodi actiones, intelligeretur etiam ſufficientèr poſita, quantumuis, vel Iudex, vel aliqua ratio ad ipſam compelleret, quod eſt contra ſuperius dicta. Sequela probatur paritate, quia irregularitas ſecundum ſe, & ex diſpoſitione iuris conſequitur ex homicidio voluntario eandem incurrit Iudex, quantumuis ex officio condemnet nocentem ad ſupplicium vltimum, ergo etiam &c. Deindè non alia ratione euincitur, quod non intelligatur efficax condonatio, quādo eſt aliqua compulſio ad actum, ex quo infertur, niſi, quia tunc non præſumitur facta liberalitèr, & ſpontaneè, ergo in tantum eſt efficax, in quantum præſumitur animus condonandi. *Rationes pro aſſertio.*

Neque aduerſus ea, quæ hactenus dicta ſunt in hac aſſertione, obeſſe poteſt, primo, id, quod ſupra dictum eſt, nempè coniugem innocentem intelligi per huiuſmodi actiones remittere iniuriā adulterij, quamuis ignoret illas actiones eſſe condonationes, ergo quantumuis non habeat animum remittendi, per illas tamen actiones intelligitur remittere. Conſequentia probatur, quia, ſi non eſſet affixa ſecundum ſe condonatio huiuſmodi actionibus, æquè nō poneretur, ſiue nō eſſet animus condonandi, ſiue nō eſſet ſciētia, quod illis actionibus ineſſet condonatio, quandoquidem ſine illa ſcientia non adeſt animus condonandi. Secundo, quia in tantum diximus innocentem exercentem huiuſmodi actiones ſine notitia, quod per eaſdem inferatur condonatio, intelligi condonare, in quantum ex ipſo vſu rationis apud quaſcunque perſonas per illas actiones intelliguntur actus veræ amicitiæ, per quos naturalitèr habetur reconciliatio, ergo cum etiam ponantur huiuſmodi actiones, quando non adeſt animus condonandi, quia tamen ex ipſis ponuntur actus veræ amicitiæ, intelligitur poſita vera reconciliatio. Tertio, quia, vt benè notat *D. Bonauentura in 4. diſt. 32. art. 2. q. 2.*, eo ipſo, quod innocens petit debitum ab adultero, ſe priuat libertate, & quodamodo ex vi contractus ſe obligat eidem ad reddendum; eo autem ipſo, *Nonnulla obiecta aduerſus aſſertionē.*

Digitized by Google

pro marito, quod vxor habuerit ſcientiam de adultero, ac proindè onus probandi contrarium transfertur in vxorem. Ex alia parte cum difficilis ſit probationis, quod delictum commiſerit, vel cum ſcientia, vel ſine ſcientia, ideo dico, quod in hac hypotheſi ſtandum ſit iuramento eiuſdem vxoris aſſerentis, ſe credidiſſe fornicarium eſſe ſui maritum attentis alijs circunſtantijs bonæ famæ, & honeſtatis eiuſdem vxoris, & ſimilibus, prout docent DD. præallegati in aſſertione.

Standum eſt iuramento vxoris.

15 Ceſſat diuortij ius per condonationem iniuriæ factam ab innocēte.

Aſſertio V. Non eſt locus diuortij, ſi coniux innocens alteri condonarit adulterium ſeruatis ſeruandis, eique fuerit reconciliatus. *Alexander in l. iuris gentium §. ſi paciſcar ad fin. ff. de pact.*, *Barboſa in l. 2. in princip. part. 1. n. 100. ff. ſolut. matrim.*; *Sanchez de matrim. lib. 10. de diuortio diſp. 5. nu. 19.*

Expreſsè colligitur ex textu *in l. ſi maritus 25. §. ſi negauerint ff. ad leg. Iul. de adulterijs*; nec incongrua ratione hoc decernitur, quandoquidem lex diuortij potiſſimum inducta eſt in fauorem innocentis; vnuſquiſq; autem poteſt cedere iuri in ſui fauorem præcisè inducto; Sed de hac condonatione in ſubſequentibus ſectionibus vberrimè.

SECTIO X.

An, & quomodo fieri poſſit compenſatio adulterij cum adulterio.

SVMMARIVM.

Vtroque adulterante ante ſententiam diuortij ſit mutua compenſatio delictorum. 1.

Debet vtriuſq; delictum eſſe liquidum, & ſufficiens ad diuortium. 2.

Coniux adulter occultus non poteſt in foro interno diuertere ab altero notoriè tali. 3.

Coniux occultè adulter non priuatur iure petendi debitum. 4.

Ad compenſationem non requiritur, quod delictum vtriuſque fuerit commiſſum eodem tempore, nec quod potius illud vnius, quam alterius præceſſerit. 5.

Non derogat iuri compenſationis, quod alter pluries deliquerit. 6.

Non datur compenſatio quoad hunc effectum, ſi alter fornicationem, alter ſodomiam commiſerit. 7.

Si alter alteri prius fornicanti iniuriam condonarit, & poſtea ipſe deliquerit ſit compenſatio. 8.

Extante adulterio ex parte vtriuſq; poteſt ex conuentione poni diuortium. 9.

Si vterque fuerit adulter, alter vero corrigatur, altero in fornicatione perſeuerante, poteſt correctus præmiſſa congrua monitione à contumaci diuertere. 10.

Lata ſententia diuortij ob vnius adulterium non ſit compenſatio, ſi alter poſtea deliquerit. 11.

IVxta triplicem ſenſum poteſt præſens titulus examinari; primo, quatenus adulterium ex parte vtriuſq; fuerit commiſſum ante latam ſententiam diuortij; ſecundo, quatenus fuerit commiſſum reſpectu vtriuſque poſt eandem ſententiam. Tertio, quatenus reſpectu vnius fuerit ante ſententiam, reſpectu vero alterius poſt eandem.

Iuxta primum ſenſum plures excitantur articuli ſub hoc titulo diſcutiendi, & primo, an re vera detur compenſatio adulterij cum adulterio. Secundo, quænam conditiones requirantur, vt legitimè fiat illa compenſatio. Tertio, vtrum referat ad hanc compenſationem, quod potius vnus, quam alter prius fuerit fornicatus. Quarto, vtrum fieri poſſit iuſta compenſatio, ſi alter bis fornicatus fuerit, alter vero ſex, vel ſepties. Quinto, an poſſit fieri compenſatio, ſi alter fornicationem commiſerit, alter vero ſodomiam, vel beſtialitatem. Sexto, an, ſi innocens alteri condonauerit adulterium, & poſtea ipſe fornicatus fuerit, fiat inter ipſos compenſatio. Septimo, an commiſſo ex parte vtriuſque adulterio poſſit maritus adulter conuenire cum vxore item adultera, vt conniueat in diuortium, ne ipſam criminalitèr accuſet.

Varij ſenſus, ſecundum quos poteſt examinari titulus.

Iuxta ſecundum ſenſum etiam plures articuli veniunt examinandi, qui tamen ex præactis in præcedentibus ſectionibus remanent diſſoluti, ſicuti illi, qui pertinent ad tertium ſenſum, de quibus tamen aliquid currenti calamo attingemus.

Aſſertio I. Si vterque coniux ante latam ſentētiam diuortij adulterium commiſerit, ſit mutua compenſatio, adeo vt neuter poſſit alterum dimittere. In hoc, ſi cætera ſint paria, omnes conueniunt. 1

1 Vtroque adulterante ante ſentētiam diuortij ſit compēſatio.

Expreſsè euincitur *ex c. ſignificaſti de diuortijs c. intelleximus, & c. fin. de adult. l. viro atq; vxore ff. ſolut. matrim.*, atque horum omnium rationem adducit *D. Auguſtinus lib. 1. de ſermone Domini in monte*, illis verbis, *Nihil iniquius, quam fornicationis cauſa dimittere vxorem, & ipſe conuincitur fornicari; occurrit enim illud; in quo alterum iudicas te ipſum condemnas, eadem enim agis, quæ iudicas.*

2 Debet vtriuſque delictum eſſe liquidum, & ſufficiens ad diuortium.

Aſſertio II. Ad hoc, vt legitima fiat compenſatio adulterij pro adulterio, duæ potiſſimum requiruntur conditiones; prima, vt vtrumq; adulteriū, ſeu vtriuſque ſit liquidum. Secunda, vt vtriuſque deli-

delictum ſit tale, vt ſit ſufficiens ad diuortium. Quod primam partem *Hoſtienſis in c. fin. n. 1. de adult.*, *& ibi Ancharanus n. 3.* Quoad ſecundam *Ledeſma 2. part. 4. q. 64. art. 2. vers. eſt tamen notandum Sanchez de matrimon. lib. 10. de diuort. diſp. 6. num. 3.*

Ratio primę partis deducitur ex communi regula, quod liquidi ad illiquidum non datur compenſatio *l. fin. C. de compenſat.*, ergo ad hoc, vt fiat legitima compenſatio adulterij pro adulterio vtrumq; debet eſſe liquidum, & certum, nec ſufficit, quod alterum ſit certum, alterum incertum; vndè meritò infert *Sanchez loc. cit. n. 2.*, quod, ſi alter ex coniugibus ſit dubius de adulterio alterius, cum ſibi conſcius ſit de proprio, & falſis teſtibus comprobat illud alterius, ratione cuius eidem denegetur diuortium, non ſit tutus in conſcientia.

Debet eſſe æquale debitum, & creditum, vt iuſta ſit cõpenſatio.

Ratio ſecundæ partis ex eo deſumitur, quia ad extinguendum aliquod ius titulo compenſationis requiritur, vt id, per quod intenditur compenſatio, ſit ſecundum ſe ſufficiens ad conſtituendum illud ius, quod per aliud ſimile auferatur, ſic, vt in alijs loquar, ad extinguendum creditum vnius valoris v.g., vt decem requiritur, vt alter, qui compenſare intendit, conſtituat æquale creditum, vt decem, per quod extinguatur, ſeu ſit ſufficiens ad extinguendum primum, ergo ad hoc, vt fiat compenſatio delicti, ex quo oritur ius diuortij, requiritur, vt ponatur aliud delictum, per quod etiam ponatur ius diuortij, cæteroqui, ſi non erit ſufficiens ad diuortium, non poterit tollere ius alterius, quod habet ex delicto ad diuortium; ſic in particulari, ſi vnus ex coniugibus conſummauerit fornicationem, & alter incohauerit, puta per conatum ad copulam, per penetrationem vaſis, non tamen cum ſeminatione, hic alter non habebit ius ad compenſationem, cum huiuſmodi actu non ſint ſecundum ſe ſufficientes ad diuortium; ſecundo, ſi vxor verè, & realitèr perfectè fornicata fuerit cum altero, & maritus rem habuerit cum fæmina mortua, adeo vt ſemen intra eandem emiſerit, certè vxor ipſa non habebit ius ad compenſationem, cum ille congreſſus cum fæmina mortua non ſit ſufficiens cauſa diuortij, vt fatetur *Sanchez d. diſp. 6. n. 3. in fine*.

In ordine ad primam partem huius aſſertionis oritur hic difficultas, an, ſi adulterium vnius fuerit notorium, illud verò alterius fuerit occultum fieri poſſit iuſta compenſatio? Qua in difficultate plura aſſero, primo, quod coniux adulter occultus in foro interno, quantumuis alter adulter notorius non habeat certitudinem, nec notitiam de illius adulterio, non poſſit diuertere, nec intentare diuortium. Ita ex Iuriſtis *Hoſtienſis in ſumma tit. de diuortijs n. 11. in princip.*, *Ioannes Andræas in c. conſtitutus n. 1. de conuerſ. coniug.*, *Henricus c. ex literis n. 11. de diuort.*, *Lancellotus Inſtit. iur. can. lib. 2. tit. de diuortijs §. quantum autem intereſt verb. niſi*, ex Theologis *D. Thomas in 4. diſt. 35. q. vnica art. 6. ad quintum*, *& ibi D. Bonauentura in expoſitione literæ nu. 1.*, *& art. 1. q. 1. in fin. corporis*, *Abulenſis c. 19. Matthæi q. 75 in ſolut. ad vltimum*. Ratio ex eo deducitur, quia ipſe adulter occultus optimè norit ſe reum eſſe ſimilis adulterij, cuius eſt reus alter, quamuis iſte ſit notorius, ipſe vero occultus, ergo, quantum eſt coram Deo, & in foro conſcientiæ, ſecundum quod nudè veritas conſideratur, non poterit diuortium intentare, ſed tenebitur facere compenſationem adulterij pro adulterio, quod etiam confirmari poteſt exemplo illius, qui debitor eſt alterius de certa ſumma, quod debitum ipſi ſolummodo notum eſt, & Deo; hic autem, ſi contrahat creditum notorium cum eo, cuius ipſe eſt debitor occultus, non poteſt in foro conſcientiæ exigere illud creditum, ſed tenetur illud compenſare cum illo debito occulto, quo ipſe premitur, ergo etiam &c. Dico ſecundo coniux occultè adulter non priuatur ipſo facto iure exigendi debitum, non tamen ipſi conceditur ius diuertendi ab altero coniuge notoriè adultero, quantum pertinet ad forum conſcientiæ *Caietanus apud Sanchez lib. 10. de matrimon. diſp. 6. n. 9. propè medium*, *& ipſe Sanchez lib. 1. diſp. 68. nu. 4.*, ſecunda pars liquet ex mox dictis; prima ſic euincitur, quia nemo tenetur in ſe ipſo exercere pænam, niſi de delicto conuincatur. Dico tertio in foro externo, non datur compenſatio adulterij vnius omnino occulti cum adulterio alterius notorio *Gloſa in c. ſignificaſti verbo, niſi conſtaret, de diuortijs*, *Ioannes Andræas ex c. fin. n. 1. de adult.*, *& ibi Hoſtienſis n. 1.*, *Antonius n. 4.*, à quibus non videtur diſſentire *Sanchez loc. cit.*, dum omnes textus requirentes adulterium vtriuſque ad iuſtam compenſationem debere eſſe notorium explicat intelligi dumtaxat quoad forum externum. Expreſsè hoc euincitur *ex d. cap. ſignificaſti de diuortijs*, *& c. penult. de adult.*

3 Coniux adulter occultus, nõ poteſt in foro conſcientiæ diuertere ab altero notoriè tali.

4 Coniux adulter occultè, non priuatur iure petẽdi debitũ ab altero.

Aſſertio III. Ad conſtituendam hanc iuſtam compenſationem non requiritur, quod adulterium vtriuſque fuerit ſimul tempore commiſſum, nec quod vnus potius, quam alter coniux prius fuerit fornicatus. Huius reſolutionis occaſionem dedit *Surdus de alimentis tit. 7. q. 16. n. 53.*, qui

Digitized by Google

qui falſo impoſuit *Bologneto conſ. 23. n. 2.*, quod ſenſerit ad hanc compenſationem

5 requiri, vt vtriuſque coniugis adulterium fuerit ſimul tempore commiſſum. Aſſertionem noſtram communitèr ſuſtinent DD. *Gloſa c. veniens verb. spontè de conuerſ. coniug., Hoſtienſis in c. gaudemus in initio eod. tit., Ludouicus Lopez 2. part. inſtructo. de matrimonio c. 54., vbi de diuortio quoad habitationem §. penult. not. 3., Sotus in 4. diſt. 36. q. vnica art. 1. verſ. dubium autem*, & alij plures apud *Sanchez d. lib. 10. diſp. 6. nu. 6.*, qui etiam aſſerit ſe nullum aduerſus aſſertionem dubitantem inueniſſe.

Nõ requiritur quod vtriuſque delictum, fuerit ſimul tempore, nec quod prius vnus, vel alter deliquerit.

Ratio ex eo deducitur, quia omnia iura inducentia in hac materia ius ad compenſationem inter adulteros conſiderant præciſè crimina æqualia vtriuſq; coniugis, non autem ordinem prioritatis, & poſterioritatis, vt eadem inſpicienti ſit manifeſtum, ergo vbicunque in vtroque fuerit ſimilia adulteria, propria, & legitima inducetur compenſatio. Confirmatur, quia in alijs, in quibus propriè fit compenſatio, non attenditur, vtrum debitum vnius, vel alterius fuerit prius, an poſterius, nec quod vtrumq; ſimul tempore fuerit contractum, vt inducenti ſit manifeſtum, ergo, nec in præſenti hypotheſi; Neque obſtare poteſt, ſi aſſeratur, peculiarem eſſe rationem quoad compenſationem adulteriorum inter coniuges, ſiquidem ratio, ob quam conceditur ius diuortij, eſt violatio fidei præſtitæ alteri coniugi in celebratione contractus matrimonialis; grauius autem videtur fidem violare, qui primo adulterium cõmittit, ac alter, qui ſubſequenter, qui ius quodamodo videtur acquiſiuiſſe frangendi alteri fidem ex eo, quod prius ipſi fracta fuerit ab eodem. Non, inquam, obſtare poteſt, primo, quia ex eo, quod alter adulterauerit, non acquirit ius ipſe adulterandi, vndè, ſi alter ipſi fidem fregit per adulteriũ, ipſe poteſt eidem fidem frangere negando cohabitationem, non peccatum committendo. Secundo, quia, ſi prior ipſi fidem fregit adulterando, & ipſe eidem fidem fregit ſimile adulterium committendo, adeoq; fidei per fidem violatam ſit compenſatio.

Ordo prioritatis, & poſterioritatis non facit ad rem.

6 Aſſertio IV. Non derogat iuri compenſationis, quod alter pluries fuerit fornicatus, alter minus. *Ananias c. penult. num. 5. de adult., Sotus in 4. diſt. 36. q. vnica art. 1. verſ. dubitatio vero, Angles Floribus prima part. de matrimon. q. 9. de diuort. art. 1. difficult. 2. concluſione prima*, & alij, quos refert, & ſequitur *Sanchez d. lib. 10. diſp. 6. num. 8.*

Nõ derogat iuri compenſationis, quod alter pluries deliquerit.

Ratio ex eo deducitur, quia iura in diſpoſitione huiuſmodi compenſationis reſpiciunt rationem formalem fractionis fidei reſpectu vtriuſque adulterantis, non numerum adulteriorum, qui ad hoc ſolum materialitèr ſe habet, ſed reſpectu, vtriuſque in præſenti ſuppoſitione verificatur, quod fides fuerit violata, ergo &c. Confirmatur, quia, ſi alter ex coniugibus fornicatus fuerit cum ſoluta, alter vero cum coniugato, vel profeſſo, inter eoſdem datur mutua cõpenſatio, adeout neuter poſſit diuortium intentare non obſtante, quod vnius delictum grauius ſit delicto alterius, vt ingenuè fatentur *Hoſtienſis c. fin. num. 4. de adult., & ibi Ioannes Andræas num. 1., Antonius num. 5., Cardinalis in princip.*, quamuis contrarium ſentiant quoad numerum diuerſum adulteriorum, ergo etiam, ſi alter bis, vel ter fuerit fornicatus, alter vero pluries, dabitur mutua compenſatio inter eoſdem non obſtante &c. Conſequentia probatur, quia ſicuti maior illa grauitas intenſiua in delicto materialiter ſe habet ad illam fractionem fidei, ita etiam materialiter ſe habet illa maior grauitas extenſiua, vnde ſicuti illa non officit iuri compenſationis, ita nec iſta.

Maior grauitas extẽſiua parũ refert.

Aſſertio V. Si alter ex coniugibus fornicatus fuerit, alter vero ſodomiam, vel

7 beſtialitatem commiſerit, inter ipſos non datur propria compenſatio quoad effectum, vt ille, qui ſodomiam, vel beſtialitatem commiſit, non poſſit celebrare diuortium. Conſonat cum ijs, quæ ſupra docuimus *ſub hoc eodem tit. Prænot. 11. ſect. 2. aſſert. 3., & 4.* contra *Sanchez d. lib. 10. diſp. 6. num. 5., & alios ab ipſo relatos.*

Nõ datur compenſatio quoad hunc effectum, ſi alter fornicationem, alter ſodomiã commiſerit.

Ratio ex eo deducitur, quia, vt detur compenſatio inter delicta, requiritur, vt vtrumque delictum ſit ſufficiens ad diuortium, prout ingenuè fatetur *Sanchez lib. 10. de matrimon. diſp. 6. num. 3.*, ſed nec ſodomia, nec beſtialitas eſt ſufficiens delictum ad ponendum diuortium per ea, quæ latè docuimus *d. prænot. 11. ſect. 2. aſſert. 3., & 5.*, & ſuſtinent etiam *Gloſa in c. omnes cauſationes verb. ſodomita 32. q. 1., Innocentius in c. 1. de adult. n. 1., Florianus c. maritus eod. tit., Ludouicus Roman. rub. ff. ſolut. matrim. num. 20.*, & alij, quos ibi allegauimus adductis etiam rationibus pro hac opinione. Confirmatur, quia iura in ordine ad diuortium conſiderant grauitatem delicti reſpectu matrimonij, cui irrogatur iniuria, ſed in ordine ad matrimonium maior eſt grauitas, quæ habetur per adulterium, ac illa, quæ habetur per actum ſodomiticum, vel per beſtialitatem, vt rectè probat *Caietanus 2. 2. q. 154. art. 12. dub. 1. ad finem*, per hoc, quod per ſodomiam vxoris ſola perſona, quæ

Vtrumq; delictum nõ eſt ſufficiens ad diuortiũ.

eſt

Digitized by Google

eſt in mariti dominio polluitur, per concubitum autem naturalem perſona, & vas polluitur, redditurque ex eo concubitu incerta proles. Confirmatur ſecundo, quia *ex eodem Sanchez dict. lib. 10. diſp. 6. num. 3.*, ſi vir congreſſus fuerit cum fœmina, vel beſtia mortua, & vxor congreſſa fuerit cum adultero non datur inter vtrumq; ius ad compenſationem, quia congreſſus ille viri cum fœmina, vel beſtia mortua non eſt ſufficiens ad diuortium, ergo, ſi maritus congreſſus fuerit cum maſculo, vel cum beſtia, quantumuis viuis, & vxor cum adultero non erit locus compenſationi. Conſequentia probatur, quia in ordine ad læſionem matrimonij parum referre poteſt, quod congreſſus fuerit, vel cum maſculo, vel cum beſtia mortuis, vel viuis.

Aſſertio VI. Si alteri prius fornicanti alter coniux condonarit iniuriam, & poſtea ipſe fornicatus fuerit probabilius non obſtante illa condonatione poteſt fieri compenſatio, adeout neutri liceat
8 diuortium intentare *Turrecremata in c. primo, 32. q. 6. num. 4., & ibi Archidiaconus ad fin. verſ. in ea gloſa ibi-- dico adde, & male Bellamera num. 2., Gregorius Lopez l. 8. verbo eſſe miſmo tit. 2. part. 4.* contra *Aſtenſem 2. part. ſumma lib. 8. tit. 33. art. 3. ad fin., Sanchez de matrimon. lib. 10. diſp. 6. num. 7.*

Si alter prius fornicanti iniuriam cōdemnarit, & poſtea ipſi deliquerit fit compenſatio.

Rationem ex eo deduco, quia illa remiſſio, ſeu condonatio intelligitur præciſè facta, ne coniux iniuriatus, & condonans poſſit accuſare adulteram ad pænas iuris, neue ex illo adulterio poſſit diuertere, vel ipſam dimittere, non autem ad effectum, ne ipſe iniuriatus per viam exceptionis in ſimili caſu poſſit ſe tueri, ne iniurians condonatus ab ipſo diuertat, ergo eueniente caſu, quo poſt condonationem ipſe condonans in ſimile delictum inciderit, poterit vti exceptione aduerſus alterum contendentem ad diuortium de adulterio ab ipſo antecedenter commiſſo. Antecedens probatur, quia illa remiſſio præſumptiuè intelligenda eſt quoad pænam, & incommoda adulterantis, non quoad commoda, & iura innocentis. Corfimatur, quia iniquum omnino videtur alterum de crimine condemnare, ſeu accuſare, in quo crimine ipſe accuſans eſt inuolutus; vnde in hoc locum habet dictum *Auguſtini lib. 1. de ſermone Domini in monte ſupra relatum*, & textus *in c. qui crimen 9. q. 1., & c. 1. 32. q. 6.*, vbi dicitur, quod accuſans alterum de crimine debet eſſe à tali crimine immunis.

Remiſſio eſt quoad incōmoda adulterātis.

Neque obeſſe poſſunt ea, quæ ex aduerſo adducit *Sanchez loc. cit.* nempe, quod remittentibus actiones ſuas non detur regreſſus per textum *in l. quæritur verſ. ſi venditor ff. de adil. edict.*; & quod poſita reconciliatione contractus matrimonij ad ſuum priſtinum ſtatum reuocetur, perinde ac ſi nulla fornicatione fuerit violatus per ea, quæ docet *Sotus in 4. diſt. 36. q. vnica art. 1. verſ. dubitatio verò*; Non, inquam, obeſſe poſſunt; non primum, quia renuntiatio ſupponitur facta quoad pænas, & incommoda præciſè, quæ ex illo delicto competerent delinquenti, non quoad commoda innocentis, & ſic adulterium remiſſum nequit ex vi illius remiſſionis in iudicium deduci ad effectū accuſationis, poteſt tamen deduci ad effectum excipiēdi contra accuſantē ad diuortium; Non ſecundum, quia per illam condonationem reſtituitur quidem matrimonium ad priſtinum ſtatum, quatenus non poſſit amplius ex vi illius intentari diuortium, non autem, quod non poſſit idem matrimonium firmari, ſi in tale delictum innocens inciderit per exceptionem, & compenſationē.

Obiectio Sanchez, & ipſius ſolutio.

Aſſertio VII. Extante adulterio ex parte vtriuſque coniugis poteſt ex conuentione ſequi diuortium, ſi ſcilicet maritus adulter conueniat cum vxore item adultera, vt ipſe eam non accuſet ad pænam capitalem, ipſa vero vxor viceuerſa ſe recipiat in locum aliquem honeſtum ſeparata ab ipſo. Conſentit *Sanchez d. lib. 10. de diuortio diſp. 6. num. 10.* Intellige in caſu, quo ipſe maritus poſſet eandem vxorem ſic accuſare, & vigeat adhuc actio. 9

Extante adulterio ex parte vtriuſque poteſt ex cōuentione ſequi diuortiū.

Ratio ex eo deducitur, quia, cum maritus ius habeat ad talem pænam accuſandi, vt infra latius videbimus, poteſt vtique tale ius commutare cum minori pæna, vt docet *Gama in ſuis deciſ. part. 1. deciſ. 63. n. vnico*, qui etiam exemplificat in pacto, quo maritus cum vxore conueniret, vt includeretur in certo loco, vel exularet, ergo non eſt, cur facta illa conuentione non poſſit hoc pacto ſequi diuortium.

Solum aliquid officere poteſt præſenti aſſertioni, & eius probationi textus *in l. tranſigere* 18. *C. de tranſaction.*, vbi expreſsè dicitur, quod ſuper adulteria non poſſit tranſigi, cuius textus plurimas rationes adducunt DD., ſed illa potiſſima eſt, ne detur anſa frequentibus adulterijs. Sed facilè poſſum occurrere aſſerens textum illum procedere dumtaxat, quando ex illa tranſactione maior anſa tribueretur adulterandi, quod non euenit in præſenti hypotheſi, ſecundum, quam, cum conſtituenda ſit vxor ſecundum conuentionem in loco honeſto, non datur anſa fornicandi; cæterum, ſi ex eo, quod conuentio

Quomodo poſſit eſſe tranſactio ſuper adulterio.

uentio

Digitized by Google

ſcentio ſit de ſeparatione, diceretur anſa tribui adulterijs, etiam ex ſimplici fornicatione vxoris non liceret eam dimittere, quandoquidem ex nulla cauſa licet tribuere occaſionem adulterijs. Dicere etiam poteris, quod non licet tranſigere ſuper adulterijs propter pecuniam, vel aliud lucrum tranſigenti, ſecus ſub alio quouis pacto non afferente tale lucrum, vt docent *Barboſa l.2.part.1.in princip.nu. 115.ff.ſolut.matrim.,Gama in ſuis deciſ.part. 1.deciſ.63.nu.vnico,Sanchez d.lib.10.de matrim.diſp.6.num.10.in fin.*

10 Emendatus poteſt à contumaci diuertere.

Aſſertio VIII. Si vterque coniux fuerit adulter, alter vero corrigatur, altero in fornicatione perſeuerante, poteſt correctus, & emendatus præmiſſa monitione, ſi alter nolit reſipiſcere, per diuortium ab illo diuertere. Conſentiunt in hanc aſſertionem ex iuris peritis *Albericus in ſuo dictionario lit. M. verb. matrimon. 8. verſ.quod ſi aliquis coniugum Archidiaconus c.nihil 32.q.6., Henricus c.fin. n.24. de adult., Ioannes de Friburgo in ſumma confeſſor.lib.4.tit. 22.q.15., Monaldus in ſumma tit. de diuortijs §.propter quod fiat diuortium verſ.item pone, quod vir*, ex Theologis, *D. Bonauentura in 4. diſt.35. in expoſit. litera nu. 1., Ludouicus Lopez de matrimon. 2.part. inſtruct. c. 54. §. penult. vers.accedit ad hoc Palatios in 4. diſt. 27. diſp. 3. col.23. fol.603. ante vers. arbitror autem, & alij.*

Rationem ex eo deduco, quia ex quo vterque reus eſt eiuſdem delicti, & per conſequens facta eſt compenſatio, & ex quo alter iam emendatus eſt, & præmiſit monitionem per hanc videtur illi offerre reconciliationem, & per conſequens res reſtituere in priſtino ſtatu, ergo, ſi ſubſequenter alter perſeueret in adulterio, emendatus tanquam ex noua cauſa poterit intentare diuortium; neq; obeſſe poſſunt ea, quæ ſupradicta ſunt *ſub hac eadem ſectione aſſert. 6.*, nempè, quod remiſſio ab innocente alteri adultero facta, quantumuis poſtea, & ipſe fornicatus fuerit, illi proſit quoad excipiendum aduerſus priorem adulterum, ne ab ipſo dimittatur, ergo remiſſio, ſeu reconciliatio facta ab emendato, non poteſt eidem prodeſſe, vt alterum item delinquentem dimittat. Conſequentia probatur, quia, ſi remiſſio ab innocente illi non obeſt, quominus poſſit per exceptionem ſe tueri aduerſus priorem adulterum contendentem poſt remiſſionem ad diuortium ob adulterium remittentis, non video, cur remiſſio, ſeu reconciliatio ex parte emendati poſita poſſit eidem prodeſſe ad alterum non emendatum dimittendum; ſi enim remiſſio non obeſt, quominus poſſit excipere aduerſus alterum

Proponitur inſtantia, & diſſoluitur.

agentem ex adulterio ipſius poſtea commiſſo, ergo, nec poteſt prodeſſe ad eludendam exceptionem alterius iterum delinquentis opponentis ipſius adulterium; quod enim ipſi non nocet in ordine ad aliquem effectum, idem non debet alteri nocere quoad eundem; Non, inquam, obeſſe poſſunt, quia in caſu antecedentis illa remiſſio facta eſt ſolummodo quoad pænas coniugis adulteri, non quoad commoda innocentis; in hoc autem caſu ſupponitur facta quoad omnia iura ad effectum perſeuerandi in matrimonio, perindè ac ſi crimina præcedentia non fuiſſent perpetrata; vndè per illam monitionem factam per emendatum intelligitur hic cum altero ita diſponere, vt ad præterita nulla habeatur ratio, & matrimonium quoad omnia integretur; quod, ſi poſtea hic perſeueret in adulterio pertinacitèr, ipſius culpæ imputabitur, ac ſi de nouo commiſiſſet adulterium, adeoque non eſt, cur ſubiacere non debeat pænæ diuortij, ſi emendatus voluerit; nec obeſſe poteſt, ſi afferatur, quod contumax in adulterio noluerit acceptare reconciliationem ſub illis terminis poſitam; non, inquam, obeſſe poteſt, quia tenetur admittere illam reconciliationem, quod, ſi poſtea ipſa neglecta iterum labatur in adulterium, vltima mora eidem nocere debet perindè, ac ſi reconciliatione facta commiſiſſet adulterium.

Aſſertio IX. Lata ſententia diuortij ob vnius coniugis adulterium, ſi innocens poſtea labatur in adulterium, non poteſt primus adulter, aduerſus quem lata eſt ſententia diuortij vti compenſatione reuocando alterum, qui poſt talem ſententiam fornicatus eſt. Conſonat cum ijs, quæ ſuperius dicta ſunt, vndè non eſt, cur in eius probatione immoremur. 11

11 Lata ſententia diuortij ob vnius adulterium, non fit compenſatio, ſi poſtea alter adulterauerit.

SECTIO XI.

An, & quomodo condonatio dirimat ius diuortij.

SVMMARIVM.

Remiſſio duplex alia expreſſa, alia tacita. 1.
Vt remiſſio ſit valida, non requiritur acceptatio adulteri. 2.
Facta condonatione adultero, ſi iterum relabatur, poteſt ab innocente dimitti. 3.
Facta condonatione adultero, ſi item hic deliquerit, non poteſt innocens, niſi poſterioris delicti pænam exigere. 4.
Vt remiſſio tacita ſit valida, requiritur, vt remittens fuerit conſcius delicti, ſupra quod cadit remiſſio. 5.
Si innocens fuerit conſcius delicti alterius, ſed

Digitized by Google

ſed immemor illius non intelligitur tacitè per aliquam actionem illud remittere. 6.
Opinans probabilitèr de alterius adulterio petendo ab eodem debitum intelligitur condonare, ſecus reddendo. 7.
Vt remiſſio ſit valida, non eſt neceſſe, quod delinquens nouerit ſuum delictum eſſe notum remittenti. 8.
Innocens ſupponitur iniuriã remittere, quamuis non nouerit omnia alterius coniugis adulteria. 9.
Non eſt neceſſe, quod innocens nouerit in facto, quod exercet, conſiſtere condonationem. 10.
Actus, quibus fit remiſſio, debent eſſe liberi. 11.
Enumerantur actiones, ex quibus arguitur tacita remiſſio. 12.
Prima eſt copula ſpontanea præſtita ab innocente non ignorante alterius adulterium. 13.
Secunda eſt ſpontanea retentio coniugis adulteri cum ſcientia innocentis. 14.
Debet hæc detentio eſſe cautelata aliquibus conditionibus, & quibus. 15.
Tertia familiaritas magna inter vtrumq; 16.

NOnnulla circa hanc controuerſiam attigimus in præcedentibus ſectionibus, vbi ſpecialitèr vidimus per remiſſionem innocentis factam nocenti tolli ius illius, adeo vt ex vi præcedentis criminis non poſſit amplius intentare diuortium, quantumuis ipſa non obſtante poſſit ſe tueri per exceptionem, ſi alter remiſſus, ſeu reconciliatus ipſi obiecerit adulterium ſubſequentèr commiſsũ. Nunc diſcriminatim omnia ad hanc materiam pertinentia examinanda proponimus. Pro quo

1 Remiſſio alia expreſſa, alia tacita.

Aduerte, huiuſmodi remiſſionem duplicem eſſe alteram expreſſam, alteram quaſi tacitam, cuius vtriuſque meminit *Barboſa l. 2. in princip. part. 1. nu. 100. ad fin. ff ſolut. matrim.* Prima eſt, per quam innocens per verba expreſſa remittit iniuriam adultero, prout habetur *in l. ſi maritus §. ſi negauerint ff. ad leg. Iul. de adult.* Secunda eſt, qua non expreſſis verbis, ſed per aliquod factum, vel per omiſſionem alicuius facti indicatur animus condonandi iniuriam per adulterium irrogatam.

Articuli examinãdi circa remiſſionem expreſſam.

Circa primam oritur prima ratio dubitandi, an ad hoc, vt effectum ſuum conſequatur, requiratur, vt acceptetur ab adultero. Secundo, an facta reconciliatione ex parte innocentis intimata, & acceptata ab adultero, ſi iterum adulter reconciliatus dilabatur in adulterium ex vi illius reconciliationis intelligatur extinctum ius eiuſdem innocentis ad diuortium. Tertio, an poſita reconciliatione expreſſa, & poſtea relapſo adultero poſſit hic etiam de adulterio condonato accuſari, & condemnari.

Articuli circa tacitam.

Circa ſecundam, primum dubium erit, an ad hoc, vt valida ſit remiſſio tacita, ſeu per factum, vel facti omiſſionem requiratur, vt remittens fuerit conſcius adulterij alterius, & an etiam requiratur, vt adulter ipſe ſciat ſuum adulterium cognitum eſſe innocenti. Secundũ, an, ſi innocens conſcius fuerit vnius, vel alterius adulterij ab altero commiſſi, & non omnium, & facto faciat remiſſionem, intelligatur valida remiſſio. Tertium, an requiratur, vt factum, per quod intelligitur fieri tacita remiſſio, liberè abſolutè fiat. Quartum, quinam ſint actus, & quænam ipſorum conditiones, qui inducunt animum remittendi, & his ſimilia.

2 Vt remiſſio ſit valida non requiritur acceptatio adulteri.

Aſſertio I. Vt remiſſio expreſſa ſit valida, & efficax ad remittendam iniuriam, & quoad pænam diuortij, & quoad alias tàm ciuiles, quàm criminales probabilius non requiritur acceptatio adulteri quoad eam remiſſionem. Circa hanc aſſertionem ſibimet ipſi contrarium inuenio *Sanchez lib. 10. de matrimonio*, dum *diſp. 5. nu. 19.*, abſolutè ſentit requiri nedum intimationem illius remiſſionis faciendam ab innocente adultero, ſed vlterius acceptationem eiuſdem adulteri, cuius ſenſus duplicem adducit rationem; primo, quia in tali remiſſione, vt ſit efficax, interuenit quidam contractus, ſecundum quem innocens priuat ſe iure diuortij, & adulter viceuerſa obligatur ad reddendum debitum, quod reddere non tenebatur non poſita reconciliatione; in huiuſmodi autem contractibus propoſitum innocentis in mente retentum, nec manifeſtatum alteri, nec acceptatum nullius efficaciæ eſt *l. cum in plures 62. §. locator ff. locati*; Secundo, quia illa remiſſio eſt ſpecies quædam donationis, per quam innocens remittens cedit adultero ius, quod habet illum accuſandi, & diuertendi ab eodem, donatio autem vim non habet, nec irreuocabilis eſt, niſi fuerit à donatario, ſeu ceſſionario acceptata per vulgatiſſima iura; E contra *diſp. 14. n. 2.*, expreſsè docet ſufficere remiſſionem ſolo animo innocentis factam; atq; hoc pluribus conatur rationibus euincere. Quamobrem adhærendo Sanchez iuxta mentem hoc vltimo loco expoſitam.

Sanchez ſibimet ipſi contrarius.

Probatur aſſertio, quia diuortium conceſſum eſt in fauorem ſolummodo innocentis, non autem delinquentis, ex quo nullum ius acquirit, ergo, quantum eſt ex ſe quoad onera matrimonij abſo-

eſt ſignum manifeſtum amicitiæ, & per conſequens remiſſionis iniuriæ præſtitæ ab altero per adulterium.

Secunda eſt retentio ſpontanea, & cum ſcientia coniugis adulteri præſtita per

14 Secunda eſt ſpontanea detentio adulteri præſtita per innocentem.

innocentem *Hoſtienſis in ſumma tit. de adulterijs n. 5. vers. repellit etiam, D. Antoninus 3. part. tit. 1. c. 21. §. 5. cas. 5., Silueſter verb. diuortium q. 9. vers. 5., & alij*, & ratio eſt, quia talis voluntaria detentio eſt manifeſtum ſignum amicitiæ. Ad hoc tamen, vt hęc detentio effectum ſortiatur remiſſionis, plures requiruntur conditiones, quarum prima eſt, vt adulterium fuerit notorium, nam, ſi fuerit occultum, non detineret innocens occultum adulterum ex libertate, & voluntate propria, ſed quodamodo ex neceſſitate, cum nequeat ipſum dimittere *Abulenſis c. 19. Matthæi q. 72. in ſolut. ad 3., Paludanus in 4. diſt. 35.*

15 Debet tamẽ hęc detentio eſſe cautelata aliquibus conditionis.

q. 1. art. 2. cas. 6. n. 17., ſecunda eſt, vt detentio ſit diutina, ſi etenim fuerit ad modicum tempus, donec offeratur opportunitas intentandi diuortium, non infert tacitam remiſſionem, prout notarunt *Sotus in 4. diſt. 36. q. vnica art. 1. in fin. corporis caſ. 6., Sanchez de matrimon. lib. 10. diſp. 14. nu. 17.*, tertia, vt detentio ſit in conſortio coniugali, non quomodocunque in eadem domo; nam, ſi non dimitteretur adulter ab eadem domo, non tamen adinuicem colloquerentur, & diuiſi remanerent, & quoad menſam, & quoad thorum, non eſſet ſignum amicitiæ, nec reconciliationis, vt per ſe patet, potiſſimum, cum poſſit eſſe diuortium quoad debitum coniugale, non quoad habitationem.

16 Familiaritas magna inter vtrũq; & quænam.

Tertia, familiaritas magna inter vtrumque coniugem, innocentem ſcilicet, & adulterum, puta in ludis, commeſſationibus, in riſu, in amplexibus, & oſculis, dummodo hæc omnia voluntariè fiant, & ſine vlla compulſione *Gloſa §. fin. Inſtit. de minor. verb. diſſimulatione, Iaſon in l. 1. num. 15. ff. de pactis, Sanchez de matrim. lib. 10. diſp. 14. n. 18., & 19.*

Aſſertio X. Illæ actiones, per quas

17 Hæ actiones nõ inferũt propriè remiſſionẽ, ſed præſumptionẽ pro illa.

hactenus diximus inferri remiſſionem, nõ inferunt ſecundum ſe, nec ex diſpoſitione iuris illam remiſſionem, ſed ſolum præſumptionem pro eadem. In hanc conſentiunt cõmunitèr DD., tam Theologi, quàm iuris interpretes.

Ratio ex eo deducitur, quia omnia iura, quæ loquuntur de huiuſmodi actionibus, non dicunt per illas innocentem abſolutè condonare, ſed cenſeri, & præſumi remittere, quæ verba inducunt ſolummodo præſumptionem, non veram, & realem remiſſionem; atq; in his terminis præcisè loquuntur textus *in l. quæſitum §. item quæritur ff. ad leg. Iul. de adult., Gloſa in c. 1. verb. patronus 32. q. 1.*, & omnes ferè DD., tam Theologi, quam iuris interpretes exceptis nonnullis, de quibus infra. Addo primo, quod tacitè hic fieret remiſſio, non per verba, ſed per actiones, vt ex ſe patet, actiones autem non operantur vltra intentionem agentis, *l. non omnis ff. ſi cert. pet.*, ergo, ſi non fuerit intentio remittendi, nec erit efficax, & valida remiſſio. Adde ſecundo, quod, ſi remiſſio neceſſario, ſeu ſecundum ſe conſequeretur ad huiuſmodi actiones, intelligeretur etiam ſufficientèr poſita, quantumuis, vel Iudex, vel aliqua ratio ad ipſam compelleret, quod eſt contra ſuperius dicta. Sequela probatur paritate, quia irregularitas ſecundum ſe, & ex diſpoſitione iuris conſequitur ex homicidio voluntario eandem incurrit Iudex, quantumuis ex officio condemnet nocentem ad ſupplicium vltimum, ergo etiam &c. Deindè non alia ratione euincitur, quod non intelligatur efficax condonatio, quãdo eſt aliqua compulſio ad actum, ex quo infertur, niſi, quia tunc non præſumitur facta liberalitèr, & ſpontaneè, ergo in tantum eſt efficax, in quantum præſumitur animus condonandi.

Rationes pro aſſertio.

Neque aduerſus ea, quæ hactenus dicta ſunt in hac aſſertione, obeſſe poteſt, primo, id, quod ſupra dictum eſt, nempè coniugem innocentem intelligi per huiuſmodi actiones remittere iniuriã adulterij, quamuis ignoret illas actiones eſſe condonationes, ergo quantumuis non habeat animum remittendi, per illas tamen actiones intelligitur remittere. Conſequentia probatur, quia, ſi non eſſet affixa ſecundum ſe condonatio huiuſmodi actionibus, æquè nõ poneretur, ſiue nõ eſſet animus condonandi, ſine nõ eſſet ſciẽtia, quod illis actionibus ineſſet condonatio, quandoquidem ſine illa ſcientia non adeſt animus condonandi. Secundo, quia in tantum diximus innocentem exercentem huiuſmodi actiones ſine notitia, quod per eaſdem inferatur condonatio, intelligi condonare, in quantum ex ipſo vſu rationis apud quaſcunque perſonas per illas actiones intelliguntur actus veræ amicitiæ, per quos naturalitèr habetur reconciliatio, ergo cum etiam ponantur huiuſmodi actiones, quando non adeſt animus condonandi, quia tamen ex ipſis ponuntur actus veræ amicitiæ, intelligitur poſita vera reconciliatio. Tertio, quia, vt benè notat *D. Bonauentura in 4. diſt. 32. art. 2. q. 2.*, eo ipſo, quod innocens petit debitum ab adultero, ſe priuat libertate, & quodamodo ex vi contractus ſe obligat eidem ad reddendum; eo autem ipſo,

Nonnulla obiecta aduerſus aſſertionẽ.

Digitized by Google

ipſo, quo ſe obligat ad reddendum, intelligitur ponere reconciliationem, quod idem affirmat *Sotus in 4. diſt. 36. q. vnica art. 3. poſt 3. concl. verſ. quod ſi roges*, vbi dicit innocentem non poſſe petere, & nō reddere, quod, ſi eligat petere, debet etiam reddere

Non, inquam, obeſſe poſſunt; non primum, quia quando innocens tales actiones exercuit ſine cognitione, quod ex illis inferretur condonatio, nec actum poſitiuum habuit remittendi, nec actum negatiuum non remittendi, vndè merè negatiuè ſe habuit, in quo caſu viget ratio remiſſionis in illis actibus expreſſis, & ceſſet in vtroque foro ius diuortij, cum tunc non extiterit animus non remittendi; Neq; aduerſus ea, quæ hic dicuntur obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, quod ad veram condonationem potiſſimum quoad forū internum non ſufficiat, quod merè negatiuè ſe habeat, vt videre eſt in profeſſione tacita per actus exercitos in delatione habitus, aliosq; actus ſolis profeſſis conuenientes, & in matrimonio præſumpto ante Tridentinum per copulam poſt ſponſalia habitam, vbi, nec profeſſio tenet, nec verum matrimonium tenebatur, niſi adeſſet verus animus poſitiuus profitendi, & ineundi matrimonij, ergo etiam in præſenti hypotheſi illa remiſſio tacita per copulam, aliaſq; actiones, de quibus ſupra, non erit valida, niſi fuerit cum animo poſitiuo remittēdi, nec ſufficiet, quod merè negatiuè ſe habeat. Non, inquam, obeſſe poteſt, quia non requiritur tam expreſſa voluntas in remiſſione iniuriæ, quanta requiritur ad ſe obligandum ad nouum ſtatum grauem Religionis, & ad iugum indiſſolubile matrimonij, præcipuè cum actus familiares inter coniuges contracto iam matrimonio maiorem habeant connexionem cum reconciliatione, ac habeant actus profeſſorum, & habitus ſecundum ſe, cum profeſſione vera, & copula cum animo contrahendi matrimonium.

Soluitur primū argumētum.

Non ſecundum proptèr eandem rationem; condonans etenim per huiuſmodi actiones ſine notitia, quod per illas inferatur condonatio intelligitur condonare, quia in illis actionibus conſiſtit amicitia, nec habetur actus poſitiuus contrarius, quod ſufficit, cum potius illæ actiones ſecundum ſe conciliatiuæ amicitiæ, & familiaritatis coniugantur cum actu poſitiuo, quam negatiuo.

Soluitur ſecundum obiectum.

Non tertium, quia licet ex natura ſua illa petitio debiti facta ab innocente coniungeretur cum onere reſpectu eiuſdem ad reddendum alteri debitum, & per conſequens intelligeretur initus contractus innominatus *facio, vt facias*, hoc tamen intelligendum eſt, quando petitio facta eſt cum animo vero, non autem cū animo ficto, ſeu cum animo poſitiuo ſe non obligandi; vndè ad ſummum interueniret aliqua iniuſtitia, ratione illius fictionis, qua adulterum ipſum innocens decepit, quæ tamen iniuſtitia adeo modica eſt, vt pro nihilo ſit reputanda, & per conſequens non eſt compenſanda cum illo damno, quod contingeret innocenti, amittendi ius diuortij, aliaque omnia, quæ ex adulterio alterius poteſt conſequi.

Soluitur tertium.

Ex dictis infer, quod, ſi in illis actionibus non interuenerit animus condonandi, ſed potius poſitiuus non admittendi reconciliationem, non amiſerit ius diuortij, nec ad alias pænas adulteri, ex quibus ipſi poteſt competere commodum, prout latè docet *Sanchez de matrim. lib. 10. diſp. 14. n. 21.*, vbi plures DD., & rationes allegat pro hac illatione, & etiam reſpondet omnibus aduerſantium obiectis. Ipſum vos ipſi conſulite.

Illatio ex dictis.

SECTIO XII.

An fiat compenſatio adulteriorum, etiam quoad pænas ciuiles, & criminales.

SVMMARIVM.

Vxor adultera amittit dotem, quæ acquiritur marito. 1.
Hæc pæna eſt abſoluta, non reſtricta ad tempus vitæ mariti. 2.
Maritus non acquirit dotem ob adulterium vxoris ante Iudicis ſententiam. 3.
Maritus acquirit dotem, ſiue accuſet vxorem adulteram ciuilitèr, ſiuè criminalitèr. 4.
Vxor ratione adulterij, amittit dotalitiū. 5.
Quod veniat nomine dotalitij. 6.
Maritus adulter, amittit donationem proptèr nuptias. 7.
Pæna criminalis quoad vxorem adulteram, eſt pæna capitis. 8.
Hodie reducitur ad verbera, & carcerem. 9.
Vxor non poteſt criminalitèr accuſare maritum, benè tamen maritus vxorem. 10.
Adulteria coniugum, compenſantur etiam quoad pænas ciuiles. 11.
Quoad actionem criminalem, non datur compenſatio inter coniuges adulteros. 12.
Aduerſus maritum, criminalitèr accuſantem vxorem adulteram, non datur exceptio ciuilis adulterij. 13.
Iudex poteſt capite damnare vxorem adulteram. 14.

IN

remiſſione tacita, ſeu ex facto arguitur reconciliatio, requiritur tanquam conditio, vt innocens remittens fuerit conſcius adulterij alterius, cui fit remiſſio. *Abulenſis c. 19. Matthæi q. 65. caſ. 6., Aſtenſis 2. part. ſummæ lib. 8. tit. 33. art. 3. caſu 6. Sotus in 4. diſt. 36. q. vnica art. 1. ad finem corp., Bellarminus lib. 1. de matrim. c. 14. §. tertium eſt, Barboſa lib. 2. part. 1. in princip. nu. 100. ff. ſolut. matrimon., Surdus de aliment. tit. 7. q. 16. n. 102., Padilla l. transfigere n. 94. C. de tranſact.*

5 Vt remiſſio tacita ſit valida requiritur, quod remittens fuerit cōſcius adulterij, ſupra quod cadit remiſſio.

Colligitur expreſsè *ex l. manifeſtiſſimi in princip. verſ. ſin autem C. de furtis l. fin. C. de condit. indeb.*, in quibus iuribus expreſsè dicitur, quod nullius efficaciæ eſt remiſſio, vbi eſt ignorantia iniuriæ, iuriſq; competentis; nec incongrua ratione hęc decernuntur, quandoquidem ad remiſſionem iuris competentis remittenti requiritur voluntarietas, & libertas in remittente, ſed libertas eſſe non poteſt ſine cognitione, ergo &c.

Ignorans, non præſumitur remittere.

Hic duplex oritur difficultas, quarum prima eſt, an ſi innocens fuerit quidem conſcius adulterij alterius, ſed pro tempore, pro quo factum exercet, ex quo cæteroqui argueretur remiſſio, fuerit immemor eiuſdem adulterij, intelligatur ex illo facto validè remiſiſſe. Secunda, an, ſi non fuerit certò conſcius adulterij, habuerit tamen probabiles præſumptiones per tale factum, ex quo cæteroqui argueretur remiſſio, præſumi, ſeu intelligi debeat facta remiſſio.

Duplex dubiū excitatum.

In ordine ad primam abſolutè cenſendum eſt non intelligi validè remiſiſſe *Sanchez de matrimon. lib. 10. diſp. 14. n. 9. in fin.* Ratio ex eo deducitur, quia, quod fuerit immemor in illo actu æquiualet, quod fuerit ignorans, quandoquidem actus ille fuit exercitus ſine cognitione, ergo, ſicuti quando exercitus eſt cum ignorantia adulterij, non eſt efficax remiſſio, nec poteſt eſſe efficax, quando eſt exercitus cum obliuione; neque illa præcedens cognitio poteſt qualificare remiſſionem, quandoquidem, quod præceſſerit, & non ſit pro tempore remiſſionis quoad effectum remiſſionis perindè eſt, ac ſi non fuerit.

6 Si fuerit immemor pro tempore, quo exercet actionē per ſe inferentem remiſſionem, nō intelligitur tacitè remittere.

In ordine ad ſecundam, reſpondent aliqui cum diſtinctione, vel etenim innocens quando factum illud ponit, habet; ſeu habuit probabiles coniecturas, quibus potuerit rationabilitèr induci ad præſumendum de adulterio, & tunc dicunt, quod, ſi petenti præſumpto adultero reddiderit debitum, non intelligatur remiſiſſe iniuriam, quia ad hoc tenebatur, ſi vero petierit ab eodem præſumpto adultero debitum, intelligatur tacitè remiſiſſe, quia illa petitio fuit omnino voluntaria; vel innocens non habet, ſeu non habuit præſumptiones probabiles, & tunc non intelligitur, ſiue reddiderit, ſiue petierit debitum, remittere, ſeu remiſiſſe iniuriam proptèr defectum cognitionis, quia per illas leues præſumptiones non habetur certa cognitio, & præſumens in hac hypotheſi perindè eſt, ac ſi ſit ignorans; ſecundum hanc diſtinctionem procedit *Antonius c. fin. in fine de adulterijs*. Sed *Sanchez loc. cit. nu. 10. in fin.*, non approbat primam partem diſtinctionis quoad redditionem debiti; aſſerit enim, quod, cum illæ præſumptiones ſint violentæ, & iuſtam credendi adulterium rationem tribuant, inducant moralem certitudinem ſufficientem in vtroque foro ad diuortium, qua ſtante non obligatur ſic præſumens ad reddendum, & propterea, ſi reddat, voluntariè reddat, & cenſeatur tacitè iniuriam remittere. Quid iam in hac hypotheſi ſentiendum? Adhæreo quoad omnia opinioni *Antonij in d. c. fin. de adult.*, vndè ad id, quod ſubdit in contrarium Sanchez dico, quod, quantumuis habeat coniecturas probabiles, non tamen habeat certitudinem, ſine qua non poteſt diuertere per ea, quæ habet idem *Sanchez lib. 10. de diuortio diſp. 12. num. 5.*, vbi licet aſſerat non requiri ad diuortium ſententiam Iudicis, nec notorietatem delicti, aſſerit tamen requiri certitudinem.

7 Opinans de alterius adulterio, per probabiles rationes reddēdo, nō intelligitur remittere, ſecus petendo.

Aſſertio V. Ad validam remiſſionem factam ab innocente ſuper adulterio alterius coniugis, non requiritur, vt adulter ipſe nouerit ipſius adulterium notum eſſe innocenti, *Sanchez de matrimon. lib. 10. diſp. 14. n. 12.*

8 Vt remiſſio ſit valida, non eſt neceſsè, quod adulter nouerit ſuū delictum eſſe notum remittenti.

Ratio ex eo deducitur, quia, ſi quæ ratio exigeret, vt adulter ipſe nouerit innocentem certum eſſe de ſuo adulterio, hæc eſſet, quia ad validam remiſſionem requiritur acceptatio eius, cui fit talis remiſſio, ſed ex prædictis in prima aſſert. non requiritur, ergo &c.

Aſſertio VI. Probabilius arbitror, quod, ſi coniux innocens vnum, vel alterum adulterium alterius coniugis norit, non tamen omnia, quæ ipſa patrauit, ſufficientèr intelligatur remittere iniuriam. Conſentit in hac *Sanchez loco citato nu. 11.*

9 Innocens, intelligitur remittere iniuriā quamuis vnum, vel alterū adulteriū nouerit, nō omnia.

Facilè deducitur ex ijs, quæ dicta ſunt in præcedentibus, quod ſcilicet, ſi vnus ex coniugibus vnum, vel alterum commiſerit adulterium, & alter longè plura nihilominus recta inter eoſdem fiat compenſatio, & hoc ea ratione, quia illa pluralitas adulteriorum in ordine ad finem intentum à iure in lege diuortij merè materialitèr ſe habeat, cum inducta fuerit

Digitized by Google

1 Prima pœna vxoris adulteræ, quæ eſt amiſſio dotis.

IN iure plures impoſitæ ſunt pænæ, tàm ciuiles, quàm criminales aduerſus coniuges adulteros, de quibus nunc in particulari agendum eſt, inquirendo, an, ſi vterque coniux fuerit adulteratus, ſicuti compenſantur iura quoad diuortium, adeo vt neuter poſſit agere ad illud, ita compenſentur quoad huiuſmodi pænas, ita vt neuter poſſit ad illas actionem intentare. Sed, vt clarius titulus diſcutiatur, præmittendæ ſunt pænæ, quibus afficiuntur huiuſmodi adulteri.

Prima igitur in ordine ad vxorem adulterantem eſt amiſſio dotis, quæ marito acquiritur, per textum *in c. plerumque de donat. inter vir., & vxor. l. conſenſu §. 1. C. de repud. l. vnica §. taceat C. de rei vxor. act. l. miles §. ſocer ff. ad leg. Iul. de adult.* Circa hanc pænam plura contingunt hic dubitari, & primo, an hæc pæna ſit abſoluta, adeo vt à marito nunquam poſſit repeti, an ſolummodo limitata ad tempus vitæ mariti, adeo vt ipſo mortuo poſſit repeti. Abſolutè ſentiendum eſt, quidquid ex aduerſo ſenſerit *Palatius rubr. C. edendo n. 46.* eſſe abſolutam, prout docent *Menochius lib. 2. de arbit. centur. 3. caſ. 287. nu. vlt., Barboſa lib. 2. part. 1. in princip. nu. 57. ff. ſolut. matrim.* Ratio eſt, quia iura inducentia huiuſmodi pænam loquuntur abſolutè ſine vlla reſtrictione.

2 Hæc pœna eſt abſoluta, non reſtricta ad tempus vitæ mariti.

Secundo, an, vt maritus ex adulterio vxoris acquirat dotem, requiratur Iudicis ſententia. Reſpondendum eſt affirmatiuè *Hoſtienſis in c. porro n. 3. de diuort., Calderinus c. fin. de adult., Baldus c. ex parte n. 8. de conſuet., Coaruuias 4. decret. 2. part. c. 7. §. 6. n. 1.*, Ratio ex eo deſumitur, quia regularitèr pænæ non incurruntur, niſi per ſententiam; nec obeſſe poteſt, ſi dicatur *in d. c. plerumque de donat. inter vir., & vxorem*, exprimi etiam, quod dos amittatur, quamuis propria auctoritate receſſerit, ergo non requiritur Iudicis ſententia; Non, inquam, obeſſe poteſt, quia ille textus, ſi benè perpendatur, non dicit, quod abſq; Iudicis ſententia dos marito acquiratur, ſed ſolummodo, quod maritus agente vxore ad repetitionem, poſſit illam retinere, & opponere exceptionem adulterij. Ibi- *Si mulier ob cauſam fornicationis iudicio Eccleſiæ, aut propria voluntate à viro receſſerit, nec reconciliata poſtea ſit eidem, dotem, vel dotalitium repetere non valebit.* Vide, quæ de hoc latè habet *Sanchez d. lib. 10. diſp. 8. n. 13.*, Tertio, an maritus lucretur dotem ob adulterium vxoris, ſiue eandem accuſet ciuilitèr, ſiue criminalitèr. Reſpondendum acquirere in vtroque euentu, prout docent *Coaruuias 4. decretalium 2. parte c. 7. §. 6. n. 4., Iulius Clarus lib. 5. recept. §. adulterij n. 13. verſ. & ſcias Quarto*, an amittat dotem, ſiue hæc fuerit tradita marito, ſiue tantum promiſſa. Reſpondendum eſt amittere quantumuis fuerit tantum promiſſa, & non tradita *Ioannes Lupus rub. de donat. inter vir., & vxor. §. 20. ſtatim in princip., Rolandus cons. 50. n. 8. vol. 1.*, quia iura indiſcriminatim loquuntur de quacunque dote. Alia ad hanc materiam pertinentia diſcutientur in diſquiſitionibus.

3 Ad hanc pœnam requiritur ſententia Iudicis.

4 Maritus acquirit dotem, ſiue accuſet vxorem adulteram ciuilitèr, ſiue criminalitèr.

Secunda pæna vxoris adulteræ eſt amiſſio dotalitij per ea, quæ habentur *in d. c. plerumque de donat. inter vir., & vxor.* Quid autem veniat nomine dotalitij, non explicatur eodem modo à DD. Alij volunt nomine dotalitij venire bona paraphernalia vxoris *Gloſa in d. c. plerumque verbo dotalitium, Felin. c. paſtoralis num. 3. verſ. mulier impudica de indutijs, Berous rub. de indutijs n. 22.* Alij è contra volunt nomine dotalitij, non venire paraphernalia vxoris, ſed donationem proptèr nuptias, atque ita ſentiunt *Abbas in d. c. plerumq; de donation. inter vir., & vxor. nu. 8., Barboſa lib. 2. poſt 1. in princip. nu. 56. ff. ſolut. matrim., Ludouicus Lopez 1. part. inſtruct. c. 295. q. 2.*, quos tutius procedere exiſtimo, & ratio eſt, quia paraphernà non veniunt nomine dotis, atque alicuius collati nomine dotis, & in materia pænali verba non ſunt extrahenda in impropriam ſignificationem.

5 Vxor ratione adulterij amittit dotalitium.

6 Dotalitiū eſt donatio proptèr nuptias.

Tertia pæna ex parte mariti adulteri erat amiſſio donationis proptèr nuptias, quæ pleno iure acquiritur vxori, per textum *in l. conſenſu §. ſi vero C. de repud., & auth., vt liceat matri, & auia §. quia vero plurimas verſ. Si de adulterio, Abbas c. tua de procurat. in fin., Lupus de donat. inter vir., & vxorem §. 20. n. 1.* Plures circa hanc, & præcedentem pænam conſurgunt rationes dubitandi, de quibus latè agemus in diſquiſitionibus.

7 Maritus adulter amittit donationem proptèr nuptias, quæ pleno iure fit vxoris.

Pænæ criminales potiſſimum quoad vxorem eſt pæna capitis, prout docet *Sanchez de matrimon. lib. 10. diſp. 9. nu. 32., & ſeqq.*, hoc expreſsè habetur *in l. caſtitati C. de adulterijs*; ſed hæc pæna modo moderata videtur *per auth., ſed hodie C. de adult.*, per hoc, quod eadem mulier adultera verberata debeat detrudi in carcerem. Hic diſputant DD., an quoad accuſationem criminalem pares ſint coniuges inter ſe, adeo, vt ſicuti maritus poteſt criminalitèr accuſare vxorem, ita pariformitèr poſſit vxor maritum criminalitèr accuſare. Communitèr conſentiunt DD. non eſſe coniuges in hoc pares, & vxorem non poſſe criminalitèr accuſare maritum de adulterio, hocque expreſsè colligitur *ex l. 1. C. ad leg. Iul. de adult.*,

8 Pœna criminalis quoad vxorē adulteram, eſt pæna capitis.

9 Hodie moderata eſt, & reducitur ad verbera, & carcerem.

Digitized by Google

adult., & *c. apud miſericordem §. publico iudicio 32. q. 1.* Ratio eſt, quia multò deteſtabilior eſt impudicitia in fæmina, quam in viro, tum proptèr incertitudinem prolis, tum proptèr alia connexa *Couarruuias 4. decret. 2. part. c. 7. §. 6. num. 5.*, *Cancera in ſuis qq. criminalib. quæſt. tangenti punitionem delicti c. 4. n. 46.*, *Barboſa lib. 2. part. 1. in princip. num. 98. ad finem ff. ſolut. matrimon.* His pro notitia ſic ſuppoſitis ſit.

10 Vxor non poteſt criminalitèr accuſare maritum, bene maritus vxorem.

Aſſertio I. Adulteria coniugum adinuicem compenſantur etiam quoad pænas ciuiles amiſſionis dotis, & donationis proptèr nuptias *Paludanus in 4. diſt. 35. q. 1. art. 5. n. 34.*, *Manuel. tom. 1. ſummæ 2. edit. c. 99. n. 2.*, *Philiarcus de offic. Sacerdot. tom. 2. part. 2. lib. 4. c. 19. §. quarto peccat*, ex Iuriſtis *Hippolitus l. 1. §. item diuus n. 5. ff. ad leg. Corn. de ſicar.*, *Ripa l. 2. num. 8. ff. ſolut. matrim.*, *Antonius Gabriel tom. 1. commun. opin. lib. 1. verb. adulteria fol. 25. col. 2.*, *Barboſa l. viro, atque vxore n. 2. ff. ſolut. matrim.*

11 Adulteria coniugum compenſātur etiā quoad pęnas ciuiles

Expreſsè deducitur *ex d. l. viro, atque vxore 40. ff. ſolut. matrim.*, vbi expreſsè ſic dicitur *Viro atque vxore mores inuicem accuſantibus cauſam repudij vtrumque dediſſe pronunciatum eſt, id ita accipi debet, vt ea lege, quam ambo contempſerunt, neuter vindicetur; paria enim delicta mutua compenſatione diſſoluuntur*, quod magis ad rem noſtram explicans *gloſa verbo accuſantibus*, ſubdit, *obijcientibus in ciuili cauſa, vt in donatione proptèr nuptias, & dote repetitis, ſi vterque ſe tuebatur ob delictum alterius*; nec incongrua ratione hæc decernuntur, quādoquidem, ſicuti ſunt pares in delicto, ita debent eſſe pares in compenſatione; Neq; obeſſe poteſt, primo, quod grauior ſit culpa vxoris adulterantis, quam viri per ea, quæ etiam ſupra innuimus, ergo non poteſt iuſtè fieri quoad huiuſmodi pænas compenſatio. Secundo, quia plures ſunt iniunctæ pænæ quoad vxores adulterantes, quam quoad maritos, quandoquidem vxor adultera ſubiacet pænæ amiſſionis dotis, & donationi proptèr nuptias, maritus autem nulli pænæ ſubiacet alicuius amiſſionis, niſi fortè vxori donationem fecerit proptèr nuptias; Nō, inquam, obeſſe poteſt, quia, quantumuis daremus in conſequentibus maiorem eſſe grauitatem in vxore adultera, quam in marito, iura tamen quoad effectum diuortij, & quoad pænas ciuiles conſiderant præciſe fractionem fidei, quæ ęqualis eſt in vtriſque coniugibus, nec item obeſſe poteſt id, quod ſubditur, quandoquidem, quod maior pæna ſit impoſita vxori delinquenti, hoc eſt ex conditione propriæ perſonę, & fortè etiam ex maiori grauitate delicti quoad conſequentia, per hoc tamen non tollitur, quod, ſi vterque deliquerit, non fiat iuſta compenſatio, cum attendatur ſolummodo fides violata ex vtraq; parte, ex quo poſtea conſurgit remiſſio quoad omnia.

Rationes pro aſſerto, & ſolutiones argumentorum.

Aſſertio II. Quoad accuſationem criminalem, non datur compenſatio adulteriorum inter coniuges, ſed vir poteſt criminalitèr accuſare vxorem adulterā, non è contra. Cancera *in ſuis quæſtionibus criminalibus quæſt. tangent. punit. delicti c. 4. n. 46.*, *Cenedo in ſuis collect. iur. collect. 166. nu 4. vers. ex quibus reſolue.* *Henriquez lib. 11. de matrim. c. 17. n. 3. ad fin.*, *Sanchez de matrim. lib. 10. diſp. 8. n. 36.*

12 Quoad accuſationē criminalem, non datur cōpenſatio inter coniuges adulteros.

Ratio ex eo deducitur, quia viro conceditur poſſe criminalitèr accuſare vxorem ob adulterium, non tamen vxori criminalitèr accuſare maritum ob ſimile delictum, per textum *in l. 1. C. ad leg. Iul. de adulter.*, & *c. apud miſericordem §. publico iudicio 32. q. 1.*, *Abbas in c. cum dilectus n. 28. de ord. cogn.*, *Ioannes Lupus rub. de donat. inter vir., & vxor. §. 20. in fin.*, ergo non datur compenſatio quoad huiuſmodi accuſationes criminales inter virum, & vxorem adulteros. Conſequentia probatur, quia pro his non datur mutua compenſatio, pro quibus non datur mutua actio.

13 Aduerſus maritum criminalitèr accuſantem vxorem adulterā, non datur vxoris exceptio de ſimili adulterio.

Ex his inferas primo, quod, ſi vir criminalitèr accuſet vxorem, non admittatur quoad criminalem exceptio vxoris de ſimili adulterio commiſſo à marito, quia in huiuſmodi accuſationibus ſunt impares *Antonius c. fin. num. 5. de adult.*, *Sotus in 4. diſt. 37. q. vnica art. 3. ad fin. corporis.*

14 Iudex poteſt capite plectere vxorem adulteram, quamuis etiā maritus ſit adulter.

Inferas ſecundo, poſſe Iudicem capite damnare vxorem adulteram, ſi vir quoque fuerit adulter, quidquid ex aduerſo dixerint *Palatios in 4. diſt. 37. diſp. vnica fol. 806. verſ. verum, ſi Iudex*, *Gutierez qq. pract. lib. 2. q. 1. n. 23.*, & *alij*, & ratio ex mox dictis deducitur, quia vxori delinquenti in adulterio ex iuribus imponitur pæna capitis, non viro, & ex alio capite per allegata iura ex adulterio vtriuſque quoad criminalia non datur compenſatio, ergo nullo obſtante Iudex poterit procedere ad damnationem capitis; Neque obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, quod marito adulteranti non imponatur alia pæna, præterquam diuortij, & dimiſſionis donationis proptèr nuptias, ſi quam fecerit vxori; ipſi verò vxori impoſita ſit præter pænam diuortij pænā amiſſionis dotis, ſiue traditæ, ſiue promiſſæ, & vlterius donationis proptèr nuptias, ſi quæ ipſi fuerit collata, & tamen in ordine ad hæc omnia detur mutua compenſatio, quantumuis pænæ non ſint

Digitized by Google

ſint æquales reſpectu ipſorū, ergo etiam &c. Non, inquam, obeſſe poteſt, quia quoad actiones ciuiles ſunt æquales coniuges, prout docent *Paludanus in 4. diſt. 35. q. 1. art. 5. nu. 34., Silua nuptialis lib. 1. §. non eſt nubendum n. 124., Decius reg. ſemper in contract. 153. n. 5. ff. de reg. iuris, Berous conſ. 45. nu. 5. lib. 2.*, quoad actiones vero criminales, nec ſunt pares, nec datur mutua actio, adeoq; &c.

PRÆNOTIO XII.

An, & quomodo ex adulterio ſpirituali, nempè ex hæreſi, & apoſtaſia à fide oriatur ius diuortij, & alia circa tale adulterium ſpirituale.

SVMMARIVM.

Impugnantur hæretici aſſerentes ex ſola fornicatione licere diuortium. 1.

Ob apoſtaſiam à fide, & pertinaciam alterius licitum eſt innocenti diuertere. 2.

Ratione apoſtaſiæ alterius à fide licitum eſt innocenti eidem debitum denegare. 3.

Sententia aſſerens, nedum non teneri innocentem diuertere ab apoſtata, ſed nec poſſe. 4.

Contraria ſententia præfertur aſſerens nedum poſſe, ſed etiam teneri diuertere. 5.

Ad hoc, vt innocens poſſit diuertere, non requiritur Iudicis ſententia. 6.

Si coniux fidelis propria auctoritate receſſerit ab apoſtata, & hic ante ſententiam reſcipuerit, tenetur innocens illi reconciliari. 7.

Si fidelis ante ſententiam profeſſus fuerit in Religione, & apoſtata interim reſcipuerit eſt iſti ille reſtituendus. 8.

Poſita ſententia Eccleſiæ fidelis ſeparatus ab Apoſtata, non poteſt compelli ad illum recipiendum. 9.

Cur non extante Eccleſiæ ſententia Catholicus ſit reſtituendus Apoſtatæ, ſi reſipiſcat, non vero extante tali ſententia. 10.

Ad effectum, vt Catholicus non reſtituatur apoſtatæ ſufficit, quod ſententia attingat apoſtaſiam, eamq; declaret. 11.

Limita, ſi per publicam ſententiam non eſſet hæreticus declaratus, ſed clam per Inquiſitores coercitus. 12.

Poſita declaratione Eccleſiæ fidelis poteſt ad Religionem tranſire, non obſtante, quod hæreticus reſcipuerit, & permanens in ſæculo, non vouerit caſtitatem. 13.

Intellige etiam, ſi hæreticus reſcipuerit ante ſententiam, dumodo hæc ſecuta fuerit. 14.

Lata ſententia Eccleſiæ, non poteſt Apoſtata inuito innocente mutare ſtatum. 15.

Etiam lata Eccleſiæ ſententia, poteſt innocens, vel tacitè, vel expreſsè ſibi reconciliare Apoſtatam, ſi reſcipuerit. 16.

Ad tacitam remiſſionem ob apoſtaſiam requiritur animus poſitiuus remittendi, vel, quod innocens nouerit, per illas actiones induci remiſſionem. 17.

Inter adulterium carnale, & ſpirituale, non datur compenſatio. 18.

Nec etiam poſt latam ſententiam declaratoriam hæreſis. 19.

Inter vtrumq; coniugem Apoſtatam damnatum ab Eccleſia, non datur compenſatio delictorum. 20.

NVnc veritas catholica contra hæreticorum verſutias propugnanda eſt, qui ex quo Chriſtus Dominus *Matthæi 5., & 19.*, dixit non licere dimittere vxorem, niſi ex cauſa fornicationis, deſumpſerunt occaſionem Eccleſiam condemnandi ex eo, quod coniuges quoad thorum, & habitationem ſeparet ex alia cauſa à fornicatione; dictio etenim exceptiua, inquiunt ipſi, firmat regulam in contrarium. Sed facilè eliduntur huiuſmodi errores, & verſutiæ, ſi rectè attendantur diſpoſitiones conciliorum, & præcipuè *Trident. ſeſ. 24. de matrim. c. 8.*, vbi aliæ cauſæ enumerantur, ex quibus licet coniuges ſeparari quoad thorum, & habitationem. Solum difficultas conſiſtit in explicanda dictione exceptiua poſita à *Chriſto Domino Matthæi 19., & 5., niſi ex cauſa fornicationis*. Sed facilè poteſt occurri huic difficultati aſſerendo textum illum procedere dumtaxat de cauſa diuortij perpetui, quæ eſt ſola fornicatiō, nam quoad alias cauſas, licet quidem diuertere; ſed non abſolutè, ſed ſolummodo pro tempore, quo durat talis cauſa; atq; ita illum textum explicant *Bellarminus lib. 1. de matrimon. c. 14. § 2. cauſa eſt, Palacios in 4. diſt. 27. diſp. 3. fol. 598. col. 12., Petrus de Ledeſma de matrim. q. 62. art. 5. in ſol. ad* 1. Intellige tamen hanc explicationem procedere de cauſa diuortij perpetua altero coniuge diſſentiente, nam voluntariè poſſunt adinuicem coniuges cōuenire ad non cohabitandum, & non reddendum debitum perpetuo. Suppoſito iam, quod liceat ex alijs cauſis à fornicatione, difficultates modo explicandæ ſunt circa adulterium ſpirituale, quod conſiſtit in hæreſi ſubſequenti ad matrimoniū in altero coniuge, & apoſtata a fide catholica.

1 Eluditur verſutia hæreticorum aſſerētium ex ſola fornicatione licitū eſſe diuortiū.

Aſſertio I. Ob declinationem à fide, ſeu apoſtaſiam ſuperuenientem in altero coniuge, & pertinaciam in eadem licitū eſt innocenti ab eodem diuertere *D. Antoninus 3. part. tit. 1. c. 21. §. 5., Sotus in 4. diſt. 39 q. vnica art. 4. ad 3.*, & in hanc aſſertionem omnes ferè DD. catholici cōſentiunt. Dixi, *& pertinaciam in eadem*,

2 Licitū eſt innocenti diuertere ob apoſtaſiam alterius à fide, & pertinaciam.

quia, vt infra videbimus, ratio diuertendi ab apoſtata à fide eſt propter periculū peruerſionis, & inductionis ad peccatum alterius innocentis, quod periculum non ſubeſt, vbi delinquens reſipiſcit.

Hæc aſſertio expreſsè deducitur ex textu *in c. fin. de conuers. coniug., & c. quanta de diuort.*, & iuſta quidem ratione hæc decernuntur, quandoquidem, vt ait *Apoſtolus ad Titum 3.*, hæreticus homo poſt vnam, & ſecundam correctionem eſt deuitandus, quia periculum eſt ne labe, qua ipſe inficitur, alios inficiat; Neque intelligenda ſunt ea, quæ hic dicuntur, quando adeſt ſolummodo periculum peruerſionis proximum in coniuge perſeuerante in fide, quandoquidem, vt benè aſſerunt *Sotus loc. cit.*, *Bartholomæus à Ledeſma de matrimonio dub. 14. concl. 5.*, periculum peruerſionis quoad innocentem, poteſt ſemper ſubeſſe, nam familiaritas, qualis reperitur inter coniuges, ſolet eos reddere ſimiles in moribus, & peruerſus continua conſuetudine peruertere ſolet ſecum commorantem.

Iura, & rationes euincētes aſſertum.

3 Licitum eſt innocenti Apoſtatæ denegare debitum.

Aſſertio II. Ratione apoſtaſiæ à fide in altero coniuge, non ſolum licitum eſt innocenti diuertere quoad habitationem, & mutua obſequia, ſed etiam quoad reddendum debitum. *Ioannes Andreas in c. 2. n. 2. de diuort.*, *Abulenſis c. 19. Matthæi c. 70.*, *Barboſa rub. ff. ſol. matrim. part. 2. nu. 23. paulò poſt princip.*

Non difficilis eſt probatio præſentis aſſertionis, quandoquidem onus reddendi debitum eſt quodammodo annexum cum onere cohabitationis, quinimmo in principio præſentium diſquiſitionum de matrimon. VI. docuimus teneri de iure naturæ, & diuino coniuges cohabitare, quia tenentur adinuicem ſibi reddere debitū, ergo, cum nō teneantur ex ſuperius dictis cohabitare, non tenentur adinuicem ſibi reddere debitum, cæteroqui coniuges non eſſent liberi quoad finem, eſſent tamen liberi quoad media neceſſaria ad talem finem. Confirmatur, quia *in c. 2. de diuortijs*, dicitur, quod liceat catholico ſeparari ab hæretico manente tamen vinculo coniugali, ergo textus non intelligit, quod remanere debeat onus reddendi debitum, cæteroqui fruſtra eſſet additum *manente vinculo coniugali*.

Difficultas ſolummodo eſt circa hanc, & præcedentem aſſertionem, an coniux fidelis, & innocens nedum poſſit diuertere ab Apoſtata, ſed etiam teneatur. Ex ijs, quæ docuimus *tom. 6 ſub tit. Contractus XV. de matrim. II. prænot. 14. num. 7.*, videtur nedum non teneri recedere, ſed, nec poſſe, ſi apoſtata velit cohabitare, & ſine iniuria Creatoris, quandoquidem ibi dictum eſt, quod, ſi contracto matrimonio in infidelitate alter conuertatur ad fidem, alter remaneat in infidelitate, & hic velit cohabitare ſine iniuria Creatoris, ille teneatur cum iſto cohabitare, ergo etiam, ſi contracto matrimonio in fidelitate vtriuſque coniugis, & alter à fide declinauerit altero in fide permanente tenebitur innocens permanere in eodem coniugio, ſi apoſtata voluerit cum ipſo cohabitare ſine iniuria Creatoris. Conſequentia probatur, quia adæquata ratio, ob quam dicitur, quod altero apoſtatante à fide poſſit innocens diuertere eſt periculum peruerſionis quoad fidelem, & innocentem, ſed hæc eadem ratio æquè militat ſiuè matrimonium fuerit contractum in infidelitate, & alter ex coniugibus fuerit ad fidem conuerſus altero in infidelitate permanente, ſiue contractum fuerit inter fideles altero aberrante a fide, altero in eadem permanente, ergo &c. Ex aduerſo communius aſſerunt in hypotheſi præſentis difficultatis nedum poſſe, ſed etiam teneri coniugem fidelem diuertere ob periculum peruerſionis, quod vigere poteſt ex illa cohabitatione, & redditione debiti, quod ſemper perſeuerat quouſq; cohabitant, ſi apoſtata nolit reſipiſcere *Aſtenſis in ſumma 2. part. lib. 8. tit. 21. art. 2. q. 14.*, *Palatios in 4. diſt. 35. diſp. vnica col. 7. verſ. porro in gratiam fol. 785.*, *Sanchez lib. 10. de matrim. diſp. 15. nu. 5.* Quid ergo concludendum? Reſpondeo cum hac ſecunda opinione nedum poſſe, ſed etiam teneri diuertere ab apoſtata, ſi hic nolit reſipiſcere, cum ex ipſo iure naturæ, teneatur pericula animæ euitare; Neque in hoc currit paritas quoad caſum matrimonij contracti in infidelitate vtriuſque coniugis, quando alter conuertitur ad finem altero permanente in ſtatu infidelitatis, ſed volente cohabitare ſine iniuria Creatoris. Ratio diſparitatis in eo conſiſtit, quod, cum illud matrimoniū contractum fuerit in infidelitate, ille, qui poſtea conuerſus eſt ex vi prioris vinculi remanet abſolutè alligatus alteri remanēti in infidelitate, nec aliud ius acquirit ex vi conuerſionis ad fidem, niſi, vt nō peruertatur à fide, & ne compellatur habitare cū iniuria Creatoris, & ſic volente altero cohabitare ſine contumelia Creatoris nō videtur, quo iure congruè poſſit ab illo recedere, cum per conuerſionem ipſius non diſſoluatur vinculum; in præſenti autem caſu huius aſſertionis, cum matrimonium fuerit contractum pro tempore fidelitatis vtriuſque ille, qui remanet in ſtatu fidei altero ab eadem fide declinante, quamuis vinculum non diſſoluatur, per

4 Sententia aſſerens nedū non teneri diuertere, ſed nec poſſe.

5 Præfertur ſententia aſſerens teneri diuertere.

Digitized by Google

per illam apoſtaſiam alterius coniugis quodamodo conſtituitur in ſtatu deteriori ab illo, in quo, & ſecundum quem contraxit, & quidem ex perfidia alterius, adeoque poteſt nolle cum illo cohabitare, & cum periculum ſit peruerſionis poſitis congruis monitionibus, & non poſita reſcipiſcentia ex parte apoſtatæ, tenetur non cohabitare. Hæc reſponſio certè attingit aliquam diſparitatem, ſed non ſoluit vim argumenti conſiſtentis in illo periculo peruerſionis; poteſt enim adhuc inquiri, cur ratione periculi peruerſionis teneatur recedere, quando alter à fide apoſtatauit, & non teneatur recedere, quando ipſe ab infidelitate conuerſus eſt ad fidem altero in infidelitate permanente, cum in hac etiam hypotheſi poſſit ſubeſſe periculum, non obſtante, quod promiſerit cohabitare ſine contumelia Creatoris. Quamobrem dico, quod iura facilius præſumant periculum peruerſionis, quando quis habitat cum eo, qui cum eſſet fidelis, nouitèr per apoſtaſiam declinauit à fide, cum declinando à fide ruat in omnem peruerſitatem, quam quando habitat cum eo, cum quo in infidelitate cõſuetudinem habuit, qui propterea, cum proteſtetur, ſe velle cohabitare ſine contumelia Creatoris, omnem euertit ſuſpicionem peruerſionis in altero, adeoq; fidelis, & innocens, tenetur in primo caſu ab adultero à fide diuertere, non ſic in ſecundo. Addere etiam poteris, quod modo à iure prohibitum ſit fideli habitare cum marito Apoſtata à fide, non ſic fideli nouitèr conuerſo ad fidem habitare cum marito perſeuerante in infidelitate, ſi promiſerit habitare ſine contumelia Creatoris.

Rationes pro hac ſecunda opinione.

6 Aſſertio III. Fidelis perſeuerans poteſt diuertere propria auctoritate à coniuge apoſtata nolente reſcipiſcere, nec ad hoc requiritur Iudicis ſententia *Antonius c. de illa num. 2. de diuort., & ibi Alexander de Neuo num. 3., Sanchez de matrimon. lib. 10. diſp. 15. num. 6.*

Fidelis poteſt diuertere ab Apoſtata contumace propria auctoritate ſine Iudicis ſententia.

Deducitur primo ex *d. c. de illa*, vbi expreſsè ſic legitur *De illa, quæ viro ſuo labente in hæreſim ipſius conſortium ſine iudicio Eccleſiæ declinauit, videtur nobis, quod mulier ei cum reuerſus fuerit, ſit reddenda*, ergo, ſi non reuerſus fuerit, eſt reſtitutio deneganda, & ſic infertur, quod iuſtus ſit receſſus propria auctoritate, ſi pertinax fuerit in apoſtaſia à fide. Secundo, quia, quando contracto matrimonio in infidelitate alter ad fidem conuertitur altero in infidelitate permanente, nec volente conuerti, nec habitare ſine contumelia Creatoris poteſt conuerſus ad fidem propria auctoritate nedum diuertere à conſortio infidelis, ſed etiam diſſoluere vinculum coniugale per textum *in c. quanto de diuort., & c. fin. 28 q. 2, Gloſſa in c. ſi infidelis verb. libertatem 28. q. 1., Gofredus in ſumma tit. de conuerſ. infidelium nu. 2., Abulenſis primo Reg. 8. q. 119., Nauarrus lib. 3. conſil. tit. de conuerſ. in fid. in prima edit. conſ. 2., & alij magis communitèr*, ergo etiam, ſi contracto matrimonio pro tempore fidelitatis, vtriuſque coniugis alter à fide declinet altero in fide perſeuerante poterit hic ab illius conſortio diuertere, ſi ille noluerit monitus ad fidem conuerti, nec cohabitare ſine contumelia Creatoris.

Rationes, & iura pro aſſerto.

Aſſertio IV. Si coniux perſeuerans in fide propria auctoritate receſſerit ab Apoſtata, atque hic ante latam ſententiam Eccleſiæ reſcipuerit, tenetur ille iſtum reſcipiſcentem admittere, & excipere. 7 *D. Thomas in 4. diſt. 35. q. vnica art. 1. ad tertium, D. Bonauentura in 4. diſt. 39. in expoſ. lit. nu. 4., Abulenſis c. 19. Matthæi q. 71., Henriquez lib. 11. de matrimonio c. 17. n. 6., Ludouicus Lopez 2. part. inſtruct. de matrim. c. 57. ad fin. §. quæritur deinde, & alij magis communitèr*.

Si apoſtata ante ſententiam reſcipuerit tenetur innocens illi reconciliari.

Ratio ex eo deducitur, quia diuortium ob hæreſim alterius coniugis non per ſententiam Iudicis, ſed propria innocentis auctoritate inductum non eſt ex genere ſuum perpetuum, ſicuti eſt perpetuum diuortium inductum ob fornicationem carnalem, & hoc attenta cauſa formali, & finali, ob quam inducta ſunt huiuſmodi diuortia; diuortium etenim carnale inductum eſt ob violationem fidei carnalis, quæ in vnico actu perſeuerat, & perſiſtit etiam adultero reſcipiſcente, diuortium vero ob hæreſim in altero coniuge inductum eſt ob periculum peruerſionis, quod poteſt eſſe in coniuge catholico, quod certè non conſiſtit in vnico actu hæreſis, nec perſeuerat apoſtata reſcipiſcente, ergo, ſi ipſe apoſtata reſcipuerit, erit reſtituendus; hocq; expreſsè euincit allegatus textus *in c. de illa de diuort.*

Rationes pro aſſertione.

Hic oritur difficultas, an, ſi catholicus propria auctoritate receſſerit ab Apoſtata non expectata Eccleſiæ ſententia, 8 eoq; adhuc non reſcipiſcente tranſierit ad Religionem, in eaque fuerit profeſſus, vel ſacros ordines ſuſceperit, ſit non obſtante tali profeſſione, vel ſuſceptione ſacrorum ordinum reſtituendus eidem apoſtatæ, ſi poſtea reſcipuerit? Abbas *in c. fin. num. 4. de conuerſ. coniug., Supplementum Gabrielis in 4. diſt. 32. q. vnica art. 2. concl. 6., & alij* docent non eſſe reſtituendum, quia perſeuerante apoſtata poſt congruas monitiones in ſua peruicatia po-

Si fidelis ante ſententiam profeſſus fuerit in Religione, & interim ante ſententiam apoſtata reſcipuerit eſt iſti ille reſtituendus.

potuit iuſtè catholicus tranſire ad Religionem, qui propterea ſi fuerit in eadem profeſſus, valida erit profeſſio, & perfectum ius acquiſitum monaſterio, ne ab illo ſic profeſſus extrahatur. Ex aduerſo alij inter quos *Abulenſis c. 19. Matthæi q. 76. in corpore, & Sanchez lib. 10. de matrim. diſp. 15. num. 14. in fine*, docent abſolutè reſtituendum eſſe apoſtatæ reſcipiſcenti, qui tamen catholicus reſtitutus tenetur quidem alteri petenti reddere, non autem poteſt petere. Rationem ex eo deducunt, quia ante ſententiam Eccleſiæ non potuit catholicus ad Religionem tranſire per textum *in c. fin. de conuerſ. coniug.*, & *c. de illa de diuort.*, atq; huic opinioni tanquam probabiliori adhærendum exiſtimo.

9 Fidelis ſeparatus ab Apoſtata per ſententiã Eccleſiæ non eſt obligatus ad illum recipiendum.

Aſſertio V. Si coniux catholicus fuerit per ſententiam Eccleſiæ ſeparatus ab apoſtata ob hæreſim, ſeu Eccleſiæ iudicio ab eo receſſerit non amplius obligatur ad ipſum recipiendum, ſeu ad ſe illi reſtituendum, ſi reſcipuerit, vel emendatus fuerit, hocque ſiue ipſe catholicus tranſire velit ad Religionem, ſiue in ſæculo permanere. Prima pars, quinimmo integra aſſertio eſt *Monald. in ſumma, vbi de matrimon. tit. de diſpar cultu verſ. penult.*, *Angeli verbo matrimonium 4. in fin. princip.*, *Abulenſis c. 19. Matthæi q. 72. in fine corp.*, *Caſtri lib. 2. de iuſt. hæret. pun. c. 7.*, *Coaruuias 4. decret. 2. part. c. 7. §. 5. num. 5.* Quoad ſecundam tamen partem, qua dicitur, *hocque ſiue catholicus tranſire velit ad Religionem, ſiue in ſæculo permanere* eſt contra communiorem opinionem volentem non obligari quidem catholicum ad recipiendum apoſtatam emendatum, ſi ipſe velit tranſire ad Religionem, obligari vero, ſi velit in ſæculo perſeuerare.

Iura cuiocentia aſſertum.

Probatur iam aſſertio primo *ex d. c. de illa de diuort.*, vbi cum fiat diſtinctio inter catholicum recedentem propria auctoritate ab Apoſtata, & inter recedentem ex Eccleſiæ ſententia hæc expreſſa verba habentur. *De illa, quæ à viro ſuo labente in hæreſim ipſius conſortium, ſine iudicio Eccleſiæ declinauit, videtur nobis, quod mulier ei, cum reuerſus fuerit, ſit reddenda, quæ & ſi reuerti noluerit, compellatur, ſi vero iudicio Eccleſiæ ab eo receſſit, ad recipiendum eum, nullatenus dicimus compellendum*; neque obeſſe poteſt textus *in c. fin. de conuerſ. coniug.*, & *in c. quanto in fine eod. tit.* in quibus iuribus non conceditur plena libertas, ſed limitata catholico tranſeundi ad Religionem, ex quo deducitur, quod ſi nolit ad Religionem tranſire, teneatur apoſtatam emendatum recipere; vnde merito *gloſa in d. c. de illa de diuort.* in fine dicit diſpoſitionem illius textus *c. de illa* concedentis plenam exemptionem catholico correctam eſſe per illud *c. quanto, & c. fin. de conuerſ. coniug.* Non, inquam, obeſſe poteſt, quia ille textus *in c. fin. de conuerſ. coniug.*, non obligat catholicum, ſi nolit reſtitui apoſtatæ emendato poſt ſententiam diuortij, ad tranſeundum ad Religionem, ſed liber eidem conceditur aditus ad tranſeundum, ſi velit, quaſi, quod ei concedatur optio, vel ad tranſeundum ad ſtatum Religioſum, ſi velit, vel ad ducendum in ſæculo vitam ſeparatam à coniuge apoſtata, quantumuis fuerit emendatus; Neque arbitreris, quod optio illa non ſit ad tranſeundum ad Religionem, vel permanendum in ſæculo, ſed vel ad tranſeundum ad eandem Religionem, vel ad recipiendum coniugem apoſtatam, ſi fuerit emendatus; Non, inquam, arbitreris, quia ex quo Pontifex ibidem concedit facultatem tranſeundi ad Religionem, ſupponit eum omnino exemptum eſſe ab omni obligatione coniugali reddendi debitum, & cohabitandi; hæc etenim obligatio obſtat ingreſſui Religionis; Nec valet id, quod ſubditur, quod ſcilicet ille textus *in c. de illa de diuortijs* corrigatur per textum *in c. quanto de diuort.*; non valet, inquam, non quia hic textus procedat ſolummodo, quando mulier proprio iudicio ſeparata eſt ab apoſtata, vt incongruè explicat *Sanchez d. lib. 10. de matrimon. diſp. 15. nu. 19.*, nam tunc neque poteſt tranſire ad Religionem, & ſi tranſierit poteſt reuocari per ea, quæ docuimus in præcedenti aſſertione, & ſuſtinet etiam ipſe *Sanchez loc. cit. num. 14.*, ſed quia textus ſolum dicit id, quod poteſt facere catholicus in ordine ad tranſitum in Religionem, non autem negat id, quod poteſt facere circa permanentiam in ſæculo, & quidem congruè ſic intelligendus eſt hic textus, ne teneamur in iuribus admittere correctionem, quæ maximè, vt poteſt odioſa vitanda eſt per textum *in c. cum dilectus verſ. cæterum de conſuetud.*, & iura cōcordanda ſunt, ne talis correctio ponatur, etiam ſi oporteret verba ad impropriam ſignificationem deflectere.

Soluuntur nonnullæ inſtãtiæ oppoſitæ.

Probatur ſecundo, quia quoad effectum diuortij iura æquiparant apoſtaſiam à fide poſt latam Iudicis ſententiam, & adulterium carnale, vt *DD. communiter ſcribentes in d. c. de illa de diuort.* ſuſtinent, *Simanchos de cathol. inſtit. c. 40. num. 16.*, *Coaruuias 4. decret. 2. part. c. 7. §. 5 num. 5.*, *Caſtro lib. 2. de iuſt. hæret. punit. c. 7.*, ſed coniux innocens ob alterius adulterium carnale poteſt abſolutè diuertere, quantumuis alter fuerit emendatus, vel tranſeundo ad Religionem, vel permanendo

Æquiparatio apoſtaſiæ à fide poſt ſententiã.

in

in ſæculo, vt ſupra probatum eſt, ergo etiam ob alterius apoſtaſiam poſito Eccleſiæ iudicio.

Sed oritur hic difficultas, ex quo nam proueniat, quod catholicus coniux altero declinante à fide, ſi receſſerit propria auctoritate, teneatur eundem reſcipiſcentem recipere, non ſic verò, ſi receſſerit intercedente Eccleſiæ ſententia. Duplicem rationem huius diuerſitatis aſſigno *cum Sanchez loc. cit.* Prima eſt, quia

10 **Cur non extante Eccleſiæ ſententia catholicus ſit reſtituẽdus apoſtatæ, ſi hic reſipiſcat, non vero extante ſententia.**

in caſu, quo catholicus declinat à conſortio coniugali apoſtatæ propria auctoritate non alia viget cauſa, quam periculum ſubuerſionis in eodem catholico, qua cauſa ceſſante non eſt, cur vigere non debeant omnia iura coniugum cohabitandi ſcilicet, & ſibi adinuicem reddendi debiti; in caſu vero, quo declinat extante Eccleſiæ ſententia non ſolum ſubeſt cauſa periculi peruerſionis coniugis catholici, ſed etiam pæna impoſita ab Eccleſia, vnde ceſſante tali periculo adhuc viget talis pæna, quæ non extinguitur, adeoq; &c. Secunda eſt, quia pia mater Eccleſia ex ſua benigna diſpoſitione non patitur quemquam ſubeſſe pænis hæretici ante ſententiam. Sed quid eſſet dicendum, ſi Eccleſia eodem apoſtata reſcipiſcente ſententiam illam reuocaret, & pænas remitteret. Hoc non obſtante aſſerendum exiſtimo non teneri eundem apoſtatam recipere, quandoquidem ex illa Eccleſiæ ſententia ius acquiſiuit ad perpetuum diuortium, quo non poteſt priuari per illam remiſſionem pænarum, nam remiſſio illa intelligenda eſt ſolummodo quoad pænas, quæ immediatè afficiunt ipſum delinquentem reſcipiſcentem, non quoad illa, quæ cadunt in præiudicium iuris alteri acquiſiti.

Aſſertio VI. Ad effectum, vt per iudicium, ſeu per ſententiam Eccleſiæ catholicus dicatur ius quæſiuiſſe ad perpetuum diuortium ex alterius coniũgis apoſtaſia, non eſt neceſſe, quod expreſsè ſententia attingat ſeparationem catholici ab ipſo apoſtata, ſed ſufficit, quod eadem ſententia manifeſtè declaret alterum coniugem à fide Apoſtatam, ſeu hæreticum. *Barboſa in rub. part. 2. nu. 21., & ſeqq. ff. ſolut. matrim., Caſtro lib. 2. de iuſt. hæret. punct. c. 7., Coaruuias quarto decret. 2. part. c. 7. §. 5. num. 5., Graſſius prima part. deciſ. lib. 2. c. 84. num. 16., Henriquez lib. 11. de matrim. c. 17. num. 6.*

11 **Ad effectũ vt catholicus non ſit reſtituendus Apoſtata nõ eſt neceſſe, quod ſententia attingat ſeparationẽ catholici ab eodẽ, ſed ſufficit, quod attingat apoſtaſiã a fide.**

Ratio eſt, quia vbi pænæ ipſo iure imponuntur, alio non indigent ad ipſarum executionem, niſi declaratione delicti, ergo, vbi per Eccleſiam fuerit quis expreſsè declaratus hæreticus, pænæ ad hæreſim conſequentes ipſum afficient, ſed inter cæteras eſt pæna diuortij, ergo, vbi fuerit declarata culpa hæreſis, conſurget immediatè pæna diuortij, quam poterit immediatè exequi alter catholicus, & innocens, vel ſe ſubtrahendo ab illius conſortio, vel apoſtatam declaratum dimittendo.

Limitanda tamen eſt hæc aſſertio in hypotheſi, qua non per publicam ſententiam coniux declararetur hæreticus, ſed clam per Inquiſitores hæreticæ prauitatis coerceretur, quia in hac hypotheſi Eccleſia non vult coniugem pro hæretico reputari; atq; huic limitationi plurimum fauet *Barboſa d. rub. part. 2. nu. 21., & 22. ff. ſol. matrim., Sotus in 4. diſt. 39. q. vnica art. 4. ad tertium verſ. ſi vero talis*, quod certè valdè congruum videtur. 12

Limita. ſi non eſſet apoſtata per publicam ſententiam declaratus, ſed per Inquiſitores coercitus clam.

Aſſertio VII. Suppoſita Eccleſiæ ſententia declarantis alterum coniugem hæreticum, ſeu apoſtatam à fide poteſt catholicus ad Religionem tranſire non obſtante, quod ipſe hæreticus reſcipuerit, & permanens in ſæculo non emiſerit votum caſtitatis *Sanchez de matrimon. lib. 1. diſp. 15. num. 22., Sotus in 4. diſt. 39. q. vnica art. 4. in ſolut. ad tertium.* 13

Poſita ſẽtentia declaratoria fidelis poteſt tranſire ad religionem non obſtante, quod apoſtata reſcipuerit, & permanens in ſæculo non vouerit caſtitatẽ.

Ratio ex eo deducitur primo, quia iura concedentia catholico perſeueranti in fide ius diuortij perpetui poſt latam ſententiam, & tranſeundi ad Religionem nullum imponunt onus alteri declarato hæretico, quantumuis reſcipuerit, emittendi tale votum caſtitatis, ergo non eſt, cur nos tale onus debeamus imponere. Secundo, quia iura liberum concedunt tranſitum catholico ad Religionem, ſed tranſitus ille non eſſet liber, ſi requireretur, quod apoſtata reſcipiſcens tale votum emitteret, quandoquidem hic poſſet renuere, ergo &c. Neque obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, quod in caſu renitentiæ ille ſit compellendus, quia eo ipſo, quod in pænam ipſius delicti alteri conceditur facultas libera ad ſtatum Religionis trãſeundi, intelliguntur omnia conceſſa, quę neceſſaria ſunt ad licitum, & liberum tranſitum, quantumuis vergant in incommodum ipſius delinquentis; Non, inquam, obeſſe poteſt, quia nemo compelli poteſt ad votum ſine actu libero propriæ voluntatis, nec ſine tali voluntate poteſt votum illud conſiſtere.

Aſſertio VIII. Probabilius eſt, quod poſita ſententia diuortij, vel explicita, quatenus referatur directè ad ſeparationem ob alterius apoſtaſiam a fide, vel implicita, quatenus referatur ad declarationem hæreſis eiuſdem, ex qua conſequitur ius ſeparationis in fauorem catholici innocentis, poſſit idem catholicus diuer- 14

Intellige etiam, ſi hæreticus reſcipuerit ante ſententiã.

diuertere non obſtante, quod reſcipiſcentia apoſtatæ præceſſerit eandem ſententiam. Videntur conſentire in hanc aſſertionem quotquot ſine vlla reſtrictione ſuſtinent lata Eccleſiæ ſententia declarantis coniugem eſſe hæreticum liberum eſſe catholico diuertere; atq; in his terminis eam ſuſtinet *Sanchez de matrim.lib.10.diſp.15.num.23.* aduerſus *Ioannem Andræam c.fin.n.2. de conuerſ.coniug., & Ancharanum ibid.n.4.*

Ratio ex eo deducitur, quia in hypotheſi præſentis aſſertionis interueniunt ea omnia, quæ iura requirunt ad liberam facultatem catholici innocentis diuertendi ab apoſtata à fide, nempe declinatio ab eadem fide, & iudicium, ſeu ſententia Eccleſiæ declarantis eundem apoſtatam, vel decernentis ſeparationem, quibus obeſſe non poteſt reſcipiſcentia, nam hac etiam poſita non extinguitur ius innocentis. Quod, ſi dixeris, hæc ſubſiſtere, quando reſipiſcentia eſt poſt ſententiam, ſecus autem, quando ante illam poſita eſt; ſtatim impugnaberis, quia nullo iure fouetur hæc dictio, quia omnia iura, quæ pro illa adducuntur, conferunt facultatem catholico innocenti diuertendi poſt latam Eccleſię ſententiam, nec diſtingunt, quando hæc lata eſt ante, vel poſt emendam; tum quia hæreticus nullam aliam euitat pænam etiam ante ſententiam emendatus, ergo neque euitabit hanc diuortij.

Sententia Eccleſiæ plenum ius tribuit innocēti.

15 Lata ſententia Eccleſiæ nō poteſt apoſtata inuito innocente mutare ſtatum.

Aſſertio IX. Lata ſententia Eccleſiæ, vel declarantis ſeparationem ob apoſtaſiam alterius a fide, vel expreſsè ipſum declarantis hæreticum non poteſt hic apoſtata, quantumuis emendatus mutare ſtatum, vel per profeſſionem in Religione, vel per ſuſceptionem ſacrorum ordinum inuito, & inconſulto catholico innocente. *Silueſter verb. diuortium q.10., Barboſa rub. 2.part. num.22.ff.ſolut. matrimon., Manuel primo tom. ſumma 2. edit. c. 230.num.2.concl.2., Sanchez de matrimon. lib.10.diſp.15 num.24., & alij.*

Ratio ex eo deducitur, quod ſupra dicebamus, quod ſcilicet, ſi alter ex coniugibus deliquerit per adulterium, & ad innocentis petitionem lata fuerit ſententia diuortij, non poſſit ipſe adulter non obſtante tali ſententia inconſulto, & inuito innocente mutare ſtatum, vel per profeſſionem in Religione, vel per ſuſceptionem ſacrorum ordinum, & ſi mutauerit, poteſt ab innocente reuocari, & hoc ea ratione, quia diuortij ſententia lata eſt in odium delinquentis, & in fauorem innocentis, cui propterea per ipſam nullum poteſt inferri præiudicium ergo etiam, ſi alter ex coniugibus deliquerit per apoſtaſiam, & lata fuerit contra ipſum ſententia, intuitu cuius innocens fuerit executus diuortium, non poterit non obſtante ea ſententia ipſe apoſtata catholico inconſulto, & inuito mutare ſtatum tranſeundo ad Religionem, vel ſacros ordines ſuſcipiendo, & ſi mutauerit, poterit reuocari, quandoquidem etiam in fauorem eiuſdem innocentis lata eſt illa ſententia, & in odium delinquentis; quinimmo, vt benè notat *Sanchez loco cit.*, potius aſſiſtit ratio catholico innocenti in hoc ſecundo caſu, quam coniugi innocenti in primo, ſiquidem ex quo lata eſt ſententia diuortij ob adulterium in primo caſu ad inſtantiam eiuſdem innocentis videtur ipſe innocens ſpontè ceſſiſſe iuri ſuo in ordine ad integrationem matrimonij; in ſecundo vero caſu apoſtaſiæ alterius coniugis pęna imponitur propter delictum hæreſis, ad quam conſequitur ius illud diuortij, quantumuis catholicus innocens nihil petat, ſeu petierit, & quantumuis illa ſententia non fuerit lata ad ipſius inſtantiam.

Sententia eſt contra delinquētem in fauorem innocentis.

Aſſertio X. Suppoſita illa ſententia Eccleſiæ, vel diuortij explicitè ob apoſtaſiam alterius coniugis, vel implicitè in declaratione expreſſa hæreſis, & ſuppoſita item reſcipiſcentia eiuſdem Apoſtatæ poſt ſeparationem factam ab innocente, ſi ipſe innocens actiones illas cum eodem Apoſtata exercuerit, quæ ex ſuperius dictis inferunt violentam præſumptionem condonationis, ſeu remiſſionis intelligitur reparare diuortium, & inſtaurare matrimonium iam per ſeparationem quoad effectum læſum. Ab hac opinione arbitror non diſcrepare *Sanchez d. lib.10. de matrimon. diſp.15.n.26.* 16

Lata etiā Eccleſiæ ſententia contra apoſtatā, ſi hic reſcipuerit, poteſt, vel explicitè, vel tacitè innocens eundem ſibi reconciliare.

Ratio ex eo deducitur, quia licet illud diuortium ſit pæna hæreſis, denegari tamen non poteſt, quin ſit inducta in fauorem alterius coniugis catholici, & innocentis, ergo maximè poſita reſcipiſcentia eiuſdem Apoſtatæ, poterit ipſe catholicus innocens pænam illam remittere, & cedere iuri ſuo quoad diuortium, cum ex vno capite poſita illa reſcipiſcentia non ſubſit amplius periculum peruerſionis, ex alio ipſe innocens remittens nulli, niſi ſibi per illam remiſſionem præiudicat, & ſententia ipſa Eccleſiæ nō facit ius irretractabile quoad innocentem, vt vidimus ſupra, dum de ſententia diuortij ob adulterium carnale; Neque obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, quod, ſi alter coniux conſtante matrimonio affinitatem contraxerit cum altero, non poſſit hic alter innocens, nec expreſsè, nec implicitè petendo debitum eidem remittere

Pæna eſt inducta in fauorem innocētis.

Digitized by Google

ius ad petendum debitum reſiſtente illa affinitate, eo quia amiſſio illius iuris ad petendum eſt pæna eiuſdem affinitatis contractæ, ergo cum etiam illud diuortium ob apoſtaſiam declaratam ab Eccleſia ſit pæna delicti eiuſdem apoſtaſiæ, nec expreſsè, nec implicitè per petitionem debiti poterit Catholicus innocens illam remittere; Non, inquam, obeſſe poteſt, quia diſpar omnino eſt ratio de pæna ex affinitate conſurgente conſtante matrimonio, ac de pæna ex apoſtaſia alterius coniugis quoad diuortium, quandoquidem illa pæna ex affinitate non eſt in fauorem coniugis innocētis, nec vt remittatur, requiritur conſenſus eiuſdem innocentis, cui propterea ipſe innocens non poteſt cedere; pæna autem illa diuortij ex apoſtaſia alterius coniugis eſt in fauorem innocentis catholici, cui propterea ipſe poteſt cedere, ſi ille reſcipuerit, vel per expreſſam condonationem, vel per implicitam pręſtando ſcilicet illas actiones, ex quibus inducitur efficax præſumptio voluntariæ remiſſionis.

Hic ſuboritur difficultas, an, ſicuti ad remiſſionem hanc tacitam ob crimen adulterij non eſt neceſſarius animus poſitiuus, & expreſſus remittendi, ſed ſufficit,

17 Ad tacitā remiſſionē ob crimen hęreſis requiritur animus remittendi, & quomodo.

quod remittens, nec habeat animum poſitiuum, & expreſſum remittendi, nec animum poſitiuum, & expreſſum non condonandi, ſed merè negatiuè ſe habeat in illis actionibus, quas exercet, ità ad remiſſionem hanc tacitam ob crimen apoſtaſiæ ſufficiat in huiuſmodi actionibus, quod catholicus merè negatiuè ſe habeat, quatenus, nec habeat animum poſitiuum remittendi, nec non remittendi, an vero requiratur poſitiuus animus condonandi? Arbitror ad remiſſionem pænæ diuortij ob crimen apoſtaſiæ à fide requiri, vel animum poſitiuum remittendi coniunctum cum illis actionibus, vel ſaltem, quod remittens nouerit ius diuortij ſibi competere, & per illas actiones condonari; atque ita expreſsè ſentit *Sanchez d. lib. 10. de matrimon. diſp. 15. num. 26.* Rationem diuerſitatis cum eodem aſſigno ſitam in eo, quod diuortium ob crimen adulterij inductum eſt ob fractionem fidei, & diuiſionem carnium, quæ ex genere ſuo videntur reintegrari per copulam, alioſq; actus familiares elicitos voluntariè ab innocente proptèr connexionem naturalem, quam habent huiuſmodi actiones cum renouatione amicitiæ, & integrationis &c. diuortium vero ob crimen apoſtaſiæ, non eſt proptèr carnium diuiſionem, & fractionem fidei erga coniugem catholicum, ſed in pænam

Ratio diuerſitatis in remiſſione ob crimen hæreſis, & ob crimen adulterij.

fidelitatis Deo debitæ violatæ, proptèr quam eximuntur ſubditi à debito erga hæreticum, & infidelem; actiones autem copulæ, ſeu alij actus familiares non habent eam connexionem cum illa condonatione pænæ ex hoc delicto, ſicuti habent ex adulterio carnali, adeoq; exigunt, vel actum poſitiuum condonandi, vel ſaltem cognitionem, qua intelligatur in illis actionibus conſiſtere condonationem, quia tunc ſaltem virtualitèr habetur condonatio.

18 Nō datur cōpenſatio adulterij carnalis ad ſpirituale.

Aſſertio XI. Si alter ex coniugibus lapſus fuerit in apoſtaſiam à fide, alter in adulterium carnale, & contra apoſtatam nondum lata fuerit ſententia, non datur inter huiuſmodi delicta compenſatio *Sanchez de matrimon. lib. 10. diſp. 16. num. 3.*

Ratio ex eo deducitur, quia non datur mutua compenſatio, vbi non datur mutuum ius ad diuortium per ea, quæ ſupra probauimus, ſed ante ſententiam declaratoriam delicti hæreſis catholicus carnalitèr adulter non habet ius diuortij perpetui aduerſus eundem apoſtatam, ſed ad ſummum ad tempus, ſcilicet vſquequo ipſe reſcipuerit, & ipſo reſcipiſcente abſolutè eadem ratio ſeparationis ceſſat, cum totum ius ſeparationis proueniat à periculo ſubuerſionis, ergo agente eodem adultero ad compenſationem poterit hic per exceptionem elidi, quod, ſcilicet non habeat ius ad diuortium perpetuum, ratione illius apoſtaſiæ; ex quibus ſequitur, quod integrum quidem ſit Apoſtatæ recedere ab adultero in perpetuum; non autem in perpetuum adultero recedere ab Apoſtata, ſed ad ſummum ad tempus, donec corrigatur.

Ante ſententiam declaratoriam hæreſis alterus catholicus non habet ius diuortij perpetui.

19 Nec etiā poſt latā ſententiā declaratoriam hæreſis.

Aſſertio XII. Poſt latam ſententiam declaratoriam hæreſis in altero coniuge, altero carnalitèr adulterante probabilius inter eoſdem non datur delictorum compenſatio *Baldus in c. 1. qual. deb. vaſ. dom. fidelit., Gregorius Lopez l. 8. tit. 9. part. 4. verb. porfiando, Sanchez lib. 10. de matrim. diſp. 16. nu. 3.*

Ratio ex eo deducitur, quia quantumuis vterque iuſtam habeat cauſam diuortij, huiuſmodi tamen cauſæ, cum habeant diuerſam originem, & ſint in ordine ad diuerſas iniurias non admittunt adinuicem compenſationem, quod ex eo euincitur primo, quia ratio diuortij ex cauſa adulterij eſt violatio fidei alteri coniugi præſtitæ in contractu matrimoniali, & diuiſio carnis, ratio autem diuortij ex cauſa apoſtaſiæ eſt pæna fidelitatis violatæ erga Deum, ratione cuius apoſtata priuatur debito cuiuſcunq; fidelitatis; per fidem autem alteri coniugi debitam viola-

Procedūt iura diuortij ex diuerſo capite.

Digitized by Google

violatam, non tollitur pæna infidelitatis erga Deum. Secundo, quia, ſi dominus aliquis, ſiue temporalis, ſiue Eccleſiaſticus per ſententiam damnaretur hæreſis, ratione cuius ipſo iure priuatur ſubiectione, quam ſubditi habent erga ipſum, & ſubditi ſe tuerentur contra ipſum ob negationem obſequiorum obiecta eidem Domino hæreſi, vtique dominus ipſe non poſſet validè, & efficacitèr excipere, quod ſubditi ipſi eidem violauerint fidelitatem debitā intuitu vaſalagij; & hoc non alia ratione, niſi, quia per violationem fidelitatis debitæ Domino, non tollitur pæna fidei violatæ erga Deum. Tertio, quia, ſi contractis inter duos ſponſalibus vterque habeat iuſtam cauſam eadem diſſoluendi, ſed diuerſæ rationis, puta vnus, quia alter fornicatus eſt, altera vero, quia primus lepra infectus eſt, certè inter eoſdem non datur mutua compenſatio, ratione cuius vterq; debeat ſiſtere in ſponſalibus, ſed poteſt vterq; ad libitum recedere, non obſtante exceptione alterius, ergo, etiam ſi vterq; coniux habeat iuſtam cauſam diuortij, ſed alter ex cauſa adulterij, alter vero ex cauſa apoſtaſiæ, non dabitur inter iſtos mutua compenſatio.

Per adulterium vnius non tollitur pæna apoſtaſiæ alterius.

Hinc fas erit deducere, quod, ſi apoſtata damnatus per ſententiam Eccleſiæ obijciat catholico adultero fornicationem ab eodem commiſſam ad effectum reſtaurandi matrimonium diſſolutum quoad habitationem, & thorum ratione apoſtaſiæ titulo compenſationis, poſſit idem coniux adulter reiecta exceptione adulterij perſiſtere in diuortio, quia per ipſius adulterium non tollitur pæna apoſtaſiæ; è contra vero, ſi adulter obijciat apoſtatæ infidelitatem ab eodem commiſſam, ad effectum inſtaurandi matrimonium ſeparatū ratione adulterij, poſſit idem Apoſtata reiecta exceptione apoſtaſiæ nolle inſtaurationem eiuſdem matrimonij, quia adulterium ipſum non ſoluitur per alterius infidelitatem.

Nec hic poſſum acquieſcere nonnullis, & inter cæteros *Paludano in 4. diſt. 35. q. 1. art. 2. cas. 1. n. 11., Caſtro lib. 2. de leg. pænal. c. 4. §. vt noſtrum, Ouando in 4. diſt. 235. q. vnica prop.* 1. volentibus, quod coniux adulter poſſit ſuum delictum compenſare cum Apoſtata, & repellere hunc excipientem de illius adulterio; è contra vero Apoſtatam non poſſe compenſare ſuum delictum Apoſtaſiæ cum adultero carnalitèr, vndè, ſi ille agat ad compenſationem, poſſit iuſtè ab iſta reijci. Rationem huius diuerſitatis deſumunt ex eo, quod ad compenſationem requiritur æqualitas inter res compenſandas, delictum autem infidelitatis longè maius eſt, ac ſit delictum adulterij; vndè adulteriū, quod minus eſt, poteſt compenſatione iuuari comparatiuè ad apoſtaſiam, non è contra. Non, inquam, poſſum acquieſcere, quia non ex maiori grauitate delicti quomodocunque, ſed ex maiori grauitate in ordine ad matrimonium argui debet ius ad diuortium; in ordine autem ad matrimonium grauius eſt delictum adulterium, quam ſit apoſtaſia, cum illud directè aduerſetur bonis illius, non ſic iſta; vndè potius eſſet dicendum contrarium, quod ſcilicet apoſtata poſſet potius compenſare, quam adulter, vt benè probant *Aſtenſis in ſumma 2. part. lib. 8 tit. 21. art. 2. q. 15., Bellarminus lib. 1. de matrim. c. 17. §. reſpondent nonnulli.*

Reijcitur nonnullorum opinio volētiū adulterū poſſe compenſare cum Apoſtata non è contra.

Aſſertio XIII. Vtroque coniuge in apoſtaſiam à fide labente, & vtroq; damnato per iudicium Eccleſiæ, quantumuis vterq; reſcipuerit, probabilius inter eoſdem non datur compenſatio. Conſentit *Sanchez loc. cit. n. 4.* 20

Inter vtrumq; coniugem apoſtatā damnatū per ſententiam Eccleſiæ non datur cōpenſatio delictorū.

Ratio ex eo deducitur, quia huiuſmodi pæna diuortij ob apoſtaſiam à fide nō eſt directè, & principalitèr impoſita in fauorem coniugum, ſed ſolummodo indirectè, & conſecutiuè prouenit ex illa hæreſi damnata per iudicium Eccleſiæ, eo, quod debitam fidem non ſeruauerit Deo. Rurſus illa pæna non imponitur ab altero coniuge contra delinquentem, ſed ab Eccleſia, ergo vtroque ratione apoſtaſiæ in eandem pænam dilabente non fiet immediatè compenſatio, niſi vterque conſenſerit; non enim ex pæna vnius non impoſita in alterius fauorem, pæna alterius dirimitur. Quod, ſi dicatur, quod vterque poteſt ſibi adinuicem remittere illam pænam, adeoq; quod videatur in vtriuſq; fauorem inducta; poteſt reſponderi hoc eſſe ex benigna Eccleſiæ interpretatione, vt vbi delinquentes reſcipuerint, poſſint adinuicem conſentientes reconiungi, non autem ſine eorum beneplacito. Quod, ſi vlterius vrgeas, quod, cum huiuſmodi delicta paria ſint, & in eodem genere, non videantur reſpuere compenſationem, ſicut eandem non reſpuunt mutua adulteria; ſtatim impugnaberis per aſſignationem diſcriminis, quod intercedit inter diuortium ex adulterijs, & diuortium ex apoſtaſia ſitam in eo, quod diuortium ex adulterijs ſit principalitèr in fauorem alterius innocentis, diuortium vero non principalitèr, ſed conſecutiuè, adeoq; &c.

PRÆ-

Digitized by Google

PRÆNOTIO XIII.

An ſit ſufficiens cauſa diuortij, ſi vnus coniugum impellat alterum ad peccandum.

SVMMARIVM.

Regularitèr ob alia crimina, ſi ſecundum ſe ſumantur, non datur ius ad diuortium. 1.
Poteſt maritus ad coercendam vxorem à criminibus frequentibus ab ipſa ad tempus recedere. 2.
Probabilius tamen ob hanc cauſam, non tenetur. 3.
Vxor ad coercendum maritum à criminibus non poteſt ab illo recedere. 4.
Poteſt coniux ab altero recedere, quando hic induceret ad peccandum. 5.
Quando coniux induceret ad peccandum, vt innocens poſſit diuertere, non requiritur ſententia Iudicis. 6.
Illud diuortium ob inductionem ad peccatum, non eſt perpetuum, ſed ad tempus, donec deſiſtat. 7.
Etiam ſi ſecuta fuerit ſententia ſeparationis per Eccleſiam. 8.

SAtis conſtans eſt apud DD., quod ob alia crimina ab adulterio carnali, & ſpirituali conſiſtente in apoſtaſia à fide, ſi ſecundum ſe ſumantur, non inducatur ius ad diuortium, vndè meritò habetur *in c.2. de diuortio*, quod mulier pro furto, vel alio crimine viri ſui ſeparari non debeat, & quidem, ſi ob alia quæcunque crimina grauia concederetur ius diuortij, poſſet, & continuò cernerentur matrimonia quoad habitationem, & thorum diſſolui, quod incongruum videtur, & indiſſolubilitati eiuſdem matrimonij minimè conſentaneum.

1 Regularitèr ob alia crimina, ſi ſecundum ſe ſumantur nō datur, ius ad diuortiū.

Dixi, *ſi ſecundum ſe ſumantur*, nam ratione annexorum, vel conſequentium poſſunt eſſe aliquæ rationes dubitandi; primo, ſi talia eſſent, vt coniux ex prona nimium propenſione vix videretur poſſe, vel nonniſi cum magna difficultate ab illis retrahi, niſi facta ſeparatione; & ſic inquiretur, primo, an, ſi vxor eſſet alijs criminibus crebrò implicita, vt non videatur facilè poſſe ab ijs ſubtrahi, niſi maritus ſe ſubtrahat ad tempus ab illa, poſſit idem maritus ad finem illam corrigendi ſe ſubtrahere; ſecundo, an hoc idē poſſit vxor erga maritum, ſi ſit talibus criminibus implicitus; Item, ſi talia ſint crimina, quamuis in diuerſo genere ab adulterio carnali, & ſpirituali, vt per illa alter coniux conetur atrahere alterum ad peccandum, inquiretur, an per illa tribuatur ſufficiens cauſa diuortij, & quandonam intelligatur per illa delicta alterum inducere ad peccandum.

Poteſt tamen dari ratione annexorū.

Aſſertio I. Si vxor fuerit implicita illis criminibus, quæ quamuis ſecundum ſe non inducant maritum ad peccandum, ſunt tamen in ipſa frequentia, poteſt maritus cauſa ipſam corrigendi ad tempus recedere à conſortio coniugali, ſi ſit ſpes ex illo receſſu emendationis *D. Thomas in 4. diſt. 39. q. vnica art. 6. in fin. corporis*, *D. Antoninus 3. part. tit. 1. c. 21. §. 4.*, *Silueſter verb. matrimonium 9. q. vltima*, *Sotus in 4. diſt. 39. q. vnica art. 4. ad quartum*. Ex Iuriſtis *Albericus in ſuo dictionario lit. M. verbo matrimonium* 8. *verſ. quod ſi aliquis coniugum in fin.*, *Caieta repet. c. ad limina 30. q. 1. §. 4. num. 235.*

2 Poteſt maritus ad coercendam vxorem à criminibus frequentibus ab ipſa ad tempus recedere.

Ratio ex eo deducitur, quia ad maritum, vtpotè ad caput, & ſuperiorem eiuſdem vxoris, maximè ſpectat eandem delinquentem omnibus modis corrigere, etiam per ſubtractionem eorum, quæ quoquomodo eidem ſunt debita, ergo etiam ad effectum corrigendi à delictis, in quæ crebrò incidit, poterit ſe ſubtrahere ab illius conſortio coniugali, vt eo ſoluto deſtituta reſcipiſcat; Neque obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, quod debitum illud correctionis in ordine ad delicta vxoris ſit ſolummodo ex charitate, debitum autem cohabitandi, & ſeruandi conſortium coniugale ſit ex iuſtitia, quod non licet ſubtrahere ad effectum exercendi actum charitatis; Non, inquam, obeſſe poteſt, primo, quia non ex mero motiuo charitatis tenetur maritus, quando poteſt, auertere delicta vxoris, & familiæ, cum teneatur ex officio, ſed aliquo modo ex iuſtitia. Secundo, dato etiam, quod teneretur ſolummodo ex motiuo charitatis, quandoque licet ad impedienda damna ſpiritualia, ſuſpendere ad tempus actus iuſtitiæ potiſſimum in præſenti hypotheſi, ſecundum quam ex pluribus cauſis poteſt excuſari maritus à reddendo vxori debito, cum onus illud non ſit ad ſemper, & ſicuti ad euitanda incommoda poteſt abſtinere ab actu coniugali, ita poteſt ab eodem abſtinere ad euitanda damna ſpiritualia vxoris, cum ex eius peruerſitate proueniant regularitèr damna in familia.

Solum hic oritur difficultas, an non ſolum poſſit maritus ad finem corrigendæ vxoris ad tempus diuertere à conſortio coniugali ipſius, an etiam teneatur, ſi probabilis non ſit ſpes aliter emendationis eiuſdem vxoris, ab eadem diuertere? Arbitror probabilius non teneri, cum non teneatur ſe ipſum priuare ſuo iure, quod habet ad cohabitandum, & ad obſequia

3 Probabilius tamē ob hanc cauſam non tenetur.

ſoquia coniugalia, & licet dictum fuerit teneri ex officio ad impedienda peccata vxoris, & familiæ, cuius eſt caput, non tenetur tamen cum ſuo incommodo, & priuatione ſui iuris.

Aſſertio II. Regularitèr loquendo
4 non poteſt vxor recedere à conſortio coniugali mariti ad finem ipſum remouendi a criminibus, in quibus eſt implicitus. *Petrus de Ledeſma de matrimon. q. 59. art. 6.*, quidquid limitatiuè alij ſenſerint ſuppoſitis certis conditionibus, de quibus infrà.

Vxor ad coercendum maritum à criminibus, in quibus eſt implicitus, nõ poteſt ab illo recedere.

Ratio ex eo deducitur, quia ex vi proprij ſtatus non competit vxori maritum corrigere, cum non ſit illi ſuperior, ſed quodamodo ſubdita, ergo, nec poteſt ea præſtare inuito eodem marito, quæ poſſunt conducere ad talem correctionem, potiſſimum cum ex illo modo corrigendi poſſent obuenire varia, & conſiderabilia incommoda. Dixi *regularitèr loquendo*, non enim negauerim, quod, ſi commodè poſſet ſe ſubtrahere ſine incommodis, & ex illa ſubtractione eſſet ſpes futuræ emendationis in marito, vtique hoc poſſet præſtare, ſed quoad hoc non eſſet inuitus maritus, cæteroqui vix poſſet, ſine incommodis ſe ſubtrahere.

5 Aſſertio III. Poteſt coniux diuertere ab altero coniuge, quando hic eſſet implicitus talibus criminibus, quæ ſecundum ſe eſſent inductiua ipſius ad peccandum, vel taliter coniux noxius ſe gereret, vt alterum induceret ad peccandum in quocunq; genere. Ita ex iuris peritis *Gloſa in c. vxor, & c. Idolatria verb. ſacrificare 28. q. 1., Alexander de Neuo c. 2. num. 6. de diuort., Monaldus in ſumma, vbi de matrimon. tit. de diuort. §. an poſſit vir reconciliare &c. paulo poſt princip., Nauarrus in ſumma c. 22. num. 22. verſ. 2., Barboſa rub. ff. ſolut. matrim. 2. part. num. 30.* Ex Theologis *D. Thomas in 4. diſt. 39. q. vnic. art. 6. ad tertium, & ibi Sotus art. 4. ad quartum, D. Antoninus 3. part. tit. 1. c. 21. §. 4., Henriquez lib. 11. de matrimon. c. 17. num. 7., & alij plures*, quos citat, & ſequitur *Sanchez lib. 10. diſp. 17. num. 5.*

Poteſt coniux ab altero recedere, quãdo induceret ad peccãdum.

Rationem ex eo deſumo, quia vnicuicunque inditum eſt tam à natura, quam a iure Diuino ſe ſubtrahere à quocunque periculo damni temporalis, ſeu corporalis maximè, ſi illud proximè immineat, ergo a fortiori inditum erit, vt poſſit a quocunque periculo damni ſpiritualis, ſeu animæ ſe auertere, ergo, ſi coniux ex conſortio alterius coniugis rationabiliter timeat damnum ſpirituale ſibi obueniendum, vel quia ipſius actiones ad hoc inducant, vel quia ipſe ex ſe ad aliquod turpe, & peccaminoſum excitet poterit à tali conſortio diuertere. Confirmari poteſt *ex illo Matthæi 18.*, vbi Chriſtus Dominus, *ſi oculus*, inquit, *tuus ſcandalizat te*, hoc tibi tribuit occaſionem peccandi, *abſinde eum, & proijce abs te*, quem textum explicans D. Hieronymus ait, per illam ſententiam voluiſſe Chriſtum Dominum, non vt oculos corporales, ſi occaſionem damni ſpiritualis conferant, verè, & materialitèr eruamus, ſed vt oculos miſticos hoc eſt coniunctos, & charos, quos vt pupillam oculorum diligimus, ſi occaſionem, & cauſam peccandi dederint, à nobis euellamus, ſeu nos ab illis ſubtrahamus, quod vtique intelligendum eſt etiam de altero coniuge, ſi offendiculo fuerit; Neque arbitrandum eſt, rationem adductam, & hanc auctoritatem intelligendas eſſe ſolummodo, ſi offendiculo fuerint quoad ſubuerſionem à fide, non in ordine ad alia crimina, quod colligi etiam videtur ex textu *in c. 22. de diuort.*, vbi ſolum concedi videtur alteri coniugi ſe retrahere ab altero, quando hic declinans à vera fide nititur alterum in infidelitatem retrahere; Non, inquam, arbitrandum eſt, quia, & ratio, & auctoritas indefinitè procedunt de ſcandalo, & inductione ad quodcunque crimen, cum tam de iure naturali, quam diuino cuicunque conceſſum ſit ſe ſubtrahere a quocunque periculo damni ſpiritualis; Neque allegatus textus quidquam euincit, quandoquidem ibi tantum facit mentionem de apoſtata a fide allicientem ad hæreſim, quia hoc regularitèr contingit, cum vnuſquiſque innata quadam propenſione atrahere alios contendat ad ſuam ſectam, quod non ita facilè euenit quoad alia crimina. Cæterum facta ſuppoſitione, quod coniux implicitus alijs criminibus ad eadem atrahere contenderet alium coniugem, non video, cur iſte non poſſet ab illo declinare ad euertendum damnum ſpirituale ſibi imminens.

Oculi miſtici ſunt euellendi, ſi occaſionem inferant peccandi.

Intelligitur de offendiculo ad peccatum in quocunq; genere.

Duplicitèr autem alter coniux noxius poteſt innocentem atrahere ad peccandum, vel implicitè ſcilicet, vel explicitè, & propterea dixi in aſſertione, *ſi ſit implicitus talibus criminibus, quæ ſecundum ſe ſint inductiua ad peccandum, vel taliter ſe gerat, vt inducat ad peccatum*; tunc dicitur atrahere implicitè, quando non per verba, nec per ſuaſiones importunas, nec per violentiam aliquam ad hunc effectum poſitam inducit, ſed per actionem aliquam, ex qua conſequitur illa inductio; tunc dicitur atrahere explicitè, quando per verba, vel per actiones directè ordinatas ad peccandum coniugem excitat ad peccatum; ſic primo intelligiturexpreſsè

Poteſt inducere ad peccandũ tum implicitè, tum explicitè, & quomodo.

Digitized by Google

preſsè atrahere, ſi munera lenonis exerceat. *Burſatus conſ.218. num.6. vol.2., Palacios in 4. diſt.35. q. vnic a col.2. verſ. ſecunda limitatio*; atq; in hoc caſu certè vxor poteſt diuertere, ſecundo, ſi ipſe coniux noxius cum altero habitare renuat, niſi hic alter committat furtum, vel aliquod aliud graue peccatum. *D. Thomas in 4. diſt.39. q. vnica art. 6. ad 5.* Tertio, ſi ipſe coniux intendens actiones iniquas, & peccaminoſas exercere, vt diteſcat de mamona iniquitatis, nec ipſas ſe ſolo valens adimplere cogeret vxorem, vt eſſet ſibi ſocia in illis actionibus iniquis, & peccaminoſis, tunc etenim ipſa poſſet à conſortio coniugali eiuſdem mariti recedere. Implicitè vero intelligitur attrahere ſufficienter, vt alter poſſit recedere à conſortio coniugali, ſi domi admittat viros procaces, & luxurioſos, eiſque ſinat ibi liberè diuerſari, ſiue ipſe domi commoretur, ſiue alio ſe transferat, & iſti vxorem ſollicitant ad turpia, ſiue verbis, ſiue nutibus, ſiue alio modo, & ipſe maritus admonitus negligat eos dimittere; tunc etenim vxor ipſa poteſt recedere *Nauarrus in ſumma c.22. num.22. verſ.3., Henriquez lib.11. de matrimon. c.17 num.7., Sanchez lib. 10. de matrim. diſp. 17. num.7.* Item intelligitur implicitè atrahere, ita vt alter coniux poſſit recedere, ſi v. g. maritus vxorem conſtituat in loco, in quo poſſit præuideri periculum ſollicitationis, & incontinentiæ.

Enumerantur caſus, in qui bus explicitè induceret.

Caſus, in quibus implicitè induceret.

6 Assertio IV. Ad hoc, vt alter coniux diuertat licitè ab altero, vel implicitè, vel explicitè inducente ad peccatum non eſt neceſſaria Iudicis ſententia, ſed poteſt ex ſe licitè immediatè diuertere. *Sanchez de matrimon. lib. 10. de diuortio diſp. 17. num. 10.*

Vt innocens poſſit diuertere, quãdo alius inducit ad peccatũ, non prærequiritur ſententia Iudicis.

Ratio ex ſuperius dictis deducitur, quia, ſi alter ex coniugibus declinet à fide per apoſtaſiam poteſt fidelis propria auctoritate non expectato Eccleſiæ iuditio ab eodem recedere, nec velle ad illius conſortium redire, niſi reſcipuerit, & hoc non alia ratione niſi, quia ex illius cõſortio, dum in infidelitate perſeuerat, poteſt ſubeſſe periculum peruerſionis, ad quod euitandum natura ipſa confert poteſtatem recedendi, ergo ſi alter coniux impellat, ſeu attrahat alterum ad peccandum etiam in alio genere ab infidelitate poterit hic alter ad euitandum periculum peccatorum propria auctoritate ab illo recedere, & nolle redire, donec reſcipuerit. Conſequentia probatur, quia non minus naturale eſt cuicunque vitare pericula infidelitatis, quando imminent, ac vitare pericula peccatorum in alio genere, quando itidem imminent, ergo &c. Confirmari poteſt *ex c. idolatria 28. q.1.*, vbi ſic legitur. *Ex quo intelligitur, quod propter illicitas concupiſcentias non tantum, quæ in ſtupris cum alienis viris aut fæminis committuntur, ſed omnino quaslibet, quæ animam corpore male vtentem pernitioſè, turpiterque corrumpunt, poſſit ſine crimine, & vir vxorem dimittere, & vxor virum*, vbi nota illam particulam *omnino*, quæ importat latam ſententiam, & æquiualet dictioni ipſo iure *Alexander in l. ſi inſulam num.13. ff. de verb. oblig., Bermondus in tit. de publicis concub. in verb. iubemus, vt ipſum in princip. fol. 197., Bernard. Muſcatellus de modo fideiub. p.1. modo 14. nu. 12., Moneta de diſtribut. quotid. p.3. q.7. num.37., Farinacius frag. crimin. part. 2. verb. lex num. 121.*

Rationes, & iura pro aſſerto.

7 Aſſertio V. Diuortium conceſſum alteri coniugi ex eo, quod ab alio inducatur, ſeu alliciatur ad peccandum, non eſt perpetuum, ſed ad tempus, donec ſcilicet ipſe inducens, ſeu alliciens deſiſtat ab illa inductione ſerio. *Cardinalis c. de illa in fin. de diuortijs, Siluester verb. matrimonium 9. q. vlt., Ludouicus Lopez 2. part. inſtruct. de matrimon. c.53. in fine, & alij.*

Illud diuortium ob inductionẽ ad peccatum non eſt perpetuũ, ſed ad tẽpus donec ceſſet inductio.

Ratio ex eo deducitur, quia adæquata ratio, ob quam conceditur in ea hypotheſi ius diuortij, eſt periculum peruerſionis, ſeu inductionis ad peccatum, ſicut illud periculum peruerſionis eſt cauſa diuortij, quando alter ex coniugibus declinat à fide per apoſtaſiam, ergo ceſſante illo periculo peruerſionis per reſcipiſcentiam coniugis inducentis, & allicientis ceſſabit ratio diuortij, adeoque diuerſus tenebitur redire ad reſcipiſcentem.

8 Solum hic oritur difficultas, an, ſi ob cauſam inductionis, ſeu allicientiæ ad peccatum, innocens fuerit ſeparatus iudicio, ſeu per ſententiam Eccleſiæ ab inducente, poſita etiam reſcipiſcentia iſtius eximatur idem innocens ab onere redeundi ad reſcipiſcentem, ſicuti eximitur catholicus redeundi ad Apoſtatam, quantumuis hic reſcipuerit, quando fuit ſeparatus iudicio, ſeu per ſententiam Eccleſiæ? Negatiuè reſpondendum exiſtimo, quia nullibi reperitur in iure Eccleſiaſtico diſpoſitum, quod ob inductionem, ſeu periculum inductionis ad peccandum ſit impoſita pæna diuortij perpetui, ſicuti eſt impoſita ob infidelitatem interueniente Eccleſiæ ſententia, adeoque &c.

Etiam, ſi ſecuta fuerit ſententia ſeparationis per Eccleſiam

✠✠✠✠
✠✠

Digitized by Google

PRÆNOTIO XIV.

An proptèr ſæuitiam alterius coniugis, alioſque defectus naturales dari poſſit diuortium.

SVMMARIVM.

Enumerantur aliquæ cauſa, de quibus poteſt dubitari, an tribuant ius ad diuortium. 1.
Ob nimiam ſæuitiam alterius poteſt alter diuertere, ſi timeat grauia damna. 2.
Sæuitia debet eſſe talis, vt ingerat timorem cadentem in conſtantem virum. 3.
Enumerantur caſus, qui poſſint inducere hunc grauem timorem. 4.
Suppoſita ſufficienti ſæuitia poteſt alter propria auctoritate recedere. 5.
Poteſt etiam innocens coniugi ſæuo denegare debitum, donec debita præſtetur cautio. 6.
Etiam, ſi coniux alteri præſtiterit occaſionem ſæuiendi, poteſt ab illo recedere, & nolle reconciliari, donec præſtatur cautio. 7.
In pluribus caſibus etiam ob timorem futuræ ſæuitiæ, poteſt alter recedere, & numerantur. 8.
Quando ſæuitia eſt talis, vt timeatur cautio non profutura, poteſt innocens nolle reconciliari. 9.
Cautio regularitèr loquendo debet eſſe pignoratitia, vel fideiuſſoria. 10.
Quandoque ſufficit iuratoria, & quando. 11.
Celebrato diuortio per ſententiam ob alterius ſæuitiam poteſt alter ad Religionem tranſire, ſi nulla ſit ſpes emendationis. 12.
Etiam ob alia alterius ſcelera, poteſt innocens diuertere, ſi hæc ſint illi noxia. 13.
Etiam ob defectus naturales, ſi ſint illi noxij. 14.

1 **Enumerantur aliquæ cauſæ, de quibus poteſt dubitari, an inducant ius ad diuortium.**

INter cæteras cauſas, quas aſſignant DD. diuortij inter coniuges eſt potiſſimum ſæuitia, & morbus exitialis, & contagioſus in altero coniuge, de quibus potiſſimum hic contingit dubitari, & primo in ordine ad ſæuitiam quæritur, an poſſit re vera eſſe iuſta cauſa diuortij. Secundo, an quęcunque ſæuitia ſufficiat, an vero requiratur determinata, & qualis. Tertio, an ſuppoſita ſufficienti ſæuitia in altero coniuge poſſit alter propria auctoritate diuertere. Quarto, an proptèr talem ſæuitiam poſſit alter coniux non ſolum ab habitatione diuertere, ſed etiam a debito reddendo. Quinto, quid ſentiendum, ſi alter coniux dederit cauſam talis ſæuitiæ in altero excitatæ. Sexto, an alter coniux poſſit recedere, ſi lapſus in ſæuitiam præſtet ſufficientem cautionem, & qualis debeat eſſe hæc cautio. Septimo, an, ſi ob hanc cauſam factum fuerit diuortium, poſſit alter coniux tranſire ad ſacros ordines, vel ad Religionem, & in ea profiteri.

2 **Ob nimiã ſæuitiam alterius, poteſt alter diuertere, ſi timeat grauia damna.**

Aſſertio I. Ob ſæuitiam arduam alterius coniugis, ex qua imminere rationabilitèr timetur periculũ grauis damni alteri coniugi, poteſt hic recedere ab illo, vel expellere alium, de quo timet. In hanc conſentiunt communitèr canoniſtæ ſcribentes *in c. literas in fin. de reſtit ſpoliat.* Expreſsè euincitur *ex d. c. literas de reſt. ſpol., & ex c. tranſmiſſas eod. tit., & ex c. 1. vt lite non conteſt.*

Ratione vero ſic euincitur, quia vnicuique inditum eſt à natura ſe ſubtrahere à periculis grauium damnorum, quæ præuidet veriſimilitèr ſibi imminere, ergo etiã imminente ſibi ex ſæuitia alterius coniugis periculo grauis damni poteſt alter coniux ab illo ſe ſubtrahere, vel ipſum à ſe dimittere, non etenim vinculum coniugale demit ius naturale, quod vnuſquiſque habet ad ſe tuendum, ſubtrahendi à periculis grauium damnorum ſibi imminentibus. Quæ adeo vera ſunt, vt, ſi coniux timens ſe retraxerit, non ſit reſtituendus alteri ſpoliato, antequam cognoſcatur de cauſa, quia ex tali reſtitutione irreparabile damnum poteſt alteri reſtituto obuenire.

3 **Sæuitia debet eſſe talis, vt timor poſſit cadere in conſtantẽ virum.**

Aſſertio II. Ad hoc, vt ex ſæuitia oriatur ſufficiens ius ad diuortium, non eſt neceſſe, vt ſit talis, vt ex illa immineat periculum mortis, nec ſufficit, vt ſit talis, vt ex illa quodcunque periculum etiam leuis damni inducatur, ſed talis requiritur, vt ex illa timeatur malum, quod ratione obiecti grauitèr, & ratione qualitatis perſonæ ſæuientis, poſſit cadere in conſtantem virum. Ita quoad primam partem *Sanchez de matrim. lib. 10. diſp. 18. n. 10., Henriquez lib. 11. de matrimon. c. 17. n. 7., Bartolus in l. cum ſatis nu. 7. C. de agricol., & cens. lib. 11., Baldus in l. 1. nu. 9., & ibi Iaſon. nu. 4. C. de legat., Lancellotus Inſtit. iur. canon. lib. 2. tit. de diuort. §. præſtandum tamen erit verb. committetur*, qui omnes aſſignant tamquam ſufficientem cauſam diuortij alia mala, quæ timentur, quæ ſunt inferiora periculo mortis. Quoad ſecundam idem *Sanchez loc. cit.*, & in hanc omnes conſentire arbitror. Quoad tertium *Bartolus in l. qui bona §. ſi quis in fin. ff. de damno infecto, Paguera in ſuis deciſ. crimin. c. 20. nu. 9., Iaſon. in l. 1. ſuper poſſeſſ. nu. 6. C. de tranſact., Maſcardus de probat. concl. 13. 76. n. 2.*

Non requiritur, quod attingat periculum mortis.

Prima pars ex eo euincitur, quia ius naturæ nõ tantum inclinat vnumquemque ad euitandum mortis periculum, ſed etiam quodcunque aliud graue damnum, & conſtantes viri non ſolum rationabilitèr

tèr timent vitæ excidium, ſed etiam alia grauia damna, ſiue in vita, ſiue etiam in alijs rebus exterioribus, ergo ius ad diuertendum à coniuge ſæuo non ſolum habetur, quando ex illa ſæuitia iuſtè timetur mortis periculum, ſed etiam quando timentur alia grauia damna, quæ ſufficerent etiam mouere conſtantem virum.

Secunda pars ex eo euincitur, quia, ſi ex quocunque metu orto ex ſæuitia alterius coniugis licitum eſſet alteri diuertere paſſim matrimonia carerent ſuo effectu, nam crebro diſſoluerentur quoad

Non ſufficit, ſi ſit modica, & leuis,

habitationem, & quoad thorum, cum etiam inter coniuges paccatæ conſcientiæ diſcordiæ quandoque oriantur, quod nõ eſt rationi conſonum, quandoquidem ſic diuertere res eſt grauiſſima, & contra iura matrimonij indiſſolubilis, quæ propterea non eſt inducenda ob cuiuſcunque mali timorem; vnde etiam in iure dicitur, quod leuis tanquam vani timoris nulla habenda ſit ratio, per textum *in l. metum* 1. *ff. de eo, quod metus cauſa*.

Tertia pars tandem euincitur, quod graue damnum etiam circa vitæ periculum validum eſt ad incutiendum grauem timorem etiam viro conſtanti, ergo etiam alter coniux poterit diuertere, quando ex alterius ſæuitia ſibi imminet graue damnum, quod ſecundum ſe cauſat timorem cadentem in conſtantem virum. Confirmatur, quia in alijs inimicitijs ad petendam incolumitatis cautionem requiritur, & ſufficit metus cadens in conſtantem virum per ea, quæ docet *Bartolus in d. l. qui bona §. ſi quis in fine ff. de damn. infect.*, ergo etiam inter maritum, & coniugem ad hoc, vt alter poſſit diuertere, vel exigere cautionem incolumitatis, quando ex alterius ſæuitia timetur damnum, requiretur, & ſufficiet metus cadens in conſtantem virum. Ad hoc autem, vt metus ille dicatur cadens in conſtantem virum, non ſufficit, quod ſit præciſè de damno graui ex obiecto, ſed etiam ex perſona, à qua timetur tale damnum, quatenus illa ſolita ſit exequi minas, & ex modo, quo minatur, rationabilitèr tale damnum timeatur, ſi etenim illa perſona ſolita ſit latrare, & non mordere, inanis eſt ille timor, qui concipitur, nec eſt cadens in conſtantem virum. Ad hunc metum cadentem in conſtantem virũ reducitur in particulari primo metus moleſtæ cohabitationis, quæ oritur ex crebris, & frequentibus diſcordij, & iurgijs inter coniuges ex alterius ſæuitia, prout docet *Henriquez lib.* 11. *de matrimon. c.* 17. *num.* 7. Secundo, acris, & præter domeſticam coercitionem, verberatio, prout ſentiunt *Bartolus in l. cum ſatis n. 7. C. de agric., & cenſit. lib.* 11., *Theſaurus in deciſ. pedem.* 130. *n.* 2., *Antonius c. literas num.* 20. *de reſtit. ſpoliat.*, *Ioannes Lupus c. per veſtras de donat. inter vir., & vxor. not.* 3. *in princip. nu.* 6., *Vincentius de Franchis deciſ.* 244. *in fin. part.* 2. Ratio eſt,

4 **Enumerantur caſus, qui poſſint inducere hunc timorem.**

quia talis acris, & præter domeſticam verberatio ingerit metum cadentem in conſtantem virum, nec eſt in poteſtate mariti eam infligere. Dixi *acris, & citra domeſticam*; non enim negauerim licitum eſſe marito leuem aliquam vxoris verberationem ad correctionem, prout docent *Hoſtienſis c. quemadmodum ad fin. de iure iur.*, *Abbas c. cum contingat n.* 20., *& ibi Felinus n.* 7. *de for. compet.*, *Tiraquel. lib.* 1. *connubial. gloſ.* 1. *nu.* 22., *&* 24., *Barboſa rub. ff. ſolut. matrimon.* 2. *part n.* 35., nec licere ob eandem eidem vxori à marito verberante diuertere; Excipe tamen in caſu, quo vxor eſſet excellentis qualitatis, & magnæ nobilitatis, quia tunc non liceret marito eam verberare, & iniuria creſceret ex dignitate perſonæ. Tertio eſt furor, & amentia ſuperueniens alteri coniugi, ſi hæc fuerit alteri noxia conſiderabilitèr, quia naturale eſt vnicuique obuiare ſibi conſiderabilitèr noxia. Verum tamen eſt, quod huiuſmodi damna, quæ timentur ex coniuge amente, & furente, debent eſſe ex grauioribus, nec ſufficiant, qualiacunque, cum tales qualitates ſuperuenerint coniugi ſine ſua culpa; Si tamen furor, & amentia non fuerint alteri coniugi noxia, certè alter non poteſt iuſtè ſe eximere à conſortio coniugali, ſed tenetur cohabitare, & reddere debitum; nil enim tàm humanum eſt, quàm coniuges in fortuitis caſibus ſibi adinuicem eſſe participes, per textum *in l. ſi cum dotem §. ſi maritus ff. ſolut. matrim.* Quarto inebriatio frequens mariti, ex qua grauia damna vxori imminerent, prout notat *Henriquez lib.* 11. *de matrimon. c.* 19. *num.* 7.

5 **Suppoſita ſufficienti ſæuitia alterius coniugis, poteſt alter propria auctoritate recedere.**

Aſſertio III. Suppoſita ſufficienti ſæuitia in altero coniuge poteſt coniux innocens propria auctoritate ab illo recedere *Gutierez lib.* 1. *qq. canon. c.* 24. *num.* 8., *Sanchez de matrimon. lib.* 10. *diſp.* 18. *n.* 3.

Ratio ex eo deducitur, quia natura ipſa cuicunque indita ſuadet pericula in rebus grauibus, & maximè noxijs eſſe eijcienda, nec Iudicis miniſterium exigitur, vbi ipſa ratio naturalis ius tribuit, quod præcipuè verum eſt, quando periculum eſſet in mora, ergo exiſtente illo periculo ratione ſæuitiæ ſufficientis ad diuortium in altero coniuge poterit alter propria auctoritate ab ipſo diuertere, nec tenebitur expectare Iudicis ſententiam. Verum tamen eſt, quod, ſi periculum

Digitized by Google

non eſſet in mora congruum maximè foret, ſi ad ipſum facilis eſſet aditus, quod ad ipſum confugeretur, & ipſius iudicium expectaretur.

Limitanda tamen eſt aſſertio in caſu, quo coniux ſæuiens incontinenti exhiberet cautionem idoneam, & aptam de non lædendo altero coniuge, nec ipſi graue damnum inferendo, & ratio limitationis eſt, quia tota ratio, ob quam cōceditur alteri coniugi facultas recedendi à ſæuiente eſt periculum damnorum, quę eidem ex cohabitatione, & conſortio coniugali timentur rationabilitèr poſſe obuenire, ergo ceſſante illo periculo per illam cautionem idoneam, & ſufficiētem ad illum timorem euertendum, non erit licitum recedere.

6 Poteſt etiam innocens denegare debitum, donec congrua præſtetur cautio.

Aſſertio IV. Ob ſæuitiam alterius coniugis ſufficientem ad diuortium non ſolum integrum eſt alteri coniugi recedere ab ipſo quoad habitationem, ſed etiam eidem denegare debitum, donec congrua præſtetur cautio, ratione cuius alter non ſolum poſſit tutè reddere, ſed etiam ſine periculo cohabitare. *Paludanus in 4. diſt. 39. q. vnica art. 3. num. 14.*, *Caieta repet. c. ad limina 30. q. 1. §. 4. num. 235.*, *Sanchez de matrimon. lib. 10. diſp. 18. num. 4.* aduerſus *Ouandum in 4. diſt. 35. diſp. vnica propoſ. 5.*

Ratio ex eo facilè deducitur, primo, quia, ſi quæ ratio euinceret, quod alter coniux teneretur reddere debitum, ea potiſſimum eſſet, quam aſſignat ipſe Ouandus, quia ſcilicet in tantum poteſt recedere, in quantum ipſi ſubeſt periculum damnorum, ſed quoad redditionem debiti nullum ſupponitur ſubeſſe periculum, ergo tenetur illud reddere; ſed hæc ratio non ſubſiſtit, quandoquidem, vbi ex culpa alterius impeditur ad cohabitandum poteſt iuſtè eidem impedire conſecutionem debiti, nec ob illam coniugis ſæuitiam ſuſpenditur ſolummodo ius cohabitandi, ſed quodcunque ius in ordine ad quemcumque effectum matrimonij, cæteroqui coniux delinquens, ſeu ſæuiens ex ſua ſæuitia, & delicto commodum reportaret; haberet etenim ius ad debitum coniugale, & non haberet onus cohabitationis cum altero. Secunda ex communi regula, ſecundum, quam dicitur, quod frangenti fidem, fides ſit non ſeruanda per textum *in c. peruenit 2. de iure iur.*, ſed coniux ſæuiens non ſeruat fidem præſtitam in contractu matrimoniali de ſeruanda ſociali, & amicabili vitæ conſuetudine, ſiquidem ob ſua delicta iniuſte præſtat cauſam recedendi, & quodamodo compellit ad receſſum per illam ſæuitiam, ergo eidem poteſt iuſtè

Rationes pro aſſerto, & ſolutiones obiectorum.

fides frangi quoad negationem debiti, & ſic fit quodamodo compenſatio violationis fidei cum fide violata.

Aſſertio V. Non obſtante, quod alter coniux tribuerit alteri cauſam ſæuiendi, poteſt tamen adhuc ab eodem recedere, nec velle ſæuienti reconciliari, niſi præſtiterit cautionem incolumitatis. Hoc contingeret in hypotheſi, qua vxor v.g. per adulterium à ſe ipſa commiſſum excitarit maritum ad iram, vindictam, & ſæuitiam; tunc etenim, ſi maritus remittens adulterium vellet ſibi vxorem adulteram reconciliare, poſſet hæc nolle reconciliationi quoad habitationem, & thorum acquieſcere, niſi maritus ipſe ſibi præſtiterit cautionem congruam reconciliationis. Ita expreſsè ſentiunt ex Thologis *Ludouicus Lopez 2. part. inſtructorij de matrimon. c. 54., vbi de diuort. quoad habitationem verſ. ſi autem loquamur*, *Graſſius prima part. deciſ. lib. 2. c. 84. num. 10.*, *Sanchez de matrimon. lib. 10. diſp. 18. num. 5.* Ex Iuriſtis *Abbas c. 1. vt lite non conteſt.*; *Bartolus in l. qui bona §. ſi quis iuxta num. 1. ff. de damn. infect.*, *Hippolitus l. 1. §. præterea num. 68. ff. de quæſt.* 7

7 Etiam, ſi coniux alteri tribuerit occaſionē ſæuiēdi poteſt recedere, nec velle reconciliari donec prę ſtetur cautio.

Ratio ex eo deducitur, quia non obſtante, quod quis deliquerit, ius tamen habet a natura ſe indemnem conſeruandi quantum poteſt, aduerſus quemcunque priuatum procedentem propria auctoritate *per totum tit. C. vt nemini liceat ſine Iudic. auctoritat.*; vnde licet maritus ex adulterio vxoris ius habeat diuortij aduerſus ipſum, non habet tamen ius, ſi eam velit ſibi reconciliare, ſæuiendi in ipſam, nec grauia damna inferendi, & cum vxor ipſa ſtante ſæuitia ſic excitata iuſtam habeat cauſam ſuſpicandi de huiuſmodi damnis ſibi inferendis poteſt iure naturæ ſic ipſi ſuadente nolle reconciliationi acquieſcere, donec congrua, & idonea cautio incolumitatis præſtetur. Ad hæc omnia confirmanda plurimum poſſunt conferre textus *in c. de Benedicto 32. q. 1. ex l. nec timorem ff. de eo, quod met. cauſ.*, *& ex c. veniens 2. de ſponſalib.* Nec poteſt obeſſe, quod ipſa cauſam dederit illi metui, quo premitur; Non, inquam, poteſt obeſſe, quia, quantumuis ipſa cauſam dederit, non habet tamen ius maritus illa damna propria auctoritate vxori inferendi, adeoq; vxor poteſt iuſtè velle illa ſubterfugere non obſtante, quod deliquerit.

Rationes, & iura pro aſſerto.

Hic oritur difficultas, an ſolum ex preterita ſęuitia coniugis poſſit alter coniux recedere, an vero etiam ex timore futuræ. Hoc pluribus in caſibus poteſt contingere. Primo in caſu, quo maritus concubinam domi retineret. Secundo in caſu,

Digitized by Google

caſu, quo vxor fornicata fuiſſet neſciente marito, & certo moraliter ſciret maritum ſciturum adulterium, & in ſæuitiam ob illud declinaturum, & his ſimilia. Sentio in allegatis, & ſimilibus caſibus etiam ob timorem ſæuitiæ futuræ poſſe recedere *Coaruuias 4. decret. 2. part. c. 7. §. 5. nu. 2., Barboſa rub. ff. ſolut. matrim. 2. part. num. 32., Ludouicus Lopez 2. part. inſtruct. de matrim. c. 54., vbi de diuortio quoad habitationem, & alij*. Et quidem quoad primum caſum non procedit difficultas ratione adulterij, ac concubinatus mariti, nam hoc præciſè conſiderato certum eſt ex ſupradictis integrum eſſe vxori à marito per diuortium recedere, ſed præciſa hac ratione proponitur hic ſolum ratione ſæuitiæ, quam iuſtè poteſt timere vxor tam à concubina, quam à marito intuitu eiuſdem concubinæ. Ratio ex eo deducitur, quia ex his cauſis, quamuis timor nondum ſit illatus, iuſtè tamen, & rationabilitèr poteſt expectari, cum tales cauſæ ex genere ſuo, & regularitèr ſimiles effectus ſoleant producere, ergo prouidè poterit vxor ſe ſubtrahere, donec præſtetur cautio de concubina dimittenda, vel de incolumitate ob adulterium commiſſum. Adde in primo caſu poſſe adhuc vxorem diuertere, & nolle redire, niſi præſtita cautione, quantumuis concubinam maritus teneat extra domum, quia ille concubinatus regularitèr eſt cauſa diſſidiorum inter coniuges, & moleſtiſſimæ habitationis.

8 **In pluribus caſibus etiam ob timorem futuræ ſæuitiæ poteſt alter recedere.**

Aſſertio VI. Quando ſæuitia coniugis eſt tanta, vt nulla ſecuritatis cautio ſufficiens eſſe poſſe videatur, non eſt coniux illi reſtituendus, ſed ſententia diuortij pronuncianda eſt *Abbas c. literas num. 7. de reſtit. ſpoliat., Barboſa rub. ff. ſol. matrimon. part. 2. num. 26. in fine, Sanchez de matrim. lib. 10. diſp. 18. num. 32.*

9 **Exiſtente ſæuitia atroce in altero, & cautio nõ poſſit prodeſſe poteſt alter nolle recõciliari.**

Habetur expreſsè *ex d. c. literas in fin. de reſtit. ſpoliat.*, nec incongrua ratione hoc decernitur, quia, vbi ſæuitia eſt talis, vt inferat odium capitale, cautionis fragilitati non eſt fidendum, non enim cautio maleuolum animum mutat *§. fin. inſtit. de ſuſpect. tutor.*

Ex quibus fas erit deducere, quod in aliquibus caſibus, in quibus ſufficiens intelligitur cautio ad crimen, dum alterum coniugem à periculo damnorum ex ſæuitia coniugis non detur hac præſtita ſententia diuortij, quia ceſſat periculum, ob quod permittitur receſſus, in aliquibus, vero, in quibus videtur implacabilis animus ſæuientis, cum non ſufficiat cautio ad indemnitatem innocentis, abſolutè ſit proferenda ſententia diuortij, ratione cuius ipſe innocens ſit liber à conſortio coniugali ipſius ſæuientis.

Aſſertio VII. Cautio præſtanda ab altero coniuge propter ſui ſæuitiam, vt eidem alter ſit reſtituendus, regularitèr loquendo debet eſſe pignoratitia, vel fideiuſſoria *Gloſa c. de Benedicto verb. ſub cautela 32. q. 1., Hoſtienſis in c. ex tranſmiſſa ſuper verb. recepta de reſtitutione ſpol., Lancellotus inſtit. iur. canon. lib. 2. tit. de diuort. præſtando tamen erit, Vega primo tom. ſumma in 2. edit. c. 89. caſu quarto.*

10 **Cautio regularitèr debet eſſe pignoratitia, vel fideiuſſoria.**

Ratio ex eo deducitur, quia iura ad effectum huiuſmodi reſtitutionis requirunt idoneam, & ſufficientem cautionem ſed nomine idoneæ, & ſufficientis cautionis venit dumtaxat pignoratitia, & fideiuſſoria per textum *in l. ſi mandato Titij §. fin. ff. mandati Gloſa in c. fin. verb. idoneam de pign., & c. Odoardus verb. idonea de ſolut., Baldus l. executorem 8. num. 16. C. de execut. rei iud., Angelus verbo cautio n. vnico.*

Dixi *regularitèr loquendo*, nam in nonnullis caſibus ſufficere poteſt cautio iuratoria, & primo in caſu, quo vir cæteroqui eſſet adeo timoratæ conſcientiæ, vt iuramentum magni faceret, & timeret, tunc etenim attenta qualitate eiuſdem viri ſufficienter videtur prouiſum indemnitati alterius, quandoquidem cautio eo tendit, vt coniux reſtituendus tutus moraliter videatur, poſito autem, quod iuramentum ad hoc ſufficiat, non eſt quid amplius ad hoc deſiderandum *Gloſa c. de Benedicto verb. ſub cautela 32. q. 1., D. Antoninus 3. part. tit. 1. c. 21. §. 6. in fine, Silueſter verb. matrimonium 10. q. vltima*. Secundo in caſu, quo ob paupertatem non poſſet, nec pignoratitiam, nec fideiuſſoriam præſtare; ex generali regula, quod nemo tenetur, niſi ad id, quod poteſt, quod etiam indicarunt plures textus iuris canonici, qui, quamuis requirant cautionem ſiue pignoratitiam, ſiue fideiuſſorium, ſemper tamen addunt particulam conditionalem, *ſi poteſt*, vt videre eſt *in c. literas de reſtit. ſpoliat., & reg. nemo poteſt de reg. iur. in 6.* Quod, ſi attenta qualitate perſonæ iurantis non videatur rationabilitèr eidem fidendum, tunc poterit abſolutè alter coniux diuertere.

11 **Quandoque tamẽ ſufficit iuratoria, & quando.**

Aſſertio VIII. Si ob alterius coniugis ſæuitiam celebratum fuerit diuortium etiam per ſententiam Iudicis, & fuerit ſpes, quod ſæuiens ad priſtinum ingenium ſit redditurus non poteſt alter ad profeſſionem tranſire, nec ſacros ordines ſuſcipere, ſi vero nulla fuerit ſpes correctionis, & ideo interceſſerit abſoluta ſententia diuortij perpetui, vtique innocens tranſire poteſt ad Religionem, vel ſacros ordines ſuſcipere *Barboſa rub. ff. ſolut. matrim.*

12 **Celebrato diuortio per ſẽtentiam ob ſæuitiam alterius innocens non poteſt trãſire ad Religionẽ, ſi ſit ſpes emẽdationis.**

Digitized by Google

trimon. 2. part. num. 25., Sanchez de matrimon. lib. 10. diſp. 18. num. 49., Nauarrus lib. 4. conſil. in vtraque edit. tit. de diuort. conſ. 5., Henriquez lib. 12. de matrimon. c. 5. num. 10. in fin.

Ratio primæ partis ex eo deducitur, quia, cum illud diuortium non ſit perpetuum, non eſt ius coniugale abſolutè extinctum, ſed eius executio ad tempus ſuſpenſa, ergo non poterit alter coniux ad Religionem tranſire, nec ſacros ordines ſuſcipere obſtante iure coniugali non extincto etiam quoad vſum, ſed tantum ad tempus ſuſpenſum, cum per ſuſpenſionem præciſè alter non amiſerit ius in perpetuum, ſed dumtaxat ad tempus.

Ratio ſecundæ partis ex eo deducitur, quia lata ſententia diuortij abſoluta ob defectum ſpei futuræ emendationis diuortium intelligitur abſolutum, & perpetuum, ergo per illam intelligitur abſolutè extinctum ius quoad habitationem, & quoad vſum, ergo coniux innocens poterit abſolutè ad Religionem tranſire, vel ſacros ordines ſuſcipere. Conſequentia probatur, quia tota ratio, ob quam tranſire non poſſet ad Religionem, vel ſacros ordines ſuſcipere, eſt propter ius, quod habet alter ad vſum matrimonialem, & ad habitationem, ſed hoc ius abſolutè ceſſat, quando lata eſt abſoluta ſententia diuortij, nec vlla ſupereſt ſpes futuræ emendationis, ergo &c.

13 Etiam ob alia ſcelera poteſt innocens diuertere, ſi hæc ſint illi noxia.

Aſſertio IX. Non ſolum ob ſæuitiam coniugis, ſed etiam ob alia ſcelera, quibus implicitus eſt, poteſt alter ab ipſo recedere, ſi talia ſcelera ſint eius naturæ, & conditionis, vt cedere poſſint in damnum innocentis *Paludanus in 4. diſt. 32. q. 1. art. 2. num. 7., D. Antoninus 3. part. tit. 1. c. 20 § 10. caſ. 1., Barboſa rub. ff. ſolut. matrim. 2. part. num. 29., Nauarrus c. 28. addit. ad num. 21.*

Ratio ex eo deducitur, quia non eſt maior ratio, cur poſſit recedere ob timorem damnorum ſibi imminentium ex ſæuitia alterius coniugis, & non poſſit recedere ob ſimilia damna ſibi imminentia ex alijs grauibus, & exitioſis eiuſdem coniugis ſceleribus; tota etenim ratio, cur ex ſæuitia poſſit recedere, eſt periculum illorum damnorum, ergo imminente tali periculo ex alijs ſceleribus non erit, cur &c. Hoc contingeret, quando maritus v.g. ita eſſet furtis, & latrocinijs deditus, vt ipſa etiam reputaretur particeps, & tanquam receptatrix furtorum eſſet punienda iuxta notata *in l. 2. C. de furtis.*

Aſſertio X. Non ſolum ob defectus morales coniugis alteri noxios, & pernicioſos, ſed etiam propter defectus naturales puta morbos, ſi fuerint contagioſi, & alteri noxij poteſt hic ab ipſo infecto recedere ſaltem quoad thorum, & immunis fieri quoad redditionem debiti. Hoc contingeret, ſi alter ex coniugibus eſſet lepra infectus, vel alia infirmitate graui, & exitiali puta morbo gallico *Durandus in 4. diſt. 32. q. 1. num. 8., D. Antoninus 3. part. tit. 1. c. 20. §. 10. ad fin. in 4. caſu, Caietanus in ſumma verb. matrimonium c. vlt. de peccatis in vſu matrimonij verſ. primus eſt, Henriquez lib. 11. de matrim. c. 15. num. 7., Turrecremata c. ſciatis 33. q. 4. art. 1. nu. 2. caſu tertio, Caieta repet. c. ad limina 30. q. 1. §. 4. num. 175.* 14

14 Etiam ob defectus naturales, ſi iſti ſint illi noxij.

Præcipuè quoad thorum.

Rationes pro aſſerto.

Ratio ex eo deducitur, quia prius coniuges debent ſibi conſulere, quam prolis generationi ſic ſuadente ipſa natura, quæ prius ſubuenit proprij indiuidui incolumitati, quam alterius generationi, ergo, vbi haberi non poteſt prolis generatio ſine incolumitate indiuidui, poteſt hoc à concubitu deſiſtere, per quem fiat generatio, vt ipſum incolume euadat, ergo altero coniuge infecto exiſtente morbo contagioſo poterit hic nolle cum ipſo congredi, ſed abſtinere ab actu, ſeu debito coniugali. Neque obeſſe poteſt textus *in c. 2. de coniug. leproſ.*, vbi ſic legitur. *Quod, ſi virum, ſiue vxorem leproſum fieri contigerit, & infirmus à ſano carnale debitum exigat, generali præcepto Apoſtoli, quod exigitur, eſt ſoluendum, cui præcepto nulla in hoc caſu exceptio inuenitur;* Non, inquam obeſſe poteſt, quia textus ille procedit ſolummodo, quando ex medicorum iudicio ea redditio non cederet in graue reddentis nocumentum, quod certè verum exiſtimo.

Nonnulli inferuntur caſus ex prædictis.

Ex hac illius textus explicatione nonnulli inferunt primo, quod, cum ex vno, vel altero concubitu cum leproſo non immineat periculum infectionis, teneatur ſanus ſemel, vel per bis infecto petenti reddere, quod verum exiſtimo, ſi verum eſt, quod in illo vno, vel altero concubitu non immineat illud periculum, prout etiam docet *Palacios in 4. diſt. 32. diſp. 1. fol. 705.* Secundo, quod, ſi periculum, quod imminet ſano ex concubitu cum infecto, ſit leue, non eximatur ipſe ſanus ab onere reddendi, quia debitum iuſtitiæ ad reddendum præponderat illi leui damno, quod timetur *Alexander de Neuo c. 2. n. 6. de coniug. leproſ., Riccardus in 4. diſt. 32. art. 1. q. 1. in fin. corporis, Aſtenſis in ſumma 2. part. lib. 8. tit. 10. art. 1. q. 1.*, quod etiam non improbabile exiſtimo. Tertio, quod eximatur quidem maritus ſanus ab onere congrediendi cum vxore leproſa, non vero vxor ſana ab onere congrediendi cum marito lepro-

Digitized by Google

leproſo, quia in congreſſu mariti ſani cum vxore leproſa, certum eſt periculum infectionis, non ſic in congreſſu vxoris ſanæ cum viro leproſo. Rationem diuerſitatis deducunt aliqui ex doctrina medicorum, qua aſſerunt, quod cum membrum virile ſit calidæ, & poroſæ complexionis facilius ex leproſæ fæminæ matrice morbum attrahit; matrix vero fæminæ, vtpotè ſicca, & frigida non ità atrahat à membro virili infectionem, quod, an verum ſit, alij iudicent.

Nõ tamen eximitur ab onere cohabitãdi. Ex dictis inferre licet, quod, quantumuis ob periculum infectionis eximatur coniux ſanus ab onere reddendi debitum coniugi leproſo, non eximatur tamen ab onere cohabitandi cum illo, quia intantum eſt ius recedendi, in quantum eſt periculum infectionis; ex ſola autem cohabitatione non poteſt tale periculum adeſſe, adeoq; &c., ſed de his infra vberius.

DISQVISITIONES I.

A prima ad decimam Prænotionem excluſiuè.

§. I.

An coniux teneatur habitare cum altero coniuge nominatim excommunicato.

SVMMARIVM.

Refertur caſus in ſuis terminis. 1.
Coniux non excommunicatus, poteſt cum excommunicato cohabitare, & debitum petere. 2.
Etiam excommunicatus nominatim denuntiatus poteſt debitum petere à non excommunicato. 3.
Maritus non excommunicatus poteſt communicare in omnibus cum vxore excommunicata, in quibus iſta non excommunicata poteſt cum viro excommunicato. 4.
Si vterque fuerit excommunicatus, vterque poteſt communicare in habitatione, & debito. 5.

1 Exponitur factũ in ſuis terminis. DIſquiſitio I. Contracto matrimonio inter Titium, & Caiam, eoque conſummato, vel ſolus Titius ob graue delictum excommunicatus eſt, & nominatim denuntiatus, vel vterque ſimul ob delictum commune, ſeu delicta diuerſi generis. Hic orta eſt controuerſia, an, ſi alter tantum fuerit excommunicatus poſſit alter, & teneatur cum ipſo cohabitare, & ab eodem exigere debitum, & petenti reddere, & an, ſi vterque fuerit excommunicatus, vel ex eadem, vel ex diuerſa cauſa teneantur cohabitare, ſibique adinuicem reddere debitum coniugale?

In hypotheſi, qua alter tantum eſſet excommunicatus, certum eſt, quod non excommunicatus poteſt cum illo cohabitare, & exigere debitum coniugale, quod excommunicatus eidem tenetur reddere *Sanchez lib. 9. de matrimon. diſp. 14. n. 4., & 14., & ſeqq., Auguſtinus Barboſa collect. ad c. inter alia n. 3. de ſententia excommun., Diana part. 5. tract. 9. reſol. 122., & 123., Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrim. c. 1. n. 278.*, & quidem iure merito hoc ſtatuitur, quia æquum omnino eſt, vt innocens ex alterius delicto non priuetur iure ſibi à iure naturæ, & diuino competente *arg. c. 2. de conſtit., & c. 2. de his, quæ fiunt à maior. part. capit.* Difficultas igitur ſolummodo eſt, an, ſi maritus v. g. fuerit excommunicatus, & denuntiatus teneatur habitare, & poſſit ab innocente exigere debitum, adeo vt iſte teneatur reddere, & quod ſentiendum ſit in ordine ad onus mutuæ redditionis, quando vterq; eſt nominatim excommunicatus, & denuntiatus. 2 Coniux non excõmunicatus, poteſt cohabitare cũ excommunicato, & ab illo debitũ exigere.

Reſpondeo primo, ſi vnus tantum fuerit excommunicatus nominatim denuntiatus, tenetur cohabitare, & ita poteſt debitum exigere ab altero non excommunicato, vt iſte teneatur reddere *Abbas in d. c. inter alia de ſent. excommun. num. 3., & ſeqq., Ioannes Andreas ad Speculat. tit. de donat. inter vir., & vxor. §. fin. verſ. quid, ſi vir, Baldus in l. penult. C. de leg. Iul. de plagiar.* Ex Theologis *Marius Alterius de cenſur. tom. 1. lib. 1. diſp. 15. c. 2., Suarez de cenſur. diſp. 15. ſect. 4. n. 10., Coninchus diſp. 34. n. 23., Gordonus in ſumma tom. 2. lib. 7. q. 10. n. 68., & ſeqq.* Ratio huius reſponſionis ex eo deducitur, quia per excommunicationem non interdicitur inter coniuges communicatio quoad actus, & obſequia coniugalia, per textum *in c. quoniam multos 11. q. 3., & c. inter alia de ſent. excommun.*, ergo non eſt, cur excommunicatus non poſſit petere, & exigere debitum ab altero coniuge non excommunicato; Neque obeſſe poteſt, ſi aſſeratur per allegata iura, non interdici quidem communicationem coniugis innocentis cum excommunicato ad exigenda iura ſibi iure diuino, & naturali debita; interdici tamen, ne coniux excommunicatus exerceat voluntariè ea, quæ ex ſe inferunt communicationem, cum teneatur 3 Etiam excõmunicatus denuntiatus, poteſt ab altero debitũ petere. Rationes pro reſpõſione.

Digitized by Google

quidem ſeruare indemnia iura aliorum, non autem durante excommunicatione poſſit vti voluntariè iure proprio. Non, inquam, obeſſe poteſt, quia ſicuti in alijs v.g. ſeruo, & vxori licitum eſt obedire marito, & domino excommunicato imperanti, ita non video, cur non licitum ſit vxori obedire marito imperanti redditionem debiti, ſi in hoc non ſolum licitum eſt vxori obedire, ſed etiam eſt neceſſe, quod obediat, ita non video, cur non poſſit maritus efficacitèr, & cum effectu imperare? Quod, ſi vrgeas, quod *in dict. c. quoniam multos 11. q. 3., & per extrauag. Martini incipient. ad euitanda*, nihil concedatur excommunicatis denuntiatis, & per *cap. decernimus de ſent. excommunic. in 6.*, nulla concedatur actio ad petendum debitum generalitèr loquendo, adeoque &c.; Statim impugnaberis, quia *in d. c. quoniam multos de ſent. excom.* in neceſſarijs conceditur excommunicatis etiam communicatio actiua; in d. vero *extrauaganti ad euitanda*, quamuis appareat intentionem eſſe Pontificis in nihilo releuare excommunicatos, hoc procedit tantum in terminis, de quibus ibi agebatur, ſecundum quos non erat tantum periculum, ſicuti eſt inter coniuges, adeoque &c. Demum *in c. decernimus de ſent. excom. in 6.*, dicitur tantum, quod non concedatur actio forenſis, & ad poſtulandum in iudicio, non autem actio priuata petendi, quæ obligat alium in conſcientia ad reddendum debitum, qualis eſt petitio coniugalis.

Solutiones nonnullorum obiectionū

Hic ſolum oritur difficultas, an ea, quę dicta ſunt in præcedenti reſponſione, æquè intelligenda ſint, quando vir eſt excommunicatus in ordine ad vxorem innocentem, ac quando vxor eſt excommunicata viro non excommunicato. Hanc difficultatem excitaui proptèr nonnullos volentes, quod quamuis vxor poſſit communicare in omnibus non vetitis cum marito excommunicato, vir tamen non poſſit communicare cum vxore excommunicata, niſi in debito coniugali, atq; ita docent *Ioannes Monachus in c. ſtatuimus nu. 2. verſ. contra dic. de ſent. excom., Hoſtienſis in ſumma tit. de ſent. exmunic. §. quæ ſit pæna participantium nu. 15, verſ. lex excuſat., D. Antoninus 3. part. tit. 25. c. 1. §. vers. 2. excuſat*, quorum ratio ea eſt, quia vir eſt caput, cui propterea incumbit onus vxorem corrigendi, vt ab excommunicatione recedat, & ſi non recedat, debet à communicatione abſtinere, Item propter alios aſſerentes virum poſſe quidem communicare cum vxore excõmunicata in debito coniugali, & in obſequijs debitis viro in domus adminiſtratione, ſecus in menſa, & colloquijs familiaribus, & ſimilibus; atq; iſti ſunt *Silueſter verbo excommunicatio V. n. 4 vers. 2. excuſat*, *Driado l. 2. de libertat. Chriſtiana c. 8. §. demum ad plenius intelligendum*. Sed quidquid ſit de ijs, iam omnes nobiſcum conueniunt, quod poſſit communicare maritus cum vxore excommunicata in debito, & obſequijs coniugalibus, quod eſt id, quod in præſenti intendimus. Cæterum, ſi velimus etiam, quoad alia omnia ſermocinari, ſentiendum eſſe poſſe maritum cum vxore excommunicata communicare in omnibus, in quibus vxor ipſa poteſt communicare cum viro excommunicato, prout docent *Paludanus in 4. diſt. 18. q. 6. art. 2. n. 3., Adrianus 4. q. 3. de clauibus except. 6. dub. 2., Felicianus in Enchirid. de cenſuris tract. de excommun. c. 38. verb. lex, Ludouicus Lopez 2. part. inſtruct. de excommun. c. 16. §. præterea, Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrim. c. 1. nu. 282.*, & ratio ex eo deduci poteſt primo, quia maritus excommunicatus communicare poteſt cum vxore non excommunicata, ergo à fortiori in ijs omnibus, in quibus excommunicatus poteſt communicare cum illa, poterit, ſi non eſt excommunicatus, communicare cum illa excommunicata, cæteroqui eſſet deterioris conditionis, quando non eſt excommunicatus, ac quando eſt excommunicatus. Secundo, quia maritus, & vxor ſibi ſunt correlatiui; diſpoſitum autem quoad vnum ex relatiuis cenſetur diſpoſitum quoad correlatiuum *l. fin. C. de indict. viduit.* Neque obeſſe poſſunt ea, quæ ex aduerſo dicebantur de ſuperioritate mariti, quod iſte ſcilicet tanquam caput debet corrigere vxorem, vt recedat ab excommunicatione, quod, ſi non receſſerit, debeat abſtinere ab illius conſortio; Non, inquam, obeſſe poteſt, quia licet ad maritum pertineat vxorem corrigere, non tamen, ſi non corrigat, vel illa non reſcipiſcat, priuatur communicatione cum eadem vxore, quia de hac priuatione nullibi conſtat.

In quibuſnam maritus excommunicatus, poteſt communicare cum vxore excommunicata.

4

Poteſt cõmunicare in omnibus, in quibus poteſt vxor non excommunicata cõmunicare cum ipſo excommunicato.

Reſpondeo ſecundo, ſi vterque coniux, vel ex eadem, vel ex diuerſa cauſa fuerit excommunicatus nominatim denuntiatus, vterque tenetur ad inuicem habitare, & ad inuicem ſibi reddere debitum, nec vllus priuatur iure petendi *Vgolinus de excommunic. tab. 2. c. 23. §. 6. n. 1., Sanchez de matrimon. lib. 9. diſp. 14. nu. 3., & 22., Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrimon. c. 1. nu. 279., Auila de cenſuris part. 2. c. 6. diſp. 11. dub. 5., Filliutius tom. 1. part. 1. tract. 10. c. 9. nu. 325.*, Ratio deducitur ex ſuperius dictis, quia quando vnus ex coniugibus eſt excommunicatus

5

Si vterque fuerit excommunicatus, vterque poteſt communicare in habitatione, & debito.

poteſt

Digitized by Google

poteſt exigere licitè debitum, & alteri petenti tenetur reddere, ergo etiam, ſi vterque fuerit excommunicatus, vterque tenebitur cohabitare, & alteri petenti reddere, nec vllus priuabitur iure petendi, & ratio inde deducitur, quia excommunicatis quantumuis denuntiatis licita eſt communicatio quoad omnia obſequia coniugalia, per d. textum *in c. quoniam multos* 11. *q.* 3., *Coaruuias in c. alma mater part.* 1. §. 1. *ſub n.* 8., *Hector Filliutius de ſocietate c.* 8.

---

§. II.

An Eccleſia ex cauſa per ſpecialem diſpoſitionem poſſit priuare coniuges excommunicatos communicatione quoad obſequia coniugalia.

SVMMARIVM.

Exponitur in quo conſiſtat difficultas. 1.
Sententia aſſerens poſſe Eccleſiam interdicere illam communicationem. 2.
Sententia negans poſſe Eccleſiam illum vſum interdicere. 3.
Sententia media aſſerens non poſſe quoad debitum, poſſe autem quoad alia. 4.
Si maritus tantum fuerit excommunicatus, non poteſt Eccleſia innocenti interdicere debitum. 5.
Etiam ſi vterque fuerit delinquens, & excommunicatus. 6.
Poteſt Eccleſia condere legem, vt coniuges contrahentes excommunicationem priuentur iure debiti. 7.
Poteſt Eccleſia coniuges excommunicatos priuare communicatione quoad alia, quæ non habent ita ſtrictam connexionem cum vſu coniugij. 8.

1 *Factum elucidatũ in particulari.* DIſquiſitio II. In enorme delictum, vel vterque coniux, vel alter eorum incidit, in quo diu perſeuerarunt cum offendiculo proximi propter ſcandalum. Lata eſt, vel contra vtrumque, ſi fortè deliquerit vterque, vel contra alterum, ſi ipſe ſolus deliquit, ſententia excommunicationis, & cum pertinacitèr in eadem perſeuerarent, Eccleſia, vel vtrique, ſi vterque fuerit delinquẽs, vel innocenti, ſi alter tantum fuerit delinquens, communicationem interdicit etiam quoad obſequia coniugalia. Quæſitum hic fuit, an Eccleſia potuerit licitè, & iuſtè talem communicationem interdicere.

Suarez *de cenſuris diſp.* 15. *ſect.* 4. *nu.* 10., *&* 15., *Riccius de iure perſonarum extra grem. Eccleſiæ exiſtent. lib.* 4. *c.* 48. *nu.* 5., *& ſeqq.*, *Filliucius tom.* 1. *part.* 1. *tract.* 10. *c.* 9. *num.* 325., *& tract.* 13. *c.* 6. *num.* 102. ſuſtinent vtique potuiſſe Eccleſiam ex illa cauſa, vel vtrique, vel innocẽti ſua poteſtate, & ſua ſpeciali diſpoſitione interdicere illam communicationem, quod probant primo poſitiuè, deinde negatiuè ſoluendo argumenta contraria. 2 *Sententia aſſerens poſſe Eccleſiã interdicere illam cõmunicationem.* Primo poſitiuè, quia poteſt Eccleſia Principes, & Reges ob grauia delicta priuare iure Regni, & principatus, & abſoluere ſubditos ab obligatione eiſdem præſtandi debita obſequia, quantumuis hæc illis debeantur ex vi iuramenti præſtiti, & ex iure Diuino præcipiente regibus, & Principibus obedientiam, obſequium, & ſeruitutem, ergo etiam potuit ob enorme delictum, & pertinaciam in eodem, vel vtriuſque coniugis, vel alterius eoſdem, vel eundem à communione, & conſortio alterius, vel vtriuſque adinuicem priuando vtrumque iure petendi huiuſmodi obſequia, & eximendo vtrumque ab onere illa reddendi. *Rationes poſitiuæ pro hac ſententia.* Secundo negatiuè ſoluendo argumenta, quibus *Tancredus, & Hugo in d. c. inter alia de ſent. excommunic.* innituntur probare talem communicationem, vtpotè debitam iure naturæ non poſſe tolli per Eccleſiam; ex eo etenim, quod *in d. c. inter alia* dicatur excommunicationem mariti non priuare illum iure exigendi debitum, illudque ius durare poſt excommunicationem, ſicut prius, inferunt diſpoſitionem illius iuris *in d. c. inter alia*, vt vxor teneatur marito excommunicato adhuc obſequia præſtare, non eſſe ex benignitate iuris poſitiui, ſed ex iure diuino, & naturali, quod idem dicunt quoad *cap. quoniam multos* 11. *q.* 3. *Rationes negatiuæ pro eadẽ.* Soluunt, inquam, per ponderationem textuum allegatorum inferentes potius ex illis deduci poteſtatem, quam habet coniux communicandi cum altero excommunicato, eſſe ex benignitate Eccleſiæ, quandoquidem *in d. c. inter alia* dicitur, *cum adhuc debitum duret beneficio canonis id agente à priori non ſunt obnoxietate ſoluta*, vbi nota illam particulam *beneficio canonis id agente*, quæ connotat ex beneficio legis Eccleſiaſticæ hoc permiſſum, ex quo arguitur potuiſſe Eccleſiam aliter determinare; in dicto vero *cap. quoniam multos* dicitur *Apoſtolica itaque auctoritate ab anathematis vinculo hos ſubtrahimus, videlicet vxores, filios, ſeruos &c.* ex quibus deducitur, quod, ſi Pontifex non ſubtraheret, non poſſent adinuicem communicare.

Paludanus vero *in* 4. *diſt.* 18. *q.* 6. *art.* 2. *verſ. lex*, *Sairus de cenſur. lib.* 2. *c.* 14. *nu.* 4., *& ſeqq.*, *Tancredus, & Hugo in d. c. inter*

alia de ſent. excom. ſuſtinent non potuiſse Eccleſiam validè illam communicationem quoad obſequia coniugalia coniugibus interdicere, ea potiſſimum moti ratione, quia talis communicatio quoad obſequia coniugalia inter coniuges eſt iuris diuini, & naturalis, quæ propterea non cadit ſub poteſtate Eccleſiæ, & ad hoc confirmandum adducunt rationes, quas nos in relatione præcedentis opinionis adduximus *ex Tancredo, & Hugone.*

3 **Sententia negans poſſe Eccleſiã talem vſum interdicere.**

4 **Sententia aſſerens non poſſe quoad debitũ, poſſe bene quoad alia.**

Sanchez *d. lib. 9. de matrimon. diſp. 14. num. 7.*, quoad communicationem quoad debitum coniugale conſentit cum opinione Paludani aſserens non poſse ab Eccleſia interdici, quoad alia vero obſequia conſentire videtur cum prima opinione, quod ſcilicet poſſit interdici. Ioannes Angelus Boſſius *vero d. tract. de effect. matrimon. c. 1. n. 281.* arbitratur non expedire, vt Eccleſia huiuſmodi communicationem interdicat; preſſius tamen, & ſtrictius loquendo probabilius ſentit ſaltem reſpectu coniugis innocentis non poſse Eccleſiam talem communicationem interdicere. Quid iam in hac opinionum varietate concludendum?

5 **Si maritus tantũ fuerit excommunicatus, probabilius eſt, quod Eccleſia non poſſit innocenti prohibere communicationem quoad debitum.**

Reſpondeo primo probabilius eſse, ſi maritus tantum deliquerit, & fuerit excommunicatus non potuiſse iuſtè Eccleſiam interdicere vxori innocenti communicationem quoad vſum coniugalem cum eodem marito excommunicato. In hanc conſentiunt DD. ſecundæ opinionis, & vlterius *Sanchez, & Boſſius locis cit.* Non ſolum militat pro hac reſponſione ratio ſuperius adducta, quod ſcilicet onus reddendi debitum, & ius illud exigendi quoad coniuges ſint iuris diuini, & naturalis; quæ autem ſunt iuris diuini, & naturalis, Eccleſia nequit demere; ſed etiam, quia contra quodcunque ius non ſolum poſitiuum, ſed etiam naturale eſt, vt innocens ſine ſua culpa priuetur iure, quod eidem competit ex natura contractus, quo ſe obligauit, nec ex peccato alterius æquum eſt, vt grauia damna contrahat; Neque dicas, iniquum quidem fore, quod innocens priuaretur per ſe, & directè iure, quod eidem competit ex natura contractus, ſecus autem indirectè, & quodamodo in conſequentia per connexionem, quam habet cum altero delinquente, quia tunc illa pæna afficit immediatè, & principalitèr delinquentem, quod iuſtum eſt, quod, ſi poſtea hæc redundet quodammodo etiam in damnum, & priuationem innocentis, hoc eſt per accidens, & ex conditione perſonæ connexę, quod iura non conſiderant, vt videre eſt etiam, quando alter coniux

Nonnullæ inſtantiæ proponũtur, & diſſoluũtur.

ex aliquo delicto enormi punitur pæna capitis, vel exilij, quæ pæna principaliter afficit ipſum delinquentem, ex qua tamen conſurgit damnum etiam ex conditione perſonæ in alterum coniugem innocentem, cum indirectè ex illa pæna mariti priuetur iuribus ſibi ex matrimonio competentibus; contra enim impugnaberis, quia, quantumuis nonniſi indirectè coniux innocens hac pæna afficeretur, denegari tamen non poteſt, quin in ipſius damnum redundet, cum auferat ius, quod habet ad exigendum debitum, nec paritas adducta de pæna capitis, vel exilij illata alteri coniugi delinquenti aliquid euincit, quandoquidem in eo caſu, cum expediat bono communi, quod delinquens mulctetur morte, vel exilio non eſt attendendum bonum priuatum alterius coniugis innocentis, cum commune præualere debeat priuato, in caſu autem, de quo hic loquimur, cum pæna illa attingat immediatè, & directè priuationem illius communicationis quoad vſũ coniugalem, quæ certè eſt pæna priuata quoad coniuges, & cedat ſolummodo in damnum delinquentis ſine ordine immediato ad bonum commune, non debet hæc præualere aduerſus ius, quod competit alteri coniugi innocenti ex natura contractus, & ex iure diuino.

Reſpondeo ſecundo. Si vterque coniux enormitèr deliquerit, & vterque ſit excommunicatione puniendus non potuit probabilius Eccleſia, vtrumque priuare iure communicationis quoad vſum coniugalem *Paludanus, Sairus, Sanchez, & Boſſius loc. cit. Gloſa in d. c. inter alia de ſent. excommun.* Ratio ex eo deducitur, quia vſus coniugalis, ſeu communicatio quoad eundem eſt ex iuſtitia neceſſaria iure naturali per textum *in §. iuris præcepta inſtit. de iuſt., & iur.*, nec ex ſola benignitate Eccleſiæ permiſſa eſt inter coniuges excommunicatos, ſed ex præcepto diuino, & naturali inducta, vt probant *Tancredus, & Hugo in d. c. inter alia*; Neq; obſtant ponderationes *Suarez, & Ricciulli* ſuper illa verba *d. c. inter alia*, nempè *beneficio canonis id agente*, & ſuper illa *c. quoniam multos* Ibi *Apoſtolica itaque auctoritate ab anathematis vinculo hos ſubtrahimus*, ex quibus inferunt, quod non de iure naturæ, & diuino debita ſit illa communicatio, ſed permiſſa ex benignitate Eccleſiaſtica; Non, inquam, obſtant, quia in primis *c. inter alias* refertur *ad can. quoniam multos*, quem explicat; deinde quoad textum ipſum in *c. inter alia* Gloſa ibidem in verbo *agente* aſſerit per illa verba *beneficio canonis id agente* in aliquibus importari ſolummodo declarationem iuris naturalis,

6 **Etiam ſi vterque fuerit delinquens, & excõmunicatus.**

Eſt actus iuſtitiæ commutatiuæ, & debitus ex natura cõtractus.

Digitized by Google

ralis, puta in vxore, & filijs non emancipatis, in alijs vero nouum condere ius, vt in ruſticis, & mercenarijs; ex quibus euincitur communicationem inter coniuges excommunicatos eſſe de iure naturæ, & diuino.

Neque obeſſe poteſt, primo, ſi afferatur, quod, ſi eſſet de iure naturali inter coniuges communicatio quoad vſum coniugalem, nec poſſet ab Eccleſia impediri, non potuiſſet Eccleſia ex affinitate ſuperueniente matrimonio iam contracto inducere impedimentum, quo contrahens talem affinitatem per cognitionem carnalem conſanguinei alterius coniugis non poſſet ab altero coniuge petere debitum, vel ſi potuit non obſtante, quod talis communicatio ſit de iure naturæ inducere tale impedimentum petitionis, vtique inferatur, quod etiam quoad ea, quæ iuris naturæ ſunt, & diuini, ſeu ſunt debita ex iure naturę, & diuino poſſit Eccleſia inducere impedimenta quoad executionem, ergo etiam poteſt inducere impedimentum communicationis inter coniugatos excommunicatos ab enorme delictum etiam quoad vſum coniugalem, vel quia talis communicatio ſit tantum de iure poſitiuo Eccleſiaſtico, vel quia Eccleſia quoad hoc poſſit impedire etiam in iuribus naturalibus, & diuinis; Non, inquam, obeſſe poteſt, quia diſpar omnino eſt ratio quoad impedimentum petitionis ex affinitate conſurgente poſt contractum, & conſummatum matrimonium, ac quoad impedimentum ex excommunicatione, & poſitiua priuatione Eccleſiæ in ordine ad communicationem quoad vſum coniugalem. Ratio diſparitatis in eo conſiſtit, quod qui contrahit affinitatem per cognitionem carnalem conſanguinei proprij coniugis ex propriæ voluntatis arbitrio quodamodo conſentit in illam pęnam, ſeu in illam priuationem iuris petendi debitum à proprio coniuge, cum indubitati, & noti iuris ſit ſic cognoſcentes conſanguineos, vel conſanguineas mariti, vel vxoris contrahere hanc pænam à iure impoſitam, qui verò incidit in excommunicationem ob delictum perpatratum non conſentit in illam pænam priuationis iuris petendi, adeoque non eſt, cur inuitus illam debeat ſubire; cum coniuges quidem ex conſenſu poſſint ſe priuare iure petendi, & reddendi debitum; non autem poſſint ab extrinſeco cogi, nempe à iure poſitiuo Eccleſiaſtico.

Inſtantia propoſita, & diſſoluta.

Neque obeſſe poteſt ſecundo, ſi afferatur, quod Eccleſia ob graue aliquod, & enorme delictum poſſit aliquem priuare iure contrahendi matrimonium non obſtante, quod vnicuiq; à natura inditum ſit poſse illud contrahere; ſic de facto aſſerit *Alexander de Neuo c. tuas num. 17. de ſponſ. duorum* Vrbanum V. inhabiles reddidiſſe Barnabouem Vicecomitem Dominum Mediolani, & eius liberos ad contrahendum matrimonium ob crimen perduellionis aduerſus Romanam Eccleſiam, ergo etiam poterit poſt contractum matrimonium coniuges reddere inhabiles ob aliquod graue delictum, & excommunicationem ad communicationem quoad vſum coniugalem; Non, inquam, obeſse poteſt, quia, quantumuis cuicunque naturale ſit poſse contrahere matrimonium, hoc tamen intelligendum eſt, niſi iura, vel prohibitio aliqua pænalis obſiſtat, ſicuti etiam naturale eſt cuicunque poſse contrahere quoad alia humana commertia, quod tamen per iura aliqua poſitiua aliquibus prohibetur; nec obeſſe poteſt, quod iura illa poſitiua, ſeu prohibitio poſitiua pęnalis nequeant derogare iuri naturali tanquam ſuperiori; Non, inquam, obeſſe poteſt, quia illud ius naturale non eſt coactiuum, ſed facultatiuum, quod propterea exiſtente cauſa poteſt reſtringi; vndè non benè infertur conſequentia, in qua onus reddendi poſt contractum, & conſummatum matrimonium non eſt facultatiuum, ſed obligatorium ex iure diuino, & naturæ, & quidem ſtrictum, quod propterea per præceptum Eccleſiæ non videtur poſſe tolli.

Alia inſtantia propoſita, & diſſoluta.

Ad rationem, quæ ex aduerſo afferebatur pro prima opinione de Principe, & Rege, a quorum obſequijs, & vaſſalagio poteſt Eccleſia abſoluere ſubditos ob enorme reorum delictum, dicendum eſt non currere paritatem, quandoquidem non tenentur populi ad obſequia Regum, & Principum, niſi radicalitèr ex contractu, quamuis poſtea ad firmandum contractum acceſſerit iuramentum fidelitatis, quod Eccleſia poteſt irritare ſubtrahendo materiam eiuſdem iuramenti; maritus vero, & vxor tenentur adinuicem non ſolum ex contractu, ſed etiam ex vi ſacramenti tribuentis contractui indiſſolubilitatem indiſpenſabilem à poteſtate humana, iuxta illud Chriſti Domini. *Quos Deus coniunxit homo non ſeparet*; & poſita illa indiſſolubilitate onus conſurgit mutuum ex natura contractus ad reddendum debitum. Non negauerim tamen, quod, ſi ex illa communicatione magis coniuges firmarentur in peruicacia, & in delictis, & excommunicatione ſordeſcerent cum ſcandalo, & contra bonum commune poſſet Eccleſia ad tempus ſeparare, & fortè vnum in

Soluuntur rationes contrariæ ſententiæ.

vno,

vno, alterum in altero loco ablegare, & hoc in remedium ſanandæ peruicaciæ, & ſordeſcentiæ, & vt tandem reſipiſcant a malis.

Hic oritur difficultas, an ſaltem poſſit Eccleſia nouam condere legem, qua ſtatuatur, vt ſi coniuges in aliquo graui peccatorum genere deliquerint, contrahant excommunicationem ipſo iure, & priuati intelligantur iure communica-

7 Poteſt tamen Eccleſia condere legē, ratione cuius contrahentes excommunicationē priuentur iure debiti.

tionis adinuicem. Vtique arbitror, hoc poſſe præſtare, ſicuti præſtitit in affinitate ſuperueniente matrimonio iam contracto, & conſummato, & in alijs. Quod, ſi vrgeas; cur hoc non poterit adiungere in pænam talis delicti etiam, ſi talem legem antecedentèr non ſtatuerit? Si etenim non obſtante, quod ius communicationis inter coniuges ſit naturale poteſt ſuſpendi per legem Eccleſiaſticam poſitiuam, cur non poterit tolli in pænam per ſententiam poſitiuam propter aliquod graue delictum perpatratum, etiam ſi lex priuans non fuerit antecedentèr condita? Sed facilè reſpondeo, hoc eſſe diſcrimen, quia, quando antecedentèr lata eſt lex conſtituens in ſic delinquentes, impedimentum cōmunicationis ipſi delinquentes quaſi ex proprio actu, ſeu conſenſu, ſi non elicito, ſaltem debito contrahunt illam pœnam, ſeu impedimentū, quatenus ſcientes tali delicto ineſſe tale impedimentum voluerunt nihilominus delictum illud, & ſic in cauſa aſſenſum præſtiterunt illi impedimento eidem delicto annexo, quod non euenit in caſu, quo non fuit lex illa antecedentèr ſtatuta, ſed imponeretur pæna ſolummodo ratione delicti perpatrati, quia tunc nec in ſe, nec in cauſa concurreret conſenſus eiuſdem, ſeu eorundem delinquentium.

Reſpondeo tertio, quantumuis coniuges ob delictum enorme, & excommunicationem non poſſint priuari communicatione quoad vſum coniugalem, poſ-

8 Poteſt Eccleſia coniuges excōmunicatos priuare communicatione quo ad alia, quæ non habēt connexionem cum vſu coniugij.

ſunt tamen priuari alijs, quæ non habent ita ſtrictam connexionem cum eodem vſu coniugali. Conſentit in hoc *Sanchez d. lib. 9. de matrimon. diſp. 14. n. 7., & Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrimon. c. 1. n. 281. in fine*. Ratio ex eo deducitur, quia in tantum non poſſunt priuari iure communicationis quoad vſum coniugalem, in quantum hoc eſt debitum iure naturæ, & diuino, cui nequit poteſtas Eccleſiaſtica præiudicare, niſi acceſſerit conſenſus delinquentium, vel in ſe, vel in cauſa, ſed quoad alia, quæ ſtrictam non habent connexionem cum eodem vſu coniugali, non eſt illud debitum de iure naturæ, & diuino, vt aſſidere ad eandem menſam, colloquia familiaria habere, & alia huiuſmodi, ergo &c. Hinc tamen infertur, quod cum ſupra docuerimus *ſub hoc eod. tit. Contract. XV. de matrim. VI. pranot. 1.*, & hoc idem doceant *Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrimon. c. 6. n. 1., Sanchez de matrimon. lib. 9. diſp. 4. n. 23., Vallerus de diſ. in vtrumque for. verb. vxor diff. 2., Fagundez in decal. lib. 4. c. 7. num. 5.*, quod ſcilicet coniuges cohabitent ſic de iure diuino, & humano, neque quoad hoc poſſit interdici communicatio inter coniuges ob delictum commiſſum, niſi in cauſis, de quibus ſupra.

---

§. III.

An, ſi coniux contraxerit ſcientèr cum notoriè excommunicato, priuetur iure cohabitationis, & communicationis quoad debitum coniugale.

SVMMARIVM.

Facti ſeries exponitur. 1.
Contrahens ſcientèr cum excommunicato peccat lethalitèr. 2.
Sententia aſſerens non excommunicatum contrahentem ſcientèr cum excommunicato denuntiato, non poſſe cum illo cohabitare, nec reddere debitum. 3.
Sententia contraria aſſerens poſſe. 4.
Probabilius eſt coniugem non excommunicatum contrahentem ſcientèr cum excommunicato, non poſſe cum illo communicare, donec abſoluatur. 5.
Soluuntur rationes oppoſitæ ſententiæ. 6.

Diſquiſitio III. Per publicam ſententiam ob enorme aliquod delictum fuerat nominatim excommunicatus Frāciſcus. Durante adhuc excommunicatione Caia conſcia eiuſdem cum eodem contraxit matrimonium. Quæſitum hic fuit, an ratione excommunicationis notæ eidem Caiæ, & alijs intelligatur eidem prohibita communicatio cum Franciſco quoad cohabitationem, & debitum coniugale, donec ab excommunicatione abſoluatur. 1 Exponitur facti in ſuis terminis.

Non excommunicatum contrahentem ſcientèr matrimonium cum excommunicato nominatim denuntiato peccare læthalitèr latè docet *Ioannes Angelus Boſſius de contract. matrimon. c. 9. num. 100.*, nec incongrua ratione, quandoquidem ſcientèr, & voluntariè communicat in re ſacra nempè in ſacramento, quod certè inuoluit ſacrilegium. Sed an in eo caſu 2 Contrahens ſciētèr cū excommunicato peccat læthalitèr.

vali-

Digitized by Google

validè contraxerit, & poſt contractum teneatur alteri cohabitare, & petenti reddere debitum, id eſt, quod ſub præſenti cadit controuerſia.

Nonnulli apud eundem *Ioannem Angelum Boſſium tract. de effect. matrim. c. 1. num. 286.*, abſolutè ſuſtinent coniugem non excommunicatum ſic contrahentem

3 Sententia aſſerens, non poſſe cohabitare, nec reddere debitum.

cum excommunicato nominatim denuntiato nec poſſe cohabitare, nec reddere debitum, donec excommunicatus fuerit à ſententia excommunicationis abſolutus. Rationes plurimas huius opinionis adducunt primo, quia tale matrimonium contractum eſt cum pecato læthali reſpectu non excommunicati contrahentis, ergo hic non poterit communicare cum eodem excommunicato quoad habitationem, & quoad vſum coniugalem, cum nemo ex ſuo peccato graui poſſit commodum reportare, & iura velint, vt in eo, in quo quis peccat, puniatur *c. paſtoralis de iure patr., & c. ad liberandum de Iudæis*. Secundo, quia quantumuis tale matrimonium ſic initum teneat; quoad vſum tamen intelligitur interdictum ob impedimentum proptèr excommunicationem præcedentem, deindè cum in illo contrahendo interuenerit peccatum, prohibitus intelligitur vſus, & executio, vt videre eſt in ſimilibus, & præcipuè in eo, qui eadem die contra præſcriptum Eccleſiç plures recipit ordines ſacros; quamuis enim illi validè recipiantur, proptèr tamen tale peccatum intelligitur ipſo iure prohibitus eorum vſus, per textum *in cap. penult. de tempor. ordin.* Tertio, quia

Rationes pro eadè ſententia referūtur.

delinquens in Eccleſia, gaudere non poteſt immunitate Eccleſiaſtica, ergo etiam delinquens in contrahendo matrimonio non poterit gaudere vſibus eiuſdem matrimonij. Antecedens patet *ex c. vlt. de immunitate Eccl.*, vbi expreſsè hoc euincitur; Atque huius opinionis videntur eſſe *D. Thomas in 4. diſt. 18. q. 1. art. 4. in corpore, Corneius in 3. part. tract. 5. de excommun. diſp. 10. §. 10. dub. 2., Mercerus de ſacrament. in 3. part. q. 21. dub. 11., Auguſtinus Barboſa collect. ad d. c. inter alia de ſent. excommun. nu. 5.*, & alij plures apud *Ioannem Angelum Boſſium tract. de effect. matrim. c. 1. n. 287.*

Ex aduerſo alij aſſerunt poſſe cohabitare, & reddere, inter quos *Vgolinus de cenſur. tab. 2. c. 23. §. 6. n. 1., Bonacina de cenſur. diſp. 2. punct. 6. §. 2. n. 18., Coninch. diſp. 14. n. 125., Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrim. c. 1. n. 288., & alij plures apud ipſum.*

4 Contraria ſententia aſſerens poſſe cum ſuis rationibus.

Rationes plurimas huius opinionis adducunt DD., & primo, quia nemine diſcrepante illud matrimonium validum eſt, ergo non eſt, cur ſuos effectus non pariat iurium ſcilicet, & onerum, quæ naturalitèr ex illo conſequuntur, nec verum eſt, quod ratione peccati in contrahendo interdicatur vſus contractus matrimonialis, ſicuti interdicitur vſus ordinum ex eo, quod plures ordines eadem die fuerint ſuſcepti, quandoquidem, quod vſus ordinum ſit interdictus ob ſuſceptionem plurium eadem die, eſt ex ſpeciali iure, quod non reperitur diſpoſitum in contractione matrimonij cum peccato. Secundo, quia, *in d. c. inter alia de ſent. excommun., & in c. quoniam multos 11. q. 1.* permittitur vxoribus communicatio cum viris excommunicatis ſine vlla diſtinctione de excõmunicatis, ſiue ante, ſiue poſt contractum matrimonium, addita etiam ratione, quia ſine tali communicatione adeſſet periculum animarum, ergo quantumuis alter coniux non excommunicatus contraxerit cum excommunicato nominatim denuntiato poterit cum eodem communicare in ijs, quæ iuris coniugis ſunt. Quid iam in hac controuerſia concludendum?

Reſpondeo probabiliùs eſſe, coniugem non excommunicatum, qui contraxit cum excommunicato ſcientèr, non poſſe cum illo cohabitare, nec communicare in obſequijs coniugalibus, donec excommunicatus fuerit ab excommunicatione abſolutus. Ita præter præallegatos DD. pro prima opinione *Suarez de cenſuris diſp. 15. ſect. 4. nu. 7., Ricciullus de iur. perſon. extra grem. Eccleſ. exiſt. lib. 4. c. 48. n. 1., 5., & 6., Faber in 4. diſt. 25. q. 1. diſp. 4. nu. 217., Filliutius tom. 1. part. 1. tract. 10. c. 9. nu. 102., Gordonus in ſumma tom. 2. lib. 7. q. 10. nu. 73.* Moueor primo auctoritate *D. Thomæ in 4. diſt. 18. q. 1. art. 4. in corpore*,

5 Probabilius eſt coniugem non excõmunicatū contrahētem ſcientèr cum excommunicato nō poſſe cum illo cohabitare.

vbi explicans textum *in d. c. quoniam multos 11. q. 1.*, poſtquam dixerat in eo capitulo excipi à communi regula eorum, qui non poſſunt communicare cum excommunicatis, vxores, filios, ſeruos, ruſticos, & ſeruientes, ſubdit hæc formalia verba. *Sed hoc intelligendum eſt de filijs non emancipatis, alias tenerentur vitare patrem; de alijs autem intelligitur, quod licet excommunicato communicare, ſi ante excommunicationem ſe ei ſubdiderunt*, quæ verba D. Thomæ explicans *Suarez loc. cit.* aduertit, quod ſolus filius non emancipatus poſſit abſolutè communicare cum Patre excommunicato, reliqui autem ibi enumerati poſſint quidem communicare cum illis excommunicatis, reſpectu quorum ſunt vxores, ſerui, ſeruientes &c., ſi fuerint illis ſubditi ante contractam excommunicationem, ſecus, ſi ſe ſubdiderint poſt contractam excommunicationem; neq; audiendus eſt hic *Ioannes Angelus Boſſius tract.*

Sententia D. Thomę ad rem noſtram faciens exponitur.

Digitized by Google

tract. de effect. matrim. c. 1. nu. 288., volens, quod D. Thomas in allegatis verbis voluerit ſolummodo de ſeruis, ſeruientibus, mercenarijs, & ruſticis intelligi quoad illam particulam vltimam, *ſi ante excommunicationem ſe ei ſubdiderunt*, non autem de vxoribus; Non, inquam, audiendus eſt, quia D. Thomas à generali regula excipit ſolos filios non emancipatos; quoad reliquos vero omnes ibi enumeratos pariformitèr procedit concedens ipſis communicationem, ſi ante excommunicationem illi ſe ſubdiderint, negans, ſi ſe ſubdiderint poſt eandem. Moueor ſecundo, quia coniugi non excommunicato prohibitum eſt cum excommunicato contrahere, vt conſentiunt DD. contrariæ opinionis, ergo, ſi contraxerit contra diſpoſitionem iuris, & contra prohibitionem Eccleſiæ non poterit gaudere iuribus, qui ex genere ſuo proueniunt ex tali contractu, cæteroqui ex ſua iniquitate commodum reportaret contra diſpoſitionem iuris *in c. paſtoralis de iure patron., & c. ad liberandum de Iudæis*; neque obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, quod commodum illud non reportet ex propria iniquitate, ſed à iure diuino, & naturæ, prout aſſerit *Ioannes Angelus Boſſus de effect. matrim. c. 1. nu. 289.*, non, inquam, obeſſe poteſt, quia, quantumuis de iure diuino, & naturæ ius habeant coniuges ad communicationem coniugalem, hoc tamen intelligendum eſt, quando ius coniugij acquiſierunt licitè, & ſine propria iniquitate ſcientes non poſſe contrahi illud matrimonium, niſi cum peccato, quia ſicuti tunc iniquè contrahunt, ità ius illud nonniſi iniquè acquirunt, & cum ſit acquiſitum cum iniquitate, æquum eſt, vt illius effectus ſuſpendantur, vt in eo, in quo deliquerunt, puniantur. Tertio, quia licet coniugibus concedatur non ſolum de iure diuino, & naturæ vſus coniugij, quantumuis alter eorum fuerit excommunicatus, quod etiam exprimitur *in d. c. quoniam multos 11. q. 1.* (quem explicantes ſupra diximus continere quoad coniuges declarationem iuris naturæ, non vero ſtatuere nouum ius poſitiuum) hoc tamen conceſſum intelligitur proptèr neceſſitatem communicandi inter coniuges, qui, cum iam fuerint tales antecedentèr ad excommunicationem, nequeunt ſeparari, & proptèr periculum incontinentiæ conſiſtente iam iure perfectè acquiſito, ſed in hypotheſi, ſecundum quam matrimonium non erat contractum ante excommunicationem illa neceſſitas non vrgebat, nec periculum incontinentiæ, niſi in voluntate peruerſa eorundem contrahentium, ſiquidem poterant contrahere, & non contrahere, nullaque neceſſitas vrgebat ad contrahendum, ergo cum ſpontè ſe ſubdiderint ſcientes impedimentum reſpectu vtriuſque, nullaq; vrgente neceſſitate, ſed ex propriæ vtilitatis arbitrio non poterunt gaudere iure quoad effectus coniugij, niſi quatenus illud impedimentum fuerit ſublatum per abſolutionem ab excommunicatione.

Reijcitur Boſſus quoad intelligentiam Diui Thomæ.

Ex ſua iniquitate commodū reportaret.

Aliæ rationes pro reſponſione.

6 Ad rationes, quæ ex aduerſo afferebantur, iam patet, quid ſit reſpondendum; eſto etenim; quod illud matrimonium in ſuo eſſe ſubſiſtat, effectus tamen ſuſpenduntur propter iniquitatem in contrahendo; nec obſtat, quod illa prohibitio non reperiatur in iure diſpoſita, ſicuti reperitur diſpoſitum in ſuſceptione plurium ſacrorum ordinum eadem die de ſuſpenſione exercitij eorundem ordinum in text. *in c. penult. de tempor. ordin.*, non obſtat, inquam, quia illa prohibitio continetur primo in iure prohibente omnibus communicationem cum excommunicatis publicè denuntiatis, & licet *in d. c. inter alia de ſent. excom., & c. quoniam multos 11. q. 1.*, excipiantur ab illa regula generali vxores, filios, ſeruos, &c. quoad obſequia per illos præſtanda iuxta conditionem propriæ perſonæ, & ſtatus, intelligitur tamen exceptio, quando verè ſunt vxores, vt optimè conſiderauit *D. Thomas loc. cit.* ante contractam excommunicationem, quia tunc talis communicatio eſt opus neceſſitatis, & ad vitandum periculum incontinentiæ, non quando non ſunt tales, quando contracta eſt excommunicatio, quia tunc contrahere eſt opus voluntatis, non neceſſitatis, & contra diſpoſitionem iuris, & incontinentiæ periculum, ſi quod eſt, inducitur potius ex voluntate ipſorum cõtrahentium, quam ex natura ſua, cum illud periculum oriatur ex iniqua actione intentata contra iuris diſpoſitionem, quod propterea imputandum eſt eorum iniquæ actioni, quam naturæ rei, & iniqua actio nequit delinquentibus ſuffragari.

Soluuntur rationes oppoſitæ ſententiæ.

Effectus matrimonij in eo caſu ſuſpenditur.

---

§. IV.

An, ſi neſcius excommunicationis alterius cum ipſo contrahat matrimonium, eadem cognita poſſit petere, & reddere debitum coniugale.

SVMMARIVM.

Series diſquiſitionis expoſita. 1.

Ratio-

Digitized by Google

Rationes ſuadentes impediri in hoc caſu communicationem. 2.
Coniux innocens contrahens cum ignorantia non priuatur communicatione. 3.
Coniux excommunicatus contrahens cum alio ignorante ipſius excommunicationem probabile eſt, quod poſſit petere, & probabile, quod non. 4.
Soluuntur rationes oppoſitæ. 5.

1 *Facti ſeries exponitur.*

DIſquiſitio IV. Ob enorme aliquod delictum fuerat Caius nominatim excommunicatus denuntiatus. Neſcia Titia talis excommunicationis contraxit cum eodem matrimonium, quo contracto cognouit Caium irretitum eſſe tali cenſura. Quæſitum hic fuit, an ratione illius præcedentis excommunicationis quantumuis non cognitæ pro tempore contractus interueniente poſtea cognitione intelligatur impedita communicatio quoad vſum, & quoad alia obſequia coniugalia.

2 *Rationes ſuadentes impediri in hoc facto communicationem.*

Videtur prima fronte dicendum ſaltem loquendo in foro externo intelligi impeditam illam communicationem, quandoquidem ex quo Caius fuit publicè denuntiatus, & nominatim excommunicatus non præſumitur ignorantia illius excommunicationis, ſed potius ſcientia, qua ſtante verificantur ea omnia, quæ dicta ſunt in præcedenti diſquiſitione, quod ſcilicet ratione iniquitatis in contrahendo priuetur contrahens vſu coniugij, & obſequiorum coniugalium, donec excommunicatus fuerit per abſolutionem reconciliatus Eccleſiæ. Accedit, quod quantumuis non excommunicatus non ſcientèr contrahens cum excommunicato nominatim denuntiato non contrahat aliquam noxam iniquitatis, ipſe tamen excommunicatus conſcius ſuæ excommunicationis ſic contrahens vtique conſtituitur reus grauis culpæ, ergo ratione iſtius ipſe priuabitur iure petendi, & omnibus iuribus coniugalibus ſibi cæteroqui debitis, & talis priuatio proptèr connexionem redundabit indirectè in alterum innocentem, maximè ſi præceſſerit notitia excommunicationis, antequam matrimonium quantumuis validè contractum, & licitè ex parte ipſius conſummaretur. Nihilominus

3 *Coniux innocens cótrahens ignorãtèr cum excommunicato non priuatur communicatione.*

Reſpondeo coniugem innocentem cótrahentem ſine ſcientia excommunicationis cum excommunicato quantumuis nominatim denuntiato non priuari iure vſus coniugalis, aliorumq; obſequiorum matrimonialium, perinde, ac ſi non contraxiſſet cum excommunicato. *Gordonus in ſumma tom. 2. lib. 7. q. 10. n. 73., Auguſtinus Barboſa collect. ad d. c. inter alia nu. 5. de ſent. excommun., Marcerus de ſacramentis in 3. parte q. 21. dub. 11., Corneius in 3. part. tract. 5. de excommun. q. 10. dub. 2., Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrim. c. 1. n. 287.*, Ratio ex eo deducitur, quia ſic contrahens bona fide nullius omnino culpæ fit particeps, & quantum eſt ex ſe perindè ſe habet, ac, ſi contraheret cum non excommunicato, ergo non eſt, cur priuari debeat obſequijs coniugalibus ſibi ex vi matrimonij debitis. Conſequentia probatur, quia non eſt aſſignabilis ratio, ob quam debeat priuari talibus obſequijs, non inualiditas matrimonij, quia hoc ſupponitur omni iure validum, quinimmò eſſet tale, quantumuis ex parte vtriuſque eſſet contractum cum ſcientia excommunicationis per ea, quæ latè ſupra docuimus, non culpa, qua fuit matrimonium illud contractum, quandoquidem ſine aliqua culpa non excommunicati fuit initum; Nec obeſſe poteſt, quod fuerit initum cum culpa excommunicati; non, inquam, obeſſe poteſt, quia culpa alterius non poteſt nocere innocenti. *Rationes pro reſpõſione.*

4 *An coniux excommunicatus cótrahens cum alio ignorante ipſius excommunicationem poſſit petere probabilis vtraque pars.*

Hic ſolum oritur difficultas, an ſaltem ipſe excommunicatus, qui contraxit cum ſcientia excommunicationis propriæ ratione illius culpæ in contrahendo intelligatur priuari iuribus coniugalibus ſibi cæteroqui competituris, quatenus non poſſit petere debitum, quamuis alteri innocenti petenti teneatur reddere? Videtur aſſerendum, vtique priuari iure petendi, quandoquidem ipſe cum iniquitate contraxit, & ex ſua iniquitate non videtur poſſe commodum reportare, & in eo puniendus, in quo deliquit, per textum *in d. c. paſtoralis de iure patron.*, & *c. ad liberandum de Iudæis*. Nihilominùs alij aſſerunt, quod ex eo, quod alius licitè cum ipſo communicauerit ſic contrahendo, ipſe excommunicatus, quantumuis peccarit, non tamen contraxerit pœnam priuationis vſus, aliorumq; obſequiorum coniugalium, quia ius prohibens communicationem cum excommunicato afficit alios ab ipſo ſaltem quoad pœnas, non autem ipſum excommunicatum, ex eo etenim denuntiatur, vt vitetur ab alijs, nec ipſe tenetur prodere ſe ipſũ. Accedit, quod, cum teneatur alteri petenti reddere, ſi non poſſet ipſe petere, conſtitueretur ſine propriæ voluntatis conſenſu in periculo incontinentiæ, cum eſſet plenè coniugium poſitum etiam quoad ius effectuum in alio; vndè dicendum eſt, quod ſicuti communicatio in hac hypotheſi non interdicitur alteri, nec ipſi interdicta videatur. Ad rationem, quæ ex aduerſo afferebatur, reſpondent,

 quod

Digitized by Google

quod, quamuis excommunicatus contraxerit cum iniquitate eximatur tamen à pænis ratione iuris conſurgentis in altero coniuge innocente ad quæcunque obſequia, tàm in petendo, quàm in reddendo, cum defectus iuris in ipſo excommunicato ad petendum poſſit quodamodo eſſe ſibi noxius. Vtramq; opinionem probabilem arbitror, & vtraq; poteſt ſuſtineri.

5 Soluuntur rationes oppoſitæ. Ad rationes contrarias nunc reſpondendum remanet, & quidem ad primam dico, nec in foro externo intelligi impeditam in hac hypotheſi illam communicationem, cum agatur non de ignorantia iuris, ſed de ignorantia facti non pertinentis ad proprium ſtatum, nec præſumendum eſt, quod quis voluerit contrahere cum iniquitate, niſi probetur. Cæterum vbi re vera fuerit ignorantia, non poteſt eſſe culpa, adeoque &c. Ad ſecundum dicendum eſt culpam vnius non poſſe nocere alteri innocenti maximè ſuppoſita validitate contractus.

---

§. V.

An lata ſententia excommunicationis contra coniuges ob matrimonium illicitè initum, & de cuius valore pendet lis, teneantur iſti ab vſu coniugij abſtinere.

SVMMARIVM.

Facti ſeries exponitur. 1.
Sententia procedens cum diſtinctione exponitur, & qualis ſit diſtinctio. 2.
Pendente lite tenentur coniuges ab vſu coniugij abſtinere, donec lis terminetur. 3.
Soluuntur rationes pro oppoſita ſententia adducta. 4.

1 Exponitur caſus in ſuis terminis. Diſquiſitio V. Contractum eſt matrimonium inter Seium, & Caiam, cumque de eius validitate controuerteretur re delata ad Iudicem Eccleſiaſticum lata eſt per eundem contra ipſos ſententia excommunicationis, ne coniugio vterentur, donec ſuper valore eiuſdem matrimonij cognoſceretur. Quæſitum hic fuit, an ratione talis ſententiæ excommunicationis tenerentur coniuges à tali vſu coniugali abſtinere?

Videtur hac in re cum diſtinctione procedendum, vel etenim quando contractum eſt matrimonium, dubium exiſtebat ſuper validitate ipſius, eoq; non depoſito contractum fuit, vel tunc dubium aliquod non aderat, ſed bona fide ex parte vtriuſq; fuit initum, & poſtea ex aliqua cognitione ſuperuenienti ortum eſt illud dubium, ſupra quo excitata eſt lis apud Iudicem, apud quem adhuc pendeat. Iuxta primum ſenſum certum videtur, quod, ſi lata fuerit ſententia excommunicationis contra eoſdem, ne vterentur actibus coniugalibus, donec ſuper dubio cognoſceretur, tenerentur abſtinere, quia non acquiſierunt aliquam legitimam poſſeſſionem, quinimmo nec ius proprium obſtante acquiſitioni illo dubio, quo exiſtente matrimonium illud non poterat contrahi proptèr pericula fornicationis, quæ poterant adeſſe; Iuxta ſecundum verò ſenſum videtur non obſtante illa ſententia excommunicationis non teneri abſtinere ab actibus coniugalibus, donec perfectè cognito ſuper cauſa matrimonium illud ex iuſta cauſa dignoſceretur, & declararetur inualidum. Ratio indè videtur deduci, quia cum contractum fuerit matrimonium bona fide, & per conſequens acquiſitum perfectum ius, & poſſeſſio per conſummationem eiuſdem ſuper corpora coniugum, non videntur coniuges iuſtè priuari poſſe illo iure, & poſſeſſione ex ſolo dubio ſuperueniente, ſicuti in ſimilibus docuimus *tom. 1. ſub tit. Contractus I. de contract. vt ſic Pranot. 2. dum de præſcriptione*, cum illud dubium ſuperueniens non poſſit præiudicare legitimæ poſſeſſioni iam acquiſitæ, & ſemper verificatur, quod melior in dubijs ſit conditio poſſidentium. His tamen non obſtantibus.

(Right margin at 2: Sententia procedens cum diſtinctione, & quali exponitur)

3 Pendente lite tenentur coniuges abſtinere, donec lis terminetur. Reſpondeo lata ſententia excommunicationis in cauſa matrimonij, de cuius valore ex dubio ſuperueniente pendet lis tenentur coniuges abſtinere ab vſu coniugij, donec habita plena cauſæ cognitione per definitiuuam ſententiam lis terminetur. *Hoſtienſis in ſumma tit. de ſent. excommun. §. quæ ſit pæna participantium n. 15. verſ. lex excuſat, D. Antoninus 3. part. tit. 25. c. 1. §. 1. verſ. ſecundo excuſat, Vgolinus de excommunicatione tab. 2. c. 23. §. 6. n. 4., Sotus in 4. diſt. 22. q. 1. art. 4. concl. 4., Sanchez de matrimon. lib. 9. diſp. 14. num. 9., Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrimon. c. 1. n. 291.* Procedit reſponſio, ſiue dubium extiterit in celebratione contractus matrimonialis, ſiue ſuperuenerit, dummodo rationabile ſit, & tribuat iuſtam, & rationabilem cauſam ſuſpicandi. Ratio ex eo deducitur, quia in dubijs, vbi agitur de periculo peccatorum, & perditionis ſpiritualis animæ tutior pars eſt eligenda, qua ſcilicet huiuſmodi periculum euitetur, ergo, iuſte potuit ferri illa ſententia excommunica-

nica-

Digitized by Google

nicationis, qua coniuges in illo dubio, donec cauſa cognoſcatur, & perficiatur per definitiuam ſententiam, prohibeantur ab vſu coniugij, & actibus matrimonialibus, ergo lata illa ſententia, vt potè iuſta tenebuntur coniuges ab huiuſmodi vſu, & actibus abſtinere; Neque obſtant ea, quæ ſuperius in ratione dubitandi dicta ſunt nempè, quod, cum coniuges, quando initum eſt matrimonium cum bona fide, fuerint in plena poſſeſſione, nõ videantur ſeparandi ob illud dubium ſuperueniens, quia ſemper melior eſt conditio poſſidentis, vt videre eſt in alijs omnibus, nec hoc ius, hæcque poſſeſſio, poteſt deſtrui ex titulo periculi incontinentiæ, quia tale periculum non eſt, vbi eſt iuſta poſſeſſio coniugij. Non obſtant inquam, quia in ijs, quæ cedere poſſunt in noxam læthalem ſuperueniens dubietas tribuit ſufficiens fundamentũ ferendi talẽ ſentẽtiam excõmunicationis, ad effectum vitandæ incontinentiæ, & ad Eccleſiam ſpectat non ſolum auertere peccata, ſed etiam ſpeciem peccatorum, & periculum eorundem, & per conſequens etiam ſuſpendendi poſſeſſionem, quouſque de veritate cognoſcatur, vnde poſſeſſio non ſolum tollitur, ſeu ſuſpenditur ratione dubij, quod fortè ſatis eſt in ijs, quæ poſſunt vergere in damnum animę, ſed etiam ratione ſententiæ, quæ ordinata eſt ad euitandum quodcunque periculum.

4 *Soluuntur rationes pro oppoſita ſententia adductæ.*

---

§. VI.

An coniuges diuortio ſeparati, ſi excommunicentur, poſſint adinuicem communicare.

SVMMARIVM.

Status diſquiſitionis expoſitus. 1.
Perſeuerante diuortio, ſi alter, vel vterque excõmunicetur, nequeunt adinuicem communicare. 2.
Poſito diuortio, ſi alter fuerit excommunicatus, & reſcipuerit, poſſunt adinuicem communicare. 3.
Si fuerint ſeparati per diuortium non inſtaurabile, niſi per conſenſum eius, in cuius fauorem factum eſt, non poſſunt communicare, niſi poſt abſolutionem. 4.

1 *Status diſquiſitionis expoſitus.*

Disquiſitio VI. Ex aliqua cauſa tribuente ſecundum ſe ius ad diuortium fuerant ſeparati Titius, & Caia coniuges non ſolum thoro, ſed etiam habitatione. Perſeuerante diuortio, vel alter eorũ, vel vterque ob aliquod enorme delictum fuit excommunicatus, ſpecialitèr denuntiatus. Hic quæſitum fuit, an non obſtante tali excommunicatione poſſent adinuicem communicare, ſiue quoad habitationem, ſiue ad quæcunque alia obſequia.

Hoc quæſitum ſic vniuerſalitèr propoſitum, poteſt procedere, vel durante, & perſeuerante adhuc diuortio, quatenus in alijs, quæ non reſpiciunt iura diuortij, poſſint communicare, vel eodem diſſoluto per reconciliationem in eo ſcilicet ſenſu, vt perſeuerante excommunicatione poſſint ad inuicem reconciliari, & communicare quoad vſum, & alia obſequia coniugalia. Circa quæ conſiderandum eſt, an diuortium fuerit ex genere ſuo perpetuum ſcilicet ex cauſa fornicationis, an vero temporale perſeuerante ſcilicet cauſa, ob quam illud celebratum eſt, vt contingit regularitèr in alijs cauſis ab eadem fornicatione.

Variæ cõſiderationes circa titulum.

Reſpondeo primo; Perſeuerante adhuc diuortio, ſi fuerit, vel alter, vel vterque ex coniugibus excommunicatus nominatim denuntiatus, non poſſunt adinuicem communicare titulo coniugij *Ioannes Andræas c. inter alia num. 4. de ſententia excommun., Ancharanus c. ſtatuimus nu. 4. eod. tit. in 6., Vgolinus de excommunicat. tab. 2. c. 23. §. 6. n. 4., Sanchez de matrim. lib. 9. diſp. 14. n. 11., Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrim. c. 1. nu. 292., Ricciullus de iur. perſon. extra grem. Eccleſ. exiſtent. lib. 4. c. 48. n. 39.* Ratio ex eo deducitur, quia in hac hypotheſi non habet locum ius naturæ, nec diſpoſitio iuris in *d. c. inter alia de ſent. excommunicationis*, in quo à communi regula non communicandi cum excommunicatis publicè, & nominatim denuntiatis excipiuntur vxores, ſeu coniuges, ergo iuxta regulam generalem, à qua in hac hypotheſi non excipiuntur, non poterunt in hac hypotheſi communicare. Antecedens probatur, quia ratio formalis, ob quam in iure naturæ, & *in d. c. inter alia* excipiuntur vxores eſt titulus neceſſitatis, & periculum fornicationis, vt in eodem iure exprimitur, ſed in hypotheſi ſeparationis coniugum titulo diuortij non viget talis neceſſitas, nec periculum incontinentiæ ex negatione talis communicationis poteſt prouenire, cum antecedentèr ad excommunicationem, & prohibitionem eiuſdem cõmunicationis iam eſſent ſeparati, ergo in ea hypotheſi coniuges non intelliguntur excepti, adeoq; ad inſtar aliorum non exceptorum non poterunt ad inuicem communicare.

2 *Perſeuerante diuortio, ſi alter, vel vterq; excommunicetur, nequeunt cõmunicare.*

Rationes pro reſpõſione.

Reſpondeo ſecundo; Si fuerint ab inuicem ſeparati per diuortium non perpe-

Digitized by Google

tuum ex genere ſuo, ſed temporale, quouſque ſcilicet alter delinquens reſcipuerit, & lata excommunicatione delinquens reſcipuerit à delicto, ob quod factū eſt diuortium, poſſunt, & tenentur ad inuicem communicare. In hanc reſponſionem conſentire exiſtimo quotquot ſuſtinent in diuortijs ad tempus poſita reſcipiſcentia ex parte delinquentis ipſo iure inſtaurari matrimonium, & iura ipſius atq; ita docent *D. Thomas in 4. diſt. 35. q. vnica art. 1. ad 3., D. Bonauentura in 4. diſt. 39. in expos. lit. nu. 4., Abulenſis c. 19. Matthæi q. 71., Veracrux 3. part. ſpeculi art. 2. in fin., Henriquez lib. 11. de matrim. c. 17. n. 6.*, hocque euincitur *ex c. 2. de diuort., & ex c. non ſolum* 28. *q.* 1., Ratio ex eo deducitur, quia ſuperueniente excommunicatione matrimonio iam contracto, & conſummato coniuges, non ſolum poſſunt, ſed etiam tenentur adinuicem communicare, prout colligitur *ex d. c. inter alia de ſent. excommunic., & c. quoniam multos* 11. *q.* 3., ergo etiam ſuperueniente excommunicatione poſt contractum matrimonium, illudque diuiſum per diuortium temporale non ſolum poterunt, ſed etiam tenebuntur communicare, ſi illud diuortium ex natura ſua diſſoluatur, & ipſo iure per reſcipiſcentiam eius, cuius intuitu facta eſt ſeparatio. Conſequentia probatur, quia in tantum in primo caſu tenentur communicare, in quantum ex natura contractus adeſt neceſſitas communicandi, vt præfertur *in d. c. inter alia de ſent. excommun.*, ſed etiam in ſuppoſitione, de qua loquimur in inſtauratione matrimonij adeſt talis neceſſitas, ſi quidem matrimonium ipſum reddit ad plenum ſuum ius ex ſui natura poſita præciſè reſcipiſcentia alterius, ratione cuius illud matrimonium quoad vſum fuerat infirmatum, ergo &c.

3 Si excommunicatus reſcipuerit, poſſunt communicare.

Rationes pro reſpōſione.

Reſpondeo tertio; Si fuerint adinuicem ſeparati per diuortium perpetuum, nec inſtaurabile, niſi per liberum conſenſum eius, in cuius fauorem factum eſt diuortium, & ſubſequentèr inducta fuerit excommunicatio, probabiliùs non poſſunt communicare, antequam per abſolutionem ſublata fuerit excommunicatio. Eſt contra *Sanchez lib. 9. de matrim. diſp. 14. num. 11., Ioannem Angelum Boſſium tract. de effect. matrimon. c. 1. n. 292.* Probatur primo reſponſio, quia, ſi non excommunicatus cōtrahat ſcientèr cum excommunicato nominatim denuntiato, non poteſt licitè cum eodem communicare, antequam ab excommunicatione fuerit liberatus per abſolutionem, per ea, quæ docent *D. Thomas in 4. diſt. 18. q. 1. art. 4. in corpore, Suarez de cenſur. diſp. 15. ſect. 4. nu. 7., Ricciullus de iur. perſonarum extr. gremium Eccl. exiſtentium lib. 4. c. 48. n. 5., & 6., & nos etiam docuimus ſupra ſub hoc eod. tit. Contractus XV. de matrim. VI. Diſp. I. §. 3. in reſponſ.*, ergo etiam, ſi poſt ſeparationem ſecutam inter coniuges per diuortium non inſtaurabile, niſi per conſenſum eius, in cuius fauorem factum eſt ipſum diuortium, alter ex coniugibus fuerit excommunicatus, & nominatim denuntiatus, non poterit alter inſtaurato matrimonio cum ipſo communicare. Conſequentia probatur, quia in tantum in caſu antecedentis, ſi non excommunicatus contraxerit cum excommunicato, non poteſt cum illo communicare, in quantum illa actio, per quam contraxit, erat libera, & voluntaria, nec contrahens vllo iure compellebatur contrahere, vndè ex iniquitate in contrahendo conſurgit priuatio communicationis, ſed etiam in hypotheſi conſequentiæ nulla aderat neceſſitas illius inſtaurationis, ſiquidem innocens liber erat ad reconciliationem ponendam, vel non ponendam, ergo &c. Nec obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, quod excommunicatio non impediat reconciliationem inter coniuges quantumuis legitimè diuiſos, item, quod diſpar ſit ratio in caſu non excommunicati contrahentis cum excommunicato matrimonium, ac in caſu, quo poſt diuiſionem legitimam inter coniuges, & excommunicationem notoriam alteri ſuperuenientem non excommunicatus reconciliatur excommunicato permanenti adhuc in excommunicatione, nam in primo caſu nullum adeſt vinculum, niſi, quod ponitur per illum contractum, in ſecundo autem antecedentèr ad talem excommunicationem iam aderat vinculum coniugale, quod quoquo modo ſemper impellit ad reconciliationem; Non, inquam, obeſſe poteſt; non primum, quia excommunicatio non impedit quidem reconciliationem, quæ prouenit à iure, quæque ex natura ſua conſequitur ad aliquam conditionem purificatam, bene tamen reconciliationem liberam, quæq; dependet à libera voluntate alterius, in cuius fauorem poſitum eſt diuortium, nec hic agitur de aliqua reconciliatione, quæ veniat ſub præcepto, & cuius negatio ſit peccaminoſa, ſed de reconciliatione omnino arbitraria, quæ ſub nullo præcepto cadit; Non ſecundum, quia quantumuis in ſecundo caſu adhuc vigeat, & perſeueret vinculum coniugale, non obligat tamen aliquo modo ad vſum, & ad cætera obſequia coniugalia, vndè ſicuti excommunicatio non obſtante illo vinculo coniugali inter

4 Si fuerint ſeparati per diuortium non inſtaurabile, niſi per conſenſū eius, in cuius fauorem factum eſt, & poſtea alter excommunicatus eſt, non poſſunt communicare ante abſolutionem.

Rationes pro reſpōſione.

Soluuntur nonnullæ inſtantiæ.

Digitized by Google

inter diuiſos per legitimum diuortium tollit ius ad actus, & obſequia coniugalia non poſita reconciliatione, vt ingenuè fatentur *Sanchez, & Boſſius loc. cit.*, ita etiam non obſtante illo vinculo coniugali tollit ius ad illam reconciliationem, quia ſicuti poſita diuiſione nullum ius vrget ad tales actus, ita nullum ius vrget ad talem reconciliationem.

§. VII.

An vxor poſſit participare cum excommunicatis cum quibus maritus participat.

SVMMARIVM.

Exponitur ſtatus diſquiſitionis. 1.
Rationes ſuadentes poſſe aſſidere ad eandem menſam, non autem in alijs communicare. 2.
Vxor non habet ius communicandi cum excommunicatis, cum quibus communicat maritus, niſi ad ſummum incidentèr. 3.
Quomodo licitum ſit communicare incidentèr. 4.

1 Factū expoſitum in ſuis terminis.

DIſquiſitio VII. Cum ex quodam titulo Caio marito Theodoricæ permiſſum eſſet participare cum altero notoriè, & nominatim excommunicato in propria domo, idem Caius cum eodem aſſidebat ad menſam, & in colloquijs familiaribus, aliiſque communicabat. Quęſitum hic fuit, an Theodorica vxor Caij poſſet eidem menſæ, in qua maritus cum excommunicato aſſidebat, accumbere, in aliiſq; communicare cum eodem excommunicato, ſicuti communicabat maritus.

2 Rationes ſuadentes poſſe aſſidere ad eadē menſam, non autem in alijs communicare.

In ordine ad aſſidendum eidem menſæ, in qua aſſidet maritus cum excommunicato, non videtur vxori in ea hypotheſi denegandum, quantumuis ex illa ſeſſione prouenire poſſint inter eandem vxorem, & excommunicatum aliqua colloquia familiaria; hæc etenim poteſtas aſſidendendi venit quodamodo ex neceſſitate in conſequentiam; ex eo etenim, quod teneatur in ijs communicare cum marito, non videtur excludenda ab eadem menſa ob conſortium alterius excommunicati communicantis cum marito, cum conſortium mariti, ad quod ius habet eadem vxor, cohoneſtet quódcunque aliud conſortium alterius. In ordine vero ad alia, quæ non cohoneſtantur per neceſſitatem communicandi cum marito, non videtur vxor habere ius cōmunicandi cum alijs, cum quibus communicat idem maritus.

Nihilominùs; Reſpondeo non habere vxorem ius communicandi cum excommunicatis, cum quibus communicat maritus, niſi ad ſummum incidentèr, quatenus talis communicatio eſt connexa cum neceſſitate communicandi cum marito *Paludanus in 4. diſt. 18. q. 6. art. 2. num. 4., Armilla verb. excommunicatio num. 45., Aſtenſis 2. part. ſummæ lib. 7. tit. 12. q. 5., Monaldus in ſumma tract. 8. de excommunic. tit. in quibus caſibus excommunicato participare vers. item licet vir, D. Antoninus 3. part. tit. 25. c. 1. vers. 2. excuſat, Henriquez lib. 13. de excommunic. c. 22. num. 2.* Ratio ex eo deducitur, quod ex generali regula nemo poteſt communicare cum excommunicato, niſi ratione alicuius tituli excipiatur in iure, ſed vxor nullo iure excipitur, quo poſſit communicare cum alijs excommunicatis à marito, quandoquidem textus *in c. inter alia de ſent. excommun., & c. quoniam multos* 11. *q.* 2. ſolum excipiunt vxorem in ordine ad communicationem cum maritis, non cum alijs, vt in ipſis patet, ergo &c.

3 Nō habet ius cōmunicandi cū eiſdem excommunicatis, niſi ad ſūmum incidentèr.

Dixi, *niſi ad ſummum incidentèr*, quia non negauerim, quod, ſi ad communicandum cum marito neceſſaria eſſet mediatio cum excommunicato non eſſet illicitum communicare cum eodem, quia cui licitus eſt finis, licita ſunt media neceſſaria ad talem finem, ſi talia media non ſint ab intrinſeco mala; cum igitur communicatio cum excommunicato, nō ſit mala ab intrinſeco, ſed ſolum ex diſpoſitione Eccleſiæ non erit illicita, vbi erit ordinata ad finem licitum communicationis cum marito, cui aliquo modo ſit neceſſaria, ſic in particulari non damnarem vxorem, quæ aſſideret ad menſam, in qua aſſidet maritus cum excommunicato, dummodo abſtineat a colloquijs non neceſſarijs cum eodem excommunicato; non enim ipſa priuanda eſt ſuo iure accumbendi cum marito eidem menſæ ex eo, quod in eadem aſſideat excommunicatus.

4 Quomodo licitū ſit excommunicare incidentèr.

§. VIII.

An coniux excommunicatus poſſit agere in iuditio ad repetendum alterum, qui ob excommunicationem ipſius receſſit.

SVMMARIVM.

Exponitur titulus diſquiſitionis. 1.
Sententia aſſerens poſſe excommunicatum repetere

Digitized by Google

petere alterum, qui iniuſtè receſſit. 2.
Excommunicato ſpoliato non competit actio in iuditio repetendi eum, qui temere receſſit. 3.
Conſulendum eſt ſpoliato excommunicato officio Iudicis, & quomodo. 4.

DIſquiſitio VIII. Conſtante matrimonio alter ex coniugibus lapſus
1 *Facti ſeries expoſita.* eſt in graue, & enorme delictum, ob quod fuit excommunicatus, & nominatim denuntiatus; alter immediatè poſt talem excommunicationem ab ipſo excommunicato receſſit aduerſus omnem iuris diſpoſitionem, nec poterat ſuaſionibus, & precibus induci, vt ſe reſtitueret. Quæſitum hic fuit, an coniux excommunicatus poſſet agere in iuditio, vt non excommunicatus, qui iniuſtè receſſit, ſibi reſtitueretur, cum per excommunicationem non amiſerit ius ad illius conſortium.

Hoſtienſis *in ſumma tit. de reſtitutione ſpoliatorum §. quando facienda num. 2. vers.*
2 *Sententia aſſerens poſſe in iuditio repetere.* *quid, ſi vir, Ioannes Andreas c. inter alia de ſent. excom. nu. 2., Ancharanus c. ſtatuimus n. 4. eod. tit. in 6., Vgolinus de excom. tab. 2. c. 15. §. 3. n. 4.*, ſuſtinent excommunicato competere actionem in iudicio ad repetendum coniugem, qui iniuſtè ab ipſo receſſit excipientes à communi regula relata *in c. intelleximus de iud., & c. decernimus de ſent. excommunicationis in 6.*, coniuges excommunicatos in ordine ad repetendos temere recedentes proptèr ſingulare priuilegium coniugij indiſſolubilis, ne coniuges temere ſpolientur contra iuris diſpoſitionem.

Hoc vnum aduertendum eſt coniugem recedentem ab excommunicato ſine alia legitima cauſa ab excommunicatione iniuſtè recedere, & grauitèr peccare contra fidem matrimonij; non enim licitum eſt coniugibus ab alijs diuertere ex propriæ voluntatis arbitrio non exiſtentibus cauſis in iure expreſſis, & legitimis tribuentibus facultatem recedendi, vndè onus eſt in eodem recedente ſe reſtituendi ſpoliato, ſed, an ipſe ſpoliatus poſſit agere in iuditio ad talem reſtitutionem id eſt, quod in præſenti controuertitur.

3 *Non competit ſpoliato excommunicato actio repetendi in iuditio alterū, qui temere receſſit.* Reſpondeo; Excommunicato ſpoliato non competere actionem in iuditio ad repetendum coniugem, qui receſſit, quantumuis iniuſtè, & contra iuris diſpoſitionem receſſerit. *Gloſa in c. quoniam multos verb. vxores 11. q. 3. Speculator tit. de petitorio, & poſſeſſorio §. quoniam in ſuperioribus n. 3., Calderinus c. fin. de ord. cognit., Sanchez de matrim. lib. 9. diſp. 14. nu. 24., Felinus c. inter alia nu. vnico vers. numquid maritus de ſent. excommun.* Ratio ex eo deducitur, quod regula generalis *in c. intelleximus de iud., & c. decernimus de ſent. excom. in 6.* tradit excommunicatis nominatim denuntiatis nullam competere actionem in iuditio, quouſque perſeuerat excōmunicatio, nec quoad coniuges excommunicatos vlla ſpecialis eſt in eodem iure exceptio, ergo, nec nos contra generalem regulam debemus excipere.

Dices exceptionem fundari, vel in iure, quo ſtatuitur neminem ex ſua iniquitate poſſe commodum reportare *c. paſtoralis de iure pat., & c. ad liberandum de Iudæis*, vel in onere eiuſdem coniugis recedentis ad ſe reſtituendum, quod vtique onus inutile eſſet, ſi alteri non competeret ius ad ipſum repetendum, vel in beneficio reſtitutionis quoad ſpoliatos. Sed contrà, quia allata omnia iura, & rationes inferunt quidem onus in delinquente ad ſe reſtituendum, & ius in ſpoliato excommunicato, vt reſtituatur, non autem conferunt exercitium iuris quoad actionem externam in iuditio ipſi ſpoliato, & hoc in pænam excommunicationis, quæ priuat excommunicatos iure agendi in iuditio, quantumuis illud ius ipſis aſſiſtat. *Soluitur inſtantia ex aduerſo propoſita.*

Si autem hic inquiras quomodo renuente eo, qui iniuſtè receſſit, ſe reſtituere, ſit conſulendum ipſi ſpoliato, ſi eidem non competit actio in iudicio? Reſpondeo eidem conſulendum eſſe officio Iudicis, quatenus ipſe Iudex ad euitandum periculum incontinentiæ in eiſdem coniugibus debet ſpoliatum ex vi proprij officij reſtituere compellendo eum, qui iniuſtè receſſit, vt redeat. *Gloſa in c. ex inſinuatione verb. aliud de Procur., Sanchez de matrimon. lib. 9. diſp. 14. n. 24.*, & alij magis communitèr; atque ex his patet, quid reſpondendum ſit ad ea, quæ ex Hoſtienſi, & alijs in principio huius diſquiſitionis afferebantur. 4 *Conſulendum eſt ſpoliato excommunicato officio Iudicis.*

§. IX.

An marito perſeuerante, & contumace in excommunicatione, poſſit vxor ab eodem dotem repetere.

SVMMARIVM.

Factum expoſitum in ſuis terminis. 1.
Ex vi excommunicationis mariti non poteſt vxor dotem repetere. 2.
Quando contumax eſt triplex ſententia refertur. 3.
Excommunicatus ſordeſcens in excommunicatione habetur pro hæretico. 4.
Si fuerit contumax, non tamen talis, vt hæreticus

Digitized by Google

ticus habeatur, non poteſt vxor dotem repetere. 5.

Etiamſi tandiu in illa ſorduerit, vt habeatur pro hæretico. 6.

Secus tamen, ſi tanquam hæreticus fuerit ab Eccleſia damnatus. 7.

1 **Exponitur facti ſeries.**

DIſquiſitio IX. Caius conſtante matrimonio cum Angela lapſus eſt in graue delictum, ob quod excommunicatus eſt, & nominatim denuntiatus, à qua excommunicatione, cum abſolui nõ curaret, quin potius in eadem ſordeſceret, Angela ipſius vxor, cum nollet cum peruicaci excommunicato communicare, contendebat ad repetitionem ſuæ dotis, aduerſus quam excipiebat Caius nullam ſubeſſe ſufficientem cauſam ob illam excommunicationem receſſus, & multo minus repetitionis dotis. Quæſitum hic fuit, quid iuris?

2 **Ex vi excommunicationis mariti, nõ poteſt vxor dotem repetere.**

Ex vi excommunicationis præciſè mariti vxorem non habere ius ad repetendam dotem ſuſtinere debent, quot quot ſuſtinent non poſſe recedere à marito, ſed teneri communicare cum ipſo, & in his terminis *Ioannes Campeggius tract. de dot. part. 3. q. 24., Sanchez de matrimonio lib. 9. diſp. 14. nu. 25.* Difficultas igitur ſolummodo eſt, quando maritus contumax eſt in excommunicatione, nec reſcipiſcit à crimine, ob quod lata eſt, nec curat de abſolutione, qua in hypotheſi *Alexander conſ. 78. nu. 20. lib. 5., Probus addit. ad Monachum c. fin. nu. 13. de ſentent. excommun. in 6.,* ſuſtinent, & vxorem poſſe recedere, & agere ad dotis repetitionem. Vgolinus vero *de excommunicatione tab. 2. c. 23. §. 6. nu. 5., Sanchez loc. cit., & alij,* docent, nec poſſe recedere, nec dotem repetere. Roffredus *in ſuis qq. ſabatin. q. 21.,* media via procedit aſſerens de iure ciuili concedi vxori repetitionem dotis, non ſic de iure canonico.

3 **Difficultas procedit, quando contumax eſt, circa quã triplex ſententia refertur.**

4 **Excõmunicatus ſordeſcẽs in excommunicatione habetur pro hæretico.**

Potiſſima ratio dubitandi ex eo conſurgit, quod communitèr circumfertur, quod excommunicatus ſordeſcens per annum in excõmunicatione, nec curans abſolui tanquam hæreticus, vel ſaltem ſuſpectus de hæreſi ſit reputandus; ob hæreſim autem, vel ſuſpicionem violentam hæreſis in vno coniuge licitum eſt alteri ab eodem recedere, prout ſupra docuimus, quod etiam videtur innuiſſe *Vgolinus de excommunic. tab. 2. c. 23. §. 6. nu. 5.,* quod eo fortius videtur colligi ex eo, quod hęretici ipſo iure bona amittãt, per textum *in c. cum ſecundum legem §. fin. de hæret. in 6.,* ſi etenim bona amittunt, nec videntur poſſe dotem retinere.

Reſpondeo primo; Si maritus contumax fuerit in excommunicatione, nec tamen tandiu in eadem perſeuerauerit, vt hæreticus reputetur, non poteſt vxor dotem repetere *Campeggius tract. de dote part. 3. q. 24., Sanchez loc. cit., Vgolinus item loc. cit.* Ratio ex eo deducitur, quia, nec excommunicatio ipſa ſecundum ſe, nec perſeuerantia in eadem per tempus, pro quo non oritur ſuſpicio hæreſis, tribuit ſufficiens ius coniugi innocenti diuertendi ab excommunicato, ergo, nec eidem tribuit ius dotem collatam repetendi, quia quotieſcunque vxor compellitur perſeuerare cum marito, non poteſt ab eodem dotem repetere, cum vigeat onus in marito alimenta eidem vxori tribuendi, & ſuſtinendi onera matrimonij. Antecedens quoad primam partem patet ex prædictis, illudque elucet *ex c. inter alia de ſent. excommunicationis, & c. quoniam multos 11. q. 3.,* & docent *Innocentius III. in d. c. inter alia, & ibi Ioannes Andræas n. 3., Abbas item num. 3., Felinus n. vnico verſ. nota vlterius.* Quoad ſecundam vero ſic euincitur, quia pæna, quæ non imponitur delicto ſecundum ſe, nec intelligitur impoſita perſeuerantiæ in eodem delicto, niſi fortè hoc exprimatur in iure, ſed nullibi reperitur diſpoſitum, quod proptèr perſeuerantiam in excommunicatione vnius ex coniugibus, poſſit alter recedere, & dotem repetere, ergo &c.

5 **Si fuerit contumax nõ tamen talis, vt habeatur pro hæretico, non poteſt vxor dotem repetere.**

Rationes pro reſpõſione.

Dices, quod ratione perſeuerantiæ in adulterio vnius ex coniugibus, nõ ſolum poſſit alter ab eodem recedere, ſed teneatur per ea, quæ ſuperius docuimus *ſub hoc eod. tit. Contractus XV. de matrimon. VI. prænot. 11. ſect. 5. per totum,* & hoc, vel ex motiuo ſcandali vitandi, ne coniux innocens videatur conniuere adulterio alterius, vel ex motiuo correctionis fraternę, ad effectum, vt reſcipiſcat, ergo etiam ratione perſeuerantiæ in excommunicatione vnius ex coniugibus poterit alter ex ex eiſdem motiuis, & titulis, quin immo tenebitur recedere, & per conſequens etiam poterit dotem repetere. Sed contra primo, quia adulterio, vt adulterio annexa eſt pæna in odium delinquentis, vt innocens poſſit ab illo recedere, non autem excommunicationi, qua excommunicatio eſt iniuncta eſt illa pæna, vndè mirum non eſt, quod in primo caſu ex perſeuerantia oriatur obligatio, non ſic in ſecundo, in quo non eſt impoſita illa pæna. Secundo, quia in adulterio continuato maior eſt præſumptio conſenſus, & propterea ſcandali in coniuge innocente, quam in excommunicatione continuata, quandoquidem cum in illo immediatè fiat ipſi iniuria in violatione fidei ſibi promiſſæ, ad quam ius habet ex

Inſtantia propoſita, & diſſoluta.

vi

vi ipſius matrimonij non repugnando, nec adhibendo media neceſſaria ad remouendum ipſum a tali continuata iniuria videtur abſolutè conſentire; in iſto vero, cum non fiat alteri coniugi immediatè iniuria, nec ius, & fides matrimonij lædatur ex eo, quod non adhibeat media ad excommunicatum remouẽdum non facilè præſumitur, quod aſſentiatur tali perſeuerantiæ in excommunicatione, adeoque non oritur ſcandalum.

Reſpondeo ſecundo, ſi maritus ſorduerit in excommunicatione ad tempus, pro quo Eccleſia præſumit pro hæreſi, ſeu excommunicatus reputatur ſuſpectus

6 **Etiamſi tandiu ſorduerit, vt habeatur pro hæretico.**

de hæreſi, probabiliùs etiam vxor non poteſt recedere, nec dotem repetere. Ratio ex eo deducitur, quia pænæ, quæ inurũtur contra delinquentes, intelliguntur de delinquentibus formalitèr in eo genere, in quo inuruntur, non de delinquentibus dumtaxat in eodem genere pręſumptiuè, niſi alitèr fuerit diſpoſitum, ergo cum pæna delinquentis in genere hæreſis ſit, vt ſi fuerit coniux, alter poſſit ab ipſo recedere, hoc erit intelligendum, ſi fuerit formalitèr hæreticus, ſeu in hæreſim formalem inciderit, non autem fuerit talis dumtaxat ex præſumptione, ſeu tantum ex præſumptione iuris ſuſpectus de hæreſi, ſed ex eo, quod ſorduerit per annum in excommunicatione non eſt formalitèr hæreticus, ſed dumtaxat præſumptiuè, ſeu ſuſpectus de eadem, ergo &c. & ratio fundamentalis horum omnium deſumitur ex generali regula, quod pænæ vtpotè odioſę ſint reſtringendæ, & intelligendæ dumtaxat de delicto conſummato, non de delicto ſuſpecto.

Reſpondeo tertio; Si maritus adeo ſorduerit in excommunicatione, vt per iudicium Eccleſiæ, tanquam hæreticus

7 **Secus tamen, ſi tã quam hæreticus fuerit ab Eccleſia condemnatus.**

ſit damnatus, vxor poteſt ab eodem recedere, & dotem eidem ſolutam repetere *Vgolinus de excommunicat. tab. 2. c. 23. §. 6. nu. 5., Sanchez de matrimon. lib. 9. diſp. 14. nu. 25. in fine*. Moueor non ſolum ea ratione, quia ob delictum hereſis licitum ſit diuortium reſpectu innocentis, per ea, quæ ſupra latè commendauimus, ſed etiam, quia vt hæreticus declaratus vt talis amittit omnia bona, per textum *in d. c. cum ſecundum legem §. fin. de hæret. in 6.*, ergo à fortiori amittet etiam ius, quod habet ad dotem vxoris, quæ propterea erit eidem reſtituenda.

---

§. X.

An, ſi ſponſus eſſet excommunicatus ante contractum matrimonij, vel maritus ante conſummationem eiuſdem, poſſet ſponſa, vel vxor cum ipſa communicare.

SVMMARIVM.

Diſquiſitionis ſtatus exponitur. 1.
Contractis præcisè ſponſalibus, ſi ob graue delictum ſuperuenerit expreſſa excommunicatio ſponso, non poteſt eadem perſeuerante ſponſa contrahere cum ipso matrimonium. 2.
Poſt contractum matrimonium licet non conſummatum, vxor poteſt cum illo communicare. 3.
Etiam ſi ante non receperint benedictionem. 4.
Intra bimeſtre tenetur non communicare. 5.

DIſquiſitio X. Contractis ſponſalibus per verba de futuro inter Titium, 1 **Diſquiſitio in caſu particulari expoſita**
& Meuiam, vel fortè etiam matrimonio per verba de præſenti, contigit eidem Titio ob enorme aliquod delictum excommunicari, & nominatim denuntiari. Quæſitum hic fuit, an Mæuia, ſi fuerint dumtaxat contracta ſponſalia cum eodem Titio, poſſit cum illo communicare, an vero debeat abſtinere, perindè ac ſi non eſſet ſponſa, nec contracta ſponſalia, & quid dicendum ſit, ſi eſſet contractum matrimonium per verba de pręſenti, licet non fuerit adhuc conſummatum.

Reſpondeo primo, ſi fuerint dumtaxat cõtracta ſponſalia ſuperueniente excommunicatione Titio ob ipſius graue delictum, & facta eiuſdem excommunicationis nominatim denuntiatione Mæuia 2 **Superueniente ſpõſo excommunicatione lata, nõ poteſt ſpõſa cum eo communicare, donec abſoluatur.**
non poteſt perſeuerante eadem excommunicatione cum eodem communicare *Vgolinus de excommunicatione tab. 2. c. 23. §. 6. n. 4., Sanchez de matrimon. lib. 9. diſp. 14. nu.* 8. Ratio ex eo deducitur primo, quia exceptiones à communi regula non ſunt extendendæ vltra ea, quæ in iure exprimuntur, vt minus, quam fieri poſſit, fiat diſcordantia à iure communi per vulgatiſſima iura, ſed *in d. c. quoniam multos 11. q. 3., & c. inter alia de ſent. excomm.*, in quibus ſit exceptio eorum, qui communicare poſſunt cum excommunicatis nominatim denuntiatis, ſit exceptio vxorum, non ſponſarum, vt legenti ſit manifeſtum, ergo &c. Neque dicas, quod nomine vxorum veniant etiam ſponſæ, quę proinde

Digitized by Google

proindè æquè excipiuntur; contra enim impugnaberis, quia falſum omnino eſt, quod nomine vxoris veniat etiam ſponſa, vt habetur *in l. ſi qua §. 1., & 2. ff. de ritu nupt.* Deindè dato etiam, quod quandoque nomine vxorum venirent etiam ſponſæ in fauorabilibus, hoc tamen fallit in correctorijs, in quibus facienda eſt ſtricta interpretatio, vt minus, quam fieri poſſit, lædatur ius commune. Secundo ex eo euincitur, quia quoad ſponſas de futuro in ordine ad ſponſos nominatim excommunicatos, & denuntiatos, non militat eadem ratio aſſignata *in d. c. quoniam multos, & c. inter alia*, quę militat quoad vxores, nam hæc eſt neceſſitas proueniens à iure naturæ, & periculum incontinentiæ, quæ neceſſitas, quodq; periculum non vrgent quoad ſponſos de futuro, vt per ſe patet, ergo &c. Tertio euincitur quodamodo ex *Concil. Trid. ſeſſ. 24. c. 1. de matrimon.*, vbi aliquo modo interdicitur ſponſis cohabitatio, quod non alia ratione ſtatutum crediderim, niſi ob periculum incontinentiæ, quæ poſſet oriri ex tali cohabitatione, ergo &c.

Rationes pro reſpõſione.

Reſpondeo ſecundo; Si fuerit contractum matrimonium per verba de præſenti, quantumuis non fuerit conſummatum ante latam ſententiam excommunicationis aduerſus maritum poteſt vxor licitè cum eodem marito communicare *Vgolinus de excommun. d. tab. 2. c. 23. §. 6. n. 4., Sanchez de matrimon. lib. 9. diſp. 14. num.* 8., *Diana part.* 5. *tract. 9. reſol.* 126. Ratio ex eo deducitur primo ex vulgata regula, quod nuptias faciat conſenſus, non copula, per textum *in l. nuptias ff. de reg. iuris*. Secundo, quia in communi conceptu, & etiam in rigore iuris nomine vxoris venit etiam nupta per verba de præſenti, quantumuis adhuc non fuerit corrupta. Tertio, quia per contractas nuptias, quantumuis adhuc non conſummatas oritur obligatio cohabitandi, & reddendi debitum, niſi fortaſſis alter coniux cogitauerit de tranſitu ad perfectiorem ſtatum Religionis, ergo quantumuis maritus fuerit excommunicatus poterit vxor cum ipſo communicare reddendo debitum, aliaque obſequia coniugalia præſtando.

3 Poſt contractum matrimonium licet non conſummatũ ſuperueniente marito excõmunicatione vxor poteſt cũ eo cõmunicare.

Solum aliquid negotij videtur faceſcere *Concil. Trident. d. ſeſſ. 24. c. 1. de matrim.*, vbi licet non interdicat ſponſis de præſenti cohabitationem, vt notat *Sanchez d. diſp. 14. num.* 8. monet tamen, ne ante benedictiones in Eccleſia receptas cohabitent; ſi igitur ex Concilio Tridentino ante illas nequeunt cohabitare, per conſequens ſequitur, quod contracto præcisè matrimonio per verba de præſenti nequeant communicare in vſu, alijſq; obſequijs coniugalibus, niſi ſaltem poſitę ſint tales benedictiones. Sed ad hoc poſſum reſpondere primo, Concilium ibi non præcipere, ſed monere, & conſulere ad congruentius eſſe, vndè, ſi omitterentur benedictiones illæ, vel ante illas matrimonium conſummaretur, non contraheretur aliqua noxa. Secundo, ſi Concilium præciperet, quod verum non arbitror, hoc intelligendum eſſet, niſi iuſta cauſa intercederet, quæ excuſaret, in præſenti autem hypotheſi excommunicatio mariti ſufficientèr excuſat ab illa receptione benedictionum, nec arbitrandum eſt ex illo impedimento benedictionum oriri impedimentum communicationis quoad vſum, aliaq; obſequia coniugalia, quandoquidem onus illorum obſequiorum conſurgit ex ipſa natura contractus, quod non intendit Concilium impedire ex illo conſilio benedictionum recipiendarum ante conſummationem, cum hæ exigantur ſolummodo ad melius eſſe.

4 Etiam ſi ante non receperint benedictiones.

Alia hic ſuboritur difficultas, an, ſi contractis nuptijs per verba de præſenti maritus ſubijceretur ſententiæ excommunicationis ante conſummationem earundem, & vxor vellet gaudere beneficio legis concedentis bimeſtre ad deliberandum de ſtatu Religionis, non ſolum eadem vxor eximeretur intra illud tempus a debito coniugali, ſed etiam à cohabitatione, alijſque obſequijs, an vero potius teneretur ab illis abſtinere. Certum arbitror poſſe ab illis abſtinere, & hoc non ex vi excommunicationis, ſed ex vi iuris ſibi competentis in ordine ad deliberandum de perfectiori ſtatu, ſicuti enim poteſt abſtinere, nec poteſt cogi ad debitum coniugale, ita videtur poſſe abſtinere, nec poſſe cogi ad alia, quæ ſunt propria coniugum. Sed an teneatur ex vi excommunicationis mariti in ſuppoſitione, qua velit pro illo tempore bimeſtris gaudere beneficio legis ad deliberandum, pro eodem tempore abſtinere à quacunq; communicatione, perindè ac ſi non eſſet vxor, videtur valdè dubitandum, quia ex vna parte adæquata ratio, ob quam coniuges poſſunt communicare, eſt neceſſitas, & periculum incontinentiæ, ſed pro illo tempore nec vrget neceſſitas, nec periculum incontinentiæ, cum poſſit vxor velle ab illis abſtinere, ergo, nec poterit tunc communicare; ex alia parte cum verè ſint coniuges, & illis liberum ſit, & præcipuè vxori communicare, vel non communicare in principali actione coniugij, non videtur, cur eadem omiſſa

Intra bimeſtre cõceſſum ad deliberandum de Religione, poteſt vxor abſtinere ab obſequijs coniugalibus.

Digitized by Google

non poſſit communicare in alijs minus principalibus, quæ ſecundum ſe non obſtent ſtatui Religioſo, ſeu cum electione eiuſdem. Quid ergo concludendum? Probabilius arbitror teneri abſtinere, quia intantum poteſt communicare cum marito excommunicato, in quantum ex iure naturæ eſt obligatio reddendi, ſed in hac ſuppoſitione, de qua loquimur, non tenetur, quin potius vxor libera eſt ad tales actiones, ad quas nullo iure poteſt compelli, ergo &c.

5 *Intra bimeſtre, tenetur ab obſequijs abſtinere.*

---

§. XI.

An vxor participans in crimine cum marito, ob quod iſte excommunicatus eſt, priuetur iure communicandi cum illo.

SVMMARIVM.

Status controuerſiæ expoſitus. 1.
Vxor communicans cum marito in crimine, ob quod excommunicatus eſt, nequit cum illo in obſequijs communicare. 2.
Vxor communicans cum marito in crimine, ob quod contraxit excommunicationem, ſi communicet cum ipſo, contrahit eandem excommunicationem, quam alij contraherent. 3.
Hæc excommunicatio; quam contrahit vxor in multorum ſententia eſt maior. 4.
Vxor non impeditur ab vſu coniugij cum marito, quamuis communicarit in crimine. 5.

1 *Status controuerſiæ expoſitus.*

DIſquiſitio XI. Maritus ob crimen enorme furti, vel alterius rationis fuit nominatim denuntiatus excommunicatus. Vxori ex ſuperius dictis licitum eſt communicare cum marito, quantumuis excommunicato denuntiato. Hic iam quæritur, an, ſi ipſa vxor communicauerit cum eodem marito in crimine, ob quod ille fuit excommunicatus, ſcilicet in furto, peccet grauitèr non ſolum crimine furti, ſed etiam ratione communicationis cum marito ex eodem crimine, ac perindè ſi in eadem communicatione non eſſet vxor. Secundo, an communicando in tali crimine cum marito contrahat & ipſa excommunicationem. Tertio, an per illam communicationem impediatur communicatione quoad alia.

Reſpondeo primo, vxorem communicantem in crimine, ob quod maritus fuit excommunicatus, non ſolum peccare in genere illius criminis, ſed etiam in genere communicationis contra præceptum Eccleſiæ de non communicando cū excommunicatis nominatim denuntiatis *Sanchez de matrimon. lib. 9. diſp. 14. n. 10., Corneius in 3. part. tract. 5. diſp. 10. §. 10. dub. 2. q. 2., Diana part. 5. tract. 9. reſol. 122.* Hoc expreſsè habetur *in c. inter alia de ſent. excommunicat.*, & congrua quidem ratione hoc decernitur, quandoquidem iura, quæ ſtatuunt pænam excommunicationis contra ſic delinquentes, intendunt auertere à quacunque communicatione in tali delicto, nec præſumuntur velle eos, quos excipiunt à communi regula prohibente communicationem, etiam excipere à communicatione quoad delicta, ob quæ principales delinquentes puniuntur pæna excommunicationis, non enim æquum eſt, vt principales graui pæna compeſcat, & alios deindè accedentes ſine vllo onere admittat.

2 *Vxor cōmunicans cum marito in crimine non poteſt cū illo communicare.*

Rationes pro reſpōſione.

Reſpondeo ſecundo, vxores communicantes in crimine, ob quod mariti pæna excommunicationis plectuntur, cū eiſdem maritis contrahunt excommunicationem, quam contraherent alij non excepti communicantes cum excommunicatis ſpeciatim, & nominatim denuntiatis. *Gloſa in d. c. inter alia de ſent. excommun., Sanchez de matrimon. lib. 9. diſp. 14. n. 10.* Ratio ea eſt, quia quoad hoc vxores nullo gaudent priuilegio, ac perindè eſt, ac ſi non eſſet exceptæ à communi regula, ſed alij non excepti communicantes cum excommunicatis in illo crimine contrahunt excommunicationem, ergo & eadem vxor.

3 *Communicans cū marito poſt communicationem in crimine contrahit excommunicationē.*

Solum difficultas hic remanet, an contrahat ſolummodo in hac communicatione excommunicationem minorem illatam contra communicantes cum excommunicatis nominatim denuntiatis, an vero aliquam maiorem? Gloſa *in d. c. inter alia de ſentent. excommun.* aſſerit contrahere excommunicationem maiorem latam *in c. nuper, & c. ſi concubina de ſent. excommun.* Si verum eſt, quod contra participantes illa excommunicatio ſit illata, certum eſt vxorem ab illa non eximi; quamobrem videndum eſt, an in cuiuſcunque criminis participatione illata eſt pæna excommunicationis maioris, & tunc vxor participans in quocunque crimine, ob quod continget maritum excommunicari, illam contrahet, an vero ſolummodo in participatione alicuius criminis determinati in aliquo genere, & tunc tantū vxor contrahet illam excommunicationem, quādo cōmunicat in illo crimine, ob quod maritus eſt excommunicatus, & contra participantes in illo iniuncta eſt illa pæna.

4 *Hæc excommunicatio, quā contrahit vxor, in multorū ſententia eſt maior.*

Reſpon-

Digitized by Google

Reſpondeo tertio, quantumuis vxor communicans cum marito in delicto, ob quod ille fuit excommunicatus, & in quo illata eſt communicatio contra participantes contraxerit excommunicationem maiorem, non propterea impeditur à communicatione cum eodem marito in vſu aliiſque obſequiis coniugalibus. Ratio ex eo deducitur, quia in illis iuribus *in c. inter alia de ſent. excommunic., & c. quoniam multos* 11. *q.* 3., excipitur à communi regula prohibente communicationem cum excommunicatis denuntiatis vxor, & ſolum prohibetur participare cum marito in crimine, ob quod ille fuit excommunicatus, ergo quantumuis vxor grauitèr peccauerit, & contraxerit excommunicationem etiam maiorem communicando cum marito in illo crimine, ob quod fuit excommunicatus, nō propterea priuabitur iure communicandi in vſu, & obſequiis coniugalibus cum eodem marito. Conſequentia probatur, quia in iure non reperitur diſpoſitum, quod vxor communicando in crimine cum marito, ob quod fuit excommunicatus, priuetur in aliis ex natura contractus debitis communicatione cum ipſo; Neque illi communicationi in aliis obſtare poteſt illa excommunicatio maior contracta ab ipſa vxore; Non, inquam, obſtare poteſt, quia excommunicatio ipſa non priuat iuribus à natura contractus prouenientibus, & ſicuti ipſe maritus per ſuperius probata ex vi illius excommunicationis, quam contraxit, non priuatur iure petendi, & onere reddendi, ita nec vxor ex vi excommunicationis, quam contraxit in illa participatione priuabitur iure &c.

5 **Vxor non impeditur ab vſu coniugii.**

Rationes pro reſponſione, & obiectiones ſolutæ

§. XII.

An, ſi maritus ſpontè venditus à Domino in longinquas partes extrahatur, teneatur vxor libera illum ſequi.

SVMMARIVM.

Facti ſeries expoſita. 1.
Rationes ſuadentes non teneri ſequi. 2.
Tenetur ſequi, niſi ex alia cauſa excuſetur. 3.
Soluuntur rationes oppoſitæ. 4.

1 **Exponitur factum in ſuis terminis.**

DIſquiſitio XII. Dictum fuit in præcedentibus *ſub hoc eod. tit. Contractus XV. de matrimon. VI. prænot.* 5. *aſſert.* 2. poſſe maritum etiam inconſulta vxore ſe ipſum vendere. Suppono iam, quod, cum Dominus perfectum ius ex titulo emptionis in eundem acquiſierit, eundem diſtrahat per venditionem in longinquas rationes; quo ſuppoſito, quæro, an vxor, quæ libera remanſit, teneatur eundem virum venditum ſequi in ordine ad onera matrimonii.

Videtur abſolute tenendum, non teneri vxorem liberam ſequi maritum alio venditum, cum maritus eidem iniuriam intulerit ſe vendendo, & transferendo dominium ſui in alium ſuæ voluntatis arbitrio, nam per illam nouam ſeruitutem ſuperinductam denegari non poteſt, quin præiudicium fuerit illatum obſequiis coniugalibus, ad quæ coniuges ipſi mutuam habent obligationem; dura etenim eſt, & miſerabilis ſeruorum conditio propter dominorum imperium, quibus tenentur, velint, nolint etiam in iis, ad quæ iure ſeruitutis non tenentur, & ſæpius impediuntur mutuis obſequiis perſonalibus, & coniugalibus inuicem præſtandis; & propter hanc rationem *Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrim. c.* 6. *n.* 24. ſuſtinet abſolutè vxorem non teneri ſequi maritum in longinquas regiones à Domino venditum. Nihilominus

2 **Rationes ſuadentes non teneri ſequi.**

Reſpondeo, quod, ſi ex alia cauſa non excuſetur, teneatur virum a Domino venditum in longinquas regiones ſequi *Sanchez de matrim. lib.* 7. *de impedim. diſp.* 23. *n.* 6. Ratio ex eo deducitur, quia ſuppoſita legitima venditione, & valida, quam late probauimus *ſub d. tit. de matrimon. VI. prænot.* 5. *aſſert.* 2. emptor acquiſiuit plenum ius, quod ipſe maritus venditor habebat ſuæ libertatis, ſed ipſe maritus, ſi ſe non vendidiſſet, habebat plenum ius, ſe in longinquas regiones transferendi, & tunc vxor tenebatur eum ſequi, niſi ex alia cauſa deobligata remaneret, ergo etiam ſi maritus vendiderit & dominus miſerit ſeruum emptum in longinquas regiones, vxor tenebitur illū ſequi, niſi aliunde excuſetur.

3 **Tenetur ſequi, niſi ex alia cauſa excuſetur.**

Neque obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, quod Dominus, qui emit maritum conſcius illius coniugii, non poſſit illum in longinquas regiones vendere, ne reddat onera matrimonii grauiora, quia intereſt Reipublicæ, ne quis re ſua abutatur *§. penult. Inſtit. de his, qui ſunt ſui, vel alien. iur. l. poſſeſſionum* 11. *C. communia vtriuſq; Iudic.* Ibi-*quis ferat liberos à parentibus, à fratribus ſorores, à viris coniuges ſegregari*; atque ſic particulariter loquuntur *D. Thomas in* 4. *diſt.* 36. *q. vnica art.* 2. *ad* 4. *Gloſa c.* 1. *de coniugio ſeru.* 2. *n.* 16. *verb. ſeruitia, Hoſtienſis in ſumma eod. tit. n.* 5., *Monaldus in ſumma, vbi de matrimon. tit. de im-*

4 **Inſtantia propoſita, & diſſoluta.**

Digitized by Google

impedimento conditionis paulo poſt princip. Non, inquam, obeſſe poteſt, quia gratis omnino, & ſine fundamẽto dicitur, quod Dominus non poſſit ſeruum ſibi venditum in longinquas regiones vendere, cum talis venditio non vergat in præiudicium debiti coniugalis, cum maritus non obſtante illa venditione ſui facta adhuc teneatur vxori ad omnia, quæ lex matrimonij petit, & illud grauamen, quod conſequitur in vxorem ad maritum ſequendum, eſt ex conditione perſonæ, quæ, cum ſubdita ſit viro, debet ipſum ſequi, & ſicuti, ſi ſponte ipſe maritus in longinquas regiones ſe transferret, teneretur vxor ipſum ſequi, niſi ex alia cauſa excuſaretur, ita ſi in tales regiones transferatur à Domino, in quem tranſtulit ſuæ libertatis dominium, tenebitur vxor illum comitari.

Ad rationes, quæ ex aduerſo afferebantur à Ioanne Angelo Boſſio loc. cit. late reſponſum eſt loc. cit., nempe *ſub d. tit. de matrim. VI. prænot. 5. aſſert. 2.*

---

§. XIII.

An ſi maritus ſe vendat inconſulta, ſeu inuita vxore tribuat eidem iuſtam cauſam diuortij.

SVMMARIVM.

Senſus difficultatis expoſitus. 1.
Sententia aſſerens talem venditionem conferre vxori iuſtam cauſam diuortij. 2.
Probabilius non acquirit ius ad diuortium. 3.
Etiam ſi ſit facta in fraudem vxoris. 4.
Soluuntur rationes oppoſitæ ſententiæ. 5.

DIſquiſitio XIII. Caius contractis nuptijs, cum Calidonia ſponte ſe vendidit Theodorico, & quidem omninò inconſulta, ſeu potius inuita eadem Calidonia, quod certe grauem culpam inducit, cum cedat in dedecus, & iniuriam eiuſdem Calidoniæ, prout docent *Petrus de Ledeſma de matrimon. q. 52. art. 3. in ſolut. ad vlt., Sanchez de matrimon. lib. 7. de*
1 Exponitur factum in ſuis terminis. *impediment. diſp. 23. n. 3., & nos etiam latè documus ſupra ſub hoc eod. tit. Contractus XV. de matrim. 6. prænot. 5. aſſert. 3.* Quæſitum fuit, an ex hoc motiuo dedecoris, & iniuriæ illatæ vxori acquiſierit eadem vxor iuſtam cauſam diuortij ab eodem marito.

Henriquez *lib. 11. de matrim. c. 10. n. 5. Petrus de Ledeſma de matrim. q. 2. art. 3. in corrollario, quod infert ex concl. vnica* docent talem venditionem præbere iuſtam cauſam diuortij vxori, hocque probat *Henriquez ex textu in c. porrò de diuortio.* Alij limitant hanc opinionem in ſuppo- 2 Sententia tribuẽs ius ad diuortium cum ſuis rationibus.
ſitione, qua maritus ſe vendiderit in fraudem vxoris, vt ipſam ſpoliaret commodis iuris coniugalis, ſecus vero, ſi ſe vendiderit ex alio motiuo, puta ex titulo paupertatis propriæ. Nihilominus

Reſpondeo, ex illa venditione, quantumuis fuerit in fraudem vxoris facta, non acquirit vxor ius ad diuortium, *Sanchez de matrim. lib. 7. de impediment. diſp. 23. n. 5.* Ratio ex eo deducitur primo, 3 Probabilius non acquirit ius ad diuortium.
quia maritus ſic ſe vendens vtitur iure ſuo; non enim ſubditur vxori, niſi quatenus ad ea, quæ ſpectant ad vſum coniugij, ſed per talem venditionem per ſuperius probata in nullo maritus lædit iura matrimonij, ergo per illam venditionem non tribuit vxori ius diuortij. Secundo quia non ex quacunque iniuria illata vxori per maritum tribuitur ſufficiens cauſa diuortij, ſed ex illa ſolummodo, quæ à iure præſcribitur, ſed nullibi in iure decernitur, quod per venditionem ſui ipſius factam ſpontaneè à marito tribuatur ius vxori recedendi per diuortium ab ipſo, quin potius, quod teneatur eum ſequi, ergo &c.

Dixi, *quantumuis fuerit in fraudem vxoris facta*, quia, quantumuis illa intentio fraudandi vxorem grauet culpam ex peruerſitate, ſeu animo peruerſo fraudantis, 4 Etiam ſi ſit facta in fraudem vxoris.
quia tamen nõ attingit aliquod ius, quod ſit debitum ipſi vxori, ſed dumtaxat exercitium iuris, quo gaudet ipſe maritus, ideo non confert aliquod ius vxori ad receſſum, ea proportionali ratione, qua ſi quis male vteretur re ſua, cuius plenum habet dominium ea intentione, & fine, ne alteri inſeruiret in ea re, quam ipſi non debet, non læderet aliquod ius eiuſdem, nec ex illo rei ſuæ abuſu, quantumuis ex illa intentione facto aliquod conferret ius ei, cui noluit in illa re inſeruire.

Ad illud, quod ex Henriquez afferabatur deſumptum ex textu *in c. porro de diuort.* dicendum eſt textum illum ad rem præſentem nihil conferre, cuius propterea nulla habenda eſt ratio; nec obſtat, quod illa venditio mariti vergat quoquo modo in dedecus vxoris, cum diceretur vxor ſerui, cui non nupſiſſet, ſi nouiſſet &c. Non obſtat, inquam, quia 5 Soluuntur rationes oppoſitæ ſententiæ.
non ex quocunque dedecore reſultante in vxore ex cauſa mariti oritur ius in eadem vxore deſerendi maritum, quinimmo cum ipſa debeat ſequi conditionem eiuſdem mariti, debet proprio infortunio imputare, quod tali nupſerit, quod

ean-

Digitized by Google

eandem in tale dedecus deduxerit.

Hæc, quæ dicta ſunt, procedunt ſpectato iure communi, nam attentis iuribus municipalibus aliquorum Regnorum, & præcipuè Hiſpaniæ, prout habetur *in l. Regia fin. tit. 5. part. 4.* nec talis venditio tenet, & per conſequens poſſet per vxorem reuocari, & ſi maritus, non obſtante tali validitate nollet à venditione recedere, poſſet & ipſa vxor ab eodem marito recedere, quia ius ipſius tunc eſſet violatum.

---

§. XIV.

An ſi maritus inuita vxore ſe venderet, & vxor inuito marito, peccarent contra iuſtitiam.

SVMMARIVM.

Refertur ſenſus diſquiſitionis. 1.
Sententia aſſerens venditionem mariti inconſulta vxore eſſe contra iuſtitiam. 2.
Maritus vendens ſe ipſum, quantumuis in fraudem vxoris, non peccat contra iuſtitiam. 3.
Vxor vendens ſe ipſam inconſulto marito peccat contra iuſtitiam. 4.

1 Status diſquiſitionis expoſitus.

DIſquiſitio XIV. Quamuis venditio ſui ipſius facta per maritum teneat etiam inconſulta, ſeu inuita vxore, certum tamen eſt, eundem maritum præſtantem hoc ſine rationabili cauſa præponderante iniuriæ, quæ infertur vxori, grauiter peccare per ea, quæ late docuimus ſupra *ſub hoc eodem titulo Contractus XV. de matrimon. VI. pranot. 5. aſſert. 3.* Sed an tale peccatum, quod commiſit maritus in venditione ſui ſine cauſa, quin potius in fraudem vxoris ſit contra iuſtitiam, nec'ne, id eſt, quod in pręſenti proponitur examinandum, quod dubium magis extendentes inquiremus, an eodem modo Phyloſophandum ſit de vxore ſe ipſam vendente contra voluntatem mariti, ac de marito ſe vendente contra illius voluntatem?

2 Sententia aſſerens venditionem mariti inconſulta vxore eſſe contra iuſtitiam.

Petrus *de Ledeſma de matrim. c. 52. art. 3. in ſolut. ad vltimum* loquens de venditione ſui ipſius facta à marito inconſulta, ſeu inuita vxore aſſerit eſſe peccatum contra iuſtitiam, quem non alia ratione moueri arbitror, niſi quia illa venditio cedit in graue dedecus vxoris, & familiæ iniuriam nulla cauſa præponderante. Sed non videtur efficax hæc ratio, nam licet quis peccet contra iuſtitiam dedecus, & infamiam alteri inferens per detractionem eius, quod eidem eſt debitum, puta per detractionem famæ, & honoris, quam, ſeu quem legitimè poſſidet, non peccat tamen contra iuſtitiam inferendo ſoſummodo dedecus per ſubtractionem eius, quod eſt ſui iuris, & non eſt vxori debitum, ſeu alteri, ſic v.g. maritus infamans ſe ipſum, quodamodo infert dedecus vxori, non tamen dicitur erga vxorem peccare contra iuſtitiam, quia non ſubtrahit niſi id, quod eſt ſui iuris. Fortior ratio meo videri ea poteſt eſſe, quia maritus ſe vendendo quoquo modo lædit ius, quod vxor acquiſiuit aduerſus ipſum ex vi contractus matrimonialis, quandoquidem denegari non poteſt, quin per illam ſeruitutem impediatur aliqua ratione ab obſequijs coniugalibus vxori debitis; ſubiectio etenim ſeruitutis ad plura diſtrahit, quæ non compatiuntur cum conſueto viuendi modo inter coniuges. Nihilominus

3 Maritus vendens ſe ipſum, quantumuis in fraudem vxoris non peccat cõtra iuſtitiam.

Reſpondeo primo, maritus voluntariè vendens ſe ipſum, quantumuis hoc præſtat in fraudem vxoris, non peccat contra iuſtitiam *Sotus in 4. diſt. 35. q. vnica art. 3. ad primum, Sanchez de matrimon. lib. 7. de impedimentis diſp. 23. n. 4.*, à quibus non diſſentiri videtur *D. Thomas in 4. diſt. 36. q. vnica art. 3. ad primum.* Ratio ex eo deducitur, quia quis vtendo iure ſuo non peccat contra iuſtitiam, potiſſimum ſi ſimul, & ſemel non lædat ius alterius, ſed in hoc potiſſimum caſu maritus ſe ipſum vendens vtitur iure ſuo, nec lædit ius vxoris, ergo non peccat contra iuſtitiam. Minor probatur, quia vxor non habet ius erga maritum, niſi quoad ea, quę ſpectant ad vſum, & obſequia coniugalia, prout docet *D. Thomas in 4. diſt. 36. q. vnica art. 3. ad primum*, per hoc autem, quod maritus ſe vendiderit, non priuaſſe intelligitur vxorem iure ad talem vſum, & obſequia coniugalia, nec Dominus emptor eiuſdem poteſt impedire maritum à tali vſu, & obſequijs.

4 Vxor vendens ſe ipſã inconſulto marito peccat contra iuſtitiam.

Reſpondeo ſecundo, vxor ſe ipſam vendendo ſine conſenſu mariti, quin potius eodem inconſulto, ſeu inuito peccat contra iuſtitiam *Petrus de Ledeſma de matrim. q. 52. art. 3. ad 2., Sanchez de matrimon. lib. 7. diſp. 23. n. 10.* Atque huic reſponſioni adhærere arbitror quotquot ſuſtinent vxorem non poſſe ſe ipſam vendere inuito, ſeu inconſulto marito *D. Thomas in quarto diſt. 36. q. vnica art. 3. ad 3., Turrecremata c. penult. 29. q. 2. art. 2 n. 3., Aſtenſis in ſumma 2. part. lib. 8. tit. 15. art. 3. q. 3., Sotus in 4. diſt. 35. q. vnica art. 3. ad 2., Palacios in 4. diſt. 30. diſput. vnica col. 14. verſ. quod ſi etiam.* Ratio ex eo deducitur, quia vxor ſe ipſam vendens in-

con-

conſulto, ſeu inuito marito lædit ius, quod habet maritus in eandem vxorem, ſiquidem vxor ſubditur eidem marito non præciſè quoad debitum, & alia obſequia coniugalia, ſed etiam eidem, tanquam capiti in reliquis, quæ ad regimen domus, & familiæ attinent per ea, quæ latè docuimus *ſub hoc eodem tit. de matrimon. VI. prænot. 5. aſſert. 1.* ergo cum per talem ſui venditionem priuet maritum iure, quo gaudet aduerſus eandem vxorem, quoad ea, quæ pertinent ad regimen eiuſdem familiæ peccabit contra iuſtitiam, vnde maritus poterit ex iure iuſtitiæ ſibi competente eandem reuocare.

§. XV.

An maritus agens ad reuocationem vxoris, quæ ſe ipſam vendidit, teneatur pretium pro ipſa ſolutum reddere.

SVMMARIVM.

Exponitur facti ſeries. 1.

Si pretium, quod vxor recepit in ſui venditione, non expenderit in vſus familiæ, maritus non tenetur in reuocatione vxoris illud rependere. 2.

Si verſum fuerit in vtilitatem familiæ, tenetur maritus id, in quo factus eſt ditior, emptori referre. 3.

1 Factũ expoſitũ in particulari.

DIſquiſitio XV. Inconſulto, ſeu inuito marito Caia vxor ipſius ſe ipſam Sempronio vendidit. Ægrè ferens talem venditionem maritus agebat ad ipſius repetitionem, aduerſus quem excipiebat emptor de pecunia ſoluta in ipſius Caiæ emptione, quem ſibi reddi petebat; cumq; vxor ipſa non eſſet reſtituendo vtpotè quæ pretium ſui diſperſerat, quæſitum fuit, an maritus ad conſequendam vxorem teneretur illud pretium perſoluere?

Conſiderabilia circa factum.

Conſiderandum eſt pro ſolutione, an vxor pecuniam, quæ recepit ex ſui venditione, expenderit, ſeu conuerterit in res familiæ, & commoditates eiuſdem, adeo vt ex ea facta fuerit locupletior, an vero expenderit in alijs non concernentibus eiuſdem domus, ſeu familiæ vtilitatem; iuxta etenim hanc duplicem conſiderationem oriri poteſt diuerſum ius, & diuerſa ratio decidendi; & quidem prima fronte videtur iuxta vtranque pretium ob venditionem vxoris receptum eſſe reſtituendum quandoquidem ille contractus venditionis eſt ſecundum ſe abſolutè nullus, adeoque nullum ius ex vtraque parte poteſt gignere, ergo in reſolutione eiuſdem vtraque pars eſt reintegranda, & ſic ſi marito reddenda eſt vxor, emptori eſt reſtituendum pretium. Nihilominus

Reſpondeo primo, ſi pecunia illa non fuerit conuerſa in res familiæ, & vtilitatem eiuſdem, adeo vt ex illa non facta fuerit ditior, non tenetur maritus in reuocatione vxoris pretium, nec aliquid reſfundere emptori. Ita in ſimilibus terminis *Gregorius Lopez in l. reg. fin. tit. 5. p. 4. verb. à ſaliendas*, qui quamuis loquatur de vxore retractante maritum venditum in terminis iurium municipalium hiſpaniæ prohibentium marito, ne ſe ipſum vendat, & ſi vendiderit inconſulta vxore, poſſit ab eadem reuocari, trahi tamen poteſt etiam ad ſenſum noſtræ reſponſionis, quandoquidem in tantum poteſt vxor reuocare maritum venditum, in quantum iura municipalia irritant talem venditionem, ergo, etiam cum ius commune, & ipſa iuſtitia irritet venditionem vxoris inconſulto, ſeu inuito marito, poterit, & hic illam reuocare, ergo, ſi illa reuocando non tenetur emptori mariti refundere pretium, nec maritus reuocans vxorem tenebitur pretium pro illa ſolutum emptori reſtituere. Ratio reſponſionis ex eo deducitur, quia nullum ius, nullaque ratio obligat maritum ad talem pretij reſtitutionem; non res accepta, quia, nec pretium ipſum traditum eſt marito, nec apud illũ extat; non ratione iniuſtæ acceptionis, quia ipſe tale pretium non recepit, nec aliquo modo concurrit ad acceptionem illius; nec ex eo, quod ex illo factus fuerit locupletior, quia non verſum eſt in ipſius vtilitatem, ergo &c. Neque dicas, quod teneatur ratione eiuſdem coniugis, quatenus ipſe emptor ad recuperandum pretium ſolutum, poſſit tandiu vxorem retinere, quandiu ſatisfecerit pro illo pretio ſuis operibus, & obſequijs ipſi emptori præſtandis, adeoque, ſi maritus velit immediatè ipſam redhibere, teneatur pretium correſpondens illis operibus, & obſequijs perſoluere; contra enim impugnaberis, quia, cum illa opera, & obſequia ſint marito debita ex vi contractus matrimonialis, non poteſt habere emptor ius ad illa, vt ex illis ſatisfiat, adeoque pro illis nequit aliquid à marito exigere, & maritus ipſe plenum ius habet immediatè vxorem reuocandi; vndè emptor debet ſibi imputare, quod contractum illud inierit, & proprio infortunio, quod pretium illud fuerit conſumptum.

2 Si vxor pretium illud non expenderit in vſus familiæ, maritus in reuocatione vxoris, non tenetur illud refundere.

Ratione pro reſpõſione.

Inſtantia propoſita, & diſſoluta.

Reſ-

Digitized by Google

3 Si verſum fuerit in vtilitatem familiæ, tenetur maritus id, in quo factus eſt ditior refundere.

Reſpondeo ſecundo, ſi pretium illud fuerit verſum in rem, & vtilitatem familiæ, adeo vt maritus, & familia ex eo factus fuerit locupletior, tenetur idem maritus emptori, illud refundere, in quo factus fuit locupletior. In hac arbitror omnes conſentire. Ratio ex eo deducitur, quia ex contractu nullo contrahentes nequeunt aliquod ius acquirere, vndè contractus ille reſoluendus eſt conſtituēdo eoſdem contrahentes in ſuo eſſe, adeo vt nemo ex alieno diteſcat, ergo cum maritus ex illo contractu venditionis propriæ vxoris inualido factus fuerit ditior, & quidem ex pecunia emptoris eiuſdem vxoris, tenebitur illud, in quo factus fuit ditior, eidem emptori reſtituere. Confirmatur, quia, ſi pretium illud, quo vxor fuit empta, adeſſet pænes maritum, teneretur hic illud eidem emptori refundere, ergo, cum apud ipſum aliquid eiuſdem pretij ęquiualentèr exiſtat, nempè id, in quo factus fuit locupletior, tenebitur illud eidem emptori reſtituere; Neque arbitrandum eſt, quod emptor ipſius vxoris in pænam illius contractus iniqui, & inualidi priuetur iure ad illud pretium repetendum; Non, inquam, arbitrandum, quia nullibi in iure de tali pæna reperitur diſpoſitum, & in illo contractu non ſolum deliquit emptor, ſed etiam vxor ſe vendens, quin etiam grauius,

Rationes pro reſpōſione.

Inſtantia expoſita, & ſoluta.

§. XVI.

An vxor teneatur ſequi maritum ductum in captiuitatem, & cur, ſi non teneatur in hoc caſu, teneatur quando maritus ſe ipſum vendidit.

SVMMARIVM.

Facti ſeries expoſita. 1.

Regulariter vxor non tenetur eum ſic captiuum ſequi. 2.

Aſſignatur ratio, cur teneatur virum in longinquas regiones venditum ſequi, non ſic captiuum ab hoſtibus. 3.

Si tamen emptor mariti vagaretur, vxor non teneretur eum ſequi. 4.

1 Refertur ſtatus diſquiſitionis.

DIſquiſitio XVI. Dictum fuit in præcedentibus, quod, ſi maritus ſe ipſum venderet, & ab emptore in longinquas regiones reuenderetur, teneretur vxor ipſius ipſum ſequi, niſi ex aliqua graui cauſa excuſaretur, quod etiam docet *Sanchez de matrimon. lib. 7. de impedim. diſp. 13. nu. 6., & alij*. Modo inquirimus, an, ſi maritus iure captiuitatis in bello ſeruus efficeretur, & in captiuitatem traheretur, teneretur etiam vxor illum in captiuitate comitari, & ſi non tenetur in hac hypotheſi, cur teneatur ſequi, quando à primo emptore eſſet venditus in longinquas regiones?

Reſpondeo primo; Regularitèr loquendo, non tenetur vxor maritum iure belli in captiuitatem attractum ab hoſtibus ſequi. *Petrus de Ledeſma de matrim. q. 52. art. 3. in corrollario, quod infert ex concluſione vnica, Sanchez de matrimon. lib. 7. de impedim. diſp. 23. nu. 5., Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrim. c. 6. n. 25. vers. quod, ſi alter*. Ratio ex eo deſumitur, quia onera captiuitatis longè grauia ſunt, & grauibus incommodis admixta, & cum inter hoſtes maritus captiuus verſetur, ſi vxor eum teneretur ſequi, inter hoſtes commorari teneretur, & quodammodo quaſi captiua cum marito captiuo conſtitueretur; vxor autem non tenetur, vt ſequatur maritum, grauia illa incommoda captiuitatis perpeti, & inter hoſtes verſari, ergo &c. Confirmatur, quia captiui in bello, maximè ſi ſint milites gregarij, & deterioris conditionis regularitèr inter milites cuſtodiuntur; honeſtati autem, & fæminæ honeſtæ decori non conuenit ita viuere, ergo &c.

2 Regularitèr vxor, non tenetur eum ſequi.

Rationes pro reſpōſione.

Reſpondeo ſecundo; Ratio proptèr quam vxor tenetur virum à Domino venundatum in longinquas regiones ſequi, ſi alia cauſa non excuſet, non verò teneatur ſequi maritū in captiuitatem ductum, ea eſt, quia regularitèr non tot incommoda, nec tantum dedecoris ſpeciem præfert ſeruitus voluntaria per venditionem, ac ſeruitus coacta iure captiuitatis in bello. In hanc reſponſionem conſentire arbitror DD. allegatos pro prima, dum dicunt teneri vxorem ſequi virum venundatum, non autem virum captiuum in bello, & aliundè diſtractū. Incommoda autem maiora in eo conſiſtunt primo, quia maritus in bello captiuus poteſt magis ab obſequijs coniugalibus impediri, ac ſeruus venundatus, quia emptor ſupponitur acquirere ſaluo iure coniugij; non ſic victor. Secundo, quia ſeruus captiuus poteſt trahi quocūque dux victor voluerit, ſeruus autem venundatus regularitèr manet, vbi fixum eſt domicilium Domini emptoris, quod, ſi ſupponatur ipſe emptor vagari, nec firmam habere ſedem, nec tunc vxor tenetur eum ſequi, prout docet *Ioannes Angelus Boſſius tract. de matrimonij effect. lib. c. 6. num. 25., & Sanchez d. l. 7. de impedimentis diſp. 23. n. 2.*, dum ait teneri ſequi, *ſi commodè*

3 Aſſignatur ratio, cur teneatur virum venditum ſequi, non captiuum.

Digitized by Google

modè poteſt; non poteſt autem commodè ſequi, ſi maritus cum emptore vago vagetur. Tertio, quia captiuus in bello, tenetur inter hoſtes verſari; non tenetur autem vxor libera, vt cum marito viuat, cum hoſtibus verſari. Quarto, quia regularitèr loquendo maritus captiuus in bello maximis afficitur anguſtijs, & ærumnis, quas non tenetur vxor libera perpeti.

4 Si emptor mariti vagaretur, & ſecum illum duceret, non teneretur vxor ipſi ſequi.

Dixi *regularitèr loquendo*, nam, ſi maritus captiuus in bello honeſtè, & commodè viueret inter hoſtes, & nulla eſſet ſpes proximæ redemptionis, & in certo loco cuſtodiretur, non renuerem concedere, quod vxor ſic inſtante eodem marito, niſi alia damna imminerent, teneretur ſe illuc transferre, vbi captiuus tenetur maritus in ordine ad obſequia coniugalia eidem marito præſtanda, quia tunc verificaretur, quod ſine graui ſuo incommodo teneretur eundem maritum comitari.

Limita, ſi maritus inter hoſtes honeſtè viueret.

§. XVII.

Quibus remedijs poſſit vti coniux ad compellendum alterum nolentem cohabitare ad cohabitandum.

SVMMARIVM.

Exponitur factum in ſuis terminis. 1.
Coniux ſpoliatus poteſt reſtitutionem petere iuditio, tàm petitorio, quàm poſſeſſorio. 2.
Competit coniugi ſpoliato actio ad repetitionem, tàm coram Iudice Eccleſiaſtico, quàm coram laico. 3.

1 Facti ſeries exponitur.

DIſquiſitio XVII. Poſt contractas nuptias inter Caium, & Theodoricam idem Caius ſine iuſta cauſa diuertit ab eadem Theodorica, & detractat cum eadem cohabitare. Quæſitum fuit, quo in iuditio, & quibus iuris remedijs poſſit innocens illum repetere, & compellere ad cohabitandum? Nonnulla de his attigimus ſufficientèr in præcedentibus, nunc ex profeſſo vix aliquid examinandum remanet.

2 Spoliatus poteſt reſtitutionē petere iuditio, tàm petitorio, quàm poſſeſſorio.

Reſpondeo primo coniugem ſpoliatū poſſe reſtitutionem petere iuditio, tàm petitorio, quàm poſſeſſorio *Hypolitus Riminaldus conſ. matrim. diuerſ. 81. num. 15., Menochius recup. remed. 1. nu. 328., Couaruuias de ſponſal. par. 2. c. 7. §. 5. n. 9., Surdus de alimentis tit. 7. q. 17. num. 20., & ſeqq., Farinacius part. 5. prax. crimin. q. 143. n. 143.* Expreſsè colligitur *ex c. literas de reſtitut. ſpol., & ex c. porro de diuortijs*; pro quo aduerte tunc agi iuditio poſſeſſorio, quādo cauſa mouetur præcisè ad recuperandam poſſeſſionem probando poſſeſſionem fuiſſe apud agentem, qua fuit ſpoliatus; tunc vero agi iuditio petitorio, quando intentatur iuditium ſuper merita cauſæ probando ius competere eidem agenti, & ius nullum ſuffragari ſpolianti.

Reſpondeo ſecundo; Coniugi ſpoliato competere actionem ad alterum repetendum præcipuè coram Iudice Eccleſiaſtico, quinimmo etiam coram Iudice laico, ſi non agatur de matrimonij valore, prout dictum eſt, *ſub hoc eodem tit. Contractus XV. de matrimon. 6. prænot. 9. aſſert. vltima*. Quomodo autem poſſint agere huiuſmodi Iudices dictum eſt ibid. An vero poſſit agere rei vendicatione, an vero ſolummodo petitione eodem in loco concluſum eſt, vbi etiam definitum fuit, an actio, qua ſpoliatus agit, dicenda ſit ex matrimonio, an vero præſcriptis verbis. Plura alia pertinentia ad huiuſmodi actiones in caſu receſſus alterius coniugis ſine iuſta, & legitima cauſa actitata fuerunt ibidem, quæ hic non repeto, ſed ad ibi dicta vos remitto.

3 Competit ſpoliato actio, tam coram Iudice Eccleſiaſtico, quàm laico.

§. XVIII.

An, ſi Pater iniuſtè detineat vxorem filij, poſſit filius agere aduerſus Patrem pro ipſius reſtitutione.

SVMMARIVM.

Status controuerſiæ expoſitus. 1.
Iudex Eccleſiaſticus poteſt procedere contra quemcunque alienæ vxoris detentorem. 2.
Filius poteſt agere in iuditio aduerſus Patrem ad repetendam vxorem ab eo detentam. 3.
Poteſt agere, & coram Iudice Eccleſiaſtico, & coram laico. 4.

DIſquiſitio XVIII. Contractis nuptijs inter Antonium filium Andreæ, & Mæuiam filiam Saturnini, eiſdemquè fortè conſummatis Andræas Pater Antonij eandem Mæuiam, vel ſine cauſa fugientem à marito recepit, vel eam ab eodem Antonio quaſi volentem abſtraxit, & quibuſcunque petitionibus renuit reſtituere. Quæſitum hic fuit, an filius poſſit in iuditio agere aduerſus Patrem ad eandem Mæuiam vxorem ſuam repetendam implorata Iudicis, ſiue Eccleſiaſtici, ſiue ſæcularis poteſtate ad compellendum.

1 Facti proponitur in particulari.

Iudicem potiſſimum Eccleſiaſticum 2 poſſe procedere aduerſus quemcunque coniugis alieni detentorem, maximè, ſi hic

hæc iniuſtè detineat indubitati iuris videtur, & apertè colligitur *ex c. non ex vobis de ſponſalib.*, & hoc per Eccleſiaſticas cenſuras, quod ſi propter peruicatiam detinentis hoc non ſufficiat, per implorationem bracchij ſæcularis, prout communitèr docent DD., & non ſolum ad petitionem, & inſtantiam coniugis ſpoliati, ſed etiam ex officio ad vitandum ſcilicet periculum incontinentiæ; Sed, an ipſe ſpoliatus aduerſum detentorem poſſet agere vindicatione, diſſidium eſt inter DD. dum aliqui abſolutè negant, quia ad rei vendicationem requiritur dominium in vendicante, quod non eſt in marito, reſpectu vxoris, vt docent *Ioannes Andræas in addit. ad ſpecul. tit. qui filij ſunt legit. §. vnico lit. G. verb. præiuditiū*, *Calderinus c. non eſt de ſponſal.*, alij vero affirmant, ſi adijciatur cauſa, prout docet *Abbas c. illud de præſumpt.* Sed in hoc non immoramur, cum latè de hoc egerimus ſupra.

2 Iudex Eccleſiaſticus poteſt agere contra detentores alienæ vxoris.

An ſpoliatus poſſit agere rei vendicatione, remiſſiuè.

Sed an filius poſſit agere aduerſus Patrem in iuditio, ſiuè Eccleſiaſtico, ſiuè ſæculari, ſiuè vindicatione, ſiuè petitione ſimplicitèr ad repetendam vxorem propriam ab eodem detentam id eſt, quod in præſenti proponitur diſcutiendum. Ex generali regula, qua lites interdicuntur inter Patrem, & filium, prout habetur *in l. lis nulla ff. de iuditijs*, videtur abſolutè aſſerendum, non poſſe filium in iuditio aduerſus Patrem agere ad repetendam vxorem. Nihilominus

Rationes ſuadentes filium nō poſſe agere aduerſus Patrē.

Reſpondeo; Filium vtique poſſe agere in iuditio aduerſus Patrem ad repetendam propriam vxorem ab illo detentam, & non ſolum coram Iudice Eccleſiaſtico, qui compellat per cenſuras, ſed etiam coram Iudice ſæculari iuxta ſententiam aſſerentium, quod quando controuerſia non eſt ſuper valore matrimonij, Iudex etiam laicus poſſit compellere coniuges ad cohabitandum, qui Iudex laicus compellat per pænas ciuiles. *Abbas in d. c. non eſt de ſponſal. n. 2., & ibi Alexander de Neuo n. 5., Antonius Cuccus lib. 5. inſtit. maior. tit. 11. nu. 151., Sanchez de matrim. lib. 9. de debito coniug. diſp. 4. num. 10., Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrim. c. 6. n. 74., & alij*. Expreſsè colligitur *ex d. c. non eſt vobis de ſponſal.*, vbi per Pontificem compellitur Rex Anglorū ad reſtituendā vxorem filio repetenti; nec obeſſe poteſt textus in *d. l. lis nulla de iuditijs*, nam licet hæc verum habeat regularitèr; fallit tamen quoad ea, quæ pertinent ad coniugium, vt notant *Panormitanus, Butrius, & Præpoſitus in d. c. non eſt vobis, Francus in c. fin. de iudic. in 6., Romanus ſing. 61., Coarruuias de ſponſal. part. 2. c. 7. §. 5. nu. 9., Sanchez d. lib. 9. diſp. 4. n. 10., Ioannes Angelus Boſſius loc. cit.*, tum quia in ijs, quæ ſpectant ad cauſas matrimoniales, filius familias ſui iuris omnino eſt, nec eſt dependens à Patre, & conſiderantur ad inuicem, vt duo Reipublicæ ciues, non vt Pater, & filius; tum quia, vt benè notat *Ioannes Angelus Boſſius loc. cit.* hæc cauſa eſt quodamodo ſpiritualis, cum ſit, ex iure ſacramenti; in iuribus autem ſpiritualibus Pater, & filius non communicant, ſicuti communicant in naturalibus, adeoq; licet in iſtis inter illos non admitteretur lis, & actio, poteſt tamen admitti in iſtis.

3 Filius poteſt agere aduerſus Patrem ad repetendā vxorem ab eo detentam.

Filius familias in ordine ad matrimonium eſt ſui iuris.

Dixi, *ſiue coram Iudice Eccleſiaſtico, ſiue coram ſæculari, ſi non agatur de valore matrimonij*, quia in primis ad Iudicem Eccleſiaſticum ſpectat ſeruare iura matrimonij, cum modo ſit eleuatum ad eſſe ſacramenti, & conſtituta ſit materia Eccleſiaſtica. Deindè, cum ſit etiam contractus ciuilis, vbi non eſt diſceptatio circa valorem, ſed præciſè circa actus purè humanos, non videtur, cur etiam Iudex laicus non poſſit ſe ingerere, vt ſe ingerit in cauſis dotalibus, & ſimilibus *Gloſa in d. c. non eſt de ſponſalib. verb. vxor, Franciſcus Molinus de ritu nupt. lib. 1. comp. 22. n. 24., Burſatus conſ. 307. in fin. vol. 2., Coarruuias de ſponſal. part. 2. c. 7. init. nu. 2.*

4 Poteſt agere, & coram Iudice Eccleſiaſtico, & coram laicali.

---

§. XIX.

An coniuges teneantur ſibi mutuo alimenta præſtare.

SVMMARIVM.

Exponitur ſtatus diſquiſitionis. 1.
Si maritus duxerit vxorem indotatam, ſimplicitèr tenetur illam alere. 2.
Etiam ſi fuerit diues, ſi ceſſit iuri ad dotem. 3.
Secus, ſi non ceſſerit iuri ad dotem. 4.
Quandonam præſumatur pro ceſſione iuris, & quando non. 5.
Quando non ceſſit iuri dotis, poteſt agere non ſolum ad dotem, ſed etiam ad intereſſe ipſius. 6.
Si maritus dotem promiſſam non poſſit conſequi, non tenetur de iure vxorem alere, benè ex æquo. 7.
Si dos fuerit pro parte ſoluta, non poteſt maritus ex integro negare alimenta. 8.

DIſquiſitio XIX. Ad ius naturæ cohabitationis videtur conſequi onus in coniugibus mutuo ſe alendi, de quo propterea non inordinatè eſt aliquid hic agendum; Certum autem eſt, quod maritus

1 Exponitur ſtatus diſquiſitionis.

Digitized by Google

ritus teneatur principalitèr vxorem alere, cum ſit caput familiæ, & in ordine ad hoc onus regularitèr ab eadem vxore recipit dotem. Difficultas ſolummodo hic erit in examinando, an, ſi maritus ab vxore dotem non receperit, teneatur eandem alere, & an vxor ex ſuppoſitione, quod maritus non habeat, vndè alatur, teneatur eidem alimenta præbere.

Maritum teneri alere vxorem, ſi ab eadem, vel ab eius patre, vel alijs conſanguineis dotem receperit indubitati iuris eſt, & habetur *in l. penult. ff. vt in poſſeſſ. leg. l. ſi filia §. 1. ff. famil. erciſc. l. ſi cum dotem §. ſin autem ff. ſolut. matrim.*, & latè docet *Surdus de aliment. tit. 1. tat. q. 32.*

Diuerſi ſtatus, ſecundum quos poteſt examinari titulus.

Quando vero eandem accepit ſine dote, tunc videtur diſtinguendum, vel etenim eandem abſolutè accepit indotatam, quatenus, nec ipſi dos datà eſt, nec promiſſa, nec ius aliquod ſibi reſeruauit ad dotem, ſed potius cuicunque iuri ad illam ceſſit, vel accepit ſine dote, quatenus eidem ſoluta non eſt, fuit tamen promiſſa in determinata quantitate fide data de ſolutione, ſed tempore conuento non ſoluitur, aut deperditur. Iuxta vtramq; membrum huius diſtinctionis dirimenda eſt præſens quæſtio.

2 Si maritus duxerit vxorem indotatà ſimplicitèr, tenetur ipſam alere.

Reſpondeo primo; Si maritus vxorem indotatam duxerit iuxta primum membrum diſtinctionis, tenetur eandem alere *Innocentius c. per veſtras de donat. inter vir., & vxorem in fin., Alexander in l. cum dotem §. ſin autem nu. 18. ff. ſolut. matrim., Romanus conſ. 517. n. 2., Lara in l. ſi quis à liberis §. ſi quis ex his nu. 21. ff. de lib. agnoſ., Barboſa 2. part. rub. ff. ſolut. matrim. n. 43.* Ex Theologis *Molina tom. 2. de iuſt., & iure diſp. 425. §. ſi marito dos., Sanchez de matrim. lib. 9. diſp. 5. num. 8.*, qui etiam aſſerit ſe nullum oppugnatorem huius opinionis inueniſſe. Ratio ex eo deducitur, quia ex quo eandem duxit ſine dote, & promiſſione dotis videtur ſpontè ceſſiſſe cuicunque iuri ad eandem, quinimmo eandem perſonam vxoris pro dote accepiſſe, ergo tenetur eandem alere, cum omne ius, & æquitas exigat, vt vxor à marito alatur, & quamuis hoc onus oriatur ratione dotis acceptæ, & accipiendæ, oritur tamen etiam ex ceſſione facta iuris ad dotem.

3 Etiamſi fuerit diues, ſi tamen ceſſit iuri ad dotem.

Hic ſolum oritur difficultas, an ea, quæ dicta ſunt in hac reſponſione, æquè intelligenda ſint, quando maritus vxorem duxit indotatam, quæ erat pauper, an vero etiam, quando diues. Reſolutio præſentis difficultatis videtur ab eo pendere, an ſcilicet maritus eam ducens ſine promiſſione dotis ſit præſumendus, quod ceſſerit iuri ſuo ad illam dotem, & voluerit eandem perſonam pro dote, an vero, quod tali iuri non ceſſerit, ſed eam pro tunc duxerit eo animo poſtea conſequendi, quæ erunt iuris, ſeu de iure; ſi etenim præſumatur, quod ceſſerit iuri ad dotem, & pro dote perſonam vxoris voluerit, tunc tenebitur alimenta vxori quantumuis diuiti conferre; ſi vero non præſumatur, quod iuri ſuo ceſſerit, ſed diſpoſitioni iuris ſe remiſerit, & tunc videtur maritus alimenta non teneri conferre, niſi ſibi congrua dos conſtituatur.

4 Secus, ſi non ceſſerit iuri ad dotem.

Iuxta primum ſenſum præcisè arbitror locutos fuiſſe *Laram in l. ſi quis à liberis §. ſi quis ex his n. 65. ff. de liber. agnoſcend., Surdum de alimentis tit. 7. q. 19. nu. 1., & alios.* Iuxta ſecundum verò *Baldum in l. fin. n. 9. C. de ſent., quæ ſine cert. quant., Iaſonem in l. ſi donaturus §. ſi quis indebitam nu. 4., & ſeqq. ff. de condict. cauſa data, Ioannem Lupum c. per veſtras de donat. inter vir., & vxor. not. 3. §. 2. nu. 1.*, quibus adhæret *Sanchez lib. 9. diſp. 5. nu. 9.* Ratio primæ partis ex eo deſumitur, quia vbi eſt animus, ſeu præſumptio efficax, quod maritus ceſſerit iuri ad dotem, & quod perſonam vxoris acceperit pro dote, intelligitur in ſe ſumpſiſſe omnia onera matrimonij, nec pro eiſdem aliquod vlterius appetijſſe, ergo tenebitur talia onera ſuſtinere, inter quæ eſt potiſſimum onus alendi vxorem, nec poterit ab eadem quid vlterius exigere, quia iam habuit, quod habere voluit in ipſo contractu matrimoniali.

Accepit perſonam pro dote.

Ratio ſecundæ partis ex eo deſumitur quia, quantumuis tunc, ſcilicet in celebratione contractus nihil actum fuerit de dote conſtituenda, nec de ceſſione dotis eiuſdem, cum tamen regularitèr conſtitui ſoleat ad normam decentiæ ſtatus tum mariti, tum ipſius coniugis, nec aliter conſtet de animo cedendi præſumendum eſt tacitè fuiſſe actum de eadem conſtituenda, prout latè probat *Sanchez de matrimon. lib. 1. diſp. 59. nu. 4., & diſputat. 60. n. 2.*, ergo &c.

5 Quandonam præſumatur pro ceſſione iuris, & quando non.

Quomodo autem præſumi poſſit pro animo cedendi iuri dotis, & accipiendi perſonam vxoris pro dote, & quomodo pro negatione talis animi plura dico, & primo, quod ſi in ipſa vxore præextiterit aliqua prærogatiua puta maioris nobilitatis, & eximiæ pulchritudinis &c. adeo vt homines ſimilis conditionis, cuius eſt maritus, ita eiſdem prærogatiuis alliciantur, vt tanti æſtiment eas, quanti congruam dotem, tunc præſumendum eſt pro ceſſione eiuſdem dotis, & quod accipiant perſonam cum illis qualitatibus, & prærogatiuis pro dote. Secundo, quod, ſi ante contractum matrimonij actum fuerit ex parte mariti pro dote, & reiecta

fuerit

Digitized by Google

fuerit petitio, & nihilominus maritus eam duxerit, tunc præſumatur pro ceſſione. Extra hos, & ſimiles caſus præſumendum eſt, quod non fuerit animus cedendi, & propterea poſſit maritus conſtante iam matrimonio agere ad illius conſtitutionem, & ſi non conſtituatur, poſſint alimenta denegari ex ſuppoſitione, quod, ſi dos promiſſa non ſoluatur, poſſint à marito vxori denegari alimenta, de qua ſuppoſitione infra agetur.

6
Si maritus non ceſſit iuri dotis, poteſt agere non ſolum ad illam, ſed etiam ad intereſſe pro tempore, quo non fuit ſoluta, & vxorem aluit.

Hinc ſuboritur alia difficultas, an, ſi maritus vxorem duxerit ſine conſtitutione dotis, cum animo tamen non cedendi iuri illius, & pro aliquo tempore vxorem aluerit, poſſit nedum agere ex interuallo ad conſtitutionem dotis, ſed etiam ad intereſſe illius pro tempore quo vxor ipſa fuit alita à marito ante conſtitutionem ipſius dotis. Probabilius arbitror, nedum poſſe agere ad conſtitutionem donem dotis, ſed etiam ad intereſſe illius eo, quod non fuerit ſoluta immediatè poſt contractum matrimonij. Ratio ex eo deducitur, quia, ſi vxor dotem marito promiſerit nulla alia adiecta conditione, intelligitur obligata ad intereſſe illius à die contracti matrimonij. *Antoninus Faber lib. 5. Cod. tit. 6. defen. 6.*, qui aſſerit etiam ſuum Senatum ſic reſoluiſſe *Surdus de aliment. tit. 1. q. 42. n. 131.*, *Stephanus Gratianus diſcept. for. tom. 2. c. 241. n. 58., & ſeqq., & tom. 4. c. 726. num. 3., & 21.*, qui omnes eam rationem adducunt, quia dos, vel ſaltem fructus dotis ibi eſſe debent, vbi ſunt onera matrimonij, cum fructus, ſeu intereſſe dotis debeatur marito pro oneribus matrimonij ſuſtinendis *l. pro oneribus C. de iur. dot.*, & latè *Faber d. lib. 5. Cod. tit. 6. def. 6. num. 3.*, ergo etiam, ſi dotem non promiſerit expreſsè, intelligatur tamen tacitè obligata ad illam conſtituendam, cum maritus iuri illius non ceſſerit, intelligetur tamen obligata etiã ad intereſſe illius dotis debitæ pro tempore, quo non fuerit ſoluta, ſeu conſtituta. Conſequentia probatur primo, quia dos expreſsè promiſſa, & dos tacitè debita quoad onera ſibi æquiualent. Secundo, quia tota ratio, quam DD. aſſignant, cur debeatur intereſſe ante ſolutionem dotis, quando dos expreſsè promiſſa eſt, ea eſt, quia maritus interim ſuſtinet onera matrimonij, ſed etiam eadem onera ſuſtinet, quando eadem dos eſt tacitè debita, ergo &c. Hæc, quæ dicuntur, æquè ſunt intelligenda, quando dos eſt tacitè debita marito, ſiuè ab ipſa vxore, ſiuè à Patre ipſius, quia ipſe Pater releuatur interim ab onere alendi filiam, quam alere teneretur, ſi non eſſet nupta.

Rationes pro reſolutione.

Dices diſparem eſſe rationem, quando dos eſt expreſsè promiſſa, ac quando eſt tacitè debita, quandoquidem in primo caſu intelligitur dos ipſa taxata, non ſic in ſecundo, & dos determinata poteſt parere fructus, & intereſſe, non ſic indeterminata, & conſtituenda. Sed contra, quia dos debita, & taxanda arbitrio boni viri perindè eſt, ac ſi fuerit taxata, & cum intereſſe debeatur ratione oneris, quod ſuſtinet maritus in vxore alenda, vtique non tollitur ex eo, quod non fuerit adhuc taxata, cum onus illud ſuſtineat, ſeu ſuſtinuerit; vndè intereſſe illud pro illo tempore dotis non ſolutæ, nec conſtitutæ erit taxandum, vel ad normam oneris, vel ad quantitatem correſpondentem intereſſe dotis conſtituendæ &c.

Inſtantia propoſita, & diſſoluta.

Reſpondeo ſecundo; Si maritus vxorem duxerit ſine dote numerata, cum dote tamen promiſſa, & eandem non poſſit exigere, de rigore iuris non tenetur alimenta eidem vxori præſtare, benè tamen ex æquitate, & honeſtate. Prima pars eſt *Gloſſæ in auth. de non eligendo ſecũdo nub. §. fin. verb. onera*, *Sanchez de matrimon. lib. 9. de debito coniug. diſp. 5. num. 2.* Secunda pars eſt *Hotomani diſp. de duabus §. vnde pragmatici Valleri de diff. in vtrumq; for. verb. vxor diff. 2. in fine*, *Ioannis Angeli Boſſij tract. de effect. matrim. c. 6. nu. 29.*, *& tract. de dote c. 2. n. 141.* Ratio primæ partis ex eo deducitur, quia dos, ideo datur marito, vt ex illa tanquam ex pretio, ſeu ex fructibus ipſius ſuſtineat onera matrimonij *l. pro oneribus C. de iur. dot. l. dotis fructus ff. eod.*, ergo dote non ſoluta, non tenebitur maritus alimenta tradere vxori, deſſiciente etenim eo, proptèr quod aſſumitur onus debet, & ipſum onus deficere. Confirmatur, quia onus alendi vxorem non prouenit ex ipſa natura contractus, quandoquidem præcipuus finis eiuſdem non eſt, vt vxor alatur à marito, ſed vt præſtet debita eidem obſequia coniugalia, prolem foueat, & educet, vndè præcipua ratio oneris alendi vxorem eſt dos ipſa, & fructus eiuſdem, qui percipiuntur à marito, ergo cum non proueniat ex natura contractus, ſed ex dote, & fructibus eius eadem dote non ſoluta non erit onus eandem vxorem alendi.

7
Si maritus nõ poteſt dotẽ promiſsã cõſequi, non tenetur ex iuſtitia vxorem alere, benè tamen ex æquitate.

Siſtendo in rigore iuris, ſecundum quem non debentur vxori alimenta à marito dote non ſoluta, vt mox diximus, oritur hic immediatè difficultas, an, ſi dos non fuerit ſoluta pro toto, ſed dumtaxat pro parte, poſſit maritus integra denegare alimenta vxori, an verò dumtaxat pro rata dotis non ſolutæ. Ioannes Lupus *c. per veſtras de donat. inter vir., & vxor. not. 3. in princip. n. 2. verſ. ex hoc non ſolum*, *Surdus de aliment. tit. 7. q. 17. nu. 7.*, abſo-

8
Si fuerit dos ſoluta pro parte non poteſt maritus negare integra alimenta.

Digitized by Google

lutè aſſerunt poſſe pro integro denegare huiuſmodi alimenta, quia dum tota dos promiſſa non ſoluitur, non ſeruatur fides contractus, & propterea maritus non tenetur ſeruare fidem erogandi alimenta. Æquius tamen eſt, & cõgruentius, quod teneatur ad ratam dotis ſolutæ, quia quoad partem ſolutam ſentit commodũ, & propterea debet proportionalitèr ſentire, & incommodum, & in hoc valet regula, quod ſicuti ſe habet totum ad totũ, ita ſe habere debeat pars ad partem *l. quæ de tota ff. de rei vendic.*

Ratio ſecundæ partis ex eo deſumitur, quia nil inhumanius videtur, quam maritum denegare alimenta congrua ad eius ſuſtentationem vxori, cum qua ex vi contractus matrimonialis ſeruare debet indiuiduam vitæ vnitatem, quod præcipuè verum eſt, quando vxor non haberet aliundè, vndè ſumere poſſet alimenta, quod merito conſiderans *Vallerus d. diff. 2.* habet hæc verba, quæ, quia valdè apta ſunt ad præſens inſtitutum refero. *Quis Ieſu Chriſti ſectator denegare poſſet vxori pauperi alimenta, maximè ſecum manenti in eadem domo, cum etiam extraneis indigentibus teneamur ſubuenire, ſi aliundè non habeant, vndè alantur. Quare neque prædictam gloſam* (loquimur hic *de glos. in auth. de non eligen. 2. non ſen.*, quæ ſtatuit non teneri maritum alere vxorem, quando dos promiſſa ſoluta non eſt) *in foro animæ admittendam puto, niſi quando ſuis manibus, vel aliundè poſſet acquirere alimenta. Et fatuus nimis eſſet vir, qui prædicta alimenta denegaret, cum vtique magnam indè vxori præſtaret occaſionem ad adulterium perpatrandum, vt palam eſt.*

Aſsignantur rationes æquitatis pro præſtatione talium alimentorum.

§. XX.

An, ſi dos ſoluta marito pereat ex culpa vxoris, teneatur maritus eandem vxorem alere.

SVMMARIVM.

Status diſquiſitionis exponitur. 1.

Si vxor, ex cuius culpa dos perijt, babeat parentes diuites, ipſi tenentur ipſam alere. 2.

Si parentes non ſit diuites, nec ipſa poſſit victum ſibi acquirere, tenetur maritus ipſam alere. 3.

Si ob delictum, ob quod fuerunt bona dotalia publicata, fuerit vxor detruſa in carcerem probabilius maritus tenetur eam alere. 4.

DIſquiſitio XX. Contractis nuptijs inter Caium, & Mæuiam, & facta conuentione de determinata dote, hæc eidem Caio perſoluta eſt. Sed ex interuallo conſtante matrimonio eadem Mæuia in enorme crimen hæreſis, vel per duellionis incidit, ob quod eius bona dotalia fuerunt publicata, & confiſcata. Quæſitum hic fuit, an maritus illis bonis dotalibus ſic publicatis, & confiſcatis, teneretur eandem vxorem alere, ſi ad eius conſortium coniugale redierit? Suppono, quod ob hæreſim vxoris, ſi fortè ob eandem publicata fuerint ipſius bona, non fuiſſe celebratum diuortium; ſi etenim fuiſſe celebratum diuerſa eſſet ratio decidendi? Dixi, *ſi ad eius conſortium coniugale redierit*; ſi enim ſupponamus, quod ipſa vxor ob illud delictum, quod patrauit, detruſa fuerit in perpetuum carcerem, tunc eſt etiam ſpecialis ratio dubitandi, de qua mox ſubdam.

1 Exponitur diſquiſitio in ſuis terminis.

Reſpondeo primo, ſi vxor, quæ delictum illud perpatrauit, ex quo eius bona dotalia fuerunt publicata, habeat parentes facultatibus potentes non eſt ex neceſſitate alenda a marito, ſed à parentibus *Roias de hæret. 2. part. n. 325.*, *Sanchez de matrimon. lib. 9. de debit. coniug. diſp. 5. n. 10.* Ratio ex præcedentèr dictis deducitur, quia ſiſtendo in rigore iuris, ſi dos marito non fuerit perſoluta, quando eidem in celebratione contractus, vel expreſsè promiſſa eſt, vel tacitè debita, non tenetur idem maritus alimenta tradere eidem vxori, ergo etiam quantumuis fuerit marito perſolutè dos, ſi poſtea ex culpa ipſius vxoris fuerit deperdita, non tenebitur idem maritus eadem alimenta ipſi vxori erogare. Conſequentia probatur, quia, quod dos non fuerit perſoluta marito, & quod fuerit perſoluta, ſed per eandem vxorem ab ipſo marito reuocata, paria ſunt, quantum ad effectũ eximendi maritum ab onere alimẽtorum erga vxorem, ſiquidem tota ratio, proptèr quam, quando dos ſoluta non fuit, ab illo onere eximitur, eſt, quia alimenta tenetur conferre ratione dotis, quam propterea, ſi non habuerit, non habet, quo obligetur ad conferenda eadem alimenta, ſed etiam quando iniuſtè reuocata eſt per vxorem, non habet, quo obligetur ad eadem conferenda, ergo &c. Ex eo autem, quod ipſa vxor per ſuum enorme delictum cauſa fuerit, quod bona ſua dotalia publicarentur perindè eſt, ac ſi ipſa iniuſtè bona illa à marito reuocauerit. Ex quibus potes deducere, quod ſi Pater ipſius vxoris fuerit diues, teneretur ipſe eandem ex ſuis alere; cum etenim tunc non teneatur maritus, onus naturalis pietatis viget in parente, prout latè docet *Molina de primog. lib. 2. c. 16. nu. 24.*

Si vxor ex cuius culpa dos perijt, habeat parẽtes diuites ipſi tenentur ipſam alere.

Perindè eſt, ac ſi dos non eſſet ſoluta.

Reſ-

Reſpondeo ſecundo; Si parentes vxoris tales ſint, vt non poſſint filiam, cuius culpa dos deperdita eſt, alere, nec ipſa ſuis manibus poſſit victum ſibi acquirere, alenda eſt à marito, ſi ad eius conſortium coniugale ſit admiſſa. In hanc præpendere arbitror *Ioannem Lupum c. per veſtras de donat. inter vir., & vxor. not. 3. §. 1. n. 1., Surdum de alim. tit. 7. q. 21. nu. 6., & ſeqq., Simancham de cath. inſtit. tit. 16. n. 19., Sanchez loc. cit.*, atque hæc reſponſio videtur expreſsè colligi ex textu *in l. quod, ſi nulla 28. ff. de Relig., & ſumpt. funer.*, nec amor coniugalis, & nexus tam arctus, qualis eſt inter maritum, & vxorem, potiſſimũ quando hæc eſt in illius obſequio, patitur, vt quando vxor aliundè non habet, quo ali poſſit, deſtituatur ab eodem marito, vt fame pereat, vel in eius maximum dedecus emendicet.

3 Si parentes nõ ſint diuites, nec ipſa vxor poſſit victum ſibi quærere tenetur maritus ipſam alere.

Reſpondeo tertio; Si ob illud delictum, ob quod bona dotalia vxoris fuerunt cõfiſcata, ipſa etiam fuerit detruſa in perpetuum carcerem, non tamen celebratum diuortium à marito, probabilius etiam eſt teneri maritum illam alere *Simanchas in cath. inſtit. in 2. edit. tit. 16. n. 18., & ſeqq., Surdus de aliment. tit. 7. q. 16. n. 14.*, qui tamen non aſſerit abſolutè tribuenda eſſe alimenta, ſed tantum erogandum titulo eleemoſinæ, ne fame pereat *Sanchez de matrim. lib. 9. diſp. 4. n. 23.* Intellige tamen, ſi non habeat parentes, qui valeant talia alimenta erogare, nec ipſa aliundè poſſit ſibi victum quærere. Ratio ex eo deducitur, quia, quando non eſt in carcerem detruſa, ſed viuit in conſortio mariti, ſi non habeat parentes, qui eam poſſint alere, nec poſſit aliundè ſibi victũ acquirere, tenetur maritus ipſi alimenta præbere per ea, quæ mox probauimus in præcedenti reſponſione, ergo exiſtentibus ſimilibus conditionibus, tenebitur eandem alere, quantumuis fuerit in carcerem detruſa. Conſequentia probatur, quia quando diuortium celebratum non eſt, cohabitationis defectus, quantumuis proueniat ex culpa alterius coniugis, non eſt ſufficiens ratio, proptèr quam alter cæteroqui obligatus eximatur ab onere illam alendi, quia, vt benè notat *Sanchez loc. cit.* illa culpa vxoris nõ directè tendit ad ſeparationem habitationis, quæ propterea non tollit onus alterius ad alendum, vt videre eſt in ſimilibus, v. g. in vxore, quæ ſua culpa lepra infecta eſt, à qua, quantumuis maritus recedat, non eximitur tamen ab onere ipſam alendi. Deindè, vt benè notat idem, vxor tenetur alimenta mittere marito pauperi ſua culpa bannito.

4 Si ob delictum, ob quod fuerunt publicata bona dotalia vxor fuerit in carcerem detruſa probabilius maritus tenetur ipsã alere.

§. XXI.

An, ſi filius familias duxerit vxorem ſine dote, nec habeat, quo ſe, & vxorem alat, teneatur Pater ipſius vxorem eiuſdem filij alere.

SVMMARIVM.

Refertur ſenſus diſquiſitionis. 1.
Conſideranda circa factum. 2.
Si Pater conſenſit in tale matrimonium, nec filius habeat, vndè alat, tenetur Pater vxorem illam filij alere. 3.
Etiam ſi ignorauerit filium ducere illam vxorem ſine dote. 4.
Etiam ſi non conſenſerit in matrimonium filij, ſi filius aliundè non habeat, quo poſſit vxorem alere. 5.
Intellige etiam ſi filius, qui duxit vxorem inuito Patre eſſet illegitimus. 6.
Etiam ſi vxor filij ſine ſua culpa degat extra domum ſoceri. 7.
Etiam ſi nurus tradidiſſet dotem marito, & hic conſumpſiſſet. 8.
Limita in caſu, quo filius vxorem non duxiſſet cum animo dotem remittendi, tunc etenim poſſet agere ad dotem, & alimenta contra Patrem vxoris. 9.
Si Pater ex cauſa deobligaretur ab onere præſtandi alimenta filio, non propterea deobligaretur erga vxorem illius. 10.

Diſquiſitio XXI. Filius familias captus amore cuiuſdam puellæ ſatis formoſæ eandem indotatam duxit in matrimonium, cum fortè etiam eadem puella non haberet, quod traderet in dotem. Contracto tali matrimonio non habebat idem filius familias, quo aleret eandem vxorem; vndè quæſitum fuit, an Pater, qui lege naturalis pietatis tenetur alere filium, teneatur etiam eandem ipſius filij vxorem alere.

1 Factum exponitur

Pro ſolutione conſiderandum hic eſt, an Pater conſenſerit illi matrimonio filij expreſsè ſciens iniri ſine dote, ſeu vxorem duci indotatam, an verò ſciens verè contrahi illud matrimonium ignorans tamen vtrum contraheretur cum dote, vel ſine dote, an tandem nullo modo conſenſerit, nec in matrimonium quoad ſubſtãtiam, nec in negationem illius dotis; iuxta etenim hanc triplicem conſiderationem oriri poteſt diuerſum ius, & diuerſa ratio decidendi; Hinc

2 Conſiderabilia circa factum.

Reſpondeo primo; Si Pater conſenſerit matrimonio filij ducentis vxorem indota-

dotatam cum ſcientia, quod illa reuera eſſet indotata; nec filius habeat, quo eandem vxorem poſſit alere, tenetur vtique, & compelli poteſt idem Pater ad præſtanda alimenta eidem vxori filij *Sanchez lib. 4. de matrim. diſp. 26. nu. 21., Trullench. in Decalogum lib. 4. c. 1. dub. 3. nu. 11., Ioannes Angelus Boſſius de aliment. oblig. c. 4. n. 95., Bonacina de præcept. diſp. 6. q. vnica punct. 6. §. 1. n. 2. in fine, Bartolus tract. de alimentis n. 16., Crottus in l. ſi conſtante n. 160. ff. ſolut. matrim., Gutierez de matrim. c. 80 n. 13. vers. concluſio 5., Surdus de aliment. tit. 1. q. 18. num. 1., & ſeqq.* Ratio ex eo deducitur, quia Pater conſentiendo matrimonio filij cum illa ſcientia, quod idem filius duceret vxorem indotatam, cenſetur conſenſiſſe in onera alendi eandem vxorem cum filio *Bartolus Baldus, Caſtrenſis in l. ſi cum dotem §. transgrediamur ff. ſolut. matrim.*, ergo reuera tenetur ad illa alimenta vxori præſtanda. Antecedens patet, quia cum nouerit matrimonium filij ſine dote, & in illud conſenſerit, vtique nouit filium aſſumere onus præſtandi alimenta eidem vxori ſine iure ad aliquos fructus, qui ſint in compenſationem talis oneris, & cum nouerit filium non habere, quo talia onera poſſet ſuſtinere, vtique etiam nouit ſibi illud onus debere incumbere alendi vxorem ipſius filij ex vulgari textu *in l. ſi quis à liberis §. non tantum ff. de lib. agnoſ.*, vbi expreſsè aſſeritur, quod Pater non ſolum teneatur, & compelli poſſit ad alendum filium, ſed etiam cætera filij onera ſuſtinere, inter quæ eſt alere vxorem ipſius. Confirmatur, quia ex quo conſenſit vxorem filij fieri propriam nurum, eandem quodamodo acceptauit in filiam, cum vir, & vxor ſint vna caro *c. ſi vir, & vxor 35. q. 2., Cinus in l. vbi adhuc q. 16. n. 4. C. de iur. dot., Menochius de arbitr. caſ. 348. n. 13.*, ergo conſenſit tanquam exiſtens in loco Patris eidem alimenta præbere, adeoq; &c.

3 *Si pater conſenſit, nec filius habeat vndè vxorē alat, teneatur ipſe Pater eādem alere*

Rationes pro reſponſione.

Reſpondeo; Si Pater conſenſerit in matrimonium filij ignorans tamen vtrū contraheretur cum dote, vel ſine dote probabiliùs etiam tenetur alere vxorem eiuſdem filij, ſi hæc nupſerit ſine dote, nec filius habeat, quo ipſam alat. *Angelus, Immola, & alij ſcribentes in l. ſi cum dotem §. transgrediamur ff. ſolut. matrim., Aloiſius Riccius in collect. deciſ. part. 6. collect. 2436. vers. non hic, Surdus de alim. tit. 1. q. 38. n. 11., Ioannes Angelus Boſſius de aliment. obligat. c. 4. nu. 96.* Ad hanc reſponſionem comprobandam plurimum facit argumentum ſupra adductum, quod ſcilicet, ex quo Pater conſenſit in matrimonium filij cum illa determinata perſona accepit vxorem filij, ſeu nurum pro filia; ergo tenetur illam ſimul cum filio alere, ſi filius non habeat aliundè, quo ipſam alere poſſit; nec obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, quod quantumuis pater conſenſerit in illud matrimoniū filij cum tali determinata perſona, non conſenſerit tamen, quod eam duxerit indotatam, cum fuerit de hoc ignorans, & ſic cum onus alimētorum proueniat potiſſimum ex dote conſtituta, ex eo, quod non conſenſerit in negationem dotis, non videtur conſenſiſſe in onere præſtandi eidem alimenta; Non, inquam, obeſſe poteſt, quia ex quo liberè conſenſit in matrimonium, & nihil egit de conſtitutione dotis ſupponitur voluiſſe matrimonium præcisè, prout voluiſſe præſumitur filius, adeoq; ad ea omnia ſe obligaſſe, ad quæ filius ſe obligauit, & ſicut filius ducens vxorem indotatam, tenetur eandem alere, ſi habeat, quo alat, ita, & Pater ipſius, qui conſenſit in ſubſtantiam matrimonij ſine alio addito, tenetur eandem alere, ſi filius nō habeat, quo alat. Deindè in hoc valet argumentum ſupra allatum deductum *in l. ſi quis à liberis §. non tantum ff. de lib. agnoſ.*

4 *Etiam ſi ignorauerit filium vxorem ducere ſine dote.*

Rationes pro reſpōſione.

Proponitur inſtantia, & diſſoluitur.

Reſpondeo tertio; Si Pater non conſenſit in matrimonium filij ducentis vxorem indotatam, quin potius contradixit adhuc non eximitur ab onere eandem filij vxorem ſimul cum filio alere, ſi filius aliundè non habeat, quo poſſit eidem alimenta ſubminiſtrare *Ruinus conſ. 144. n. 6. lib. 5., Menochius de arbitr. caſ. 348. nu. 14., Sanchez lib. 4. de matrim. diſp. 26. n. 21., Megala part. 2. lib. 2. c. 23. q. 1. num. 67., Ioannes Angelus Boſſius de alim. oblig. c. 4. n. 97.* Ratio ex eo deſumitur, quia ex quo filius nupſit contra voluntatem patris, & vxorem duxit indotatam non amiſit ius ad alimenta aduerſus patrem, quinimmo hic poteſt compelli ad eadem ipſi tribuenda, vt eſt inconfeſſo apud omnes; non enim eſt iniuria talis, quod filius nupſerit contra voluutatem patris, vt pater poſſit exui naturali pietate, qua tenetur in filium ad erogandum eidem vndè viuat, ſi aliundè non habeat, ergo, nec amiſit ius, quo iuſtè poſſit exigere alimenta à Patre pro vxore, ſi aliundè non habeat, & compellere eundem Patrem ad eadem eroganda. Conſequentia probatur, quia ex quo illa fæmina facta eſt vxor proprij filij, & per conſequens nurus Patris, cum facta ſit vna caro cum eodem filio reputatur pro filia eiuſdem Patris; tum quia Pater tenetur præbere onera eiuſdem filij, per textum *in d. l. ſi quis à liberis §. non tantum ff. de lib. agnoſ.*

5 *Etiam ſi non conſenſerit in matrimonium filij, ſi filius aliundè nō habeat quo poſſit vxorem alere.*

Rationes pro reſpōſione.

Amplia primo, vt procedat non ſolum

in

in ordine ad vxorem filij legitimi, ſed etiam in ordine ad vxorem illegitimi *Palæotus de nothis c.47.n.7., Ioannes Nicolaus Lucidorus de illegit. cler. c. 22.nu.15., Peregrinus de iure fiſci lib.3.tit.18.nn.63., & ſeqq., Ioannes Lupi de illeg. tom.2.§.1.n.25., Coaruuias de ſponſalib. part.2.c.8.§.6.nu.5., & ſeqq., Ioannes Angelus Boſſius de aliment. oblig.c.4.n.97.* Ratio ex eo deducitur, quia alimentorum iura ſunt communia legitimis, & illegitimis, ſeruata tamen proportione, & ordine iuris, prout habetur *in c. cum haberet de eo, qui duxit in matrim.*, ergo ſicuti, quia tenetur filio legitimo ex naturali pietate præſtare alimenta, tenetur etiam præſtare vxori ipſius, ita, quia tenetur etiam præſtare illegitimo, tenebitur etiam ipſius vxori erogare, ſeruata tamen ſemper proportione legitimitatis, & illegitimitatis.

6 Intellige etiam ſi filius, qui illam vxorem duxit eſſet illegitimus.

Amplia ſecundo, quod etiam vxori filij, ſeu nurui tradere alimenta teneatur, quantumuis hæc ſine ſua culpa degat extra domum ſoceri *Berous conſ.52.nu.1.vol.2., Surdus de alimentis tit.1.q.38.num.15., Ioannes Angelus Boſſius loc.cit. n.98.* Ratio ex eo deducitur, quia ratio, ob quam tenetur nurui alimenta præbere non eſt cohabitatio cum ipſo, ſed coniunctio cum proprio filio, ratione cuius reputatur vna caro cum eodem filio, & fictione iuris quaſi ipſius Patris, ſeu ſoceri filia, & ſicuti, ſi ipſe filius ſine ſua culpa degeret extra domum Patris non eximeretur hic ab onere eidem præſtandi alimenta, ita ex eo, quod vxor filij ſine ſua culpa degat extra domum ſoceri non eximetur iſte ab onere eidem erogandi alimenta.

7 Etiam ſi vxor filij ſine ſua culpa degat extra domum ſoceri.

Amplia tertio, quod ſocer teneretur præſtare alimenta nurui, quantumuis eadem nurus tradidiſſet dotem marito filio eiuſdem ſoceri, & hic eam dilapidaſſet, vel tradidiſſet eidem ſocero, qui poſtea eam reſtituerit filio, qui eam conſumpſiſſet inutilitèr; facta etenim tali conſumptione, & non habente filio, quo vxorem aleret, teneretur pater ipſius eandem alere. *Crotus in l. ſi conſtante n.162. ff. ſolut. matrim., Decius conſ.43.nu. 8., Natta conſ.496.n.9.* Ratio ex eo deducitur, quia Pater adhuc tenetur alere filium non habentem vndè alatur, ergo & vxorem ipſius.

8 Etiam ſi nurus tradidiſſet dotem filio, & hic conſumpſiſſet.

Limita primo in caſu, quo filius familias vxorem duxiſſet, non cum animo dotem remittendi, & accipiendi perſonam vxoris pro dote, ſed animo illam exigendi; tunc etenim, ſicut filius ipſe non teneretur liberè alere vxorem, ſed poſſet exigere intereſſe pro dote non ſoluta etiam pro tempore, quo illam ex ſuo aluit, ita, & hoc poteſt Pater, qui ſicuti tenetur omnia onera matrimonij pro filio præbere, ita eius omnia iura acquirit.

Limita ſecundo, in caſu quo filius haberet aliundè, quo poſſet ſe, & vxorem alere, tunc etenim Pater non teneretur præbere alimenta vxori filij, qui eam duxit contra voluntatem Patris, prout docent *Surdus de aliment. tit.1.q.38.n.23., Ioannes Angelus Boſſius de aliment. oblig.c.4. num.99.*

9 Niſi filius duxerit vxorē cū animo habendi dotem.

Hic oritur difficultas pro complemēto eorum, quæ dicta ſunt in hac diſquiſitione, an ſi filius tale quid geſſerit aduerſus Patrem, vt ipſe Pater intelligatur deobligatus à præſtandis alimentis eidem filio, intelligatur etiam in ea hypotheſi deobligatus ab onere præbendi alimenta nurui vxori eiuſdem filij? Et quidem prima fronte videtur dicendum, quod vtiq; deobligatus remaneat etiam à pręſtandis alimentis nurui, ſiquidem in tantū obligatus remanet verſus illam, in quantum obligatus eſt erga filium, ergo, ſi deobligatus remanet à filio, tanquam à principali, intelligi debet, & deobligatus ab vxore tanquam ab acceſſorio, nam deficiente obligatione principali, non poteſt ſubſiſtere acceſſoria. Nihilominus probabilius ſentiendum eſt non deobligari erga vxorem, ſiquidem nurus non debet grauari ex culpa mariti *l. ſi quis in ſuo §.fin. C.de inoffic. teſtam.*, vndè filius delinquendo contra Patrem, non poteſt vxori præiudicare *l. ibi quod noſtrum eſt ff. de reg. iur.* Ad rationem, quæ ex aduerſo afferebatur dicendum eſt oriri quidem obligationem in patre alendi nurum ratione filij, ſed talem obligationem, poſtquam exorta eſt, æquè reſpicere filium, & nurum tanquam duos creditores, & proindè in extinctione debiti quoad vnū proptèr cauſam, quæ non attingit alterum, non intelligitur extinctum debitū quoad iſtum; nec in hoc currit paritas de fideiuſſore, cuius obligatio extinguitur ad extinctionem obligationis principalis debitoris, quia hæc eſt vna, & eadem obligatio transfuſa in duos, & vnus obligatur ratione alterius; hic autem eſt obligatio eiuſdem Patris ad duos, quæ æquè reſpicit vtrumq; adeoq; &c.

10 Si Pater ex cauſa deobligaretur à pręſtandis alimentis, filio non deobligatur verſus vxorem illius.

---

§ XXII.

An, ſi vxor ſine cauſa recedat à marito, ſit ab eodem alenda.

SVMMARIVM.

Factum expoſitū cum ſuis cōſiderationibus. 1.

Si

Digitized by Google

Si maritus vxorem duxerit indotatam ſimplicitèr, & hæc ſine cauſa receſſerit, non tenetur illam alere. 2.

Secus ſi receſſerit ex cauſa mariti. 3.

Si duxit eam cum promiſſione dotis, & vxor ea non ſoluta ſine cauſa receſſerit in actione dotis poteſt maritus etiam fructus temporis, quo ipſam non aluit, exigere. 4.

Si vxor dotem contulerit, & ſine cauſa receſſerit, non tenetur maritus illam alere. 5.

Secus ſi receſſerit ex cauſa mariti. 6.

Si, nec ſua culpa, nec culpa mariti receſſerit, tenetur maritus illam alere. 7.

1 Exponitur factum.

DIſquiſitio XXII. Poſtquam diu cohabitauerint Titius, & Caia coniuges Caia inſalutato marito ſine vlla prorſus legitima cauſa receſſit ab eodem, & quamuis precibus, & cohortationibus expetita nunquam voluit ſe eidem marito reſtituere, ſed ſemper ſeparata remanſit. Quæſitum hic fuit, an maritus pro tempore illo ſeparationis obligatus fuerit ad ſubminiſtranda eidem alimenta.

Conſiderabilia circa ipſum.

Cōſiderandum hic eſt, an eadem Caia pro tempore celebrati contractus attulerit in effectu Titio dotem conuentam, & congruam, quæ adhuc perſeueret apud eundem maritum, an vero in effectu non attulerit, promiſerit tamen in determinata quantitate, & pro tempore, quo ſine cauſa receſſit, adhuc non ſoluerit, an tandem, nec attulerit, nec promiſerit, nec ſpem dederit afferendi, ſed ducta fuerit indotata. Secundum has etenim conſiderationes dirimenda res eſt.

2 Si vxor fuerit indotata ſimplicitèr, & ſine cauſa receſſerit, non tenetur maritus illam alere.

Reſpondeo primo, ſi ipſa Caia nupſerit indotata ſine promiſſione dotis, & ſine ſpe illam conferendi, non tenetur maritus ipſam, ſi ſine legitima cauſa receſſerit, alere. *Tiraquel. de retract. lign.* §. 10. *gloſ. vnica nu.* 14., & 16., *Gutierez qq. canon. lib.* 1. *c.* 24. *n.* 7., *Lara l. ſi quis à liberis* §. *ſi quis ex his nu.* 34. *ff. de lib. agnoſ.*, *Barboſa* 2. *part. rub. ff. ſolut. matrim. n.* 41., *Surdus de alim. tit.* 1. *q.* 32. *n.* 17., *Hypolitus l. vnica n. fin. C. de rapt. virg.*, *Ioannes Lupus rub. de donat. inter vir.*, & *vxor.* §. 64. *num.* 10. Ratio ex eo deducitur, quia vxori deficienti in ijs, ad quæ tenetur ex vi contractus matrimonialis, æquum non eſt, vt eidem ſeruentur, quæ ex vi eiuſdem contractus, quæ cæteroqui a marito eſſent ſeruanda, nam fidem frangenti æquum eſt, vt fides non ſeruetur; cum igitur ex vi contractus coniugalis vxor debeat remanere in obſequio mariti, per textum *in c. hæc imago* 33. *q.* 5., ſi in eodem non permaneat, ſed ſine cauſa recedat, deficit ab eo, quod debet, ac proindè non debet recipere, quod oportet *l. ſi ea C. de cond. in-ſeru. l. Iulianus* §. *affinis ff. de act. empt.*

Hæc procedunt in ſuppoſitione, qua vxor ſine cauſa receſſerit à marito; ſi enim ſupponamus, quod ab eodem ſeparata remaneat ex cauſa mariti, tunc non eſſet eximendus maritus ab onere eandem quantumuis ſeparatam alendi, quādoquidem perindè eſt, ac ſi in obſequio mariti permaneret, cum eidem non ſit tribuendum, quod non permaneat, ſed culpæ eiuſdem mariti nolentis eam permanere *arg. l. iure ciuili ff. de condit.*, & *demonſt.* 3

3 Secus ſi receſſerit ex cauſa mariti.

4 Si vxor doté promiſerit, eaq; non ſoluta ſine cauſa receſſerit à marito, poteſt maritus in actione dotis etiam intereſſe exigere pro tempore ſeparationis, quo ipſam nō aluit.

Reſpondeo ſecundo; Si Titius duxerit Caiam, quæ in effectu dotem non attulerit eidem Titio, ſed promiſerit in determinata quantitate, & pro tempore ſeparationis factæ ſine cauſa ab eadem Caia adhuc non ſoluerit, probabilius eſt, quod maritus, quantumuis pro illo tempore ſeparationis ſine cauſa poſitæ vxorem non aluerit, poſſit exigere fructus eiuſdem dotis. Hanc reſponſionem apud neminem expreſsè legi. Nihilominus ſic probatur. Si maritus pro tempore celebrationis contractus matrimonialis dotem receperit, vel ab vxore, vel ab eius Patre, & illam adhuc retineat pro tempore, quo vxor ſine cauſa recedit, non tenetur vxorem pro illo tempore alere, & tamen poteſt retinere fructus eiuſdem dotis per ea, quæ in ſequenti reſponſione latè probabimus, ergo etiam quantumuis in effectu dotem non receperit, habuerit tamen in obligatione ipſius vxoris, vel Patris ratione promiſſionis factæ de ſolutione præcipuè, ſi conuentū fuerit de intereſſe, vſquequo dos ipſa in effectu perſolueretur, poterit agere ad conſecutionem illius intereſſe, non obſtante, quod pro illo tempore vxorem non aluerit. Conſequentia probatur, quia, quod dos tradita fuerit marito, vel non tradita, ſed promiſſa cum onere ſingulis annis ſoluendi intereſſe, quouſque dos ipſa fuerit perſoluta in quantum ad ius mariti pariformitèr ſe habent, ergo, ſi maritus, quando ipſi dos ab initio perſoluta eſt, facit fructus eiuſdem dotis ſuos, nec tamen tenetur alere vxorem, quæ ſine cauſa ab ipſo receſſit, etiam poterit iuſtè exigere fructus, quando dos non fuit in effectu ſoluta, ſed tantum promiſſa cū onere quot annis eidem ſoluendi intereſſe pro illa dote, quamuis ratione iniuſti receſſus eiuſdem vxoris eandem non aluerit. Neq; obeſſe poteſt, ſi afferatur, quod fructus dotis ſint proptèr onera matrimonij, quæ, cum maritus tunc non ſuſtineat, non videtur poſſe illos fructus exigere; Non, inquam, obeſſe poteſt, quia, ſi non ſuſtinet talia onera, non eſt ex

Rationes pro reſponſione.

Inſtantia ex aduerſo propoſita, & ſoluta.

Digitized by Google

ex cauſa ipſius, cùm ipſe diſpoſitus ſit ad eadem ſuſtinenda, ſed ex cauſa vxoris temere recedentis, vndè non eſt, cur ex culpa iſtius priuari debeat iure ad illos fructus; ad hoc plurimum conferre poſſunt ea, quæ habetur *in l. in ſingulos annos ff. de annuis legatis*, vbi dicitur, quod, ſi quis alicui legauerit fundum colendum aſſignato in ſingulos annos certo, & determinato ſtipendio, & per legatarium non ſteterit, quominus fundum illum coleret, ſed per hæredes impedientes, nihilominus eidem legatario ſtipendium illud aſſignatum debeatur.

5 Si vxor dotē contulerit, & ſine cauſa receſſerit, non tenetur maritus illam alere, quā vis gaudeat fructibus dotis.

Reſpondeo tertio; Si Caia eidem Titio in celebratione contractus matrimonialis in effectu contulerit dotem conuentam, quæ adhuc perſeuerat apud maritum, & ipſa ſine cauſa ab eodem Titio receſſerit, non tenetur Titius pro tempore ſeparationis ipſam alere, non obſtante, quod fructibus dotis gaudeat. *Ioannes Lupus c. per veſtras de donat. inter vir., & vxor. not. 3. in princip. n. 4. verſ. ego vero, Matiengo lib. 5. recopil tit. 9. l. 2. gloſ. 1. n. 50., Barboſa 2. part. rub. ff. ſolut. matrim. num. 43., Sanchez de matrim. lib. 9. diſp. 4. n. 21.* Ratio ex eo deducitur, quod attingit idem *Sanchez loc. cit.*, quia vxor ex genere ſuo duo habet potiſſimum onera, & ſcilicet dotem marito conferendi, & manendi in obſequio eiuſdem, ergo, ſi in altero ex illis deficiet, amittet ius, vt à marito alatur.

6 Secus ſi receſſerit ex cauſa mariti.

Ex aduerſo deduces, quod, ſi ſeparata remaneat ex cauſa mariti, teneatur idem maritus, qui dote gaudet, eandem alere; nec incongrua ratione hoc aſſeritur, quādoquidem, ſi in hac hypotheſi tenetur ipſam alere, non obſtante, quod eandem duxerit indotatam, prout ſupra probauimus in prima reſponſione, à fortiori tenebitur, ſi dotem receperit, & fructibus ipſius gaudeat, prout latè *Ioannes Lupus c. inter veſtras de donat. inter vir., & vxor. not. 3. in princip. n. 4. verſ. ego vero*; Sed, ſi inquiratur, quandonam dicatur vxor ſeparata remanere ex cauſa mariti, dicam primo hoc eſſe, quando ipſe maritus eandem eijcit à domo ſine cauſa, ſecundo, ſi nimis ſeuerè aduerſus ipſam agat, & immoderatè caſtiget. Tertio, ſi intra domum recipiat homines procaces, qui inſidientur eiuſdem vxoris pudicitiæ &c.

7 Si nec ſua culpa, nec mariti receſſerit, tenetur maritus illam alere.

Quid vero dicendum ſit, quando vxor, nec ex propria, nec ex mariti cauſa ſeparata remanet, ſed ex aliqua cauſa ex parte neutrius culpabili, puta ex morbo contagioſo mariti, ob periculum infectionis, tunc aſſero ab eodem marito, ſeu ſumptibus eiuſdem mariti alendam eſſe *Lara in d. l. ſi quis à liberis §. ſi quis ex his ff. de lib. agnoſ., Sanchez loc. cit. nu. 25.* Ratio ex eo deducitur, quia æquum non eſt, vt coniux abſq; aliqua ſui cauſa culpabili priuetur iure, quod ſibi ex ipſo iure matrimonij competit, quod potiſſimum verum eſt, quando ipſa marito dotem contulit, quod tamen adhuc verum crediderim, quantumuis eſſet ducta indotata, quia maritus ad hoc ſe obligauit, nec eximendus eſt ab illo onere ſine vlla prorſus culpa ipſius vxoris.

---

§. XXIII.

An maritus inops teneatur alere vxorem, & filios, & an potius vxorem, quam filios, vel è contra, & an vxor diues teneatur alere maritum inopem.

SVMMARIVM.

Facti ſeries expoſita. 1.

Si maritus non habeat, quo poſſit illos alere, niſi priuando ſe neceſſarijs naturæ, non tenetur illos alere. 2.

In hypotheſi, qua non poſſit vxorem, & filios ſimul alere, tenetur potius filijs, quam vxori conſulere. 3.

Si maritus ſit inops, & vxor diues, tenetur hæc illi alimenta præſtare. 4.

I Exponitur factum in ſuis terminis.

DIſquiſitio XXIII. Poſt contractas nuptias cum Theodorica Titius plures ex eadem progenuit filios, & deindè in inopiam deuenit, adeout familiæ non poſſit conſulere. Hic plurima fuerunt excitata dubia; primum, an in ea hypotheſi egeſtatis teneretur alere vxorem, & filios, an vero eximeretur à tali onere. Secundum in ſuppoſitione, qua inopia talis non eſſet, vt neutri poſſet ſubuenire, ſed poſſet ſubuenire vni, & non alteri, an deberet præferre vxorem filijs, an vero filios ſecluſa vxore. Tertiū, an, ſi ipſe, ita eſſet pauper, vt indigeret alimentis, & vxor diues, ipſa vxor teneretur eidem inopi alimenta præſtare.

2 Si maritus nō habeat quo illos poſſit alere, niſi ſe priuando neceſſarijs, nō tenetur illos alere.

Reſpondeo primo; Si maritus eſſet inops, ita vt niſi ſe priuando neceſſarijs naturæ, & perſonæ non poſſet eiſdem, nempè vxori, & filijs alimenta præſtare eximitur ab onere illa præſtandi. *Baldus in l. vbi adhuc nu. 25. C. de iur. dot., Barboſa in l. ſi conſtante in princip. n. 52. ff. ſolut. matrimon., Sanchez d. lib. 9. diſp. 4. num. 27.* Ratio ex eo deducitur, quia maritus quoad neceſſaria naturæ, & perſonæ

Digitized by Google

quoad ſe tenetur potius ſibi conſulere, quam vxori, & filijs, nec tenetur erga eoſdem, vltra quam facere poteſt *l. etiam, & l. maritum ff. ſolut. matrim.*, orgo, ſi extiterit in tali inopia, non tenebitur cum ſui detrimento eiſdem conſulere de alimentis.

3 In hypotheſi, qua non poſsit vxori, & filijs ſimul conſulere, tenetur potius erga filios, quã erga vxorem.

Reſpondeo ſecundo; Si fuerit inops, ita tamen, vt poſſit de alimentis conſulere, vel vxori, vel filijs, non tamen omnibus, probabilius tenetur potius ſubuenire filijs quoad alimenta, quam vxori, *D. Thomas 2. 2. q. 26. art. 11. ad primum, & ibi Bannes in fin., Valentia 2. 2. diſp. 3. q. 4. punct. 5. corrol.* 10. Ratio ex eo deducitur, quia natura potius inclinat in bonum filiorum, quam in bonum vxoris, ſiquidem filij ſunt pars patris, non ſic vxor, cum magis propendat in ea, quæ ſunt magis coniuncta, quam in diſiuncta; Noc obſtare poteſt, quod dicatur, quod *proptèr hoc relinquet Patrem, & matrem, & adhærebit vxori ſuæ*, & tamen eſt pars Patris, non vxoris, quod, ſi velimus dicere, quod quoad onus præbendi alimenta non conſideratur coniunctio naturę, ſed vnio quędam in ordine ad indiuiduam vitæ vnitatem, tunc potius eſſet conſulendum vxori, quam filijs, quia maritus, & vxor cõſtituuntur duo in carne vna; Non, inquam obſtare poteſt, quia, vt benè notat *D. Thomas 2. 2. q. 26. art. 11. ad primum*, non quantum ad omnia deſeritur pater, & mater proptèr vxorem; in quibuſdam enim magis debet homo aſſiſtere parentibus, quam vxori, ſed quantum ad vnionem carnalis copulæ, & cohabitationis dumtaxat debet magis adhærere vxori; quod, ſi hæc verificantur in ordine ad parentes, non video cur verificari non debeant in ordine ad filios, cum amor ex genere ſuo deſcendat; nec verum abſolutè eſt, quod in ordine ad onus præſtandi alimenta attendenda potius ſit vnitas, ſeu vnio quoad carnalem copulam, quam coniunctio partium, cum ſemper attendendum ſit id, quod magis coniunctum eſt quoad naturam, quam id, quod eſt ſolummodo coniunctum in ordine ad alios, ſeu ad extrinſecum; vndè in ijs ſeruandus eſt ordo, quem quodamodo ſeruat charitas, quæ ſicuti incipit à ſe ipſa, & progreditur primo in magis natura coniunctos, & ſic ſucceſſiuè, ita naturalis pietas, quæ compellit ad ſubueniendum, prius debet incipere à ſe ipſo, deindè in magis coniunctos natura, & ſic ſucceſſiuè.

Rationes pro reſpõſione, & ſolutiones obiectorũ

Reſpondeo tertio; Si maritus ſit inops, & vxor diues, tenetur hæc alimenta illi præſtare. *Specul. tit. qui filij ſint legitimi §. vnico n. 40., Bartol. tract. de aliment. n. 49., Bertachinus in repert. lit. P. verbo vxor alitur verſ. vxor diues, Lara in l. ſi quis à liberis §. ſi quis ex his n. 14. ff. de lib. agnoſ., Petrus Gregorius ſintegm. iur. lib. 9. c. 19. num. 5.* Expreſsè colligitur *ex l. ſi cum dotem §. ſi maritus ff. ſolut. matrim.*, vbi hæc expreſsa verba habentur, *Quid enim tam humanum eſt, quàm fortuitis caſibus mulieris maritum, vel vxorem viri participem eſſe?* & quamuis hic textus videatur tantum innuere, quod caſus fortuiti, & infortunia debeant eſſe communia vxori, ſi ſint infortunia mariti, vel è contra; ex illo tamen rectè poteſt inferri, quod ſicuti maritus in caſu indigentiæ vxoris, tenetur illam alere, ita vxor in caſu indigentiæ mariti, ſi illa fuerit diues, teneatur eidem ſubuenire; nec obſtat, ſi dicatur, quod ex genere ſuo maritus teneatur vxorem alere, non è contra; Non, inquam, obſtat, quia licet hoc verum ſit ſimplicitèr loquendo, in caſu tamen indigentiæ æquè ex naturali æquitate videtur obligari vxor erga maritum, ac maritus erga vxorem proptèr coniunctionem coniugalem, quæ habet æquè communicare commoda, & incommoda.

4 Si maritus ſit inops, & vxor diues, tenetur hæc illi alimẽta præſtare.

---

§. XXIV.

An, quando coniuges impediti ſunt ad petendum debitum, vxor poſſit expelli.

SVMMARIVM.

Exponitur factum in particulari, 1.
Si alter tantum fuerit impeditus ad petendum, nequit maritus vxorem expellere, 2.
Si impedimentum ad petendum ſit ex patre vtriuſq; non tamen ad reddendum nequit maritus vxorem expellere ab habitatione, 3.
Si impedimentum eſſet ex parte vtriuſq; tàm ad petendum, quàm ad reddendum eſſent ſeparandi thoro, non habitatione, 4.

Diſquiſitio XXIV. Contractis nuptijs inter Caium, & Theodoricam ſuperuenit impedimentum, ratione cuius coniuges debitum petere non poterant, puta votum, affinitas, ſeu cognatio. Quæſitum fuit, an Caius ratione talis impedimenti poſſit Theodoricam à ſua cura, & domo expellere.

1 Expoſitio ſtatus diſquiſitionis.

Plura circa hoc quæſitum veniunt conſideranda, & primo, an tale impedimentum ad petendum ſit reſpectu vtriuſque coniugis, adeo vt neuter poſſit petere, Secundo, an reſpectu vnius dumtaxat, adeo

Conſiderabilia circa ipſum.

Digitized by Google

adeo vt alter poſſit pro libertate petere, & alter ipſi petenti teneatur reddere; Tertio, an vterque non ſolum nequeat petere, ſed etiam, nec poſſit reddere, & hæc in ordine ad impedimentum; in ordine vero ad expulſionem, quando ratio ad illam competeret, inquiri poteſt, an ſit ſolummodo à thoro, an vero etiam ab habitatione.

Reſpondeo primo, ſi alter tantum fuerit impeditus ad petendum, puta ratione
2 voti, quatenus ſcilicet votum caſtitatis emiſerit, ſiue fuerit ipſe Caius, ſiue Theodorica, nequit ipſe Caius ipſam Theodoricam expellere neque à domo, neque à thoro. *Gloſa c. noſſe verb. non fraudentur 30. q. 1., Abbas c. ſi vir in fine de cognat. ſpirituali, & ibi Alexander de Neuo nu. 8., Sanchez lib. 9. diſp. 5. num. 19.*, qui procedunt in fortioribus terminis affinitatis, ſeu cognationis ſuperuenientis, & quidem, ſi loquamur de impedimento voti ex parte mariti dumtaxat, clarè liquet ex eo, quod ratione ipſius nullum intelligitur ius demptum ex parte vxoris, quandoquidem licet ratione ipſius maritus non poſſit petere debitum ab vxore, tenetur tamen eidem petenti reddere, ergo illam non poterit expellere, nec à thoro, nec ab habitatione; ſi vero loquamur de impedimento voti ſe tenentis ex parte vxoris ex eo etiam deducitur, quia licet ipſa non poſſit petere, tenetur tamen petenti reddere, & ex eo, quod non poſſit petere non amittit ius ad habitandum cum eodem marito, qui quantumuis poſſit cedere iuri ſuo ad petendum, non poteſt tamen priuare vxorem habitatione, nec etiam quoad thorum, cum poſſit velle non petere, poſſit tamen velle cohabitare.

Si alter tantũ fuerit impeditus ad petendũ nequit maritus vxorẽ expellere.

Rationes pro reſpõſione.

Reſpondeo ſecundo; Si impedimentũ ad petendum ſit reſpectu vtriuſque, non
3 tamen ad reddendum, nec poſſet maritus vxorem expellere ab habitatione *Abbas in c. 2. n. 2. de coniug. lepros. Supplementum Gabriellis in 4. diſt. 42. q. 1. art. 2. concl. 4., Brunellus de ſponſal. concl. 20. n. 13., Sanchez de matrimon. lib. 9. diſp. 6. num. 19.* Ratio ex eo deducitur, quia nullibi in iure reperitur, quando matrimonium validè contractum eſt, quod poſſint coniuges ſeparari, & alter alterum expellere ratione alicuius impedimenti ſuperuenientis ad petendum debitum, cum vterque poſsit ceſſare à petendo debito, quãtumuis ſimul permaneat; Neque obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, quod, cum neuter in hac hypotheſi poſsit petere, ex neceſſaria ſequela proueniat etiam, quod neuter poſsit reddere, & per conſequens, quod ratione periculi nequeant ſaltem in eodem lecto cubare, & ſic ſaltem thoro debeant ſeparari; Non, inquam, obeſſe poteſt primo, quia hic eſt ſermo ſolummodo de ſeparatione quoad habitationem, ſcilicet, quod nequeant habitatione ſeparari, quod poteſt ſubſiſtere, quamuis thoro ſepararentur. Secundo, quia poſſunt non petere, & non reddere, quantumuis in eodem thoro ſimul habitent tanquam frater, & ſoror obſiſtente congreſsui voto ex vtraque parte emiſſo.

Si impedimentũ ad petendum ſit ex parte vtriuſq; maritus nequit vxorem expellere ab habitatione.

Reſpondeo tertio; ſi impedimentum eſſet ex parte vtriuſque, ita vt neutri licitum eſſet, tam petere, quàm reddere, 4
tunc probabilius eſt ratione periculi incontinentiæ eſſe ſeparandos a thoro, non autem ab habitatione *Sanchez loc. cit., Turrecremata c. quod Deo 33. q. 3. num. 2.*, dum aſſerit, quod ob votum continentiæ mutuo conſenſu coniugum emiſſum eximantur ijdem coniuges à redditione debiti, non tamen ab alijs obligationibus, & ſic teneantur cohabitare. Ratio, cur debeant thoro ſeparari ex eo deducitur, quia non debemus ſolummodo malum in ſe ipſo vitare, ſed etiam ipſum in periculo, nam, qui periculo ſe exponit, crebro in illo perit, & iura, quæ malum prohibent, intelliguntur etiam prohibere pericula, ne in eodem labamur.

Si impedimentũ eſſet, reſpectu vtriuſque, tàm ad petendũ, quàm ad reddẽdum ſeparari deberent thoro, nõ habitatione.

DISQVISITIONES II.

Ad reliquas omnes de matrimonio VI. prænotiones.

§. I.

Quomodo cohæreat vinculum coniugale in diuortio cum iuribus, & SS. PP. auctoritatibus.

SVMMARIVM.

Exponuntur dicta SS. PP. 1.
Exploditur Zaccharia Pontificis dictum, vt non fauens hæreticis. 2.
Expenditur dictum D. Ambroſij, & vendicatur à ſenſu hæreticorum. 3.
Vendicatur dictum Concilij apud Vermetias à prauo ſenſu eorundem. 4.

DIſquiſitio I. Contra hæreticorum errores in præcedentibus docuimus in diuortio ratione adulterij non ſolui vinculum coniugale. Quia tamen hæretici, ne dum temeritate freti SS. etiam PP. auctoritatem iniquè aſſumunt

ad ſuas verſutias palliandas, placet in præſenti auctoritates, quibus initi ſibi ſuadent, referre, & ipſorum iniquitatem detegere, & SS. PP. dicta ab iniquis eorū interpretationibus vindicare. Omiſſo igitur Chriſti Domini teſtimonio *Matthai* 5., *&* 19., quod in ſui fauorem trahebant hæretici, de quo ſatis ſupra locuti fuimus, proponimus SS. PP. auctoritates, & iura, quæ ipſi temere adducunt. Primo adducunt decretum Zachariæ I.

1 Exponuntur nonnulla dicta SS. PP.

Pontificis relatum *in c. concubuiſti* 32. *q.* 7., vbi ſic legitur. *Concubuiſti cum ſorore vxoris tuæ, neutram habeas, & ſi illa, quæ vxor tua fuerit, conſcia ſceleris non fuit, ſi ſe continere non vult, nubat in domino, cui velit.* Ecce quo modo conceditur coniugi innocenti alteri nubere, quod manifeſtum ſignum eſt, quod prius matrimonium fuit diſſolutum etiam quoad vinculum coniugale. Secundo illud *D. Ambroſij* 1. *ad Corint.* 7. relatum *in c. vxor* 32. *q.* 7., vbi ſic legitur. *Vxor à viro non diſcedat, niſi cauſa fornicationis, quod, ſi diſceſſerit, aut maneat innupta, aut reconcilietur. Ideo non ſubdit de viro, quod de vxore præmiſit, quia viro liceat ducere aliam.* Tertio illud Concilij apud Vermetias relatum *in c. ſi qua mulier* 31. *q.* 7., vbi ſic legitur, *Si qua mulier in mortem ſui mariti conſiliata ſit cum alijs, & ipſe vir ſe defendendo aliquem illorum occiderit, ſi probare poteſt ille vir eam rem eſſe conſilij, poteſt, vt nobis videtur, ipſam vxorem dimittere, & ſi voluerit aliam ducere*, & alia hiuſmodi.

2 Exploditur dictum Zachariæ Pōtificis, vt nō aduerſans ſenſui Eccleſiæ.

Hæc tamen omnia, & ſimilia facilè ſoluuntur. Primum ex Zaccharia Pontifice nihil aliud euincit, quam quod vxor illius, qui concubuit cum ſorore vxoris ſuæ, poſsit eodem mortuo nubere cum alio, cui velit, quaſi velit per illa verba indicare, quod per illum concubitum mariti cum ſorore ſua, quando ipſa vxor fuit inſcia talis concubitus, hæc nō contrahat aliquod impedimentum, ratione cuius nō poſsit cum alio poſt mortem prioris mariti contrahere; vel dicas cum *Gloſa fin. in d. c. concubuiſti*, textum illum procedere, quando ille, qui concubuit cum ſorore, non erat maritus, per verba de præſenti, ſed tantum de futuro, tanquam ſponſus.

3 Exploditur dictū D. Ambroſij, & vendicatur à prauo ſenſu hæreticorum.

Secundum D. Ambroſij relatum *in d. c. vxor* 32. *q.* 2., dicunt nonnulli inter quos *Gratianus in c. propoſuiſti* 32. *q.* 7., *Magiſter in* 4. *diſt.* 35., *Abulenſis c.* 19. *Matthai q.* 76. *ad* 1. *in fin.*, non eſſe propriè D. Ambroſij, ſed ab hæreticis illi impoſitum, & imputatum. Sed quidquid ſit de hoc, quantumuis verè fuerit D. Ambroſij, dico procedere dumtaxat, quod poſsit vxor, quæ diſceſsit alterum ducere poſt mortem prioris mariti, nec interpretatio hæc arbitranda eſt fruſtatoria, & inutilis eo, quod certum ſit, quod poſt mortem prioris mariti, poſsit ad alias nuptias tranſire; Non, inquam, arbitranda eſt fruſtatoria, & inutilis, quia per hoc voluit excludere antiqua iura, ſecundum quæ vxor adultera, quæ à marito diſceſſerat, non permittebatur poſt mortem eiuſdem mariti ad alias nuptias tranſire, licet hoc eſſet permiſſum marito adultero, qui compellebatur dumtaxat agere pænitentiam.

Tertium deſumptum ex Concil. apud Vermetias relato *in d. c. ſi qua mulier* 31. *q.* 7. aſſerit *Maldonado c.* 19. *Matthai*, eſſe apocriphum, vtpotè deſumptum ex Cōcil. Spurio. Deindè, quando verum etiam eſſet Concilium, non abſolutè definit, ſed relinquit ſub dubio, quod colligitur ex ills verbis, *vt nobis videtur*, quod dubium modo eſſe non poteſt, cum concilia poſteriora, SS. PP., & Theologi communitèr, & Canoniſtæ expreſsè contrarium definiuerint dependentèr ab ordinatione Chriſti Domini, *Quos Deus coniunxit, homo non ſeparet.*

4 Vendicatur à nota eorundem Cōcilium Vermetienſe.

---

§. II.

An præcedente copula contractum matrimonij liberum ſit alij ex coniugibus ante conſummationem eiuſdem tranſire ad Religionem.

SVMMARIVM.

Senſus diſquiſitionis exponitur. 1.

Si copula præceſſit ſine aliquo tractatu de matrimonio, eodem poſtea contracto, & non conſummato, licitum eſt marito tranſire ad Religionem. 2.

Etiam ſi tractatus matrimonij præceſſerit ipſam copulam. 3.

DIſquiſitio II. Antequam iniretur matrimonium per verba de præſenti inter Titium, & Caiam ipſi per copulam ſe commiſcuerunt, & poſtea matrimonium inierunt ſeruato iuris ordine cum omnibus ſubſtantialitèr ad hoc requiſitis. Contracto ſic matrimonio Titius, antequam de nouo congrederetur cū eadem Caia iam facta vxore ſua per conſenſum de preſenti, ſtatuit in corde ſuo perfectiorem ſtatum eligere, & tranſire ad Religionem, aduerſus quem excipiebat eadem Caia, quod propoſitum illud non poterat perficere eo, quod ipſam antecedenter carnalitèr cognouerat. Quæſitum

1 Senſus diſquiſitionis exponitur

Digitized by Google

ſitum hic fuit, an non obſtante tali exceptione vxoris poſſit licitè ad Religionem tranſire.

Confiderabilia circa quæſitum.

Pro ſolutione præmittenda eſt conſideratio, an, quando antecedentèr ad matrimonium copulam habuerunt, præceſſerit tractatus de eodem matrimonio, vel ſponſalia, an vero, nec contractus, nec ſponſalia præceſſerint; quod dixerim proptèr ius antiquum, antecedentèr ad Concilium Tridentinum, ſecundũ quod copula poſt ſponſalia inita præſumptiuè inducebat pro conſenſu in matrimonium.

2 Si copula præceſſit ſine aliquo tractatũ ad matrimoniũ liberũ eſt cõiugibus ante cõſummationẽ trãſire ad Religionem.

Reſpondeo primo, ſi nec tractatus ad matrimonium præceſſerit, nec ſponſalia, quando inter ipſos habita eſt copula, adhuc liberum eſt marito ante conſummationem poſt matrimonium initum tranſire ad Religionem *Silueſter verb. diuortium q.3.* Ratio ex eo deducitur, quia cuicunque coniugi poſt contractas nuptias, & non conſummatas licitum eſt trãſire ad Religionem, cum à iure in ordine ad deliberandum de tali ſtatu concedatur bimeſtre; ſed in hac hypotheſi nuptiæ non intelliguntur conſummatæ, quia illa copula præcedens ad matrimonium non confert ad conſummationem, nam id, quod præcedit, non conſummat, ſed dumtaxat id conſummat, quod ſubſequitur, ergo &c. Ad hoc plurimum etiam faciunt textus *in c. verum, & c. ex publico, & c. ex parte de conuers. coniug.*

3 Etiam ſi tractatus matrimonij præceſſerit ipsã copulam.

Reſpondeo ſecundo, quantumuis præceſſerit tractatus ad matrimonium, ſeu ſponſalia ipſam copulam, ſi ipſa copula præceſſerit matrimoniũ, nõ impedit quominus maritus cõtracto eodem matrimonio, & poſtea non conſummato, poſſit ab vxore diuertere tranſeundo ad ſtatum perfectiorem Religionis. Hæc videtur eſſe contra eundem Silueſtrum, qui ex quo loco citato aſſerit poſt illam copulam habitam ante matrimonium poſſe coniuges tranſire ad Religionem, ſi non præceſſerint ipſam copulam ſponſalia, videtur ſentire, quod ſi illa præceſſerint, non poſſint tranſire, quia illa exceptio firmat regulam in caſu oppoſito. Nihilominus Probatur noſtra reſponſio, quia, ſi quæ ratio euinceret, quod non poſſent tranſire ad Religionem, ea eſſet, quia per illam copulam habitã poſt ſponſalia non ſolum intelligatur initum, ſed etiam conſummatum matrimoniũ, ſed hæc ratio nõ valet ſtante moderna diſpoſitione Concilij Tridentini præcipientis ſub nullitate non contrahi matrimonium, niſi per conſenſum præſtitum coram Parocho, & teſtibus, ergo per illam copulam, nec intelligitur contractum matrimoniũ, & per conſequens, nec conſummatum, cum conſummatio ſupponat actum matrimonij validum.

Solum aliquid negotij videtur faceſſere quod cum habita fuerit illa copula præcedentibus ſponſalibus videtur habita cum promiſſione futuri matrimonij in virtute illorum ſponſalium, & ſic maritus propter illam violationem cum illa promiſſione non videtur poſſe in præiuditium ſponſæ violatæ ad Religionem tranſire. Sed facili negotio poſſum ad hæc reſpondere, primo, quod hac ratione æquè impediretur ad tranſeundum ad Religionem, ſiue matrimonium fuerit contractum, ſiue non contractum, cum impedimentum eſſet propter læſionem iuſtitiæ in illa violatione. Deindè ad ſummum teneretur compenſare damna illius violationis dotando fæminam illam ſtupratam, non vero impediretur, quin poſſet gaudere priuilegio ſibi à Chriſto Domino conceſſo tranſeundi ad Religionem.

4 Maritus ad ſummũ teneretur compenſare damna.

---

§. III.

An per conſuetudinem poſſit abrogari ius diuortij propter adulterium.

SVMMARIVM.

Elucidatur factum cum ratione dubitandi. 1.
Referuntur rationes pro excipiente de conſuetudine. 2.
Non obſtante tali conſuetudine poteſt innocens adulterum dimittere. 3.
Soluuntur rationes oppoſitæ ſententiæ. 4.

1 Status cõtrouerſiæ exponitur

Diſquiſitio III. In quadam regione paſſim contingebant adulteria, & adeo crebrò, vt vix haberentur in conſideratione, nec de illis aſſumeretur vlla vindictæ ratio, & diu praua illa conſuetudo ſine vlla punitione perſeuerauit. Contigit, vt Caia coniux Sempronij viri notæ probitatis, & timoratæ conſcientiæ in adulterium dilaberetur, cuius certus factus Sempronius fretus iure ſibi à Chriſto Domino *Matthei 5., & 19.*, contendebat per diuortium eandem dimittere, aduerſus quem excipiebat Caia, quod ius illud diuortij ob adulterium eſſet contraria conſuetudine, & vtique præſcripta abolitum. Quæſitum hic fuit quid iuris?

Iura conſuetudinis in fauorem Caiæ fouere videbatur ratio, quod ius diuortij ob adulterium non eſt præceptiuum, ſed facultatiuum innocenti, adeo vt non tenea-

teneatur dimittere coniugem adulteram ex præcepto, ſed poſſit, ſi velit, dimittere ex libertate, vndè conſuetudo aliud nō præſtaret, quam demere libertatem, quam habebat coniux innocens ad dimittendum, vel non dimittendum; non videtur autem eſſe abs ratione, quod libertas ad aliquod opus peragendum, vel omittendum poſſit contraria conſuetudine abrogari; Hoc videtur apertè manifeſtari in conceſſionibus, & priuilegijs, quæ paſſim ex eo, quod non ſint in vſu, nullā vim habent ob contrariā conſuetudinem, & hoc ea ratione, quod, cū eſſet in libertate priuilegiatorum, vtendi, & non vtendi, & vſi non fuerint, ex illo non vſu priuilegia ipſa vim amiſerint, & priuilegiati ius eiſdem amplius vtēdi; Nec obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, quod ea, quę hic dicuntur, verificentur quoad conceſſiones iuris poſitiui humani, contra quod præualere poteſt ius conſuetudinarium, non ſic quoad conceſſiones iuris diuini, & naturalis, aduerſus quod nullam vim habere poteſt conſuetudo; Non, inquam, obeſſe poteſt, quia hæc ad ſummum verificantur, quando ea, quæ ſunt iuris diuini, & naturalis, ſunt præceptiua, non autem quando ſunt merè facultatiua, vt ſupra innuebam, quia, cum hæc reſpiciant puram libertatem eius, cui conceſſa eſt illa facultas, hæc vtique adimi poteſt per contrariam conſuetudinem, quæ certè nullam vim habet contra ius diuinum, habet tamen vim contra humanam libertatem. His tamen non obſtantibus

2 Referuntur rationes pro excipiente de conſuetudine.

3 Non obſtante tali conſuetudine, poteſt innocens adulterum dimittere.

Reſpondeo Sempronium, non obſtante tali aſſerta conſuetudine poſſe iuſtè, & legitimè Caiam dimittere. *Coarunias 4. decret. 2. part. c 7. §. 5. num. 8., Sanchez de matrim. lib. 10. diſp. 3. num. 7.* Ratio ex eo deducitur primo, quia, quod coniux innocens poſſit dimittere coniugem adulterum eſt ex iure naturali, & diuino, ergo non poteſt per contrariam conſuetudinem abrogari. Antecedens patet ex illo *Matthæi 5., & 19.*, vbi permittitur ex cauſa fornicationis coniugi innocenti dimittere vxorem adulteram, in quo textu aliqui volunt, quod Chriſtus Dominus non ſolum ibi nouum ius condiderit, ſed etiam explicarit ius antiquum naturale. Conſequentia probatur, quia ius naturale vtpotè immutabile per nullum ius poteſt tolli, per textum *in c. 1. diſt. 5., & §. ſed naturalia Inſtit. de iure natur.* Secundo, quia ius illud dimittendi vxorem adulteram ex cauſa fornicationis non poteſt tolli per aliquod ius ſcriptum, ſiue ciuile, ſiue canonicum, ergo, nec etiam per ius conſuetudinarium. Tertio, quia nulla

Rationes pro reſpōſione.

conſuetudo poteſt ſubſiſtere, quæ tribuit occaſionem peccandi impunè; talis autem eſſet conſuetudo, quæ tolleret ius diuortij, ſi quidem ſublato illo iure paſſim coniuges, & præcipuè vxores ſordeſcerent in adulterijs.

Solum aliquid negotij aduerſus hanc reſponſionem videtur faceſcere id, de quo teſtatur *D. Baſilius in ſuis canonibus can. 5., & 21.*, nempè conſuetudinem iam obtinuiſse, vt non concedatur diuortium vxoribus ob viri adulterium. Sed teſtimonium D. Baſilij accipiendum eſt in eo ſenſu dumtaxat, vt vxores rarò intentent diuortium ob mariti fornicationem, per quod tamen non tollitur, quin poſſint intentare, ſi velint.

Ad rationes, quæ ex aduerſo afferebantur fateor ius illud diuortij non eſse præceptiuum, niſi fortè adulter ſit pertinax in adulterio, & ratione ſcandali, vel correctionis fraternæ, vt ſupra ſit dimittendus, ſed merè facultatiuum, nec propterea ſit, quod hoc poſſit per contrariam conſuetudinem abrogari, nec conſuetudo quid valet ad adimendam libertatem, quando hæc fundatur in iure naturali, & diuino, nam ſemper ius illud viget, & per illud libertas ſemper inſtauratur; Nec quid euincit paritas de conceſſionibus, & humanis priuilegijs, quandoquidem hæc vtpotè iuris humani in ſua radice per contrariam conſuetudinem abolentur.

4 Soluuntur rationes oppoſitæ ſententiæ.

---

§. IV.

An pro quocunque tempore poſſit diuortium ob adulterium peti.

SVMMARIVM.

In quo conſiſtat ratio dubij. 1.
Rationes ſuadentes poſt quinquennium non eſſe amplius locum diuortio. 2.
Si coniux innocens non factus fuerit conſcius delicti alterius, niſi poſt multum tempus, poteſt adhuc agere ad diuortium. 3.
Poteſt adhuc agere, quantumuis conſcius diſtulerit actionem, modo tacitè non condonarit. 4.
Soluuntur rationes oppoſitæ ſententiæ. 5.

DIſquiſitio IV. Lapſa eſt Caia vxor Theodorici in adulterium, nec Theodoricus ſuper illo adulterio per multum temporis reclamauit, nec propria auctoritate, nec auctoritate Iudicis intentauit diuortium. Diutino tempore elapſo actionem Theodoricus excitauit ſuper

1 Exponitur ratio dubij.

Digitized by Google

ſuper diuortio ob illud Caiæ adulterium. Quæſitum fuit, an eſſet audiendus?

Conſiderationes circa dubium. Conſiderandum hic eſt, an coniux innocens tunc nouerit adulterium alterius, quando fuit patratum, an vero nouerit dumtaxat ex interuallo poſt multum ſcilicet temporis, à quo commiſſum eſt; ex hac etenim diuerſa conſideratione diuerſum oriri poteſt ius, & ratio decidendi.

Videtur abſolutè aſſerendũ poſt quinquennium à die commiſſi adulterij non amplius competere ius innocenti ad agẽdum ſuper diuortio ob adulterium alterius,

2 Rationes ſuadentes poſt quinquennium, non eſſe amplius locum diuortij. quandoquidem illud tempus præſcribitur ius accuſandi quoad pænam ciuilem,& criminalem,per textum *in l.5. C. ad leg. Iul. de adult.*, quo elapſo non amplius innocens audiendus eſt, ergo etiam intelligendum eſt illud quinquennium præſcriptum ad agendum ſuper diuortio, quo propterea elapſo non videatur amplius idem innocens audiendus. Nihilominus

Reſpondeo primo; Si coniux innocens non fuerit conſcius adulterij alterius,niſi poſt multum tempus à die eiuſdem

3 Si coniux innocens non fuerit conſcius delicti alterius, niſi poſt multum tempus poteſt agere ad diuortiũ. commiſſi, poteſt non obſtante eo tempore elapſo agere ad idem diuortium. Propendent in hanc reſponſionem *Sãchez de matrimon. lib.10. de diuort. diſp.3.n.9., Paludanus in 4.diſt.31.q.1.art.5. concl.1.nu.33., Aimon de antiquit. tempor. part.4. ſect. materia iſta ſingularitatis teſtium nu.88.* Ratio ex eo deducitur, quia adulterium quantum eſt de ſe, eſt ſufficiens cauſa diuortij ex ſuperius latè allegatis, & probatis, & quantumuis daremus, quod ſuper eo præſcriberetur, non incipit currere tempus, niſi à die habitæ notitiæ reſpectu innocentis, ergo, quantumuis multum tempus tranſierit ante habitam notitiã, poterit nihilominus innocens agere ad idem diuortium; nec exiſtimandum eſt, quod, cum diu latuerit illud adulterium, non poſſit poſtea vim habere ad illum effectum diuortij; non, inquam, exiſtimandum eſt, quia ex eo, quod diu latuerit, non tollitur, quin verè ſit poſitum, & ſic violata fides alteri debita, ex qua

4 Poteſt adhuc agere quantumuis ſtatim fuerit conſcius delicti, & diu diſtulerit actionem, dummodo tacitè nõ condonauerit. violatione conſurgit ius in innocente, quod non intelligitur extinctum ex eo, quod immediatè non apparuerit.

Reſpondeo ſecundo; Quantumuis coniux innocens fuerit conſcius adulterij alterius, quando patratum fuit, & diu diſtulerit dimiſſionem eiuſdem, poteſt pro quocunque dimittere, niſi interim actiones tales poſuerit, ex quibus concludentèr inferatur remiſſio, ſeu condonatio. *Ananias c. maritus de adulterijs in fin., Paludanus in 4.diſt.31.q.1.art.5.concl.1.n.33., Proſper Farinacius in pract. crimin. pr. part. q.10.n.20.* Videtur expreſsè colligi *ex c. admonere 33.q.2.*, vbi Pontifex decernit, quod poſt ſeptennium pænitentię, quam peregit coniux adultera, adhuc liberum ſit viro innocenti ab eadem diuertere, quem textum explicans *Gloſa ibid. verbo pænitentia*, expreſsè aſſerit, nec extingui ius mariti innocentis per lapſum viginti annorum. Solum captu difficilè videtur, quomodo per diutinum illud tempus nõ intelligantur tacitè facta remiſſio, ratione cuius impediatur innocens ad recedẽdum, vel adulterum dimittendum; Sed Rationes pro reſpõſione. vbi non poſuerit actiones tales, quæ habeant certam moralem connexionem cum eadem remiſſione per ſolum temporis lapſum non concludentèr illa remiſſio infertur, & reſponſio noſtra procedit ſolummodo quoad temporis protractionem in dimittendo ſecluſa quacunque alia ratione inferente eandem remiſſionem, ſeu condonationem.

Ad rationem, quæ ex aduerſo afferebatur dicendum eſt diſparem omnino 5
eſſe rationem de iure ad accuſandum, ſiue ciuilitèr, ſiue criminalitèr quoad pænam, ac de iure ad dimittendum, ſeu recedendum, Soluuntur rationes oppoſitæ ſententiæ. quandoquidem cum huiuſmodi ius ad accuſandum in ordine ad tales pænas ſit inductum de iure poſitiuo humano potuit coarctari ad determinatum tempus, prout de facto coarctatum eſt ad quinquennium per textum *in d. l.5. C. ad l. Iul. de adult.*, ius vero ad dimittendum, ſeu ad recedendum ab adultero, cum inductum fuerit de iure diuino, & naturali, non potuit ad aliquod tempus per leges ciuiles humanas, & canonicas coarctari, niſi læſus liberam fecit remiſſionem.

---

§. V.

An, ſi maritus negauerit matrimonium, & illud ob defectum probationum fuerit diſſolutum, & vxor ex ea occaſione adulterium comiſerit, poſſit maritus ob illud diuertere.

SVMMARIVM.

Status controuerſiæ latè expoſitus. 1.
Maritus verus, & realis ob commixtiones carnales vxoris cum ſecundo non habet ius illam dimittendi. 2.
Soluitur ratio propoſita pro ratione dubitandi. 3.

Diſ-

Digitized by Google

1 **Exponitur ſtatus diſquiſitionis.**

DIſquiſitio V. Contractum verè fuerat matrimonium inter Titium,& Caiam, quod tamen erat difficilis probationis, vel quia ante Concil. Tridentinum fuit Clandeſtinum, vel quia quantumuis celebratum poſt idem Concilium coram Parocho, & teſtibus idem Parochus, & teſtes prædeceſſerunt, nec matrimonium hoc fuit ſcriptum in libro coniugatorum. Titius abſolutè negauit coram Iudice hoc matrimonium, & cum vxor deficeret in probationibus auctore Iudice fuit diſſolutum. Stante hac diſſolutione Caia tranſiuit ad alias nuptias, quæ fuerunt conſummatæ. Temporis proceſſu prius matrimonium fuit ex ſuperuenientibus notitijs cognitum, & probatum initum, & validum, & dum vel vxor ageret ad reſtitutionem, vel Iudex ex officio eoſdem compelleret ad inſtaurationem prioris matrimonij per cohabitationem, aliaque obſequia coniugalia excipiebat idem Titius de adulterio vxoris cum eo, cui ſecundo nupſit, & quidem cum ſcientia validitatis prioris matrimonij. Quæſitum hic fuit, an illa exceptio Titij de adulterio vxoris ſufficiens ius ipſi tribuat, ratione cuius non teneatur eandem vxorem recipere.

In quo conſiſtat ratio dubitandi.

Ratio dubitandi potiſſimum ex eo conſurgit, quod ſupradictum fuit, quod ſcilicet, ſi maritus à domo iniuſtè eiecerit vxorem, eique alimenta denegarit, & illa ex eo adulterium commiſerit, non amittat maritus ius ad diuortium, prout habetur *in c. ſignificaſti de diuort., & in c. ex literis eod. tit.*, & in hoc conſentiunt omnes ferè DD., ergo etiam non amittet ius ad idem diuortium, ſi auctore Iudice eandem a domo eiecerit ſub motiuo non conſtantis matrimonij, ſi illa indè in adulterium fuerit prolapſa, potiſſimum cum ipſa ſcientiam habuit de ſubſiſtentia prioris matrimonij, & per conſequens, quod omnes actus commixtionis cum ſecundo fuerunt adulteria. Nihilominus

2 **Maritus primus nõ habet ius dimittendi vxorem ob commixtiones habitas cum ſecũdo.**

Reſpondeo, quod maritus prior verus, & realis non habeat ius propter illas commixtiones carnales habitas cum ſecundo non recipiendi eandem vxorem, ſed teneatur illam recipere *Nauarrus in ſumma c. 22. num 24, Henriquez lib. 11. de matrimon. c. 17. n. 4. in fin., Sanchez de matrim. l b. 10. diſp. 5. n. 9.* Ratio ex eo deducitur, quia ex quo maritus ipſe matrimonium negauit, inſtitit illius diſſolutioni, & obtemperauit ſententiæ declaratoriæ non ſubſiſtentis matrimonij eandem vxorem, quantum fuit ex propriæ voluntatis arbitrio exemit à propria poteſtate, liberam conſtituit, & facultatem præbuit cuicumque voluerit nubendi, ergo, ſi nupſerit alteri, & cum eo fuerit commixta, non poterit prior maritus conqueri, cum, quantum fuit ex ſe, ad hoc facultatem fecerit, & per conſequens cum illi non fuerit collata iniuria, non acquiret ius legitimè ad vindictam, & per conſequens ad non recipiendam vxorem, ſiquidem eidem excipienti de adulterio, poterit vxor ipſa replicare de ipſius conſenſu, & de cauſa proximè tradita ad ſecundum matrimonium, ex quo prouenit illa commixtio; Neque dicas, quod vxor ipſa contrahens illud ſecundum matrimonium cum ſcientia ſubſiſtentiæ prioris grauitèr peccarit, non ſolum in contrahendo, ſed etiam in illis omnibus commixtionibus ſequentibus ad illum contractum inualidum; contra enim impugnaberis, quia veriſſimum eſt ſuppoſita illa ſcientia, quod vxor grauitèr peccauerit, tum in contrahendo, tum in illis commixtionibus poſt cõtractum, nego tamen, quod indè maritus ius acquirat ad diuertendum, ſeu ad non recipiendam vxorem, ſi poſtea innotuerit de ſubſiſtentia prioris matrimonij; nam non conſurgit ius diuortij ex quocunque adulterio, ſed dumtaxat ex adulterio iniurioſo eidem priori marito, & cui ipſe cauſam non dederit proximam, cuiuſmodi non eſt illud, de quo modo agimus, cum ipſe maritus eidem cauſam dederit, negando prius matrimonium, inſiſtendo illius diſſolutioni, & liberam, quantum fuit ex ſe, ipſam conſtituendo ad quaſcunque nuptias. Accedit, quod ipſe maritus in ordine ad illam commixtionem ſecundi mariti non fuit innocens, cum nouerit prius matrimonium ſubſiſtere, & ex ſua prauitate negando illud coniecerit vxorem in illo ſtatu. Accedit ſecundo, quod maritus ſciens vxorem lapſuram de proximo in adulterium, & non prohibens, cum commodè poſſit prohibere, non habeat ius ob illud diuertendi, cum intelligatur illi conſenſiſſe per ea, quæ ſupra probauimus *ſub hoc eod. tit. De matrimon. VI. prænot. XI. ſect. 9. aßert. 1. verſ. in ordine ad ſecundam*; ſed in hac hypotheſi optimè nouit matrimonium illud ineundum, & quidem ex vi propriæ prauitatis, dum negauit ſubſiſtentiam matrimonij, quod optimè nouerat ſubſiſtere, & ex illo habendas illas commixtiones, quas optimè poterat prohibere, quinimmo tenebatur, nec prohibuit, ergo ex illis &c.

Quantum fuit ex ſe exemit vxorem à propria poteſtate.

Soluuntur nonnullæ rationes oppoſitæ.

3 **Soluitur ratio propoſita pro ratione dubitandi.**

Nec quidquam euincit argumentum ſuperius adductum, quandoquidem ex illa eiectione vxoris è domo, & negatione alimentorum maritus non exemit eandem vxorem ab onere, & fide coniugali, ſibi

Digitized by Google

ſibi debita; ſupponitur enim eieciſſe ad vindictam non tribuens eidem libertatem; vndè ipſa vxor habet tantum actionem ad reſtitutionem, non ad alia; in caſu autem, de quo hic loquimur, non habebat pro tempore, pro quo tranſijt ad alias nuptias, actionem ad reſtitutionem, cum per ſententiam Iudicis prius matrimonium fuerit diſſolutum, ſed libera, quantum fuit ex parte mariti conſtituta eſt, adeoque &c.

---

§. VI.

An, ſi matrimonium in facie Eccleſiæ fuerit contractum ſubſiſtente impedimento irritante occulto tunc non cognito, & vxor lapſa ſit in adulterium, amittat dotem.

SVMMARIVM.

Status controuerſiæ expoſitus. 1.
Iura vxoris adulteræ. 2.
Exceptiones mariti innocentis. 3.
Opinio Barboſæ procedentis cum diſtinctione exponitur. 4.
Si adulterium fuerit commiſſum poſt cognitam inualiditatem matrimonij dos non accreſcit marito. 5.
Si adulterium fuerit commiſſum, perſeuerante bona fide valoris matrimonij dos accreſcit marito. 6.
Diſſoluuntur rationes Barboſæ. 7.

1 Exponitur ſeries diſquiſitionis.

DIſquiſitio VI. Seruatis omnibus iuris ſolemnitatibus in facie Eccleſiæ contractum fuit matrimonium inter Antonium, & Liuiam, cui tamen ſuberat impedimentum dirimens occultũ tamen, & pro eo tempore non cognitum. Proceſſu temporis Liuia in adulterium prolapſa eſt, ob quod ex diſpoſitione iuris iuxta ſuperius dicta amittunt vxores dotem, quæ viro accreſcit, per textum *in c. plerumque de donat. inter vir., & vxor. l. conſenſu §. 1. C. de repud. l. vnica §. taceat C. de rei vxor. act. l. miles §. ſocer. ff. ad leg. Iul. de adult.*, & cognitum fuit impedimentum occultum dirimens, ob quod illud matrimonium irritatur. Orta hic fuit controuerſia, an Liuia, ob illam fornicationem dotem amiſerit, & an illa accreuerit Antonio.

2 Iura coniugis adulteræ.

Contendebat eadem Liuia ad repetitionem dotis collatæ, quandoquidem cum illud matrimonium cum Antonio initum non ſubſiſteret, non fuit læſum per illam fornicationem a ſe ipſa commiſſam, & tota ratio, quæ militat pro marito quoad acquiſitionem dotis, eſt proptèr matrimonij læſionem.

3 Exceptiones mariti innocẽtis.

Excipiebat aduerſus eandem Antonius, quod, cum illud matrimonium fuerit initum ſeruatis omnibus iuris ſolemnitatibus in facie Eccleſiæ, habeatur pro valido, & per conſequens, quod vxor adultera, quantum fuit ex ſe, violarit iura matrimonij, & læſerit ius mariti, ſi non verũ, ſaltem exiſtimatum, proptèr quod digna eſt, vt iure dotis priuetur. Accedit, quod, ſi ex illo matrimonio inito bona fide vtriuſque coniugis ſuſcepta fuerit proles, hæc habeatur, vt legitima, & ſuccedat in bonis vtriuſq; coniugis, perindè, ac ſi eſſet talis, non obſtante inualiditate ſecundum ſe talis matrimonij, non alia ratione, niſi quia illud matrimonium reputabatur pro valido, ergo, ſi proles ſuccedit in bonis vtriuſque parentis, non eſt, cur maritus non debeat ſuccedere in bonis dotalibus eiuſdem vxoris, ſi hæc deliquerit contra tale matrimonium, potiſſimum cum quantum eſt ex ſe iniuriam matrimonio, & marito contulerit perindè, ac ſi tale matrimonium fuiſſet formalitèr verum, & ſi inualiditas non obſtat filijs, ne ſuccedant, cur eadem obſtare debet marito, ne ſuccedat in bonis dotalibus, ſi vxor contra illud matrimonium deliquerit culpa tali, vt priuet eiſdem vxorem, & ſubſtituat eundem maritum?

4 Opinio Barboſæ procedentis ſub diſtinctione exponitur

Barboſa *l. 2. in princip. part. 1. nu. 93., & ſeqq. ff. ſolut. matrim.* conatur ſub diſtinctione has diuerſas coniugum opiniones componere, & propterea aſſerit, quod ſi obtenta ſententia, & dote marito applicata vxor opponat inualiditatem matrimonij non ſit audienda propter textum *in l. res iudicata ff. de reg. iur.*, ſecus vero, ſi opponat inualiditatem ante ſententiam, quia, cum tunc verè non fuerit matrimonium, dos non debet adiudicari marito.

5 Si adulteriũ fuerit cõmiſſũ, cognita inualiditate matrimonij, dos non accreſcit marito.

Ego aliter procedendum exiſtimo; vel etenim adulterium vxoris patratum fuit cognita inualiditate matrimonij ob illud impedimentum dirimens antea occultũ; vel adhuc eadem inualiditate non cognita. Iuxta primum ſenſum abſolutè arbitror vxorem non amittere ius ad dotem, nec illam accreſcere marito; atque iuxta hunc ſenſum præciſè arbitror locutos DD. allegatos *à Barboſa in d. l. 2. in princip. part. 1. n. 93. ff. ſolut. matrim.*, qui aſſerunt dotem illam vxoris non adiudicari marito. Iuxta ſecundum vero ſenſum arbitror alloqui DD. ab eodem allegatos, qui aſſerunt dotem illam acquiri marito, quibus an adhærendum ſit, infra ſubdam. Ratio quoad primum ſenſum ex eo deſumitur, quia neque in re, neque

Digitized by Google

in opinione in hac hypotheſi per adulterium vxoris matrimonium illud læditur; non in re, quia matrimonium illud ſecundum ſe inualidum eſt; non in opinione fornicantis cū optimè nouerit illius inualiditatem,& ſicuti eadem cognita poteſt immediatè ipſa vxor recedere à marito, quinimmo tenetur recedere ſine violatione fidei datæ, ita poteſt, quantum reſpicit ius mariti ſine læſione fidei ipſi datæ alteri ſe communicare, adeoque ſine vlla pæna amiſſionis dotis.

Remanet ſolummodo diſcutiendum circa ſecundum ſenſum, ſecundum quem ſupponitur, quod vxor fornicata fuerit perſeuerante bona fide validitatis matrimonij, an ſcilicet vxor tunc dotem amiſerit, quæ accreſcat marito putatiuo. Sentiendum exiſtimo re vera in ea hypotheſi omittere, ad quod aſſerendum duplici ratione moueor, primo, quia huiuſ-
6 Si adulterium fuerit commiſſū, perſeuerante bona fide matrimonij, dos accreſcit marito.
modi pæna amiſſionis dotis reſpectu vxoris fornicantis inducta eſt propter fidem marito violatam, ſed quotieſcunque perſeuerat bona fides matrimonij validi in vtroque contrahente denegari non poteſt, quin violetur fides alteri promiſſa in contractu matrimoniali, & quidem cum maxima culpa delinquentis, ergo non eſt, cur dos illa non intelligatur deperdita in fauorem mariti innocentis, quod potiſſimum verum eſt, quod hæc pæna non eſt inducta de iure naturæ, ſed dumtaxat de iure poſitiuo Eccleſiaſtico, & ciuili, quod reſpicit contractum initum humano modo, & ſeruatis conditionibus ab eodem iure requiſitis, propter quam rationem etiam ſtatuunt, quod quantumuis matrimonium ſit inualidū, ſi tamen ſit contractum cum bona fide contrahentium, & ſeruatis iuribus circa hoc præſcriptis proles tamen inde ſuſcepta habeatur, vt legitima,& ſuccedat legitimè in bonis parentum. Secundo, quia ſuppoſita validitate matrimonij in foro externo, & coram Eccleſia, quantumuis coram Deo ſit inualidum, omnia, quæ circa ipſum contingunt perſeuerante bona fide contrahentium, & ſubſequenter habentur pro validis, & plenum ius ſortiuntur ex vi eiuſdem matrimonij, vt potiſſimum videre eſt in exemplo mox adducto de filijs progenitis ex tali matrimonio, quantumuis ſecundum ſe inualido, qui ſuccedunt, vt legitimi non alia ratione, niſi quia tale matrimonium in facie Eccleſiæ habetur pro valido, & eſt tale ex fide contrahentium, quando fuerunt progeniti, ergo etiam cum habeatur pro valido, & in opinione contrahentium, & in facie Eccleſiæ, quando vxor deliquit per adulterium non erit, cur vxor non contrahat illas pænas, quę ſtatutæ ſunt contra vxores adulterantes conſtante matrimonio illo, ſiquidem ſicuti pro illo tempore, pro quo perſeuerat in bona fide illud matrimonium, conſequitur omnia iura matrimonij, vt veri, ita non eſt, cur non debeat ſubire omnia onera, omneſque pænas, ſi deliquerit, perindè, ac ſi matrimonium illud eſſet verum.

Nunc explicanda ſunt ea, quæ ex *Barboſa d. l. 2. part. 1. in princip. n. 93. ff. ſolut. matrimon.* ſecundum ipſius diſtinctionem fuerunt adducta in principio; & primo peto, an quando lata eſt illa ſententia, de qua ipſe loquitur, & ex vi illius applicata dos marito, fuerit cognitum illud impedimentum dirimens occultum, an nō; ſi primum aſſeratur; cum illa ſententia fuerit iniuſta, vtpotè contra leges, & canones lata non poteſt vllum ſortiri effectum, nec conſtituit ius irretractabile; ſi ſecundum; iam militant ea, quæ mox dicta ſunt, & ſic nobiſcum conſentit, cum hoc tantum diſcrimine, quod ipſe requirit ſententiam, quam nos neceſſariam non reputamus. Secundo inquiro, an quando adhuc non eſt lata ſententia illa, de qua loquitur, & commiſſa ex parte vxoris fornicatio, fuerit cognitum illud impedimentum, nec ne, & ſic procedo iuxta ea, quæ expoſui ſecundum illum duplicem ſenſum, & affirmo, & nego quoad illam dotis amiſſionem, iuxta explicata, & probata.
7 Diſſoluūtur rationes Barboſæ.

---

§. VII.

An, ſi maritus occiderit vxorem deprehenſam in adulterio, amittat dotem, quam cæteroqui conſequeretur ex adulterio vxoris.

SVMMARIVM.

Exponitur factum in ſuis terminis. 1.
Rationes ſuadentes maritum, etiam in dato caſu dotem acquirere. 2.
In ea hypotheſi dotem minimè lucratur. 3.
Si dos fuerit adiudicata marito ob precedens adulterium, & deindè maritus eandem vxorem in adulterio deprehenſam occiderit, non amittit dotem iam acquiſitam. 4.

Diſquiſitio VII. Iuxta præhabita, ſi vxor conſtante matrimonio in adulterium inciderit amittit dotem, quæ accreſcit marito. Hoc ſuppoſito tanquam certo ſuppono vlterius, quod Caia vxor Flaminij congrediatur cum adultero,
1 Expoſitio facti circa titulum.

ro, & in ipſo actu congreſſionis ſupergrediatur a marito, & occidatur; & poſtea inquiro, an Flaminius ex vi illius adulterij, in quo deprehendit vxorem, acquirat dotem illius.

Rationes ſuadentes maritum dotem etiam in dato caſu acquirere. Videtur abſolutè affirmandum, ſi quidem de adulterio ſatis ſuperque conſtat, nec illa interfectio vxoris poteſt quoad hoc illi obeſſe, quandoquidem iura ciuilia eximunt maritum à quacunque pæna, qui occiderit vxorem deprehenſam in adulterio, prout expreſsè habetur *in l. marito ff. de adulter., & in l. Gracchus C. eod. tit.*, & latè docent *Caſtillo in l. 82., Taur. n. 6. in fine, & ibi Antonius Gomez nu. 52. in fin., & l. 76. in fine, Mencaſto de ſucceſs. creat. §. 7. num. 22.*, & licet communiter DD., prout teſtatur *Coaruuias de matrim. 2. parte c. 7. §. 7. nu. 15., Barboſa in collect. tom. 4. part. 2. cauſa 33. q. 2. c. inter hæc*, vbi quadraginta octo DD. enumerat, aſſerant nõ licitum eſſe marito vxorem deprehẽſam in adulterio occidere, non negant tamen impunitatem quoad ius ciuile, & Canonicum, cum relinquant Deo punitionem. Cum igitur eximatur à pænis maritus ſic occidens, non video, quomodo poſſit ex illa interfectione priuari iure, quod habet ad dotem vxoris ob illius adulterium, cum talis priuatio etiam habeat rationem pænæ. Nihilominus

3 In ea hypotheſi dotem minimè lucratur. Reſpondeo in ea hypotheſi minimè maritum lucrari dotem vxoris occiſæ in actuali adulterio *Coaruuias 4. decret. 2. part. c. 7. §. 7. n. 7., Sanchez de matrim. lib. 10. de diuort. diſp. 8. n. 9.* Ratio ex eo deducitur primo, quia qui propria auctoritate ius ſibi dicit etiam lege permittente legale beneficium minimè conſequitur, per textum *in l. interdum §. qui furem ff. de furtis*; atqui maritus occidens vxorem deprehenſam in adulterio ius ſibi dicit propria auctoritate, quantumuis hoc lex ipſi permittat; ergo non debet conſequi legale beneficium acquiſitionis dotis ob adulterium vxoris. Secundo, quia iura impunitatem quidem permittunt marito occidenti vxorem deprehenſam in adulterio quoad pænas debitas homicidis, non autem tribuunt ius ad acquirenda ea, quæ ſibi cæteroqui ex alio capite competerent, cum parcendum quidem videatur iuſto dolori in frangenti maximæ iniuriæ correpto, ne ſubdatur pænis homicidæ, non autem in omnibus fauendum, vt tanquam innocens lucra acquirat. Tertio, quia ex ſupradictis

Rationes pro reſpõſione. *ſub hoc eodem tit. de matrim. VI. pranot. 11. ſect. 12. in princip. verſ. prima igitur*, pæna amiſſionis dotis ob adulterium vxoris nõ incurritur, niſi poſt ſententiam, prout docent *Hoſtienſis c. porro n. 3. de diuort., & ibi Ioannes Andreas nu. 3., Antonius nu. 12. Ancharanus in fin., Calderinus c. fin. de adult., & ibi Abbas n. 6., Cardinalis n. 2. verſ. quæro, an vir, Baldus c. ex parte nu. 8. de conſuetud., Ioannes Lupus rub. de donat. inter vir, & vxorem §. 34. n. 5.*, æquum autem non eſt, vt ſententia feratur in fauorem eius, qui occidendo vxorem deliquit?

Hic immediatè ſuboritur difficultas, an ſi ob adulterium vxoris præcedens dos vxoris fuerit per ſententiam Iudicis adiudicata marito, & deindè idem maritus vxorem iterum deprehenſam in adulterio occiderit, amittat ius ad eandem dotem, quam ex ſententia Iudicis acquiſierat? Reſpondendum eſt abſolutè negatiuè, quandoquidem licet iura non faueant ad acquirendum, non tamen priuant quæſitis, & priuare quæſitis propriè eſt pæna, à qua immunem reddunt iura maritum occidentem vxorem deprehenſam in adulterio, priuare autem quærendis non eſt pæna, niſi impropria, à qua iura illum non reddunt immunem; atque iuxta hunc ſenſum loquitur *Sanchez de matrimon. lib. 10. de diuort. diſp. 8. num. 9.* 4 Si dos fuerit adiudicata marito proptèr præcedens adulterium, & deindè vxor in alio adulterio fuerit à marito occiſa, maritus non amittit dotem iam acquiſitã.

---

§. VIII.

An maritus acquirat dotem ob adulterium vxoris, quando qui illam tradidit, ſtipulatus eſt, ſibi reddi ſoluto matrimonio.

SVMMARIVM.

Exponitur diſquiſitio in caſu particulari. 1.
Rationes ſuadentes maritum abſolutè lucrari dotem. 2.
Abſolutè eandem non lucratur. 3.
Poteſt tamen maritus eandem ſibi detinere vſque ad mortem vxoris. 4.
Soluuntur rationes contrariæ opinionis. 5.

Diſquiſitio VIII. In contractu matrimoniali inito inter Octauium, & Liuiam, Antonius cõſanguineus eiuſdem Liuiæ ipſi dotem conſtituit ſub ea conditione, vt diſſoluto matrimonio eadem dos conſtituta ad ſe rediret, & pro hac conditione facta eſt ſtipulatio in inſtrumento dotali. Contigit, vt eadem Liuia conſtante matrimonio in adulterium prolaberetur; vndè contendebat Octauius, vt dos conſtituta pleno iure ſibi acquireretur; aduerſus quem excipiebat Antonius de formali ſtipulatione. Quæſitum hic fuit quid iuris in hac hypotheſi? 1 Series tituli expoſita.

Digitized by Google

Iura abſolutè videntur opitulari Octauio, vtpotè, quæ indefinitè ſine vlla limitatione tribuunt dotem marito ob adulterium vxoris, nec conſiderant, an illa ſit tradita marito, an tantum promiſſa, an fuerit collata, ſeu promiſſa ab ipſa vxore, ſeu ab alijs ab ipſa, ſiue fuerint cõſanguinei, ſiue non; ac propterea, nec videntur conſiderare illam ſtipulationem, niſi in caſu, quo nullo crimine intercedẽte, ob quod eſſet aſſignanda marito, diſſolueretur matrimonium per mortem alterius coniugis, quæ potiſſimum verificari videntur, quando dos eſſet collata, ſeu promiſſa eidem marito à Patre eiuſdem vxoris cum illa ſtipulatione, quia, cum ipſe Pater teneatur iure ſanguinis dotare filiam, non videtur per illam ſtipulationem eidem impoſuiſſe onus contra diſpoſitionem iuris, niſi de illo expreſsè actum fuerit; actum autem dumtaxat eſt de reſtitutione in caſu diſſolutionis matrimonij per mortem filiæ, & reſpectiuè vxoris, non autem quando alio iure ab ipſa diſſolutione per mortem dos illa marito deuolueretur à iure; nec arbitrandum eſt, quod ipſe maritus annuerit illi ſtipulationi, prout reſpicit caſum, quo ſibi deuolueretur in pœnam vxoris delinquentis, ſed dumtaxat in caſu, quo ob mortem eiuſdem vxoris diſſolueretur matrimonium. His tamen minimè obſtantibus.

2 Rationes ſuadentes maritum abſolutè lucrari dotem.

Reſpondeo in hac hypotheſi maritum minimè lucrari dotem vxoris ob adulterium eiuſdem *Ciſuentas l. 81., Tauri lim. 2., Azebedo lib. 8. recop. tit. 20. l. 4. nu. 25., & ſeqq., Sanchez de matrim. lib. 10. de diuort. diſp. 8. n. 8.* Expreſsè colligitur *in l. ex morte verſ. ſimili quoque modo C. de pact. conuent. l. ſi dotem marito C. de iure dot.* Ratio autem ea eſt, quia ex quo promittens, ſeu tradens illam dotem ſtipulatus eſt in inſtrumento dotali eam ſibi reſtituendam diſſoluto matrimonio eadem ſibi remanet vinculata, ergo adulterium vxoris non poteſt ſibi præiudicare vtpotè habenti prius, & potius ius in illa dote, nec æquũ eſt, vt ex culpa vnius alter pœnam reportet amiſſionis proprij iuris ſibi in conſtitutione eiuſdem dotis reſeruati. Hoc tamen verum eſt, quod maritus poteſt ſibi dotem illam retinere vſque ad diſſolutionem vinculi coniugalis per mortem, non obſtante, quod ratione adulterij vxoris ab eadem vxore fuerit ſeparatus per diuortium, quandoquidem ſtipulatio extenditur vſque ad diſſolutionem vinculi, quæ non eſt, niſi intercedente morte alterius, & ſicuti, ſi vxor non perpatraſſet adulterium, maritus retineret dotem vſq; ad mortem illius, ſic, quantumuis illa adulterium commiſerit, poterit illam vſq; ad talem obitum retinere, non enim æquum eſt, vt ex illius delicto maritus illud damnum patiatur, nec hoc aduerſatur ſtipulatori, cum ſtipulatio cadat ſolummodo ad diem diſſolutionis.

3 Abſolutè eandem non lucratur.

4 Poteſt tamen maritus eãdem ſibi detinere vſq; ad mortem vxoris.

Ad ea, quæ ex aduerſo per Octauio afferebantur, patet ex dictis quid reſpondendum; licet enim iura indefinitè ſtatuant, quod dos acquiratur marito ob adulterium vxoris, non diſtinguentia, an fuerit tradita, an tantum promiſſa, an ab vno, vel ab altero collata, procedunt tamen ex ſuppoſitione, quod eadem dos ſit pleno iure ipſius vxoris, quam intendunt punire ob illud delictum; non enim æquum eſt, vt ex ipſius culpa alterum puniant innocentem, qui ex ſtipulatu ius habet in illa dote poſt mortem eiuſdem vxoris; & ex eo, quod maritus abſolutè ſtipulatus fuerit, ſeu annuerit ſtipulationi alterius dotem conſtituentis de ea reſtituenda poſt diſſolutionem matrimonij, non poteſt aliquod ius in illa acquirere ex delicto vxoris, cum hoc nequeat alteri innocenti præiudicare, licet ſibi ipſi præiudicet.

5 Soluuntur rationes contrariæ opinionis.

---

§. IX.

An vxor legitimè accuſata de adulterio, ſi falſis teſtibus ſe defendat, & abſoluatur, teneatur dotem marito relinquere, & præbere aſſenſum diuortio.

SVMMARIVM.

Titulus diſquiſitionis exponitur. 1.

An reus legitimè à Iudice interrogatus de crimine negans, & falſis teſtibus ſe defendens, teneatur ad pœnam ſententia affirmatiua. 2.

Sententia negatiua exponitur. 3.

In hac præcipuè hypotheſi vxor non tenetur ad illam pœnam amiſſionis dotis. 4.

Non tamen euitat expenſas, quas maritus fecit. 5.

Tenetur tamen vxor conſentire diuortio. 6.

Diſquiſitio IX. Caia vxor Theodorici verè, & realitèr lapſa eſt in adulterium, ratione cuius Theodoricus agebat ad diuortium, & ad alias pœnas aduerſus eandem in ſui fauorem à iure inſtĩctas. Obſiſtebat Caia, & cum Theodoricus licet certus de crimine non poſſet illud plenè probare, falſis inductis teſtibus ab impicto crimine ſe defendit, & abſoluta eſt à Iudice. Quæſitum hic fuit, an

1 Titulus diſquiſitionis exponitur.

Digitized by Google

an non obſtante illa abſolutione vtpotè per falſas probationes, & iniquos teſtes extorta, teneatur pænas illas ſubire reſtituendo marito dotem, & conſenſum præbendo diuortio.

Vniuerſalitèr hanc quæſtionem examinant DD. inquirentes, an reus legitimè interrogatus à Iudice negans veritatem,

2 **Sententia affirmans reum interrogatũ à Iudice, & falsò ſe defendentem teneri ad pænam**

& falſis teſtibus ſe defendens, teneatur pænam perſoluere, in qua fuiſſet damnatus, ſi veritatem non negaſſet, nec falſis teſtibus ſe defendiſſet. Qua in controuerſia eoſdem DD. inter ſe diuiſos inuenio. Molina *tom. 1. de iuſt., & iure tract. 2. diſp. 95.*, *Sotus lib. 1. de iuſt. q. 6. art. 9. verſ. vnum hic autem*, & alij docent ſic negantem, & falſis teſtibus ſe defendentem teneri ad illam pænam, in qua fuiſſet condemnatus, & rationem ex eo deducunt, quia iniuſtè obſtitit iuri, quod alter ex illo delicto acquiſierat. Ex aduerſo *Nauarrus in ſumma c. 18. n. 49.*, *Aragonius 2. 2. q. 62. art. 3.*, *Ludouicus Lopez prima part. instructorij c. 159.*, & alij innumeri apud *Sanchez lib. 10. de diuort. diſp. 8.*

3 **Sententia negatiua exponitur**

nu. 14. ſentiunt non teneri ad huiuſmodi pænas perſoluendas, & rationem ex eo deducunt, quia ſic negans veritatem in iuditio, & falſis teſtibus ſe defendens, peccat quidem contra iuſtitiam publicam, & aduerſus ius Reipublicæ, quod exigit, vt delicta puniantur, non autem contra iuſtitiam commutatiuam, & peculiarem eius, qui agit ad talem pænam in ſui fauorem, quandoquidem actor non habet directè ius ad pænam, ſed tantum indirectè, & per accidens media ſcilicet Iudicis ſententia. Quid iam hac in re ſentiendum?

Reſpondeo in hac potiſſimum hypotheſi de abſolutione extorta per falſas probationes; & iniquos teſtes probabilius eſſe vxorem non teneri ad illam pæ-

4 **In hac præcipuè hypotheſi vxor non tenetur ad illam pænam amiſſionis dotis.**

nam amiſſionis dotis, ad quam fuiſſet damnata, ſi iniuſtè non negaſſet, nec induxiſſet falſos teſtes. Conſentiunt præter DD. præallegatos pro ſecunda opinione *Graffius prima part. decis. lib. 3. c. 7. n. 25.*, *Bannes 2. 2. q. 62. art. 3. dub. 2. concl. 6.*, *Angles Floribus 2. part, q. de reſtitut. leg. pænalis art. vnico diffic. vnica concl. 3.*, *Manuel. pr. tom. ſumma 2. edit. c. 186. num. 6.* Ratio ex eo deducitur, quia regularitèr nemo tenetur ad pænam, donec a Iudice damnetur *Gloſa communitèr recepta in c. fraternitas 12. q. 2.*, *D. Thomas 2. 2. q. 62. art. 3.*, *textus in c. ſiue §. in hac 33. q. 2.*, ſed in hac hypotheſi non intelligitur Iudicis condemnatio, quin potius abſolutio; Neque obeſſe poteſt, quod illa non condemnatio, ſeu abſolutio prouenerit ex cauſa culpabili eiuſdem delinquentis per falſos teſtes, & iniquas probationes, quæ propterea non videtur poſſe eidem ſuffragari; Non, inquam, obeſſe poteſt, quia licet non condemnatio, ſeu abſolutio ex illa falſa cauſa nequeat eidem prodeſſe, non tamen poteſt illi obeſſe, ac proindè eſt ſolummodo, ac ſi non fuerit poſita; nec efficit, quod intelligatur poſita condemnatoria, ſine qua reus non tenetur pænam ſubire, quandoquidem ex quo poſita eſt ex falſa probatione ſententia abſoluens, hæc non inducit ſententiam

Proponitur inſtantia, & diſſoluitur.

pro oppoſito, ſed ſolummodo ipſa non ſubſiſtit; vbi autem ſententia non eſt pro pæna, non tenetur delinquens ipſam ſubire. Nec officit, quod reus deliquerit per illas falſas probationes, & inductionem falſorum teſtium, quandoquidem, vtſupra innuebamus, hoc eſt delictum ſolummodo contra iuſtitiam publicam, & iura Reipublicæ, non autem contra iuſtitiam commutatiuam, quæ obligat ad reſtitutionem.

Hoc tamen vnum aduertendum eſt, quod, ſi maritus iuſtus accuſator in

5 **Nõ tamen euitat expenſas, quas maritus fecit**

huiuſmodi accuſatione expenſas fecerit, & vxor ex falſis probationibus fuerit abſoluta, hæc quidem euitat pænas, non autem euitat intereſſe, & onus compenſandi expenſas, prout docet *Nauarrus d. c. 18. nu. 49. in fin.*, *Innocentius cum communi in c. quia plerique de immunit. Eccl.* Ratio ex eo deducitur, quia quoad huiuſmodi expenſas, & intereſſe propriè lædit iuſtitiam commutatiuam efficiens per media iniqua, quod compenſationem illarum non conſequatur, & ſic patiatur damna in rebus ſuis.

Reſpondeo ſecundo; Non obſtante illa abſolutione per iniquas probationes, & falſos teſtes extorta, tenetur vxor

6 **Tenetur tamen vxor conſentire diuortio.**

conſentire diuortio ob adulterium, quod re vera commiſit. Conſentiunt omnes illi, quos ſuperius allegauimus, qui aſſerunt, quod quando coniux innocens certioratus eſt de adulterio alterius, poſſit propria auctoritate diuertere *Hoſtienſis c. porro n. 3. de diuort.*, *D. Thomas in 4. diſt. 35. q. vnica art. 3. in corpore, & ibi D. Bonauentura art. vnico q. 3.*, *Abulenſis c. 19. Matthæi q. 72.* Clarè colligitur ex ijs, quæ ſupra docuimus *ſub hoc eod. tit. de matrim. VI. prænot. 11. ſect. 3. in probat. primæ aſſert.*, vbi docuimus ius illud, quod habet innocens ex adulterio alterius ad diuertendum non eſſe præciſè in pænam delinquentis, ſed ob conditionem implicitè imbibitam in ipſo contractu matrimonij, vt ſi fidem alteruter non ſeruauerit, eidem fides non ſeruetur. Vide alia, quæ ibi ſunt actitata, quæ pleniſsimè conferunt ad præſens inſtitutum.

§. X.

Digitized by Google

§. X.

An lata in prima inſtantia quoad pænas ſententia contra adulteram, ſi hæc appellauerit, & falſis teſtibus ſe defenderit eximatur ab eiſdem pænis.

SVMMARIVM.

Status controuerſiæ exponitur. 1.
Reus in hac hypotheſi, tenetur expenſas reſtituere, & litem non proſequi. 2.
Pendente adhuc appellatione licet ex iniuſta cauſa, non tenetur vxor dotem relinquere. 3.
Si in cauſa appellationis fuerit licet ex falſis teſtibus pronuntiatum in fauorem Rei, non tenetur hic ſuſtinere pænam. 4.

1 **Status diſquiſitionis expoſitus.** Diſquiſitio X. Iuxta terminos præcedentis diſquiſitionis Theodoricus accuſauit Caiam coniugem ſuam de adulterio ad effectum, vt conſtito de adulterio lucraretur dotem ipſius. Actitata cauſa in prima inſtantia pronuntiatum eſt in fauorem eiuſdem Theodorici, & à ſententia appellauit Caia innixa falſis probationibus, & iniquis teſtibus. Quæſitum hic fuit primo, an pendente appellatione teneatur amiſſionem dotis ſufferre; ſecundo, an, ſi in ipſa cauſa appellationis ex illis falſis teſtibus, & iniquis probationibus pronunciatum fuerit in ipſius fauorem, tuta ſit, ſi pœnam illam non perſoluat.

2 **Reus in hac hypotheſi tenetur expenſas reſtituere, & litem non proſequi.** Non eſt dubium, quod actori expenſas teneatur reſtituere, & litem non proſequi, ſed omittere, quandoquidem iniuſtè dedit cauſam huiuſmodi expenſarum, & iniuſtè item proſequitur ſciens iniuſtam eſſe ex parte ſui, & iuſtam ex parte actoris; vnde iniuſta cauſa eſt cuiuſcunque damni, quod indè prouenire poteſt eidem actori *Lancellotus de aſſert. 2. part. c. 12. limit. 6. n. 20., Antonius Gomez tom. 3. var. c. 13. n. 32.* Difficultas ſolummodo eſt, an pendente appellatione, quæ nedũ iniuſta eſt, ſed cognita talis ab vxore appellante, poſſit hæc nolle ſubire pænam amiſſionis dotis, & a fortiori, ſi in cauſa appellationis fuerit iniuſtè ex falſis illis probationibus pronunciatum.

Reſpondeo primo, probabilius eſſe, quod pendente adhuc appellatione, quãtumuis inducta ex falſa cauſa, & ſuper fundamento iniuſtorum teſtium, non teneatur vxor ſuſtinere pænam amiſſionis dotis *Sanchez de matrimon. lib. 10. de diuort. diſp. 8. n. 14., Lancellotus, & Gomez loc. cit.* Ratio ex eo deducitur, quia ipſa appellatio eo ipſo, quod eſt admiſſa, ſuſpendit priorem ſententiam, ita vt nullum effectum valeat ſortiri, prout eſt in confeſſo apud omnes, & docet ſpeciatim *idem Lancellotus pluribus allegatis loc. cit.*, nec obſtat; quod ipſa appellatio friuola ſit, & ſecundum ſe inſubſiſtens, quia ſemper parit effectum ſuſpenſionis prioris ſententiæ, donec definitiuè in cauſa eiuſdem appellationis concludatur. 3 **Pendente adhuc appellatione licet ex iniuſta cauſa vxor non tenetur dotem relinquere.**

4 **Si in cauſa appellationis fuerit pronũtiatum in fauorem adulteræ, non tenetur hæc pati amiſſionem dotis.** Reſpondeo ſecundo; Si in cauſa appellationis, ſeu in ſecunda inſtantia ex falſis teſtibus, & probationibus pronuntiatum fuerit in fauorem vxoris delinquentis, & abſoluta fuerit ab impicto crimine, de quo in prima inſtantia fuerat condemnata, eximitur ab illa pæna amiſſionis dotis *Palacios lib. 4. de contract. c. 5. fol. 273., Sanchez d. lib. 10. diſp. 8. de diuortio n. 14.* Ratio in fortioribus terminis deducitur ex ſupradictis; ſi etenim præciſè ipſa appellatio ſuſpendit effectum prioris ſententiæ, & eximit vxorem appellantem ab executione eiuſdem, à fortiori eximet eandem ſententia ipſa in cauſa appellationis lata in ipſius fauorem. Confirmatur, quia ſecunda ſententia lata in cauſa appellationis omnino irritat primam perindè, ac ſi illa non fuerit lata, ſed nulla lata ſèntentia vxor delinquens per ſuperius probata, non tenetur ſubire pænam amiſſionis dotis; ergo neque ſubire tenebitur lata ſecunda ſententia, per quam abſoluitur ab impicto crimine.

§. XI.

Ad quem Iudicem pertineat cognoſcere mota cauſa ſuper alimentis negatis vxori à marito.

SVMMARIVM.

Status diſquiſitionis expoſitus. 1.
Si actio fuerit præciſè ſuper alimentis duplex ſententia exponitur. 2.
Si ſuper alimentis ſimul, & exceptione ex cauſa diuortij duplex item ſententia. 3.
Si agatur præciſè de alimentis cauſa ſpectat ad Iudicem laicum. 4.
Si principaliter agatur de diuortio, & ſimul de alimentis cauſa ſpectat ad Eccleſiaſticum. 5.
Quæſtione mota ſuper alimentis præſtandis coram Iudice Eccleſiaſtico, marito agente de cauſa diuortij coram Eccleſiaſtico, prius debet decidi ab Eccleſiaſtico cauſa diuortij. 6.

Diſ-

Digitized by Google

DIſquiſitio XI. Contendebat maritus alimenta vxori non erogare, vel proptèr adulterium, quod de ipſa præſumebat, vel proptèr dotem ſibi non collatam, vel ob aliquem aliurn titulum, quod non ſufferens vxor ius ſuum conſeruare intendebat coram Iudice. Quæſitum hic fuit, an agere debeat coram Iudice Eccleſiaſtico, an vero coram Iudice, ſeu Magiſtratu ſæculari?

1 Exponitur ſenſus tituli.

Conſiderandum hic eſt pro ſolutione præſentis quæſiti, an actio fuerit præciſè ſuper alimentis negatis; an vero ſuper eiſdem cum exceptione ex altera parte de ſufficienti cauſa diuortij. Si ſuper alimentis præciſè contendunt aliqui cauſam eſſe mixti fori, adeoq; dari locum præuentioni. *Innocentius c. de prudentia de donat. inter vir., & vxor. nu. vnico, & ibi Abbas nu. 8., Alexander de Neuo nu. 9., & ſeqq., Cardinalis c. ex literis de pignor. nu. 5. oppoſ. 5.*, qui omnes quamuis loquantur in terminis cauſæ ſuper dote, intelligi tamen etiam debent in terminis cauſæ ſuper alimentis, cum hæc ſint connexa; alimenta etenim dantur proptèr dotem. Communius tamen docent, cognitionem ſuper huiuſmodi alimentis præciſè pertinere ad ſolum Iudicem laicum priuatiuè quoad Eccleſiaſticum *Gloſa in d. c. de prudentia verbo acceſſoriè de donat. inter vir., & vxor., Felinus c. Eccleſia de conſtit. n. 58., Ioãnes Lupus c. per veſtras de donat. inter vir., & vxor. notab. 2. n. 24.* Mouentur primi, quia huiuſmodi cauſa eſt de coniunctis cũ matrimonio; ſicuti etenim dos datur proptèr matrimonium, ita & alimenta, & ſic ratione illius coniunctionis non eſt, cur Iudex Eccleſiaſticus, qui cognoſcit ſuper matrimonio, non poſſit etiam cognoſcere ſuper cauſa eorundem alimentorum; quoad Iudicem vero ſæcularem nullus eſt, qui dubitet. Mouentur ſecundi, quia hæc cauſa non concernit valorem, & ſubſiſtentiam matrimonij, ſed attingit merum onus proueniens ex contractu merè ciuili.

Variæ cõſiderationes circa titulum.

2 Si actio fuerit præciſè ſuper alimentis duplex ſententia exponitur

Si actio fuerit ex parte vxoris cum exceptione ex parte mariti de ſufficienti cauſa diuortij, docent *Decius cõſil. 212. n. 1., Afflictus lib. 2. conſtit. rub. 11. §. 2.* eſſe cauſam mixti fori. Alij vero communius docent, vel poſſe Eccleſiaſticum cognoſcere ſuper vtroq; principalitèr ſuper diuortij cauſa, & ſuper alimentis tanquam de coniunctis *arg. c. de prudentia de donat. inter vir., & vxor., & ibi Gloſa*, vel prius Iudicem Eccleſiaſticum debere cognoſcere ſuper cauſa diuortij, & interim inhibere, ne cognoſcat ſuper alimentis, donec cauſa diuortij definiatur, per textum *in c. tuam de ordin. cognit., & c. ſi Iudex de ſent. excommunicat. in 6.*, & poſtea relinquere laico cognitionem ſuper alimentis, vel dote.

3 Si ſuper alimentis, & exceptione de cauſa diuortij, itẽ duplex ſententia.

Reſpondeo primo. Si agatur præciſè de conſecutione alimentorum cauſa pertinet præciſè ad Iudicem, ſeu Magiſtratum ſæcularem priuatiuè quoad Eccleſiaſticum. Conſentiunt DD. prææallegati pro ſecunda opinione, quando agitur præciſè de cognitione alimentorum, & vlterius *Antonius Gomez l. 20., Tauri n. 53., Molina lib. 2. de primog. c. 15. n. 76., Barboſa l. 1. part. 1. nu. 46. ff. ſolut. matrim.* Ratio ex eo deducitur, quia onus alimentorum prouenit ex motiuo purè naturali, quod conſtante matrimonio ceſſare poteſt ex mutuo contrahentium conſenſu, & de illo poſſunt fieri mutuæ conuentiones, ergo ſuper eodem cognoſcere pertinet præciſè ad Iudicem ſæcularem, non autem ad Eccleſiaſticum. Confirmatur, quia maius eſt onus quoad alimenta, quod habet Pater erga filios, quam ſit illud, quod habet maritus erga vxorem vt ſupra probauimus, ſed cognoſcere ſuper cauſa alimentorum in ordine ad filiũ ſpectat ad Iudicem ſæcularem, ergo etiam &c. Atque hoc iam obtinuit communis praxis vbique terrarum recepta.

4 Si agatur præciſè de alimentis, cauſa ſpectat ad Iudicem laicum.

Reſpondeo ſecundo; ſi agatur principalitèr de cauſa diuortij, & ſimul, & ſemel de alimentis, poteſt Eccleſiaſticus Iudex cognoſcere ſuper vtroque. *Cardinalis c. fin. n. 2. q. penult. de adult., & ibi Ananias nu. vlt.* Ratio ex eo deducitur, quia omnes conſentiunt, quod cognitio ſuper diuortio pertineat ad Iudicem Eccleſiaſticum priuatiuè quoad alios, per textum *in c. tuæ de procurator., & c. 1., vt lite non conteſt.*, hocque docent *D. Thomas in 4. diſt. 35. q. vnica art. 3. ad 5., Antonius c. cum ſit n. 16. de foro compet., Cardinal. c. fin. n. 2. q. penult. de adult., & alij communitèr*, ergo agendo, ſeu cognoſcendo principalitèr ſuper eodem, poterit etiam agere, & cognoſcere ſuper cauſa alimentorum vtpotè ſuper incidenti, & annexo; atq; in hoc omnes conſentiunt, quia principale in eodem iuditio trahit ad ſe minus principale, & acceſſorium.

5 Si agatur principalitèr de cauſa diuortij, & ſimul de alimentis, cauſa ſpectat ad Eccleſiaſticũ

Reſpondeo tertio; quæſtione mota ſuper alimentis præſtandis vxori coram Iudice ſæculari, & marito excipiente de ſufficienti cauſa diuortij prius debet Iudex Eccleſiaſticus cognoſcere ſuper cauſa diuortij, antequam laicus cognoſcat ſuper cauſa alimentorum *Cardin. c. fin. q. penult. de adult., & ibi Ananias in fine, Sanchez de matrimon. lib. 10. de diuort. diſp. 8. nu. 17.* Colligitur ex præcit. iuribus *in c. tuam de ord. cognit., & c. ſi Iudex in fin. de ſent. excommun. in 6.* Ratio inde deducitur,

6 Quæſtione mota ſuper alimentis coram laico agente marito ſuper diuortio, prius debet decidi cauſa diuortij.

tur, quia cauſa alimentorum in tali ſuppoſitione dependet à cognitione cauſæ ſuper diuortio, ſiquidem in tantum excuſabitur maritus à præſtatione alimentorum, in quantum conſtabit de adulterio, & de ſufficienti cauſa diuortij, ſed cognoſcere in cauſa diuortij pertinet dumtaxat ad Iudicem Eccleſiaſticum per ſuperius allegata, & probata, ergo prius debebit Iudex Eccleſiaſticus cognoſcere ſuper cauſa diuortij, antequam laicus concludat in cauſa alimentorum.

§. XII.

An lite pendente ad diuortium teneatur maritus præſtare alimenta vxori.

SVMMARIVM.

Exponitur titulus in ſuis terminis. 1.
Sententia aſſerens quando adulterium eſt notorium, poſſe maritum adulteræ negare alimenta. 2.
Sententia aſſerens pendente lite eſſe ſubminiſtranda. 3.
Pendente lite nedum alimenta, ſed etiam expenſæ litis ſunt præſtandæ. 4.
In foro interno adhuc pendente lite, ſi marito certò conſtet de adulterio vxoris, poteſt ille iſti alimenta denegare. 5.
Agente vxore aduerſus maritum ſuper diuortio, pendente lite ſunt vxori per eundem maritum præſtanda alimenta, & exponitur. 6.

1 Refertur ſtatus diſquiſitionis.

DIſquiſitio XII. Excitata lite ſuper adulterio vxoris, ratione cuius maritus nedum intendebat diuortium, ſed etiam conſequi pænas a iure ſtatutas in ſui fauorem, vxor ipſa denegabat delictũ. Interim lite adhuc pendente ſuper accuſatione mariti idem contendebat non erogare vxori alimenta. Quæſitum fuit quid iuris?

2 Sententia aſſerens quando adulteriũ eſt notorium poſſe maritũ alimenta negare.

Nonnulli apud *Cauallos in ſuis qq. communibus q. 734. nu. 17.* arbitrantur, quod, quando adulterium eſt notorium, & ſuper eo excitata eſt lis, non teneatur eadem lite pendente maritus vxori ſuppeditare alimenta, nec expenſas litis, quia, ſicuti quando adulterium eſt notorium, poteſt maritus dimittere vxorem, ita, & licitè poteſt eidem denegare alimenta.

3 Sententia aſſerens pendente lite eſſe ſubminiſtranda.

Alij, inter quos *Ioannes Lupus de donat. inter vir., & vxor. c. per veſtras in princip. §. 39. n. 5. Rebuffus pr. tom. ad leg. Gallic. tit. de ſententijs prouiſionalibus art 3. gloſ. 1. nu. 17., Surdus de aliment. tit. 1. q. 118. num. 5.* ſuſtinent pendente adhuc lite alimenta abſolutè adminiſtranda eſſe vxori, donec cauſa per definitiuam ſententiam concludatur ex generali regula, quod pendente lite nihil ſit innouandum.

4 Pendente lite, nedũ alimenta, ſed etiam expenſæ litis ſunt præſtandæ.

Reſpondeo primo in foro externo pendente adhuc lite teneri nedum alimenta vxori ſuppeditare, ſed etiam expenſas litis *Sotus in 4. diſtinct. 36. q. vnica art. 3. ad fin. corp., Bartolomæus à Ledeſma de matrimon. dub. 67. in fin., Manual. 1. tom. ſummæ 2. edit. c. 240 nu. 4.* Ratio ex eo deducitur, quia maritus in foro externo, quantumuis adulterium vxoris eſſet notorium, dummodo tamen non ſit tale, vt nulla valeat tergiuerſatione cælari, abſq; ſententia definitiua Iudicis non poteſt eandem vxorem dimittere, ergo multo minus excitata lite, & adhuc ipſa pendente poterit eidem vxori alimenta denegare, donec fuerit per ſententiam definitiuam concluſum in cauſa. Conſequentia probatur, quia ex vna parte dum adhuc lis pendet, ratio, ſuper quam eadem excitata eſt, non videtur ſimplicitèr, & notoriè certa; ex alia litè adhuc pendente vxor manutenenda eſt in ſua poſſeſſione, & dum adhuc cum marito viuit, vtpotè, quæ non poteſt dimitti per diuortium ante ſententiam, debet ab eodem ali, ſicuti antea alebatur, & in hoc valet regula, quod pendente lite nihil ſit innouandum.

5 In foro interno conſtante de adulterio certo marito non præſtanda ſunt vxori alimenta, etiam ſi lis pẽdeat

Reſpondeo ſecundo; In foro interno animæ, ſi marito certo conſtiterit de adulterio vxoris, poteſt eidem denegare alimenta, quantumuis adhuc lis ſuper eodem excitata adhuc pendeat. *Abbas c. fin. nu. 3. de adult., & ibi Annanias nu. 6., Sanchez de matrim. lib. 10. de diuort. diſp. 8. n. 28., & alij.* Ratio ex eo deducitur, quia vbi certo conſtiterit marito de adulterio vxoris, poteſt eandem propria auctoritate dimittere per ſuperius latè probata, ergo, & in foro conſcientiæ poterit eidem denegare alimenta. Conſequentia probatur, quia ſtante adulterio vxoris, de quo maritus ſit certioratus, poteſt omni iure maritali tuta conſcientia eandem vxorem priuare.

6 Agente vxore aduerſus maritum in cauſa diuortij per maritum, pendente lite ſunt præſtanda vxori alimenta, & expenſæ.

Hæc, quæ dicta ſunt, procedunt, quando maritus excitata lite ageret ſuper adulterio vxoris. Quid autem ſentiendum ſit, ſi eadem vxor ageret aduerſus maritum ſuper cauſa diuortij? Reſpondendum eſt in ea hypotheſi ſine dubio teneri maritum eidem alimenta, & litis expenſas ſubminiſtrare, prout pluribus allegatis, docet *Barboſa rub. ff. ſolut. matrim. 2. part n. 44. in fin., Gutierez qq. canon. lib. 1. c. 24. n. 7., Peguera deciſ. crimin. 20. num. 5.,* & quidem congrua ratione hoc decernitur, quandoquidem æquum non eſt, vt

vxor

Digitized by Google

vxor ſuis iuribus deſtituatur ob defectũ æris requiſiti ad litis proſecutionem, vndè ſicuti maritus tenetur ad neceſſaria quoad vxorem, ita non eſt, cur non teneatur ad huiuſmodi litis expenſas, quæ neceſſariæ ſunt ad tuenda iura eiuſdem vxoris. Quod, ſi dixeris, neminem teneri arma præbere inimico, vt pugnet contra ſe, ſtatim impugnaberis, quia hoc non eſt conferre arma non debita, vt vxor pugnet contra ipſum maritum, ſed conferre eidem id, quod ipſi debetur de iure naturæ, ne ſuccumbat in iuribus ipſi competentibus, & ne pugnet contra armatum inermis deſtituta auxilijs, quæ ipſi debentur ad ſuſtinendam pugnam vſque ad victoriam.

---

§. XIII.

An maritus, qui vxorem ob adulterium accuſauit criminalitèr, poſſit tranſire ad accuſationem ciuilem, vel è contra.

SVMMARIVM.

Exponitur facti ſeries. 1.
Conſiderabilia circa factum. 2.
Incæpto iuditio criminali ſuper adulterio, eoque nondum abſoluto poſſet actor ciuilitèr agere ad diuortium, & ad acquiſitionem dotis. 3.
Incæpto iuditio ciuili ſuper adulterio vxoris, eoque non abſoluto poteſt maritus agere criminalitèr. 4.
Intentato principalitèr iuditio criminali, poteſt incidentèr & ciuile intentari. 5.
Vtraque actio non poteſt æquè principalitèr primo intentari. 6.
Abſoluto vno iuditio per definitiuam ſententiam, poteſt alterum intentari. 7.
Iuditium vnum intelligitur completum, quando tranſijt in rem iudicatam. 8.

DIſquiſitio XIII. Cum Caia vxor Sempronij lapſa eſſet in adulteriũ,
1 Factum expoſitũ in ſuis terminis.
vel violentèr de illo eſſet ſuſpecta, ipſe Sempronius criminalitèr apud Iudicem accuſauit ipſam, vt pænis capitalibus plecteretur. Poſtea deſtitit ab hac inſtantia criminali, vel quia in ea iudicium concluſum eſt, vel quia mutato conſilio noluit amplius pænam mortis, ſed diuortium, & acquiſitionem dotis. Hoc, quod proponitur cæpto iuditio in cauſa criminali in ordine ad accuſationem ciuilem, ordine mutato poteſt proponi de iudicio cæpto in cauſa ciuili in ordine ad illud intentandum criminalitèr, & ſic inquiritur, an maritus poſſit vtrumque præſtare?

Secundum varias conſiderationes poteſt hæc quæſtio diſcuti, vel enim ſupponimus, quod vtraque actio crimina- 2 Conſiderabilia circa factum
lis, ſcilicet, & ciuilis fuerit ſimul intentata, ſeu intentetur ſimul; vel ſupponimus, quod primo fuerit intentata ciuilis, & poſtea intendatur criminalis, vel è contra. Ruſus, vel ſupponimus, quando hæ actiones intentarentur ſucceſſiuè, quod vna prius perficiatur per ſententiam definitiuam, & poſtea ad aliam deueniatur, vel quod vna incæpta, & poſtea derelicta, altera incohetur.

Rationem dubitandi in hac quæſtione ſatis implexa tribuit textus *in l. vnica C. quando ciu. act. praiud. crimin.*, qui cum à varijs varias recipiat interpretationes, Nonnullæ ſententiæ exponuntur.
& explicationes, varias, eaſque oppoſitas induceit ſententias. Aliqui dictum textum interpretantes aſſerunt, quod terminato iuditio ciuili locus adhuc ſit criminali, atque ita *Salicetus in auth. ſed hodie n. 4. ante vers. item quia C. ad leg. Iul. de adult.* Alij aſſerunt, quod abſoluto iudicio criminali non poſſit amplius ad ciuile procedi *Antonius c. tuæ de procurat. n. 18., & ibi Immola nu. 12.* Alij abſolutè negant poſſe ſimul, & principalitèr intentari actio ciuilis, & criminalis, antequam alterum iudicium abſoluatur per textum *in l. vnica C. quando ciu. act. præiud. crim. l. interdum ff. de publ. iudic.* Alij negantes vtramque actionem poſſe principalitèr, & ſimul intentari aſſerunt, quod ex interuallo, ſi huiuſmodi actiones tendant ad diuerſa, poſſit vno abſoluto procedi ad alterum, ſecus ſi tendant ad idem, prout docent *Bartolus in l. 2. §. 1. n. 3. ff. vi bon. rapt., Abbas c. tuæ num. 5. de procurat. Maranta in ſua pract. part. 4. iuditior. d. 1. n. 9.* Quid iam in præſenti materia particulari ego ſentiam, expendo per ſubſequentes reſponſiones.

Reſpondeo primo; Incæpto iudicio criminali ſuper adulterio coniugis, eoque 3 Nondum abſoluto iuditio criminali, poteſt actor ciuilitèr agere ad diuortium, & ad conſecutionem dotis.
non abſoluto, eo quia accuſans ab illo deſtitit, probabilius non impeditur, quominus poſſit ciuile intentare ad diuortium, & ad acquiſitionem dotis. In hanc reſponſionem arbitror DD. communitèr conuenire. Ratio ex eo deducitur, quia in hac hypotheſi vtraque actio competit coniugi innocenti, ita vt poſſit quamcunque ex his intentare, & quidem actio ciuilis, per textum *in c. ſignificaſti c. gaudemus c. ex literis de diuort. c. fin. 32. q. 5. c. plerumq; de donat. inter vir., & vxor. l. cõſenſu §. 1. C. de repud. l. vnica §. taceat C. de rei vxor. act. l. miles §. ſocer ff. ad leg. Iul. de adult., & ſimil.*, criminalis vero, per textũ

in l. 1. C. ad leg. Iuliam de adult., & c. apud miſericordem §. publico iuditio 32. q. 1., ergo, ſicuti maritus poteſt eligere quamcunque voluerit ex his actionibus aduerſus vxorem adulteram, poterit etiam incæpta criminali, eaq; derelicta, antequam iudicium condemnatorium acceſſerit, accedere ad actionem ciuilem, qua intentet diuortium, & acquiſitionem dotis omiſſa pæna capitali. Conſequentia probatur, tum quia per cæptum illud iudicium criminale nõ amiſſit ius ad actionem ciuilem; tum quia in hoc potius fauet reo, quam noceat; tum quia paſſim ſecundum praxim omnium ferè Tribunalium à iuditijs criminalibus inchoatis proceditur ad actiones ciuiles &c.

4 **Incæpto iuditio ciuili ſuper adulterio vxoris, eoq; non abſoluto, poteſt maritus agere criminalitèr.**

Reſpondeo ſecundo; Incæpto iudicio ciuili ſuper adulterio vxoris, eoq; nõ abſoluto probabilius eſt, quod maritus illo ſuſpenſo poſſit agere criminalitèr. *Salicetus auth. ſed hodie nu. 2. ante verſ. item quia C. ad leg. Iul. de adult.*, qui procedit in ſtrictioribus terminis, quando ſcilicet iam eſſet concluſum in cauſa ciuili. Ratio ex eo deducitur, quia quotieſcunque non eſt concluſum in cauſa, non videtur adempta libertas ad agendum in quocunque iudicio, quod ſibi à iure competit; nec obſtare poteſt, quod ex eo, quod prius elegerit iudicium ciuile, videatur ceſſiſſe iuri ſuo ad iudicium criminale; non, inquam, obſtare poteſt, quia quantumuis quandoque verum ſit, quod in alternatiuis eligens vnum videatur alteri renunciare, hoc tamen fallit, quando illa duo ſtant ampliatiuè, tunc etenim vno electo non eſt præſumptio, quod alteri fuerit renuntiatum, quamuis regularitèr in praxi ſit, quod in proſecutione iudicij ciuilis non intentetur actio in criminali, donec ciuile fuerit conſummatum.

5 **Intentato principalitèr iuditio criminali poteſt, & incidentèr ciuile intentari.**

Reſpondeo tertio; Intentato principalitèr iudicio criminali poteſt incidentèr & ciuile intentari *Bartolus in l. interdum §. qui furem n. 5. ff. de furtis, Curtius Iunior in l. edita nu. 198. C. de edendo, & ibi Romanus poſt num. 149. verſ. non obſtat ſua ratio, Aret. in c. qualiter, & quando §. ad corrigendos num. 139. de accuſat., Iulius Clarus lib. 5. recept. c. fin. pract. crimin. q. 2. num. 2.* Ratio ex eo deducitur, quia interpoſita cauſa criminali ſuper furto, poteſt accuſator incidentèr petere rem ſibi ſublatam reſtitui, & Iudex ipſe etiam parte non inſtante debet ad hoc compellere reum *Additionator ad Marantam practica 4. part. iuditiorum d. 1. n. 6.*, ergo etiam agente criminalitèr coniuge innocente aduerſus adulteram ad pænam capitis poterit incidentèr etiam ad pænam remiſſionis dotis, & ad lucrum ipſius. Quod, ſi dixeris, diſparem eſſe rationem quoad furtum, ac quoad acquiſitionem dotis ob adulterium vxoris, eo quia in primo caſu de furto actio criminalis, & ciuilis tendunt ad diuerſa, nempe ad vindictam, & ad res familiares redhibendas; in ſecundo autem vtraque actio tendit ad vindictam; in ſequentibus reſponſionibus ſubdam quid ſit reſpondendum.

6 **Vtraq; actio nõ poteſt æquè principalitèr ſimul intentari.**

Reſpondeo quarto; vtraque actio non poteſt æquè principalitèr ſimul intentari, antequam alterum iudicium prius abſoluatur *Iulius Clarus lib. 5. receptarum §. fin. pract. crimin. q. 2. num. 2., Boſſius pract. crim. de plurib. violent. nu. 113.* Ratio ex eo deducitur, quia quando ſimul cumulantur duæ actiones ciuilis ſcilicet, & criminalis æquè principalitèr in eodem libello, quæ maior eſt, & dignior extinguit minorem, & minus dignam per ea, quæ tradunt communitèr ſcribentes *in l. edita C. de edendo*, hocq; etiam clarè deciditur *in l. vnica C. quando ciuil. actio crim. præiud., & l. interdum ff. de publ. iud.*

7 **Abſoluto altero iuditio per definitiuã ſentẽtiam poteſt alterum intentari.**

Reſpondeo quinto; abſoluto altero iuditio per definitiuam ſententiam non repugnat, quin intentetur, & alterum etiam in præſenti materia, ſic perfecto iudicio in cauſa ciuili, per quod fuerit in fauorem innocentis iudicatum diuortiũ, & lucrum dotis poteſt intentari criminalis, qua agatur de pæna capitis delinquentis, & è contra. Ratio ex eo deducitur, quia communitèr docent DD., quod quando actio ciuilis, & criminalis tendunt ad diuerſa completo vno iudicio poſſit aliud intentari *Bartolus in l. 2. §. in 2. ff. vi bon. rapt., Abbas c. tua n. 5. de Procurat., Coaruuias 2. var. c. 10. num. 1. in fine, Iulius Clarus lib. 5. recept. §. fin. q. 2. ad fin., Barboſa l. 2. part. 1. in princip. n. 138. ff. ſolut. matrim.*, & alij communitèr, ſed in præſenti hypotheſi actio ciuilis, & criminalis tendunt ad diuerſa, illa ſcilicet ad ſeparationem ab habitatione, & thoro, & ad conſecutionem dotis amiſſæ per adulterium vxoris, iſta vero ad pænam capitis, ergo &c. Neque dicas, quod in hac hypothæſi vtrumque iudicium tendat ad idem nempè ad vindictam, & pænam, tàm enim ſeparatio, & amiſſio dotis, quàm ſupplicium capitis eſt pæna adulterij, & vtrumque decernitur in vindictam criminis, quod non euenit, vt ſupra dicebam in actione ciuili, & criminali quoad furtum, quia actio ciuilis in hoc tendit ad recuperationem rei familiaris, criminalis vero ad pænam propriè ſumptam; Contra enim impugnaberis, quia in primis per ea, quæ ſupra docuimus diuortium non eſt in rigo-

Digitized by Google

re pæna, ſed ius quoddam implicitè reſeruatum in celebratione contractus matrimonialis, ſi alter coniux à fide data receſſerit per adulterium, quod etiam videtur innuiſſe textus *in c. tuæ de procur.*, quod actio adulterij ſit mixta ex criminali, & ciuili. Deindè per iudicium criminale quid diuerſum decernitur, ac decernatur per ciuile, nec per ciuile poteſt decerni id, quod per criminale, nec è contra.

8 Iuditium vnum intelligitur completũ, quando tranſijt in rem iudicatam. Hic ſolum oritur difficultas, quandonam dicatur vnum iuditium completũ, vt poſſit alterum intentari; non enim arbitrandum eſt, quod per ſententiam in prima inſtantia præcisè fuerit abſolutũ, cum illa poſſit per appellationem ſuſpendi. Quamobrem dicendum eſt tunc dici completum, quando ſententia illa tranſijt in rem iudicatam *Boſſius in pract. tit. de plurib. viol. n. 113.*

Ex dictis colligi poteſt, quod ſi in terminis huius vltimæ reſponſionis finito vno iudicio permittitur aliud, a fortiori permittatur exceptio, quia facilior eſt cauſa concedendi exceptionem, quam actionẽ, & plura conſequimur excipiendo, quæ non poſſumus conſequi agendo *Dinus reg. qui ad agendum 171. de reg. iur. in 6. n. 1., Decius reg. inuitus 197. §. cui damus n. 2. ff. eod. tit.*

---

§. XIV.

An coniux innocens poſſit alteri remittere pænas adulterij, reſeruato ſibi iure ad aliquam partem dotis.

SVMMARIVM.

Status diſquiſitionis expoſitus. 1.
Vndè deſumatur ratio dubitandi. 2.
Si maritus poſt latam ſententiam diuortij ſibi reconciliarit vxorem adulteram, & pænas remiſerit reſeruato tantum iure ad dotem, vel ad partem ipſius validè remiſit, & reſeruauit. 3.
Nondum lata ſententia, non poteſt alias pænas remittere, & ſibi reſeruare ius dotis. 4.
Procedit præcisè ex vi l. tranſigere C. de tranſact. 5.

1 Facti ſeries expoſita. DIſquiſitio XIV. Secuto adulterio ex parte vxoris maritus, vel ante ſententiam diuortij conuenit cum eadem vxore adultera, vt ipſe remittat eidem omnes pænas, quæ ipſi competerent ex adulterio, & ipſa pro tali remiſſione cederet partem dotis in fauorem eiuſdem mariti; vel etiam ſecuta ſententia diuortij, & amiſſionis dotis eidem omnes pænas remiſit ſub ea conuentione, quod partem dotis ſibi cederet. Quæſitum fuit, an illa conuentio in vtroque caſu ſubſiſteret.

Rationem dubitandi porrigit textus *in l. tranſigere C. de tranſact.* in quo textu interdicitur quæcunque tranſactio, per quam recipitur aliquod pretio æſtimabile pro remittendo crimine adulterij, quod contingeret in præſenti hypotheſi, ſi maritus, vel ante ſententiam diuortij, vel poſt illam remitteret vxori adulteræ alias pænas ea adiecta conditione, & pacto, vt vel integra, vel pars dotis ipſi remittenti remaneret; proptèr quod ius, & rationem *Barboſa in l. 2. part. 1. in princip. n. 115. ff. ſolut. matrimon.* ſuſtinet non tenere illud pactum, ſeu illam conuentionem, & pro hac opinione refert *Ioannem Lupum rub. de don. intèr vir., & vxor. §. 34. num. 4.*, qui tamen non videtur hoc ſentire. Nihilominus 2 Vndè deſumatur ratio dubitandi.

Reſpondeo primo; Si poſt latam ſententiam, per quam fuerit adiudicatum diuortium, & vxor damnata in pænam amiſſionis dotis, aliaſque à iure ſtatutas contra vxores adulterantes maritus alias pænas remiſerit, & eandem vxorem ſibi in reliquis reconciliauerit reſeruato tantum ſibi iure, vel ad dotem integram, vel ad partem eiuſdem, & reſeruatio tenet, & ipſe maritus remittens non eſt damnabilis ob illam remiſſionem. *Sanchez lib. 10. de diuortio diſp. 8. nu. 22.* Nec difficilis eſt probatio præſentis reſponſionis, quandoquidem maritus ex illa ſententia in ſui fauorem, & in odium vxoris delinquentis lata plenum ius acquiſiuit ad dotem, & ad ſeparationem, aliaſque pænas, & ex ſuperius dictis liberum eſt eidem marito illas pænas remittere, ſibique vxorem adulteram reconciliare, ergo, ſi hoc poteſt præſtare pro toto, poterit etiam pro parte remittendo cæteras pænas ſeparationis &c., & ſibi dumtaxat reſeruare ius ad dotem, vel ad partem dotis; neque eſt aliqua repugnantia, quod vxor intelligatur reconciliata marito, & ipſe nihilominus retineat dotem tanquam ſuam priuatiuè quoad eandem vxorem, cum hoc ſit fauor vxoris, quod in parte ipſi intelligantur pænæ remiſſæ. Ad ea, quæ dicebantur ex textu *in l. tranſigere C. de tranſact.*, dicendum eſt, quod iſte textus procedat dumtaxat, quando pro tali remiſſione, ſeu pro tranſactione criminis adulterij remittens aliquid reciperet, quod ipſi non eſſet cæteroqui debitum, & per conſequens tanquam 3 Maritus adiudicato diuortio, poteſt remittere omnes pænas reſeruato iure ad dotem, vel ad partem eiuſdem. Soluitur ratio dubitandi propoſita.

Digitized by Google

quam pretium remiſſionis, quod non euenit in præſenti ſuppoſitione, ſecundum quam ipſe maritus pleno iure acquiſierat ob illam ſententiam dotem ipſam, ius ad ſeparationem, & ad alias pænas iuris contra vxorem, vndè remittendo non aliquid recipit pro remiſſione tanquam pretium eiuſdem, ſed dumtaxat pro parte liberè remittit, pro altera parte non remittit, ſed ſibi retinet ius, quod acquiſierat ex adulterio vxoris, & ex ſententia Iudicis.

Reſpondeo ſecundo; ſi nondum lata fuerat ſententia quoad ſeparationem, & quoad acquiſitionem dotis, aliaſque iuris pænas, probabilius non poteſt ſibi retinere partem dotis, vel totam dotem remiſſis alijs pænis, ſtante tali diſpoſitione *in l. tranſigere C. de tranſact.* quidquid ex aduerſo dixerit *Sanchez lib. 10. de diuortio diſp. 8. n. 22.* Ratio ex eo deducitur, quia ex ſuperius latè probatis maritus ob adulterium vxoris non acquirit ius ad dotem ante Iudicis ſententiam, nec ante illam vxor priuatur ipſa dote, ergo ex illa conuentione maritus aliquid acquireret, quod ipſius non erat, & ſic in hoc ſenſu vim habet textus *in d. l. tranſigere C. de tranſact.*, neque dicas cum eodem *Sanchez loc. cit.*, quod, cum maritus ius habeat in ea hypotheſi excipiendi, habeat etiam ius retinendi, adeoq; quod nihil recipiat, vt veniam concedat, ſed partem remittat, alia ſibi reſeruata; contra enim impugnaberis, quia quantumuis habeat ius excipiendi, non poteſt tamen dici, quod ratione illius iuris ad excipiēdum illa dos deſierit eſſe ſub dominio vxoris, & quod facta fuerit ſub pleno iure mariti, vndè, ſi pro remiſſione quoad alias conueniret de ipſa dote, vel de parte ipſius, conueniret de aliquo iure acquirendo, non de quæſito, & ſic de facto ius reciperet pro illa remiſſione contra diſpoſitionem iuris. Accedit, quod diſpoſitio iuris *in d. l. tranſigere C. de tranſact.*, non ſolum reſpicit, quod iniuriatus per adulterium nihil poſſit recipere pro remiſſione eiuſdem, ſed etiam, ne quid poſſit recipere pro non excipiendo ratione eiuſdem, nam hoc onus non excipiendi habet ſpeciem etiā cuiuſdem remiſſionis.

4 Nondum lata ſententia, nō poteſt alias pænas remittere, & reſeruare ius ad dotem.

Soluitur inſtantia oppoſita.

Hæc procedunt attenta præciſè diſpoſitione talis iuris, nam conſiderata re ſecundum ſe, & natura rei non video, cur ipſe iniuriatus non poſſet conuenire de illa dote, vel parte dotis retinenda, vel de aliquo alio pro tali remiſſione, cū habeat ius legitimè accuſandi, & procedendi ad illas pænas, quas conſequeretur ob iniuriam ſibi illatam; vndè ſi dotem illam, vel partem dotis ex illa conuentione ſibi retineret, vel aliquod aliud pretium reciperet in foro conſcientiæ ante condemnationem, non teneretur dimittere, nec reſtituere, quia, vt benè notat *Sanchez loco quo ſup.* illud ius *in d. l. tranſigere*, quamuis prohibeat talem conuentionem, nullo tamen modo impedit translationem dominij.

5 Procedit præciſa attenta diſpoſitione *l. tranſigere C. de tranſact.*

---

§. XV.

An maritus, ſi ſit Iudex inueniens vxorem in adulterio, poſſit licitè eam cum Drudo interficere.

SVMMARIVM.

Factum expoſitum in ſuis terminis. 1.
Rationes ſuadentes licitè, & impunè occidere. 2.
Maritus quantumuis Iudex non poteſt vxorem deprehenſam in adulterio licitè occidere. 3.
Soluitur ratio dubitandi in oppoſitum propoſita. 4.

DIſquiſitio XV. Quamuis iura ciuilia impunitatem permittant marito occidenti vxorem cum adultero deprehenſam in adulterio, ex dictis tamen in præcedentibus, non poteſt licitè eos propria auctoritate occidere, & occidendo grauitèr peccat. Hoc ſuppoſito iam quæro, an, ſi maritus ipſe deprehendens vxorem cum amaſio in adulterio, fuerit Iudex, poſſit licitè eoſdem occidere?

1 Facti ſeries expoſita.

Videtur prima fronte affirmandum, quia, ex quo ipſe eſt Iudex, non occideret priuata auctoritate, ſed publica ratione muneris, quo fungitur ſibi competentis, prout affirmare videtur *Paludanus in 4. diſt. 35. q. 2. art. 1. concl. 3. num. 10.*, & ſicuti ipſe Iudex poteſt auctoritatem tribuere alteri marito occidendi vxorem adulteram deprehenſam in adulterio, adeo vt hoc exequatur, vt miniſter iuſtitiæ, & ipſius Iudicis, prout ſupra probauimus, & docent *D. Thomas in 4. diſt. 37. q. 2. art. 1., & ibi Paludanus num. 7., Sotus lib. 5. de iuſt. q. 1. art. 3. ad 1., & in 4. diſt. 37. q. vnica art. 3. concl. 3., Ioannes Victoria relect. de homicidio à nu. 11. ad 20., Gutierez qq. pract. lib. 2. q. 1. n. 23., Aſtenſis in ſumma 2. part. lib. 8. tit. 20. art. 4. q. 1.*, ita non video cur ipſe, vt principalis iuſtitiæ miniſter non poſſit hoc præſtare. Nihilominus

2 Rationes ſuadentes licitè, & impunè occidere.

Reſpondeo maritum quantumuis Iudicem non poſſe vxorem cum Amaſio de-

Digitized by Google

deprehenſam in adulterio occidere. *D. Antoninus 2. part. tit. 7. c. 8. §. 2. not. 2. Supplementum Gabrielis in 4. diſt. 37. q. vnica art. 3. dub. 2., Sanchez de matrim. lib. 10. de diuort. diſp. 8. nu. 40.* Ratio ex eo deducitur, quia in ea actione non conſideratur, vt Iudex, ſed vt priuata perſona, quandoquidem, vt Iudex non debet procedere ex priuata ſcientia criminis, ſed ſecundum allegata, & probata, ergo, vt Iudex, ſeu auctoritate Iudicis non poteſt licitè vxorem deprehenſam in adulterio cum adultero occidere, ſiquidem, vt Iudex debet procedere cognita cauſa non quomodocunque, ſed prout à iure præſcribitur nempè ſecundum allegata, & probata, quod certè in hoc caſu non præſtat. Confirmatur, quia, ſi Iudex nouerit per priuatam ſcientiam aliquem eſſe delinquentem, & ex actis ſecundum allegata, & probata conſtet ipſum eſſe innocentem, non poteſt, vt Iudex illum condemnare, quia, vt Iudex debet procedere ex cognitione cauſæ ſecundum allegata, & probata, ergo ex priuata cognitione, quam habet, quantumuis illa ſit certa, non poteſt procedere ad cōdemnationem. Antecedens probatur, quia ſi Iudex nouerit euidenter ex priuata ſcientia aliquem eſſe innocentem, & in iuditio per allegata, & probata conuincatur eſſe reus, non poteſt ipſum abſoluere per ea, quæ docent D. Thomas, & alij, ergo etiam, ſi nouerit ex certa priuata ſcientia aliquem eſſe delinquentem, & ſecundum acta, allegata ſcilicet, & probata conſtet eſſe innocentem non poterit, vt Iudex illa priuata ſcientia procedere ad condemnationem. Conſequentia probatur, quia promptior debet eſſe Iudex ad abſoluendum, quam ad condemnandum, ergo, ſi non poteſt abſoluere innocentem, quem nouit talem ex certa priuata ſcientia, quando iuridicè conſtat de ipſius culpa, ita nec poterit condemnare reum quem talem nouit ex priuata ſcientia, quando ſecundum allegata, & probata non conſtat de ipſius reitate, & culpa. Confirmatur ex vulgari regula, qua circumfertur, quod nemo ſit Iudex in cauſa propria; hic autem eſſet in cauſa propria, cum agatur de vltione iniuriæ ſibi factæ.

3 Quantumuis fuerit Iudex nō poteſt licitè vxorem deprehensā in adulterio occidere.

Debet procedere iuridicè ſecundū allegata, & probata.

Ex his patet, quid reſpondendum ſit ad ea, quæ ex aduerſo afferebantur; dic etenim, quod quantumuis ſit Iudex, in hoc tamen caſu non procedat formalitèr, vt talis; nec ab hac reſponſione recedit *D. Thomas in 4. diſt. 37. q. 2. art. 1. ad primum*, quia quantumuis ibi dicat, quod vir interficiens vxorem deprehenſam in adulterio, grauitèr peccet, adiecta ratione, *quia non eſt vxoris Iudex* (ex quo videtur à contrario ſenſu ſequi, quod ſi fuerit Iudex, non peccet); attamen ex eodem, non benè infertur, quod, ſi fuerit Iudex, non peccet; Eſto etenim fuerit Iudex, in hac hypotheſi non procederet, vt talis, ſed vt perſona priuata, cum non procederet ſecundum ordinem iuris. Ad illud, quod ſubditur, dicendum eſt poſſe quidem Iudicem committere marito, vt tanquam miniſter iuſtitiæ, & ipſius poſſit occidere vxorem conuictam in iuditio de adulterio, poſtquam ſcilicet iuridicè de illo conſtiterit, nam ſicuti poteſt eam tradere carnifici morte plectendam, ita poteſt tradere eiuſdem marito; non autem, ſi non iuridicè, & ſecundum allegata, & probata conſtiterit de illius delicto.

4 Non procederet formalitèr, vt Iudex.

---

§. XVI.

An ſi maritus, priuata auctoritate occiderit vxorem cum Drudo deprehenſam in adulterio, teneatur ad compenſationem damnorum.

SVMMARIVM.

Facti ſeries expoſita. 1.

Rationes ſuadentes non teneri ad talem compenſationem. 2.

Probabilius tenetur ad compenſationem talium damnorum. 3.

Soluuntur rationes oppoſitæ ſententiæ. 4.

Diſquiſitio XVI. Caius deprehendit vxorem ſuam in adulterio cum Theodorico, & magna ira percitus eodem ictu vtrumque interfecit. Ex illa interfectione damna plurima prouenerunt præcipuè hęredibus eiuſdem Theodorici. Quæſitum hic fuit, an Caius, qui priuata auctoritate illos occidit, teneatur ad compenſationem damnorum, quę indè prouenerunt?

1 Factū expoſitum in ſuis terminis.

Videtur ex multiplici capitè abſolutè negandum, quia iura Caio permittunt impunitatem ob illa adulterorum homicidia in fragranti crimine deprehenſorum, per textum *in l. marito ff. de adult.*, cum igitur impunè occidat, vel occiderit, non poteſt obligari ad damna ex illo homicidio prouenientia compenſanda, cæteroqui non eſſet impunis. Secundo, quia ipſe adulter, qui fuit occiſus per ſuam iniuſtam actionem cauſam dedit propriæ occiſioni, ſibique debet imputare, quod occiſoris thoro notam inuſſerit

2 Rationes ſuadentes nō teneri.

Digitized by Google

rit cum maximo eius dedecore,& iniuria, ergo, nec ipſe, nec ipſius hæredes poſſunt reportare compenſationem damnorum, quæ indè obuenerunt, ſi quidem ea ſunt imputanda propriæ prauitati ipſius delinquentis occiſi, non iuſto dolori occidentis. Tertio, quia ad inducendum onus reparationis damnorum non ſufficit culpa Theologica conſiſtens præcisè in culpa læthali, ſed etiam requiritur culpa legalis; in hoc autem caſu non interuenit culpa legalis obligans ad reſtitutionem, quia leges excuſant, ergo &c. Nihilominus

3 Probabilius non tenetur ad compenſationem talium damnorũ.

Reſpondeo probabilius teneri ad compenſationem talium damnorum *Petrus à Nauarra lib. 2. de reſtit. c. 3. part. 2. in noua edit. dub. 8. num. 207., Sanchez de matrim. lib. 10. de diuort. diſp. 8. nu. 41., Nauarrus in man. c. 15. nu. 3., Medina C. de reb. reſtit. q. 3. in 4. cauſa verſ. ex dictis, & habetur in c. inter hæc, & in c. ſi quod verius 32. q. 1.* vbi D. Auguſtinus ſic ait, *Verum eſt, quod non licet Chriſtiano homini vxorem adulteram interficere*. Ratio ex eo deducitur, quia homicida, qua homicida eſt, tenetur, ſi non ad reparationem pro vita adempta alteri, cum hæc irreparabilis ſit per pecuniam, ſeu per aliud pretio æſtimabile per ea, quæ docuimus *tom. 8. ſub tit. de Reſtitut. I. prænot. 15. ſect. 1., & alibi*, ſaltem ad reparationem damnorum temporalium, quæ ex tali vita adempta prouenerunt per ea, quæ ibi docuimus, ſed maritus occidens vxorem cum adultero quantumuis dèprehenſam in adulterio verè homicida eſt, quandoquidem hoc non præſtitit auctoritate publica, ſed priuata, ergo non eſt, cur non teneatur ad damna, quæ indè prouenerunt; nec lex impunitatem permittens eximit ipſum ab onere talia damna compenſandi; fert enim ſolum maritum homicidam impunè ob maximum dolorem acceptum, non tamen eum vindicem proprium, vel executorem facit ante ſententiam.

Rationes pro reſpõſione.

4 Soluuntur rationes oppoſitæ ſententiæ.

Nec videntur officere ea, quæ ex aduerſo opponebantur; non primum, quia illa impunitas permiſſa a iure in primis non extenditur ad omnes, ſed dumtaxat ad perſonas viles, & infames, prout docet *Coaruuias 4. decret. 2. part. c. 7. §. 7. n. 1., & ſeqq.* Deindè quamuis ad omnes extenderetur, non eximit à compenſatione damnorum, quæ ex illo homicidio promanarunt, ſiquidem illa compenſatio non eſt in pænam ex iuſtitia vindicatiua, ſed ad conſtituendam æqualitatem læſam ex iuſtitia commutatiua. Non ſecundum, quia quantumuis ipſe maritus ex illa actione iniuſta adulteri occaſionem ſumpſerit illius occiſionis, illa tamen iniuſta actio non tribuit eidem ſufficiens ius deueniendi ad illam, ita vt eximatur à culpa vera, & reali homicidij, nam quantumuis tribuat iuſtam actionem ad agendum in iuditio ad condemnationem, non tamen eidem tribuit ius ſufficiens ad deueniendum ad illam occiſionem propria auctoritate; Non tertiũ, quia, vt ſupra dicebam, leges ad ſummum ferunt impunè maritum occidentem adulterum deprehenſum in fragranti delicto quoad pænas, quas ex illo homicidio occiſor ſufferre deberet proptèr immenſum dolorem, non tamen eximunt ab onere compenſationis damnorum.

---

§. XVII.

An pendente lite ſuper diuortio, innocens teneatur alteri reddere debitum.

SVMMARIVM.

Factum in ſuis terminis. 1.
Variæ conſiderationes circa factum. 2.
Si innocens fuerit certus de alterius adulterio, pendente lite, non tenetur reddere. 3.
Si non fuerit certus, non poteſt alteri denegare. 4.
Rationes pro reſponſione, & ſolutiones obiectorum. 5.

Diſquiſitio XVII. Cum alter ex coniugibus adulterium commiſerit, alter innocens in iudicio contendebat ad diuortium, aduerſus quem plures opponebat exceptiones, reputatus delinquens, & interim pendente lite petebat ab innocente ſibi reddi debitum, ad hoc etiam fortè petito, & habito Iudicis decreto, eo fretus iure, quod litè pendente nihil ſit innouandum, nulluſque ex collitigantibus ſit ſuo iure, & poſſeſſione ſpoliandus. Quæſitum hic fuit quid iuris, an verè innocens interim teneretur reddere, an eximeretur ab onere reddendi. 1 Expoſitio caſus in particulari.

Dubium ſic generatim expoſitum ſecundum varias conſiderationes debet dilui; vel etenim coniux innocens agens in iuditio ad diuortium eſt omnino certus de alterius adulterio, ob quod agit; vel dubius eſt, cum non habeat certa, & concludentia indicia, ſed dumtaxat leuia, & non excedentia limites meræ ſuſpicionis, & probabilitatis. Rurſus, vel agitur quoad forum externum maximè accedente Iudicis decreto, vel præcisè quoad 2 Variæ cõſiderationes circa factum.

Digitized by Google

quoad forum internum animæ.

3 Si fuerit certus de alterius adulterio, non tenetur reddere.

Reſpondeo primo; Si coniux innocens fuerit omnino certus de alterius adulterio, non obſtante pendentia litis, non tenetur illi exigenti reddere *Roſella verb. debitum nu. 13., & ibi Silueſter q. 1. conſ. 3., Henriquez lib. 11. de matrim. c. 15. nu. 14., Sanchez de matrim. lib. 10. de diuort. diſp. 12. nu. 7.* Ratio ex ſuperius dictis deducitur, quia ad pœnam diuortij, potiſſimum quantum pertinet ad redditionem debiti, quando innocenti certò conſtat de alterius adulterio, non eſt neceſſaria ſententia Iudicis, nec notorietas facti, ergo innocens alteri adultero cognito, vt tali non tenebitur reddere. Quod, ſi dixeris ad quid litem excitare, ſi poteſt per ſe abſtinere à tali debito? tunc dicam primo, quod lis potuit eſſe excitata ab adultero ad cogendum innocentem ad reddendum debitum; ſecundo, quod potuit eſſe excitata ex parte innocentis ad ſe tuendum etiam pro foro externo, & non ſolum pro negatione debiti, ſed etiam habitationis. Tertio, in ordine ad alias pænas, quibus non afficitur delinquens, niſi per Iudicis ſententiam. Dixi etiam *habito Iudicis decreto*, quia vt ſupra vidimus, eo non obſtante minimè tenetur parere tali decreto, cum innitatur falſis præſumptionibus, quæ nequeunt præiudicare veritati, prout etiam docet *Sanchez loc. cit. n. 6.* In hypotheſi verò, qua minimè à Iudice coactus adultero petenti redderet implicitè intelligeretur condonare delictum, & ſic ius diuortij ceſſaret; cum igitur ad hanc condonationem non teneatur, nec videtur teneri ad reddendum debitum.

Rationes pro aſſerto.

4 Si nō fuerit certus, non poteſt alteri denegare.

Reſpondeo ſecundo; Si coniux innocens non fuerit certus de adulterio alterius, non poterit alteri quantumuis ſecundum ſe nocenti debitum denegare *Roſella verbo debitum n. 13., Silueſter eod. verb. q. 1. caus. 3., Sanchez loc. cit.* Ratio ex eo deducitur, quia coniux adulter non eſt priuandus ſua legitima poſſeſſione ob adulterium, niſi certo de eo conſtat; non etenim ex adulterio, qua adulterium eſt ſimplicitèr oritur ius diuortij, ſed ex adulterio certè cognito ab innocente, vel notorio, vel à Iudice declarato; cæteroqui paſſim ex falſis, & friuolis ſuſpicionibus matrimonia quoad habitationem, & thorum diſſoluerentur contra naturam eorundem, & in perniciem coniugum, & ſcandalum proximorum, ergo, vbi certo non conſtet innocenti de adulterio alterius coniugis, nō poterit eidem denegare debitum; Nec obeſſe poſſunt ea, quæ ſupra dicebantur, quod ſcilicet ſic reddendo ſibi nocere videatur, quia per illam redditionem videtur renunciare iuri ſibi competenti ad diuortium, cum illa redditio ſit tacita remiſſio; Non, inquam, obeſſe poſſunt, nam vel reddit ex Iudicis præcepto, & ſic non cedit, cū voluntariè id non præſtet, vel ex ſe ſine tali præcepto, & tunc non etiam cedit, quia non nouit certo, an ius illud ſibi competat, & ſic non eſt ceſſio, quæ non cadit in ignorantem ius ſibi competens, ex quo ſequitur, quod ſi ex interuallo poſtea innotuerit de tali adulterio, poſſit innocens vti iure diuortij.

5 Rationes pro reſpōſione, & ſolutiones obiectorū

---

§. XVIII.

An, ſi poſt expulſionem temerariam coniux expulſus fornicetur, notoriè ſit reſtituendus.

SVMMARIVM.

Exponitur facti ſeries. 1.
Exponuntur duo textus contrarij. 2.
Sententia conciliantium huiuſmodi textus refutatur. 3.
Quomodo conciliandi ſint remiſſiuè. 4.

DIſquiſitio XVIII. Caius ex leui quadam ſuſpicione, vel paſſione aliqua percitus contra omnem iuris diſpoſitionem ab habitatione, & thoro expulit propriam vxorem, quæ ſic expulſa poſt aliquod temporis interuallum fornicata eſt, & quidem notoriè. Quæſitum hic fuit, an non obſtante tali fornicatione ſubſequenti ad temerariam expulſionem eadem vxor ſit reſtituenda. 1 In quo ſenſu intelligendus ſit titulus.

Vix aliquid hic addendum remanet ijs, quæ ſupra dicta ſunt, nempè quod, ſi maritus non eo animo vxorem expulerit à domo, & à thoro, vt laberetur in adulterium, & indè ipſe aſſumeret occaſionē diuertendi, ſi illa fornicata fuerit, non amittat ius ad diuortium. Sed quia aliquid negotij faceſſere videntur duo textus, qui videntur ſibi extremè oppoſiti alter *in c. porro de diuort.* alter *in c. ſignificaſti eod. tit.* quos diuerſimodè explicant DD. ideo ad conciliandos huiuſmodi textus placuit ſub terminis propoſitis difficultatem exponere præcipuè *cum Goffredus in ſumma tit. de conuerſ. coniug. n. 7. in fin., Ioannes Andreas d. c. ſignificaſti n. 8., Henricus c. vxoratus nu. 6. de conuerſ. coniug., Aſtenſis 2. part. ſummæ lib. 8. tit. 11. art. 2. q. 8., Graſſius prima part. decis. lib. 2. c. 84. num. 3.* dicant textum *in d. c. porro de diuort.*, concedere quidem reſtitutionem in adulterio notorio, ſed quando commiſſum

2 Exponuntur duo textus cōtrarij.

miſſum eſt ante ſpolium, textum vero *in c. ſignificaſti*, denegare quidem talem reſtitutionem, quando adulterium eſt commiſſum poſt ſpolium.

3 Sententia conciliantiũ huiuſmodi textus exploditur, & refutatur.

Sed horum DD. opinioni vix poſſum acquieſcere, quandoquidem ſtat videri potius eſſet contrarium dicendum, nempè potius eſſet facienda reſtitutio, quando adulterium eſſet commiſſum poſt ſpolium, quia tunc eſt leuius delictum, & illi anſam dederit maritus iniuſte ſpolians, quam quando adulterium eſſet commiſſum ante ſpolium, quia tunc nulla eſt cauſa excuſans, & potius delictum eſt grauius; atque hoc idèm conſideraſſe videntur *Cardinalis d. c. ſignificaſti n. 2. oppoſit. 1. de diuort., & ibi Præpoſitus nu. 4., Coarruuias 4. decret. 2. part. c. 7. § 5. num. 12., Henriquez lib. 11. de matrim. c. 17. n. 3., Sanchez de matrimon. lib. 10. de diuort. diſp. 12. nu. 30.*, qui omnes docent, quod ſiue adulterium fuerit commiſſum ante ſpolium, ſiue poſt, & fuerit notorium non admittatur reſtitutio, & Sanchez ſpecialitèr conſiderat illam inueriſſimilitudinem, quod reſtitutio denegetur, ſi fuerit adulterium poſt ſpolium, concedatur vero, ſi ante illud fuerit perpatratum, quam nos etiam conſiderauimus.

4 Quomodo conciliandi ſint remiſſiuè.

Nec tamen valet à contrario ſenſu, quatenus ſcilicet textus *in c. porro* concedat reſtitutionem quando adulterium commiſſum eſt poſt ſpolium, textus vero *in c. ſignificaſti*, neget quando illud patratum eſt ante ſpolium, quia per ſuperius latè probata, ſiue commiſſum fuerit adulterium ante expulſionem temerariam, ſiue poſt, ſemper innocens habet ius ad diuertendum, & per conſequens non tenetur poſt illud reſtituere ſpoliatum, ſi enim poteſt dimittere, à fortiori dimiſſum non tenetur remittere. Quomodo autem conciliandi ſint illi duo textus, qui ſecundum ſe videntur contrarij, dictum eſt ſupra.

---

§ XIX.

An quando alteri coniugi conſtat matrimonium eſſe inualidum, poſſit propria auctoritate diuertere, adeo vt dimiſſus minimè ſit reſtituendus.

SVMMARIVM.

Expoſitio caſus in particulari. 1.
Sententia aſſerens, quando matrimonium contractum eſt in facie Eccleſiæ, non poſſe conſcium nullitatis propria auctoritate recedere. 2.
Sententia Sanchez ſub varijs diſtinctionibus. 3.
Oppoſitio ad opinionem Sanchez. 4.
Licitum eſt in foro interno coniugi conſcio impedimenti propria auctoritate recedere. 5.
In foro externo, non poteſt propria auctoritate recedere, ſi impedimentum non ſit notorium. 6.
Etiam ſi impedimentum fuerit notorium. 7.
Cur coniux dimiſſus ob adulterium notorium non ſit reſtituendus, benè vero dimiſſus ob impedimentum notorium. 8.
Non eſt reſtituendus, ſi offerat probationes incontinenti. 9.

Diſquiſitio XIX. Contraxerunt in facie Eccleſiæ, ſeruatis omnibus iuris ſolemnitatibus, & in bona fide nuptias Caius, & Theodorica, eaſque fortè conſummarunt. Dum in iiſdem ſumma cum animorum tranquillitate perſeuerarent, alteri eorum ſuperuenit certa notitia, quod adeſſet impedimentum dirimens, vel conſanguinitatis, vel alicuius alterius rationis. Quæſitum hic fuit, an coniux conſcius talis impedimenti poſſit propria auctoritate ab altero diuertere? 1 Expoſitio caſus in particulari.

Veracrux *3. part. ſpeculi art. 9.* expreſſè aſſerit, quod quando matrimonium initum eſt in facie Eccleſiæ coram Parocho, & teſtibus, ſeruatiſq; omnibus iuris ſolemnitatibus, non poſſit coniux quantumuis certò conſcius impedimenti dirimentis propria auctoritate ab altero recedere, ſi Iudex Eccleſiaſticus poſſit facilè adiri, qui auctoritate Eccleſiæ ſeparet, ſecus vero, ſi non poſſit facilè adiri, quia tunc impedimentum ipſum, vt potè, quod infert nullitatem, confert poteſtatem recedendi. 2 Sententia aſſerens non poſſe propria auctoritate recedere.

Sanchez vero *de matrim. lib. 10. de diuortio diſp. 12. nu. 37.* ſub varijs diſtinctionibus procedit, & quidem loquendo in foro interno aſſerit licere coniugi conſcio talis impedimenti propria auctoritate recedere, ſi abſit periculum ſcandali, puta recedendo in longinquas partes, ſi vero adſit periculum ſcandali, aſſerit nō licere, ſed tunc recurrendum eſſe pro ſolutione ad Iudicem Eccleſiaſticum, vel debere ſimul manere tanquam, ſi eſſet frater cum ſorore non reddendo, nec petendo debitum coniugale; loquendo vero in foro externo aſſerit non poſſe propria auctoritate diuertere, quod ſi diuerterit dimiſſus ſit reſtituendus, quantumuis impedimentum illud eſſet notorium, quod probat per textum *in c. porro de diuortijs*. 3 Sententia Sanchez cum varijs diſtinctionibus.

Aliquid negotij aduerſus Sanchez videtur

Digitized by Google

datur faceſcere, quod *in c. ſignificaſti de diuortijs*, expreſsè decernitur, quod coniux
4 dimiſſus ob notorium adulterium non ſit reſtituendus, quomodo autem hic dicit ipſe, quod nequeat coniux conſcius impedimenti dirimentis propria auctoritate recedere, & ſi receſſerit ſit reſtituendus ſpoliato? Cur etenim ob notorium adulterium dimiſſus non eſt reſtituendus, & dimiſſus ob notorium impedimentum eſt reſtituendus? Potius contrarium videretur concludendum, quandoquidem per reſtitutionem in notorio adulterio nullum poteſt ſubeſſe periculum peccandi, nam, quantumuis coniuges congrederentur, non peccarent; per reſtitutionem vero extante impedimento dirimente notorio ſubijcerentur periculo concubitus fornicarij, cum extante illo impedimento fornicarium eſſet congredi. Quid ergo concludendum?

Oppoſitio ad opinionem Sanchez.

5 Reſpondeo primo cum eodem *Sanchez loc. cit.* Quoad forum internum licitum eſſe coniugi conſcio impedimenti dirimentis propria auctoritate recedere, ſeruando tamen conditiones, ne ex tali receſſu ingeratur ſcandalum. Ratio ex eo deducitur, quia re vera coram Deo nullum in tali matrimonio eſt vinculum coniugale obſiſtente illo impedimento verè, & realitèr exiſtente, ergo coram Deo coniux illius conſcius impedimenti liber erit, adeoq; poterit propria auctoritate ab altero tanquam a nõ ſuo coniuge recedere, cum ſub ea ratione, qua aliqui coniuges non ſunt, non teneantur ſeruare vitam indiuiduam, & coniugalem.

In foro interno, poteſt propria auctoritate recedere.

Dixi *ſeruando tamen conditiones, ne ex tali receſſu ingeratur ſcandalum*, pùta tranſeundo in longinqua, vel ſimiles cautelas habendo; ſi etenim ex tali ſeparatione voluntaria, & propria auctoritate ſubeſſet periculum ſcandali, certè non poſſet ſic recedere, ſed deberet viuere tanquam frater cum ſorore, non tamen congrediendo, quia cuicunque incumbit onus ruinæ ſpiritualis alterius auuertendæ.

Seruandæ conditiones, ne ingeratur ſcandalũ.

6 Reſpondeo ſecundo; In foro externo, ſi illud impedimentum dirimens, non fuerit notorium, quantumuis alter coniux de illo certitudinem habuerit, non poteſt propria auctoritate recedere, & ſi receſſerit, erit auctoritate Eccleſiæ reſtituendus dimiſſo. In hanc omnes arbitror conſentire, præcipuè cum communius ſentiant, vt infra ſubdam, non poſſe recedere quantumuis impedimentum fuerit notorium *Sanchez loco cit. per c. porro de diuort.* Ratio ex eo deducitur, quia, cum matrimonium illud fuerit palam in facie Eccleſiæ contractum, & ſeruatis omnibus iuris ſolemnitatibus ad hoc requiſitis, non poteſt ex occulta cauſa dirimi, ſed ſicuti palam initum eſt, ita non niſi ex cauſa palam apparente debet diſſolui; vndè meritò *in d. c. porro de diuortijs*, dicitur nullum notorium ad hanc diſſolutionem ſufficere, ſed expectandam eſſe Eccleſiæ ſententiam, quod, ſi verificatur, quando impedimentum eſt notorium, vtique à fortiori verificari debet, quando impedimentum illud eſt occultũ, & iure quidem merito hæc ſtatuta ſunt, quandoquidem, cum hoc negotium diſſolutionis ſit grauiſſimum, iure reſeruatur iudicio Eccleſiæ decidendum.

In foro externo, niſi impedimentũ fuerit notoriũ, non poteſt propria auctoritate recedere.

Reſpondeo tertio; quantumuis impedimentum illud fuerit notorium, non poſſunt coniuges propria auctoritate recedere, ſed expectandum eſt iudicium Eccleſiæ. Conſentiunt in hanc reſponſionem *Antonius d. c. porro n. 9., & ibi Abbas n. item 9., Alexander de Neuo nu. 11., Iaſon l. naturalitèr §. nihil commune nu. 46. ff. de acq. poſſeſ., Nauarrus lib. 3. conſil. tit. de conuers. coniug. in prima edit. cons. 6. n. 2. in poſteriori conſ. 11. n. 2., Gloſa in c. ex conqueſtione verb. ſine iuditio de reſtit. ſpol., & ibi Antonius n. 21., Sanchez de matrim. lib. 10. de diuort. diſp. 12. nu. 37., & 38.*, qui quamuis nõ conueniant in aſſignanda ratione, & conciliandis textibus *in d. c. porro, & in c. ſignific. de diuort.*, conueniunt tamen in eo, quod ad talem diſſolutionem requiratur iudicium Eccleſiæ, nec ſufficiat notorietas. Ratio ex eo deducitur primo, quia hoc expreſsè definitur *in d. c. porro de diuortijs*. Secundo, quia ius videtur exigere, quod per quas cauſas vinculum contractum eſt, per eaſdem diſſoluatur; nec obſtat, quod in ea hypotheſi vinculum nullum contractum ſit obſiſtente impedimento tali contractioni; Non obſtat, inquam, quia quantumuis illud vinculum ſecundum ſe non teneat, quia tamen contractum eſt ſaltem apparentèr per auctoritatem Eccleſiæ, eidem Eccleſiæ debet conſtare, quod fuerit inualidè contractum, adeoq; ipſa debet iudicare de tali impedimento. 7

Etiam ſi impedimentum fuerit notorium.

Tota iam difficultas conſiſtit in eo, cur coniux dimiſſus ob adulterium notoriũ non ſit reſtituendus, quantumuis in illa dimiſſione non interceſſerit iudicium Eccleſiæ; coniux vero dimiſſus ob impedimentum notorium dirimens ſit reſtituendus, ſi non interceſſerit eiuſdem Eccleſiæ ſententia, & ſic in conciliandis iuribus *in d. c. porro, & in c. ſignificaſti de diuortijs*, cum in primo dicatur ob notoriam conſanguinitatem non licere ſeparationem abſque Iudicis ſententia; in ſecundo ob notoriam coniugis fornicationem abſq; tali ſententia concedatur ſepara- 8

Cur coniux dimiſſus ob adulteriũ notorium non ſit reſtituẽdus, dimiſſus vero ob impedimentũ notorium ſit reſtituendus.

Digitized by Google

paratio, & coniux adulter dimiſſus non eſt reſtituendus. Qua in re DD. in tot tamque diuerſas abiere explicationes, vt penitus inextricabilem reddant. Non vacat omnes recenſere, cum latè referantur *à Sanchez d. lib. X. de diuort. disp. 12. num.* 38; vnam, vel alteram expendo, & quidem primo aſſero, rationem, proptèr quam *in c. porro*, decernitur, quod requiratur ſententia Eccleſiæ ad diſſolutionem matrimonij, ob notorium impedimentum conſanguinitatis, eam eſſe, quia hic agitur non ſolum de priuatione poſſeſſionis, ſed etiam proprietatis, quod certè maiorem exigit diſcuſſionem, quam propterea Eccleſia ſibi reſeruauit, potiſſimum ob eam rationem, quam ſupra innuimus, quod ſcilicet auctoritate Eccleſiæ initum nonniſi eiuſdem auctoritate ſit diſſoluendum; rationem vero proptèr quam *in d. c. ſignificaſti*, permittatur ob notorium adulterium ſeparatio, & non concedatur reſtitutio, eam eſſe, quia agitur ſolummodo de priuatione poſſeſſionis manente illæſo vinculo coniugali, quod propterea Eccleſia ſibi non reſeruauit, ſed ſuppoſita notorietate facti reliquit arbitrio innocentis, nec in hoc eſt valdè tenax Eccleſia, cum talis ſeparatio quoad poſſeſſionem, & vſum poſſet fieri per mutuum coniugum conſenſum etiam ſine alia cauſa, quod non militat quoad ſeparationem in vinculo coniugali. Deindè addo *in d. c. porro*, concedi reſtitutionem, vbi non præceſſerit iudicium Eccleſiæ, ob notoriam conſanguinitatem, quia poteſt aliqua tragiuerſatione cælari; *in c.* verò *ſignificaſti*, non concedi talem reſtitutionem ob adulteriũ notorium, quia, cum ſit quid meri facti, nec poſſit infringi, non poteſt aliqua ratione cælari, prout ſentiunt *Silueſter verb. diuortium q.* 8., *Barboſa ff. ſolut. matrim. 2. part. n.* 26.

Aſſignatur ratio diſcriminis.

Hic immediatè oritur difficultas, cur conſanguinitas notoria poſſit aliqua tragiuerſatione cælari, non ſic fornicatio notoria; Si etenim dicatur, quia adulterium eſt quid meri facti, ſtatim, & ego ſubdam, & conſanguinitatem eſſe meri facti, adeoque &c. potiſſimum cum conſanguinitas ſit quodammodo factum permanens, illud vero adulterij tranſiens. Si vlterius dicatur, quod conſanguinitas poſſit cælari, eo quia poteſt eſſe ratio dubitandi, an matrimonium illud fuerit initum cum diſpenſatione Sedis Apoſtolicæ, & ego poſſem ſubdere, quod, & adulterium notorium coniugis, poſſit eſſe compenſatum per ſimilem alterius fornicationem. Quamobrem concludendo dico Eccleſiam præſumere conſanguinitatem poſſe facilius tragiuerſatione cælari, quam adulterium, tum quia facilius homines decipiuntur in cognitione graduum conſanguinitatis, quam in cognitione adulterij; tum quia illa reſpicit tractum ſucceſſiuum, & ordinem ſucceſſionis, iſtud vero attingit actum ſine aliqua ſucceſſione, ac proindè iſtud non poteſt tegi, illa vero ſic proptèr inuolucra eiuſdem ſucceſſionis.

Alia ratio aſſignatur

Pro complemento eorum, quæ potiſſimum in hac vltima reſponſione agitata ſunt, remanet inquirendum, an in hypotheſi, qua ob conſanguinitatem notoriam alter coniux ab altero diuerterit, & alter ageret ad reſtitutionem, eſſet hic reſtituendus, quando ille, qui diuertit, offerret probationes impedimenti incontinenti. Pro cuius inquiſitionis notitia aduertendum eſt, quod *in c. literas de reſtit. ſpoliat.* expreſſè dicatur, quod, ſi coniux ob impedimentum conſanguinitatis ab altero receſſerit, & offerat incontinenti probationes illius impedimenti, alter agens ad reſtitutionem non ſit reſtituendus, quod idem videtur colligi *ex l. fin. C. quorum bonor.*, vbi dicitur *omnibus fruſtrationibus amputatis*, ex quibus verbis videtur firmari regula, quod, vbi non fuerint fruſtrationes, cum ſint probationes incontinenti offerendæ, non ſint reijciendæ ad effectum, ad quem ponuntur, Sanchez *d. l.* 10. *de diuort. diſp.* 12. *n.* 37. dicit coniugem dimiſſum reſtituendum eſſe quoad omnia excepta copula coniugali proptèr periculum incontinentiæ, non obſtante illa oblatione probationum incontinenti; ſi verò probationes non offerantur incontinenti, coniux dimiſſus ſit reſtituendus quoad omnia. Ego arbitrarer abſolutè non eſſe reſtituendum; & ſic arbitror ſentire *D. Thomam in 4. diſt. 35. q. vnica art. 3., & ibi D. Bonauenturam art. vnico q. 3., Abulenſem c. 19. Matthæi q. 72., D. Antoninum 3. part. tit. 1. c. 21. §. 5., Sotum in 4. diſt. 36. q. vnica art. 3. concl. 2. in fin., Hoſtienſem in ſumma tit. de diuort. num. 7. verſ. dicas Aſtenſem in ſumma 2. part. lib. 8. tit. 11. art. 3. q. 17.* Ratio ex eo deducitur, quia dolo facere videtur ille, qui petit id, quod immediatè, & incontinenti debet reſtituere per textum *in reg. dolo facit 59. de reg. iuris in 6.*, nec iura vtuntur circuitione auferendo id, quod immediatè debet reſtitui, quia fruſtraneè eſſent repetitæ actiones; Nec obſtare poteſt, ſi aſſeratur, quod in ſpolijs iura immediatè reſtituant ſpoliatum, non obſtante, quod hic debeat iterum ſpoliari, in pænam ſpoliantis, qui propria auctoritate id agit,

9 **Non eſt reſtituendus, ſi offerret probationes incontinenti.**

agit, quod agere non poterat; Non, inquam, obſtare poteſt, quia, cum remoto ſcandalo in conſcientia ſpolians id agere potuerit non eſt eidem imputandum ad culpam, ac proindè non debet refundi in pœnam. Deindè cum agatur in cauſa ciuili, id, quod incontinenti offertur maximè in ordine ad negationem reſtitutionis, habetur, ac ſi eſſet factum, vt vitentur illa abſurda circuitionis.

§. XX.

An maritus ſuſpicans de adulterio vxoris, poſſit eam cum teſtibus idoneis obſeruare, vt conuincatur, & diuortium celebretur.

SVMMARIVM.

Expoſitio caſus in ſuis terminis. 1.
Ratio dubitandi circa caſum. 2.
Licitum eſt marito ſuſpicanti obſeruare vxorem adhibitis teſtibus, vt illam poſſit conuincere. 3.
Maritus ex illa obſeruatione habita notitia adulterij vxoris, poteſt ab illa diuertere. 4.
Soluuntur rationes oppoſitæ. 5.

1 **Exponitur factũ in particulari.** Diſquiſitio XX. Ex quibuſdam inditijs, quæ ſibi obuia fuerunt, grauem ſuſpicionem concepit Titius, quod Caia vxor faceret ſui copiam Amaſio, cumque in ancipiti animo verſaretur circa veritatem, vel falſitatem ſuſpicionis, ſtatuit in corde ſuo eandem cum teſtibus idoneis obſeruare, ad effectum veritatem ſuſpicatorum indagandi, conuincendi de adulterio, & indè ſumendi occaſionem diuortij. Quæſitum hic fuit, an licita eſſet illa obſeruantia ad illum finem, & effectum intentum ab eodem marito?

2 **Ratio dubitandi circa factum.** Ratio dubitandi ex eo conſurgit, quia maritus videtur permittere, & conniuere malo morali, vt indè commodum recipiat ſeparationis, & eidem incumbit onus malum in coniuge euertendi potius, ſi illud fuerit præuiſum, quam permittendi. Accedit, quod iniuſtitia potius videtur, cum poſſit malo obuiare, ad quod tenetur ex vi ſuperioritatis, qua fungitur in vxorem, illud permittere, vt vxor malum illud perpatrans pæna puniatur. Accedit ſecundo, quod maritus ex illo adulterio, ſi fortè contingeret, non poſſet ſortiri finem, quem intendit in illa obſeruatione ſimul cum teſtibus, quandoquidem ipſo ſciente, & tacente vxor delictum illud perpatraret; ob adulterium autem ab vxore commiſſum ſciente, & tacente marito, non poteſt maritus ipſe celebrare diuortium. Nihilominus

Reſpondeo; Licitum eſſe marito ſuſpicanti de adulterio vxoris illam cum teſtibus idoneis obſeruare, vt eam poſſit de adulterio conuincere *D. Thomas in 4. diſt. 35. q. vnica art. 3. ad 4.*, *Petrus de Ledeſma de matrim. q. 62. art. 3. num. 1.*, *Sanchez de matrim. lib. 10. de diuort. diſp. 12. n. 52.* Ratio ex eo deducitur, primo, quia hoc non eſt cooperari, nec conſentire in adulterium vxoris, ſed velle certiorari de malo, de quo ſuſpicatur, vt indè poſſit vti iure ſuo, vndè maritus in ea hypotheſi, nec conſilium, nec conſenſum, nec opem aliquam præſtat ad malum, ſed malum ab vxore patrandum ex ſua prauitate indagat, vt illud corrigat per ea media, quæ ſunt à iure diſpoſita, ergo non peccat ſic obſeruando, nec adhibendo teſtes ad hoc munus idoneos. Neque dicas, quod ex ſuperius dictis *ſub hoc eod. tit. de matrim. 6. prænot. 11. ſect. 9. aſſert. prima ad tertium dubium*, maritus conſcius adulterij proximè patrãdi ab vxore, cum poſſit illud prohibere, & impedire, ſi non prohibeat, & impediat, intelligatur particeps illius adulterij, grauitèr peccet, nec poſſit ex illo adulterio ſumere ius ad diuortium, (quod etiam docuit *Sanchez lib. 10. de diuortio diſp. 5. n. 5.*, quamuis hic doceat nobiſcum, quod, ſi maritus ſuſpicans de adulterio vxoris obſeruet eam cum teſtibus idoneis ad eandem concludentèr conuincendum, non peccet) ſed in hac hypotheſi poſſet impedire, & prohibere, & non impedit, nec prohibet, quin potius delictum illud obſeruat, ergo conſtituitur particeps illius delicti, & per conſequens grauiter peccat; Contra enim impugnaberis, quia in primo caſu, cum ſupponatur maritus omnino certus, & ſupponatur poſſe impedire, & non impedit, ſupponitur cõſentire in idem adulterium, cum nullum aliud ſupponatur poſſe eſſe obiectum illius non prohibitionis, niſi ipſum adulterium non reprobatum; in ſecundo autem caſu, cum non habeatur certa notitia de futuro adulterio, obiectum obſeruationis illius mariti non eſt adulterium volitum ab ipſo marito, ſed futura cognitio illius adulterij, ſi fortè perpatretur, quod non eſt conſentire in illud malum, ſed velle vti malitia cognita vxoris ad proprium commodum, vel vtilitatem, vt ſcilicet ex illa cognitione vtatur iure ſuo, vel vt deprehenſa caueat in futurum. Deindè, cum in hac hypotheſi non ſupponatur habere maritus certam notitiam, non videtur poſſe prohibere, niſi cum maxima per-

3 **Licitũ eſt marito vxorem ſuſpectam ſic obſeruare.**

Proponitur inſtantia oppoſita, & diſſoluitur.

Digitized by Google

turbatione; ſi etenim promoneat vxorem de ſuſpicione, cum hæc non ſit cum certo fundamento, videretur illi iniuriam inferre, & lædere quodammodo ipſius honeſtatem, ſi eadem non præmonita conaretur in ipſo actu congreſſionis expellere amaſium vxoris, poſſet timere de aliquo damno ſibi inferendo, vel de aliqua magna confuſione; vbicunque autem quis abſtinet ab aliquo malo impediendo ex aliquo periculo, vel confuſione, non poteſt dici in illud malum conſentire. Tandem reſpondet ad hanc inſtantiam *Sanchez dicta diſp. 12. num. 52. in fine*, aſſerens, quod in primo caſu, de quo ipſe loquitur *d. lib. 10. de diuortio diſp. 5. n. 5.* maritus ſciens, & tacens intelligatur cõſentire, quia nullam habet diſſimulandi cauſam; non ſic in ſecundo caſu, de quo hic loquimur, quia non diſſimulat quaſi conſentiens, ſed vel vt poſſit ipſam de adulterio conuincere, vel vt deprehenſa deſiſtat in futurum.

Euincitur reſponſio paritate cuſtodis vinearum. Secundo eadem reſponſio euincitur, quia non peccant cuſtodes vinearum ſe abſcondentes, vt deprehendant ingredientes, quos ſuſpicãtur antecedentèr eſſe ingreſſuros, eoſq; accuſent, vt ſoluant pænas, vt docent *Nauarrus in ſumma c. 17. n. 123., Petrus à Nauarra lib. 3. de reſtit. c. 4. part. 1. dub. vlt. nu. 103., Corduba in ſumma q. 66. dict. 2., Valentia 2. 2. diſp. 5. q. 6. punct. 5. dub. 7. in fine, & alij plures apud Sanchez dict. diſp. 12. n. 52.*, ergo etiam non peccat maritus &c.

4 Maritus habita notitia adulterij ex illa obſeruatione, poteſt ab eo diuertere. Reſpondeo ſecundo; maritus ex illa notitia adulterij vxoris habita per illam obſeruationem ſimul cum teſtibus, poteſt iuſtè ab eadem vxore diuertere per diuortium *Sanchez de matrim. lib. 10. de diuort. diſp. 12. nu. 52.* Ratio ex eo deducitur, quia ob adulterium culpabile vxoris, quando maritus ad illud non fuit conſentiens, habet idem maritus legitimam cauſam diuertendi per ea, quæ ſparſim ſupra probauimus; ſed hoc adulterium reſpectu vxoris eſt culpabile, & vt probauimus in præcedenti reſponſione maritus, ad illud non fuit conſentiens, ergo &c.

5 Soluuntur rationes oppoſitæ. Ad rationes dubitandi ſuperius adductas, patet ex ſuperius dictis, quid reſpõdendum; non etenim ſic indagando, & obſeruando conniuet in malum vxoris, nec in illud conſentit, ſed in ſuppoſitione, qua ex peruerſitate vxoris illud committatur, vult eodem vti in ordine ad proprium commodum. Ad illud, quod ſubditur, dicendum eſt, eſſe ad ſummum iniuſtitiam non obuiare malo præuiſo, & illud permittere, quando adeſt conſenſus in illud malum non obuiantis, & permittentis, qui conſenſus in hac hypotheſi non intercedit, cum ipſe non velit malum in ſe, nec conſentiat vxori adulteranti, quin potius ægrè ferat, quod vxor adulteretur, & propterea aſſumat teſtes, vt illam cõuincat, & puniat, quod non præſtaret, ſi libens in illud malum conſentiret, cum non poſſit ipſe pænam exigere pro iniuria, quam volens paſſus eſt; nec ex eo, quod non impedierit, arguitur ipſius conſenſus, cum hoc non præſtiterit, quia voluerit adulterium, ſed quia voluerit præciſè cognoſcere, & certiorari de tali adulterio. Ad vltimum tandem etiam ex dictis patet, quid reſpondendum negando ſcilicet non poſſe vti tali notitia ad intentandum diuortiũ ex eo, quod ſciuerit, & tacuerit; nam non tacuit, quia conſenſit, ſed tacuit, quia habuit iuſtam cauſam diſſimulandi, vt ex prauitate vxoris ipſam poſſet conuincere.

---

§. XXI.

An liceat marito offerre occaſionem vxori adulterandi eo fine, vt conuincatur de adulterio, & corrigatur.

SVMMARIVM.

Factum expoſitum in ſuis terminis. 1.
Rationes ſuadentes id licere. 2.
Opinio aſſerens non licere. 3.
Probabilius maritus exhibens illam occaſionem peccat, & amittit ius ad diuortium. 4.
Soluuntur rationes oppoſitæ. 5.

Diſquiſitio XXI. Ex quibuſdam inditijs, & coniecturis nouerat Caius vxorem ſuam procliuem eſſe ad adulteria cum quadam perſona, quam immoderatè diligebat; & fortè etiam non leuitèr ſuſpicabatur adulteria fuiſſe patrata. Cum certam notitiam habere non poſſet de huiuſmodi vxoris criminibus, vt ſibi conſuleret de iuris remedijs, & ſi verè vxor fuerit delinquens, poſſet ab eadem diuertere, ſtatuit in corde ſuo occaſionem exhibere vxori adulterandi in certo loco, & tempore, quo de facili poſſet eam deprendere adhibitis etiam teſtibus, & eam conuincere, & ſubſequentèr vti iure ſibi competẽte ad diuortium? Quæſitum hic fuit, an potuerit licitè id efficere. 1 Factũ exponitur in particulari.

Petrus à Nauarra lib. 3. de reſtitut. c. 4 n. 127. loquens in terminis de Patre ſagace, qui cum nouerit ingenium filij procliue 2 Rationes ſuadentes id licere.

Digitized by Google

cliue ad furandum, eidem apponit occaſionem, qua illum melius reprehendere, & corrigere poſſet, quamuis aſſerat ſe non conſulere paſſim hoc fieri, ſed rarò, & proptèr magnum bonum delinquentis, non tamen ipſum damnat, quia hoc facit, vel potius permittit ob maius bonum ipſius filij; nam, & hoc præſtat Deus ipſe, qui plura peccata permittit, vt indè maiora bona reſultent, atque pro hac opinione allegat *Nauarrum in ſumma c.17. nu. 124*, quod videtur etiam poſſe extendi ad maritum, qui, cum nouerit ingenium vxoris procliuis ad adulterandum, eidem tribuit occaſionem peccandi, vt eandem poſtea conuincat, corrigat, & per diuortium dimittat.

Ex aduerſo *Emanuel Sà verb. peccatum nu. 7., Sanchez de matrim. lib. 10. de diuort. diſp. 12. nu. 53.* aſſerunt id non licere marito, eo quia, hoc non eſt ſolum permittere, ſed poſitiuè cooperari illi adulterio, quod non ſolum peccaminoſum eſt, ſed etiam tollit ius ad diuortium. Quid igitur concludendum?

3 Opinio aſſerens nõ licere.

Reſpondeo probabilius eſſe in hac hypotheſi maritum exhibentem talem occaſionem, & peccare, & ex vi illius adulterij amittere ius ad diuortium. Conſentiunt DD. pro ſecunda opinione allegati. Ratio ex eo deducitur, quia, ſi maritus è domo eiecerit vxorem, eidemque alimenta negauerit ad effectum, & eo fine, vt fornicetur, & ipſe arripiat indè occaſionem diuertendi, & peccat, nec indè poteſt diuertere per ea, quæ pluribus in locis ſupra allegauimus, & probauimus, ergo multò magis peccabit, ſi tradat occaſionem poſitiuam peccandi, eo animo, eaque intentione, vt vxor peccet, & ipſe indè accipiat cauſam ipſam corrigendi per diuortium; Neq; dicas, diſparem eſſe rationem in hoc vtroque caſu, quandoquidem in primo intendit adulterium proptèr diuortium; in ſecundo verò, de quo hic loquimur, intendit ſolummodo indaginem, ſeu ſcientiam adulterij, cum ſupponat abſque tali occaſione vxorem in idem prolapſuram; Contra enim impugnaberis, quia denegari non poteſt, in ordine ad illam indiuiduam, & determinatam actionem, quia per illam occaſionem, quam tribuit, verè cooperatus fuerit, eſto quod finaliter intenderit cognitionem illius actionis ad finem commodi proprij; ex eo autem, quod cooperatus fuerit adulterio non acquirit ex illo ius aliquid diuertendi.

4 Probabilius maritus peccat, & amittit ius ad diuortium.

Inſtantia propoſita, & ſoluta.

Neque rationes, quæ ex aduerſo afferuntur per *Petrũ à Nauarra loc. cit.* cogunt nos ab hac opinione recedere, quandoquidem Pater apponens illam occaſionem filio ad furandum habet præcisè pro obiecto maius bonum filij, nempè emendationem criminis, ad quod eſt ex proprio ingenio procliuis, & Pater in ordine ad furtum filij in rebus proprijs poteſt conſentire in ordine ad illud experimentum; maritus vero apponens illam occaſionem fornicandi, cum ſuſpicetur vxorem eſſe procliuem ad hoc crimen, cooperatur crimini, quod non poteſt per proprium cõſenſum depurare a malitia, adeoque conſtituitur particeps eiuſdem malitiæ, & licet habeat pro obiecto vindictam, quia tamen in ordine ad illam cooperatur medijs ex natura ſua iniquis, non poteſt niſi peccare, & cum per illam cooperationem conſtituatur conſentiens non poteſt ex illa reportare commodum diuortij.

5 Soluuntur rationes oppoſitæ.

---

§. XXII.

An liceat marito pactum inire cum vxore, vt Amaſio ipſam violare tentanti conniueat, non vt adulterium perficiat, ſed vt in crimine deprehendatur.

SVMMARIVM.

Exponitur ſtatus diſquiſitionis. 1.
Rationes ſuadentes licitum eſſe. 2.
Huiuſmodi pactum nullo modo licitum eſt. 3.
Soluitur ratio oppoſita. 4.

DIſquiſitio XXII. Nouerat Caius ciuem quendam inhoneſtum inſidiari honeſtati Corrinæ vxoris ſuæ, vtque eum deprehenderet in crimine pactum inijt cum eadem ſua vxore, vt ſimulatè eidem conniueret concedens tempus, & locum aptum adulterio, non tamen, vt in re adulterium perficeret, ſed, vt aſſerebam, ipſum corriperet in crimine deprehenſum per pœnas iuris, & auctoritate Iudicis. Quæſitum hic fuit, an poſſet hoc licitè peragere.

1 Expoſitio caſus.

Licitum hoc eſſe videntur aſſerere *Ioãnes Lupus c. per veſtras de donat. inter vir., & vxor. in princip. §. 29. nu. 1., Paulus in l. ſi quis not. 1. C. de furtis, Antonius Gomez l. 80., Tauri nu. 65., Matiengo dialogo relat. 3. part. c. 33. n. 8., Caſtillo proem. legum, Tauri fol. 6. col. 4. verſ., & nota, quod, ſi Caſtellanus;* hocque deducunt *ex d. l. ſi quis ſeruo C. de furt.*, vbi cum quis egiſſet cum ſeruo de furto committendo, & cum ſeruus nuntiaſſet, & de conſenſu eiuſdem Domini ipſe detuliſſet res aliquas pretioſas ad domum

2 Rationes ſuadentes licitũ eſſe.

Digitized by Google

domum eius, qui ſuaſit de furto, conceſſa eſt contra eundem ſuaſorem actio furti, ergo, qui lex ſupponit actionem ſerui, & pactum cum Domino initum, licita fuiſſe, cæteroqui contra ſuaſorem non concederetur actio furti, cum de conſenſu domini res illæ fuerint acceptæ.

Conſiderabilia circa caſum. Pro ſolutione cauendum eſt, an titulus procedat attento præcisè foro externo, quatenus liceat ſic confingere in ordine ad iniuria afficiendum adulterum; an vero etiam in foro interno animæ licitū ſit illud pactum ad decipiendum ipſum amaſium, & quidem quoad forum externum arbitror rectè procedere ea, quæ mox dicta ſunt, vndè difficultas dumtaxat modo procedit quoad forum internum, pro quo

3 Huiuſmodi pactum nullo modo licitū eſt. Reſpondeo huiuſmodi pactum nullo modo licitum eſſe *Sanchez de matrim. lib. 10. de diuort. diſp. 12. n. 54. in fin.* Ratio ex eo deducitur, quia denegari non poteſt, quin illud pactum, vi cuius procedit illa pollicitatio vxoris ad fornicandum importet quid aliud ſupra ſimplicem permiſſionem, immo, & conſenſum exernū ſufficientem ſecundum ſe ad quamcunq; acceptationem ex parte amaſij, ergo eſt ſecundum ſe inductiua ad peccatum, adeoq; afficit etiam & maritum, & vxorem pollicitantem, vtpotè inducentes ad illam acceptationem ſecundum ſe peccaminoſam; Neque obeſſe poteſt, ſi dicatur, non eſſe conſiderandam illam inductionem, ſeu cooperationem per illud pactum, quandoquidem amaſius ipſe erat affectus peruerſo affectu ad peccandum, cum ſupponatur inſidiari continuò honeſtati vxoris, nec poteſt dici, quod prauitatem deſumat in ordine ad cooperationem executionis illius prauæ intentionis, quandoquidem pactum illud quantum erat ex parte paciſcentium non erat ordinatum ad executionem criminis.

4 Soluitur ratio oppoſita. Non, inquam, obeſſe poteſt, quia, quantum eſt ex ſe, illa pollicitatio eſt cooperatiua, & inductiua ad peccandū, adeoq; quantum eſt de ſe peccaminoſa, & licet ipſi paciſcentes non ordinauerint illam pollicitationem ad executionem criminis, hæc tamen apta eſt ad mouendum eum, cui fit, ad acceptationem, & intendendam executionem, cui cooperans conſtituitur particeps.

§. XXIII.

An vir potius teneatur excommunicationem ſuſtinere, quam redire ad vxorem pertinacem in adulterio.

SVMMARIVM.

Exponitur facti ſeries. 1.
Sententia aſſerens teneri potius ſententiam excommunicationis ſubire. 2.
Poteſt tutè in conſcientia redire ad coniugem pertinacem. 3.
Soluitur ratio oppoſitæ ſententia. 4.

1 Expoſitur ſtatus diſquiſitionis. DIſquiſitio XXIII. Dictum fuit in præcedentibus, quod maritus nedū poſſit, ſed etiam teneatur ab vxore adultera pertinace in adulterio diuertere, vel titulo correctionis fraternæ, vel titulo ſcandali vitandi. Modo ſupponimus, quod, cum ex præcedenti cauſa adulterij pertinacis diuerterit ab vxore propria auctoritate ſine iuditio Eccleſiæ, per eādem Eccleſiam compellatur ad vxorem redire ſub pæna excommunicationis, & quærimus, an teneatur redire ad vitandam pænam excommunicationis, an vero potius teneatur ſuſtinere pænam excommunicationis, quam redire.

2 Sententia aſſerens teneri potius excōmunicatiōē ſubire. Teneri potius ſuſtinere pænam excommunicationis, quam redire docent *Ancharanus c. porro de diuort. n. 9., Cardinalis c. fin. nu. 2. verſ. quæro, an vir de adult., Enricus c. ſignificaſti n. 10. de diuort., Aſtenſis in ſumma 2. part. lib. 8. tit. 33. art. 2. q. 1.,* qui ea ratione meo videri mouētur, quia illa excommunicatio coram Deo non tenet, cui propterea præualere debet præceptum ſcandali vitandi, & correctionis fraternę erga vxorem pertinacem in adulterio, quod ex ſupradictis obligat ſub læthali. Nihilominus

3 Poteſt tutè redire ad coniugem pertinacem. Reſpondeo poſſe tutè in conſcientia in ea hypotheſi redire ad coniugem adulteram, quantumuis pertinacem in adulterio. *Sanchez lib. 10. de diuort. diſp. 13. n. 18.* Ratio ex eo deducitur primo, quia maritus excuſatur ab onere dimittendæ vxoris adulteræ pertinacis in adulterio, quādo ex illa dimiſſione imminet aliquod damnum graue ſpirituale, vel ſibi, vel vxori, vel etiam infamiæ, vel propriæ, vel eiuſdem vxoris; Sed in hac hypotheſi non modica immineret infamia eidem marito; ſi ſordeſceret in excommunicatione, & contra præceptum Eccleſiæ non rediret ad vxorem, ſiquidem in

Digitized by Google

in cõmuni conceptu haberetur pro excõmunicato, quod importat ſecundũ ſe aliquã infamiam. Secundo, quia in tali excõmunicatione ſordeſcere infert ſcandalũ, & ſicuti ratione ſcandali vitandi, tenetur maritus recedere ab vxore pertinace in adulterio, ita non eſt, cur ratione ſcandali propter perſeuerantiam in excommunicatione non teneatur ad eandem quantumuis pertinacem redire, potiſſimum cum propter auctoritatem Eccleſiæ, qua lata eſt talis excommunicatio, vix poſſit excuſari ille excommunicatus ab onere obtemperandi, & auctoritas ipſa Eccleſiæ tollat rationem ſcandali ob illud reditum ad vxorem. Tertio, quia ex ſuperius dictis onus in marito dimittendi vxorem adulteram pertinacem in adulterio non prouenit præciſè ratione adulterij, ſed ratione vitandi ſcandali, ſeu correctionis fraternæ; Sed ex neutro capite tenetur dimittere, quando ad hoc coarctatur per ſententiam excommunicationis; nam, ſi agamus in ordine ad correctionem, hæc non eſt neceſſario facienda cum graui damno eius, cui incumbit onus talis correctionis; magnum autem damnum immineret marito, ſi titulo eiuſdem correctionis deberet ſufferre excommunicationem, nam quantumuis talis excommunicatio non ſubſiſteret coram Deo, ſubſiſteret tamen coram hominibus, & ſic deberet carere participatione Sacramentorum, communione fidelium, aſſiſtentia à diuinis, quod certè onus graue eſt, & conſiderabile; ſi vero agamus in ordine ad ſcandalum; hoc abſolutè ceſſat ex eo, quod non propria voluntate, ſed neceſſitate compellente Eccleſia redit.

Rationes pro reſpõſione.

Ex quibus habes, quid reſpondeas ad argumentum contrariæ ſententiæ; Eſto etenim, quod illa excommunicatio non ſubſiſtat coram Deo, ſubſiſtit tamen quoad effectum in ordine ad homines, cum etiam excommunicatio iniuſta ſit timenda, & poſſit illos effectus parere priuationis Sacramentorum &c. propter quos excuſari debet, ſi redeat &c.

4 *Soluitur ratio oppoſitæ ſẽtentiæ.*

---

§. XXIV.

An, ſi maritus de futuro initi ſponſalibus detegat aliquod vitium in ſponſa, quo poſſet iuſtè illa diſſoluere, & poſtea oſcula, & amplexus, & copulam cum illa habeat, cenſeatur illud remittere.

SVMMARIVM.

Diſquiſitionis ſtatus exponitur. 1.

Vndè deſumatur ratio dubitandi. 2.

Si ſponſalia ob illud vitium fuerint diſſoluta per illos actus, non intelligitur ſponſus illud remittere. 3.

Non diſſolutis ſponſalibus ſponſus memor illius vitij per illos actus intelligitur illud remittere. 4.

Si immemor illius vitij actu illos exercuerit, non intelligitur remittere. 5.

Si certo non conſtet de negatione memoriæ præſumendum eſt pro remiſſione. 6.

Si illos actus exercuerit ſine animo remittendi, poteſt ſponſalia diſſoluere in foro interno, non ſic in externo. 7.

Si nec cum animo remittendi, nec cum animo non remittendi præſumitur remittere. 8.

Diſquiſitio XXIV. Contraxerat ſpõſalia Sempronius cum Theodorica cum promiſſione futuri matrimonij intra certum tempus. Perſeuerantibus iiſdem ſponſalibus Sempronius cognouit vitium quoddam, vel præexiſtens in eadem Theodorica, quod antea non cognouerat, vel ſubſequens ad eadem ſponſalia, propter quod iuſtè poterat recedere ab eiſdem ſponſalibus. Non diſſolutis expreſsè ob illud vitium ſponſalibus, nec vllo exhibito ſigno diſſolutionis idem Sempronius oſcula habuit cum eadem ſponſa, amplexus, & fortè etiam copulam. Oritur hic difficultas, an per illos actus intelligatur Sempronius remiſiſſe illud vitium Theodoricæ, & ceſſiſſe iuri ſuo in ordine ad diſſolutionem ſponſalium.

1 *Factũ dilucidè expoſitum.*

Ex præactis ſub hoc eodem titulo apertè conſtat, quod, ſi maritus cognito vxoris adulterio huiuſmodi actus, & præcipuè copulam coniugalem habeat cum eadem vxore ſpontè, & ſine vlla coactione intelligatur remittere ius ad diuortium, & vxorem ſibi reconciliare. An autem, hoc idem dicendum ſit, ſi ſponſus cognito ſponſæ vitio, ob quod poteſt iuſtè à ſponſalibus recedere, habeat huiuſmodi actus ſpontè cum eadem ſpon-

2 *Vndè deſumatur ratio dubitandi.*

Digitized by Google

ſponſa, id eſt, quod controuertendum modo proponitur, & ſub varijs diſtinctionibus eſt diſcutiendum, pro quo

3 Si ſponſalia fuerint diſſoluta per illos actus ſubſequentes non intelligitur remittere.

Reſpondeo primo; Si ob illud vitium ſponſalia illa contracta fuerint diſſoluta, ſponſus, ſeu ille, qui antecedentèr erat ſponſus huiuſmodi actus habuerit cum ea, quæ erat ſponſa, non intelligitur remittere illud vitium, nec renouare ſponſalia. Conſentit *Sanchez de matrimon. dub. 10. de diuortio diſp. 14. num. 24.* Nec difficilis eſt probatio huius reſponſionis, quãdoquidem diſſolutis ſponſalibus ille, qui fuerat ſponſus, perindè ſe habet, ac ſi nunquam fuerit talis, ſed ſi alius, qui non fuerit ſponſus, habuerit huiuſmodi actus cum fæmina, non intelligitur per illos ſponſalia cum illa inire, ergo neque ille, qui fuit talis, & diſſolutis ſponſalibus conſtitutus eſt non talis, per huiuſmodi actus poſtea habitos intelligetur ſponſalia iam diſſoluta renouare; quandoquidem tantum requiritur ad renouanda ſponſalia iam diſſoluta, quantum requiritur ad eadem primo contrahenda; Neque dicas, quod ſi maritus ob adulterium vxoris celebrarit diuortium etiam interpoſita Eccleſiæ ſententia, & poſtea huiuſmodi actus habuerit, intelligatur remittere idem matrimonium, & renouare ius ad actus coniugales, ergo etiam, ſi ſponſus ob vitium ſponſæ poſtea cognitum diſſoluerit ſponſalia, & poſtea huiuſmodi actus cum eadem habuerit, intelligetur vitium illud remittere, & renouare ſponſalia; contra enim impugnaberis, quia diſpar omnino eſt ratio, nam celebrato diuortio inter coniuges de præſenti adhuc remanet illæſum vinculum coniugale; diſſolutis vero ſponſalibus nullum vinculum remanet inter ſponſos, quinimmo, nec ipſi ſunt tales, ſicuti ſunt coniuges maritus, & vxor, nõ obſtante celebratione diuortij; vndè mirum non eſt, quod per huiuſmodi actus, qui ſunt amicitiæ, & beneuolentiæ ſigna inter coniuges, inſtauretur coniugium quoad huiuſmodi actus, quod in ſubſtantia adhuc perſiſtebat, non vero innouentur ſponſalia, cum nullum eorum veſtigium perſeueraret.

Rationes pro reſpõſione, & ſolutiones obiectorũ

4 Non diſſolutis ſponſalibus ſponſus memor illius vitij per illos actus intelligitur remittere.

Reſpondeo ſecundo; Non diſſolutis adhuc ſponſalibus, ſi ſponſus memor illius vitij vxoris huiuſmodi actus cum eadem habuerit, nec habuerit expreſſum animum non condonandi, tam in foro interno, quam in externo intelligitur remittere illud vitium, & cedere iuri ad diſſolutionem. Conſentit etiam idem *Sanchez loc. cit.* Ratio ex eo deducitur, quia per huiuſmodi actus, quando coniux innocens eſt memor adulterij vxoris intelligitur inter eoſdem facta remiſſio; & inſtauratio matrimonij quoad vſum coniugalem, & quoad omnia per ea, quę latè ſunt ſuperius probata, ergo etiã per tales actus, ſi ſponſus fuerit vitij ſponſæ memor intelligetur vitium illud remittere, & cedere iuri ſuo ad diſſolutionem ſponſalium. Conſequentia probatur, tum quia ſicuti in præcedenti caſu diuortij ob adulterium remanet vinculum coniugale, ob quod illi actus ſunt conciliatiui, qui ſunt inter coniuges, ita in hoc caſu remanet adhuc vinculum ſponſalium, vndè illi actus familiares intelligũtur remiſſiui illius vitij, cum verè ſint inter ſponſos; tum quia nulla maior videtur eſſe iniuria, quam illa, quæ infertur marito per adulterium, & tamen hæc per illos actus remittitur, ergo etiam per illos actus intelligetur remiſſum vitium aliquod, ſi quod in ſponſa de futuro fuerit deprehenſum.

Ratione pro reſpõſione.

Reſpondeo tertio; Si adhuc non diſſolutis ſponſalibus maritus immemor illius vitij huiuſmodi actus habuerit cum ſponſa, non intelligitur remittere illud vitium, nec cedere iuri ſuo in ordine ad eorundem ſponſalium diſſolutionem. Ratio ex eo deducitur, quia nemo ignorans ſupponitur cedere iuri ſuo *l. maniſeſtiſſimi in princip. vers. ſin autem C. de furt. l. fin. C. de condit. indeb.*, & actus agentium non operantur vltra eorum intentionem *l. non omnis ff. ſi cert. pet.* non poteſt autem haberi intentio, vbi adeſt ignorantia. Quamuis autem huiuſmodi textus procedant dumtaxat, quando cedens, & remittens eſt ignorans, pari tamen paſſu videntur procedere, quando eſt immemor, cum negatio memoriæ computetur pro ignorantia. Hæc procedunt quoad forum internum. Quid autem ſentiendum ſit quoad forum externum?

5 Si immemor illius vitij actus illos habuerit nõ intelligitur remittere.

Reſpondeo quarto; Si immemor illius vitij vxoris huiuſmodi actus cum illa exerceat, nec de tali negatione memoriæ conſtet, probabilius præſumendum eſt pro remiſſione, & pro ceſſione iuris ad diſſoluenda ſponſalia. Ratio eſt, quia ſuppoſita tali notitia vitij præcedenti, cum agatur de ijs, quæ pertinent ad proprium ſtatum, & conditionem ſponſi, vix poteſt præſumi de negatione memorię, cæteroqui omnes contractus corruerent; omniaque humana commertia, ſi neganti ſe habuiſſe memoriam eorum, quæ pertinent ad ipſius ſtatum, eſſet credendum.

6 Si nõ conſtet de negatione memoriæ præſumẽdum eſt pro remiſſione.

Reſpondeo quinto; Si ſponſus non diſſolutis ſponſalibus prædictos actos elicuerit erga ſponſam laborantem vitio, propter quod poſſet ſponſalia diſſoluere ſine

ſine animo remittendi, ſeu cedendi iuribus ſuis in ordine ad diſſolutionem eorundem ſponſalium poſset in foro interno adhuc eadem diſſoluere; Non ſic verò in foro externo. Ratio primæ partis eſt, quia remiſſio, & condonatio eſt actus liberæ voluntatis condonantis, & totam vim accipit ab eadem volūtate, ſiquidem hæc remiſſio eſt ſpecies quædam donationis, ergo, vbi re vera non eſt animus condonandi, non poteſt eſse valida condonatio, & remiſſio deficiente forma ſubſtantiali, per quam valida conſtituitur eadem condonatio, & remiſſio. Ratio ſecundæ partis ex eo deducitur, quia ſecundum communem acceptionem actiones illæ, vbi quid diuerſum non conſtet, ſunt ſecundum ſe coniunctæ cum illa remiſſione, & condonatione, & regularitèr accipiuntur pro eiſdem, ergo in foro externo perindè obligabunt, ac ſi eſsēt poſitæ cum vero animo condonandi; nec obeſse poteſt, quod defuerit animus condonandi; Non, inquam, obeſse poteſt, quia in foro externo non attenditur præciſè animus, ſed præſumptiones, quibus ille animus infertur, cæteroqui eſset in opinione operantis reſcindendi quoſcunque contractus, aſserendo ſe non habuiſse animum opus illud peragendi, vel ineundi illos contractus.

7 **Si illos actus exercuerit ſine animo remittendi, poteſt ſpō ſalia diſſoluere in foro interno, nō ſic in externo.**

Quid vero ſentiendum ſit, ſi ſponſus non diſſolutis illis ſponſalibus actus illos exercuerit, nec cum poſitiuo animo remittendi illud vitium, ſeu cedendi iuri ſuo in ordine ad diſſolutionem ſponſalium, nec cum animo poſitiuo non remittendi, nec cedendi; tunc dico intelligi factam remiſſionem. Conſonat cum iis, quæ dicta ſunt ſupra, dum de tacita condonatione adulterij in ordine ad diuortium; ſi etenim adulterium ipſum remittitur, quod importat enormem iniuriam per huiuſmodi actus cum animo illo indiferenti, non video, cur per illos non debeat intelligi remiſsum vitium cum eodem animo.

8 **Si nec cū animo remittendi, nec cum animo nō remittendi intelligitur remittere.**

§. XXV.

An maritus ſatisfaciat oneri dimittendi vxorem pertinacem in adulterio, ſi illi neget debitum coniugale, retineat tamen tanquam ſororem.

SVMMARIVM.

Factum expoſitum in ſuis terminis. 1.
Sententia aſſerens maritum denegando debitum præciſè ſatisfacere oneri. 2.
Regularitèr loquendo non ſatisfacit. 3.
Soluuntur rationes oppoſitæ ſententiæ. 4.

Diſquiſitio XXV. Ex duplici potiſſimum capite docuimus in præcedentibus teneri maritum innocentem dimittere vxorem adulteram, & pertinacem in adulterio; primo ſcilicet ratione ſcandali vitandi, ne maritus non dimittens cenſeatur conniuens adulterio vxoris; Secundo ratione correctionis fraternæ, vt illo deſtituta conſortio reſcipiſcat. Hoc ſuppoſito Caius, vt huic oneri ſatisfaceret dimiſit quidem vxorem quoad effectum coniugalis copulæ, aliorumque obſequiorum, quæ ſunt propria coniugum, ſed eandem admittebat tanquam ſororem. Quæſitum hic fuit, an tali oneri ſatisfecerit.

1 **Exponitur facti ſeries.**

Cardinalis *in c. ſi vir in princip. de adult.*, *& ibi Antonius num. 3.* ſuſtinent maritum vtique ſatisfeciſse tali oneri, quos arbitror his rationibus moueri; primo tunc verè non habet, vt ſuam vxorem, nec ius aliquod prohibet, quod tanquam ſoror detineatur. Secundo, quia, ſi agatur ratione, ſeu titulo correctionis fraternæ per negationem thori, aliorumq; obſequiorum coniugalium, videtur ſufficientèr corripi, & ſi ob hoc non reſcipuerit, nec reſcipiet ex totali dimiſſione. Tertio, ſi agatur ratione ſcandali, cum cauerit eo medio dimiſſionis quoad ea, quæ ſunt propria vxoris, aliiſque, quibus poterit, non erit ſcandalum actiuum, ſed paſſiuū, & ſic non tribuetur culpæ viri non expellentis, vt videtur innuere in ſimilibus *Silueſter verb. debitum q. 10.*, *Armilla verb. matrimonium n. 75.*, quæ maximè vera erunt, ſi maritus acritèr vxorem ipſam increpabit, & modo licito puniet, ita vt vicini merito intelligant eum minimè aſsentiri adulterio, quin potius ægerrimè ferre, & item, ſi maritus vicinos moneat ſe non retinere, vt eius crimen foueat, ſed vt ſibi conſulat, vel ne illa proſtituatur, & peior euadat. Nihilominus

2 **Sententia aſſerens maritum denegādo debitum ſatisfacere oneri.**

Rationes pro hac opinione.

Reſpondeo regularitèr loquendo non ſufficientèr ſatisfacere. *Sanchez de matrim. lib. 10. de diuort. diſp. 13. n. 13.* Ratio ex eo deducitur, quia adæquata ratio oneris, quo tenetur maritus ad dimittendam vxorem pertinacem in adulterio, eſt titulus vitandi ſcandali, & correctionis fraternæ, vt ſupra, ſed per illam dimiſſionem ſub formali titulo vxoris, & retentionem ſub ratione ſororis non ſatisfacit huic rationi, non titulo ſcandali vitandi quandoquidem primo, quod retineat, vt ſororem, non vt vxorem non omnibus conſtat, ſicuti omnibus conſtat pertina-

3 **Regularitèr loquēdo non ſatiſfacit.**

tia eiuſdem vxoris in adulterio. Secundo, quia non vitatur ſcandalum retinendo, vt ſororem, eidemque præſtando obſequia, quæ præſtat frater in ſororem, ſiquidem hoc etiam videtur fouere adulterium, & conſeruare quandam amicitiæ ſpeciem; non titulo correctionis fraternæ, quandoquidem ad hunc titulum pertinet non ſolum adhibere pias monitiones, ſalutaria documenta, territamenta gehennæ, ſed, vbi obſiſtit peruicacia, omnia alia media poſsibilia, & ſi iuxta ſuperius dicta deueniendum eſt ad dimiſſionem, non video, cur hæc non debeat eſſe adæquata etiam quoad habitationem, cum ex illa ſocietate tanquam fraterna poſsit, & vxor adultera firmari in ſua peruicacia.

Rationes pro reſpõſione.

4 Soluuntur rationes oppoſitæ ſententiæ.

Ad rationes contrarias ſic reſpondeo; & quidem ad primum dic iura naturalia vetantia conſortium cum vxore peruicaci in adulterio, cum reſpiciat, vel correctionem fraternam, vel ſcandalum vitandum, non ſolum reſpicere negationem thori, ſed etiam cuiuſcunque habitationis, quod non poteſt compati cum detentione eiuſdem vxoris titulo ſocietatis fraternæ. Ad ſecundum dic, correctionem fraternam in ſimilibus caſibus non reſpicere ſolummodo pia monita, ſalutaria documenta, propoſitionem gehennæ, ſed etiam quæcunque media, quæ licitè poſſint remouere vxorem ab illa peruicacia, & à peccatis, adeoque non ſolum à ſubtractione à thoro, ſed etiam à quacunque habitatione; & facilius poteſt moueri vxor à recedendo ab adulterijs ex eo, quod ſe deſtitutam videat omnibus auxilijs, quam ſi deſtitueretur ſolummodo aliquibus, puta à thoro &c. Ad tertium dic abſolutè, quod, cum adulterium vxoris, & peruicacia in eodem ſint notoria, non ſufficientèr euitetur ſcandalum per ſolam dimiſsionem à thoro, & retentionem eiuſdem non tanquam vxoris, ſed veluti ſororis, quandoquidem de hoc non poteſt facilè conſtare, & quantumuis etiam conſtaret, non videtur ſufficiens ad vitandum ſcandalum, cum per illam ſocietatem fraternam videatur adhuc fouere beneuolentiam, ex quo poteſt deduci, quod delictis vxoris conniueat, dum non obſtantibus illis delictis vitam habet cum eadem familiarem, & ſe gerat cum illa tanquam frater cum ſorore.

---

§. XXVI.

An nullo exiſtente ſcandalo ob ſolam prolis incertitudinem teneatur maritus vxorem peruicacem in adulterio dimittere.

SVMMARIVM.

In quo ſita ſit ratio diſquiſitionis. 1.
Sententia aſſerens teneri dimittere. 2.
Ex hoc capite non tenetur ſub onere grauis peccati dimittere. 3.
Soluuntur rationes oppoſitæ ſententiæ. 4.

1 Facti ſeries expoſita.

Diſquiſitio XXVI. Peruicax erat vxor Caij in adulterio cum quodam Drudo, quem anxiè diligebat, & ſæpius admonita, vt reſcipiſceret, nunquam à propoſito fornicandi potuit dimoueri. Peruicacia illa ſcandalum non ingerebat, cum non eſset notoria. In hac hypotheſi maritũ poſse recedere ab vxore, ſeu eam dimittere certò certius eſt, cum ipſe maritus non ſolum ſit certus de adulterio, ſed etiam conſcius de peruicacia. Vtrum verò teneatur dimittere, ſi non ad euitandum ſcandalum, cum nullum adeſse ſupponatur, ſaltem ad euitandam incertitudinem prolis, id eſt, quod in præſenti controuertendum proponitur?

2 Sententia aſſerens teneri dimittere.

Petrus *de Ledeſma de matrim. q. 62. art. 2. concl. 2.* expreſsè ſuſtinet etiam in hac hypotheſi teneri maritum, vel ab eadem vxore recedere, vel ipſam dimittere, ne præiudicium inferat alijs filijs, ſi quos habuerit ſupponendo cum illis filium, qui fortè non eſt ſuus, & ex matrimonio, ſed alterius, & ex concubitu fornicario, & eundem conſtituendo cohæredem ratione ſanguinis, cum talis non ſit, quod certè infert neceſsitatem non cohabitandi cum eadem, vt ſpurius à legitimis ſecernatur. Nihilominus

3 Ex hoc capite nõ tenetur ſub onere graui dimittere.

Reſpondeo ex hoc capite, non teneri ſub onere grauis peccati ab eadem vxore recedere, vel ipſam à ſe dimittere. *Sanchez de matrim. lib. 10. de diuortio diſp. 13. n. 12.* Ratio ex eo deducitur primo, quia nullibi in iure decernitur, quod ex hoc capite maritus ſub onere grauis peccati, teneatur vxorem à ſeipſo dimittere, nec DD. antiqui vllum verbum de hoc fecerunt, ſed dumtaxat meminerunt de titulo ſcandali vitandi, vel correctionis fraternæ faciendæ, ergo nec nos debemus tale onus inducere. Secundo, quia hic titulus reſpicit dumtaxat damna temporalia,

Digitized by Google

ralia, quæ filijs legitimis poſſunt obuenire in ſupputatione alterius, qui fortè poſſet non eſſe legitimus, ſed ob hæc damna temporalia, quæ tamen non ſunt certa, & poſſunt non eſſe talia, non tenetur maritus vti medio adeo acerbo, ex quo fortaſſe non poteſt eſſe ſpes emendationis, quod potiſsimum ex eo deduci poteſt, quod alij tituli, ex quibus ex communi DD. conſenſu oritur tale onus dimiſsionis reſpiciant bona præciſè ſpiritualia puta vitationem ſcādali, & correctionem fraternam, quæ ſunt in ordine ad vitanda damna ſpiritualia, vel in ipſis coniugibus, vel in alijs, ergo &c. tertio, quia ea incertitudo prolis nō poſſet tribui culpæ mariti, cum ipſe ſupponatur renuiſſe, & media ſuauia adhibuiſſe ad hanc incertitudinem vitandam curando, vt vxor ab illo concubitu fornicario deſiſteret.

Rationes pro reſpōſione.

4 **Soluuntur rationes oppoſitæ ſententiæ.**

Quamobrem ad ea, quæ ex *Petro de Ledeſma loc. cit.* afferebantur, dicendum eſt, quod, quantumuis illud periculum incertitudinis prolis, poſsit in hac hypotheſi ſubeſſe, non propterea tale ſit, vt inducat obligationem ſub graui noxa marito innocenti vxorem peruicacem dimittendi propter rationes mox adductas, & ſicuti ipſe non eſt priuandus iure, quo gaudet congrediendi cum vxore ob damna aliqua, quæ poſsint obuenire, vel proli ſuſcipiendæ ex eo, quod præuideatur, quod ex illo concubitu debeat oriri infecta, vel proli iam ſuſceptæ ob minorem eius curam, vel ob alia ita &c. vndè ob damnum prolis, ſeu filiorum, non debet tale onus ſubire.

---

§. XXVII.

An ſi quis glorietur ſe concubuiſſe cum vxore alterius, acquirat maritus ſufficiens ius diuertendi ab eadem vxore.

SVMMARIVM.

Diſquiſitionis ſtatus exponitur. 1.
Ex illa ſola iactantia non acquirit maritus ius ad diuortium. 2.
Intellige, niſi ſit ſuffulta alijs adminiculis. 3.
Si adminicula non ſint violenta, non inducunt ius ad diuortium. 4.
Inſtantia contraria diſſoluitur. 5.

I **Diſquiſitionis titulus expoſitus.**

DIſquiſitio XXVII. Dictum eſt in præcedentibus, quod ad hoc, vt coniux innocens poſsit diuertere ab adultero requiratur pro foro interno, quod ipſe innocens habeat moralem ſaltem certitudinem de delicto alterius, & pro foro externo, quod delictum ipſum, vel ſit notorium notorietate tali, vt nulla valeat tragiuerſatione cęlari, vel quod per ſententiam Iudicis fuerit declaratum. His tanquam certis ſuppoſitis quidam Eques palam gloriabatur ſe cum vxore Fabij concubuiſſe, cuius gloriationis nō erat inſcius idem Fabius. Quæſitum hic fuit, an Fabius ex illa iactantia illius equitis tale, ac tantum ius quoad notitiam acquiſierit, vt poſsit legitimè ab vxore diuertere.

Hæc difficultas ſic nudè propoſita ſecundum duplicem ſenſum poteſt examinari; vel etenim illa iactantia nullis eſt ſuffulta adminiculis comprobantibus, ſed præciſè innititur dictiterijs eiuſdem gloriantis nullo alio ſigno apparente, vel ſuffulta eſt alijs non leuibus inditijs, puta maxima familiaritate eiuſdem equitis cum eadem vxore, frequenti comitatu, & crebris obſequijs, xenijs eidem vxori miſsis ab ipſo equite, & literis amatorijs, vel ex parte eiuſdem vxoris correſpondentis, vel ex parte vtriuſque; vndè

Duplex ſenſus tituli.

Reſpondeo primo; Ex illa ſola equitis iactantia, ſi alijs non fuerit ſuffulta adminiculis comprobantibus non acquirit maritus ius ſufficiens ad diuortium cum vxore *Abbas in c. quam ſit graue nu. 2. not. vlt. de exceſ. prælat.*, *Caieta repet. c. ad limina 30. q. 1. §. 4. num. 250.*, *Sanchez de matrim. lib. 10. diſp. 12. num. 48.* Ratio ex eo deducitur, quia non valet confeſsio extraiuditialis in alterius præiuditium, per textum *in c. 1. de confeſ. c. ſignificaſti de adult., & l. fin. C. de accuſ.*, quod, ſi dixeris hæc valere, quando agitur in foro contentioſo, in quo confeſsiones extraiuditiales alteri pernicioſę non admittuntur, non autem in iuditio priuato, & quoad forum internum animæ, in quo parere poteſt certitudinem, quæ ſufficiens eſt, vt innocens poſsit propria auctoritate ab adultero recedere per ea, quæ ſupra latè probauimus; ſtatim impugnaberis, quia etiam in iuditio priuato, & pro foro conſcientiæ dictum vnius maximè, ſi fuerit gloriabundum, & cum iactantia non inducit ſufficientèr certitudinem, qualis requiritur ad opus adeo alteri iniurioſum, & pernitioſum, cuiuſmodi eſt diuortium, & licet ſuperius dictum fuerit, quod non eſt neceſſe, quod talis certitudo ſit metaphyſica, ſed ſufficiat moralis, talis tamen debet eſſe, vt inducatur per coniecturas, & per rationes, quæ ſint ad hunc effectum, vel à natura, vel à lege receptæ *Gloſa in l. abſentem verb. damnum ff. de pœnis*; ius autem, nec naturæ, nec poſiti-

2 Ex illa ſola equitis iactantia, non acquirit maritus ius ad diuortiū.

Confeſsio extraiuditialis in alterius præiuditium non tenet.

poſitiuum recipit dictum vnius gloriantis tanquam ſufficiens ad certitudinem adulterij alterius. Si autem inquiras,
3 Intellige, niſi ſit ſuffulta alijs adminiculis.
quænam ſint coniecturæ, & rationes, quæ recipiantur à iure, tanquam inducentes ſufficientem certitudinem ad hunc effectum, tunc dicam potiſſimum contineri *in c. literis de præſumpt.*, vbi ſic habetur *ſolum cum ſola, nudum cum nuda in eodem lecto iacentem viderunt multis locis ſecretis, & latebris ad hoc commodis, & horis electis. Reſpondemus, quod ex huiuſmodi violenta &c.* quem textum latè ſupra explicuimus. Quod autem ad hoc non ſufficiat dictum alterius gloriantis videtur deduci *ex c. penult. de adulter.*, vbi ſic legitur *Mandamus, quatenus, niſi ſibi conſtiterit, vel per euidentiam rei, vel per confeſſionem legitimam mulieris, quod adulterata ſpontè fuiſſet, ipſum recipere compellas eandem*, vbi vides, quod Pontifex requirat, vel euidentiam rei, vel legitimam eiuſdem vxoris confeſſionem, ex quo fas erit deducere, quod dictum alterius maximè gloriantis non ſit ſufficiens.

Aſſignantur adminicula, quæ ad hoc poſſunt conferre.

Reſpondeo ſecundo; Si iactantia illius equitis fuerit ſuffulta alijs adminiculis, de quibus ſupra, regularitèr etiam ex illa maritus non acquirit ius ſufficiens ad diuortium *Sanchez de matrim. lib. 10. d. diſp. 12. nu. 48., Henriquez lib. 11. de matrim. c. 17. nu. 2., & ſeqq.* Ratio ex eo deducitur, quia nec illa equitis iactantia ſecundum ſe, nec illa adminicula inducunt ſufficientem certitudinem ad diuortium; non illa iactantia ſecundum ſe, prout probatum eſt in præcedenti reſponſione; non illa adminicula, quia, vel illa conſiſtunt in comitatu, vel crebris obſequijs, vel in verbis amatorijs, vel in xenijs ab eodem equite miſſis eidem vxori, vel in oſculis, & amplexibus, vel in literis amatorijs, ſed per nullum ex ijs poteſt induci certitudo talis, qualis ſufficiat ad diuortium, non primo in comitatu, & crebris obſequijs, quia hæc poſſunt coniungi cum alio fine, vel etiam, ſi ordinarentur ad illum effectum fornicationis, ad ſummum inferrent ſollicitationem eiuſdem vxoris, non autem actum eiuſdem, quod concludentèr videtur euinci *ex l. 1 ff. de extraord. crimin., & c. ſollicitatores de pænit. diſt. 1.* vbi aduerſus ſollicitatores alienæ vxoris imponitur pæna extraordinaria, quæ malè imponeretur, ſi indè concluderetur adulterium; atque hoc adeo firmum eſt in iure, vt Gloſa *in d. l. 1. verb. proptèr voluntatem ff. de extraord. crim.* extendat etiam, ſi colloquia, & baſia interuenerint; Non ſecundo in verbis amatorijs, quia ſi baſia cum colloquijs non ſufficiunt ad inducendam hanc certitudinem, multò minùs ſimplicia verba amatoria; Non in xenijs ab eodem equite vxori miſſis, quia hæc etiam ſunt minora indicia amplexibus, & oſculis; non tandem in literis amatorijs, quantumuis fuerint mutuæ, nam iſtæ non habent maiorem vim, & efficaciam, quam habeant verba ſimilia præſentialitèr prolata; Deindè hæ literæ ſicut, & verba indicant præparationem, & diſpoſitionem, non effectum ipſum.

4 Si adminicula non ſint violenta non inducunt ius ad diuortium.

Neque dicas hæc quidem verificari, quando ſecundum ſe præcisè ſumuntur, ſecus autem quando coniunguntur ſimul cum illa iactantia, quia tunc hæc omnia ſimul ab inuicem vires ſumunt, & plura ſeparatim ſumpta nihil concludunt, quę ſumpta ſimul plenam vim habent ad cōcludendum; contra enim impugnaberis, quia licet ſimul coniuncta maiorem habeant efficaciam ad concludendum, quam ſi ſeorſim acciperentur, non videntur tamen plenam vim habere ad inducendam plenam certitudinem requiſitam ad pænam reſpectu adulteri ordinariam diuortij, quandoquidem in pænalibus quoad pænas ordinarias requiruntur probationes luce meridiana clariores, quales non ſunt, quæ habentur per illa adminicula quamuis ſimul ſumpta, quia hæc omnia non prætergrediuntur limites adminiculorum, & coniecturarũ. Accedit, quod *in d. c. literas de præſumpt.* requiruntur longè ſtrictiora, & concludentiora indicia, quam ſupra enumerata, ſcilicet inditia, quæ vix diſtant ab ipſa formali fornicatione, cuiuſmodi ſunt reperiri nudum cum nuda in eodem lecto cubantem, & in locis remotis, & horis electis.

5 Proponitur inſtantia, & diſſoluitur.

---

§. XXVIII.

An propria confeſſio vxoris inducat ſufficiens ius ad diuortium.

SVMMARIVM.

Exponitur facti ſeries. 1.
Modi, quibus poteſt fieri talis confeſſio. 2.
Si in literis amatorijs conſcriptis ab vxore amaſio fiat mentio de copula præterita, poteſt maritus in foro conſcientiæ ab illa diuertere. 3.
Non tamen, ſi in illis non fiat mentio de copula habita, ſed inuitetur ad illam. 4.
Poſita confeſſione per verba expreſſa poteſt maritus in conſcientia ab illa diuertere. 5.
Vt maritus poſſit in foro externo recedere requiritur vxoris confeſſio legitima. 6.

Diſ-

1 *Factum in ſuis termi nis expoſitum.*

DIſquiſitio XXVIII. Incidentèr, vel fortè etiam conſulto vxor Caij confeſſa eſt, vel dixit ſe adulterium commiſiſſe cum Theodorico. Hac motus notitia vtpotè procedente ex ore proprio eiuſdem vxoris contendebat Caius eandem per diuortium dimittere. Quæſitum hic fuit quid iuris, an illa ſcilicet confeſſio ſufficiens eſſet ad inducendam certitudinem ſufficientem ad diuortium, an non?

2 *Modi, quibus poteſt fieri talis confeſſio.*

Hæc vxoris confeſſio multis modis poteſt haberi, vel per literas ſcriptas ab eadem vxore amaſio, quatenus in eiſdem fiat mentio de adulterio præterito, vel fortè fuerit inuitatur idem Amaſius ad concumbendum cum ipſa in certo, & determinato loco pro certo tempore, pro quo ſciatur eundem Amaſium ibi affuiſſe, vel per verba expreſſa, qua eadem vxor cum altero alloquens fornicationem illam manifeſtauerit, & maritus illinc incidentèr tranſiens audiuerit; vel per verba expreſſa in collocutione cum eodem marito, vel tandem in iuditio.

3 *Si in literis fiat mentio de copula præterita, poteſt maritus ab vxore diuertere.*

Reſpondeo primo; Si in literis amatorijs conſcriptis ab eadem vxore Amaſio, & repertis ab eodem marito, ſeu interceptis fiat expreſſa mentio de concubitu præterito cum eodem Amaſio loquendo in foro interno animæ habet maritus ſufficiens ius diuertendi ab eadem vxore *Menochius de præſumpt. lib. 6. præſumpt. 41. in fine*, quod à fortiori ſuſtinere debent *Pariſius conſ. 54. in fin. vol. 4.*, *Maſcardus de probat. concl. 64. n. 10. in fine*, dum volunt, quod ex literis amatorijs preciſè conſcriptis ab vxore Amaſio deducatur ſufficiens certitudo, quod tamen ex dictis in præcedenti diſquiſitione non eſt aſſerendum. Ratio ex eo deducitur, quia huiuſmodi confeſſio vxoris, ſeu manifeſtatio criminis in illis ſcriptis quantum pertinet ad formandum prudens, & firmum iuditium priuatum pro foro interno ſufficiens eſt, nec maior haberi poteſt excepta rei euidentia, quia nulla maior eſt probatio, quam quæ procedit ex ore proprio delinquentis, ergo non eſt, cur in foro interno non poſſit vti illa notitia tanquam certa, ſeu præferente certitudinem ſufficientem ad diuortium.

Rationes pro reſponſione.

4 *Non tamen, ſi in illis non fiat mentio de copula habita, ſed tantum inuitetur amaſius ad copulam.*

Reſpondeo ſecundo; Si in literis illis non fiat propriè mentio de adulterio præterito, ſed fuerit inuitatus Amaſius ab eadem vxore ad concumbendum cum ipſa in determinato loco, & tempore, nec tamen certo aliundè conſtet de illo concubitu ſecuto, non poteſt maritus, nec in foro interno recedere per diuortium ab vxore *Menochius loc. cit.*, & eidem videtur adhærere *Sanchez de matrim. lib. 10. de diuort. diſp. 12. nu. 48.* Ratio ex eo deducitur, quia illa interpellatio, & inuitatio Amaſij ad certum locum etiam ad effectum concumbendi cum eadem vxore eſt quidem certa probatio congreſſus habendi, non autem congreſſus habiti. Quomodo autem concludentèr euincitur acceſſus Amaſij ad talem locũ? quomodo congreſſus eiuſdem cum eadem vxore? Certè ex præactis ex eo, quod inueniatur ſolus cum ſola in loco remoto, & abdito, non benè arguitur actuale adulterium, quomodo autem poteſt concludentèr argui ex eo præciſè, quod Amaſius ad locum conuentum inuitatus acceſſerit? Quod, ſi ſupponas, quod aliundè euidentèr, ſeu concludentèr conſtet de acceſſu amaſij ad illum determinatum locum pro tempore conuento, quamuis hinc habeatur fortior ratio ſuſpicandi de adulterio, ratio tamen certa illud euincens non habetur; numquid enim non potuit contingere, quod ab actu fornicario fuerint impediti? quod alios actus impudicos habuerint, non tamen conſummauerint?

Rationes pro reſponſione.

5 *Si per verba expreſſa vxor manifeſtauit adulteriũ, maritus in foro interno poteſt ab illa diuertere.*

Reſpondeo tertio; Si per verba expreſſa eiuſdemmet vxoris innotuerit marito, vel incidentèr, vel fortè etiam in collocutione cum ipſo, quod eadem fuerit cum amaſio adulterata poteſt maritus ipſe in foro conſcientiæ ab eadem diuertere. Conſentit cum ijs, quæ dicta ſunt in prima reſponſione; non enim minorem vim habent verba expreſſa prolata ab eadem vxore ad inducendam certitudinem adulterij ab eadem commiſſi, ac habeant literæ ab ipſa cõſcriptæ, in quibus fit mentio de adulterio patrato, quãdoquidem literæ equè, ac verba ſunt manifeſtatiua conceptuum, & actionum exercitarum; vndè in hoc vim habet commune effatum, quo dicitur, quod nulla fortior probatio criminis, quam illa, quæ procedit ex ore delinquentis, potiſſimum, ſi non fuerit per vim extorta. Sic videtur ſentire *Menochius de præſumpt. lib. 6. præſumpt. 41.* Hæc tamen, quæ hic dicta ſunt, intelligenda ſunt, niſi vxor iocosè illud crimen fuerit confeſſa, quia tunc ad iocum dictum illud cenſendum eſt, non ad veritatem.

6 *Vt maritus poſſit in foro externo recedere, requiritur confeſſio legitima.*

Reſpondeo quarto; Ad hoc, vt maritus in foro externo poſſit tutè recedere ab vxore, adeo vt non poſſit compelli ad redeundum, non ſufficit confeſſio vxoris quomodocunque facta, ſed requiritur, quod ſit legitima, ideſt liberè facta, & in iuditio *Abbas c. quam ſit graue n. 2. de exceſ. prælat.*, *Maſcardus de probat. concl. 350. nu. 1., & ſeqq.*, *Gloſa in c. penult. verb. confeſſionem, & ibi Hoſtienſis n. 1.*, *Sanchez de matri-*

Digitized by Google

matrimon. lib. 10. de diuort. diſp. 12. nu. 48., & 49. Expreſsè deducitur *ex d. c. penult. de adult.*, vbi hæc verba leguntur. *Mandamus, niſi quatenus tibi conſtiterit, vel per euidentiam rei, vel per confeſſionem legitimam vxoris, quod adulterata ſpontè fuiſſet, ipſum recipere compellas eandem.* Nota illam particulam, *legitimam*, quæ exigit confeſſionem non extraiuditialem, aut quomodocunque habitam, ſed factam in iuditio, prout notat *Gloſa in c. 1. verb. patronus 32. q. 1.*

---

§. XXIX.

An ſufficiat confeſſio vxoris de adulterio à ſe commiſſo quando illa confeſſio cedit in præiuditium profeſſionis.

SVMMARIVM.

Status diſquiſitionis expoſitus. 1.
Sententia aſſerens talem confeſſionem ſufficientem eſſe etiam contra profeſſionem. 2.
Sententia negans prodeſſe contra profeſſioné. 3.
Facta legitimè ante profeſſionem ſufficiens eſt, non ſic facta poſt profeſſionem. 4.

1 *Refertur caſus in particulari.* DIſquiſitio XXIX. Dictum fuit in præcedenti diſquiſitione confeſſionem propriam delinquentis ſufficientèr concludere pro adulterio ad effectum diſſolutionis per diuortium. An autem hæc etiam efficacitèr concludat, quando vergit in præiuditium profeſſionis id eſt, quod in præſenti controuertitur.

Vt autem ſtatus quæſtionis clarius intelligatur, efformo caſum in terminis particularibus. Contractis ritè nuptijs inter Caium, & Theodoricam, eiſdemq; conſummatis Caius adulterium commiſit, proptèr quod Theodorica ab eodem receſſit, & ſucceſſiuè ingreſſa eſt in Religionem; hoc tamen hic ſciendum eſt, quod etiam eadem Theodorica fuerat fornicata, licet Caius hoc ignoraret. Antequam eadem Theodorica profeſſionem emitteret palam confeſſa eſt propriam fornicationem. Cum ex præactis adulterij pro adulterio detur compenſatio, quæſitum hic fuit, an talis confeſſio facta à Theodorica propriæ fornicationis concludenter euinceret etiam in præiuditium profeſſionis, adeo vt Caius titulo compenſationis vigore eiuſdem poſſet eandem Theodoricam reuocare, & ſibi reconciliare?

Hoſtienſis *c. veniens n. 7. de conuerſ. coniug., & ibi Ioannes Andreas in fin., & Ancharanus, & Antonius ambo etiam in fine*, ſuſtinent illam confeſſionem ſufficientem eſſe ad inducendam certitudinem de adulterio etiam contra profeſſionem, adeo vt Caius in ſæculo permanens poſſit Theodoricam confeſſam, & iam profeſſam titulo compenſationis repetere, & ſibi reconciliare. Rationem deſumunt *ex c. penult. de raptor.* in quo deciditur, quod coniux profeſſa abſque licentia viri ſit eidem viro reſtituenda, non obſtante profeſſione, ſi fateatur ante ingreſſum conſummatum fuiſſe matrimonium cum eodem viro, vbi vides, quod confeſſio propria eiuſdem vxoris ſit ſufficiens ad inſtaurationem matrimonij, non obſtante, quod illa ſit in præiuditium profeſſionis, & Religionis, ergo etiam confeſſio propria vxoris ante profeſſionem de adulterio a ſe ipſa commiſſo ſufficiens erit ad inſtaurandum titulo compenſationis matrimonium diſſolutum ob adulterium alterius etiam contra profeſſionem emiſſam. Hinc *Gloſa in d. c. penult. de raptor. in verb. mulieris*, dicit in matrimonio carnali non ſtari confeſſioni mulieris in præiuditium eiuſdem matrimonij; benè vero in matrimonio ſpirituali conſiſtente in profeſſione Religioſa. 2 *Sententia aſſerens illam confeſſionem ſufficientè eſſe etiam contra profeſſionem.*

Alij è contra directè impugnantes hanc doctrinam negant in præiuditium profeſſionis ſtandum eſſe confeſſioni vxoris iam profeſſæ, & primo loquentes quoad matrimonium carnale dicunt, quod quando præcisè agitur de diuortio ratione adulterij, agatur ſolum de præiuditio adulteri, cum innocens poſſit liberè condonare iniuriam, & ſic cum agatur præcisè de intereſſe proprio ipſius adulteri, non eſt mirum, quod ſtari debeat ipſius confeſſioni; at vbi confeſſio coniugis, non ſolum ſtat contra ipſum, ſed etiam contra profeſſionem, & Monaſterium non eſt eidem credendum *arg. iuris in c. 1. de confeſſio*. Deindè dicunt, quod ad diſſoluendum matrimonium carnale non ſtatur confeſſioni coniugum, per textum *in c. ſuper eo, de eo, qui cognou. conſang.* Quid ergo in hac controuerſia concludendum? 3 *Sententia negans prodeſſe contra profeſſionem.*

Reſpondeo, quod, ſi illa confeſſio fuerit legitimè facta antecedentèr ad profeſſionem, & omnino ſpontaneè nulla cogente ratione ſufficiens ſit ad inducendam certitudinem aptam ad diuortium, ſi vero facta fuerit poſt profeſſionem nõ ſit ſecundum ſe ſufficiens, nec attendenda ſit. Pro prima parte ſtant DD. præallegati pro prima opinione, nempè *Hoſtienſis, Ancharanus, Antonius, & alij*. Pro ſecunda *Sanchez de matrim. lib. 10. de diuort. diſp. 12. n. 10., Abbas c. veniens in fin.* 4 *Facta legitimè ante profeſſioné ſufficiens eſt, non ſic facta poſt profeſſionem.*

de

Digitized by Google

de conuerſ. coniug. Ratio primæ partis ex eo deducitur, quia, quando illa confeſſio facta eſt legitimè in iuditio, & omnino ſpontaneè ante profeſſionem eſt præcisè contra ipſum confitentem, non contra profeſſionem, nec contra ius Religionis, quandoquidem in illo tempore nullum ius Religio, & Monaſterium acquiſierat, ergo non eſt, cur illa confeſſio non ſit attendenda, & cur eidem confitenti non ſit credendum, quandoquidem tota ratio, ob quam aduerſarij negant eidem omne credendum, conſiſtit in eo, quia illa confeſſio cederet in præiuditium tertij, nempè Monaſterij; Neq; dicas, quod quantumuis talis confeſſio elicita fuerit antè profeſſionem, nihilominus quoquo modo officiat eidem profeſſioni, ſiquidem ratione ipſius, quando emiſſa fuerit, eſt diſſoluenda; contra enim impugnaberis, quia cum ius, quod Monaſterium potuit acquirere ex illa profeſſione, fuerit ſubſequentèr ad eandem confeſsionem non poteſt vim illius diminuere, nec demere ius, quod maritus ex illa confeſsione acquiſiuit, & pro tempore, pro quo ipſe confitens ſolum ſibi ipſi poterat præiuditium inferre, & ſicuti, ſi tunc maritus, quando habita eſt illa confeſsio habita cognitione eiuſdem vxorem repetijſſet, validè repetijſſet, & illa confeſſio ſufficientem induxiſſet certitudinem ad hunc effectum, ita quantumuis poſtea habita tali notitia confeſsionis reuocare intendat poſt emiſſam profeſsionem validè reuocare cenſendus eſt, cum profeſsio non poſsit minuere vires eiuſdem confeſsionis. Ratio ſecundæ partis deſumitur ex ijs, quæ dicta ſunt pro ſecunda opinione, nempè cum talis confeſsio fuerit habita poſt profeſsionem emiſſam, non ſolum præiuditium inferat ipſi confitenti, ſed etiam Monaſterio, quod ius acquiſiuit ex illa profeſsione; quando autem confeſsio aliqua eſt in præiuditium tertij, confitenti non creditur, per textum *in d. c. 1. de confeſſis, & c. 1. in princ. 14. q. 2.*, & iuxta hunc ſenſum pariformitèr procedunt matrimonium carnale, & ſpirituale, nam ſicuti ad diſſoluendum matrimonium carnale, non ſtatur coniugum confeſsioni, per textum *in c. ſuper eo de eo, qui cogn. conſang.*, ita nec ad ſoluendum coniugium ſpirituale, & hoc ob illam rationem, quæ adducitur in eodem textu, quia ſi admitterentur huiuſmodi confeſsiones paſsim huiuſmodi coniugia diſſoluerentur; Ex quibus habes quomodo illæ opiniones inter ſe contrariæ poſsint adinuicem conciliari.

Rationes pro reſponſione,

Conciliatur opiniones cōtrariæ,

---

§. XXX.

An rationes, quibus inducitur violenta præſumptio de adulterio, ſufficientèr poſsint innoteſcere per teſtes, & quoſnam.

SVMMARIVM.

Status diſquiſitionis expoſitus. 1.
Si coniecturæ immediatè innotuerint innocenti in foro interno, poteſt hic propria auctoritate recedere. 2.
Sufficit, quod illa coniecturæ appareant perſonis fide dignis. 3.
Requiritur, quod tales teſtes ſint omni exceptione maiores. 4.

Diſquiſitio XXX. Enumeratæ fuerunt ſupra *ſub hoc eodem tit. Contractus XV de matrim. VI. pranot. 11. ſect. 3. aſſert. 3. ſub. dub. 1.* coniecturæ efficaces inducentes hanc ſuſpicionem violentam fornicationis alterius coniugis. Modo quæritur, an huiuſmodi coniecturæ debeant immediatè apparere coniugi innocenti, ad hoc vt poſsit diuertere, an verò ſufficiat, quod innotuerint teſtibus, qui concludentèr deponant, & quales debeant eſſe huiuſmodi teſtes? Vix aliquid circa hanc diſquiſitionem remanet addendum, cum fuerit plenè explanata *loco mox cit. aſſert. 4.* Nihilominus nonnulla ad pleniorem notitiam ſubdam. 1

Expoſitio diſquiſitionis.

Reſpondeo primo, quod, ſi illæ coniecturæ immediatè apparuerint coniugi innocenti, poſsit quantum ſpectat ad forum internum propria auctoritate diuertere. Conſonat cum ijs, quæ ſupra dicta ſunt; cum etenim iſtæ coniecturæ inducant violentam ſuſpicionem, & hæc ex ibi probatis ſufficientem inducat certitudinem ad diuertendum, per conſequens ſequitur, quod ſi innocens certus de alterius adulterio poteſt diuertere, poſſit etiam diuertere ex illa violenta ſuſpicione, cuius fundamentum ipſi immediatè appareat. 2

Si immediatè coniecturæ innoteſcant innocenti, poteſt hic ex ſe recedere.

Reſpondeo ſecundo; Non eſt neceſſe, quod ad inducendam illam violentam ſuſpicionem, quod illæ coniecturæ immediatè appareant alteri coniugi innocenti, cui ex illis competit ius diuertendi, ſed ſufficit, quod apparuerint teſtibus fide dignis, qui de illis deponāt, & teſtificent *Burſatus conſ. 435. nu. 39. vol. 4.*, *Sanchez de matrim. lib. 10. de diuort. diſp. 12. n. 51.* Ratio ex eo deducitur, quia in cæteris omnibus probationes per te- 3

Sufficit; quod illæ coniecturæ appareant teſtibus fide dignis.

ſtes

ſponſa, id eſt, quod controuertendum modo proponitur, & ſub varijs diſtinctionibus eſt diſcutiendum, pro quo

Reſpondeo primo; Si ob illud vitium ſponſalia illa contracta fuerint diſſoluta, ſponſus, ſeu ille, qui antecedentèr erat ſponſus huiuſmodi actus habuerit cum ea, quæ erat ſponſa, non intelligitur remittere illud vitium, nec renouare ſponſalia. Conſentit *Sanchez de matrimon. dub. 10. de diuortio diſp. 14. num. 24.* Nec difficilis eſt probatio huius reſponſionis, quādoquidem diſſolutis ſponſalibus ille, qui fuerat ſponſus, perindè ſe habet, ac ſi nunquam fuerit talis, ſed ſi alius, qui non fuerit ſponſus, habuerit huiuſmodi actus cum fæmina, non intelligitur per illos ſponſalia cum illa inire, ergo neque ille, qui fuit talis, & diſſolutis ſponſalibus conſtitutus eſt non talis, per huiuſmodi actus poſtea habitos intelligetur ſponſalia iam diſſoluta renouare; quandoquidem tantum requiritur ad renouanda ſponſalia iam diſſoluta, quantum requiritur ad eadem primo contrahenda; Neque dicas, quod ſi maritus ob adulterium vxoris celebrarit diuortium etiam interpoſita Eccleſiæ ſententia, & poſtea huiuſmodi actus habuerit, intelligatur remittere idem matrimonium, & renouare ius ad actus coniugales, ergo etiam, ſi ſponſus ob vitium ſponſæ poſtea cognitum diſſoluerit ſponſalia, & poſtea huiuſmodi actus cum eadem habuerit, intelligetur vitium illud remittere, & renouare ſponſalia; contra enim impugnaberis, quia diſpar omnino eſt ratio, nām celebrato diuortio inter coniuges de præſenti adhuc remanet illæſum vinculum coniugale; diſſolutis vero ſponſalibus nullum vinculum remanet inter ſponſos, quinimmo, nec ipſi ſunt tales, ſicuti ſunt coniuges maritus, & vxor, nō obſtante celebratione diuortij; vndè mirum non eſt, quod per huiuſmodi actus, qui ſunt amicitiæ, & beneuolentiæ ſigna inter coniuges, inſtauretur coniugium quoad huiuſmodi actus, quod in ſubſtantia adhuc perſiſtebat, non vero innouentur ſponſalia, cum nullum eorum veſtigium perſeueraret.

3 Si ſponſalia fuerint diſſoluta per illos actus ſubſequentes non intelligitur remittere.

Rationes pro reſpōſione, & ſolutiones obiectorū

1

Reſpondeo ſecundo; Non diſſolutis adhuc ſponſalibus, ſi ſponſus memor illius vitij vxoris huiuſmodi actus cum eadem habuerit, nec habuerit expreſſum animum non condonandi, tàm in foro interno, quàm in externo intelligitur remittere illud vitium, & cedere iuri ad diſſolutionem. Conſentit etiam idem *Sanchez loc. cit.* Ratio ex eo deducitur, quia per huiuſmodi actus, quando coniux innocens eſt memor adulterij vxoris intelligitur inter eoſdem facta remiſſio; & inſtauratio matrimonij quoad vſum coniugalem, & quoad omnia per ea, quę latè ſunt ſuperius probata, ergo etiā per tales actus, ſi ſponſus fuerit vitij ſponſæ memor intelligetur vitium illud remittere, & cedere iuri ſuo ad diſſolutionem ſponſalium. Conſequentia probatur, tum quia ſicuti in præcedenti caſu diuortij ob adulterium remanet vinculum coniugale, ob quod illi actus ſunt conciliatiui, qui ſunt inter coniuges, ita in hoc caſu remanet adhuc vinculum ſponſalium, vndè illi actus familiares intelligūtur remiſſiui illius vitij, cum verè ſint inter ſponſos; tum quia nulla maior videtur eſſe iniuria, quam illa, quæ infertur marito per adulterium, & tamen hæc per illos actus remittitur, ergo etiam per illos actus intelligetur remiſſum vitium aliquod, ſi quod in ſponſa de futuro fuerit deprehenſum.

4 Non diſſolutis ſponſalibus ſponſus memor illius vitij per illos actus intelligitur remittere.

Rationes pro reſpōſione.

Reſpondeo tertio; Si adhuc non diſſolutis ſponſalibus maritus immemor illius vitij huiuſmodi actus habuerit cum ſponſa, non intelligitur remittere illud vitium, nec cedere iuri ſuo in ordine ad eorundem ſponſalium diſſolutionem. Ratio ex eo deducitur, quia nemo ignorans ſupponitur cedere iuri ſuo *l. maniſeſtiſſimi in princip. vers. ſin autem C. de furt. l. fin. C. de condit. indeb.*, & actus agentium non operantur vltra eorum intentionem *l. non omnis ff. ſi cert. pet.* non poteſt autem haberi intentio, vbi adeſt ignorantia. Quamuis autem huiuſmodi textus procedant dumtaxat, quando cedens, & remittens eſt ignorans, pari tamen paſſu videntur procedere, quando eſt immemor, cum negatio memoriæ computetur pro ignorantia. Hæc procedunt quoad forum internum. Quid autem ſentiendum ſit quoad forum externum?

5 Si immemor illius vitij actus illos habuerit nō intelligitur remittere.

Reſpondeo quarto; Si immemor illius vitij vxoris huiuſmodi actus cum illa exerceat, nec de tali negatione memoriæ conſtet, probabilius præſumendum eſt pro remiſſione, & pro ceſſione iuris ad diſſoluenda ſponſalia. Ratio eſt, quia ſuppoſita tali notitia vitij præcedenti, cum agatur de ijs, quæ pertinent ad proprium ſtatum, & conditionem ſponſi, vix poteſt præſumi de negatione memorię, cæteroqui omnes contractus corruerent; omniaque humana commertia, ſi neganti ſe habuiſſe memoriam eorum, quæ pertinent ad ipſius ſtatum, eſset credendum.

6 Si nō conſtet de negatione memoriæ præſumēdum eſt pro remiſſione.

Reſpondeo quinto; Si ſponſus non diſsolutis ſponſalibus prædictos actos elicuerit erga ſponſam laborantem vitio, propter quod poſset ſponſalia diſsoluere

ſine

ſine animo remittendi, ſeu cedendi iuribus ſuis in ordine ad diſſolutionem eorundem ſponſalium poſset in foro interno adhuc eadem diſſoluere; Non ſic verò

7 *Si illos actus exercuerit ſine animo remittendi, poteſt ſpõſalia diſſoluere in foro interno, nõ ſic in externo.*

in foro externo. Ratio primæ partis eſt, quia remiſſio, & condonatio eſt actus liberæ voluntatis condonantis, & totam vim accipit ab eadem volũtate, ſiquidem hæc remiſſio eſt ſpecies quædam donationis, ergo, vbi re vera non eſt animus condonandi, non poteſt eſse valida condonatio, & remiſſio deficiente forma ſubſtantiali, per quam valida conſtituitur eadem condonatio, & remiſſio. Ratio ſecundæ partis ex eo deducitur, quia ſecundum communem acceptionem actiones illæ, vbi quid diuerſum non conſtet, ſunt ſecundum ſe coniunctæ cum illa remiſſione, & condonatione, & regularitèr accipiuntur pro eiſdem, ergo in foro externo perindè obligabunt, ac ſi eſsẽt poſitæ cum vero animo condonandi; nec obeſse poteſt, quod defuerit animus condonandi; Non, inquam, obeſse poteſt, quia in foro externo non attenditur præcisè animus, ſed præſumptiones, quibus ille animus infertur, cæteroqui eſset in opinione operantis reſcindendi quoſcunque contractus, aſserendo ſe non habuiſse animum opus illud peragendi, vel ineundi illos contractus.

Quid vero ſentiendum ſit, ſi ſponſus non diſſolutis illis ſponſalibus actus illos exercuerit, nec cum poſitiuo animo remittendi illud vitium, ſeu cedendi iuri

8 *Si nec cũ animo remittendi, nec cum animo nõ remittendi intelligitur remittere.*

ſuo in ordine ad diſſolutionem ſponſalium, nec cum animo poſitiuo non remittendi, nec cedendi; tunc dico intelligi factam remiſſionem. Conſonat cum iis, quæ dicta ſunt ſupra, dum de tacita condonatione adulterij in ordine ad diuortium; ſi etenim adulterium ipſum remittitur, quod importat enormem iniuriam per huiuſmodi actus cum animo illo indiferenti, non video, cur per illos non debeat intelligi remiſsum vitium cum eodem animo.

---

§. XXV.

An maritus ſatisfaciat oneri dimittendi vxorem pertinacem in adulterio, ſi illi neget debitum coniugale, retineat tamen tanquam ſororem.

SVMMARIVM.

Factum expoſitum in ſuis terminis. 1.
Sententia aſſerens maritum denegando debitum præcisè ſatisfacere oneri. 2.
Regularitèr loquendo non ſatisfacit. 3.
Soluuntur rationes oppoſitæ ſententiæ. 4.

DIſquiſitio XXV. Ex duplici potiſſimum capite docuimus in præcedentibus teneri maritum innocentem dimittere vxorem adulteram, & pertinacem in adulterio; primo ſcilicet ratione ſcandali vitandi, ne maritus non dimittens cenſeatur conniuens adulterio vxoris; Secundo ratione correctionis fraternæ, vt illo deſtituta conſortio reſcipiſcat. Hoc ſuppoſito Caius, vt huic oneri ſatisfaceret dimiſit quidem vxorem quoad effectum coniugalis copulæ, aliorumque obſequiorum, quæ ſunt propria coniugum, ſed eandem admittebat tanquam ſororem. Quæſitum hic fuit, an tali oneri ſatisfecerit.

1 *Exponitur facti ſeries.*

Cardinalis *in c. ſi vir in princip. de adult.*, *& ibi Antonius num.* 3. ſuſtinent maritum vtique ſatisfeciſse tali oneri, quos arbitror his rationibus moueri; primo tunc verè non habet, vt ſuam vxorem, nec ius aliquod prohibet, quod tanquam ſoror detineatur. Secundo, quia, ſi agatur ratione, ſeu titulo correctionis fraternæ per negationem thori, aliorumq; obſequiorum coniugalium, videtur ſufficientèr corripi, & ſi ob hoc non reſcipuerit, nec reſcipiet ex totali dimiſſione. Tertio, ſi agatur ratione ſcandali, cum cauerit eo medio dimiſſionis quoad ea, quæ ſunt propria vxoris, alijſque, quibus poterit, non erit ſcandalum actiuum, ſed paſſiuũ, & ſic non tribuetur culpæ viri non expellentis, vt videtur innuere in ſimilibus *Silueſter verb. debitum q.* 10., *Armilla verb. matrimonium n.* 75., quæ maximè verã erunt, ſi maritus acritèr vxorem ipſam increpabit, & modo licito puniet, ita vt vicini merito intelligant eum minimè aſsentiri adulterio, quin potius ægerrimè ferre, & item, ſi maritus vicinos moneat ſe non retinere, vt eius crimen foueat, ſed vt ſibi conſulat, vel ne illa proſtituatur, & peior euadat. Nihilominus

2 *Sententia aſſerens maritum denegãdo debitum ſatisfacere oneri.*

Rationes pro hac opinione.

Reſpondeo regularitèr loquendo non ſufficientèr ſatisfacere. *Sanchez de matrim. lib.* 10. *de diuort. diſp.* 13. *n.* 13. Ratio ex eo deducitur, quia adæquata ratio oneris, quo tenetur maritus ad dimittendam vxorem pertinacem in adulterio, eſt titulus vitandi ſcandali, & correctionis fraternæ, vt ſupra, ſed per illam dimiſſionem ſub formali titulo vxoris, & retentionem ſub ratione ſororis non ſatisfacit huic rationi, non titulo ſcandali vitandi quandoquidem primo, quod retineat, vt ſororem, non vt vxorem non omnibus conſtat, ſicuti omnibus conſtat pertina-

3 *Regularitèr loquẽdo non ſatisfacit.*

Digitized by Google

tia eiuſdem vxoris in adulterio. Secundo, quia non vitatur ſcandalum retinendo, vt ſororem, eidemque præſtando obſequia, quæ præſtat frater in ſororem, ſiquidem hoc etiam videtur fouere adulterium, & conſeruare quandam amicitiæ ſpeciem; non titulo correctionis fraternę, quandoquidem ad hunc titulum pertinet non ſolum adhibere pias monitiones, ſalutaria documenta, territamenta gehennæ, ſed, vbi obſiſtit peruicacia, omnia alia media poſsibilia, & ſi iuxta ſuperius dicta deueniendum eſt ad dimiſſionem, non video, cur hæc non debeat eſſe adæquata etiam quoad habitationem, cum ex illa ſocietate tanquam fraterna poſsit, & vxor adultera firmari in ſua peruicacia.

Rationes pro reſpõſione.

4 Soluuntur rationes oppoſitæ ſententiæ.

Ad rationes contrarias ſic reſpondeo; & quidem ad primum dic iura naturalia vetantia conſortium cum vxore peruicaci in adulterio, cum reſpiciat, vel correctionem fraternam, vel ſcandalum vitandum, non ſolum reſpicere negationem thori, ſed etiam cuiuſcunque habitationis, quod non poteſt compati cum detentione eiuſdem vxoris titulo ſocietatis fraternæ. Ad ſecundum dic, correctionem fraternam in ſimilibus caſibus non reſpicere ſolummodo pia monita, ſalutaria documenta, propoſitionem gehennæ, ſed etiam quæcunque media, quæ licitè poſſint remouere vxorem ab illa peruicacia, & à peccatis, adeoque non ſolum à ſubtractione à thoro, ſed etiam à quacunque habitatione; & facilius poteſt moueri vxor à recedendo ab adulterijs ex eo, quod ſe deſtitutam videat omnibus auxilijs, quam ſi deſtitueretur ſolummodo aliquibus, puta à thoro &c. Ad tertium dic abſolutè, quod, cum adulterium vxoris, & peruicacia in eodem ſint notoria, non ſufficientèr euitetur ſcandalum per ſolam dimiſsionem à thoro, & retentionem eiuſdem non tanquam vxoris, ſed veluti ſororis, quandoquidem de hoc non poteſt facilè conſtare, & quantumuis etiam conſtaret, non videtur ſufficiens ad vitandum ſcandalum, cum per illam ſocietatem fraternam videatur adhuc fouere beneuolentiam, ex quo poteſt deduci, quod delictis vxoris conniueat, dum non obſtantibus illis delictis vitam habet cum eadem familiarem, & ſe gerat cum illa tanquam frater cum ſorore.

✠✠✠
✠✠

§. XXVI.

An nullo exiſtente ſcandalo ob ſolam prolis incertitudinem teneatur maritus vxorem peruicacem in adulterio dimittere.

SVMMARIVM.

In quo ſita ſit ratio diſquiſitionis. 1.
Sententia aſſerens teneri dimittere. 2.
Ex hoc capite non tenetur ſub onere grauis peccati dimittere. 3.
Soluuntur rationes oppoſitæ ſententiæ. 4.

1 Facti ſeries expoſita.

DIſquiſitio XXVI. Peruicax erat vxor Caij in adulterio cum quodam Drudo, quem anxiè diligebat, & ſæpius admonita, vt reſcipiſceret, nunquam à propoſito fornicandi potuit dimoueri. Peruicacia illa ſcandalum non ingerebat, cum non eſset notoria. In hac hypotheſi maritũ poſse recedere ab vxore, ſeu eam dimittere certò certius eſt, cum ipſe maritus non ſolum ſit certus de adulterio, ſed etiam conſcius de peruicacia. Vtrum verò teneatur dimittere, ſi non ad euitandum ſcandalum, cum nullum adeſse ſupponatur, ſaltem ad euitandam incertitudinem prolis, id eſt, quod in præſenti controuertendum proponitur?

2 Sententia aſserens teneri dimittere.

Petrus *de Ledeſma de matrim. q. 62. art. 2. concl. 2.* expreſsè ſuſtinet etiam in hac hypotheſi teneri maritum, vel ab eadem vxore recedere, vel ipſam dimittere, ne præiuditium inferat alijs filijs, ſi quos habuerit ſupponendo cum illis filium, qui fortè non eſt ſuus, & ex matrimonio, ſed alterius, & ex concubitu fornicario, & eundem conſtituendo cohæredem ratione ſanguinis, cum talis non ſit, quod certè infert neceſsitatem non cohabitandi cum eadem, vt ſpurius à legitimis ſecernatur. Nihilominus

3 Ex hoc capite nõ tenetur ſub onere graui dimittere.

Reſpondeo ex hoc capite, non teneri ſub onere grauis peccati ab eadem vxore recedere, vel ipſam à ſe dimittere. *Sanchez de matrim. lib. 10. de diuortio diſp. 13. n. 12.* Ratio ex eo deducitur primo, quia nullibi in iure decernitur, quod ex hoc capite maritus ſub onere grauis peccati, teneatur vxorem à ſe ipſo dimittere, nec DD. antiqui vllum verbum de hoc fecerunt, ſed dumtaxat meminerunt de titulo ſcandali vitandi, vel correctionis fraternæ faciendæ, ergo nec nos debemus tale onus inducere. Secundo, quia hic titulus reſpicit dumtaxat damna temporalia,

ralia, quæ filijs legitimis poſſunt obue-
nire in ſupputatione alterius, qui fortè
Rationes pro reſpõſione. poſſet non eſſe legitimus, ſed ob hæc damna temporalia, quæ tamen non ſunt certa, & poſſunt non eſſe talia, non tenetur maritus vti medio adeo acerbo, ex quo fortaſſe non poteſt eſſe ſpes emendationis, quod potiſsimum ex eo deduci poteſt, quod alij tituli, ex quibus ex communi DD. conſenſu oritur tale onus dimiſsionis reſpiciant bona præcisè ſpiritualia puta vitationem ſcãdali, & correctionem fraternam, quæ ſunt in ordine ad vitanda damna ſpiritualia, vel in ipſis coniugibus, vel in alijs, ergo &c. tertio, quia ea incertitudo prolis nõ poſſet tribui culpæ mariti, cum ipſe ſupponatur renuiſſe, & media ſuauia adhibuiſſe ad hanc incertitudinem vitandam curando, vt vxor ab illo concubitu fornicario deſiſteret.

Quamobrem ad ea, quæ ex *Petro de Ledeſma loc. cit.* afferebantur, dicendum eſt,
4 Soluuntur rationes oppoſitæ ſententiæ. quod, quantumuis illud periculum incertitudinis prolis, poſſit in hac hypotheſi ſubeſſe, non propterea tale ſit, vt inducat obligationem ſub graui noxa marito innocenti vxorem peruicacem dimittendi propter rationes mox adductas, & ſicuti ipſe non eſt priuandus iure, quo gaudet congrediendi cum vxore ob damna aliqua, quæ poſsint obuenire, vel proli ſuſcipiendæ ex eo, quod præuideatur, quod ex illo concubitu debeat oriri infecta, vel proli iam ſuſceptæ ob minorem eius curam, vel ob alia ita &c. vndè ob damnum prolis, ſeu filiorum, non debet tale onus ſubire.

---

§. XXVII.

An ſi quis glorietur ſe concubuiſſe cum vxore alterius, acquirat maritus ſufficiens ius diuertendi ab eadem vxore.

SVMMARIVM.

Diſquiſitionis ſtatus exponitur. 1.
Ex illa ſola iactantia non acquirit maritus ius ad diuortium. 2.
Intellige, niſi ſit ſuffulta alijs adminiculis. 3.
Si adminicula non ſint violenta, non inducunt ius ad diuortium. 4.
Inſtantia contraria diſſoluitur. 5.

1 Diſquiſitionis titulus expoſitus. DIſquiſitio XXVII. Dictum eſt in præcedentibus, quod ad hoc, vt coniux innocens poſsit diuertere ab adultero requiratur pro foro interno, quod ipſe innocens habeat moralem ſaltem certitudinem de delicto alterius, & pro foro externo, quod delictum ipſum, vel ſit notorium notorietate tali, vt nulla valeat tragiuerſatione cęlari, vel quod per ſententiam Iudicis fuerit declaratum. His tanquam certis ſuppoſitis quidam Eques palam gloriabatur ſe cum vxore Fabij concubuiſſe, cuius gloriationis nõ erat inſcius idem Fabius. Quæſitum hic fuit, an Fabius ex illa iactantia illius equitis tale, ac tantum ius quoad notitiam acquiſierit, vt poſſit legitimè ab vxore diuertere.

Hæc difficultas ſic nudè propoſita ſecundum duplicem ſenſum poteſt examinari; vel etenim illa iactantia nullis eſt ſuffulta adminiculis comprobantibus, Duplex ſenſus tituli. ſed præcisè innititur dicterijs eiuſdem gloriantis nullo alio ſigno apparente, vel ſuffulta eſt alijs non leuibus inditijs, puta maxima familiaritate eiuſdem equitis cum eadem vxore, frequenti comitatu, & crebris obſequijs, xenijs eidem vxori miſsis ab ipſo equite, & literis amatorijs, vel ex parte eiuſdem vxoris correſpondentis, vel ex parte vtriuſque; vndè

Reſpondeo primo; Ex illa ſola equitis iactantia, ſi alijs non fuerit ſuffulta adminiculis comprobantibus non acquirit maritus ius ſufficiens ad diuortium 2 Ex illa ſola equitis iactantia, non acquirit maritus ius ad diuortiũ. cum vxore *Abbas in c. quam ſit graue nu. 2. not. vlt. de exceſ. prælat., Caieta repet. c. ad limina 30. q. 1. §. 4. num. 250., Sanchez de matrim. lib. 10. diſp. 12. num. 48.* Ratio ex eo deducitur, quia non valet confeſsio extraiuditialis in alterius præiuditium, per textum *in c. 1. de confeſ. c. ſignificaſti de adult., & l. fin. C. de accuſ.*, quod, ſi dixeris hæc valere, quando agitur in foro contentioſo, in quo confeſsiones extraiuditiales alteri pernicioſę non admittuntur, Confeſſio extraiudicialis in alterius præiuditium non tenet. non autem in iuditio priuato, & quoad forum internum animæ, in quo parere poteſt certitudinem, quæ ſufficiens eſt, vt innocens poſsit propria auctoritate ab adultero recedere per ea, quæ ſupra latè probauimus; ſtatim impugnaberis, quia etiam in iuditio priuato, & pro foro conſcientiæ dictum vnius maximè, ſi fuerit gloriabundum, & cum iactantia non inducit ſufficientèr certitudinem, qualis requiritur ad opus adeo alteri iniurioſum, & pernitioſum, cuiuſmodi eſt diuortium, & licet ſuperius dictum fuerit, quod non eſt neceſſe, quod talis certitudo ſit metaphyſica, ſed ſufficiat moralis, talis tamen debet eſſe, vt inducatur per coniecturas, & per rationes, quæ ſint ad hunc effectum, vel à natura, vel à lege receptæ *Gloſa in l. abſentem verb. damnum ff. de pœnis*; ius autem, nec naturæ, nec poſiti-

poſitiuum recipit dictum vnius gloriantis tanquam ſufficiens ad certitudinem adulterij alterius. Si autem inquiras, quænam ſint coniecturæ, & rationes, quæ recipiantur à iure, tanquam inducentes ſufficientem certitudinem ad hunc effectum, tunc dicam potiſſimum contineri *in c. literis de præſumpt.*, vbi ſic habetur *ſolum cum ſola, nudum cum nuda in eodem lecto iacentem viderunt multis locis ſecretis, & latebris ad hoc commodis, & horis electis. Reſpondemus, quod ex huiuſmodi violenta &c.* quem textum latè ſupra explicuimus. Quod autem ad hoc non ſufficiat dictum alterius gloriantis videtur deduci *ex c. penult. de adulter.*, vbi ſic legitur *Mandamus, quatenus, niſi ſibi conſtiterit, vel per euidentiam rei, vel per confeſſionem legitimam mulieris, quod adulterata ſpontè fuiſſet, ipſum recipere compellas eandem*, vbi vides, quod Pontifex requirat, vel euidentiam rei, vel legitimam eiuſdem vxoris confeſſionem, ex quo fas erit deducere, quod dictum alterius maximè gloriantis non ſit ſufficiens.

3 **Intellige, niſi ſit ſuffulta alijs adminiculis.**

Aſſignantur adminicula, quæ ad hoc poſſunt conferre.

Reſpondeo ſecundo; Si iactantia illius equitis fuerit ſuffulta alijs adminiculis, de quibus ſupra, regularitèr etiam ex illa maritus non acquirit ius ſufficiens ad diuortium *Sanchez de matrim. lib. 10. d. diſp. 12. nu. 48., Henriquez lib. 11. de matrim. c. 17. nu. 2., & ſeqq.* Ratio ex eo deducitur, quia nec illa equitis iactantia ſecundum ſe, nec illa adminicula inducunt ſufficientem certitudinem ad diuortium; non illa iactantia ſecundum ſe, prout probatum eſt in præcedenti reſponſione; non illa adminicula, quia, vel illa conſiſtunt in comitatu, vel crebris obſequijs, vel in verbis amatorijs, vel in xenijs ab eodem equite miſſis eidem vxori, vel in oſculis, & amplexibus, vel in literis amatorijs, ſed per nullum ex ijs poteſt induci certitudo talis, qualis ſufficiat ad diuortium, non primo in comitatu, & crebris obſequijs, quia hæc poſſunt coniungi cum alio fine, vel etiam, ſi ordinarentur ad illum effectum fornicationis, ad ſummum inferrent ſollicitationem eiuſdem vxoris, non autem actum eiuſdem, quod concludentèr videtur euinci *ex l. 1 ff. de extraord. crimin., & c. ſollicitatores de pænit. diſt. 1.* vbi aduerſus ſollicitatores alienæ vxoris imponitur pæna extraordinaria, quæ malè imponeretur, ſi indè concluderetur adulterium; atque hoc adeo firmum eſt in iure, vt Gloſa *in d. l. 1. verb. proptèr voluntatem ff. de extraord. crim.* extendat etiam, ſi colloquia, & baſia interuenerint; Non ſecundo in verbis amatorijs, quia ſi baſia cum colloquijs non ſufficiunt ad inducendam hanc certitudinem, multò minùs ſimplicia verba amatoria; Non in xenijs ab eodem equite vxori miſſis, quia hæc etiam ſunt minora indicia amplexibus, & oſculis; non tandem in literis amatorijs, quantumuis fuerint mutuæ, nam iſtæ non habent maiorem vim, & efficaciam, quam habeant verba ſimilia præſentialitèr prolata; Deindè hæ literæ ſicut, & verba indicant præparationem, & diſpoſitionem, non effectum ipſum.

4 **Si adminicula non ſint violenta non inducunt ius ad diuortium.**

Neque dicas hæc quidem verificari, quando ſecundum ſe præcisè ſumuntur, ſecus autem quando coniunguntur ſimul cum illa iactantia, quia tunc hæc omnia ſimul ab inuicem vires ſumunt, & plura ſeparatim ſumpta nihil concludunt, quę ſumpta ſimul plenam vim habent ad cõcludendum; contra enim impugnaberis, quia licet ſimul coniuncta maiorem habeant efficaciam ad concludendum, quam ſi ſeorſim acciperentur, non videntur tamen plenam vim habere ad inducendam plenam certitudinem requiſitam ad pænam reſpectu adulteri ordinariam diuortij, quandoquidem in pænalibus quoad pænas ordinarias requiruntur probationes luce meridiana clariores, quales non ſunt, quæ habentur per illa adminicula quamuis ſimul ſumpta, quia hæc omnia non prætergrediuntur limites adminiculorum, & coniecturarũ. Accedit, quod *in d. c. literas de præſumpt.* requiruntur longè ſtrictiora, & concludentiora indicia, quam ſupra enumerata, ſcilicet inditia, quæ vix diſtant ab ipſa formali fornicatione, cuiuſmodi ſunt reperiri nudum cum nuda in eodem lecto cubantem, & in locis remotis, & horis electis.

5 **Proponitur inſtantia, & diſſoluitur.**

---

§. XXVIII.

An propria confeſſio vxoris inducat ſufficiens ius ad diuortium.

SVMMARIVM.

Exponitur facti ſeries. 1.
Modi, quibus poteſt fieri talis confeſſio. 2.
Si in literis amatorijs conſcriptis ab vxore amaſio fiat mentio de copula præterita, poteſt maritus in foro conſcientiæ ab illa diuertere. 3.
Non tamen, ſi in illis non fiat mentio de copula habita, ſed inuitetur ad illam. 4.
Poſita confeſſione per verba expreſſa poteſt maritus in conſcientia ab illa diuertere. 5.
Vt maritus poſſit in foro externo recedere requiritur vxoris confeſſio legitima. 6.

Diſ-

Digitized by Google

1 Factum in ſuis terminis expoſitum.

DIſquiſitio XXVIII. Incidentèr, vel fortè etiam conſulto vxor Caij confeſſa eſt, vel dixit ſe adulterium commiſiſſe cum Theodorico. Hac motus notitia vtpotè procedente ex ore proprio eiuſdem vxoris contendebat Caius eandem per diuortium dimittere. Quæſitum hic fuit quid iuris, an illa ſcilicet confeſſio ſufficiens eſſet ad inducendam certitudinem ſufficientem ad diuortium, an non?

2 Modi, quibus poteſt fieri talis confeſſio.

Hæc vxoris confeſſio multis modis poteſt haberi, vel per literas ſcriptas ab eadem vxore amaſio, quatenus in eiſdem fiat mentio de adulterio præterito, vel fortè fuerit inuitatur idem Amaſius ad concumbendum cum ipſa in certo, & determinato loco pro certo tempore, pro quo ſciatur eundem Amaſium ibi affuiſſe, vel per verba expreſſa, qua eadem vxor cum altero alloquens fornicationem illam manifeſtauerit, & maritus illinc incidentèr tranſiens audiuerit; vel per verba expreſſa in collocutione cum eodem marito, vel tandem in iuditio.

3 Si in literis fiat mentio de copula præterita, poteſt maritus ab vxore diuertere.

Reſpondeo primo; Si in literis amatorijs conſcriptis ab eadem vxore Amaſio, & repertis ab eodem marito, ſeu interceptis fiat expreſſa mentio de concubitu præterito cum eodem Amaſio loquendo in foro interno animæ habet maritus ſufficiens ius diuertendi ab eadem vxore *Menochius de præſumpt. lib. 6. præſumpt.* 41. *in fine*, quod à fortiori ſuſtinere debent *Pariſius conſ.* 54. *in fin. vol.* 4., *Maſcardus de probat. concl.* 64. *n.* 10. *in fine*, dum volunt, quod ex literis amatorijs præciſè conſcriptis ab vxore Amaſio deducatur ſufficiens certitudo, quod tamen ex dictis in præcedenti diſquiſitione non eſt aſſerendum. Ratio ex eo deducitur, quia huiuſmodi confeſſio vxoris, ſeu manifeſtatio criminis in illis ſcriptis quantum pertinet ad formandum prudens, & firmum iuditium priuatum pro foro interno ſufficiens eſt, nec maior haberi poteſt excepta rei euidentia, quia nulla maior eſt probatio, quam quæ procedit ex ore proprio delinquentis, ergo non eſt, cur in foro interno non poſſit vti illa notitia tanquam certa, ſeu præferente certitudinem ſufficientem ad diuortium.

Rationes pro reſponſione.

4 Non tamen, ſi in illis non fiat mentio de copula habita, ſed tãtum inuitetur amaſius ad copulam.

Reſpondeo ſecundo; Si in literis illis non fiat propriè mentio de adulterio præterito, ſed fuerit inuitatus Amaſius ab eadem vxore ad concumbendum cum ipſa in determinato loco, & tempore, nec tamen certo aliundè conſtet de illo concubitu ſecuto, non poteſt maritus, nec in foro interno recedere per diuortium ab vxore *Menochius loc. cit.*, & eidem videtur adhærere *Sanchez de matrim. lib.* 10. *de diuort. diſp.* 12. *nu.* 48. Ratio ex eo deducitur, quia illa interpellatio, & inuitatio Amaſij ad certum locum etiam ad effectum concumbendi cum eadem vxore eſt quidem certa probatio congreſſus habendi, non autem congreſſus habiti. Quomodo autem concludentèr euincitur acceſſus Amaſij ad talem locũ? quomodo congreſſus eiuſdem cum eadem vxore? Certè ex præactis ex eo, quod inueniatur ſolus cum ſola in loco remoto, & abdito, non benè arguitur actuale adulterium, quomodo autem poteſt concludentèr argui ex eo præciſè, quod Amaſius ad locum conuentum inuitatus acceſſerit? Quod, ſi ſupponas, quod aliundè euidentèr, ſeu concludentèr conſtet de acceſſu amaſij ad illum determinatum locum pro tempore conuento, quamuis hinc habeatur fortior ratio ſuſpicandi de adulterio, ratio tamen certa illud euincens non habetur; numquid enim non potuit contingere, quod ab actu fornicario fuerint impediti? quod alios actus impudicos habuerint, non tamen conſummauerint?

Rationes pro reſponſione.

5 Si per verba expreſſa vxor manifeſtauit adulterium, maritus in foro interno poteſt ab illa diuertere.

Reſpondeo tertio; Si per verba expreſſa eiuſdemmet vxoris innotuerit marito, vel incidentèr, vel fortè etiam in collocutione cum ipſo, quod eadem fuerit cum amaſio adulterata poteſt maritus ipſe in foro conſcientiæ ab eadem diuertere. Conſentit cum ijs, quæ dicta ſunt in prima reſponſione; non enim minorem vim habent verba expreſſa prolata ab eadem vxore ad inducendam certitudinem adulterij ab eadem commiſſi, ac habeant literæ ab ipſa cõſcriptæ, in quibus fit mentio de adulterio patrato, quãdoquidem literæ equè, ac verba ſunt manifeſtatiua conceptuum, & actionum exercitarum; vndè in hoc vim habet commune effatum, quo dicitur, quod nulla fortior probatio criminis, quam illa, quæ procedit ex ore delinquentis, potiſſimum, ſi non fuerit per vim extorta. Sic videtur ſentire *Menochius de præſumpt. lib. 6. præſumpt.* 41. Hæc tamen, quæ hic dicta ſunt, intelligenda ſunt, niſi vxor iocosè illud crimen fuerit confeſſa, quia tunc ad iocum dictum illud cenſendum eſt, non ad veritatem.

6 Vt maritus poſſit in foro externo recedere, requiritur confeſſio legitima.

Reſpondeo quarto; Ad hoc, vt maritus in foro externo poſſit tutè recedere ab vxore, adeo vt non poſſit compelli ad redeundum, non ſufficit confeſſio vxoris quomodocunque facta, ſed requiritur, quod ſit legitima, ideſt liberè facta, & in iuditio *Abbas c. quam ſit graue n.* 2. *de exceſ. prælat.*, *Maſcardus de probat. concl.* 350. *nu.* 1., *& ſeqq.*, *Gloſa in c. penult. verb. confeſſionem, & ibi Hoſtienſis n.* 1., *Sanchez de*

matri-

Digitized by Google

matrimon. lib. 10. de diuort. diſp. 12. nu. 48., & 49. Expreſsè deducitur *ex d. c. penult. de adult.*, vbi hæc verba leguntur. *Mandamus, niſi quatenus tibi conſtiterit, vel per euidentiam rei, vel per confeſſionem legitimam vxoris, quod adulterata ſpontè fuiſſet, ipſum recipere compellas eandem.* Nota illam particulam, *legitimam*, quæ exigit confeſſionem non extraiuditialem, aut quomodocunque habitam, ſed factam in iuditio, prout notat *Gloſa in c. 1. verb. patronus 32. q. 1.*

---

§. XXIX.

An ſufficiat confeſſio vxoris de adulterio à ſe commiſſo quando illa confeſſio cedit in præiuditium profeſſionis.

SVMMARIVM.

Status diſquiſitionis expoſitus. 1.
Sententia aſſerens talem confeſſionem ſufficientem eſſe etiam contra profeſſionem. 2.
Sententia negans prodeſſe contra profeſſioné. 3.
Facta legitimè ante profeſſionem ſufficiens eſt, non ſic facta poſt profeſſionem. 4.

1 Refertur caſus in particulari.

DIſquiſitio XXIX. Dictum fuit in præcedenti diſquiſitione confeſſionem propriam delinquentis ſufficientèr concludere pro adulterio ad effectum diſſolutionis per diuortium. An autem hæc etiam efficacitèr concludat, quando vergit in præiuditium profeſſionis id eſt, quod in præſenti controuertitur.

Vt autem ſtatus quæſtionis clarius intelligatur, efformo caſum in terminis particularibus. Contractis ritè nuptijs inter Caium, & Theodoricam, eiſdemq; conſummatis Caius adulterium commiſit, proptèr quod Theodorica ab eodem receſſit, & ſucceſſiuè ingreſſa eſt in Religionem; hoc tamen hic ſciendum eſt, quod etiam eadem Theodorica fuerat fornicata, licet Caius hoc ignoraret. Antequam eadem Theodorica profeſſionem emitteret palam confeſſa eſt propriam fornicationem. Cum ex præactis adulterij pro adulterio detur compenſatio, quæſitum hic fuit, an talis confeſſio facta à Theodorica propriæ fornicationis concludentèr euinceret etiam in præiuditium profeſſionis, adeo vt Caius titulo compenſationis vigore eiuſdem poſſet eandem Theodoricam reuocare, & ſibi reconciliare?

Hoſtienſis *c. veniens n. 7. de conuerſ. coniug., & ibi Ioannes Andraas in fin., & Ancharanus, & Antonius ambo etiam in fine*, ſuſtinent illam confeſſionem ſufficientem eſſe ad inducendam certitudinem de adulterio etiam contra profeſſionem, adeo vt Caius in ſæculo permanens poſſit Theodoricam confeſſam, & iam profeſſam titulo compenſationis repetere, & ſibi reconciliare. Rationem deſumunt *ex c. penult. de raptor.* in quo deciditur, quod coniux profeſſa abſque licentia viri ſit eidem viro reſtituenda, non obſtante profeſſione, ſi fateatur ante ingreſſum conſummatum fuiſſe matrimonium cum eodem viro, vbi vides, quod confeſſio propria eiuſdem vxoris ſit ſufficiens ad inſtaurationem matrimonij, non obſtante, quod illa ſit in præiuditium profeſſionis, & Religionis, ergo etiam confeſſio propria vxoris ante profeſſionem de adulterio a ſe ipſa commiſſo ſufficiens erit ad inſtaurandum titulo compenſationis matrimonium diſſolutum ob adulterium alterius etiam contra profeſſionem emiſſam. Hinc *Gloſa in d. c. penult. de raptor. in verb. mulieris*, dicit in matrimonio carnali non ſtari confeſſioni mulieris in præiuditium eiuſdem matrimonij; benè vero in matrimonio ſpirituali conſiſtente in profeſſione Religioſa.

2 Sententia aſſerens illam confeſsionem ſufficienté eſſe etiam contra profeſsionem.

Alij è contra directè impugnantes hanc doctrinam negant in præiuditium profeſſionis ſtandum eſſe confeſſioni vxoris iam profeſſæ, & primo loquentes quoad matrimonium carnale dicunt, quod quando præciſè agitur de diuortio ratione adulterij, agatur ſolum de præiuditio adulteri, cum innocens poſſit libere condonare iniuriam, & ſic cum agatur præciſè de intereſſe proprio ipſius adulteri, non eſt mirum, quod ſtari debeat ipſius confeſſioni; at vbi confeſſio coniugis, non ſolum ſtat contra ipſum, ſed etiam contra profeſſionem, & Monaſterium non eſt eidem credendum *arg. iuris in c. 1. de confeſſis*. Deindè dicunt, quod ad diſſoluendum matrimonium carnale non ſtatur confeſſioni coniugum, per textum *in c. ſuper eo, de eo, qui cognou. conſang.* Quid ergo in hac controuerſia concludendum?

3 Sententia negans prodeſſe contra profeſsionem.

Reſpondeo, quod, ſi illa confeſſio fuerit legitimè facta antecedentèr ad profeſſionem, & omnino ſpontaneè nulla cogente ratione ſufficiens ſit ad inducendam certitudinem aptam ad diuortium, ſi vero facta fuerit poſt profeſſionem nō ſit ſecundum ſe ſufficiens, nec attendenda ſit. Pro prima parte ſtant DD. prææallegati pro prima opinione, nempè *Hoſtienſis, Ancharanus, Antonius, & alij*. Pro ſecunda *Sanchez de matrim. lib. 10. de diuort. diſp. 12. n. 10., Abbas c. veniens in fin.*

4 Facta legitimè ante profeſſioné ſufficiens eſt, non ſic facta poſt profeſsionem.

de

Digitized by Google

de conuerſ. coniug. Ratio primæ partis ex eo deducitur, quia, quando illa confeſſio facta eſt legitimè in iuditio, & omnino ſpontaneè ante profeſſionem eſt præcisè contra ipſum confitentem, non contra profeſſionem, nec contra ius Religionis, quandoquidem in illo tempore nullum ius Religio, & Monaſterium acquiſierat, ergo non eſt, cur illa confeſſio non ſit attendenda, & cur eidem confitenti non ſit credendum, quandoquidem tota ratio, ob quam aduerſarij negant eidem omne credendum, conſiſtit in eo, quia illa confeſſio cederet in præiuditium tertij, nempè Monaſterij; Neq; dicas, quod quantumuis talis confeſſio elicita fuerit antè profeſſionem, nihilominus quoquo modo officiat eidem profeſſioni, ſiquidem ratione ipſius, quando emiſſa fuerit, eſt diſſoluenda; contra enim impugnaberis, quia cum ius, quod Monaſterium potuit acquirere ex illa profeſſione, fuerit ſubſequentèr ad eandem confeſsionem non poteſt vim illius diminuere, nec demere ius, quod maritus ex illa confeſsione acquiſiuit, & pro tempore, pro quo ipſe confitens ſolum ſibi ipſi poterat præiuditium inferre, & ſicuti, ſi tunc maritus, quando habita eſt illa confeſsio habita cognitione eiuſdem vxorem repetijſſet, validè repetijſſet, & illa confeſſio ſufficientem induxiſſet certitudinem ad hunc effectum, ita quantumuis poſtea habita tali notitia confeſsionis reuocare intendat poſt emiſſam profeſsionem validè reuocare cenſendus eſt, cum profeſsio non poſsit minuere vires eiuſdem confeſsionis. Ratio ſecundæ partis deſumitur ex ijs, quæ dicta ſunt pro ſecunda opinione, nempè cum talis confeſsio fuerit habita poſt profeſsionem emiſſam, non ſolum præiuditium inferat ipſi confitenti, ſed etiam Monaſterio, quod ius acquiſiuit ex illa profeſsione; quando autem confeſsio aliqua eſt in præiuditium tertij, confitenti non creditur, per textum *in d. c. 1 de confeſſis, & c. 1. in princ. 14. q. 2.*, & iuxta hunc ſenſum pariformitèr procedunt matrimonium carnale, & ſpirituale, nam ſicuti ad diſſoluendum matrimonium carnale, non ſtatur coniugum confeſsioni, per textum *in c. ſuper eo de eo, qui cogn. conſang.*, ita nec ad ſoluendum coniugium ſpirituale, & hoc ob illam rationem, quæ adducitur in eodem textu, quia ſi admitterentur huiuſmodi confeſsiones paſsim huiuſmodi coniugia diſſoluerentur; Ex quibus habes quomodo illæ opiniones inter ſe contrariæ poſsint adinuicem conciliari.

Rationes pro reſponſione.

Conciliatur opiniones cõtrariæ.

---

§. XXX.

An rationes, quibus inducitur violenta præſumptio de adulterio, ſufficientèr poſsint innoteſcere per teſtes, & quoſnam.

SVMMARIVM.

Status diſquiſitionis expoſitus. 1.
Si coniecturæ immediatè innotuerint innocenti in foro interno, poteſt hic propria auctoritate recedere. 2.
Sufficit, quod illæ coniecturæ appareant perſonis fide dignis. 3.
Requiritur, quod tales teſtes ſint omni exceptione maiores. 4.

1 **Expoſitio diſquiſitionis.**

Diſquiſitio XXX. Enumeratæ fuerunt ſupra *ſub hoc eodem tit. Contractus XV de matrim. VI. prænot. 11. ſect. 3. aſſert. 3. ſub. dub. 1.* coniecturæ efficaces inducentes hanc ſuſpicionem violentam fornicationis alterius coniugis. Modo quæritur, an huiuſmodi coniecturæ debeant immediatè apparere coniugi innocenti, ad hoc vt poſsit diuertere, an verò ſufficiat, quod innotuerint teſtibus, qui concludentèr deponant, & quales debeant eſſe huiuſmodi teſtes? Vix aliquid circa hanc diſquiſitionem remanet addendum, cum fuerit plenè explanata *loco mox cit. aſſert. 4.* Nihilominus nonnulla ad pleniorem notitiam ſubdam.

2 **Si immediatè coniecturæ innoteſcant innocenti, poteſt hic ex ſe recedere.**

Reſpondeo primo, quod, ſi illæ coniecturæ immediatè apparuerint coniugi innocenti, poſsit quantum ſpectat ad forum internum propria auctoritate diuertere. Conſonat cum ijs, quæ ſupra dicta ſunt; cum etenim iſtæ coniecturæ inducant violentam ſuſpicionem, & hæc ex ibi probatis ſufficientem inducat certitudinem ad diuertendum, per conſequens ſequitur, quod ſi innocens certus de alterius adulterio poteſt diuertere, poſſit etiam diuertere ex illa violenta ſuſpicione, cuius fundamentum ipſi immediatè appareat.

3 **Sufficit, quod illæ coniecturæ appareant teſtibus fide dignis.**

Reſpondeo ſecundo; Non eſt neceſſe, quod ad inducendam illam violentam ſuſpicionem, quod illæ coniecturæ immediatè appareant alteri coniugi innocenti, cui ex illis competit ius diuertendi, ſed ſufficit, quod apparuerint teſtibus fide dignis, qui de illis deponãt, & teſtificent *Burſatus conſ. 435. nu. 39. vol. 4., Sanchez de matrim. lib. 10. de diuort. diſp. 12. n. 51.* Ratio ex eo deducitur, quia in cæteris omnibus probationes per teſtes

ſtes idoneos validæ ſunt ad prudens, & validum iuditium humano modo, ergo non erit, cur etiam non ſint validæ quoad hunc effectum, de quo loquimur, cum circa hunc non ſit aliqua ſpecialis diſpoſitio aliquid aliud ſtatuens; Neque dicas, quoad hoc iuditium in iure ſtatui, quod requiratur euidentia rei, vel confeſsio legitima delinquentis, prout habetur *in c. penult. de adult.*, ergo non erit ſufficiens probatio per teſtes; contra enim impugnaberis, quia per ly *euidentia rei* intelligi poteſt euidentia humano, & morali modo, quæ vtique haberi poteſt per teſtes idoneos, ſicuti habetur in cæteris iuditijs.

Illatio deducta ex prædictis.

Ex quibus habes, quod, ſi huiuſmodi teſtes deponant legitimè in iuditio, ſatis eſt, vt poſsit diuertere innocens, & quoad forum externum, & internum; ſi vero deponant extraiuditialitèr coram ipſo innocente, poſsit hic ex illa notitia diuertere, quantum pertinet ad forum internum animæ; cum ad hoc non requiratur, niſi certitudo moralis, prout ſupra probauimus, & docent *Vincentius in ſpeculo doctrin. tom. 2. lib. 10. c. 41.*, *Aſtenſis in ſumma 2. part. lib. 8. tit. 11. art. 3. q. 5.*, *Sotus in 4. diſt. 36. q. vnica art. 3. poſt 3. concl. verſ. circa ſingulas*, quæ vtique habetur per teſtes idoneos; vndè meritò ſubdunt allegati DD., quod ſufficit in foro interno illa certitudo, quæ habetur per ea, quæ in foro externo probata conuincerent de adulterio.

4 Requiritur, quod tales teſtes ſint omni exceptione maiores.

Reſpondeo tertio, quod huiuſmodi teſtes ad plenè probandum pro foro externo, debeant eſſe omni exceptione maiores, nec ſufficiant, ſi ſint ſingulares. Expreſsè conſtat ex ijs, quæ dicta ſunt *ſub hoc eodem tit. Contractus XV. De matrimon. VI. prænot. 11. ſect. 3. aſſert. 4.* ad quæ vos remitto. Dixi *pro foro externo*, quandoquidem in foro interno, quantumuis teſtes ſint ſingulares, ſi tamen ſint omni fide digni, inducunt ſufficientem certitudinem ad recedendum, quod optimè videtur conſideraſſe *Sanchez lib. 10. de diuort. diſp. 12. n. 51.* dum dixit pro tali foro eſſe ſufficientem notitiam, vt coniux innocens poſsit diuertere, ſi de adulterio ſui coniugis certior fiat a perſona digniſſima, cui quicunque prudens fidem haberet.

✝✝✝✝✝
✝✝

---

§. XXXI.

An maritus adulter volens criminalitèr accuſare vxorem adulteram, teneatur illi reddere debitum.

SVMMARIVM.

Exponitur ſtatus controuerſiæ. 1.
Rationes ſuadentes teneri reddere. 2.
Rationes ſuadentes non teneri. 3.
Remiſſio adulterij quoad ciuilia, ſi fuerit liberalitèr volita ab innocente, trahit etiam ſecum remiſſionem quoad criminalia, ſecus ſi fuerit debita. 4.
Tenetur maritus adulter vxori adulteræ reddere, non obſtante, quod velit accuſare criminalitèr. 5.
Soluuntur rationes contrariæ ſententiæ. 6.

DIſquiſitio XXXI. Diximus in præcedentibus maritum poſſe criminalitèr accuſare vxorem adulteram in ordine ad pœnas criminales; non verò è contra poſſe vxorem criminalitèr procedere aduerſus maritum adulterum, quamuis poſsit ciuilitèr, & in ordine ad pœnas ciuiles; & vlterius etiam diximus in ordine ad pœnas huiuſmodi criminales non dari compenſationem adulterij pro adulterio inter coniuges. His iam tanquam probatis ſuppoſitis ſuppono vlterius, quod maritus etiam poſt vxorem adulterium commiſerit, & non obſtante proprio adulterio velit criminalitèr procedere aduerſus vxorem adulteram ratione iuris ſibi quoad hoc competentis, & poſtea quæro, an interim maritus teneatur debitum vxori adulteræ reddere? 1 Exponitur ſtatus controuerſiæ.

Videtur ex vna parte abſolutè aſſerendum, quod teneatur vxori quantumuis adulteræ petenti reddere, quandoquidem in ordine ad diuortium, per quod tollitur ius ad vſum coniugij, adulteria compenſantur, & iura, quæ erant deperdita per adulterium vnius inſtaurantur per adulterium alterius per ea, quæ ſupra docuimus *ex c. ſignificaſti de diuort.*, *& c. intelleximus*, *& c. fin. de adult. l. viro, atq; vxore ff. ſolut. matrimon.*, & quamuis marito competat actio criminalis aduerſus vxorem adulterantem, quæ non datur vxori verſus maritum, per textum *in l. 1. C. ad leg. Iuliam de adult.*, *& c. apud miſericordem §. publico iuditio 32. q. 1.*, per hanc tamen non tollitur, quin detur compenſatio quoad alia omnia, in quibus ſunt pares. 2 Rationes ſuadentes teneri reddere.

Vide:

Digitized by Google

3 Rationes ſuadentes non teneri

Videtur ex alia parte negandum, quod teneatur in ea hypotheſi vxori petenti reddere, quandoquidem ipſe maritus nō poteſt contra voluntatem obligari ad cedendum iuri ſuo in ordine ad eandem vxorem criminalitèr accuſandam, ſed de facto obligaretur ad remittendum illud ius, quod habet accuſandi criminalitèr vxorem adulteram, ſi teneretur eidem petenti reddere debitum, ſiquidem, ſi ipſe ageret ad talem pœnam poſſet vxor excipere de condonatione implicita eiuſdem habita per illam copulam coniugalem ſubſequentem ad adulterium, ergo &c. Quid igitur in hac controuerſia concludendum?

Tota ratio reſoluendi præſens dubium dependet ab ea quæſtione, an remiſsio, ſeu condonatio, ſiue libera volita, ſiue debita quoad pœnas ciuiles trahat ſecum etiam condonationem quoad actiones criminales, ſiue non; ſi enim aſſeramus, quod condonatio, ſiuè liberè volita, ſiuè debita, trahat etiam ſecum criminalem, non videtur poſſe eſſe dubium, quod maritus adulter teneatur vxori adulteræ petenti reddere, quandoquidem, cum titulo compenſationis teneatur remittere adulterium alterius, quod compenſatur cum ſuo quoad actiones ciuiles, ſi harum remiſſio debita trahit etiam remiſſionem quoad criminales, vtique nullo obſtante, cum facta ſit remiſsio quoad omnia, tenebitur vxori petenti reddere; ſi vero aſſeramus, quod condonatio, ſiue elicita, ſiue debita quo ad ciuilia non trahat ſecum remiſsionem criminalis, tunc militant rationes pro vtraque opinione præcedenti relatæ, quarum veritas nunc eſt indaganda. Quare ad motiuum excitatum, cui innititur reſolutio dubij, dico, quod ſi remiſsio quoad ciuilia fuerit liberalitèr volita ab innocente ſine vlla reſeruatione intelligatur etiam ſecum trahere remiſsionem quoad criminalia, ſecus vero, ſi fuerit debita. Rationem primæ partis ex eo deſumo, quia inueriſimile omnino videtur, quod coniux innocens velit ſibi liberalitèr reconciliare vxorem adulteram quoad obſequia coniugalia, & quoad alia omnia familiaritatis argumenta, quæ ſunt propria coniugum, & velit eandem coniugem criminalitèr punire, & odij manifeſta ſigna præbere. Rationem vero ſecundæ partis ex eo deduco, quod, cum illa condonatio non habeat vim à libera voluntate remittentis, ſed ex diſpoſitione iuris ſic determinantis, & ex alio capite quoad criminalia non detur compenſatio inter coniuges ob mutua adulteria, non poteſt ex remiſsione quoad ciuilia argui animus remittendi quoad criminalia, cum illa condonatio non ſit liberalis, & voluntaria, ſed coacta, & neceſsaria; Ex quibus poteris deducere, quod in terminis præſentis dubij non poſsit ex hoc capite deduci reſolutio, cum verſemur in condonatione debita, quæ ex genere, & natura ſua non trahit remiſsionem criminalis.

4 Remiſsio quoad ciuilia, ſi fuerit liberalitèr volita ab innocente, trahit remiſsionē etiā quoad criminalia, ſecus, ſi fuerit debita.

Reſpondeo igitur, probabilius eſſe teneri maritum adulterum vxori adulteræ petenti reddere, non obſtante, quod velit contra eandem criminalitèr procedere. Eſt contra *Sanchez de matrim. lib. 10. de diuortio diſp. 14. nu. 8.* Ratio ex eo deducitur, quia quoad actiones ciuiles coniuges mutuo adulterantes ſunt pares, & poſito adulterio ex parte vtriuſque ipſo iure quoad illas actiones fit compenſatio per allegata iura *in c. ſignificaſti de diuort. & c. fin. de adult.*, ergo, cum iura quoad vſum coniugij ſint inſtaurata, non erit, cur maritus vxori petenti non teneatur reddere, nec ex eo, quod ex parte mariti illæſum remaneat ius procedendi criminalitèr remanet ſuſpenſum etiam ius quoad iura matrimonij ex parte vxoris, quandoquidem illud ius, quod erat deperditum ipſo iure inſtauratur. 5 Tenetur maritus adulter vxori adulteræ reddere, non obſtante &c.

Vniuerſa difficultas ſolum remanet in ſoluendo argumento, quod pro parte aduerſa afferebatur, nempè quod maritus inuitus compelleretur remittere ius, quod habet, procedendi criminalitèr cōtra vxorem adulteram, quia ſcilicet per illam redditionem debiti intelligeretur remittere tale ius. Sed facile vis huius argumenti dilabetur, ſi aduertatur, quod ex illa redditione debiti non amittat ius ad procedendum criminalitèr, ſi quidem ſponte non redderet, cum ex diſpoſitione iuris teneretur reddere, ſed quando non ſpontè, ſed obligatus reddit, non amittit ius ad diuortium, & ad alias pœnas ſiuè ciuiles, ſiuè criminales, per textum *in l. rem legatam ff. de adim. leg. D. Thomas in 4. diſt. 35. q. vnico art. 3. in corpore, & ibi D. Bonauentura art. vnico q. 3., Durandus q. 1. art. 2. n. 7., D. Antoninus 3. part. tit. 1. c. 21. §. 5., & alij magis communitèr.* Quod ſi vrgeas *cum Sanchez d. lib. 10. diſp. 14. n. 8. in fine*, quod, quamuis ex illa redditione debita non amitteret ius ad procedendū criminalitèr, negari tamen non poſsit, quod per illam exitus cauſæ non redderetur incertus, cum præſumptio condonationis ſtet aduerſus ipſum; contra impugnaberis, quia cum apertè conſtet de onere reddendi debitum proptèr illam compenſationem adulteriorum, & nemo in neceſsitate præſumatur liberè remittere ius ſuum, præſumptio non poteſt 6 Soluuntur rationes contrariæ ſententiæ.

poteſt aduerſus ipſum militare pro condonatione.

§. XXXII.

Vtrum in foro conſcientiæ licitum ſit marito adultero, & contumaci in adulterio accuſare criminalitèr vxorem adulteram.

SVMMARIVM.

Exponitur factum in ſuis terminis. 1.
Opinio ſuadens non poſſe criminalitèr accuſare. 2.
Sententia aſſerens adhuc poſſe accuſare criminalitèr. 3.
Conciliatur vtraque opinio per diſtinctionem. 4.

1 Expoſitio caſus particularis, Diſquiſitio XXXII. Iam ex dictis conſtat coniuges adulteros non eſſe pares quoad accuſationem criminalem, adeo vt marito liberum quidem ſit accuſare criminalitèr vxorem adulteram, non autem è contra, & hoc quantumuis ipſe maritus ſit etiam adulter, nam compenſatio in hac hypotheſi datur quidem quoad actiones ciuiles, non autem quoad criminales. Modo hic quæritur an ea, quæ dicta ſunt, procedant tantum quoad forum externum, an vero etiam quoad internum animæ, adeo vt tuta conſcientia maritus nedum adulter, ſed etiam pertinax in adulterio poſſit aduerſus vxorem adulteram, quantumuis non pertinacem procedere.

2 Opinio ſuadens non poſſe criminalitèr accuſare. Videtur abſolutè negandum, quia, vt habet *D. Auguſtinus lib. 1. de ſermone Domini in Monte c. 28.* Nihil iniquius videtur, quam virum eodem vitio laborantem accuſare adulteram de eodem crimine, ergo tuta conſcientia maritus adulter non poteſt criminalitèr vxorem adulteram accuſare; nec arbitrandum eſt D. Auguſtinum ibidem procedere ſolummodo quoad actiones ciuiles, non autem quoad criminales, quandoquidem iniquius videtur procedere criminalitèr, ac procedere dumtaxat ciuilitèr. Accedit, quod facta remiſſione quoad actiones ciuiles, ſeu compenſatione quoad diuortij ius accuſare criminalitèr præſefert manifeſtè ſpeciem quandam vltionis, quæ catholicis de iure diuino interdicitur atq; pro hac opinione ſtant *Tiraquel l. 1. connubiali gloſ. 1. part. 1. n. 44., Nauarrus in ſumma c. 16. n. 29., Matienzo lib. 5. recopil. tit. 1. gloſ. 1. rubrica n. 102., Palatios in 4. diſt. 37. diſp. vnica fol. 806. verſ. verum, ſi Iudex Gutierez qq. pract. lib. 2. q. 1. n. 23., Manuel tom. 1. ſumma c. 127. caſ. 3.*

3 Sententia aſſerens poſſe adhuc criminalitèr accuſare. Contrarium expreſsè docent *Sanchez lib. 10. de diuortio diſp. 10. nu. 46., Petrus de Ledeſma de matrim. q. 62. art. 1. dub. 3., Bartolomæus de Ledeſma de matrim. dub. 68. ad fin., Henriquez lib. 11. de matrimon. c. 17. n. 3. ad fin.* Rationem ex eo deducit *Sanchez loc. cit.*, quia, quod licitum eſt in foro externo intelligitur etiam licitum quoad internum, quando externum non innititur falſæ præſumptioni, ſed in foro externo in iure admittitur quoad maritum adulterum accuſatio criminalis vxoris adulteræ, remota quacunque exceptione quoad criminalia ſimilis adulterij commiſſi ab eodem marito, quæ permiſſio non eſt innixa falſæ præſumptioni, ergo, & in foro interno licita erit talis accuſatio criminalis &c. Confirmari poteſt primo, quia maritus, ſi non eſſet tali crimine affectus, poſſet licitè criminalitèr vxorem adulteram impetere, vt eſt in confeſſo ferè apud omnes, ergo etiam poterit criminalitèr accuſare, quantumuis, & ipſe ſit adulter; Conſequentia probatur, quia, quod, & ipſe ſit adulter, efficit quidem, quod ius adimatur in ipſo, vt non procedat ciuilitèr, cum in hoc ſit æqualis cum vxore, quorum propterea crimina quoad hoc compenſantur, non autem criminalitèr procedendi ius adimitur, cum hoc eidem à iure concedatur, non vxori, nec præſumendum eſt, quod iura iniquè contulerint tale ius marito, dum denegarunt vxori, Rationes pro hac opinione. quandoquidem longè deteſtabilior eſt impudicitia in fæmina, quam in viro, vt latiſſimè docet *Tiraquell. l. 1. connubiali gloſ. 1. §. 1. n. 44., & ſeqq., Coarunias 4. decret. 2. part. c. 7. §. 6. num. 5.* tum proptèr incertitudinem prolis, tum proptèr alia, de quibus idem *Tiraquel. loc. cit.* Confirmari poteſt ſecundo, quia ratio, proptèr quam, quando maritus eſt adulter, non poteſt criminalitèr accuſare vxorem adulteram, cum tamen poſſit, quando ipſe eſt innocens, vel eſſet propter ſpeciem vindictæ, quam videtur præferre illa accuſatio, & hoc non, quia æquè videtur vindicta, quando innocens accuſat nocentem, ac quando ipſe quoq; eſt nocens, vel proptèr iniquitatem, de qua meminit D. Auguſtinus, vt ſcilicet in eo, in quo quis eſt reus, alterum accuſet; ſed neque hoc quidquam euincit, quia procedit dumtaxat quoad ea, in quibus ſunt pares, non ſunt autem pares quoad actiones criminales, ergo &c. Quid iam in hoc DD. diſſidio concludendum?

Reſpondeo; Attenta re præciſè ſecundum ſe licitum eſſe marito etiam in

foro

Digitized by Google

4 **Conciliatur vtraq; opinio per diſtinctionem.** foro conſcientiæ criminalitèr accuſare vxorem adulteram, quantumuis, & ipſe fuerit adulter, regularitèr tamen eſſe illicitum proptèr adiecta, quæ vt plurimum comitari ſolent talem accuſationē à quibus talis accuſatio vix depuratur, & nonniſi metaphiſicè depurari ſolet. Iuxta primum ſenſum præciſè arbitror loqui Sanchez, alioſque DD. pro ſecunda opinione allegatos. Iuxta vero ſecundum DD. citatos pro prima. Rationes pro ſecunda opinione adductæ ſufficientèr euincunt primam partem noſtræ reſponſionis; non etenim arbitrandum eſt iura iniquè contuliſſe ius marito quantumuis adultero criminalitèr accuſandi vxorem adulteram, & negaſſe vxori accuſandi talitèr maritum, cum fortior ratio militet pro marito, vt ſupra innui, nempè deteſtabilior impudicitia in fæmina, quam merito in ordine ad pænas criminales conſiderarunt iura. Addo, quod per compenſationem adulteriorum in coniugibus quoad actiones ciuiles, non extinguatur actio criminalis, ergo eadem adhuc vigente poterit maritus illa vti.

Vix depurari poteſt à praua intentione odij. Secunda pars ex eo euincitur, quia facta compenſatione iniuriarum quoad ius diuortij vix poteſt concipi quod maritus accuſator criminalitèr non habeat admixtam prauam affectionem odij, & vltionis erga vxorem adulteram, & accuſatam, & quod per illam non intendat ſoluere matrimonium, quod titulo compenſationis fuerat inſtauratum; Ad quid etenim poſt illam matrimonij inſtaurationem intentare illam actionem noxalem aduerſus vxorem remiſſam, niſi prauo affectu excitaretur? Dicere poſtea, quod hoc præſtet zelo iuſtitiæ vix eſt credendum. Conformitèr ad hoc communius docent Theologi, quod ſit caſus Metaphiſicus, quod quis pro iniuria ſibi illata alterum accuſet, nec liberè remittat aſſerens ſe non ex odio non remittere, ſed vt iuſtitia ſuum ſortiatur effectum, & hoc non alia ratione, niſi quia arbitrantur illam non remiſſionem vix poſſe depurari à praua affectione.

§. XXXIII.

Quis modus ſeruandus ſit in diuortio.

SVMMARIVM.

Status diſquiſitionis exponitur. 1.
Poteſtas iudicandi in cauſis matrimonialibus reſidet in ſolis Epiſcopis. 2.
Poteſt tamen ab eiſdem committi alijs. 3.
Regularitèr procedendum eſt ſummariè, celeritèr, & ſine ſtrepitu iuditij. 4.
Teſtes debent eſſe omni exceptione maiores, & non ſingulares. 5.

Disquiſitio XXXIII. Hactenus egimus de cauſis diuortij, & de eodem ſecundum ſe. Nunc conſiderandus eſt modus ſeruandus in eodem celebrando, potiſſimum quando fit, ſeu fieri debet per ſententiam, tam quoad poteſtatem Iudicis, qui ferre debet talem ſententiam, quam quoad alia omnia. 1 **Status diſquiſitionis expoſitus.**

Et quidem incipiendo à Iudice certum eſt poteſtatem in cauſis matrimonialibus iudicandi reſidere, ſi fuerit ordinaria, in ſolis Epiſcopis priuatiuè quoad alios inferiores, prout colligitur *ex c. accedentibus extra de exceſſib. prælat.*, vbi ſic legitur *Accedentibus ad nos diuerſis è Mundi partibus Epiſcoporum querelis intelligimus graues, & grandes quorundam Abbatum exceſſus, qui ſuis finibus non contenti manus ad ea, quæ ſunt Epiſcopalis dignitatis extendunt de cauſis matrimonialibus cognoſcendo, iniungendo pænitentias publicas concedendo etiam indulgentiarum literas, & ſimilia præſumendo; vndè contingit interdum, quod vileſcit Epiſcopalis auctoritas apud multos. Volentes igitur in his, & Epiſcoporum dignitati, & Abbatum prouidere ſaluti præſenti decreto firmitèr prohibemus, ne quis Abbatum ad talia ſe præſumat extendere, ſi proprium voluerit periculum euitare &c.* vnde Gloſa ibidem dicit per hanc conſtitutionem de iure communi cognitionem ſuper cauſis matrimonialibus pertinere ad Epiſcopum, quod etiam definiuit *Concilium Trident. ſeſſ. 24. c. 20.* 2 **Poteſtas ordinaria iudicandi in cauſis matrimonialibus reſidet in ſolis Epiſcopis.**

Non negauerim tamen, hoc munus iudicandi ſuper cauſas matrimoniales poſſe ab ipſiſmet Epiſcopis alijs committi, prout præſcripſit *Alexander III. in c. 1. de conſang., & affin.*, per hæc verba *Cæterũ tuam prudentiam nolumus non latere quod non ſunt cauſæ matrimonij tractandæ per quoslibet, ſed per Iudices diſcretos, qui poteſtatem habeant iudicandi, & ſtatuta canonũ non ignorent*; ex quibus duo poteris deducere, primum quod hæc cauſa poſſit delegari; Secundum quod non debeant delegari, niſi perito in ſacris canonibus *arg. c. fin. 2. q. 2., & c. 1. in princip. de pænit. diſt. 6.*, & quidem iure merito hæc ſtatuuntur, cum cauſæ matrimoniales ſunt graues, & exigant magnam peritiam, & prudentiam in iudicante. 3 **Poteſt tamen ab eiſdem committi alijs.**

Hæc quoad poteſtatem in iudicando; quoad modum vero iudicandi regularitèr procedendum eſt ſummariè, celeritèr, & ſine ſtrepitu iudicij contentioſi, prout habe- 4 **Procedendum eſt ſummariè, & ſine ſtrepitu iudicij.**

Digitized by Google

habetur *in clement. diſpendioſam de iuditijs*, vbi ſic legitur *Diſpendioſam prorogationem litium, quam interdum ex ſubtili ordinis iuditiarij obſeruatione cauſarum docet experientia prouenire reſtringere in ſubſcriptis caſibus cupientes &c. Statuimus* (& hic nonnullas alias cauſas interponit, & poſtea ſubdit) *vt ſuper matrimonijs procedi valeat de cætero ſimpliciter, & de plano, & ſine ſtrepitu iuditij, & figura*. Quomodo autem ſit procedendum ſummariè, ſimpliciter, & de plano, & ſine figura iuditij expreſsè declaratur *in Clem. ſæpe contingit de verb. ſignif.* cuius verba, quia plurimum faciunt ad præſens inſtitutum per extenſum refero *Iudex neceſſario libellum non exigat, litis conteſtationem non poſtulet, in tempore etiam feriarum ob neceſſitates hominum indultarum à iure procedere valeat, amputet dilationum materiam, litem, quanto poterit, faciat breuiorem, exceptiones, appellationes, dilatorias, & fruſtraneas repellendo, partium Aduocatorum, & procuratorum contentiones, & iurgia, teſtiumq; ſuperfluam multitudinem refrænando. Non ſic tamen Iudex litem abbreuiat, quin probationes neceſſariæ, & defenſiones legitimæ admittatur. Citationem vero, ac præſtationem iuramenti de calumnia, vel malitia, ſiue de veritate dicenda, ne veritas occultetur per commiſſionem huius medij intelligimus non excludi*.

Hæc quoad modũ procedendi. Nunc quoad modum probandi, & quidem ex præactis teſtes, qui inducuntur, debent eſſe fide digni, & omni exceptione maiores *Gloſa in §. item verborum obligatio Inſtit. de mut. ſtipul.*; & non debent eſſe ſingulares, prout ſupra diximus, & quoad hoc ſufficit etiam confeſſio delinquentis, prout ſupra diximus, quando agitur præcisè ad ſeparationem à thoro, per textum *in c. ex literis de diuortijs*, nam, ſi ageretur ad diſſolutionem quoad vinculum coniugale non ſufficeret, & ſi eſſet contra matrimonium, non valeret.

5 Teſtes debent eſſe omni exceptione maiores, & non ſingulares

---

§. XXXIV.

Apud quem debeant educari filij facto diuortio inter coniuges.

SVMMARIVM.

Factum expoſitum in ſuis terminis. 1.
Attento iure nouo authenticorum filij facto diuortio educandi ſunt apud innocentem. 2.
Antiquitus decernebatur à Iudice. 3.

DIſquiſitio XXXIV. Suſceptis filijs ex matrimonio inter Fabricium, & Caſſandram contigit inter eoſdem ex iuſta cauſa celebrari diuortium, per quod nedum à thoro, ſed etiam habitatione fuerunt ſeparati. Quæſitum hic fuit apud quem eorũ, & cuius expenſis eſſent filij ex illo matrimonio ſuſcepti alendi? 1 Factum expoſitũ.

Hic conſiderandum eſt, an diuortium fuerit ſecutum ex cauſa culpabili ex parte mariti, an vero ex cauſa culpabili ex parte vxoris. Rurſus, an vterque parens ſit diues, & locuples, an vero alter diues, alter inops; Secundum has conſiderationes diuerſas diuerſum oriri poteſt ius, & ratio decidendi. Conſiderabilia circa factum.

Reſpondeo, quamuis de iure antiquo reſolutio, apud quem ex parentibus facto diuortio deberent ali filij, penderet ab arbitrio Iudicis; nunc tamen attento iure authenticorum proles, ſeu filij regulariter educandi ſunt apud coniugem innocentem, eum ſcilicet, qui cauſam culpabilem non dedit diuortij *Emanuel Sà verb. diuortium nu. vltimo, Sanchez de matrim. lib. 10. diſp. 20. n. 3., Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrim. c. 10. nu. 115., Auguſtinus Barboſa collect., vt liceat matri §. illud collat. 8. n. 1., Corduba à Lara in l. ſi quis à liberis §. ſi mater n. 11. ff. de lib. agnoſ., Valaſcus conſul. 92. n. 11.* 2 Educandi ſunt apud coniugem innocentẽ

Vt clarius hac in re procedamus ſingula expendo. Primo noto, quod in iure Codicis, quod antiquius fuit iuri authenticæ, ſeu authenticorum *in l. vnica C. diuort. facto*, ſtatutum erat, quod Iudex pro ſua prudentia decerneret in caſu diuortij inter maritum, & vxorem apud quem educari deberent liberi, vbi ſic legitur *Competens Iudex æſtimabit vtrum apud Patrem, an apud matrem matrimonio ſeparato filij morari, ac nutriri debeant.* Hoc tamen Iudicis arbitrium moderatũ erat, niſi alia ratio vrgeret, vt ad prius triennium ſoboles manere deberet apud matrem, quo elapſo tranſire deberet ad Patrem, iuxta quod diſponunt iura *in l. nec filium C. de patria poteſt.*, atq; etiam ſic docent *Speculator tit. qui filij ſint legitimi §. vnico n. 26., Ioannes Angelus Boſſius d. c. 10. num. 114.* 3 Antiquitus decernebatur à Iudice.

Secundo noto, quod hoc ius moderatum eſt in nouiori iure *auth. ſi Pater C. diuort. facto*, quæ deſumpta eſt ex authentico, *vt liceat Matri, & Auiæ §. illud collat. 8. tit. 18.*, & quidem *in d. auth. ſi pater*, ſic legitur, *ſi Pater diuortij cauſam præſtiterit apud matrem ad ſecundas nuptias non venientem liberi nutriantur Patris expenſis, ſi vero cõtra, tunc apud Patrem matris locupletis expenſis, niſi Pater minus ideoneus ſit.*

Reliqua ad hanc materiam ſpectantia vide in hoc eodem *vol. ſub titulo Contractus XV. de matrim. IX. aſſert. 2. n. 13., & ſeqq.*

CON-

CONTRACTVS XV.

De Matrimonio VII. hoc eſt de ſecundo effectu Matrimonij, debiti ſcilicet coniugalis.

PRæcipuum ius, & onus, quod ex contractu matrimoniali correſpectiuè oritur in coniugibus, eſt in ordine ad debitum coniugale, cum alter in alterum transferat ſui corporis poteſtatem, ita vt amplius quoad vſum eiuſdem corporis ſui iuris non ſit, ſed alterius, in cuius tranſit dominium, aſſerente Apoſtolo 1. ad Corinth. 7. *Mulier ſui corporis poteſtatem non habet, ſed vir, ſimiliter autem, & vir ſui corporis poteſtatem non habet, ſed mulier.* Per hanc mutuam corporum traditionem ita adinuicem ſe obligant, vt per exercitium poteſtatis, qua gaudent, conſtituantur duo in carne vna; Hoc mutuum ius, & onus in præſenti examinandum aſſumimus ordine quidem congruo procedentes, nam cum egerimus de mutua habitatione ad vſum quoquo modo neceſſaria, ratio poſtulat, vt de ipſomet vſu fuſis paginis diſſeramus. Hic erit ſermo vberrimus non de ipſo tantum iure, & onere, ſed etiam de modo licito, & illicito, quo talis vſus poteſt adhiberi. Moneo has diſceptationes nedum vtiles eſſe, ſed animarum directoribus neceſſarias, vndè ſedulo eiſdem eſt incumbendum.

Agunt de hoc iure, & onere *D. Thomas in addit. ad tertiam partem q. 64., Magiſter in 4. diſt. 32., D. Antoninus 3. part. tit. 1. c. 19. §. 3., & c. 20. §. 7., Caietanus in ſumma verb. matrimonium tit. vſus matrimonialis &c. & tom. 1. opuſcul. c. 13., Monaldus in ſumma tit. de effectu matrimonij, Aſtenſis in ſumma part. 2. lib. 8. tit. 10., Henriquez in ſumma lib. 11. c. 15., Coaruuias de ſponſal. part. 2. c. 7. §. 2., Rebellus de oblig. iuſt. part. 2. lib. 2. q. 16., Azorius part. 3. lib. 3. c. 31., Sanchez lib. 9. de matrimon. per totum, Homobonus de ſtatibus part. 2. c. 19., Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrimonij à c. 1. ad alia plura ſubſequentia.*

PRÆ-

PRÆNOTIO I.

Nonnulla præambula ad has quæſtiones de debito coniugali.

SVMMARIVM.

Vſus coniugalis ex ſe, & ex obiecto eſt licitus. 1.

Eſt etiam meritorius ex opere operantis, ſi ad debitum finem referatur. 2.

Poteſt tamen deprauari ex aliqua circunſtantia, vel fine prauo. 3.

Exercitus ob ſolam voluptatem eſt prauus venialitèr. Ibid.

Soluuntur rationes ſuadentes eſſe peccatum læthale. 4.

Vſus coniugalis quid ſit, & quomodo definiendus. 5.

1 **Vſus coniugalis ex ſe eſt licitus.**

NON vertimus in dubium vſum coniugalem inter maritum, & vxorem, ſi præſcindamus à circunſtantijs noxijs, & à prauo affectu ipſorummet coniugum licitum eſſe, & ab omni culpa immunem, quidquid ex aduerſo dixerint nonnulli hæretici apud *Bellarminum lib. vnico de matrim. à c. 1. vſque ad* 5. volentes huiuſmodi vſum ſemper inuoluere noxam læthalem, & nonnulli etiam catholici, quos ſuppreſſo nomine refert *D. Bonauentura in 4. diſt. 13. art. 2. q. 1.* volentes in tali vſu ſemper inuolui culpam ſaltem venialem. Non immoramur in ipſorum confutatione, cum contra ipſos ſatis ſuperque egerimus *tom. VI. ſub tit. Contractus XV. de matrim. 1. diſq. 24. §. 9. fere per totum*, ad quæ vos remitto.

2 **Eſt etiam meritorius ex opere operantis, ſi referatur ad debitũ finem.**

Non vertimus item in dubium vſum coniugalem, ſi in gratia exerceatur, & debitis circunſtantijs ſit veſtitus ſit meritorius ex opere operantis, cum quicunq; actus moralitèr bonus, ſi exerceatur in gratia, & dirigatur ad debitum finem conſequatur ſuum effectum gratiæ. Sed an ſit meritorius gratiæ ex opere operato, negatiuè regularitèr loquendo eſt reſpondendum, quia vis conferendi gratiam ex opere operato ſolum ineſt Sacramentis, quæ cum conſiſtant in actione tranſeunti, ſi Eucharíſtiam excipias, tunc tantum conferunt, quandò actu fiunt, ſeu perficiuntur; Sacramentum autem matrimonij tunc non fit, quando conſummatur, ſed quando mutuus præſtatur conſenſus per ea, quæ ſparſim docuimus in vniuerſis diſceptationibus de matrimonio.

Quandoq; etiam ex opere operato, & quando.

Non negauerim, quod in vno, vel altero caſu per illum vſum coniugij conferri poſſit gratia ſacramentalis, ſeu ex opere operato, quando ſcilicet per illum vſum tanquam per actionem adhibitam ad manifeſtandum conſenſum matrimonium conſtitueretur in ſuo eſſe, de quo vſu latè locuti fuimus *dict. tom. VI. loc. cit. n. 4.*

3 **Poteſt tamen deprauari ex aliqua circunſtãtia, vel ex fine prauo.**

Non vertimus item in dubium, poſſe quandoque actum coniugalem, quamuis ſecundum ſe ſit moralitèr, & ex obiecto bonus, deprauari ex aliqua praua circunſtantia puta ex modo, ſi fiat modo indebito, ex fine putà ad aliquem prauum effectum, vel ob ſolam meram concupiſcentiam, prout definiuit Sanctiſs. D. N. Innocentius XI. Pontifex nunc regnans, quem diu Deus incolumem ſeruet ad totius Chriſtianæ Reipublicæ præſidium, & decus, dum in Congregatione S. Romanæ vniuerſalis Inquiſitionis habita die 2. Martij fer. 5. 1679. damnauit propoſitionem illam, quę eſt in ordine nona,

Exercitus ob ſolam voluptatẽ eſt prauus

qua dicitur *Opus coniugij ob ſolam voluptatem exercitũ omni prorſus caret culpa etiam veniali*; Nec quidem incongrua ratione hoc decernitur, quandoquidem talis cõcubitus inter coniuges ex illo præciſè fine voluptatis elicitus, eſt cum inordinatione rectæ rationis, quæ ordinat illum ad prolis generationem, non ad voluptatem, quod primò innuiſſe videtur *D. Auguſtinus c. 6. de bon. coniug.*, illis verbis *Quod coniugalis concubitus generandi cauſa non habet culpam, ſed tamen cum coniuge propter finem thori venialem habet culpam*. Secundo D. Gregorius relatus *in c. vir cũ propria 33. q. 4.* vbi ſic habet; *oportet itaque legitimam eſſe carnis copulam, vt cauſa prolis ſit, non voluptatis*.

Neque ex ijs, quæ dicta ſunt, inferri poſſe videtur, quod concubitus coniugũ, ob ſolam voluptatem, & delectationem inferat culpam pluſquam venialem, cum talis inordinatio à fine à natura principalitèr intento conſtituat quodamodo finem vltimum in illa voluptate, vndè merito *Tobiæ ſexto* Angelus Tobiæ iuniori recuſanti nuptias cũ Sara, eo quod omnes, qui illam duxerant prima nocte mortui ſunt, reſpondit. *Hi namque, qui* 4 **Soluuntur rationes ſuadentes eſſe peccatũ læthale**

coniugium ita ſuſcipiunt, vt Deum à ſe, & ſua mente excludant, & ſuæ libidini ita vacant, ſicut equus, & mulus, quibus non eſt intellectus, habet poteſtatem dæmonium ſuper eos, quod certè verum non eſſet, niſi accedere ad vxorem præciſè voluptatis cauſa eſſet mortiferum; quod etiam videtur innuiſſe *D. Hieronymus relatus in c. liberorum 32. q. 4.*, dum dixit *liberorum in matrimonio opera conceſſa ſunt, voluptates autem, quæ de meretricum capiuntur amplexibus, in vxore damnatæ ſunt*; Non, inquam, inferri poſſe videtur, quandoquidem delectatio in actu coniugali intenta non

Digitized by Google

non eſt extra limites matrimonij, & quãuis præſeferat quandam prauitatem tanquam quod conſtituitur ratio medij in eo, quod debet eſſe finis, & medium in fine, non eſt tamen talis prauitas, quæ conſtituat noxam læthalem, cum illa delectatio, ſeu voluptas contineatur intra limites matrimonij, & conſurgat ex opere debito ex iuſtitia, ſeu conſequatur ex opere iuſtitiæ; nec in illo actu intelligi debet excluſus finis principalis prolis ſaltem implicitè loquendo, quamuis expreſsè non intendatur. Ad illud Tobiæ dicendum eſt procedere, quia illi conſtituerunt expreſsè vltimum finem in illa voluptate, & delectatione, qui propterea comparati ſunt iumentis, quibus non non eſt intellectus, quæ propterea alium finem non habent, quam ſenſitiuam voluptatem tanquam terminum vltimatũ ſuarum operationum. Ad illud, quod ſubditur ex D. Hieronymo idem fere reſpondendum eſt; vel dicas intelligi, quia in eo actu excluditur abſolutè, & ſimplicitèr finis generationis, cum ille concubitus habeatur, ac ſi cum meretricibus haberetur.

5 Ex his omnibus deducere poteris, quomodo definiri poſſit vſus coniugalis; nihil enim aliud eſt, quam commixtio carnalis maris, & fæminæ legitimo matrimonio coniunctorum ad finem propagationis ſpeciei. In hanc definitione exprimitur dumtaxat finis principalis, ob quem inſtitutum eſt matrimonium, quamuis alij extent fines ſecundarij, & præcipuè ſedatio concupiſcentiæ, quam ex peccato originali homines contraxerunt; poſtquam enim primo inſtitutum eſt in officium naturæ, poſtea eadem natura lapſa ordinatum eſt in remedium concupiſcentiæ. Ex hac definitione etiam deducere poteris, quomodo definiendum ſit debitum coniugale, nempè eſſe obligationem prouenientem ex contractu matrimonij, qua alter coniux alteri petenti debet copulari ad ſpeciei propagationem. Tam de debito, quam de ipſo vſu procedent vniuerſæ hæ quæſtiones, quas ſub hoc titulo examinabimus.

Vſus coniugalis quid ſit, & quomodo definiatur

PRÆNOTIO II.

An præſtatio debiti coniugalis ſit neceſſaria ad ſalutem, & quomodo.

SVMMARIVM.

Petitio debiti inter coniuges per ſe, & propriè non eſt neceſſaria ad ſalutem. 1.

Excipe, niſi alter ſummopere appeteret coitum, & præ rubore non auderet petere. 2.

Si alter implicitè petat, tenetur alter ex iuſtitia illi reddere. 3.

Coniux, qui præuidet periculum incontinentia in altero, tenetur illi ex iuſtitia reddere. 4.

Limita in caſu, quo nulla eſſet ſpes ceſſationis periculi incontinentiæ. 5.

Tenetur coniux petere debitum, quando aliter ipſi imminet periculum fornicationis. 6.

Item quando ita exigit bonum commune Reipublicæ. 7.

Redditio debiti regularitèr loquendo eſt neceſſaria ad ſalutem. 8.

Hoc onus reddendi debitum prouenit à iure diuino, & natura. 9.

Non requiritur expreſſa petitio, ſed ſufficit tacita, maximè in fæminis. 10.

Regularitèr fæmina, poteſt expectare petitionem expreſſam viri. 11.

Coniux ſub lethali tenetur non auertere alterum à petendo. 12.

Intellige, quod teneatur alter ſub lethali reddere, quando alter ſerio petit. 13.

Præceptum alteri reddendi debitum non eſt negatiuum, ſed poſitiuum. 14.

Non excuſatur coniux à graui culpa, ſi alteri ſerio petenti vna, vel altera vice neget debitum. 15.

IN ordine ad debitum coniugale duo poſſunt conſiderari petitio, ſcilicet, & redditio, ſeu ius petendi, & onus reddendi, in quibus coniuges videntur pares, prout docet *D. Thomas in 4. diſt. 32. q. vnica art. 3. in corpore*, & colligitur ex illo *Apoſt. prima ad Corinth. 7.*, vbi vtriq; æqualis poteſtas in corpus alterius conceditur; adeo vt vtrique liberum ſit petere, & vtrique onus incumbat alteri reddendi. De hoc iure, & onere reſpectu vtriuſque procedit præſens titulus. Pro quo ſit

1 Aſſertio I. Petitio debiti per ſe, & propriè ſumpta non eſt neceſſaria ad ſalutem *Riccardus in 4. diſt. 32. art. 1. q. 2., & ibi Sotus q. vnica art. 2. verſ. quæſtio facilis eſt in fin., Angelus in ſumma verb. debitum coniugale n. 6., & ibi Silueſter nu. 10., Aſtenſis in ſumma part. 2. lib. 8. tit. 10. q. 8., Nauarrus in man. c. 16. nu. 25., Coninchus de Sacram. diſp. 34. n. 13., Baſilius Pontius de matrimon. lib. 10. c. 2., Hurtadus de matrim. diſp. 10. n. 49., Sanchez de matrimon. lib. 9. diſp. 2. num. 2., Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrimon. c. 1. n. 15.*

Petitio debiti ſecundum ſe ſumpta non eſt neceſſaria ad ſalutem.

Ratio ex eo deducitur, quia petitio debiti nullibi eſt præcepta, ſicuti eſt præcepta redditio petenti, ſi talis petitio per ſe, & propriè ſumatur, cum ius petendi introductum ſit in fauorem eius, qui petit, quilibet autem poteſt renuntiare iuri in ſui fauorem introducto *c. ad*

Apo-

Digitized by Google

Apoſtolicam de reg. c. ſi terra de priuileg., ergo non erit ſecundum ſe neceſſaria ad ſalutem, quandoquidem nec eſt neceſſaria de iure naturæ, cum natura ſuppoſito etiam coniugio non conferat onus, ſed poteſtatem, non de iure poſitiuo, cum de hoc nullibi conſtet, ergo &c. Confirmatur, quia quilibet coniux poteſt ſe obligare ad non petendum, ergo non tenetur ex aliquo præcepto petere. Antecedens patet in eo, qui ex proprio voluntatis arbitrio votum emittit ſimplex caſtitatis, vi cuius quamuis non eximatur ab onere reddendi, priuatur tamen iure petendi.

Dixi *per ſe, & propriè*, quia non negauerim quandoque per accidens, & impropriè teneri petere, & primo, quando
2 optimè norit alterum ſtimulis carnis agitatum ſummopere optare coitum, & pro erubeſcentia non audere expreſse petere, prout notant *Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrim. c. 1. num. 16., D. Thomas in addit. ad tertiam part. q. 64. art. 2. ad primam, Sotus in 4. diſt. 31. art. 4. concl. 1., Sanchez d. lib. 9. de debit. coniug. diſp. 2. n. 6.*, non ſolum moueor ea ratione, quia alter coniux teneatur conſulere incontinentiæ alterius, ſed etiam, quia illud offerre, & petere eſt quodamodo reddere; illa enim voluntas ſic exhibita à coniuge agitato, & cognita ab altero habet vim virtualis, & implicitæ petitionis, ac per conſequens alter ratione eiuſdem cenſetur reddere.

Niſi norit alterū ſtimulis carnis agitari, & præ rubore nō audere petere.

Hic ſolum circa hanc cauſam obligātem ad petitionem, quando alteri imminet periculum incontinentiæ ob carnis ſtimulos oritur difficultas, an coniux, qui norit periculum alterius, teneatur ex iuſtitia debitum ab altero petere, an vero dumtaxat ex charitate? Non verto
3 in dubium, quod ſi alter implicitè, & virtualitèr petat, licet expreſsè non petat ob verecundiam, teneatur ex iuſtitia alter reddere. Ratio eſt, quia coniux alteri petenti tenetur ex iuſtitia reddere, niſi ex legitima cauſa excuſetur, vt infra latius probabimus, ſed in hac hypotheſi quantumuis ipſe ſe offerat, & petat, intelligitur potius reddere ad alterius virtualem petitionem, ergo &c. Neque requiritur ad rigorem iuſtitiæ, quod fiat petitio debiti expreſsè, quandoquidem, cum taciti, & expreſſi idem ſit iudicium, ſicuti ad expreſſam petitionem oritur onus iuſtitiæ ad reddendum, ita etiam oritur ad virtualem, & tacitam. Difficultas eſt, quando præciſè præuidet coniux periculum incontinentiæ in altero, an tunc teneatur ex iuſtitia petere, an dumtaxat ex charitate; Circa hanc DD. maximè inter ſe diuiſos inuenio. Aliqui ſentiunt teneri abſolutè ex fidelitate, & 4
iuſtitia, inter quos *D. Thomas in addit. ad tertiam part. q. 64. art. 2. ad primum, & q. 49. art. 5. ad ſecundum, Petrus Ledeſma de matrim. q. 49. art. 5. dub. 2. concl. 2., Henriquez lib. 11. de matrim. c. 15. n. 17., Aſtenſis in ſumma lib. 8. tit. 10. art. 1. q. 4., Adrianus in 4., vbi de Eucharistia q. reſtat iam videre reſp. ad ſecundam rationem, Petrus Soto in inſtit. Sacerd. vbi de matrim. lect. 15. in fin.* Mouentur primo, quia imminente illo periculo incontinentiæ cognito ab altero coniuge videtur ex parte alterius interuenire tacita, & virtualis petitio. Secundo, quia ex vi coniugij videtur ineſſe vtrique coniugi onus præcauendi bono fidei, quod eſt, ne coniux admittat alienam copulam, & adulterinam. Tertio, quia medicus tenetur ægroto etiam non petenti exhibere medicinam, quam arbitratur eidem proficuam. Alij vero arbitrantur teneri ſolummodo ex charitate *Sanchez d. lib. 9. de debito coniugali diſp. 2. n. 7., Coninchus de ſacrament. diſp. 34. nu. 14., & 15., Durandus in 4. diſt. 31. q. 4.*, qui rationibus ex diametro oppoſitis mouentur primo, quia ibi nulla apparet petitio, nec etiam tacita, nec virtualis. Secundo, quia coniuges per contractum matrimonij obligantur quidem ad reddendum debitum, non autem ad curandū coniugem, & matrimonium quidem inſtitutum eſt poſt lapſum à iuſtitia orginali in remedium concupiſcentiæ in ordine ad ſe, vt ſcilicet petendo poſſit carnis ſtimulos cohibere, & ardorem ſedare, non autem in ordinem ad alterum, qui, ſi torqueatur huiuſmodi ſtimulis, poteſt ſimili remedio vti petendo ab altero, qui vtique tenetur ex iuſtitia petenti reddere. Tertio, quia ſi ex lege iuſtitiæ in ea hypotheſi teneretur petere, teneretur etiam non extante illo periculo incontinentiæ, quandoquidem, quod eſt debitum ex iuſtitia alteri eſt faciendum abſque conſideratione, quod ſit profuturum, nec ne? Quid ergo in hoc diſſidio concludendum? Probabilius adhæreo priori opinioni proptèr rationes pro eadem adductas; Ad rationes pro contraria parte nunc reſpondendum remanet, & quidem ad primam dicendum eſt in caſu periculi incontinentiæ in altero coniuge ipſam neceſſitatem clamare pro actu coniugali; ad ſecundam dicendum eſt ex vi ipſius coniugij, non ſolum poſſe ſibi coniugem conſulere ad ſedandum ardorem concupiſcentiæ petendo, ſed etiam teneri conſulere neceſſitati, & infirmitati alterius incontinentiæ periculo laborantis, vndè in eo periculo oblatio,

Si alter implicitè petat, tenetur alter ex iuſtitia reddere.

Qui præuidet periculum incontinentiæ in altero, an teneatur ex iuſtitia.

Sententia affirmatiua exponitur.

Sententia negatiua.

Præfertur affirmatiua.

Digitized by Google

tio, ſeu petitio actus coniugalis eſt quædam moralis, & interpretatiua redditio ſupplente vices petitionis expreſsæ ipſa neceſſitate.

5 Limita in caſu, quo nulla eſſet ſpes ex illa oblatione, quod ceſſare debeat periculum incontinentiæ.

Limitanda tamen hæc ſunt, & per hoc ſatisfit tertio aduerſantium obiecto, quando nulla adeſſet ſpes, quod ex illa oblatione, & interpretatiua redditione ceſſare deberet periculum incontinentiæ propter pertinacem v.g. propenſionem vxoris ad alienam copulam, nam tunc neceſſitas ad euitandam incontinentiam non clamat, nec illa exhibitio eſſet in remedium eiuſdem concupiſcentiæ, cum adhuc periculum illud vigeret; quinimmo tunc non eſſet ex parte eiuſdem periclitantis virtualis, & interpretatiua petitio.

6 Tenetur coniux petere debitum ad finem vitandæ in ſe ipſo fornicationis

Nō tamen ex onere iuſtitiæ.

Secundo tenetur alter coniux petere in ſuppoſitione, quod licitus ſit vſus matrimonij ad ſolum finem vitandæ in ſe ipſo fornicationis, nec poſſit aliter puta per orationes, ieiunia, carnis macerationes periculum illud auertere, in ordine ad illam fornicationem, ſeu periculum vitandum, & ratio eſt, quia vnuſquiſq; tenetur ſibi conſulere de medijs licitis, & neceſſarijs in ordine ad peccata vitanda, nec in hoc video poſſe eſſe controuerſiam; Difficultas ſolummodo eſt, an teneatur ex iuſtitia petere, an ſolummodo ex generali regula, qua quiſque tenetur vitare peccata, & pericula peccandi. Arbitror abſolutè non teneri ex onere iuſtitiæ, non ſolum quia iuſtitia eſt erga alterum, non circa ſe ipſum, ſed etiam, quia ſpontè non peteret, & volens, & ſic non patitur iniuſtitiam.

7 Tenetur item petere, quādo ita exigit bonū Reipublicæ.

Tertio, teneretur petere, quando ita exigeret bonum Reipublicæ, puta vt prolem procrearet ad ſedandas lites, & diſcordias, ad euertenda bella, & cædes, quod potiſſimum contingeret in Principe, qui, ſi hæredem non haberet, diſſidia plurima in Republica conſurgerent; nam ſicuti iſte ad tales calamitates euitandas, teneretur matrimonium contrahere; ſi non contraxiſſet, vt docent *Sanchez de matrimon. lib. 2. diſp. 3. ad finem, Martinus Ledeſma 2. part. q. 43. art. 3., Rebellus de oblig. iuſt. part. 2. lib. 2. q. 2. num. 7., Baſilius Pontius lib. 1. c. 4. n. 12.*, ita etiam tenetur ad eaſdem vitandas debitum coniugale petere ad procreationem hęredis legitimi *Petrus de Ledeſma q. 64. art. 1. difficult. 2. circa concl. 2. concl. 4., Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrimon. c. 1. num. 27.* Hac etiam ratione communitèr docent Theologi, quod in principio mundi, & in reparatione eiuſdem tenebantur homines pauci ſuperſtites in ordine ad propagationem ſpeciei nedum matrimonium contrahere, ſed etiam adinuicem debitum petere *D. Thomas in addit. ad tertiam partem q. 41. n. 2.*

8 Redditio debiti regularitèr loquendo eſt neceſſaria ad ſalutem.

Aſſertio II. Redditio debiti regularitèr loquendo eſt neceſſaria ad ſalutem, ſi alter, ſiue expreſsè, ſiue tacitè petat, dummodo iuſtè, & debitè petat, vel aliqua legitima cauſa non excuſet à reddendo *D. Thomas in 4. diſt. 32. q. vnica art. 2. quæſtiuncula 1., Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrim. c. 1 nu. 31.*, qui alios innumeros allegat *Sanchez de matrim. lib. 9. de debito coniug. diſp. 2. num. 3., qui etiam aſſerit hanc aſſertionem à nemine negari.*

Rationes pro aſſertio.

Ratio facilis eſt, quia ſuppoſito contractu matrimoniali legitimè inito coniuges adinuicem acquirunt ius in corpus alterius quoad debitum coniugale, prout colligitur ex illo 1. *ad Corinth. 7. Vxori vir debitum reddat, & vxor viro; nolite frandare adinuicem, niſi fortè ex conſenſu, vt vacetis orationi.* Rurſus *vir non habet ſui corporis poteſtatem, ſed vxor, ſimilitèr vxor non habet ſui corporis poteſtatem, ſed vir,* ergo altero exigente debitum alter ex vi eiuſdem contractus tenetur reddere. Confirmatur, quia poſito mutuo conſenſu per verba de præſenti conſurgunt ex illa conuentione mutuæ actiones, & obligationes, & vtique ex iuſtitia, ſicuti in cæteris omnibus contractibus; hæ autem actiones in alio congruentius non poſſunt conſiſtere, quam in poteſtate petendi, & onere reddendi.

9 Hoc onus reddendi debitum prouenit à iure naturæ, & diuino.

Ex quibus poteris deducere primo, quod hoc onus reddendi debitum alteri iuſtè, & debitè petenti non ſolum proueniat à iure naturali, ſed etiam à iure diuino; à iure quidem naturæ quatenus prouenit ex ipſo contractu, qui ex natura ſua obligat ad illud onus; ex iure diuino quatenus pręcipitur ab Apoſtolo loco citato. Secundo, quod illa obligatio eſt ex iuſtitia, cum proueniat à mutua conuentione in contractu matrimoniali, qui eſt vtrocitroque obligatorius, & habet omnes conditiones requiſitas ad rigorem iuſtitiæ. Tertio, quod talis obligatio ſit ſub onere peccati læthalis, cum ſit in materia graui, prout docent *D. Thomas, Sanchez, & Boſſius prællegati*.

10 Non requiritur expreſſa petitio, ſed ſufficit tacita in fœminis.

Dixi *ſiue expreſsè alter, ſiue tacitè, & interpretatiuè petat*; non enim neceſſe eſt, vt ſemper per expreſſa verba petatur, ſed ſufficit, quod petatur ſignis, nutibus, blanditijs, alijſque, quæ ex conditione perſonæ indicant animum petendi, licet non fiat petitio ob verecundiam verbis expreſſis *arg. l. de quibus ff. de legib., & c. dilecti de appel., D. Thomas loc. cit. art. 2., Maior in 4. diſt. 31. q. vnica concl. 2., & ibi Supplementum Gabrielis q. vnica art. 2. poſt*

Digitized by Google

quartam concl., *D. Antoninus 3. part. tit. 1. c. 20. §. 7.* Hoc præcipuè contingit in fæminis, quæ quantumuis luxurioſiores ſint, ſunt tamen magis verecundæ, & pro verecundia non aſſolent verbis expreſſis petere. Sed, an idem ſentiendum ſit quoad petitionem tacitam virorum, non concordant DD. Regularitèr ſentiendum arbitror, poſſe vxorem tuta conſcientia expectare expreſſam viri petentis, quandoquidem non præſumitur in viris ea verecundia, quæ ex conditione ſtatus intelligitur in fæminis, & viri abſq; aliquo reſpectu, quando appetunt, expreſſè petunt *Sotus in 4. diſt. 32. q. vnica art. 2. verſ. & vero duplex*, *Aſtenſis in ſumma lib. 8. tit. 10. art. 1. q. 6.*, *Sanchez d. lib. 9. de debit. coniug. diſp. 2. n. 5.* Dixi *regularitèr*; non etenim negauerim, quod, ſi ex qualitate perſonæ eadem verecundia præſumeretur in marito, quæ regularitèr præſumitur in fæminis, tacita ipſius petitio ſufficeret ad obligandum vxorem ad petendum; hoc pluribus in caſibus poſſet cõtingere primò, ſi vir ex natura ſit valdè puſillanimis, ſecundo, ſi vxor ſit duræ conditionis, ob quam maritus non audeat expreſſè petere. Tertiò, ſi ſit maioris auctoritatis, & dignitatis &c.

11 Regularitèr fæmina poteſt expectare petitionē expreſſā viri.

Nonnullæ exceptiones.

Ex eo autem, quod coniux teneatur ſub læthali alteri, vel expreſſè, vel tacitè petenti reddere, ſequitur etiam, quod teneatur etiam ſub eodem onere non auertere alterum volentem petere à petendo *D. Thomas in addit. ad tertiam partem q. 64. art. 2. ad quartum*, *Petrus Ledeſma de matrim. q. 64. art 4.*, *D. Antoninus part. 3. tit. 1. c. 20. §. 7.*, *Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrim. c. 1. n. 34.*, dummodo tamen auertat iniuſtè, & vim aliquam inferendo, ſi etenim remoueret à petendo precibus, & ſuaſionibus non contraheret talem noxam. Ratio autem, proptèr quam ſub graui teneatur alterum non auertere à petendo ea eſt, quia tolleret ius, quod alter habet, & ipſe quaſi petenti non redderet. Quid enim aliud eſt auertere alterum à petendo, dum norit velle petere, niſi ſe ſubtrahere iniuſtè ab onere reddendi?

12 Coniux ſub læthali tenetur non auertere alterum à petendo.

Quamuis autem petenti alter coniux teneatur ſub læthali reddere, hoc intelligendum eſt, quando petit ſerio, & exactè tanquam debitum iuſtitiæ, ſi enim peteret remiſſè, beneuole, & amice alliciendo, blanditijs incitando, vel per alia ſimilia, per quæ regularitèr potius titulo amicitiæ res petitur, quam ſub onere iuſtitiæ, tunc alter non reddendo non peccaret læthalitèr *Sotus in 4. diſt. 32. q. vnica art. 1. poſt concluſ.*, *Henriquez lib. 11. de matrim. c. 15. n. 7 in fin.*, *Pontius de matrim. lib. 10. c. 2.*, *Hurtadus de matrim. diſp. 10. n. 51.*, *Bonacina de matrim. q. 4. p. 1. n. 1.*, *Diana part. 5. tract. 5. reſol. 36.*, *Sanchez de matrim. lib. 9. de debito coniug. diſp. 2. n. 10.*, *Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrim. c. 1. nu. 35., & ſeqq.* Ratio autem ea eſt, quia nemo tenetur ſoluere debitum coniugale, niſi illud, vel expreſſè, vel tacitè petatur, ergo ad normam petitionis menſurandum eſt onus illius debiti perſoluendi, ergo, ſi petitio non ſit ſub onere iuſtitiæ, ſeu cum animo obligandi ex iuſtitia ad reddendum, neq; onus reddendi erit ſub graui, & læthali. Ad hoc caput reducitur etiam, quando altèr exactè peteret, & cum animo obligandi ſub graui, ſed precibus, & ſuaſionibus non inferentibus vim remoueretur à tali petitione ſaltem ſub tali onere; ſicuti enim in alijs debitis ciuilibus, quantumuis creditor exactè exigat à ſuo debitore creditum, ſi tamen precibus, & ſuaſionibus debitoris remoueatur à tali petitione, & moueatur ad dilationem, non peccat læthalitèr debitum non ſoluens pro tunc, ita etiam &c. *D. Antoninus part. 3. tit. 1. c. 20. §. 7.*, *Silueſter verb. debitum coniugale q. 8.*, *Aſtenſis in ſumma lib. 8. tit. 10. art. 1. q. 7.*, *Sanchez loc. cit. n. 13.*

13 Intellige, quod teneatur ſub læthali alteri reddere, quando alter ſerio petit

Dixi, *niſi rationabilis cauſa excuſet*, de qua cauſa excuſante latè agemus in ſubſequentibus. Hoc tamen vnum ſolum hic addendum arbitror, quod alibi docui, nempè, quod coniuges, qui de nouo contraxerunt, per verba de præſenti matrimonium ante conſummationem eiuſdem poſſint ingredi Religionem, vnus etiam altero inuito, & ſic alteri quantumuis ſeriò petenti non teneatur reddere, prout habetur *in c. ex publico de conuerſ. coniug.*, & definiuit *Tridentinum ſeſſ. 24. can. 6.*, *D. Thomas in addit. ad tertiam part. q. 61. art. 2., & in 4. diſt. 37. art. 3.*, vndè ad hoc per iura conceſſum eſt bimeſtre ad deliberandum de tali ſtatu, prout latè docuimus *tom. 6. ſub tit. Contractus XV. de matrimon. 1. à prænot. XIV. ad XVII., & ibid. Diſq. II. à §. 1. ad §. VII.*, vbi latè diſcutiuntur omnia dubia, quæ in hoc genere poſſunt emanare. Vide, quæ ibi ex profeſſo dicta ſunt; non enim vacat hic repetere.

Alia exceptio ad prædicta.

Aſſertio III. Præceptum, ſiue ſit naturale, ſiue diuinum reddendi debitum alteri petenti non eſt negatiuum, ſed affirmatiuum, & propterea non obligat ſemper, & ad ſemper *Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrim. c. 1. num. 11.*, & in hanc omnes arbitror conſentire.

14 Præceptū alteri reddendi debitum nō eſt negatiuum, ſed poſitiuum

Ratio ex eo deducitur, quia hoc præceptum habet commune cum cæteris omnibus affirmatiuis, quod non obliget pro

Digitized by Google

pro quocunque tempore, & per conſequens non ad ſemper, quinimmo, nec ſemper, quando petitur; vndè, ſi alter immoderatè, & nimis frequentèr petat, poterit alter quandoque negare iuxta regulas prudentiæ *Sanchez d. lib. 9. de debito coniug. diſp. 2. nu. 12., Coninchus de Sacrament. diſp. 34. n. 16., Homobonus de ſtatibus part. 2. c. 19. n. 4., Hurtadus de matrim. diſp. 10. n. 51., Baſilius Pontius de matrim. lib. 10. c. 2. num. 5., Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrim. c. 1. nu. 38.*, cum in contractu matrimonij non cenſeantur ſe obligaſſe coniuges ad reddendum immoderate, & pro omni tempore, cum in huiuſmodi vſu præcipuè ſit ſeruandus modus, cum per eundem vſum immoderatum non ſolum acies animi obtundatur, ſed etiam vires corporis non modicum debilitentur, prout ex doctrina Medicorum docet *Tiraquel. de leg. connub. l. 15. nu. 6., & ſeqq.*, vbi enumerat innumera mala, quæ ex immoderato coitu proficiſcuntur.

Rationes pro aſſerto.

Hic oritur difficultas, an coniugi non ita frequentèr, ſed moderatè petenti alter neget vna, vel altera vice excuſetur à culpa lethali? Affirmant *Corneius in tertiam part., D. Thomæ tract. 6. de matrimon. diſp. 5. dub. 1. q. 2., Ochagauia de Sacram. matrim. tract. 5. q. 1. nu. 6., Pontius de matrim. lib. 10. c. 2., Sanchez d. lib. 9. de debito coniugali diſp. 2. nu. 11.*, quos arbitror ea ratione moueri, quod, ſicuti in præceptis iuris poſitiui paruitas materiæ à grauitate culpę excuſat, ita etiam in onere reddendi debitum negatio pro vna, vel altera vice ratione leuitatis materiæ videtur excuſare, & propter hanc rationem plerique DD. etiam afferunt, quod dilatio ad aliquod breue tempus ad reddendũ alteri petenti non ingerat grauem culpam. Nihilominus contrariam opinionem non excuſantem à graui culpa

15 **Non excuſatur coniux à graui culpa, ſi alteri petenti, vna, vel altera vice neget.**

probabiliorem arbitror; atque ita ſentit *Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrim. c. 1. n. 41., Ioannes Tannerus tom. 4. diſp. 8. q. 6. dub. 2. nu. 16.* Ratio ex eo deducitur, quia illa negatio pro vna, & altera vice coniugi ſerio, raro, & moderatè petenti reputari non poteſt pro modica, leui, & parua materia, quandoquidem, cum vſus coniugalis nõ ſolũ inductus fuerit in officiũ naturæ ad propagationem ſpeciei, ſed etiam in remedium concupiſcentiæ, pro illa, vel altera vice, qua fit negatio, grauis iniuria oritur, & notabilis inuolũtarietas in petente, ob negatam executionem iuris ſibi competentis, cum ex illa negatione poſſit oriri negatio prolis, & periculum incontinentiæ. Non tamen abſolutè admitterem id, quod alij DD. deducunt nempè, quod dilatio ad reddendum pro modico tempore, inducat etiam grauem noxam, niſi illo dilatio coniungeretur cum manifeſto periculo incontinentiæ, illud enim modicum tempus, pro quo differtur ſolutio, non videtur inferre grauem iniuriam petenti, prout contingit in alijs debitis, quorum ſolutio licet exigatur à creditoribus, ſi difertur ad modicum tempus, non eſt grauiter peccaminoſa, niſi pro illo tempore, quo difertur coniungatur cum damnis eorundem creditorum.

PRÆNOTIO III.

An, & quænam cauſæ excuſent à redditione debiti.

Amplam nimis, & pluribus difficultatibus obuolutam materiam aggredimur, quæ, ſi indiſcriminatim, & ſine diſtinctione ſub eodem titulo agitarentur, ingenia plurimum confunderent, eũdemque titulum in immenſum protraherent. Quamobrem, vt clarius, & diſtinctius procedamus, placet hanc prænotionem in aliquot ſectiones diuidere, & ſub ſingulis earum ſingulas earundem cauſarum excuſantium materias accurato examine indagare. Quare ſit.

SECTIO I.

Vtrum qualitas loci, in quo petitur debitum, quandoque excuſet ab onere reddendi.

SVMMARIVM.

Locus, de quo poteſt eſſe dubitatio, duplex eſt, & quinam. 1.

Excuſantur coniuges à reddendo debito, ſi illud petatur in loco publico. 2.

Non ſolum ipſa redditio ratione loci publici ſit illicita, ſed etiam alij actus turpes. 3.

Enumerantur huiuſmodi actus, qui redduntur illiciti ratione loci publici. 4.

Ratione loci Sacri, non eſt illicita redditio debiti, ſi fiat vrgenti cauſa, ſecus ſi ſine illa. 5.

Quandonam dicatur extare vrgens cauſa. 6.

Ratione diutinæ detentionis in Eccleſia etiam ſine periculo incontinentiæ. 7.

Quando coniuges certo norunt diu in Eccleſia ſe detinendos eſſe, poſſunt ſtatim debitum petere, & reddere. 8.

Tempus requiſitum, vt coniuges poſſint licitè in Eccleſia congredi, eſt octo dierum. 9.

Tam qui petit, quàm qui reddit in loco Sacro ſine iuſta cauſa peccat. 10.

Sententes concubitum occultum in Eccleſia inter coniuges etiam ſine cauſa, non eſſe

peccatum graue. 11.
Contrarium eſt probabilius. 12.
Concubitus coniugum in Eccleſia ſine cauſa inuoluit ſacrilegium. 13.
Hac culpa ſacrilegij non deſumitur à grauitate delicti. 14.
Sententia aſſerens culpam ſacrilegij non oriri ex iure poſitiuo Eccleſiaſtico, vi cuius polluatur Eccleſia, ſed ex ipſa turpitudine actus exerciti in Eccleſia, cui adiecta eſt violatio Eccleſiæ. 15.
Sententia aſſerens deſumi prauitatem ſacrilegij ex iure poſitiuo Eccleſiaſtico præfertur. 16.
A quonam iure poſitiuo Eccleſiaſtico deſumatur hac prauitas remiſſiuè. 17.
Soluuntur rationes oppoſitæ Suarez. 18.
Non propter quamcunque irreuerentiam violatur Eccleſia. 19.
Per actum coniugalem exercitum ſine cauſa in Eccleſia polluitur ipſa Eccleſia. 20.
Nomine Eccleſiæ quoad hunc effectum non venit quicunque locus, ad quem confugientes gaudeant immunitate. 21.
Enumerantur ſpecialitèr loci, qui non veniunt nomine Eccleſiæ. 22.
Nomine Eccleſiæ comprehenduntur omnes partes Eccleſiæ interiores . 23.
Debet eſſe benedicta; & diuino cultui deputata. 24.
Dummodo non ſit diruta. 25.
Quid requiratur, vt Eccleſia diruta non ſit locus aptus ad inducendum ſacrilegiū. 26.
Capellæ conſtitutæ intra Eccleſiam comprehenduntur nomine Eccleſiæ quoad hunc effectum. 27.
Si capellæ ſint extra ſepta Eccleſiæ per huiuſmodi actus ipſæ polluuntur, non tota Eccleſia. 28.
Sepulturæ fidelium intra Eccleſiam ſunt partes eiuſdem Eccleſiæ. 29.
Cæmeterium benedictum, & deputatum fidelium ſepulturæ polluitur per huiuſmodi actus, non tamen tota Eccleſia. 30.
Nomine Eccleſiæ venit chorus, & locus organorum, ſi in Eccleſiam contineatur. 31.
Quid ſentiendum ſit de cellulis, in quibus recipiuntur confeſſiones fæminarum. 32.

1 **Locus duplex, & quinam.**

LOcus, de quo potiſſimum in præſenti poteſt eſſe controuerſia, an ſit aptus ad petendum, vel reddendum debitum, an non, quin potius an deobliget à redditione eiuſdem debiti, eſt locus publicus, vel ſacer, puta Eccleſia, vel quodcunque Oratorium Deo dicatum; & quidem in ordine ad locum publicum, prima ratio dubitandi erit, an ratione indecentiæ, inuerecundiæ excuſetur coniux rogatus ab altero inſipientèr petente in tali loco ab onere reddendi proptèr turpitudinem, quem in eodem inuolueret actus coniugalis. Secundo, an in tali loco non ſolum excuſentur coniuges à redditione debiti, ſed etiam à præſtatione aliorum actuum ad libidinem accedentium, puta tactuum impudicorum, amplexuum, & oſculorū. **Articuli examinandi circa vtrumque locum.**

In ordine vero ad ſecundum plures, & longè plures occurrent articuli examinandi; primus, an, & quandonam ratione loci ſacri coniuges excuſentur à redditione debiti. Secundus, an, & quando vſus coniugalis in Eccleſia, vel loco ſacro exercitus polluat Eccleſiam, vel locum ſacrum. Tertius, an, & quando copula coniugalis habita in loco ſacro, ſeu in Eccleſia inuoluat ſacrilegium; Quartus, quid ſentiendum ſit circa alios actus à copula coniugali elicitos in Eccleſia puta circa oſcula, amplexus, & tactus impudicos, & incidentèr alia plura ad hac materiam pertinentia.

Aſſertio I. Excuſantur legitimè coniuges a reddendo debito, ſi illud petatur 2 **Excuſantur coniuges à reddendo debito, ſi illud petatur in loco publico.** in loco publico *Maior in 4. diſt. 32. conel. 1.*, *Nauarrus in ſumma c. 16. n. 25.*, *Fagundez in decal. lib. 9. c. 6. n. 1.*, *Baſilius Pontius de matrim. lib. 10. c. 10. n. 1.*, *Hurtadus de matrim. diſp. 10. difficult. 4. in princip.*, *Ioānes Angelus Boſſius tract. de effect. matrimon. c. 1. n. 110.*, *Sanchez de matrimon. lib. 9. de debito coniug. diſp. 15. num. 1.*, qui etiam aſſerit hanc opinionem nullum habere contradictorem exceptis hæreticis Turrelupinis, qui inſanè aſſerebant non eſſe erubeſcendum de rebus, quæ natura inſunt.

Non diu immorandum in probatione huius aſſertionis, quandoquidem hanc ipſa naturalis ratio ſuadet; nemo enim tenetur ea exequi, quæ ipſa natura vetat honeſtati humanæ, & rationali; & certè quid turpius, & indignius quam publicè carnalitèr commiſceri? vndè ethnici etiam hunc publicum vſum prohibuerunt, vt Licurgus, vt refert *Plutarchus in vita eiuſdem*, & Romani etiam teſte eodem *Plutarcho q. Rom. 65.*, nec ſolum refundenda eſt hæc prohibitio in finem vitandi ſcandali, & ruinæ ſpiritualis aſpicientium, ſed etiam in ipſam turpitudinem actus in tali loco exerciti, quæ maximè diſſonat cum decentia, & verecundia hominibus innata, & ingenita. **Rationes pro aſſerto.**

Solum aliquid negotij videtur faceſcere aduerſus hanc aſſertionem id, quod in præcedētibus voluminibus aſſerebamus, quod, ſi ſcilicet coram Parocho, & teſtibus copula inter ſponſos haberetur, & hæc ordinaretur ad manifeſtandum conſenſum pro matrimonio, vtique haberetur pro forma ſubſtantiali eiuſdem matrimonij; incongruum autem videtur, quod pro tali effectu admitteretur, ſi ſe- **Inſtantia propoſita, & ſoluta.**

cun-

cundum ſe præſerret illam turpitudinem à natura ipſa prohibitam. Sed facili negotio poſſum occurrere huic obiectioni, quod, quantumuis ille actus ſic elicitus preſeferat illam turpitudinem non ſit tamen aliqua repugnantia, quin poſſit eſſe validus ad indicandum mutuum conſenſum, & propterea ad conſtituendum validum matrimonium, quantumuis ratione illius circunſtantiæ præſeferentis turpitudinem innoluat malitiam, & reddat ratione modi ipſum contractum in ſua origine illicitum.

Nec ſolum ipſa redditio debiti, ratione loci publici redditur illicita, & rogatus redditur deobligatus ab eodem reddendo, ſed etiam alij actus proximè accedentes ad eandem redditionem, dummodo tamen ſint tales ex genere ſuo, vt facilè inducant, ſeu prouocent ad venerem, & ad libidinem *Emanuel Sà in ſumma verb. peccatum verſ. facere n. 10., Sanchez d. diſp. 15. nu. 2., Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrim. c. 1. n. 111., Auerſa de matrim. q. 21. ſect. 6. in initio, Fillintius prima part. tract. 10. c. 9. n. 326.*, Ratio eſt, quia huiuſmodi actus ex ſuppoſitione, quod ſint tales vt incitent ad actus libidinoſos, præſeferunt quandam fæditatem honeſtati humanæ repugnantem. Si autem inquiratur, quinam ſint iſti actus præſeferentes hanc fæditatem, & prouocantes ad venerem, dico primo eſſe tales detectionem pudendorum coram altero ſexu, abſque rationabili cauſa, contrectationem partium inhoneſtarum coram alijs, vt ſi maritus tangeret verenda vxoris, vel forte etiam vxor partes inhoneſtas, & pudendas mariti, & alia ſimilia. Dico ſecundo non eſſe tales amplexus, & oſcula inter maritum, & coniugem, niſi coniūgantur cum actibus, & modo præferentibus maiorem fæditatem, quàm actus illi ſecundum ſe, & ex natura ſua præſeferant, quandoquidem huiuſmodi actus fiunt etiam inter ſponſos de futuro, nec cauſant ſecundum ſe in alijs ſcandalum, nec excitant aſpicientes ad libidinem. Ex quibus omnibus inferre licet, quod ſi reperirentur ſoli maritus, & vxor in loco publico, ſeu in quem de facili poſſent alij conuenire, & maritus ab eadem peteret debitum, non teneretur iſta reddere, quinimmo nec poſſet licitè; non teneretur, quia non tenetur ſe exponere periculo ingentis verecundiæ, non poſſet licitè proptèr rationem indecentię, & ſcandali.

3 Non ſolū ipſa redditio ratione loci publici fit illicita, ſed etiam alij actus impudici,

4 Enumerātur huiuſmodi actus, qui redduntur illiciti ratione loci publici.

Aſſertio II. Ratione loci ſacri, ſeu Eccleſiæ excuſatur à debito reddendo coniux, ſi petatur ſine neceſſitate vrgenti, & ſine iuſta cauſa, ſecus ſi neceſſitate vrgēte, & cū legitima cauſa *Coaruuias de ſponſalib. part. 2. c. 7. §. 2. nu. 3., Suarez tom. 3. in 3. partè D. Thomæ diſp. 81. ſect. 4. § tertio violatur verſ. 3. opinio, Laiman. lib. 5. tract. 5. c. 5. n. 8. verſ. tertio per illicitam copulam, Coninchus de ſacrament. q. 83. art. 3. n. 231., Fagundez de præcept. Eccleſiæ præcept. 1. lib. 3. c. 14. n. 26.*, & alij innumeri, quos referunt, & ſequuntur *Sanchez de matrim. lib. 9. diſp. 15. num. 8., & Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrim. c. 7. nu. 147.*

5 Ratione loci ſacri non eſt illicita redditio debiti, ſi fiat ex cauſa vrgenti, ſecus, ſi ſine illa.

Ratio primæ partis ex eo deducitur, quia vſus coniugalis exercitus in Eccleſia ſine vlla neceſſitate, vel cauſa iuſta, & legitima præſefert culpam grauem, & vtique ſacrilegam, vt docent præallegati omnes DD., & quidem congrua ratione, quandoquidem vſus ille quantumuis ſecundum ſe licitus, prout tamen exercitus in tali loco eſt iniurioſus loco ſacro, & contra reuerentiam eidem debitam, & præſefert quoddam vilipendium, & contemptum ſacrorum, proptèr quàm rationem iura Eccleſiaſtica ſtatuerunt per huiuſmodi actum coniugalem in loco ſacro ſine neceſſitate, & iuſta cauſa exercitum pollui Eccleſiam, vt infra vberrimè, & ad ſacietatem.

Rationes pro prima parte aſſerti.

Ratio ſecundæ partis ex eo deducitur, quia concurrente præcepto naturali de reddendo debito alteri coniugi petenti, & neceſſitate ad ipſum compellēte ſimul cum illa decentia, & reuerentia debita loco ſacro, ſeu Eccleſiæ præualere debet illa neceſſitas addicta illi oneri naturali illi extrinſecæ decentiæ loci ſacri, quandoquidem prohibitio illa vſus coniugalis in loco ſacro, ſeu Eccleſia eſt tantum de iure Eccleſiaſtico, vt infra latè probabimus; Neque dicas vſus coniugalis in loco publico nulla neceſſitate poteſt cohoneſtari, prout docet *Sanchez d. lib. 9. diſp. 15. nu. 1., Petrus Ledeſma de matrimon. q. 64. art. 7. ad primum, Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrim. c. 1. n. 110.*, ergo à fortiori etiam vrgente neceſſitate erit illicitus in loco ſacro, cum maior videatur reuerentia debita loco ſacro, quam decentia ſeruanda in loco publico; contra enim impugnaberis, quia vſus coniugalis in loco publico infert ex genere ſuo fæditatem, à qua natura ipſa abhorret, & ipſa fæditas eſt alijs præiuditialis proptèr ſcandalum, & proptèr incitamentum ad venerem, & ſic damnum publicum cum illa naturali fæditate præualere debet iuri exigendi debitum, nec poteſt excogitari neceſſitas talis, quæ cogat cum tanto periculo peruerſionis animarum, & cum tanta inuerecundia, à qua natura abhorret, ad debiti redditionem; vſus autem coniugalis in Eccleſia, ſeu loco ſacro exercitus, cum ſupponatur exerceri cum omni cautela non habet, niſi aliquā irre-

Rationes pro ſecunda parte.

Digitized by Google

irreuerentiam extrinſecam reſpectu eiuſdem Eccleſiæ, à qua poteſt excuſare neceſſitas, ſed de hoc infra vberius, cum prohibitio talis vſus ſit tantum ab Eccl.

Confirmatur eadem reſponſio, quia, ſi quis vrgente neceſſitate ad ſe ipſum tuendum contra agreſſorem, hunc occidat in Eccleſia cum moderamine inculpatæ tutelæ eximitur à quacunque culpa, prout docent DD. ſcribentes *in c. tuarum de priuileg., & c. propoſuiſti de conſecr. Eccleſ.*, ergo etiam, ſi quis actum coniugalem exerceat in neceſſitate in Eccleſia non cenſendus erit contrahere culpam læthalem neceſſitate ipſa ipſum excuſante.

Solum hic remanet explicandum, quãdonam intelligatur talis neceſſitas ſufficiens ad excuſandos coniuges à culpa læthali, ſi actum coniugalem exerceant in Eccleſia.

6 Quandonam dicatur extare vrgens cauſa.

Dic igitur tunc intelligi ſufficientem ad hunc effectum, quando coniuges diu detinentur in Eccleſia occluſi, vt nullus pateat aditus ad loca profana *Petrus Ledeſma prima part. q. 24. art. 3. dub. 7. caſ. 2., Bartolomæus Ledeſma dub. 12. de pœnit., Fagundez de præcept. Eccleſiæ præcept. 1. lib. 1. c. 14. n. 26., Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrim. c. 7. num. 152.*

7 Ratione diutinæ detentionis in Eccleſia.

Ratio eſt, quia pro tanto tempore, pro quo coniuges in illo loco Sacro, ſeu in Eccleſia detinentur occluſi, difficilimum eſt, quod poſſint continere, quinimmò, & moralitèr impoſſibile, & probabili periculo incontinentiæ exponerentur, ſi actum coniugalem ibidem non poſſent exercere. Sed immediatè hic alia ſuboritur difficultas, an ſolummodo poſſent licitè exercere imminente periculo incõtinentiæ, an vero etiam eo præciſo ob ſolam longam, & diutinam obſeſſionem, & detentionem. Plurimi tum apud *Sanchez d. lib. 9. diſp. 15. num. 13.*, tum apud *Ioannem Angelum Boſſium tract. de effect. lib. matrimon. c. 7. n. 151.*, inter quos *Silueſter verb. debitum coniugale n. 5., Ludouicus Lopez 2. part. inſtruct. de Euchar. c. 79. §. præterea ſeries*, ſentiunt abſolutè neceſſarium eſſe periculum incontinentiæ ad euitandam talem culpam læthalem in exercitio vſus coniugalis in Eccleſia, adeo, vt nec liceat intuitu prolis ſuſcipiendę, nec titulo mutui amoris fouẽdi, & multo minus ob delectationem ſenſitiuam, & rationem ex eo deducunt, quia nulla alia neceſſitas poteſt excogitari, quæ præualeat, ſeu præualere poſſit reuerentiæ debitæ Eccleſiæ præter periculum incontinentiæ, & hoc potiſſimum aſſerunt euenire in mercatoribus, & negotiatoribus, qui ſicuti ob negotia ſæcularia, & profana diu abſunt ab vxoribus ſuis, ita ob reuerentiam Eccleſiæ debitam debent abſtinere, perindè ac ſi abeſſent. Nihilominus alij, inter quos idem *Ioannes Angelus Boſſius, & Sanchez loc. cit., Fagundez de præcept. Eccl. præcept. 1. lib. 1. c. 14. n. 26., Suarez tom. 3. in tertiam part. D. Thomæ diſp. 81. ſect. 4. verſ. tertio violatur verſ. tertia opinio, Leſſius de iuſt. lib. 4. c. 3. de ſpecieb. luxuriæ dub. 10. num. 85., Coninchus de ſacram. q. 83. art. 3. n. 231., Villalobos prima part. tract. 8. diff. 24. nu. 6., & tract. 13. difficul. 41. nu. 5.*, volunt abſolutè, quod præciſè ratione longæ, & diutinæ detentionis in loco ſacro poſſint coniuges ſine culpa actum coniugalem in eo loco exercere, & in omnibus caſibus, in quibus licitum eſſet eam habere extra Eccleſiam, & ad eos omnes fines, ob quos inter coniuges licita eſt copula coniugalis.

Etiam ſine periculo incontinentiæ.

Huic ſecundæ opinioni tanquam mitiori, & minus fouendis ſcrupulis idoneæ, & ego adhærendum exiſtimo, proptèr eam rationem, quia veriſimile non eſt, quod velit Eccleſia obligare coniuges propter ſolam decentiam extrinſecam loci ſacri, vt eſſent abſtemij ab vſu coniugij pro tanto tempore; vndè potius credendum eſt indulgere infirmitati fidelium, quam eos coarctare ad duritiem tam grauem quoad actum cæteroqui ipſis licitum. Accedit potiſſimum, prout notant *Sanchez, & Ioannes Angelus Boſſius loc. cit.*, quod hoc eſſet inijcere laqueum animabus ipſorum coniugum, & præbere eiſdem fomitem ſcrupulorum, ſi dumtaxat imminente periculo incontinentiæ poſſent vſum coniugalem exercere; ſemper enim eſſent ancipites, an illud periculum ſufficiens ſemper immineret, adeoque &c.

Rationes pro opinione.

Alia hic ſuboritur difficultas, quam excitant *Sanchez loc. cit. nu. 13., Leſſius de iuſtitia lib. 4. c. 3. dub. 10. nu. 86., Fagundez de Eccleſ. præcept. præcept. 1. c. 14. num. 22.*, an quando certò moralitèr, vel probabilitèr creditur coniuges diù detinendos eſſe in Eccleſia poſsint immediatè, vel paulò poſt detentionem vſum habere coniugalem, an vero teneantur expectare ad medietatem temporis, vel ad finem? 8

8 Quando certò noſcunt diu ſe detinendos in Eccleſia poſſunt ſtatim copulam habere.

Probabilius arbitror cum eiſdem, & cum *Ioanne Angelo Boſſio d. c. 7. nu. 152. in fine*, poſſe immediatè à detentione vti coniugali actu. Ratio ex eo deducitur, quia non eſt maior ratio de vno, quam de alio tempore, & eo ipſo, quo ratione longæ, & diutinæ moræ in tali loco conceditur facultas coniugibus coeundi intra tempus illius moræ facultas non reſtringitur potius ad hoc tempus, quam ad aliud, ſed pro quacunque parte illius temporis debet cenſeri conceſſa.

Digitized by Google

Alia dehinc emergit difficultas, quale, & quantum debeat eſſe illud tempus, pro quo, ſi coniuges detinentur in loco ſacro, poſsint in eodem gaudere actu coniugali? Suarez *loc. cit.*, *& Petrus Ledeſma in ſumma de ſacrament. c. 10. de Eucharistia*, videntur aſſerere longum tempus quantum pertinet ad hunc effectum non extendi pluſquam ad tres dies, & ad tres noctes, dum breue tempus, pro quo aſſerunt non licitum eſse vſum coniugalem in Eccleſia reſtringunt ad vnam, vel alteram noctem. Sanchez *d. diſp. 15. n. 12. in fine*, duo aſserit, primum mentem horum DD. nempè Suarez, & Ledeſmæ non eſse, vt ad ita modicum tempus, cuiuſmodi eſt trium dierum, & noctium ſpatium reſtringatur illud longum tempus requiſitum, vt coniuges poſsint in Eccleſia congredi, vndè quando dixerunt, quod breue tempus, pro quo licitè non poſsunt congredi, ſit pro vna, vel altera nocte, hoc intelligendum ſit exemplificatiuè, & demonſtratiuè, non taxatiuè, & reſtrictiuè; ſecundum, quod longum tempus protrahatur vſque ad menſem. Ioannes *Angelus Boſſius d. c. 7. n. 154.*, nec ita dilatat, nec ita reſtringit, vt præcitati DD., ſed aſsignat tempus octo dierum, quod magis probabile exiſtimo, quia non videtur ita arduum, continere ad ſpatium octo dierum, & octo noctiū. Hic placet reſpondere ad ea, quæ ex nonnullis objiciuntur, nempe, quod cauſa negotiationis, ſeu rerum familiarium nonnulli abſunt ſpacio duorum, vel triū menſium, & tamen in ipſis non conſideratur periculum incontinentiæ, adeoq; quod nec videatur conſiderandum ex eo, quod per menſem v. g. detineantur coniuges in Eccleſia; placet, inquam, reſpondere cum *Fagundez de Eccleſiæ præcept. præcept. 1. lib. 1. c. 14. num. 27.*, non valere paritatem, quia quando alter coniux eſt abſens non eſt alter in proxima occaſione, & morali veluti tentatione ad copulam maritalem, ſicuti quando ambo ſunt præſentes.

9 **Hoc tempus extenditur ad octo dies.**

Soluuntur nonnullæ rationes oppoſitæ.

Ex huc vſq; dictis inferre poteris, quod ſi coniuges breui tempore detineantur in Eccleſia, & in ipſa detentione nouerint ſe non diu ibi permanſuros, ſed ad ſummum per quatuor, vel ſex dies non poſſint ibi licitè exercere actū coniugalem, & ſi exerceant contrahere grauem culpam, prout docent *Suarez*, *Fagundez loc. cit.*, *& Sanchez d. diſp. 15. nu. 12.* proptèr eam rationem, quia non eſt difficile per modicum adeo tempus continere.

Circa ea, quæ dicuntur in hac illatione inſurgit primo dubium, an vterque peccet grauitèr, tàm qui petit, quàm qui petenti reddit. Videtur prima fronte aſſerendum peccare dumtaxat petentem, non vero reddentem, quandoquidem reddens non ſpontè, & ex voluntatis arbitrio reddit, ſed compellente iure iuſtitiæ, à quo onere non videtur poſſe eximi ex eo, quod alter ratione loci iniquè petat, ſicuti non eximitur ab onere alteri reddendi ex eo, quod hic alter ratione voti caſtitatis, quo afficitur, iniquè petat. Nihilominus his minimè obſtantibus ſentiendum arbitror, tàm peccare petentem, quàm reddentem *Riccardus in 4. diſt. 32. art. 3. q.*, *Dominicus c. vnico n. 10. de conſecr. Eccl. in 6.*, *Roſella verb. debitum n. 7.*, *Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrimon. c. 7. n. 149.*, & alij innumeri quos refert, & ſequitur *Sanchez lib. 9. diſp. 15. num. 8.* Ratio ex eo deducitur, quia in hac ſuppoſitione detentionis pro modico tempore in Eccleſia non ſolum petitio, ſed etiam redditio repugnet ſanctitati loci, & reuerentiæ eidem debitæ; Neque obeſſe poteſt paritas deducta ab eo, qui iniquè petit ratione voti caſtitatis, quandoquidem in hoc caſu tota malitia ſe tenet ex circunſtantia ſe tenente ex parte ſolius exigentis debitum, vndè ipſe ſolum peccat exigendo; in caſu vero, de quo hic loquimur, malitia ſe tenet ex parte actus, qui reſpicit vtrumq; tàm ſcilicet petentem, quàm reddentem, adeoq; vterque illius conſtituitur reus; Neque hic audiendi ſunt aliqui, inter quos *Hoſtienſis in ſumma tit. de matrimonijs §. qui ſit effectus n. 22.*, *Ioannes Andræas in c. 2. nu. 3. de coniug. lepr.*, *Goffredus in ſumma tit. de matrim. contract. contra interdictum Eccl. in fin.*, *Abulenſis c. 5. Matthæi q. 237.*, qui aſſerunt petentem in loco ſacro peccare, reddentem vero tenori quidem agere, quantum poteſt modo conuenienti, vt petens à petitione deſiſtat, quod ſi hic nolit, ipſe reddendo non peccet. Non, inquam, audiendi ſunt, quia, cum illa petitio ſit iniqua, & actus, qui inde reſultaret ratione loci præſeferat fæditatem non eſt obligatio reddendi, ſicuti non eſt obligatio reddendi in loco publico, adeoq; &c.

Tam, qui petit, quà qui reddit in loco ſacro ſine iuſta cauſa peccat. 10

Inſtantia propoſita, & diſſoluta.

Inſurgit ſecundo dubium, an in hypotheſi, qua non eſt licitum coniugibus concumbere in Eccleſia proptèr temporis breuitatem, qua in eadem detinentur, vel ſunt detinendi, ſolum peccent læthalitèr coniuges concumbendo, notoriè, & publicè, an vero etiam occultè? Nonnulli aſſerunt, quando ille concubitus fieret occultè in loco ſacro non inducere culpam læthalem *Vaſquez in prima 2. D. Thomæ diſp. 98. nu. 6.*, *Baſilius Pontius de matrim. lib. 10. nu. 15.*, *Martinus Perez de matrim. q. 49. ſect. 4. n. 9.*, *Hurtadus de matrim.*

Sententiæ concubitū occultum in Eccleſia inter coniuges etiam ſine cauſa non eſſe peccaminoſum læthalitèr. 11

Digitized by Google

trim. diſp. 10. diff. 4. in fin., Leſſius lib. 4. c. 3. n. 88. verſ. adde, Fagundez de præcept. Eccl. præcept. 2. lib. 4. c. 4. nu. 32. Rationem ex eo deſumunt, quia copula coniugalis in loco ſacro non eſt ſacrilegium ob loci circunſtantiam, niſi quatenus eſt prohibita ab Eccleſia ſub pæna violationis eiuſdem Eccleſiæ, ita quod ſacrilegium deſumatur ab ipſa pollutione, & violatione Eccleſiæ, ſed per copulam coniugalem, & per effuſionem ſeminis occultam non violatur Eccleſia, nec impeditur in eadem diuinorum celebratio, ergo &c. Ex aduerſo ſentiunt peccare læthalitèr Suarez de Religione tom. 1. lib. 3. de reuerentia locis ſacris debita c. 7. nu. 4., Azorius part. 3. lib. 3. c. 31. q. 6., Auguſtinus Barboſa de offic. Episcop. alleg. 28. num. 49., Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrim. c. 7. n. 157., quibus quoad noxam læthalem adhærendum ago arbitror, propter eam rationem, quia non tollitur, quod non fiat contra præſcriptum Eccleſiæ, & cōtra reuerentiam loco ſacro debitam; nec obeſſe poſſunt ea, quæ ex aduerſo afferebantur de violatione Eccleſiæ, quandoquidem licet manente occulto illo actu non ſuſpendantur diuina in tali loco, ſi tamen poſtea fiat notorius, & Eccleſia ſine nouo actu intelligitur polluta, & omnia ſacra ſunt ſuſpendenda, donec fiat reconciliatio, quod clarè, & euidentèr demonſtrat per illum actum Eccleſiam pollui, non enim polluitur ratione ſuperuenientis notitiæ, vt per ſe patet.

12 Probabilius eſt peccaminoſum læthalitèr.

13 Huiuſmodi concubitus ſine cauſa eſt ſacrilegus.

Aſſertio III. Culpa læthalis, quæ cōtrahitur per actum coniugalem exercitū in Eccleſia ſine neceſſitate, & ſine iuſta cauſa inuoluit propriè ſacrilegium Suarez de Religione tom. 1. lib. 3. de reuerentia locis ſacris debita c. 7. nu. 4, Azorius inſtit. mor. part. 3. lib. 3. c. 31. q. 6., Rebellus part. 2. lib. 3. q. 19. nu. 7., Reginaldus lib. 52. nu. 33., Caſtrus Palaus part. 2. tract. 11. diſp. vnic. punct. 1., Villalobos tract. 8. difficult. 24., & tract. 13. difficult. 41. n. 5.

14 Hæc culpa ſacrilegij non deſumitur à grauitate delicti.

Sed antequam accedamus ad præſentis aſſertionis probationem placet illam controuerſiam diſcutere maximè inter DD. agitatam, à quonam ſcilicet habeat copula coniugalis, vt in Eccleſia exercita ſine neceſſitate ſortiatur culpam ſacrilegij; non enim videtur poſſe refundi in grauitatem delicti, quia in primis copula coniugalis ſecundum ſe nullum importat delictum, quinimmo etiam, ſi loqueremur de emiſſione ſeminis illicita in Eccleſia, hæc ſecundum ſe non inuolueret tantam malitiam, quantam inuoluit blaſphæmia, odium Dei, & hæreſis in eadem Eccleſia exercita, & tamen hæc nullam ſpecificam deformitatem recipiunt; nec videtur poſſe refundi in decentiam, & reuerentiam loci ſacri, quandoquidem maior indecentia, & irreuerentia videtur Eccleſiæ irrogari per tactus, oſcula, verba impudica inter ſolutos, quam per copulam coniugalem inter coniuges, cum illa ſint illicita, iſta verò ſecundum ſe præciſo loco licita, & meritoria, & tamen illa non habent ex loco ſacro ſpecificam malitiam ſacrilegij.

15 Sententia Suarez exponitur volentis ſacrilegiū deſumi ex ipſa turpitudine actus in Eccleſia.

Suarez 3. part. q. 83. art. 3. diſp. 81. sect. 4. §. 3. violatur Eccleſia opinione ſecunda, aſſerit non oriri in tali copula coniugali, ſicuti nec in emiſſione ſeminis illicita in Eccleſia rationem ſacrilegij ex eo, quod ex diſpoſitione iuris Eccleſiaſtici per illam copulam, ſeu emiſſionem illicitam polluatur Eccleſia, ſed ex ipſa turpitudine actus exerciti in eadem Eccleſia, quæ eſt cum indecentia, & irreuerentia eiuſdem, cui adiecta eſt veluti quædam cenſura violatio Eccleſiæ, ſeu ſuſpenſio ipſius, ne in ipſa fiant diuina; quod duplici potiſſimum probat argumento; primo; quia, ſi aduerſus furtum inducta eſſet pæna excommunicationis ratio malitiæ non deſumeretur ab excommunicatione, ſed à furto malo, & odioſo, ratione cuius contraheretur illa cenſura. Secundo, quia, ſi extraheretur ab Eccleſia reus, qui ad eandem confugit, vtique committeretur ſacrilegium, nec tamen violaretur Eccleſia, ergo ratio ſacrilegij non deſumitur ex ipſa Eccleſiæ violatione. Alia argumenta addunt nempè, quod fuerint reprehenſi edentes, & bibentes communi modo prima ad Corinth. 11., quod abutentes vaſibus diuino cultui dicatis, præſcindendo etiam à poſitiua Eccleſiæ prohibitione ſit indecorum, & ſacrilegum, quod videtur colligi ex illo Danielis 5., vbi Baltaſſar fuit damnatus, ob ſimilem abuſionem, & contemptum, quod Chriſtus Dominus eiecerit ementes, & vendentes à templo, tanquam ſacrilegos eiuſdem profanatores.

16 Sententia afferens deſumi prauitatē ſacrilegij ex iure poſitiuo Eccleſiaſtico præfertur.

Ex aduerſo Valentia 2. 2. D. Thomæ diſp. 6. q. 15. punct. 1. §. præterea etiam ad eandem ſpeciem, Vaſquez in primam ſecundæ D. Thomæ q. 72. art. 6. diſp. 98. nu. 4., & ſeqq., Caietanus 2. 2. q. 99. ad quintum dubium, Sanchez d. lib. 9. diſp. 15. num. 4., quibus adhærere videtur Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrim. c. 7. num. 136., & ſeqq. ſuſtinent deſumi prauitatem ſacrilegij ex iure poſitiuo Eccleſiaſtico, ſine quo hæc ſacrilega prauitas non reperiretur. Rationes plurimas ad hoc probandum deſumunt. Vnam, vel alteram adduco. Prima eſt, quia ſecluſo iure poſitiuo Eccleſiaſtico peccata, quæ in Ec-

Digitized by Google

cleſia committuntur, non contrahunt ſpecialem, & ſpecificam deformitatem ab ea, quam inuoluit ipſe actus ſecundum ſe conſideratus, niſi habeant ſpecialem irreuerentiam cum loco ſacro, qua ſacer eſt, vel niſi opponantur conſecrationi, ſeu deputationi eiuſdem Eccleſiæ ad diuina, & ſacra peragenda, at ſecluſo iure poſitiuo, & inſpecto ſolo iure naturæ nõ opponitur, ſeu habet irreuerentiam cum loco ſacro, qua ſacer eſt, nec tollit conſecrationem, ſeu opponitur benedictioni, qua locus ille deputatur ad diuina, ſeu ſacra peragenda, ergo &c. Minor probatur, quia quantumuis talis actus dedeceat loco ſacro potius, quam alteri loco profano, non tamen ſecundum ſe ſecluſo iure poſitiuo maiorem præſefert irreuerentiam, ratione cuius inducat ſpecificam malitiam ſacrilegij, ac præſferant alij actus peccaminoſi; tum quia nullum peccatum ex ſui natura opponitur conſecrationi, aut benedictioni. Confirmatur, quia ex eo, quod dies aliquis ſit inſtitutus ad laudandum, & benedicẽdum Deum non ſequitur, quod actus huiuſmodi in eodem exerciti inuoluant aliquam ſpecificam malitiam ſacrilegij diſtinctam à malitia eorundem actuum, ergo etiam ex eo, quod locus aliquis ſit dicatus Deo ad eundem laudandum, & benedicendum non ſequitur, quod actus huiuſmodi in illo exerciti, ſi præſcindas à iure poſitiuo, cõtrahant dictam ſpecificam malitiam ſacrilegij. Secunda eſt, quia, ſi ex eo, quod huiuſmodi actus in Eccleſia eſſent ratione loci ex genere ſuo ſacrilegia, omnia peccata in eadem patrata deberent eſſe talia, quod communitèr negatur; ſecluſo etenim iure Eccleſiaſtico quæro, cur potius ſit ſacrilegium pollutio in Eccleſia exercita, quam hæreſis, detractio, vel blaſphæmia? Huic opinioni adhæreo.

Rationes pro hac opinione.

Hic ſolum oritur difficultas, an malitia ſacrilegij, quæ contrahitur per huiuſmodi actus deſumatur præciſè ex eo, quod per illos violetur Eccleſia, quatenus ratio formalis eiuſdem ſacrilegij ſit ipſa pollutio Eccleſiæ, an vero ex aliquo alio iure poſitiuo Eccleſiæ interdicente eoſdem actus? Sanchez *d. lib. 9. de debito coniugali diſp. 15. n. 4.*, *Paludanus in 4. diſt. 31. q. 3. art. 2. nu. 14.*, *Riccardus in 4. diſt. 32. art. 3. q. 1.*, ſuſtinere videntur deſumi ex eo præciſè, quod ex diſpoſitione Eccleſiaſtica per huiuſmodi actus polluatur Eccleſia, quod ex eo euincitur, quia prędicti DD. non alia vtantur ratione, niſi hac, quia hæc deformitas ſacrilegij non deſumitur ex natura illorum actuum, ſed dumtaxat ex iure Eccleſiaſtico; at non

17 A quonã iure poſitiuo Eccleſiæ deſumatur hæc prauitas remiſſiuè.

inuenitur ius Eccleſiaſticum prohibens huiuſmodi actus in Eccleſia exerceri, niſi textus *in c. vnico de conſecrat. Eccl. in 6. c. Eccleſijs de conſecrat. d. 1. c. Eccleſijs d. 68. c. fin. de conſecrat. Eccl. c. ſignificaſti de adult. c. ſi motum de conſecr. diſt.* 1., qui omnes textus nullam faciunt mentionem de alia precedenti prohibitione, ergo per huiuſmodi DD. in tantum contrahitur ſpecifica malitia ſacrilegij, in quantum Eccleſia polluitur. Alij ex aduerſo reſpondent etiam antecedentèr, ſeu independẽtèr à violatione Eccleſiæ contrahi hanc noxam ſacrilegij, non quidem ex natura eiuſdem actus, ſed ex alio iure poſitiuo Eccleſiaſtico vetante huiuſmodi actus, quod colligunt ex eo, quod à temporibus Apoſtolorum fuit pręceptum Eccleſiaſticum non conuiuendi profanè in Eccleſia ob illius reuerentiam, quod & poſteriorum Pontificum, & Conciliorum decretis confirmatum eſt, quæ, ſi verificantur quoad profana conuiuia, non video, cur non debeat verificari in ordine ad carnalia commercia, quod, ſi dicatur non conſtare de huiuſmodi iure poſitiuo prohibente hæc carnalia, & coniugalia commercia; poterunt, & quidem non incongruè reſpondere, hoc ius non eſſe ſcriptum, ſed conſuetudinarium, & non ſcriptum, quatenus a temporibus Apoſtolorum, ita fuerit receptum, vt non fiant huiuſmodi actus ſine vrgenti neceſſitate in Eccleſia, quod ius conſuetudinarium habet tantam vim, ac ſi eſſet ſcriptum; hinc fit, quod poſtea poſito tali iure communitèr approbato ab omnibus Eccleſijs Eccleſia induxerit, vt per illos actus elicitos contra hoc ius non ſcriptum, ſed conſuetudine firmatum Eccleſia pollueretur. Vtraque opinio ſatis probabilis eſt. Illam vos eligite, quæ magis placet.

Explicatur duplex opinio vtraq; probabilis

Solum remanet nunc reſpondendum ad rationes, quæ pro Suarez afferebantur. Ad primam de furto, cui adiecta eſt excommunicatio, dicendum eſt furtum non prohiberi intuitu alterius virtutis à iuſtitia, qua iure naturali prohibetur ipſum furtum, vndè per illam excommunicationem ſolum malitiæ illius addecitur pœna, nec transfertur ad ſpecialẽ, & ſpecificam malitiam ſacrilegij; actus vero coniugalis, & à fortiori pollutio illicita non eſt prohibita præciſè fieri in Eccleſia intuitu caſtitatis, ſed intuitu Religionis proptèr irreuerentiam loci deputati ad ſacra peragenda, ac proindè non eſt mirum, quod transferatur in ſpecificam deformitatem ſacrilegij. 18

18 Soluuntur rationes oppoſitæ Suarez.

Eſt prohibitus conãgreſſus in Eccleſia ratione Religionis

Ad ſecundum dicendum eſt per illam extractionem rei ab Eccleſia committi

quidem ſacrilegium, non tamen eandem
19 Eccleſiam violari, quia in iure non eſt
Non propter quamcunq; irreuerentiam violatur Eccleſia.
diſpoſita illa violatio, ſicuti diſpoſitum eſt, quod contrahatur ſacrilegium proptèr irreuerentiam loci ſacri, & proptèr indecentiam in illo commiſſam; ex quibus poteris deducere, quod non proptèr quamcunque irreuerentiam in loco ſacro violetur Eccleſia, ſed ſolummodo proptèr irreuerentiam determinatam à iure.

Ad alia, quæ ſubduntur in cõfirmationem, reſpondendum eſt, & quidem ad illud, quod ex D. Paulo afferebatur, dicite, quod ibi damnentur commeſſationes in Eccleſia proptèr contemptum, qui præſumebatur in comedentibus, & bibẽtibus, quod videtur innuiſſe Apoſtolus in illis verbis, *aut Eccleſiam Dei contemnitis*, vel dicite ab initio primitiuæ Eccleſiæ fuiſſe præceptum Eccleſiaſticum, quod in Eccleſia vbi fit commeſtio ſpiritualis corporis, & ſanguinis Domini proptèr irreuerentiam, & decorem eiuſdem, non fierent commeſſationes corporales, quod poſtea fuit per Pontifices ſubſequentes, & Concilia confirmatum. Ad illud, quod ſubditur de vaſibus ſacris, proptèr quorum abuſum punitus eſt Baltaſſar, dicendum eſt immediatè reſultare contemptum in vſu illo, ſeu potius abuſu ſacrorum, ratione cuius damnatus fuit à Deo Balthaſſar, quinimmo videtur ille abuſus contra præceptum naturale, non vtendi vaſibus Deo dicatis in vſus profanos, quod non euenit in præſenti hypotheſi, ſecundum quam nullus ſupponitur contemptus &c. Ad illud tandem, quod de Chriſto Domino eiciente ementes, & vendentes à templo ſubditur, dicendum eſt, iuſtè hoc peractum fuiſſe, eo quia illæ emptiones, & venditiones fiebant cum nimio exceſſu, cum contemptu cultus diuini, & Religionis; impediebantur etenim orantes; cum ibi eſſent extenſæ mẽſæ numulariorum dantium, & recipientium ad cambia &c. His iam ſic ſuppoſitis.

Soluuntur aliæ rationes oppoſitæ.

Probatur iam aſsertio, quia, ſiue illo vſus coniugalis ſine graui neceſsitate, & iuſta cauſa exercitus in Eccleſia fuerit prohibitus, in quantum ex illo, iuxta diſpoſitionem iuris Eccleſiaſtici fuerit inducta violatio Eccleſiæ, vt volunt Sanchez, & alij, vel in quantum antecedentèr ad illam violationem per ius non ſcriptum, & conſuetudinarium fuerit interdictus proptèr reuerentiam Eccleſiæ, ſemper ſequitur, quod ille actus aduerſetur virtuti Religionis ſuppoſito illo iure Eccleſiaſtico prohibente ſub illo onere, ergo non eſt, cur non contrahat noxam ſacrilegij.

Rationes pro aſſerto.

Aſſertio IV. Ob actum coniugalem exercitum in Eccleſia ſine aliqua neceſſitate, & iuſta cauſa verè, & realitèr polluitur eadem Eccleſia *Le..us de iuſt., & iur. lib. 4. c. 3. de ſpecieb. luxuriæ dub. 10. n. 85., Suarez tom. 3. in tertiam partem D. Thomæ diſp. 81. ſect. 4. §. 3. violatur verſ. tertia opinio, Sairus lib. 5. de cenſuris c. 16. nu. 19., Toletus lib. 5. c. 12. n. 9., Coninchus de ſacramentis q. 83. art. 3. n. 231., Caſtrus Palaus tom 2. tract. 11. diſp. 1. punct. 1. n. 1. in fin., Auguſtinus Barboſa de poteſt. Epiſc. alleg. 28. nn. 47., & ſeqq., Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrim. c. 7. n. 147., & alij magis communitèr.* 20

Per actũ coniugalẽ exercitum in Eccleſia, ſine cauſa polluitur ipſa Eccleſia.

Expreſsè colligitur ex textu *in c. vnico de conſecrat. Eccleſia in 6. c. ſi motum c. Eccleſijs de conſecrat. c. ſignificaſti de adulter.*, quæ iura, cum expreſsè loquantur, de quacunque voluntaria ſeminis emiſſione; & hæc, de qua loquimur, eſt peccaminoſa, cum aduerſetur iuri Eccleſiaſtico prohibenti huiuſmodi vſum in Eccleſia ſub pæna violationis eiuſdem Eccleſiæ; Ex quibus inferre licet, quod Eccleſia per huiuſmodi vſum non polluatur, ſi fiat vrgente neceſsitate, & ex aliqua iuſta cauſa, cum nullam inuoluat culpam, nec iuri Eccleſiaſtico aduerſetur.

Hic ſolum pro complemento eorum, quæ pertinent ad vſum coniugalem in Eccleſia exercitum, quatenus prohibitus eſt ab Eccleſia ſub onere violationis eiuſdem Eccleſiæ, & ſub pæna ſacrilegij venit examinandum, quinam locus comprehendatur ſub nomine Eccleſiæ?

Dico primo, nomine Eccleſiæ non venire quemcunque locum, ad quem confugiunt, vt gaudeant immunitate *Sanchez de matrimon. lib. 9. diſp. 15. n. 23.* Ratio ex eo deducitur, quia, dum agitur de violatione Eccleſiæ, agitur de re odioſa, & pænali, & propterea leges circa ipſam ſunt ſtrictè interpretandæ, vt non extendantur vltra Eccleſiæ ſepta propriè ſumpta. Hinc deduces primo, Monaſteria, & eorum dormitoria quoad hunc effectum non venire nomine Eccleſiæ, licet veniant quoad fauorabilia, puta quoad immunitatem. Secundo non venire Eccleſiæ tectum, vndè emittentes ſupra tectum eiuſdem Eccleſiæ ſemen, vel hominem occidentes non dicuntur violare Eccleſiam, nec contrahere ſpecialem malitiam ſacrilegij *Gloſa in c. vnico de conſecr. Eccl. in 6., Henricus c. fin. n. 3. de conſecrat. Eccl., Roſella verb. conſecratio 1. num. 7., Suarez in tertiam partem D. Thomæ q. 83. art. 3. diſp. 81. ſect. 4. paulò poſt principium, Graſſius part. prima deciſ. lib. 2. c 48. n. 24., Nauarrus in ſumma c. 27. n. 256.* Tertio, non

21 Non quicunq; locus immunis quoad hunc effectum venit nomine Eccleſiæ.

22 Non veniunt Monaſteria, & dormitoria.

Nec tectũ Eccleſiæ?

non venire nŏmine Eccleſiæ aditus ante
portam ipſius, vndè, ſi ibi haberetur co-
pula, vel aliquis occideretur, non dice-
retur Eccleſia violari *Suarez loc. cit., Ma-
nuel primo tom. ſummæ in ſecunda edit. c.
154. nu. 10. concl. 9., & n. 7. concl. 6., San-
chez de matrimonio lib. 9. diſp. 15. nu. 26. in
fine*. Quid vero dicendum ſit, ſi in ipſa
porta ſecuta fuerit, vel ſeminis, vel ſan-
guinis emiſsio? tunc dico, quod, ſi con-
tingat intra lineam, quam attingunt
valuæ in liminibus, ſit ſacrilegium, &
conſequatur violatio Eccleſiæ, quia tunc
intra Eccleſiam illa actio propriè dicitur
fieri; ſi vero cõtingat extra talem lineam,
clauſuramue Eccleſiæ, minimè ſacrile-
giũ, & violatio Eccleſiæ ſequatur. *Domi-
nicus c. vnico n. 6. de conſecr. Eccl. in 6., Silue-
ſter verb. cæmeterium q. 3., Angelus verb.
conſecratio cæmeterij num.* 3. Quarto non
venire nomine Eccleſiæ cameras eidem
Eccleſiæ adhærentes, quia illæ, nec de-
putantur cultui diuino, nec vnum cor-
pus cum ipſa Eccleſia conſtituunt *Sotus
in 4. diſt. 33. q. vnica art. 3. concl. 3., Na-
uarrus in ſum. c. 16. nu. 22., Graffius prima
part. deciſ. lib. 2. c. 83. num.* 10. Quinto,
nec turrim, vbi Campanæ ad conuocan-
dos populos conſtituuntur *Henriquez lib.
5. de pænit. c. 6. n. 5. in comment. lit. H., Ma-
nuel primo tom. ſummæ ſecunda edit. c. 154.
n. 10. concl. 9., Ludouicus Lopez prima part.
inſtruct. c. 82. verſ. & vero de redditione*. Sex-
to, nec propriè comprehendi ſacriſtiam,
quia ad diuerſa munera deputatur; nec
vnum corpus propriè conſtituit cum Ec-
cleſia *Sanchez de matrimonio lib. 9. de debito
coniugali diſp. 15. n. 31.*

Nec aditus ante portam.

Quid ſentiendũ ſit de porta Eccleſiæ.

Non veniunt cameræ eidem Eccleſiæ adhærentes.

Nec campanilia.

Nec ſacriſtia.

Dico ſecundo, nomine Eccleſiæ, quã-
tum pertinet ad pręſens inſtitutum, com-
23 prehendi omnes partes Eccleſiæ interio-
res, quæ ſcilicet clauduntur parietibus
eiuſdem, dummodo tamen eadem Eccle-
ſia fuerit legitima poteſtate benedicta, &
diuino cultui deputata, & dummodo non
ſit diruta. In hoc dicto videntur con-
ſentire communitèr DD., & inter cæte-
ros Sanchez *d. lib. 9. diſp. 15. d n. 36., Vega
tom. 1. ſummæ in 2. edit. c. 94. caſ.* 5. Ratio
ex eo deducitur, quia in iuribus allega-
tis expreſsè dicitur, quod per volunta-
riam ſeminis emiſsionem, & profuſionem
violentam ſanguinis violetur Eccleſia,
ſed totum id, quod continetur in interio-
ri Eccleſiæ corpore a tecto interiori vſq;
ad pauimentum, & à ſumma ara vſq; ad
24 parietem oppoſitum conſtituit vnum
corpus eiuſdem Eccleſiæ, ergo &c. Re-
quiritur tamen, vt illa Eccleſia, ſeu illæ
Eccleſiæ partes fuerint ab habente legi-
timam poteſtatem benedictæ, & diuino
cultui deputatæ, prout notaũt *Sotus in*

Nomine Eccleſiæ comprehendũtur omnes partes Eccleſiæ interiores.

Debet Eccleſia eſſe benedicta, & diuino cultui deputata.

*4. diſt. 32. q. vnica art. 3. concl. 3., Nauar-
rus in ſumma c. 16. n. 32., Henriquez lib. 9.
de Miſſa c. 27. n. 5.*, nec incongrua ratione,
quandoquidem non conſtituitur locus
ſacer, niſi per benedictionem, & conſe-
crationem, & ad hoc vt ſortiatur quali-
tatem, vt per huiuſmodi actiones, nempè
per emiſsionem ſeminis, & ſanguinis hu-
mani polluatur, requiritur, vt ſit etiam
deputatus cultui diuino, vel fidelium ſe-
pulturæ *Graffius prima part. decis. lib. 1.
c. 20. n. 28., Emanuel Sà in ſumma verb. Ec-
Eccleſia §. polluitur Eccleſia*, Dixi, *dummo-* 25
do non ſit diruta, quia quando diruta eſt
non gaudet Eccleſiæ priuilegijs, vt notat
Sanchez d. lib. 9. diſp. 15. n. 37., quod aſserit
colligere *ex c. Abbate ad finem de verb. ſi-
gnif., & c. 2. de noui operis nunciat., & ex
c. hoc diximus 16. q. 7.* Contendunt hic ali-
qui, an ad hoc, vt Eccleſia illa diruta
dicatur non gaudere priuilegijs Eccleſiæ,
requiratur, vt fuerit diruta Epiſcopi au-
ctoritate, & nulla ſit ſpes reintegratio-
nis, an vero ſufficiat, quod quocunque
euentu fuerit diruta, ſiue fuerit ſpes reæ-
dificationis, ſiue non. Qua in conten-
tione *Sanchez d. lib. 9. de debito coniugali
diſp. 15. nu. 37.* videtur aſserere, quod re-
quiratur, quod fuerit diruta auctoritate
Epiſcopi, & quod nulla ſit ſpes reædifi-
cationis, & pro hac opinione citat *Ale-
xandrum l. Inter ſtipulantem §. ſacram n. 13.
ff. de verb. oblig., & ibi Iaſonem n. 30. Ad-
ditionatorem ad Bartolum in edit. antiqua ibi
verb. Eccleſia*. Ex aduerſo *Remigius de im-
munitate Eccleſia ampliat. 20., Iulius Clarus
in pract. crimin. lib 5. recept. §. fin. q. 30. n. 6.
verſ. maius eſt dubium, Farinacius in ſua
pract. q. 28. n. 70.* ſuſtinent ſufficere, quod
quocunque euentu fuerit diruta, dummo-
do non ſit ſpes reædificationis, quia tunc
verè non gaudet nomine Eccleſiæ. Alij
inter quos *Paz primo tom. pract. part. 5.
c. 5. §. 3. nu. 38.* dicunt, vel requiri Epiſ-
copi auctoritatem, vel quod nulla ſub-
ſit ſpes reædificationis, qui propterea
videntur tenere, quod, ſi fuerit præcisè
Epiſcopi auctoritas, amittat talis locus
dirutus omnia Eccleſiæ priuilegia, vel ſi
nulla fuerit, ſeu ſit ſpes reædificationis,
quantumuis Epiſcopi auctoritas non in-
teruenerit, adhuc talibus priuilegijs non
gaudeat. Quid iam in hac ſententiarum 26
varietate ſentiendum? Arbitror in pri-
mis, quod quantumuis fuerit dirutus ſine
auctoritate Epiſcopi, ſi tamen negliga-
tur, vt amplius in veneratione non ha-
beatur, nec cuſtodiatur, vt locus ſacer,
non committatur ſacrilegium, ſi in eo fiat
voluntaria ſeminis emiſsio, nec propriè
violetur; ſi vero cuſtodiatur, vt poſtea
reparetur, & propriè ſacrilegium com-

Dummodo non ſit diruta.

Quid requiratur, vt Eccleſia diruta non ſit locus aptus huic effectui.

Digitized by Google

mittitur, & violetur. Ratio primæ partis ex eo deducitur, quia tunc verè habetur pro loco profano, nec illi adhibetur reuerentia, vt Eccleſiæ, ſeu loco ſacro. Ratio vero ſecundæ partis ex eo deſumitur, quia cum reſeruetur, vt iterum reædificetur, non intelligitur vim conſecrationis, ſeu benedictionis amiſsiſſe, & adhuc intelligitur deputatus cultui diuino. Arbitror ſecundo, quod ſi fuerit dirutus auctoritate Epiſcopi ad effectum, vt ibi amplius ſacra non peragantur, & alibi Eccleſia ædificetur, non contrahatur ſacrilegium, ſi ibi fiat voluntaria ſeminis effuſio, vel perpatretur homicidium; ſi vero auctoritate eiuſdem fuerit dirutus ad effectum, vt in perfectiorem formam ibi reducatur, propriè ſacrilegium committitur, ſi ibidem huiuſmodi actiones exerceantur. Ratio primæ partis ex eo deducitur, quia tunc per illam deſtructionem intelligitur quodamodo profanatio ſine vlla prorſus intentione, vt poſtea in eodem reſtituantur ſacra, nec habeatur amplius, vt locus ſacer. Ratio ſecundæ partis ex eo habetur, quod per illam partialem deſtructionem ad illum effectum, de quo ſupra, non amittit iura loci ſacri, & cum perfecta fuerit, & redacta ad meliorem ſtatum nō indiget vlteriori benedictione. Arbitror tertio, quod, ſi non fuerit auctoritate Epiſcopi diruta, ſed vel ob antiquitatem, vel alio euentu, & nulla ſit ſpes reædificationis, tunc non committatur ſacrilegium, nec amplius locus ille gaudeat priuilegijs Eccleſiæ, atque ſic ſentiunt DD. allegati pro ſecunda opinione, nempe *Remigius, Iulius Clarus, & alij*.

Nonnullæ rationes dubitandi. Ex eo autem, quod dixerimus pro Eccleſia computari omnes partes anteriores Eccleſiæ, nempè a tecto interiori vſq; ad pauimentum, & a ſumma ara vſque ad parietem oppoſitum oritur ratio dubitandi primo, an capellæ, quæ continentur in eadem Eccleſia, comprehendantur nomine Eccleſiæ? Secundo, an ſepulturæ fidelium ſub eadem Eccleſia conditæ? Tertio, an cæmeterium annexum eidem Eccleſiæ in parte exteriori? Quarto, an chorus, & locus organorum? Quinto, an cellulæ, in quibus excipiuntur confeſsiones fæminarum?

27 *Capellæ conſtitutę intra Eccleſiā cōprehendūtur nomine Eccleſiæ quoad hunc effectum.* In ordine ad primum de capellis conſtitutis intra Eccleſiam dicendum eſt, eas comprehendi nomine Eccleſiæ *Vega tom. 2. ſummæ c. 94 caſ. 5., Sanchez de matrim. lib. 9. diſp. 15. nu. 25.* Ratio ex eo deducitur, quia capellæ ſic conſtructæ conſtituunt vnum corpus cum eadem Eccleſia. Quid vero dicendum ſit, ſi capellæ fuerint extra ſepta Eccleſiæ, tunc videndum eſt, an fuerint benedictæ, & ad cultum diuinum ordinatæ, quatenus in ipſis ſacra peragantur, an vero tales non ſint; ſi fuerint benedictæ, & ad cultum diuinum ordinatæ, & publicæ, dicendum quidem eſt eaſdem per præmemoratas actiones effuſionis ſanguinis violentæ, & emiſſionis ſeminis voluntariæ pollui, non tamen ipſas Eccleſias; ratio eſt, quia ipſæ habent ea omnia, quæ requiruntur, vt propriè habeantur pro loco ſacro, cum tamen non conſtituant vnum corpus cū Eccleſia, cum ſint extra eandem, non eſt, cur per earum pollutionem debeat, & ipſa Eccleſia intelligi polluta; Si non fuerint tales, nec ipſæ, nec Eccleſia polluuntur; non ipſæ, quia non habent cōditiones requiſitæ, vt reputentur pro loco ſacro; non Eccleſia, quia intra ipſam non continentur. 28 *Si ſint extra Eccleſiam ipſæ polluūtur, non Eccleſia.*

In ordine ad ſecundum de ſepulturis fidelium dicēdum eſt probabilius pollui, & huiuſmodi actiones in eiſdem exercitas inducere ſacrilegium *Sanchez de matrimonio lib. 9. diſp. 15. nu. 27.*, qui etiam rationem adducit, quia locus ille pro parte Eccleſiæ reputatur, & eſt deputatus ad fidelium ſepulturam. Sed an polluatur per tales actiones tota Eccleſia, an vero ſolummodo ille locus Sanchez non definit; ex quo tamen dicit eſſe partem Eccleſiæ, videtur etiam dicere, quod tota Eccleſia polluatur ſicuti polluitur ex eo, quod in alijs partibus interioribus eiuſdem Eccleſiæ tales actiones exerceantur. 29 *Sepulturę intra Eccleſiā veniunt nomine Eccleſiæ.*

In ordine ad tertium, de Cæmeterio dico, quod, ſi ipſum fuerit benedictum, & deputatum ad fidelium ſepulturas polluatur per huiuſmodi actiones, & per eaſdem committatur ſacrilegium *Abbas c. conſuluiſti n. 2. de conſecr. Eccl., Henricus c. fin. eod. tit. nu. 2., Paludanus in 4. diſt. 18. q. 8. art. 1. n. 19., D. Antoninus 3. part. tit. 12. c. 6. §. 7., Angelus verb. conſecratio cæmeterij n. 1., Nauarrus in ſumma c. 16. n. 3. verſ. interrogatus autem, & alij magis communitèr.* Ratio deducitur, tum quia hoc expreſsè habetur *in c. vnico de conſecrat. Eccl. in 6.*, tum quia intelligitur ab Epiſcopo benedictum, & deputatum ad fidelium ſepulturas; eodem autem modo polluitur per huiuſmodi actiones locus ad diuina deputatus, ac ad fidelium ſepulturas, prout habetur *in d. c. vnico*, ex quo fit, vt, ſi in eodem cæmeterio fuit ſanguinis, & ſeminis effuſio, non poſſint amplius in eo fideles ſepeliri, niſi fiat eiuſdem reconciliatio. Sed, an per pollutionem cæmeterij intelligatur tota Eccleſia, cui annexum eſt, polluta; negatiuè arbitrarer reſpondendum, eo quia 30 *Cæmeterium polluitur, nō tamen tota Eccleſia.*

Digitized by Google

quia ex quo eſt extra Eccleſiam non conſtituit vnum corpus cum eadem.

31 In ordine ad quartum de choro, & organo, ſeu loco organorū arbitror, quod probabilius ſit, quod ſi contineantur intra Eccleſiæ parietes, actiones huiuſmodi in illis exercitæ contineant, & ſpeciem ſacrilegij, & Eccleſiam violent *D. Antoninus 2. part. tit. 1. c. 21. §. 1. circa medium, Sanchez de matrimon. lib. 9. diſp. 15. nu. 33.* cum ſint partes eiuſdem Eccleſiæ ad cultum diuinum deputatæ.

Nomine Eccleſiæ venit chorus, & locus organorum, ſi intra Eccleſiam continētur.

32 In ordine ad quintum de cellulis, in quibus recipiuntur confeſſiones fæminarum, ſub varijs diſtinctionibus reſpondēdum exiſtimo, vel etenim huiuſmodi cellulæ continentur intra Eccleſiæ parietes, & tunc arbitror committi ſacrilegium, ſi in eiſdem fiat ſeminis voluntaria emiſſio; vel partim intra eoſdem parietes in ea ſcilicet parte, in qua mulier confitens genuflexa manet, & partim in concauitate muri diuiſa quodamodo per breuem parietem, & tunc dicit *Sāchez loc. cit. n. 34*, quod ſi huiuſmodi actiones exerceantur in ea parte interiori, in qua mulieres confitentur, ſint ſacrilegæ, & polluant Eccleſiam, ſi vero in ea parte quoquo modo diuiſa, in qua reſidet confeſſarius, nec ſint ſacrilegæ, nec polluant Eccleſiam. Vide, quæ ibi habet Sanchez.

Quid ſentiendū ſit de cellulis, in quibus recipiuntur confeſſiones fæminarum.

SECTIO II.

Vtrum qualitas temporis, pro quo petitur debitum quandoque excuſet à redditione eiuſdem.

SVMMARIVM.

Nonnulla ad hanc materiam pertinentia remiſſiuè. 1.

Excuſantur coniuges à reddendo, quando redditio eſſet noxia reddenti. 2.

Si petens ſit in periculo incontinentiæ, & reddens in periculo ſalutis corporalis, tenetur hic reddere. 3.

Febri laborans, aut aliquo graui morbo, non tenetur reddere. 4.

Non tenetur quis poſt prandium ſtatim alteri petenti reddere. 5.

Nec in balneis, vel ſtatim à balneis. 6.

Nec poſt ſectionem venæ, & ſanguinis emiſſionem. 7.

Nec ſi alter immoderatè, & nimis frequentèr petat. 8.

Immoderatus coitus ſecundum ſe inter coniuges, non eſt peccaminoſus lethalitèr. 9.

Secus, ſi ſit coniunctus cum certo moralitèr periculo detrimenti ſalutis corporalis. 10.

Nec tenetur reddere, ſi rogatus norit congreſſum futurum noxium petenti. 11.

Nec tempore lactationis, ſi lactanti immineat graue damnum, vel proli. 12.

Coniux ſanus non tenetur alteri leproſo reddere, vbi eſt periculum infectionis. 13.

Nonnullæ exceptiones. 14.

Extante periculo infectionis in prole non eximitur ſanus ab onere reddendi debitū. 15.

Coniux ſanus, quamuis non teneatur reddere leproſo, poteſt tamen licitè reddere. 16.

Ex horrore coniugis ſani congrediendi cum leproſo, quandoque eximitur ab onere reddendi, quandoq; non. 17.

Ex horrore graui eximitur ſanus, ſiue lepra præceſſerit, ſiue non. 18.

Si fæmina nupta nequeat parere abſq; mortis periculo, non tenetur reddere. 19.

Vxor eximitur à tali onere, quamuis proprium defectum nouerit ante celebrationem contractus. 20.

Renuente vxore conſummationi ob talem defectum matrimonium illud, non poteſt diſſolui. 21.

Vxor conſcia proprij defectus, & non manifeſtans peccat. 22.

Tenetur abſtinere à thoro. 23.

Quamuis non teneatur reddere, poteſt tamen. 24.

Etiam ſi præuideat non poſſe edere filios, niſi mortuos. 25.

Regularitèr tempore menſtrui, vxor non tenetur reddere. 26.

Accedere ad vxorem tempore menſtrui, non eſt lethale. 27.

Vxor non tenetur reddere pro tempore prægnationis, quando eſt periculum abortus fœtus. 28.

Stante periculo non tenetur reddere, quamuis fœtus adhuc non ſit animatus. 29.

Non tenetur ſtatim poſt partum reddere, quando ipſi imminet periculum infirmitatis. 30.

Etiam ſi non immineat illud periculum infirmitatis regularitèr loquendo. 31.

Non eximitur coniux ab onere reddendi ex eo, quod petatur pro diebus feſtis etiam ſolemnioribus, & ieiuniorum. 32.

Non eſt peccatum lethale petere nocte præcedenti communionem, nec eadem die poſt eandem. 33.

Poſt copulam conueniens eſt eadem die non communicare. 34.

Poſt debitum coniugale habitum ex recto fine, nulla eſt culpa accedere ad communionem. 35.

Etiam ex parte eius, qui exegit debitum. 36.

Poſt congreſſum coniugalem habitum præcisè ex fine captandæ voluptatis accedere eadem die ad communionem eſt veniale. 37.

Poſt ſumptam Eucharistiam eadem die coniugalitèr congredi, nulla noxa eſt. 38.

Plura,

Digitized by Google

1 Nonnulla ad hanc materiam pertinentia remiſſiuè.

PLura, quæ pertinere poſſunt ad præſentem titulum, latè attigimus, tum in hoc, tum in præcedentibus voluminibus, & primo *tom. VI.*, qui eſt primus de matrimonio *ſub tit. Contractus XV. de matrimon. 1. prænot. 37. n. 41.*, quod quando per Epiſcopum diſpenſatum eſt ſuper denuntiationibus, non quidem abſolutè, ſed ſolummodo, vt poſtponantur matrimonio celebrato per verba de præſenti, non licitum ſit coniugibus conſummare matrimonium eiſdem non præhabitis, quod latè ibidem probauimus. Secundo, *eod. tom. ſub eod. tit. prænot. 38. nu. 4.* diximus, non eſſe peccatum læthale conſummare idem matrimonium non acceptis prius Eccleſiæ benedictionibus, niſi præcipiantur alicubi ſub aliqua graui pæna. Vide, quæ ibi latè acta ſunt. Tertio, non poſſe cogi coniuges ad conſummandum matrimonium, vel ad reddendum debitum intra bimeſtre, prout alibi fuſè docuimus.

Id, quod ſub præſenti titulo ſpeciatim examinabitur, erit, an excuſentur coniuges à redditione debiti coniugalis pro tempore, pro quo tale exercitium, ſeu talis debiti redditio poteſt eſſe noxium, ſeu noxia ſaluti, ſeu incolumitati eorundem coniugum. Secundo, an excuſantur à reddendo, pro aliquibus diebus puta ſolemnioribus anni, & pro diebus publicarum ſupplicationum, ieiuniorum &c. Tertio, an intelligatur prohibitus actus coniugalis nocte præcedenti ad ſacram ſinaxim, vel die immediate ſequenti ad eandem.

Articuli examinandi circa præſentẽ titulum.

Aſſertio I. Regularitèr loquendo excuſantur coniuges ab onere reddendi debitum, quando petitur pro tempore, quo redditio ipſa eſſet noxia, ſeu periculoſa ſaluti eiuſdem reddentis. *D. Thomas in addit. ad tertiam partem q. 64. art. 1., & in 4. diſt. 32. q. vnica art. 1., Panormitanus in c. 1. de coniug. lepros., Caietanus in ſumma verb. matrimon. vbi de vſu matrim. vers. primus, Comitolus lib. 1. reſponſ. mor. q. 136., Baſilius Pontius lib. 10. c. 14. n. 2., Bonacina q. 4. punct. 1. n. 3., & 4, Villalobos part. 1. tract. 13. difficult. 48. n. 1., & ſeq., Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrim. c. 1 num. 168., & ſeqq.*

2 Excuſantur coniuges à reddendo, quando redditio eſſet noxia reddenti.

Ratio ex eo deducitur, quia ratio ipſa naturalis poſtulat, vt prius quis ſibi, propriæque incolumitati conſulat, & in ſe ipſo perficiatur, quam quod alteri conſulat, & extendatur in ordine ad alterũ, ergo cum detrimento propriæ ſalutis, & incolumitatis poteſt nolle vacare generationi alterius, nec votis petentis, nec onus iuſtitiæ in tali ſtatu, ſeu in tali diſcrimine intelligitur obligare.

Rationes pro aſſerto.

Difficultas ſolummodo hic oritur, an ſi alter, qui petit, ſit in periculo incontinentiæ, & ruinæ ſpiritualis, ille, qui ſubditur tali periculo ſalutis corporalis, teneatur eo non obſtante petenti reddere. In hac hypotheſi arbitrarer, quando tale periculum ſpirituale petentis non poſſet aliunde vitari, teneretur eidem reddere, nõ obſtante illo periculo ſalutis corporalis propriæ. Ratio ex eo deducitur, quia ordo charitatis poſtulat, vt ſalus aliena ſpiritualis præferatur propriæ corporali per ea, quæ alibi ſparſim commendauimus, quod potiſſimum verificatur, quando rogatus eſt ex alio titulo iuſtitiæ obligatus, ergo hoc idem erit dicendum in præſenti hypotheſi. Dixi, *ſi aliunde vitari non poſſit tale periculum ſpirituale*; nam, ſi per preces, ieiunia, & alia poſſet petens in tali periculo conſtitutus ſibi conſulere, certè alter cum tanto ſuo diſcrimine eidem reddere nõ teneretur, & regularitèr non præſumitur in tali periculo damni ſpiritualis petens conſtitutus, quin per alia media poſſit eidem obuiare.

3 Si petens ſit in periculo incontinentiæ, & reddens in periculo corporali tenetur hic reddere.

Ex dictis plurima in particulari poſſunt inferri, & primo, quod coniux febri laborans, aut alio graui morbo, ex quo damnum poſſit prouenire, non teneatur alteri petenti reddere *Paludanus in 4. diſt. 32. q. 1. art. 2. nu. 7., Filliutius tom. pr. part. 2. tract. 10. n. 339., Baſilius Pontius lib. 10. c. 14. n. 2., Fagundez in Decal. lib. 6. c. 2. n. 47., Villalobos part. 1. tract. 13. difficult. 48. n. 1., Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrimon. c. 1. n. 170.* Ratio eſt, quia extante tali morbo ex carnali copula graue ſalutis corporalis detrimentum rationabilitèr imminet. Dixi *aut alio graui morbo, ex quo damnum poſſit prouenire*; non enim ex dolore v. g. dentis molaris, aut capitis ſine febri videtur poſſe eſſe ſufficiens cauſa ad ius denegandi debitum; non enim ex tali redditione videtur poſſe imminere graue damnum; quod ſi ex medicorum iuditio ex vehementi, & continuato capitis dolore grauius morbi periculum immineat, tunc certè arbitror, non teneri reddere.

4 Febri laborans, aut aliquo graui morbo nõ tenetur reddere.

Secundo, quod non teneatur coniux immediatè poſt prandium alteri petenti reddere *Sanchez lib. 9. de coniug. debito diſp. 24. n. 4., Bonacina q. 4. punct. 1. n. 3. & 4., D. Antoninus 3. part. tit. 1. c. 20. §. 10., Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrim. c. 1. n. 171.* Ratio ex eo deducitur, quia ex coitu pro tali tempore regularitèr damna corporalia proueniunt; cum etenim tunc ſpiritus vitales concurrant ad illum actũ, cibi non concoquuntur, vnde cruditas eorundem oritur, & cibi ipſi non digeruntur, & corrumpuntur &c. Accedit, quod

5 Nec tenetur quis poſt prandium immediatè alteri petenti reddere.

ex

Digitized by Google

ex coitu pro tali tempore iuxta medicorum iudicium phtiſas generantur.

Tertio, quod non teneatur in balneis, vel ſtatim à balneis reddere debitum, quia talis copula ex medicorum iudicio valdè eſt ſaluti pernicioſa, prout teſtantur *Sanchez lib. 9. d. diſp. 24. n. 5., D. Antoninus 3. part. tit. 1. c. 20. §. 10., Ioannes Angelus Boſſius d. tract. de matrim. c. 1. n. 171.*

6 Nec in balneis, vel ſtatim à balneis.

Quarto, poſt ſectionem venæ, & emiſſionem ſanguinis non teneri reddere propter eandem rationem, atque ita docent *Ioannes Angelus Boſſius d. tract. de effect. matrimon. c. 1. n. 171.*, & alij.

7 Nec poſt ſectionem venæ, & & ſanguinis emiſſionem.

Quinto, nec teneri reddere, ſi alter immoderatè, & frequentiùs quam par ſit, exigat, quia frequens ille coitus valdè pernicioſus eſt ſaluti corporali, nam vires corporis attenuat, aciem ingenij obtundit, aliaque damna gignit *Paludanus in 4. diſt. 32. q. 1. art. 2., D. Antoninus 3. part. tit. 1. c. 20. §. 10., Ioannes Angelus Boſſius loc. cit. n. 172., & Sanchez loc. item cit. n. 6.*

8 Nec ſi alter immoderatè, & frequenter petat.

Circa hanc illationem diſputant nonnulli DD., an ille immoderatus, & frequens vſus coniugij inducat culpam læthalem. Iuxta duplicem conſiderationem poteſt præſens diſputatio dilui; vel etenim ille vſus frequens, & immoderatus conſideratur ſecundum ſe præciſè; vel prout coniungitur cum certo, & morali periculo ſalutis corporalis; Iuxta primam conſiderationem ſentit *Prapoſitus rub. de ſponſal. n. 13.* immoderatum coitum cum vxore eſſe peccaminoſum læthalitèr, quia nec generationi deſeruit, nec euitandæ incontinentiæ periculo neceſſarius eſt. Nihilominus abſolutè aſſerendum eſt, non eſſe peccaminoſum læthalitèr *Abulenſis c. 5. Matthæi q. 236., Vera Crux 3. part. ſpeculi art. 16., Sanchez de matrim. lib. 9. diſp. 24 n. 6., Ioannes Angelus Boſſius tract. de matrim. c. 1. n. 172.* Ratio ex eo deducitur, quia ille coitus poteſt deſeruire ad generationem prolis, ſi nondum eſſet concepta, vel ad ſedandam concupiſcentiam, ſi illa fuerit concepta, vel ad voluptatem captandam; quocunque autem motiuo fiat, vel nullam inducit culpam, quando ſcilicet ordinatur, vel ad generationem, vel ad concupiſcentiam ſedandam, vel ad ſummum venialem, ſi fiat ob voluptatem præciſè, vt ſupra, ergo &c.

9 Immoderatus coitus ſecundum ſe non eſt peccaminoſus læthalitèr.

Iuxta ſecundam conſiderationem probabilius arbitror peccare læthalitèr *Sanchez lib. 9. diſp. 24. nu. 8., Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrimon. c. 1. n. 169., & 172.* Ratio eſt, quia cum non habeat dominium ſui corporis, non poteſt ſine graui culpa illud exponere per immoderatum, & nimis frequentem coitum periculo illi ſalutis &c.

10 Secus ſi ſit coniunctus cum morali periculo ſalutis corporalis.

Ex quibus omnibus poteris deducere, quod quando ex frequenti, & immoderato coitu, vel ex coitu ſimplicitèr imminet periculum damni corporalis nedum non teneatur alter reddere, ſed nec poſſit reddere abſque nota grauis culpæ *Sotus in 4. diſt. 32. quæſt. vnica art. 1. concl. 2., Caietanus in ſumma verb. matrimonium c. vltimo de peccatis in vſu matrimonij. Petrus de Soto lect. 16. de matrimon. §. tunc etiam propter hac, Sanchez de matrim. lib. 9. diſp. 24. num. 8., Ioannes Angelus Boſſius d. cap. 1. num. 169.* Illatio ex prædictis.

Hæc procedunt, quando reddens norit ſibi fore noxiam redditionem debiti, ſed quid dicendum erit, quando norit redditionem ipſam futuram eſſe noxiam petenti? Sentio etiam in hac hypotheſi nec teneri, nec poſſe reddere. Ita quoad primam partem, quod ſcilicet non teneatur *Sotus in 4. diſt. 31. q. vnica art. 3. paulo poſt princip. verſ. inter ſoluendum. Angles Floribus pr. part. de matrim. q. 6. de oblig. ſoluendi deb. diffic. 1.* Quoad ſecundam, quod ſcilicet non poſſit *D. Antoninus 3. tertia part. tit 1. c. 20. §. 4., Silueſter verb. debitum q. 5.* Ratio primæ partis ex eo deducitur, quia nemo tenetur cooperari alterius damno, quod ipſe ſibi parat, & ſicuti nemo tenetur tradere gladium furioſo, quamuis ſit illius dominus, quo velit ſe ipſũ perimere, ità nec tenetur reddere debitum petenti, ex quo prçuidet graue damnũ eidem in ſalute corporali prouenturũ. Ratio ſecundæ partis ex eo deducitur, quia, ſicuti grauitèr peccaret, qui redderet gladium furioſo volenti ſe ipſum interimere, ita etiam &c.

11 Nec tenetur reddere ſi rogatus norit congreſſũ futurum noxium petenti.

Sexto, ſi pro tempore ablactationis immineat graue damnum temporale, vel vxori prolem iam ſuſceptam lactanti, vel eidem proli ex redditione debiti marito exigenti, non teneri reddere *Petrus de Ledeſma de matrimon. q. 64. art. 1. dub. 4., Sanchez de matrim. diſp. 22. n. 15.* Procedit in ſuppoſitione, quod tale periculum immineat; nam reuera, (quantumuis *Galenus lib. 1. de ſanitate tuenda* aſſerat, quod *à venere omninò abſtinendum ſit à quacunque lac prabetur, nam & menſes veri conſuetudine prouocantur, & lac odoris gratiam in deterius mutat, quin etiam aliqua in vtero concipiunt, quo alienius à puello adhuc lactante nihil eſt.* Et Plinius *lib. 28. naturalis hiſtoriæ c. 9. ad princip.* dicat *concipere nutrices exitioſum eſſe*) experientia docet in vxoribus pauperibus hæc damna crebrò non prouenire, cum ipſę pueros, quos pepererunt, oblactent, nec à coitu pro illo tempore abſtineant, cum nimis durum eſſet maritis ſi pro toto illo tempore lactationis, quæ regularitèr protrahitur ad biennium deberent ab vſu matrimonij abſtinere.

12 Nec vxor tempore lactationis, ſi lactanti immineat graue damnum, vel proli.

Qua-

Digitized by Google

Quamobrem procedit ſolummodo, quando experientia conſtaret, quod vxor reddendo debitum, & concipiendo pateretur exſicationem vberum, & lac euadere pernitioſum tum ipſi vxori, tum proli, quæ lactatur. Procedit item in ſuppoſitione, qua non habeant coniuges, quo poſſint nutrici ſoluere ad effectum, vt prolem lactet; ſi etenim habeant, quo poſſint per nutricem prolem educare, non video, cur vxor teneatur cum illo ſalutis ſuę diſcrimine reddere marito exigenti debitum, dum prolem oblactat; quibus ſuppoſitis facilè liquet ex generali regula ſupra tradita non teneri vxorem pro tali tempore reddere, niſi periculum incontinentiæ in marito vrgeret.

13 **Sanus non tenetur reddere leproſo, vbi eſt periculum infectionis.**

Septimo coniugem ſanum non teneri alteri leproſo exigenti reddere, vbi iudicio medicorum eſſet periculum infectionis *Durandus in 4. diſt. 32. q. 1. n. 8., & ibi Paludanus q. 1. art. 2. n. 7., Henriquez lib. 11. de matrim. c. 15. n. 7., Ludouicus Lopez part. 1 inſtruct. c. 83. §. ſed an viro leproſo, Graſſius pr. part. deciſ. lib. 2. c. 83. n. 6.* Dixi vbi iudicio medicorum eſſet periculum infectionis, nam ſi tale periculum non adeſſet, vtique non excuſaretur a reddendo; hinc inferunt, quod ſi ex congreſſu frequenti timeretur talis infectio, non autem ex vno, vel altero coitu teneretur ſanus vna, vel altera vice reddere, non tamen cum illa frequentia, quia in primo caſu ceſſat periculum, non ſic in ſecundo. *Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrimon. c. 1. n. 184., & alij plures apud eundem*; inferunt ſecundo, quod

14 **Nonnullæ exceptiones.**

cum ex medicorum iuditio mulier ſana ſaltem regularitèr loquendo non ità exponatur periculo reddendo marito leproſo, ſicuti exponitur maritus ſanus reddendo vxori leproſæ, regularitèr non eximatur ab onere reddendi vxor ſana, quamuis eximatur maritus. Ratio autem, cur vxor ſana non exponatur illi periculo reddendo marito leproſo, & è contra maritus ſanus reddendo vxori leproſę ità exponatur, ex eo deducitur, quia inſtrumentum virile, vtpote temperamenti nimis calidi, & poroſi facilius attrahit illas qualitates noxias, & infectas, matrix autem fæminæ, cum ſit ſicca, & frigida, non ita facilè attrahit, quin potius reſiſtit, & expellit humorem noxium, & infectum. Neque aduerſus ea, quæ dicuntur in hac illatione aliquid obſtare poteſt textus *in c. 2. de coniug. leproſ.* vbi ſic legitur. *Quod ſi virum, ſiuè vxorem leproſum fieri contigerit, & infirmus à ſano carnale debitum exigat generali præcepto Apoſtoli, quod exigitur, eſt ſoluendum, cui præcepto nulla in hoc caſu exceptio inuenitur*; cui textui aſſiſtere videtur ratio naturalis ſita in eo, quod ex momentanea coniunctione ad copulam non videtur imminere illud periculum infectionis in coniuge ſano; Non, inquam, obſtare poteſt, quia ille textus innititur præſumptioni, quod ex illo congreſſu nullum immineat periculum, quod quandoque verum eſſe non poteſt, cum ex qualitate lepræ tenacis, & contagioſæ facilis poſſit eſſe infectio, quod propterea merito Medicorum iudicio remiſſimus; quod ſi dicatur, *quod nulla in hoc caſu exceptio inueniatur*; ſtatim reſpondebimus, quod, quamuis nulla ſpecialis reperiatur, reperiatur tamen generica imbibita in illa vulgari regula, quod coniux non teneatur reddere cum periculo propriæ ſalutis corporalis.

Inſtantia propoſita, & diſſoluta.

Circa hanc illationem duo potiſſimum dubia conſurgunt, quorum primum eſt, an ſi non adeſſet periculum infectionis in coniuge ſano congrediente cum leproſo, eſſet tamen periculum talis infectionis in prole naſcitura, eximeretur coniux ſanus ab onere reddendi debitum alteri leproſo petenti; Secundum, an ſi adeſſet periculum infectionis in coniuge ſano per congreſſum cum leproſo, non ſolum poſſit ſanus nolle congredi, ſed etiam teneatur non congredi; His duobus dubijs placet alterum addere, an ſcilicet, quantumuis nullum ſit periculum infectionis in coniuge ſano, adſit tamen horror quoad coniugem ſanum accedendi ad leproſum, ex tali horrore præcisè eximatur ab onere eidem coniugi leproſo debitum reddendi.

Nonnulla dubia circa hanc illationem.

In ordine ad primum abſolutè aſſerendum exiſtimo, non obſtante periculo illo infectionis in prole naſcitura non eximi coniugem ſanum ab onere reddendi debitum *D. Thomas in 4. diſt. 32. q. vnica art. 1. ad quartum, Aſtenſis in ſumma 2. part. lib. 8. tit. 10. art. 3. q. 1., D. Antoninus 3. part. tit. 1. c. 20. §. 10. ad finem in 4. caſu, & alij magis communitèr* aduerſus *Medinam C. de reb. reſtit. q. 19. §. vlt., Palacios in 4. diſt. 32. diſp. 1. ad fin. caſ. 7. fol. 713. in fol. ad quintum.* Ratio ex eo deducitur, quia nulla eſt ratio, quæ tollat obligationem iuſtitiæ, quæ conſurgit ex contractu matrimoniali inter coniuges reddendi ſibi mutuo debitum; non periculum infectionis in eiſdem coniugibus, quandoquidem ſupponitur nullum adeſſe; non damnum prolis naſcituræ, quia longè melius eidem eſt naſci, quantumuis cum infectione lepræ, quam abſolutè non naſci. Accedit, quod non ita certum eſt prolem ex altero leproſo conceptam, maxime, ſi fæmina

15 **Extante periculo infectionis in prole nõ eximitur coniux ſanus ab onere reddendi debitum.**

mina ſit ſana, naſci cum infectione lepræ, prout docent *Iſaac Pontanus in hiſt. rerum Amſterodamenſium, & Valerius lib. 2. c. 39.* apud *Franciſcum Zippeum lib. 4. analitica ennarationis iuris noui tit. de coniug. lepros,* quinimmo lepra moderna, non ita eſt contagioſa, ſicuti erat antiquis temporibus, ergo propter incertam contagionem, ſeu infectionem lepræ in prole naſcitura non debet tolli ius certum, quod habet coniuges ad vſum coniugalem.

In ordine ad ſecundum videtur prima fronte dicendum, quod, quando iudicio medicorum imminet morale periculum infectionis in coniuge ſano, non ſolum poſſit debitum denegare, ſed etiam teneatur per ſuperius probata, quãdoquidem, quando imminet ex coitu coniugali periculũ ſalutis corporalis, tenetur coniux ab illo abſtinere, ergo etiam tenebitur ſub onere grauis culpæ abſtinere, quando imminet periculum infectionis lepræ, quæ computatur inter damna ſalutis corporalis. Nihilominus abſolutè exiſtimo, quod quamuis non teneatur reddere,
16 poſſit tamen ſine labe grauis culpæ reddere *Caietanus 2. 2. q. 154. art. 1. circa ſolut. ad quartum, Sanchez de matrim. lib. 9. diſp. 24. num. 23., Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrim. c. 1. num. 195.*, & alij plures apud eoſdem Sanchez, & Boſſium. Ratio ex eo deducitur, quia in morbis diuturnis, & non tendentibus ad mortem amor coniugalis, & vitatio periculi incontinentiæ præponderat illi periculo infectionis, ergo ad ſeruãdum amorem coniugalem, & vitandum illud incontinentiæ periculum poterit cedere ſanus iuri, quod habet, non ſe commiſcendi cum leproſo; Neque obeſſe poſſunt ea, quæ ex aduerſo afferebantur, quandoquidem diſpar omnino eſt ratio de morbis continuis, & non tendentibus ad mortem, ac de morbis non diuturnis, & de ſe ad mortem tendẽtibus, tum quia in illis eſt grauius iugum, & quodammodo coniugi ſano importabile, vt ſcilicet teneatur toto vitæ ſuæ tempore abſtinere ab vſu coniugij; in iſtis vero non eſt ita graue, & ad tempus ſolummodo, pro quo in altero durat infirmitas; nec nimis arduum eſt ſe continere pro aliquo tempore determinato exiſtente iuſta cauſa continentiæ; tum quia in illis eſt periculum ad mortem, vel ad morbũ per ſe conferentem ad mortem, in iſtis vero nonniſi ad infectionem diutinam. Ea, quæ dicta ſunt quoad coniugem infectum lepra ſeruata proportione dicenda ſunt quoad infectum morbo gallico; eadem enim ratione de vtroque loquuntur *Sanchez d. lib. 9. diſp. 24. num. 18., Sotus in 4. diſt. 32. q. vnica art. 1. ad ſecundum verſ., vbi vero, Henriquez lib. 11. de matrim. c. 15. num. 7., Petrus de Ledeſma de matrimon. q. 64. art. 1. dub 2., Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrim. c. 1. num. 195.*

Coniux ſanus, quamuis nõ teneatur reddere leproſo, poteſt tamen licitè reddere.

Rationes pro hac reſolutione.

In ordine ad tertium ex diuerſa quali- 17
tate horroris, qui eſſe poſſit in coniuge ſano in ordine ad acceſſum ad alterum leproſum diuerſum formari poteſt iudiciũ; vel etenim horror talis, ac tantus eſt in marito erga coniugem infectam, vt non poſſit excitari ad virgam erigendam, vel in vxore erga maritum, vt nequeat excitari, ſeu moueri ad congreſſum coniugalem, & in hoc ſenſu indubitati iuris eſt, quod vir ſanus excuſetur ab onero reddendi debitum ex generali regula, quod impoſſibilium nulla ſit obligatio *reg. impoſſibilium ff. de regulis iur., & c. nemo poteſt de reg. iur. in ſexto*, prout docent, ſeu notant *Sanchez d. lib. 9. de deb. coniug. diſp. 24 n. 21., Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrim. c. 1. num. 194.*, an vero hoc idem ex hoc eodem capite dici debeat de vxore ſana, quæ ob huiuſmodi horrorem non poſſit moueri ad congreſſum carnalem cum marito leproſo maior eſt ratio dubitandi propter diuerſum modum ſentiendi apud DD. in ordine ad concurſum mulieris ad generationem; ſi etenim concurrit actiue communicãdo ſemen, quod habeat agere cum ſemine virili, tunc dicendum videtur, quod excuſetur ab onere reddendi, quandoquidem ob non commotionem ad communicandum ſemen requiſitum ad generationem congreſſus ille foret inhabilis ad hunc effectum, & ipſa poteſt velle congreſſum prolificum ex genere ſuo, & non aliter; quod, ſi dicatur, quod quantumuis ex illo congreſſu non poſſit eſſe proles, poteſt tamen eſſe ſedatio concupiſcentiæ in marito, & quod inter ſteriles, & ſenes ſit obligatio reddendi, quantumuis ex illis nulla ſit ſpes prolis futuræ; tunc dici poſſet, quod finis ſedandæ concupiſcentiæ in actu coniugali non debeat eſſe diſiunctus à fine ſaltem implicitè generationis, qui non poteſt eſſe in hac hypotheſi cum ſupponatur ſtante illo nimio horrore vxor non poſſe moueri ad actum generationi idoneum; & quod inter ſteriles propriè non poſſit eſſe matrimonium, prout videtur haberi *in c. de frigid., & malefic.*, vbi mulier poteſt exclamare *Volo eſſe mater, volo filios procreare*; Nihilominus ex hoc capite arbitror etiam vxorem non eximi ab onere reddendi, quia, quantumuis, non poſſit ex illo coitu haberi finis generationis, habetur tamen alter finis ſedationis concupiſcentiæ; & in hoc ſenſu optimè procedit inſtantia contra præcedentem opinionem, quæ non bene ſoluitur,

Ex horrore coniugis ſani congrediendi cũ leproſo, quandoq; ſanus eximitur ab onere reddendi, quandoq; non.

Explicatur, quando eximitur.

Dixi *ex hoc capite*, quia fortaſſis ex nimia abhominatione, & nauſea poterit excuſari, vt infra ſubdam; ſi vero concurrat ſolummodo paſſiuè, vt docent D.Thomas, & alij tunc certè ex hoc capite impotentiæ ad generationem non eximeretur vxor ab onere reddendi, quandoquidem ipſius concurſus per ſeminis emiſſionem non requiritur, vnde referunt DD. plurimi, quod fæminæ, quæ in congreſſu virorum velut inſtrumentum inanime ſe habuerunt, conceperunt, & pepererunt. Rurſus, vel talis, & tantus eſt horror, vt quamuis non reddat ſanum ſimplicitèr impotentem ad reddendum, ex ipſius tamen complexione tantam excitat nauſeam, vt ad inſtar mortis ab acceſſu ad coniugem leproſum abhorreat; in quo caſu non inuitus eximerem ſanum ab onere reddendi debitum, prout docent *Sanchez lib.9.diſp.24.num.21., Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrim. c.1. num.* 194., quia in hac hypotheſi reddere nedum difficillimum eſt, ſed quaſi moralitèr impoſſibile, quod in fortioribus terminis intelligendum eſt, ſi lepra, qua alter eſſet infectus, eſſet leonina, ita vt membra computreſcerent, & deciderent, prout docent ijdem *Sanchez*, *& Boſſius*, *& Ludouicus Lopez prima part. instruct.c.83. §. ſed an viro*, *& 2. part. de matrimon. c.56. ſtatim in princip.* Tandem, ſi non ſit talis, & tantus, vt illam nauſeam modo, quo ſupra ingerat, non eximerem ſanum ab onere reddendi, cum præualere debeat ius iuſtitiæ illi qualitati horroris in ſe excitati ab altero coniuge.

Explicatur, quando non eximitur.

Hic ſolum remanet dubitandum, an ea, quæ dicta ſunt de horrore excuſante à redditione debiti ob illam nauſeam explicatam, æquè intelligenda ſint, ſiue lepra præceſſerit matrimonium, ſiue fuerit ſubſecuta. Sentiunt non excuſari, quando ante matrimonium illa lepra in altero inexiſtens cognita fuit a ſano *Palacios in 4.diſt.32. fol.703. verſ. cæterum hæc exactio Manuel primo tom. ſumma 2. edit. c.243.nu.2. in fin., Bartholomæus à Ledeſma num.71. de matrimon. poſt primam concl. §. ſed ſolet oriri*, *Petrus à Ledeſma de matrim. q.64.art.1. dub. 2. concl.2.* ea moti ratione, quia cum illa qualitas non fuerit ante matrimonium ignorata videtur ſanus illa non obſtante ſe voluiſſe contrahendo obſtringere oneri reddendi. Nihilominus contrarium ſentiunt *Angles Floribus prima part. de matrim. q.6. de ſoluendo debito artic.1. diffic. prima*, *Ioannes Angelus Boſſius tract.de eff. matrim. c.1. num.194. in fin.* aſſerentes, quod, ſiue præceſſerit lepra cognita ab altero contrahente matrimoniũ, ſiue fuerit ſubſecuta, liberet ab onere reddendi debitum. Rationem ex eo deducunt, quia illa abhominatio, quam habet coniux ſanus, talis ſupponitur, vt quantumuis in celebratione contractus in copulam conſenſerit, non obſtante illa qualitate cognita, in actu tamen exercito repugnante propria naturali complexione quaſi inuincibilitèr retrahat ab ipſa copula, & carnali congreſſu, cum reputetur, ſi non Phyſicè, ſaltem moralitèr impoſſibilis, & in multis poſſumus aſſentiri, in quorum exercitio, vel natura repugnante, vel impotentia morali extante deficimus. Oh quot annuunt Pharmacorum ſumptioni medicis ſuadentibus ob ſanitatem, & in actu exercito natura repugnante eadem ſumere prohibentur? Huic ſecundæ opinioni tanquam coniugibus mitiori adhæreo, hoc vno ſolummodo addito, quod videatur quidam maior horror requiri ad eximendum ab onere reddendi, quando fuit præcognita lepra, ac quando non fuit præcognita, vnde ſibi maiorem vim facere teneatur coniux ſanus, vt reddat, ac cum non cognouit, quod ſi poſtea facta tali vi natura adhuc reſiſtat, certè eximitur, & per hæc reſpondere poteris ad argumenta contrariæ ſententiæ.

18 **Ex horrore graui eximitur ſanus, ſiue lepra præceſſerit, ſiue fuerit ſubſecuta.**

Octauo inferri poteſt, quod, ſi fæmina nupta nequeat parere abſque mortis periculo, vel non niſi fætum mortuum, & hoc nouerit ex medicorum iudicio, vel ex præcedenti experientia, non teneatur viro petenti reddere. *Petrus de Ledeſma de matrim. q.58. art.1. in dubio excitato in fine eiuſdem art.*, *Rodriquez prima part. ſumma c.234.num.6.*, *Rebellus part. 2. lib. 3. q. 16. num.10.*, *Filliucius tom.1. part.2. tract. 10. c.4. num. 10. verſ. ſi quarto*, *Laiman lib. 5. tract 10. p.3. c.1. num.6.*, *Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrim. c.1. nu. 173.* Rationem ex eo deduco, quia, cum mors ſit vltimum terribilium, nimis durum videtur obligare mulierem ad reddendum debitum cum probabili mortis periculo pro tempore partus ſecuturæ, & ſi imminente periculo grauis infirmitatis a tali onere eximitur, cur eximi non dicenda eſt ex illo congreſſu imminente mortis periculo? Nec ſolum quando periculum mortis imminet in partu liberatur a tali onere, ſed etiam, quando non poteſt edere fætum, niſi mortuum; nam ex morte fætus in vtero, & ex difficultate extractionis eiuſdem mortui ab eodem, & grauium infirmitatum, & plerumq; mortis ipſius periculum oritur. 19

Si fæmina nupta nequeat parere abſq; mortis periculo nõ tenetur reddere.

Circa hanc etiam illationem nonnulla dubia pullulant; quorum primum eſt, an vxor eximatur dumtaxat a tali onere, quando ſolummodo nouit talem defec-

tum

tum poſt contractum matrimonium, an vero etiam, quando nouit ante celebrationem eiuſdem? Secundum, an ſi matrimonium illud non fuerit conſummatum renuente vxore conſummationi ob tale periculum poſſit diſſolui? Tertium, an vxor contrahendo cum tali ſcientia proprij defectus, & non manifeſtans, cum nollet aſſentiri vſui matrimonij, peccarit læthaliter? Quartum, an, ſi conſummatum fuerit, & cognitum tale periculum, ratione cuius ipſa vxor recuſet reddere debitum coniugale, teneatur eadem vxor abſtinere à thoro? Quintum, an, quantumuis vxor extante tali periculo non teneatur reddere debitum marito petenti, poſſit tamen, & licitè petere, & reddere?

Nonnulla dubia circa hãc illationem.

In ordine ad primum ſentio eximi à tali onere reddendi, quantumuis nouerit proprium defectum ante celebrationem contractus *Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrim. c. 1. n. 173.*, qui etiam aſſerit ita ſentire omnes præallegatos DD. in illatione exceptis *Laiman. loc. cit.*, & *Conincbo diſp. 31. nu. 10.* Ratio ex eo deducitur, quia horror mortis maximè atrocis, cuiuſmodi eſt illa, quæ ex partu prouenire poteſt, adeo cunctis abhominabilis eſt, vt præbeat iuſtum titulum eandem fugiendi non obſtante quacunque promiſſione expreſſa operis alicuius exercendi, ex quo mors illa poteſt prouenire; maiorem etenim abhominationem ingerit in exercitio, quam non ingerit in ſimplici præuiſione, cum hæc remotior ſit, illa propinquior, quod magis verum eſt, ſi vxor ipſa alias fuerit experta huiuſmodi diſcrimina.

20 Vxor eximitur à tali onere, quamuis nouerit talè defectum ante celebrationem cõtractus.

In ordine ad ſecundum probabilius ſentio non poſſe diſſolui; Neq; in hoc diſſentiri arbitror *Sanchez lib. 7. de matrim. diſp. 92. nu. 26.*, *Ioannem Angelum Boſſium tract. de effectu matrim. c. 1. num. 185.* Rationem ex eo deduco, quia tale matrimonium ſic initum in ſe ſimplicitèr validum eſt, nec aliqua ratione infringitur, ergo non eſt, cur renuente vxore ob illud certum moralitèr periculum mortis eidem vxori, ſi congrediatur, poſſit diſſolui. Antecedens probatur, quia ex vtraque parte interuenit legitimus conſenſus, nec ex parte alicuius ex contrahentibus eſt impotentia perpetua ſufficiens ad matrimonium dirimendum, & quidem de conſenſu non eſt ambigendum, quoad impotentiam vero, tum ex eo colligitur, quod periculum mortis, ex quo conſurgit illa impotentia ex difficili partu non eſt perpetuum, ſed temporale, cum ceſſet in ſenectute; impotentia autem, quæ non eſt perpetua, non dirimit matrimonia per alibi ſuſe probata; tum ex eo, quod ſufficit potentia ad copulam coniugalem perfectam, quantumuis ex aliquo externo remaneat impedita quoad actum, vt videre eſt in obſtrictis ſimplicis caſtitatis voto; tum ex eo, quod hæc impotentia non eſt ex natura ſua, ſed quid conſequens ad ipſam ſubſtantiam contractus matrimonialis, & quidem ex horrore externo mortis imminentis; Neque obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, quod hic horror, ſeu periculum mortis fuerit præuiſus, & cognitus ante celebrationem contractus, adeoque, quod contraxerit cum certa moralitèr ſcientia illius impotentiæ conſurgentis ex illo periculo mortis, ratione cuius ſtatuit non reddere debitum, adeoq; non fuit conſenſus in copulam coniugalem; Non, inquam, obeſſe poteſt, quia ex quo conſenſit ſimpliciter in matrimonium, conſenſit etiam in obligationem copulæ, ad quam non eſt ex natura ſua inepta, à cuius deinde redditione ad tempus excuſatur propter illud periculum; dixi *ad tempus*, quia ceſſante illo periculo in ſenectute tenetur reddere; hoc etiam videre eſt in obſtrictis ſimplici voto caſtitatis, qui quamuis impediantur ab vſu copulæ, valide tamen conſentiunt in matrimonium.

21 Renuente vxore cõſumationi ob talẽ defectum matrimoniũ illud nõ poteſt diſſolui.

Rationes pro opinione, & ſolutiones argumentorũ.

In ordine ad tertium, ſentio vxorem conſciam ſui defectus, & non manifeſtantem alteri coniugi grauitèr peccare *Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrimon c. 1. num. 178. in fin.* Ratio ex eo deducitur, quia denegari non poteſt, quin maritum in maxima conijciat diſcrimina, & in grauibus decipiat, cum contra propriam voluntatem fruſtraretur vſu coniugij, & ſtimulis carnis valde angeretur, quos non poſſet ſupprimere conſueto matrimonij vſu.

22 Vxor conſcia proprij defectus, & nõ manifeſtans grauitèr peccat.

In ordine ad quartum, ſentio teneri abſtinere à thoro *Conincbus diſp. 31. num. 86.*, *Ioannes Angelus Boſſius loc. cit. n. 173. propè finem.* Ratio ex eo deducitur, quia cæteroqui virum maximo incontinentiæ periculo exponeret; ex illa etenim cohabitatione in eodem thoro magis excitaretur ad venerem, & propè flammas arderet, quas non poſſet ſupprimere.

23 Tenetur abſtinere à thoro.

In ordine ad quintum, probabiliùs aſſero, quod quantumuis vxor in illa hypotheſi non teneatur marito petenti reddere, poſſit tamen licitè petere, & reddere *Sanchez lib. 7. diſp. 102. n. 11.*, *Filliutius to. pr. part. 2. tract. 10. c. 4. n. 10. vers. ſi quarto Laiman. lib. 5. tract. 10. part. 3. c. 1. num. 6.*, *Conincbus d. diſp. 31. n. 86.* Ratio ex eo deducitur, quia quantumuis ob illud periculum eximatur ad onere reddendi, poteſt tamen eidem iuri cedere, & cedendo etiam vti iure petitionis in ordine ad vi-

24 Quamuis nõ teneatur reddere, poteſt tamen.

Digitized by Google

vitandum periculum incontinentiæ, tum in ſe ipſa, tum in altero coniuge, quod periculum incontinentiæ poteſt cohoneſtare, & præponderare periculo quodamodo incerto mortis imminentis. Neque obeſſe poſſunt ea, quæ ex aduerſo contrarium ſentientes opponunt *Ledeſma 2. part. 4. q. 60. art. pr. col. 5. verſ. ſed circa hæc eſt dubium*, *Bartholomæus à Ledeſma de matrim. dub. 48. concl. 2.*, *Petrus de Ledeſma de matrim. q. 58. art. 1. ad fin.*, nempe, quod cum vxor non ſit Domina ſui corporis non poſſit licitè illi periculo imminenti ipſum exponere; Non, inquam, obeſſe poteſt; tum quia in ordine ad vitandum periculum maioris damni ſpiritualis, cuiuſmodi eſt illud incontinentiæ tum in ſe ipſa, tum in marito licitum eſt exponere corpus periculo, cum bona animæ ſint præferenda bonis corporis; tum quia vxor vteretur iure ſuo intendens ſubterfugere periculum incontinentiæ, quod ſi deinde ex eo conſurgat periculum mortis hoc eſt præter intentionem, & per accidens; tum quia illud periculum ex parte non eſt certum, cum etiam non ſit certa eius conceptio. Maior difficultas eſt, an vxor poſſit licitè petere, & reddere, quando conſtat, quod non poſſit edere, niſi filios mortuos propter eam rationem, quod immineat nedum periculum vitæ propriæ, ſed etiam detrimentum vitæ nedum corporalis, ſed etiã ſpiritualis prolis, quæ ex tali coitu poteſt concipi. Nihilominus adhuc in hac hypotheſi ſentiendum arbitror, quod vtique licitè poſſit petere, & reddere *Sãchez d. lib. 7. diſp. 102. n. 8.*, qui aſſerit ſe in hanc ſententiam deueniſſe non ex propria mente dumtaxat, ſed ex conſilio etiam peritiſſimorum virorum, quos in hac materia conſuluit, *Conincbus*, *Filliutius*, & *Laiman loc. cit.* quibus etiam videtur adhærere *Ioannes Angelus Boſſius d. tract. de effect. matrim. c. 1. n. 177.* quamuis ibi ſolum referat DD. nihil ex propria mente exprimens. Ratio ex eo deducitur, quia etiam in hoc caſu vtitur iure ſuo ad euitandum tum in ſe ipſa, tum in marito periculum incontinentiæ, nec recta ratio poſtulare videtur, vt coniuges teneãtur cum tanto detrimento abſtinentiæ perpetuæ ab vſu coniugij cum maximo periculo incontinentiæ in vtroque euitare prolis damnum præter intentionem eorundem coniugum ſecuturum; Neq; dicas, quod quando ex actione aliqua cõſurgere poteſt detrimentum ſalutis ſpiritualis alterius quodamodo moralitèr ineuitabile actio illa debeat omitti, quantumuis ius ad illam habeatur, & ex ſe eſſet licita, ergo cum ex illo coitu prouenire poſſit, & certò moralitèr debeat mors ſpiritualis fœtus ob peccatum originale, quod non poſſet per baptiſmum deleri, vtique erit ab illo abſtinendum; contra enim impugnaberis, quia vt benè notat *D. Thomas prima ſecunda q. 83. art. primo ad quintum*, quod ante ipſum docuerat *D. Auguſtinus lib. 5. contra Iulianum*, melius eſt fœtui exiſtere cum originali culpa, & carentia viſionis, quam nõ exiſtere, quia originalis culpa non eſt peccatum niſi habituale. Vide rationem D. Thomæ, & D. Auguſtini apud *Sanchez d. lib. 7. diſp. 102. n. 8.*, quam ex profeſſo examinat.

Rationes pro contraria opinione.

25 **Etiam ſi præuideat non poſſe edere filios, niſi mortuos.**

Nono, inferri poteſt, non teneri regularitèr loquendo vxorem tempore menſtrui naturalis reddere debitum marito petenti, niſi interueniat periculum incõtinentiæ, cui aliundè efficacius conſuli nequeat, vel niſi ordinetur ad vitandum diſſidium, & odium coniugis. In hanc illationem cum dictis limitationibus cõmunius conueniunt. Dixi *tempore menſtrui naturalis*, quod quantumuis dicatur tale, eo quod regularitèr nuptæ ſingulis menſibus ipſum patiantur, nihilominus in aliquibus frequentius eſt, in alijs vero tardius, puta tertio quoquo menſe; quæ tamen fluxiones communi, & vſitato iam nomine dicuntur etiam menſtruæ, atq; de his procedit illatio, non de alijs menſtruis præternaturalibus in aliquibus fœminis prouenientibus ex aliquo morbo continuo, perpetuo, & diuturno, in quibus nuptæ, quæ illas patiuntur, non eximuntur ab onere reddendi *D. Thomas in 4. diſt. 32. q. vnica art. 2. quæſtiuncula 2. in corpore*, *Fagundez in Decalog. lib. 6. c. 3. n. 20.*, *Baſilius Pontius lib. 10. c. 14. num. 5.*, *Hurtadus de matrim. diſp. 10. diff. 3. nu. 10.*, *Martinus Perez de matrim. diſp. 49. ſect. 2. n. 11.*, *Bonacina de matrim. q. 4. punct. 6. n. 9.* proptèr eam rationem, quia ſecus coniuges in ea hypotheſi vix poſſent vti coniugio cum illa fluxio ſupponatur quaſi cõtinua, & vxor in tali caſu vix videtur apta conceptioni, vndè nullum damnum proli immineret. Dixi *niſi interueniat periculum incontinentiæ, vel niſi ordinetur ad vitandum diſſidium, & odium coniugis*, quia in primo caſu de periculo incontinentiæ coniuges tenentur ſibi magis conſulere, quam proli *Nauarrus in manual. c. 16. nu. 32.*, *Conincbus de ſacram. q. 34. n. 76.*, *Reginaldus lib. 31. n. 342.*, *Villalobos tom. 2. ſummæ tract. 40. diffic. 16. n. 3.*, *Leandrus Diſcalc. de ſacram. part. 2. tract. 25. diſp. 25. q. 21.*, *Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrim. c. 9. nu. 14.*, in ſecundo vero caſu de vitando diſſidio bonum pacis extrahit ab omni culpa, & in hoc etiam verificatur,

26 **Regularitèr loquẽdo vxor tempore menſtrui naturalis, non tenetur reddere marito.**

Secus, ſi proueniat ex morbo continuo.

Excipe, niſi interueniat periculũ incontinentiæ.

quod

debeat ſibi magis conſulere, quam proli, *Baſilius Pontius lib.* 10. *c.*14. *n.* 5., *& ſeqq.*, *Sanchez diſp.* 21. *nu.* 6., *Hurtadus de matrimon. diſp.* 10. *difficult.* 3., *Azorius Inſtit. mor. lib.* 2. *c.* 2. *q.* 3. Extra hos, & ſimiles caſus procedit illatio. Non moueor primo, eo quod arbitrer accedere ad vxorem tempore menſtrui eſſe peccatum lęthale, cui cooperetur vxor reddendo, quidquid ex aduerſo ſenſerint *Angelus verb. debitum*, *Tabiena verb. matrimonium* 2. *q.* 6. *n.*7., & alij apud *Ioannem Angelum Boſſium tract. de effect. matrimon. c.* 9. *nu.* 16., Non moueor, inquam, ex hoc capite, quia vix agnoſco in tali congreſſu pro tali tempore læthalem deformitatem, quia ex nullo iure poteſt hęc noxa læthalis deduci efficacitèr;

27 **Accedere ad vxorē tempore menſtrui, nō eſt peccatum læthale.**

non ex iure diuino veteris legis; nam quantumuis *Leuitici* 20. imponatur pæna mortis coeuntibus tempore menſtrui, *& ibid.*, *& c.* 18. enumeretur acceſſus ad vxores menſtruatas inter delicta, ob quæ deletæ ſunt gentes in terra promiſſionis, & *Ezechielis* 18. præcipitur iuſtis, ne ad eaſdem accedant, quod etiam alibi in ſacra ſcriptura ſtatuitur; quantumuis, inquam, hæc habeantur, nihilominus in præſenti non obligant, quia talia præcepta, vel erant ſolummodo cæremonialia, vel iuditialia, quæ per legem Euangelicam ſublata ſunt *Alphonſus de Caſtro de leg. pænali lib.* 1. *c. vlt.* §. *alia eſt in Leuit.*, Neque dicas ex D. Auguſtino illa præcepta non eſſe merè cæremonialia, & iuditialia, ſed etiam moralia; cæremonialia quidem quatenus eſt gratia corporalis immunditiæ vitandæ, iuditialia, quatenus imponebant pænam mortis; moralia quatenus ordinantur ad vitandum damnum prolis; contra enim impugnaberis; tum quia regularitèr nullum damnum poteſt prouenire proli cum pro illo tempore vxor non concipiat *Ariſtotiles de generatione anim. c.* 19., *Tiraquel ad l.* 15. *connubialem n.* 131., *Sanchez lib.* 9. *c.* 21. *nu.* 5., *Ioannes Angelus Boſſius d. c.* 9. *n.*18., *&* 22., tum quia plurimi tempore menſtrui habent copulam coniugalem, & nullum apparet damnum in prole. *Ioannes Angelus Boſſius loc. cit.*, tum quia id adſummum verum eſſet, quando coniuges tale damnum prolis intenderent, vt notat *Alphonſus de Caſtro de leg. pæn. lib.* 1. *c. vltimo* §. *alia eſt in Leuit.*, tum quia nulla prolis iniuria inde prouenit, cum melius ſit ſic naſci, quam non naſci, & ſi tunc coitus non haberetur fortaſſis talis proles in indiuiduo non oriretur; quod ſi dixeris cum *Rebellio de oblig. iuſt. part.* 2. *lib.* 3. *q.* 19. *num.* 14., quod quamuis non fiat iniuria proli, fiat tamen quodamodo humanæ naturæ, quæ exigit, vt conuenienter proles propagetur; ſi, inquam, hoc dixeris, ſtatim etiam impugnaberis, quia iniuria naturæ commenſuratur ad iniuriam prolis; Non item poteſt deduci hęc læthalis deformitas in congreſſu pro tali tempore ex iure naturali, quia nequit aſſignari ratio, cui natura in illa deformitate inferenda innitatur; non enim hoc poteſt eſſe damnum prolis, quatenus hæc oriretur morbis affecta, leproſa, & monſtruoſa, nam, inquam, poteſt eſſe tale damnum, cum hoc, vt plurimum non obueniat, & quantumuis obueniret, melius eſſet ſic naſci, quam non naſci; Neq; dicas ius naturale in eo fundari, quod in ea hypotheſi ſemen fruſtraneè effunderetur perindè, ac ſi extra vas, cum nunquam eo tempore apta ſit mulier conceptioni; quod certè eſt contra naturam; contra enim impugnaberis, quia quantumuis hoc admittatur propter auctoritatem Ariſtotelis, aliorumque ſupra citatorum, non propterea ſequitur, quod talis effuſio intra vas fæminæ eſſet fruſtatorium, cum etenim emitteretur modo à natura præſcripto, quantumuis non inſeruiret ad prolis generationem, inſeruiret tamen ad euitandam incontinentiam; cæteroqui ſi eſſet contra naturam ſemen modo conſueto effundere intra vas fæminæ, quando ex illa non poſſet eſſe prolis generatio, toties contra naturam peccarent ſteriles, quoties concumberent. Non ex iure poſitiuo Eccleſiaſtico, quandoquidem quãtumuis afferatur textus *in can.* 3. *diſt.* 5., qui eſt *D. Gregorij reſp.* 10. *ad Auguſtinum*, vbi reprehenditur acceſſus ad vxorem menſtruatam; textus tamen hic refert tantummodo antiquæ legis prohibitionem, non nouam conſtituit, prout notat *Ioannes Angelus Boſſius loc. cit.*

Soluuntur rationes oppoſitæ.

Moueor igitur ſolum ea ratione, quia illa redditio ſecundum ſe præfert quandam turpitudinem, & indecentiam; tunc etenim fæminea natura vacat conſuetæ purgationi, & mulier tunc eſt immunda, & minus apta virilis ſeminis receptioni, & retentioni, vndè ipſe voluntariè quodamodo concurrit illi turpitudini, & indecentiæ, quod eſt ſaltem veniale; nullus autem ex coniugibus tenetur reddere cum culpa etiam veniali. Procedunt ea, quæ hic dicuntur in ſuppoſitione, qua vxor immediatè annuat viri petitioni ſine vlla præuia monitione, quod tali fluxu laboret, aut precibus ſuadeat remouere; hancque præuiam monitionem ad effugiendam culpam venialem in vxore reddente, vel quid equiualens requirunt communitèr DD. *Rodriquez tom.* 1. *ſummæ c.* 243. *n.* 17., *Conincbus de ſacram. diſp.* 34. *nu.* 76., *Villalobos* 2. *part. ſummæ*

Rationes pro noſtra opinione.

tract.

tract. 40. *difficul.* 15. *nu.* 4., *Martinus Perez de matrimon. diſp.* 49. *ſect.* 2. *n.* 14., *Caſtrus Palaus part.* 5. *tract.* 28. *diſp.* 3. *punct.* 4. §. 4. *nu.* 9. Poſita autem tali præuia monitione, ſeu precibus ad remouendum, & non cedente marito tenetur vxor reddere, nec tunc culpam aliquam venialem contrahit *D. Thomas in* 4. *diſt.* 32. *q. vnica art.* 2. *quæſtiuncula* 3. *in corpore*, & *ibi Paludanus q.* 1. *art.* 3. *num.* 13., & *Sotus q. vnica art* 2. *ad ſecundum*; non etenim modica illa indecentia præualere debet oneri illi iuſtitiæ, ſecundum quod coniuges alteri ſerio petenti tenentur reddere.

Decimo inferri poteſt, quod vxor marito petenti non teneatur reddere pro tempore prægnationis, quando ex tali

28 **Vxor prægnans nõ tenetur reddere, quando adeſt periculum abortus fætus in vtero exiſtentis.**

congreſſu imminet probabile periculum abortus fætus iam animati. Conſentiunt *Ricchardus in* 4. *diſt.* 32. *art.* 3. *q.* 2., *Aſtenſis in ſumma part.* 2. *lib.* 8. *tit.* 10. *art.* 4. *q.* 3., *D. Antoninus* 3. *parte tit.* 1. *c.* 20. §. 4., *Abulenſis in c.* 5. *Matthæi q.* 245., *Henricus c. inquiſitioni n.* 8. *de ſent. excom.*, *Caſtrus Palaus part.* 5. *tract.* 28. *diſp.* 3. *punct.* 4 *num.* 20., *Martinus Perez de matrim. diſp.* 49. *ſect.* 3. *n.* 15., *Sanchez de matrim. lib.* 9. *diſp.* 22. *n.* 1., *Ioannes Angelus Boſſius d. tract. de effect. matrim. c.* 9. *num.* 26. Ratio ex eo deducitur, quia pro tali tempore periculi abortus fætus animati concubitus maximè aduerſatur bono prolis, quod matrimoniũ ipſum, & vſus maximè ſpectare debet, & hoc adeo verum eſt, vt affirment *Sanchez*, & *Boſſius loc. cit.*, non teneri etiam reddere quantumuis vrgeret periculum incontinentiæ, cum alijs medijs poſſit occurri tali periculo, & innocẽtis vita debet præualere tali periculo. Dixi, *quando imminet probabile periculũ abortus fætus iam animati*, pro quo aduerte aliquos docere tunc potiſſimum eſſe periculum abortus fætus animati, quando proximum eſt tempus parturitionis, inter quos *Bonacina de matrimon. quæſt.* 4. *punct.* 6. *num.* 12., *Rebellus de oblig. iuſt. part.* 2. *lib.* 3. *q.* 19. *n.* 16., qui ea ratione mouentur, quia pro eo tempore periculum eſt, quod fætus ob ſeminis abundantiam ſuffocetur; ſed merito eos impugnat *Rainaudus de ortu infantium c.* 11. *nu.* 12. *verſ. ſed neutrum placet*; nam in primis fætus ita ſecundinis inuoluitur, vt ſemen eundem nequeat attingere, ac proinde, nec ſuffocare; Deindè iam tunc pollet robore, & firmitate præſtat, vt magis poſſit reſiſtere, ac in alijs menſibus præcedentibus, in quibus magis eſt debilis, vndè crederem tunc ſolummodo poſſe eſſe periculum oppreſſionis ex modo concumbendi, & propterea ſi coniuges tali modo coirent, vt non eſſet periculum prolis opprimendæ, talis concubitus non inuolueret vllam noxã; & ſic non eſſet ex hoc capite, cur vxor eximeretur ab onere reddendi.

Quandonam præcipuè ſit periculũ abortus ex congreſſu.

Dixi *fætus iam animati*; nam non modica eſt controuerſia inter DD., an ſi fætus non eſſet adhuc formatus, & animatus illicitus eſſet congreſſus cum periculo conceptionis anterioris, ſeu diſſipationis materiæ iam per præcedentes congreſſus in matrice receptæ, nec ne? Ratio dubitandi ex eo potiſſimum conſurgit, quod plurimi docent, quod concubitus primis menſibus concepti fætus ſit periculoſus eidem fætui, prout docet *Mercurialis ex Galeno lib.* 1. *de morb. mulier. c. vlt.*, alij idem periculum agnoſcunt ex concubitu circa initium conceptionis ante formationem fætus, quando ſcilicet materia ſeminalis incipit coagulari, & formari, quia tunc per ſuperuenientiam noui ſeminis materia illa præexiſtens nondum perfectè coagulata diſſipatur, atque ita ſentiunt *Moyſius lib.* 1. *de venæ ſectione in multis*, *Azorius part.* 3. *lib.* 3. *c.* 31. *q.* 14., *Tiraquel ad l.* 15. *connubial. num.* 141., vbi nonnullos medicos allegat, & præcipuè Hippocratem; nec eis officit, quod dicatur hanc rationem non poſſe ſubſiſtere, quandoquidem matrix poſt conceptionem claudatur, vt aliud non poſſit ingredi, nam ſtatim reſpondent, quod quãtumuis hoc verum ſit, vehementi tamen coitus delectatione irritata aliquando aperiatur. Suppoſito igitur, quod re vera adſit tale periculum, quæſtio iam eſt, an ob illud poſſit iuſtè vxor abſtinere à redditione debiti, & nolle carnaliter cõmiſceri. Communior opinio ſuſtinet nullam eſſe culpam pro illo tempore cõmiſceri, ſi commixtio ſit cohoneſtata aliquo iuſto fine, adeoq; non deobligari coniugem, ſeu vxorem ab onere reddendi debitum petenti *Aſtenſis* 2. *part. ſummæ lib.* 8. *tit.* 10 *art.* 4. *q.* 3., *Conimbus de ſacram. diſp.* 34. *dub* 9 *n.* 7., *Hurtadus de matrimon. diſp.* 10. *diffic.* 3. *num* 11., qui tamen ferè omnes procedunt ex alio principio nempè, quod nullum ſit periculum diſſipationis materiæ præexiſtentis in matrice. Aliundè igitur alij rationem talis communis opinionis, à qua non diſſentiunt, deducunt, ſcilicet ex eo, quia coniuges iure ſuo vtuntur, nec vllo modo intendunt illam ſeminis præexiſtentis diſſipationem, quæ ſi contingat omnino per accidens eſt, & præter ipſorum intentionem, & perditio illa materiæ non intenta à coniugibus ante fætus animationem, ſed per accidens ex actu coniugali ad quẽ ius habent coniuges, proueniens non tanti æſtimanda eſt, vt priuet, ſeu priuare habeat eoſdem coniuges ſuo iure. Sed ſtan-

Quid ſentiendum ſit, ſi fætus non fuerit animatus.

Digitized by Google

29 ſtante illa ſuppoſitione illius periculi diſsipationis fætus materię nondum animatæ ego nõ libenter acquieſcerem huic opinioni quandoquidem denegari non poteſt, quia in illo periculo diſsipationis materiæ interueniat aliqua inordinatio, quæ quamuis non ſit ita grauis, ſicuti, ſi eſset fætus animatus, aliquam tamen præfert fæditatem; nec excuſari poſsunt coniuges ex eo, quod vtantur iure ſuo non intendentes illam diſsipationem, nam etiam quando fætus eſt animatus per illum coitum non intendunt eiuſdem interitum, ſed tantum adimplementum ſui iuris, nec tamen excuſantur à culpa; quod ſi repetas, quod in congreſſu cum periculo fætus animati ſit grauior culpa, cum ibi agatur de homicidio; non tamen quidquam euincis, nam dato etiam, quod ſit grauior culpa, eo quia ibi eſt vita in actu, & in termino, hic tantum in potentia proxima, & in via, non tamen tolli poteſt, quin hic etiam ponatur inordinatio fruſtrando illam materiam ſuo fine, & effectu, quem eſset in proximo conſecutura. Fateor tamen, quod vix agnoſco, quomodo vxor poſsit excuſari a redditione debiti, ſed hoc ex alio capite deduco, quia ſcilicet vix poteſt eſse morale periculum diſsipationis talis materiæ, nam poſt conceptionem matrix omnino concluditur, vt neque propter irritationem coitus pręſumenda ſit aperiri, prout ex communi medicorum tradit *Ioannes Valuerdus de anatome humani corporis lib. 3. c. 14., & Rainaudus de ortu infantium c. 11. num. 12.*

Stante illo periculo non tenetur reddere quãuis fætus non ſit animatus.

30 Vndecimo inferri poteſt non teneri coniugem, ſeu vxorem ſtatim a partu, & antequam ſit ſanguine purificata reddere marito petenti debitum, quando ex illa redditione ipſi immineret periculum vel mortis, vel grauis infirmitatis, aut notabilis aggrauationis infirmitatis ex partu contractæ, prout docent *Ioannes Angelus Boſſius d. tract. de effect. matrimon. c. 9. nu 40., Sanchez lib. 9. diſp. 22. nu. 16., Azorius 3. part. lib. 3. c. 31. q 13.*, & ratio facilè deducitur ex præcedentibus. Difficultas ſolummodo poteſt eſse in præſenti, an præciſo illo periculo, vel mortis, vel infirmitatis grauis ex ſola immũditia corporali puerperæ excuſetur eadem vxor ab onere reddendi debitum. Ante reſponſionem hoc vnum præmitto non eſse expectandum tempus purificationis ſecundum præſcriptum legis antiquæ *Leuit. 12.*, ſecundum quam mulier maſculum pariens debebat abſtinere quadraginta diebus ab ingreſsu in Eccleſiam, pariens vero fæminam octuaginta diebus, pro quo etiam tempore reſpectiuè debebat ex præſcripto legis abſtinere à coitu; cum etenim hoc præceptum ſit mærè cæremoniale per aduentum Chriſti Domini, & per legem Euangelicam abolitum eſt; attendendum igitur eſt ſolummodo tempus, pro quo vere durat fluxus ſanguinis, quo ceſsante non eſt, cur immediatè non poſsint congredi, & cur vxor petenti non teneatur reddere. Quibus poſitis, Reſpondeo regularitèr vxorem non teneri pro illo tempore reddere, 31 niſi fortior ratio vrgeat pro marito. In hanc reſponſionem propendet tanquam probabiliorem Ioannes *Angelus Boſſius tract. de effect. matrimon. c. 9. n. 44.* Rationem ex eo deduco, quia ſi præſcindas à rationabili cauſa denegari non poteſt quin actus coniugalis tempore immunditiæ corporalis puerperæ contineat ſpecialem indecentiam, & inordinationem ſicuti in præcedentibus dictum eſt de actu coniugali habito pro tempore menſtrui naturalis, & cum nulla vrgeat rationabilis cauſa, nimia reſultat incontinentia velle commiſceri non expectato illo modico tempore purificationis.

Non tenetur ſtatim poſt partũ reddere, quãdo ipſi imminet periculũ infirmitatis.

Etiam ſi non immineat illud periculum infirmitatis regularitèr loquendo.

Aſsertio II. Regularitèr loquendo nõ eximitur ab onere reddendi debitum alteri ſerio petenti ex eo, quod petitio fiat 32 pro diebus feſtis, etiam ſolemnioribus, vel rogationum, vel ieiuniorum *Paludanus in 4. diſt. 32. q. 1. art. 1. nu. 11., Caietanus in ſumma verb. matrimonium c. vlt. de peccatis in vſu matrimon. §. primus eſt in fine, Gerſon. 2. part. de reg. mor. tract. de matrim. alphab. 25. lit. I. in fin., D. Antoninus 3. part. tit. 1. c. 20. §. 7., Sanchez de matrim. lib. 9. diſp. 12. nu. 7., Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrim. c. 7. n. 80.*

Non eximitur quãuis petitio fiat in diebus ſolemnioribus.

Multum conferre poſse videtur ad pręſentis aſsertionis, & intelligentiam, & probationem deciſio illius controuerſiæ, an petitio debiti pro talibus temporibus licita ſit, an peccaminoſa! Nonnulli arbitrantur eſse peccatum læthale pro illis diebus debitum coniugale exigere, licet aliqui limitent ratione finis, quando ſcilicet pro illis diebus petitur cauſa præciſè captandæ libidinis, prout *Antonius rub. de ſponſal. nu. 15., Aſtenſis in ſumma 2. part. lib. 8. tit. 10. art. 4. q. 1.* alij reſtringunt ratione dierum ſolemniorum, inter quos *Hoſtienſis in ſumma tit. de matrimon. §. quis effectus n. 22., Stephanus Gaeta repet. c. ad limina 30. q. 1. §. 4. nu. 181.* Rationes indiſtinctè afferunt, vel ex eo, quod *D. Auguſtinus ſermone 2. de tempore*, hæc expreſsè habeat. *Quotieſcunque autem dies natalis Domini, aut reliqua feſtiuitates aduenerint non ſolum ab infidelium concubinarum conſortio, ſed etiam a proprijs vxoribus abſtinere debemus*, vel ex eo, quod exigere in loco ſacro

Aſſerentes talem petitionem eſſe peccaminoſam læthalitèr.

ſacro, vbi nulla neceſsitas cogit per ſuperius allegata, & probata peccaminoſum ſacrilegumque eſt, ergo etiam pro diebus Deo ſacris, & cultui diuino dicatis; vel ex eo, quod refert *D. Gregorius primo Dialogorum*, fæminam ſcilicet a Dæmone arreptam eſse, eo quod immediatè poſt congreſsum carnalem vtique coniugalem interfuerit publicis ſupplicationibus. Alij vero ſuſtinent indiſcriminatim pro talibus temporibus exigere debitum ſemper inuoluere culpam venialem, niſi cohoneſtetur titulo vitandæ incontinentiæ tunc acritèr imminentis *Magiſter in 4. diſt. 32. c. 3., & ibi D. Thomas q. vnica art. 5. quæſtiuncula 2., Albertus magnus in 4. diſt. 31. art. 23., Silueſter verb. debitum q. 11. dict. 1., Monaldus in ſumma tract. de matrim. tit. de effect. matrim. vers. item eſt alius effectus*. Rationem deducunt tum ex allegatis iuribus, quæ referunt in mitiorem partem, & interpretantur pro culpa dumtaxat veniali; tum ex varijs Sanctorum Patrum, & Pontificũ auctoritatibus quas latè refert *Sanchez d. lib. 9. diſp. 12. nu. 3.*, tum ex eo, quod voluntarius concubitus pro talibus diebus nulla vrgente legitima cauſa præſefert quandam fæditatem, & irreuerentiam illis diebus ſacris, & Deo dicatis indebitam, potiſſimũ cum talis concubitus remoueat à fine, ob quem huiuſmodi feſti ſunt inſtituti, vt ſcilicet fideles vacent orationibus, qui enim vacat carni, vacare nequit feruentèr Deo. Alij media via procedunt; aſſerunt enim eſſe culpam venialem exigere debitum pro diebus ſolemnioribus; in cæteris vero diebus feſtis ordinarijs nullam culpam agnoſcunt; atque ita ſentiunt *Sotus in 4. diſt 32. q. vnica art. 3. concl. 2., Henriquez lib. 11. de matrim. c. 16. nu. 5.* Rationem ex eo deducunt, quia veneri vacare pro illis diebus ſolemnioribus aliquid præfert indecentiæ, & alienitatis à cultu diuino, & orationibus pro illis diebus debitis. Alij tandem aſſerunt eſſe ſolummodo conſilium ab illis operibus carnalibus, quantumuis ſecundum ſe licitis pro illis diebus abſtinere *Gloſa c. propoſuiſti diſtinct. 82. verbo præcepit, D. Bonauentura in 4. diſt. 32. art. 3. q. 2., Sotus item in 4. diſt. 32. q. vnica in ſolut. ad tertium, Hurtadus de matrim. diſp. 10. n. 9., Conincbus de ſacramentis diſp. 34. n. 75., Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrim. c. 7. num. 84.*, qui alios plures tum ex antiquioribus, tum ex recentioribus refert. Huic vltimæ opinioni tanquam probabiliori adhæreo, quia nullum ius poſitiuũ prohibens pro illis diebus inuenio, nec implicitè inuoluitur hæc prohibitio ſub alio præcepto prohibente; non in præcepto de colendis feſtis; nam hoc prohibet ſolummodo operationes externas, & ſeruiles, qualis non eſt exactio debiti, & vſus coniugalis; non in præcepto rogationum, & ieiuniorum, nam pro illis diebus præcipiuntur ſolummodo orationes, & ieiunia, quæ coniuges, & ſi vtantur coniugio, poſſunt adimplere quantumuis fortaſſe remiſſius; Nec canones ſupra allegati, & auctoritates SS. PP. aliquid euincunt, quandoquidẽ procedunt tantum ex conſilio, non ex præcepto, quod ſi in illis dicatur *præcepit, debere, non licet*, hæc verba intelligenda ſunt, prout idem ſonant, ac perſuaſit, expedire, conuenientius eſſe, prout explicant Gloſæ allegatæ *à Ioanne Angelo Boſſio d. c. 7. n. 84. in fine*.

Aſſerentes inuoluere tantũ culpam venialem.

Aſſerentes eſſe culpã venialem petere in diebus ſolemnioribus, nõ ſic in feſtis ordinarijs

Aſſerentes eſſe tantũ opus conſilij abſtinere.

Præfertur hæc vltima opinio

Rationes pro aſſerto.

Hinc facilè educitur probatio aſſertionis; ſi etenim non peccat alter ex coniugibus petendo, multominus peccare cenſendus eſt alter reddendo, quandoquidem ad hoc tenetur; quinimmo etiã ſi petens venialitèr peccaret, non tamen eandẽ culpam contraheret reddens, ſiquidem ille peteret ex libertate, iſte redderet ex neceſſitate, ſeu ex onere iuſtitiæ; ex quibus etiam fas erit deducere, quod quantumuis alter ex coniugibus peteret præciſè ex fine captandæ libidinis, non eximeretur alter ab onere reddendi, quia ſi quæ eſſet noxa in tali actu tota refunderetur in perſonam petentis &c.

Aſſertio III. Non eſt peccatum læthale nocte præcedenti communionem ſacram petere, vel reddere debitum, nec tali labe inficitur, qui poſt exactionem, vel redditionem eadem die ſumit ſacram Euchariſtiam, nec qui poſt eandem acceptam ſubſequenter eadem die petit, vel reddit debitum. Conſentiunt in hoc *Sanchez lib. 9. diſp. 13. nu. 1., Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrim. c. 7. n. 88., Fagundez de præcept. Eccl. præcept. 3. lib. 3. c. 6. n. 19., & alij omnes*, quidquid ex aduerſo dixerit *Alexãder de Neuo rub. 6. de ſponſal. nu. 28.* volens ſaltem peccare læthalitèr coniugem exigentem debitum pro die ſumptæ Euchariſtiæ. 33

Non eſt læthale petere nocte præcedenti communionẽ.

Ratio ex eo deducitur, quia nihil vetat ſub graui acceſſum ad ſacram Euchariſtiam, niſi peccatum læthale inexiſtens actu in perſona ſumente; ſed in hac ſuppoſitione ratione illius congreſſus carnalis inter coniuges nulla inducitur noxa læthalis, ergo non eſt, quod debeant ſub graui vetari ab illo acceſſu ad ſacram Euchariſtiam. Minor facile liquet, quia vſus coniugij inter coniuges ſecundum ſe licitus eſt, nec ex illa circumſtantia temporis poteſt grauitèr, & læthalitèr vitiari. Confirmatur, quia illa ſumptio Euchari-

Rationes pro aſſerto.

Digitized by Google

chariſtiæ pro illo die congreſſus coniugalis non poteſt reddi peccaminoſa læthalitèr, nec ratione illius congreſſus, nec ratione alicuius præcepti, nec ratione Sacramenti Euchariſtiæ; non ratione illius congreſſus, eo quia talis actus per illum diem non extrahitur à propria, & ſpecifica ratione vſus coniugalis, qui ſecundum ſe licitus eſt; non ratione alicuius præcepti, cum nullibi hoc reperiatur; quod ſi afferas textum *in c. ſciat 33. q. 4.*, vbi ſic legitur, *Quicunque vxori debitum reddit, vacare non poteſt orationi, nec de carnibus agni comedere debet, item ſi panes propoſitionis ab ijs, qui vxores ſuas tetigerant, comedi non poterant, quanto magis panis, qui de Cælo deſcendit, non poteſt ab ijs, qui coniugalibus paulò ante hæſerunt amplexibus violari, atque contingi*; ſtatim dicam procedere dumtaxat, non quatenus inferat præceptum ſub graui, ſed conſilium quoad perfectius, & conuenientius eſſe. Quod ſi vlterius vrgeas ex alio ſimili caſu argui non eſſe merum conſilium, quandoquidem Deus *2. Reg. 6.* morte puniuit Ozam,

Nonnullæ inſtantiæ propoſitę, & diſſolutæ.

eo quod eadem die, ſeu nocte præcedenti, qua vxorem carnalitèr cognouerat, arcam tetigit, vt ibid. notat Liranus, & tradit *D. Vincentius Ferrerius ſermon. 4. de Corp. Chriſti*, ex quo infertur, inferre grauem noxam correſpondentem pænæ illatæ, quæ eſſe non potuit ob meram tranſgreſſionem conſilij; & ſi hæc verificantur in ordine ad illam arcam materialem, quæ erat ſolummodo figura arcæ ſpiritualis corporis, & ſanguinis Domini in Sacramento Euchariſtiæ, quanto magis verificari debent in ordine ad ipsū figuratum, in quo continetur ipſa ſubſtantialis ratio ſanctitatis? Si, inquam, hæc vrgeas, ſtatim reſpondebo, eam pænam non fuiſſe illatam præcisè ex eo, quod Oza arcam tetigerit, dum eadem nocte copulatus eſt cum vxore, ſed quia, vt notat *Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrim. c. 7. nu. 89* temerè arcam contrectauit, cum non eſſet Sacerdos; hoc enim ſolis Sacerdotibus erat conceſſum, vel dicas *cum D. Thoma in 4. diſt. 19. q. 2. quæſtiuncula 3. ad tertium*, talem pænam irrogatam eſſe Ozæ, quia contra præceptum diuinum ſubiecit Oza boues arcę oneri ſufferendo, cū hoc onus eſſet solummodo impoſitum humeris Leuitarum; vel quia modica reuerentia arcam tanquam rem profanam contrectauit, vt docet *Abulenſis 2. Reg. 6. q. 10.*, Non tandem ratione Euchariſtiæ, tum propter rationem ſuperius allatam, eo quia eiuſdem ſumptio ſolum impeditur ob culpam læthalem in ſumente actu inexiſtentem; tum quia in tantum ratione eiuſdem vetaretur, in quantum per illum congreſsū impediretur ardor ſpiritus ad illam requiſitus, quod tamen illam noxam non inducit, cum ille ardor ſpiritus ex neceſſitate non requiratur, & poſſet compenſari per maiorem deuotionem, humilitatem etiam extra ſacramentum exercitam.

Aſſertio IV. Maximè decens eſt, & conueniens poſt copulam coniugalem, 34

Poſt copulam eadē die conueniens eſt à communione abſtinere.

ſiue petendo, ſiue reddendo exercitam, abſtinere eadem die à ſumptione ſacræ Euchariſtiæ, hocque pænitentibus à cōfeſſarijs conſulendum, niſi fortaſſis aliqua alia ratio ſuadeat pro tali die ſumptionem. Conſentiunt communitèr DD. cum SS. PP. Hoc expreſsè voluit *D. Hieronymus in Apolog. ad Pammach. pro libris contra Iouinianum*, per illa verba, *Illorum conſcientiam conuenit, qui eodem die poſt coitum communicant*. Hoc D. Auguſtinus in ſerm. *226.* de tempore Dominica 10. poſt Pentecoſtem ſerm. *2.* dum habet. *Ille bonus Chriſtianus eſt, qui quoties ſolemnitates veniunt, vt ſecurius communicet, ante plures dies caſtitatem cum propria vxore cuſtodit, vt ſecura, & ſincera conſcientia ad Altare Domini caſto corpore, & mundo corde præſumat accedere*. Hoc idem *D. Thomas 3. part. q. 80. art. 7. ad ſecundum*, vbi etiam adducit rationem, quia perturbat ſpiritus, commouet humores, & fædat corpus, quod videtur eſſe contra reuerentiam ſacramento debitam. Hoc idem Concil. Eliberitanum *in can. omnis homo de conſecratione diſt. 2.*, & Cabilonenſe habitum *anno 813. c. 46.*

Reprehēſio Sacerdotū poſt copulam celebrantium.

Hic calamum cohibere non poſſum, quin feratur in aliquos Sacerdotes, qui nedum ſpreta proprij ſtatus conditione, ſed etiam nulla habita muneri, quo funguntur, reuerentia procaci fronte à congreſſibus ſacrilegis, & fornicarijs ad communionem diuini corporis accedunt, à poſtribulo ad immaculatam menſam, à concubitu nefario ad panem Angelorum. Heu dedecus deplorandum? Adeo SS. PP., & concilia inſudant, vt conuenientiam abſtinentiæ ab hac ſacratiſſima menſa in ſæcularium cordibus ingerant pro die, quo actui licito coniugali vacauerant, & ſacerdotes diuino cultui deputati temerario auſu eadem die, qua veneri ſe tradiderunt, ad ſacrificium immaculati corporis, & ſanguinis Domini ſe conferunt?

Abſtinere congruū eſt poſt voluntariam pollutionem.

Hinc etiam deducere fas erit, quam congruum ſit, vt abſtineant ab hac menſa, qui manè, vel nocte præcedenti voluntariè, & illicitè ſe polluerunt, vel fornicati ſunt, quantumuis præcedentèr ad eandem ſacram menſam crimina, in

quæ prolapſi ſunt, clauibus ſubiecerint; adhuc etenim perturbatio ſpirituum, commotio humorum, & fæditas corporis præſumitur perſeuerare, quæ congruè non compatitur cum reuerentia corpori immaculato Chriſti Domini debita; vnde communitèr DD. recentiores tanquam valdè laudabilia commendant Carthaſienſium ſtatuta *pr. part. c. 43.* quamuis aliqualiter rigida arbitrentur, quibus nocte etiam citra omnem culpam pollutus prohibetur mane celebrare.

Excipe, niſi alia ratio validior, aliter ſuadeat.

Dixi *niſi fortaſſis aliqua alia ratio ſuadeat pro tali die ſumptionem*, nam quandoque ex aliqua circunſtantia non obſtante hac corporali fœditate magis conueniens eſt accedere ad hanc menſam, quam abſtinere; primo ſi interueniat magna feſti ſolemnitas, in qua communitèr ſoleant ad communionem ſe conferre,& ipſe ſolitus fuerit pro talibus diebus ſolemnioribus accedere, vt notat *Tabiena verb. communio q.37. §.43.*; ſecundo ſi interueniat pro aliquo die iubilæū, quod exigat communionem, quo acquiratur, prout docet *Henriquez lib. 8. de Eucharistia c. 51. n. 3.* tertio ſi ex non ſumptione pro tali die intercedat aliqua ſuſpicio ſcandali, aut nota infamiæ. Quarto, ſi inſtet aliqua obligatio communicandi, vel ex præcepto, vel ex populi conſuetudine &c.

Nonnullæ rationes dubitandi

Quoad hanc aſſertionem nonnullæ inſurgunt rationes dubitandi, quarum prima eſt, quanta temporis mora requiratur, ſiue antecedentèr ad copulam habitam comparatiuè ad ſumptionem Euchariſtiæ, ſiue ſubſequenter ad ſumptionem Euchariſtiæ comparatiuè ad copulam, poſtea habendam? Secunda, an eadem mora requiratur ad ſacram ſinaxim ſumendam poſt pollutionem voluntariā, vel fornicationem nocte præcedenti habitam.

Non eſt neceſſe differre ad quatuor dies communionē poſt copulam.

In ordine ad primam, quæ procedit, ſiue ſit peccatum veniale poſt congreſſum carnalem,eadem die accedere ad Sacramentum corporis, & ſanguinis Domini, ſiue inferat ſolum quandam indecentiam, pro certo tenendum eſt primo non eſſe neceſſariam illam moram trium, quatuor,vel octo dierum,cuius meminit Concilium Eliberitanum, & Cabilonenſe, & multo minus illam, quam conſuluit *D. Auguſtinus ſerm. 216., & 244. de tempore tom. 10.* communicaturo in Paſchate, vt per totam Quadrageſimam abſtineret ab vſu coniugij, quandoquidem hæc procedunt præcisè ex motiuo maioris diſpoſitionis, & præparationis tum animi, tum corporis ad eſum illius eſcæ immaculatæ, non quod inferat aliquam indecentiam ante illorum dierum lapſum ab habita copula ad illam eſcam accedere. Secundo communius docere DD. copulam impedire communionem quoad illam decentiam, vel ſub peccato veniali iuxta illam ſententiam, quando nocte præcedenti habita eſt *Victoria in ſumma de matrimon. n.278., Sotus in 4. diſt. 32. q. vnica art.3. poſt ſecundam concl. verſ. vnum tamen, Manuel primo tom. ſumma in 2. edit. c.243. nu.* 18. Mihi placet cum *Sanchez d. l.9. diſp. 13. num. 15., Ioanne Angelo Boſſio d. tract. de effect. matrim. c.7. n. 123., Suarez tom. 2. in tertiam partem diſp. 68. tract. 2. §. 2. dicendum. Ioanne de Lugo de Euchariſtia diſp. 15. n. 9.* aſſerere in ordine ad omnes non poſſe certam temporis regulam ſtatui; cum etenim ponatur, vel ſub conſilio, vel ſub præcepto illa dilatio, ne cum mentis euagatione, & hebetudine, quam ſolet cauſare cōgreſſus coniugalis coniuges cōmunicent maior requiretur dilatio in ijs,qui tardius ad priſtinam mētis tranquillitatem redeunt, minor in illis,qui citius ſe, & mentem diuagantem colligunt; quamobrem ea regula ſtatuenda videtur, vt tandiu abſtineant, quandiu perſeuerat mentis euagatio *Gabriel lect. 10. in canonem Miſſæ lit. M. verſ. tertio oſtenditur Gerſon 2. part. tract. de præparatione ad Miſsā, & pollut. noct. coand. 7. alphabet 37. lit. T.* Arbitror tamen illam mentis euagationem non præſumi poſt lapſum viginti quatuor horarum, adeoque poſt illum poſſe ad ſacram ſinaxim accedere.

Tempus nō poteſt certò ſtatui.

Quanta mora requiritur ad communionē poſt copulā fornicariam.

In ordine ad ſecundam non eſt ambigendum, quod poſt pollutionem voluntariam, & multò magis poſt fornicationem tanta requiratur mora ad ſumptionem ſacræ Euchariſtiæ, quanta requiritur poſt congreſſum coniugalem, quandoquidem tantam ſecum affert mentis euagationem, immunditiam in corpore, aliaque, de quibus ſupra, pollutio illa, ſeu fornicatio, quinimmò maiora, ac afferat copula coniugalis. Sed an maiorem requirat ob noxam læthalem, quæ in eiſdem actionibus imbibitur, quantumuis hæc deleatur per confeſſionem, quæ præmittitur, id eſt, quod in præſenti remanet diluendum; Sed prius præmitto, quod incongruè aliqui docuerunt, quod ſit peccatum læthale accedere ad ſacram ſinaxim ante lapſum viginti quatuor horarum à puncto habitæ pollutionis voluntariæ, ſeu fornicationis, non obſtante, quod polluens ſe, ſeu fornicans præmiſerit confeſſionem; incongruè, inquā, quandoquidem denegari non poteſt, quin culpa voluntariæ pollutionis, ſeu fornicationis per confeſſionem debito

modo

Digitized by Google

modo elicitam intelligatur deleta, ſicuti intelliguntur deleta quęcunque alia peccata; vbi autem actu non extat noxa læthalis, non eſt impedimentum ſub læthali ad ſacram Euchariſtiam accedere, cum *Concilium Trident. ſeſs. 23. c. 7.* ſolum requirat, ne quis accedat ad ſacroſanctum Altare ſibi conſcius peccati læthalis; adeoque hanc opinionem merito reprobant *Scortia de Miſſa ſacrif. lib. 2. c. 7. n. 4., & ſeqq., Fagundez de praeceptis Eccl. praecept. 3. lib. 3. c. 7. n. 9.*, & alij plures, quos ipſi referunt. Sed, an talis acceſſus ad ſacram Euchariſtiam intra illud ſpacium temporis inferat culpam venialem, ſtatuetur in ſeqq. aſſert. His præhabitis probabilius arbitror non requiri maiorem temporis moram, niſi quatenus illa mentis diuagatio, & ſpirituum perturbatio ex illis iniquis actionibus diutius protraheretur; non etenim diferenda eſt ſumptio ſacræ Euchariſtiæ ratione peccati in illis actionibus inexiſtentis, quandoquidem hoc ſupponitur deletum per præuiam confeſſionem, & ſicuti alia peccata antecedenter commiſſa, ſi rite fuerint confeſſa non impediunt, ita nec impedire videntur peccata carnalia, niſi quatenus ingerunt illam mentis euagationem, & ſpirituum perturbationem, quæ propterea ſi fuerint in priſtinam träquilitatem reducta, nõ video, cur &c. atq; ita ſentire arbitror *Alenſem 4. part. q. 47. memb. 1. art. 1. in corpore ſtatim in princip., D. Thomam in 4. diſt. 9. q. vnica art. 4. quæſtiuncula 2 in corpore Angelum verb. Euchariſtia 3. num. 19., Nauarrum in ſumma c. 21. n. 52.*, dum idem temporis ſpacium ſtatuunt ad ſumẽdam Euchariſtiam poſt habitam coniugalem copulam, ac poſt habitam voluntariam pollutionem, ſeu fornicationem, licet à nobis diſcrepent in eo, quod velle videantur abſolutè lapſum viginti quatuor horarum ab illis actionibus, quod nos refundimus ſolummodo in tempus, pro quo perſeuerat illa mentis euagatio, & ſpirituum perturbatio, quod poteſt eſſe maius, vel minus, prout &c.

Non eſt læthale accedere ad communionẽ ante viginti quatuor horas, ſi præmiſſa fuerit confeſſio.

Non requiritur niſi illa mora, quæ ſufficiens eſt ad ſedandos motus.

35 Aſſertio V. Poſt exactum debitum coniugale ex fine prolis procreandæ, vel incontinentiæ vitandę intra illud ſpaciũ, quod ſtatuitur ex conuenientia ad non communicandum accedere ad ſacram ſinaxim nullam inuoluit etiam reſpectu eius, qui exegit debitum, culpam *D. Thomas 3. part. q. 80. art. 7. ad ſecundum, D. Bonauentura in 4. diſt. 12. art. 2. q. 3. ad fin. nu. 90., Paludanus in 4. diſt. 9. q. 3., art. 2. nu. 13., Suarez in tertia part. tom. 3. diſp. 68. ſect. 2. ad fin., Reginaldus lib. 29. num. 117., Villalobos tom. 1. ſumma tract. 13. difficult. 41. n. 3., Laiman. lib. 5. tract. 4. c. 6. n. 15. verſ. caeterum, Martinus Perez de matrim. diſp. 49 ſect. 3. n. 9., Scortia de ſacrif. Miſſæ lib. 2. c. 7. n. 4.*, & alij plures, quos citant, & ſequuntur *Sanchez d. lib. 9. diſp. 13. n. 5., Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrim. c. 7. n. 97., & ſeqq.*

Poſt copulam coniugalem ex recto fine habitam nulla eſt culpa accedere ad communionẽ non expectato congruo tempore.

Probatur primo auctoritate *D. Gregorij* relati *in c. vir cum propria 33. q. 4.*, vbi ponitur reſponſio eius decima ad interrogationes D. Auguſtini, per hæc verba, *Si quis ſua coniuge non cupidine voluptatis captus, ſed ſolum creandorum liberorum gratia vtitur de ſumendo Corporis Dominici, Sanguiniſque Miſterio ſuo eſt relinquendus iuditio, quia à nobis probiberi non debet accipere;* vbi cum relinquatur ſuo iudicio non imponitur ei aliquod onus etiam ſub veniali abſtinendi.

Rationes pro aſſerto.

Secundo ratione, quia tota ratio, ob quam ſtatuitur, quod poſt congreſſum coniugalem eadem die non fiat acceſſus ad menſam Corporis, & Sanguinis Domini, eſt, quia ex illo congreſſu conſurgit mentis euagatio, perturbatio ſpirituum, & fæditas in corpore, ſed quando ille congreſſus factus eſt, vel ad finem prolis procreandæ, vel incontinentiæ vitandæ, nec tanta mentis diuagatio, nec tanta fæditas conſurgit, cum depuretur à fine recto intento in illa actione, & finis ille quodamodo inordinatos motus temperet; & illa perturbatio, & fæditas, quæ quoquo modo naturalitèr conſurgit, compenſetur per illam rectam intentionem, & finem a Deo intentum, ergo &c.

Dixi *etiam ex parte eius, qui exegit debitum*, nam in fortioribus terminis nullam talis acceſſus ad Euchariſtiam ex parte reddentis inuoluit culpam, à qua non ſolum excuſatur ratione illius finis recti, & honeſti intenti, ſed etiam ratione oneris ex iuſtitia, propter quod petenti tenetur reddere; redditio etenim illa eſt actus iuſtitiæ, hoc eſt ex iuſtitia debitus; nec aliquod ius inuenitur, quod eximat vxorem in hoc caſu ab onere reddendi; atq; ita docent *Alenſis 4. part. q. 47. memb. 2. verſ. ad illud, quod obijcitur, Ricchardus in 4. diſt. 9. art. 2. q. 3. in fin., Henriquez lib. 8. de Euchariſtia c. 51. nu. 3., Suarez tertia part. q. 80. art. 8. diſp. 68. ſect. 2. §. 2. intelligitur.* Hic ſolum remanet difficultas, an vxor exacta ad reddendum ad euitandam culpam venialem in acceſſu pro illa die ad Euchariſtiam teneatur blandè, & precibus non importunis remouere maritum à petitione, ſeu ſaltem monere, quod ipſa pro tali die ſit ſumptura ſacram Euchariſtiam, affirmant *Ludouicus Lopez prima part. inſtruct. c. 83. in princip., Sotus in 4. diſt.* 36

Etiam ex parte eius, qui exegit debitũ.

Digitized by Google

diſt. 32. q. vnica art. 3. poſt ſecundam concl. vers. vnum tamen. Sed hanc ego obligationem non agnoſco, ſicut nec agnoſcunt *Sanchez d. lib. 9. diſp. 13. num. 9., Laiman lib. 5. tract. 4. c. 6. num. 16., Stephanus Bannes tom. 1. tract. 4. de Euchar. vbi de ſuſcipient. Euchariſtiam q. 6.* Et quidem, ſi maritus exigat ſub honeſto illo fine procreandi prolem, ſeu vitandæ incontinentiæ, eximitur à quacunque culpa etiam veniali ratione talis finis, non video, cur non ſit eximenda vxor reddens ex illo fine adimplendi debitum, ad quod tenetur ex iuſtitia, etiam ſi non ſtudeat precibus maritum auertere à petitione; ſi etenim ille ſponte petens eximitur, cur iſta etiã ſponte reddens ſine vlla precum oppoſitione non eximetur?

Neque aduerſus hanc aſſertionem, & ea, quæ circa ipſam dicta ſunt, obeſſe poſſunt auctoritates SS. PP. ſupra allegatæ præcipuè *D. Hieronimi in Apologia ad Pamachium pro libris contra Iouinianum, & in ſermone de vigilia Paſchatis de eſu agni relato in c. ſciatis 33. q. 4.*, nec ratio, qua dicitur, quod ſi Iudex homicidam ſuſpenderit, arceatur pro illa die à ſumptione ſacroſancti corporis, & ſanguinis Domini, non obſtante, quod ille actus ſit meritorius, & ſub læthali obligans, ergo etiam &c. Non inquam, obeſſe poſſunt; non auctoritates allegatæ, quia, vt ſupra dicebamus, illæ inferunt duntaxat conſilium, non præceptum; Non ratio ſupra adducta, quia nullibi inuenio, quod ex præcepto arceatur Iudex à ſacro altari, eo quod eadem die iuſtè reum laqueo ſuſpendi iuſſerit, ſed dumtaxat ex quadam decentia, & honeſtate, quatenus non repræſentat manſuetudinem, quam miſticus ille agnus profitetur.

Solauntur rationes oppoſitæ.

Aſſertio VI. Poſt congreſſum coniugalem habitum ex fine præcisè captandæ voluptatis ſenſitiuæ accedere eadem die ad ſumptionem ſacræ ſinaxis probabilius eſt peccatum veniale *D. Thomas 3. part. q. 80. art. 7. ad 2., D. Bonauentura in 4. diſt.* 37 *12. art. 2. q. 3. ad fin. n. 90., D. Antoninus 3. part. tit. 13. c. 6. §. 10., Ioannes Vallerus de differ. verb. debitum coniugale, Diana part. 3. tract. 6. reſol. 71., Azorius part. 3. lib. 3. c. 31. q. 7., Ioannes Lugo de Euchariſtia diſp. 1. ſect. 1. nu. 13., Sanchez de matrim. lib. 9. diſp. 13. num. 7.*, hancque probabiliſſimam arbitratur *Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrim. c. 7. nu. 101.* Non moueor ea ratione, quod ille congreſſus carnalis coniugalis habitus præcisè voluptatis ſenſitiuæ cauſa inuoluat noxam venialem, adeoque quod acceſſus ad ſacram ſinaxim cum illa nouam noxam venialem inducat; Non moueor, inquam propter hoc, quia nullibi inuenio, quod accedere ad ſacram ſinaxim cum culpa veniali inducat nouam culpam venialem, quamuis temperet ſpiritus feruorem.

Eadem die, qua habita eſt copula ad finem præcisè voluptatis accedere ad communionē eſt veniale.

Fundamentum in primis deſumo ex illo dicto *D. Gregorij relato in c. vir cum propria 33. q. 4.* vbi eximit maritum petentem debitum ab onere peccati venialis, & ab abſtinentia à ſacra Euchariſtia *ſi non cupidine voluptatis captus, ſed ſolum creandorum liberorum gratia ſua coniuge fuerit vſus*, ergo ſi vſus fuerit captus præcisè cupidine voluptatis ex mente eiuſdẽ D. Gregorij arcebitur ſaltem ſub veniali pro illa die à participatione corporis, & ſanguinis Domini, quandoquidem, dum excipit, ſi non fuerit captus cupidine voluptatis, per conſequens in prohibitione includit, ſi tali cupidine fuerit captus. Deinde intantum ſub onere peccati etiã venialis arcendum non eſſe diximus in præcedenti aſſertione coniugem petentem a communione ſacri Altaris pro die, qua debitum exegit, quando petijt, & copulam habuit ex fine prolis procreandæ, vel incontinentiæ vitandæ, in quantum finis ille rectus, honeſtus, & à Deo intentus temperat motus excitatos, & mentis euagationem, & præponderat illi carnali, & corporali immunditæ, & indecentiam abſtergit, ſed hæc ratio non militat, quando vſus ille prouenit ex cupidine captandæ voluptatis ſenſitiuæ præcisè, quandoquidem tunc mens maximè diſtrahitur in voluptuoſas turpitudines, & ſenſus omnes excitantur, ergò &c.

Rationes pro aſſerto.

Ex quibus inferre poteris, quod à fortiori ſub onere peccati venialis teneatur pro tali die abſtinere à ſacro conuiuio, qui pro eadem voluntariè pollutus eſt, ſeu fornicatus, niſi fortiori aliqua ratione excuſetur *Sotus in 4. diſt. 12. q. 1. art. 7. Caietanus verb. communicare ad fin., Nauarrus in manual. c. 21. num. 51., Bonacina de ſacrament. diſp. 4. q. 5. punct. 2. nu. 3., Auguſtinus Barboſa ad Trident. collect. ad c. 7. ſect. 23. nu. 33.*; ſi enim hæc prohibitio viget, quando copula coniugalis habita eſt, quantumuis ſecundum ſe ſit licita, ex illo fine voluptatis, à fortiori vigere debet, quando copula, ſeu pollutio ex obiecto, & ſecundum ſe illicita habita eſt, & in hac voluntaria pollutione, & fornicatione equè eſt illa excitatio ſpirituum, ac mentis deuagatio, quæ in coniugali copula habita ob finem voluptatis.

A fortiori ſub veniali eadem die abſtinere debet, qui voluntariè pollutus eſt.

Quid verò dicendum ſit, ſi eadem nocte, qua manè quis ſumpturus eſt Euchariſtiam, paſſus fuerit pollutionem inuolun-

Digitized by Google

luntariam nocturnam? Ex vno capite videtur dicendum, quod non impediat communionem, quandoquidem per illā, nec multum mens diſtrahitur, & diſtractio, ſi quæ inde prouenit, eſt inuoluntaria, & macula in corpore relicta non eſt culpabilis. Ex alio, cum nullus finis rectus, & honeſtus, & à Deo intentus præponderet illi ſpirituum dilatationi, & mentis euagationi, quæ regularitèr prouenit ex illa, quantumuis inuoluntaria pollutione, non videtur quomodo poſſit cohoneſtari pro illa die Euchariſtica ſumptio. Quare cum diſtinctione dubium ſoluendum exiſtimo; vel etenim poſt illam pollutionem nocturnam manet effectu diſtractio mentis in cogitationibus impuris, & mens ad voluptatem carnalem reflexa; & tunc certè abſtinendum eſt à ſacra communione, cum tunc vigeat ratio, ob quam prohibetur eadem communio nullo præponderante fine honeſto; vel nulla, ſeu ſolum modica remanet diſtractio, vel nulla, ſeu ſolum parua voluptuoſa reflexio, & tunc nullam rationem agnoſcerem vetantem à ſacræ ſumptione ſinaxis; & iuxtà hanc diſtinctionem propendet *Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrimonij cap. 7. num. 127.*

Qui nocte in ſomnis pollutus eſt abſtinere debet, ſi perſeuerent impuræ cogitationes.

Aſſertio VII. Poſt ſumptam Euchariſtiam eadem die coniugaliter congredi nullam noxam, nec etiam venialem regularitèr importat. *Ioannes Angelus Boſſius loc. cit. n. 129., Sanchez d. lib. 9. diſp. 13. n. 17., Nauarrus in ſumma c. 21. n. 51., Reginaldus lib. 29. n. 117., Filliutius tract. 19. c. 9. n. 324., Leandrus Diſcalceatus de ſacramentis part. 2. tract. 7. diſp. 6. q. 6., Diana part. 6. tract. 6. reſol. 14.*

38 **Poſt ſumptam Euchariſtiā, eadem die coniugaliter congredi nulla noxa eſt.**

Ratio ex eo deducitur, quia nec lex poſitiua aliqua hoc prohibet, nec interuenit aliqua ratio ex his, quæ prohibent acceſſum ad ſacram ſinaxim poſt copulam habitam; non primum, quia non eſt aſſignabilis talis lex poſitiua; non ſecundum, quia pro tempore, pro quo ſumenda Euchariſtia eſt, non eſt illa excitatio ſpirituum, nec humorum commotio, nec mentis euagatio, nec fœditas corporalis, cum ſupponatur quis accedere, ſeu acceſſiſſe ad ſacram menſam antecedentèr ad huiuſmodi excitationes, ſeu cauſam excitantem. Dixi, *regulariter*, quia in vno, vel altero caſu arbitrarer non poſſe licitè accedere ad ſacram ſinaxim, vel poſt ſumptam non poſſe licitè congredi. Primus caſus eſt, ſi antecedenter ad eandem ſumptionem eſſent maximè excitati ſpiritus, & commoti ſenſus ad libidinem, & hactenus non ſedati; tunc etenim interuenirent omnes rationes, ob quas eadem die prohibetur acceſſus ad ſacram menſam, vt per ſe patet. Secundus eſt, quando ſtatim poſt communionem intenderet ad vxorem accedere ſpeciebus conſecratis nondum corruptis, quia tunc non eſſet reuerentia debita eidem ſacramento adhuc permanente in illis ſpeciebus in ſuo eſſe perſeuerantibus, & tunc ſpecies illæ ſolum producunt ſuum effectum, quando primum attingunt ſtomachū, ſeu ventriculum *Cacheranus Theologiæ aſſert. to. 4. tract. 9. de Euchar. vt ſacram. c. 5. de effect. Euch. §. 3. nu. 63.* & tandiu cauſant, & augent gratiam, quandiù ipſæ in ſtomacho permanent, & diſpoſitio in ſubiecto augetur. *Caietanus in 3. part. D. Thomæ q. 79. art. 1., Gonetus diſp. 8. art. 2. Lugus diſp. 12. ſect. 2. n. 46.*, & ſic, quouſque ſpecies illæ perſeuerant, non ſunt contrariæ diſpoſitiones excitandæ illarum ſumptioni; ſicuti enim ad ſumptionem licitam requiritur humorum, & ſpirituum tranquilitas, ita eadem requiritur ad continuatam ſumptionem, ſeu quouſque illæ ſpecies perſeuerant.

Nonnullæ limitationes.

SBCTIO III.

An coniuges excuſentur ab onere reddendi debitum ratione modi, vel ſitus, quo copula exigitur.

SVMMARIVM.

Concubitus ex parte modi, vel ſitus multiplex. 1.

Seruato vaſe naturali variatio modi, vel ſitus non eſt lathaliter peccaminoſa. 2.

Inordinatio hac quoad modum, ſi fiat ex cauſa voluptatis præcisè, eſt venialis, ſecus ſi ex cauſa. 3.

Coniugi petenti modo inordinato ex cauſa voluptatis præcisè, non tenetur alter reddere. 4.

Actus non ſeruato vaſe naturali, ſi fuerit conſumatus, eſt ex parte vtriuſque illicitus, & non obligat. 5.

Actus ſodomiticus ex eo, quod ſit inter coniuges, ſi præſcindas à circunſtantia inferente diuerſam ſpeciem, non eſt grauior. 6.

Concubitus ſodomiticus inter coniuges inuoluit ſpeciem quodamodo adulterij diſtinctam à peccato contra naturam. 7.

Hac ſpecies adulterij ſe tenet ex parte vtriuſque. 8.

Si coniux commiſceatur ſodomiticè cum alia ſoluta, vel coniugata, non euitat ſpeciem adulterij. 9.

Maritus, qui ſodomiticè cognouit vxorem, tenetur in confeſſione exprimere qualitatem coniugis. 10.

Ma-

Digitized by Google

Maritus cognoſcens ſodomiticè vxorem inuitam peccat etiam contra iuſtitiam. 11.
Maritus maioris voluptatis cauſa incipiens copulam ſodomiticam, immittens membrũ in vaſe præpoſtero cum animo conſumandi in naturali, grauitèr peccat. 12.
Sententia aſſerens peccare læthalitèr maritum, qui ante copulam naturalem perfricat membrum ad vas præpoſterum vxoris, vel immittit in os ipſius. 13.
Sententia aſſerens non eſſe læthale. 14.
Illatio ad prædicta. 15.

1 Concubitus ex parte modi, vel ſitus multiplex

PEruerſio in modo, & ſitu, ratione cuius controuerti poteſt, an actus coniugalis reddatur illicitus, & alter eximatur ab onere reddendi, poteſt multiplicitèr contingere, vel quatenus (ſeruato vaſe naturali ordinato ad prolis generationem ſolum varietur modus concumbendi naturalis, qui conſiſtit in eo, vt fęmina ſit ſuccuba, & vir incubus, cum hic ſit aptior ſeminis virilis effuſioni, & receptioni in vas fæmineum) fiat hoc pacto, vt fæmina ſit incuba, & maſculus ſuccubus, vel vterque congrediatur à latere, vel ſedendo, vel ſtando, vel maſculus more pecudum præpoſterè accedat, licet congrediatur in vaſe naturali, vel quatenus non ſolum immutetur modus concumbendi, ſed etiam vas naturale aptum generationi. De peruerſione quocunque ex his modis accepta agemus diſcriminatim ſub hoc eodem titulo.

2 Seruato vaſe naturali variatio ſitus, & modi non eſt peccatum læthale.

Aſſertio I. Seruato vaſe naturali variatio modi concumbendi ſiue fiat, quatenus fæmina ſit ſuccuba, & vir incubus, ſiue vir præpoſtere accedat, ſiue fiat ſtando, vel ſedendo, ſiue fiat à latere, ſi præſcindatur a periculo emiſſionis ſeminis extra vas, regularitèr non inducit culpam læthalem *Albertus Magnus in 4. diſt. 31. art. 24., Ioannes de Friburgo ſumma confeſ. lib 4. tit. 2. q. 47., D. Antoninus 3. part tit. 1. c. 20. §. 3., Nauarrus in ſumma c. 16. num. 42., Sotus in 4. diſt. 31. q. vnica art. 4. ad fin., Rebelius de obligat. iuſt. part. 2. lib. 3. punct. 19. n. 11., Auerſa de matrim. q. 21. ſect. 5., Coninchus de ſacrament. diſp. 34. dub. 9., Caſtrus Palaus part. 3 vbi de matrim. diſp. 19. diffic. 5., Martinus Perez de matrim. diſp. 47. ſect. 7., Sanchez de matrim. lib. 9. diſp. 16. nu. 3., Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrimon. c. 7. num. 168.*

Rationes pro aſſerto.

Ratio in vniuerſũ ex eo deducitur, quia illa variatio modi, & ſitus qualitercunq; accipiatur iuxta modos expoſitos non eſt ſubſtantialis, nec quoad ſubſtantiam aduerſatur fini generationis, ergo ſecundum ſe non inducit culpam læthalem. Antecedens non videtur pati difficultatem, quandoquidem quicunque ex illis modis eſt aptus generationi, & licet ſit tutior modus congrediendi naturalis ad effectum eiuſdem generationis, non tenentur tamen coniuges ſub onere læthalis adhibere modum tutiorem, cum ſufficiat modus aptus ad talem finem. Conſequentia probatur, quia inter coniuges actus venerei non inducunt culpam læthalem, niſi quatenus vel aduerſantur fini generationis, vel quatenus fiunt cum periculo effuſionis ſeminis extra vas fæmineum, & non ordinati ad generationem, quod non euenit in congreſſu in quocunque ex allegatis modis.

Soluitur primum argumentum contrarium.

Nec obeſſe poteſt, ſi aſſeratur quoad primum modum, quando ſcilicet fæmina eſt incuba, & vir ſuccubus, quod non ſit proportionatus generationi, cum non ſit aptus infuſioni, ſeù deſcenſui ſeminis in fæmineam matricem, cum potius aſcendere deberet, quod videtur eſſe contra naturam eiuſdem ſeminis, quod ratione ſuæ grauitatis habet deſcendere. Non, inquam, obeſſe poteſt, primo quia virile ſemen ſpiritibus vitalibus concitatum natura quodamodo impellente impetu erumpit, & fertur verſus partem, verſus quam inſtrumentum virile dirigitur; ſecundo quia ſemen non recipitur in vterum fæminæ per infuſionem, ſed per attractionem eiuſdem fæminæ matricis, cui indita eſt virtus attrahendi; vnde *D. Thomas quodlib. 6. art.* 18. refert de quadam fæmina, quæ cum in eodem lecto cum Patre ſuo cubaret ſemen ab ipſo in ſomnis emiſſum attraxit, & grauida inde effecta eſt, & alij DD. referunt de quadam fæmina, quæ in balnæis exiſtens atraxit ſemen in eiſdem à viro tunc proximè deciſum.

Soluitur ſecundum

Neque obeſſe poteſt quoad eundem modum ſi aſſeratur, quod non ſolum varietur ſitus, ſed etiam perſona, cum ſit naturale viro agere, & fæminæ pati; in hac autem hypotheſi ex ipſa forma ſitus vir ſuccumbens potius pateretur, quam ageret, & ſic videtur modus congrediendi contra naturam; Non inquam, obeſſe poteſt, quia, quantumuis eſſet variatio quoad conditionem perſonæ, eſſet tamen ſolummodo variatio accidentalis, quæ non eſt ſufficiens ad inducendam culpam læthalem; nec per hoc in ſubſtantialibus vir deſineret agere, cum ſemen actiuè produceret, quod reciperetur in fęmineum vas, tanquam in ſubiectum patiens.

Soluitur tertium.

Neque obeſſe poteſt tertio quoad modum, quo vir præpoſterè accedat, ſi aſſeratur, quod natura hunc modum beſtijs præſcripſerit, quibus ſimilis vir efficitur

Digitized by Google

citur, dum tali modo congreditur. Non, inquam, obeſſe poteſt, quia licet in hoc comparetur iumentis inſipientibus, & ſimilis fiat illis, quia tamen hæc comparatio, & ſimilitudo eſt dumtaxat in modo accidentali, cum ſeruetur ſubſtantia in ipſo actuali congreſſu, non inducitur noxa læthalis.

Soluitur quartum.

Neque obeſſe poteſt quarto id, quod in hiſtoria ſcholaſtica *c. 31.* ſuper Geneſi ab aliquibus dicitur nempè diluuij cauſam fuiſſe fæminas, quæ abutebantur viris ſuis, dum illæ incumberent, iſti ſuccumberent in congreſſu; nec illud, quod ex D. Paulo ad Roman. 1. adducitur per illa verba *fæminæ eorum immutauerunt naturalem vſum in eum, qui contra naturam eſt*, quod enumerat idem Apoſtolus inter noxas læthales; quodque intelligunt plures de modo innaturali congrediendi, quamuis idem ſexus ſeruaretur. Non, inquam, obeſſe poteſt; non primum, quia gratis omnino dicitur illam fuiſſe cauſam diluuij, nec hoc in ſacra ſcriptura innuitur, cum ibi dicatur ſolummodo, quod *homo corruperat viam ſuam*, quod alij congruentius intelligunt de actu nefando, vel de pollutione contra naturam; Non ſecundum, quia, vt benè notat Gloſa Ordinaria, & Nicolaus de Lira ibid. textus ille procedit de fæminis ſimul concumbentibus, & mutuo ſe polluentibus.

3 Inordinatio quoad modum ſi fiat cauſa voluptatis præcisè eſt venialis, ſecum ſi cũ cauſa.

Aſſertio II. Seruato vaſe naturali inordinatio quoad modos præcitatos, ſi fiat ſolummodo maioris voluptatis cauſa, & ſine aliqua neceſſitate, regularitèr inuoluit culpam venialem, ſecus ſi fiat ex aliqua iuſta cauſa, & aliqua neceſſitate intercedente. *Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrimon. c. 7. nu. 169., Sanchez de matrimon. lib. 9. diſp. 17. num. 3.,* alij plures apud eoſdem.

Rationes pro prima parte.

Ratio ex eo deducitur quoad primam partem, primo, quia illa inordinatio importat inordinatam dilectationis concupiſcentiam, prout docet *Baſilius Pontius lib. 10. c. 11.* Secundo, quia inuoluit indecentiam, & turpitudinem actus aduerſantem ordini naturali in congreſſu coniugali; Tertio, quia actus ipſe coniugalis exercitus ob ſolam voluptatem modo debito, & naturali per alibi probata, & ex declaratione Sanctiſſimi D. N. Innocentij XI. Pontificis nunc regnantis in propoſitionibus per ipſum damnatis inuoluit noxam ſaltem venialem, ergo talem etiam noxam inuoluet illa inordinatio modi facta præcisè cauſa maioris voluptatis captandæ.

Rationes pro ſecunda.

Ratio ſecundæ partis ex eo deducitur, quia coitus coniugalis quoad ſubſtantiã inter coniuges licitus eſt, & ſolum illicitus quoad variationem in modo, quæ in tantum talis eſt, in quantum, vel fit ſola voluptatis cauſa, vel deordinat à modo naturali à natura præſcripto, ſed quando fit aliqua neceſſitate vrgente puta, quia diſpoſitio corporis aliud non patiatur ob viri pinguedinem, vel quia ſit periculum ſuffocationis fætus in vtero exiſtentis ceſſat ratio illius voluptatis, nec illa indecentia, vtpotè leuioris momenti poteſt tollere ius, quod habent coniuges cõcumbendi, prout docet *D. Thomas in 4. diſt. 31. in fine in expoſitione literæ, Caietanus in ſumma verb. matrimonium c. vlt. de peccatis in vſu eius verſ. ſecundum caput, & & ſecunda ſecundæ q. 154. art. 11. dub. 4. §. pro prima tamen obiectione, Veracrux 3. part. Speculi art. 15, concl. 3., Sanchez de matrim. lib. 9. diſp. 16. nu. 7., Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrimon. c. 7. nu. 170.*

4 Coniugi petẽti modo inordinato ex cauſa voluptatis præcisè, non tenetur alter reddere.

Aſſertio III. Coniugi petenti debitum ſeruato vaſe naturali, modo tamen indebito iuxta modos ſupra expoſitos, non ex neceſſitate, ſed maioris voluptatis gratia tantummodo probabilius non tenetur alter reddere, nec poteſt reddere etiam ſine noxa venialis culpæ. *Armilla verb. debitum n. 7., Palacios in 4. diſt. 32. diſp. 1. fol. 712. caſ. 10., Bartolomæus à Ledeſma de matrim. dub. 71. concl. 4., D. Antoninus 3. part. tit. 1. c. 20. §. 7., & clarius §. 3.,* vbi dicit conſulendum eſſe vxori, ne reddat marito petenti non ſeruato legitimo ſitu *Ludouicus Lopez prima part. inſtruct. c. 80. §. igitur loquendo, Adrianus 4. q. 14. de matrim. verſ. pro huius ſuccinta, Bonacina de matrim. q. 4. punct. 3. n. 9.*

Actus ex tali modo eſt ſecundum ſe illicitus.

Ratio ex eo deducitur primo, quia actus ipſe tali modo exercitus non eſt ſolum illicitus, & indecens, & turpis ex parte exigentis, cuiuſmodi eſt actus coniugalis exercitus ad petitionem eius, qui eſt obſtrictus voto ſimplicis caſtitatis, ſed eſt talis ſecundũ ſe, & reſpectu vtriuſque, ergo alter exactus non tenebitur cum illa indecentia, & turpitudine reddere, quia nemo tenetur reddere cum actu etiã ex parte ſui illicito, & indecenti; Neque obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, quod quantumuis ſecundum ſe ille actus ſit turpis, & indecens depuretur tamen à quacunq; turpitudine, & indecentia ex parte reddentis ratione oneris, quod habet ex iuſtitia reddendi; Non, inquam, obeſſe poteſt, quia onus, quod habet reddendi, eſt, quando licitè, & legitimè fit petitio, non autem quando fit modo, quo actus ipſe eſt turpis; vndè non eſt inferendum, quod actus ille reddatur purus ratione petitionis, ſed ratione eiuſdem illegitimè factæ eximatur exactus ab onere reddendi. Secundo, quia ex vi contractus matri-

matrimonialis obligarunt ſequidem adinuicem coniuges ad reddendum, vt coniuges, non autem ad modum pecudum, vt fit, quando præpoſtero congrediuntur, neque ordine inuerſo; dum quoad modũ agit, qui pati deberet, & patitur, qui deberet agere, niſi fortaſſis aliqua neceſſitas, & iuſta cauſa vrgeret.

Reijcitur quædam regula Sãchez, & Boſſij.

Neque hic admittendam arbitror regulam, quam pluribus citatis adſtruunt *Sanchez de matrim. lib.9. diſp.6. n.6., Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrim. c.1. n.230.*, qua aſſerunt, quod quando exigens peccat ſolum venialitèr, vel ob circumſtantiam ſe tenentem ex parte exigentis, vel ob circunſtantiam ſe tenentem ex parte ipſius actus, alter reddens nullo modo peccet, nec eximatur ab onere reddendi, quam regulam explicans idem Boſſius aſſerit præcipuè in caſu, quo actus eſt ſolum venialitèr malus, quod nunquam ſit talis, vt ex iuſta aliqua cauſa excuſari non poſſit ab illa malitia veniali, præcipuè in præſenti materia, in qua illa turpitudo non conſtituit actum ab intrinſeco malum, vt eſt mendacium, cum ſit ſolummodo ratione alicuius circunſtantiæ; cæteroqui, ſi eſſet talis ab intrinſeco, non liceret etiam vrgente aliqua neceſſitate, ſicuti etiam vrgente neceſſitate non licet, nec cohoneſtatur mendacium, nec alij actus, qui ſunt ab intrinſeco mali; Non, inquam, admittendam arbitror, quia, ex quo ipſa ratio naturalis ratione illius turpitudinis in actu exiſtentis vetat ipſum actum ſaltem ſub veniali, ſicuti petentem conſtituit reum talis culpæ, ita non videtur eximere a tali reatu etiam reddentem, cum reſpiciat actum, qui afficit vtrumq; Neque ex eo, quod vrgente aliqua neceſſitate actus ille poſſit cohoneſtari, inferri poteſt, quod cohoneſtetur redditio ad ſimplicem petitionem alterius; nam, cum petitio ipſa ſit illicita, vtique non poteſt cohoneſtare redditionem, cum coniuges intelligantur ſolummodo ſe obligaſſe, quando ab altero legitimè petuntur; ex eo autem, quod cohoneſtetur hęc redditio intercedente aliqua neceſſitate, vel iuſta cauſa, puta ſi congrediendo modo naturali ſit periculum abortus, ſeu vir propter nimiam pinguedinem non poſſit aliter congredi; ſequitur quidem, quod non ita ſit intrinſece mala, ſicuti eſt mendacium, non autem ſequitur, quod non ſit mala.

Aſſertio IV. Concubitus extra vas naturale inter maritum, & vxorem, ſi fuerit conſummatus, & perfectus, eſt omninò illicitus, tam ex parte mariti petentis, quam ex parte vxoris reddentis, & quidem in genere ſodomiæ læthalis, & ſic vnuſquiſque non ſolum eximitur ab onere reddendi, ſed etiam tenetur non reddere. *Alenſis 2. part. q. 166. memb. 3. ad 2., D. Antoninus 3. part. tit. pr. c.20. §.3., Graſſius pr. part. deciſ. lib.2. c. 82. n. 13.*, & alij plures, quos citant, & ſequuntur *Sanchez d. lib.9. diſp.17. n. 3., Ioannes Angelus Boſſius tom.3. var. mor. tit.11. n.69.* 5

5 Actus nõ ſeruato vaſe naturali, ſi fuerit conſummatus eſt ex omni parte illicitus; & nemo tenetur reddere.

Dixi *ſi fuerit conſummatus, & completus*; nam eſt diſputatio magna inter DD. an ſi talis concubitus fuerit dumtaxat incohatus, quatenus maritus intendens legitimè copulari, & conſummare matrimonium intra vas debitum ad ſe excitandum ad copulam, vel ob maiorem voluptatem incohauerit copulam ſodomiticam membrum immittendo in vas præpoſterum, de qua re ſubdam in ſequenti aſſertione.

Reijcitur opinio aſſerens nõ eſſe illicitum ex parte vxoris reddẽtis.

Dixi *tam ex parte mariti petentis, quam vxoris reddentis* propter nonnullos apud *Abulenſem c. 5. Matthæi q.224.* qui arbitrantur eſſe culpam læthalem ex parte viri agentis, non vxoris patientis, quod ex eo probatur, quod vxor patiendo talem actum ex petitione mariti præſtat id, ad quod tenetur, cum tranſtulerit in poteſtatem mariti poteſtatem ſui corporis, quod verum non eſſe ſub hac aſſertione demonſtrabitur.

Rationes pro aſſerto.

Ratio ex eo deducitur, quia ille concubitus, quantumuis exercitus inter coniuges eſt ab intrinſeco malus, & grauior ſecundũ ſe fornicatione, ergo ſẽper erit illicitus, & trahit noxam læthalem ſodomiticæ prauitatis; Nec cohoneſtari poteſt talis concubitus ex eo, quod ſit inter coniuges, cum iſti ad inuicem habeant poteſtatem ſui corporis; Non, inquam, poteſt cohoneſtari, quandoquidem coniuges habent quidem poteſtatem mutuam ſui corporis ad inuicem modo debito in ordine ad finem generationis, non autem ad alium finem ab illo generationis modo ab ipſa natura prohibito, nec vxor eſt talis, niſi in ordine ad copulam legitimam intra vas naturale.

Peruerſitas ſe tenet ex parte actus, non circunſtantiæ ex parte agentis.

Ratio autem, cur non ſolum vir agens, ſed etiam vxor patiens actum ſodomiticum contrahant culpam grauem ex eo deducitur, quia peruerſitas, quæ ineſt tali congreſſui ſe tenet ex parte actus, non ex parte alicuius circunſtantiæ ſe tenentis præciſè ex parte agentis, nec in ordine ad illum agens ius aliquod habet, nec patiens habet onus, ergo non minus afficit agentem, ſed etiam vxorem patientem.

Hic ſolum difficultas eſt aliqua, an ex eo, quando huiuſmodi concubitus ſit inter coniuges augeatur intra eandem ſpeciem

Digitized by Google

tiem culpa, an potius diminuatur, ac ſi eſſet inter ſolutos, & an addat aliquam circunſtantiam neceſſario in confeſſione explicandam; duplicem habet ſenſum hęc difficultas, vt ex ipſis terminis patet. Primus eſt, an ſiſtendo præciſè in terminis peccati contra naturam ſecluſa quacunque alia conſideratione circunſtantiæ inferentis diuerſam ſpeicem conſurgat grauior culpa ex eo, quod illud peccatum contra naturam factum ſit inter coniuges. Secundus, an ex eo, quod factum ſit tale peccatum inter coniuges

6 trahat ſecum nouam ſpeciem adulterij. In ordine ad primum ſenſum, arbitror conſiderato præciſè illo peccato ſecundum ſe præſcindendo à circunſtantia inferente diuerſam ſpeciem non inuolui in eodem grauiorem culpam, quin potius leuiorem ſecundum quid. Ita ſentire videtur *Nauar. lib.2. conſ. in vtraque edit. tit. 1. de iudicijs conſ.1. n.1., Sanchez lib.9. de debito coniug. diſp.18. n.3., & 6., Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrimon. c.7. n.177.* Rationem ex eo deduco, quia ille congreſſus inter c oniuges eſt illicitus ſolummodo quoad modum, cum inter alios ſit illicitus, & quoad modum, & quoad ſubſtantiam, ergo ſecundum quid erit grauius peccatum inter ſolutos, ac inter coniuges. Deindè ſi maritus congrederetur ſodomiticè cum aliena vxorata denegari non poteſt, quin inuoluatur aliqua iniuria per illum congreſſum marito talis vxoris; ſed hoc videtur importare diuerſam malitiam in ſpecie. In ordine ad ſecundum ſenſum magis communiter arbitrantur talem concubitum inuoluere ſpeciem quodamodo adulterij diſtinctam a peccato contra naturam ſimpliciter ſumpto. *Ioannes Angelus Boſ-*

Actus ſodomiticus inter coniuges, præſcindendo à circunſtantia inferente diuerſam ſpeciem non eſt grauior.

7 *ſius tom.3. var. mor. tit.11. n.32., & tract. de effect. matrimon. c.7. num.176., Sanchez de matrim. lib.9. diſp.18. n.3. & ſeqq., Azorius p.3. c.20 in fin., Salas pr. ſecunda tract.3. diſp.6. ſect.6., Baſilius Pontius lib.10. c.21. n.6. in fin. Caſtrus Palaus tom.5. de ſponſal. diſp.3. p.4. §.3. n.16., D. Auguſtinus de bono coniug. c.11. tom.6. de adulter. coniug., Abulenſis cap.5., Matthæi q.225., Sotus in 4. diſt.31. q. vnica art.4. ad fin. vers. appendix autem,* quibus libenter adhæreo. Ratio ex eo deducitur, quia talis congreſſus contra naturam inter coniuges initus eſt contra finem matrimonij, & bonum fidei, quod dicit, nempè quod vnuſquiſq; tradat ſuum corpus alteri naturaliter vtendum ad finem generationis, & quod illud ſeruet caſtè, non enim eſt coniux ad quemcunque actum quomodocunque exercendum, ſed ad actum ſimpliciter naturalem ordinatum ad generationem; & ſic acceſſus ille, cum aduerſetur bono matrimonij videtur inducere ſpeciem adulterij, eſt etenim quædam thori violatio aſſerente *D. Ambroſio lib. de Patriarch. relato in c. nemo 32. q.4.*, quod *non hoc ſolum ſit adulterium cum aliena peccare coniuge, ſed omne, quod non habet poteſtatem coniugij*; Neque obeſſe poteſt, ſi dicatur, quod adulterium debeat eſſe ex genere ſuo alieni thori violatio, quod in hac hypotheſi non contingit, cum vxor, cum qua congreditur, ſit propria vxor; Non, inquam obeſſe poteſt, quia in ordine ad illum actum ſodomiticum non computatur, vt propria vxor, cum in ordine ad illum actum nullum ius habeat; Deinde ex D. Ambroſio mox relato omne, quod non habet poteſtatem coniugij, eſt adulterium.

Concubitus ſodomiticus inter coniuges inuoluit ſpeciẽ adulterij.

Hinc deduces primo talem concubitum præter fæditatem contra naturam inuoluere etiam rationem adulterij non 8 ſolum ex parte mariti agentis, ſed etiam ex parte vxoris patientis; Ratio inde deſumitur, quia vterq; coniux non ſeruat alteri ſuum corpus caſtè, quod ad bonum fidei pertinet. Neque dicas primo, quod ratio adulterij potiſſimum deſumatur in ordine ad iniuriam, quæ fit alteri coniugi, quæ iniuria in hac hypotheſi nequit conſiderari, cum volenti, & conſentienti non fiat iniuria. Secundo quod, cum in ordine ad talem actum neuter coniux ſumatur formalitèr, vt coniux, cum in ordine ad illum, nullam habeat facultatem, in ordine ad eundem vterque habeatur, vt ſolutus, & ſic non poteſt ille actus conſiderari, vt adulterium; contra enim impugnabaris, quia poſito etiam illo conſenſu mutuo actus ille non extrahitur à fæditate, & turpitudine adulterij, quia ſemper eſt contra bonum fidei, cui bono nequeunt coniuges cedere, & ſicuti non deſineret maritus eſſe adulter ex eo, quod copularetur cum ſoluta, quantumuis vxor ipſius ad hoc præſtaret conſenſum, ita &c. Ad illud, quod ſubditur dicendum eſt, quod quantumuis in ordine ad illum actum non cõſiderentur, vt coniuges, denegari tamen non poſſit, quin ſint verè coniuges, qui propterea ſi vtantur minus caſtè ſuo corpore, vel cum alio à proprio coniuge,

Hæc ſpecies adulterij ſe tenet ex parte vtriuſque.

9 vel cum ipſo, in eo, ad quod non habent poteſtatem, certè contra bonum fidei agunt, adeoque adulterium contrahunt.

Deduces ſecundo, quod, ſi alter ex coniugibus ſodomiticè commiſceatur, vel cum alia ſoluta, vel cum alia coniugata à propria coniuge non euitet vltra peccatum contra naturam crimen adulterij, quia etiam in hoc caſu agit contra bonũ

Si coniux ſodomiticè commiſceatur cum alia ſoluta, vel coniugata eſt adulter.

fidei debitæ ex natura contractus alteri coniugi, cum minus caſtè eidem ſeruet corpus ſuum,&,ſi abutendo propria vxore in tali genere non eximitur a tali culpa,minus eximetur abutendo aliena vxore, vel altera ſoluta; verum tamen eſt, quod abutendo aliena vxore eſt adulterium ex parte vtriuſque, abutendo verò ſoluta eſt adulterium dumtaxat ex parte ipſius.

10 Maritus, qui ſodomiticè cognouit vxorem tenetur exprimere circunſtantiam coniugis.

Deduces tertio, maritum,qui ſodomiticè abuſus eſt propria vxore non ſatisfacere confeſſioni; ſi ſolum dicat ſe tali modo congreſſum fuiſſe cum fæmina non exprimendo circunſtantiam coniugis *Cardinalis de Lugo de ſacrament. pænitentiæ diſp.16.ſect.6., Azorius tom.3. lib.3. c.18., Bonacina de matrim. q.4. punct. 11. n.7., Sanchez de matrimon. lib. 9. de debito coniugali diſp.18. n.5., Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrimon. c.7. nu.178.* Rationem ex eo deduco, quia in hac hypotheſi reticet circunſtantiam inferentem diuerſam malitiam, & iniuriam bono fidei, quæ ſe tenet ex parte vxoris, cũ ſolum exprimat malitiam ex parte ſui. Quid vero ſentiendum ſit, ſi exprimat ſe coniugatum copulam ſodomiticam habuiſſe cum coniugata, non aperiens, quod illa fuerit coniux ſua, tunc *Boſſius, & Sanchez loc. cit., Filliutius tom. 1. tract. 10. c.9. n. 332. in fine, Baſilius Pontius lib. 10. c. 21. n.6. in fin., Caſtrus Palaus tom. 5. de ſponſal. diſp.3. p. 4. §. 3. n. 16.* abſolutè ſentiunt, non legitimè confiteri, quia plura peccata exprimeret, quem commiſit, quandoquidem exprimeret iniuſtitiam aduerſus alterum coniugem, quæ re vera non interceſſit. Quod ſi rurſus ſupponas, quod maritus dicat ſe commiſiſſe ſodomiticum actum cum coniugata cum conſenſu mariti eiuſdem; tunc adhuc arbitrantur præfati DD. non fore legitimam talem confeſſionem, quandoquidem, vt benè notant *Sanchez, & Boſſius loc. cit.* teneretur etiam fateri conſenſum vxoris propriæ, ne detegeretur falſo iniuſtitia aduerſus ipsã,& ſic ſi talis conſenſus propriæ vxoris manifeſtaretur, plura peccata detegeret, quam eſſent cõmiſſa; cum fateretur cooperationem conſenſui alieni viri, alienæque vxoris, & vlterius propriæ, cum tamen ſoli peccato propriæ vxoris fuerit cooperatus. Hæc fermè ad verbum Sanchez.

11 Si cognoſcat ſic vxorem inuitam, peccat etiam contra iuſtitiam.

Quid autem ſentiendum ſit, quando maritus in vaſe non naturali cognouit vxorem ſuam inuitam, & reluctantem, an ſcilicet contraxerit diſtinctam noxam, & teneatur eandem in confeſſione aperire. Affirmatiuè reſpondet *Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrim. c.7. n.179.* & quidem non immeritò, quandoquidem tunc non ſolum peccat contra naturam, & peccato adulterij, ſed etiam contra iuſtitiam vim inferendo in eo, in quo non habet aliquam poteſtatem.

12 Incipiens in vaſe nõ naturali cum animo perficiendi in naturali grauitèr peccet.

Aſſertio V. Probabilius grauitèr peccat maritus, qui, vt ſe excitet ad copulam naturalem, & coniugalem, vel maioris voluptatis gratia eandem incipit ſodomiticè immittendo membrum in vas innaturale, animo tamen non conſumandi, niſi intra vas naturale. *Sanchez d. lib.9. diſp. 17. n. 5., Bonacina de matrim. q.4. punct. 11. n. 12., Fagundez in Decal. lib.6. c.3. n.18., Baſilius Pontius lib. 10. c.11. n.5., Diana part. 2. tract. 17. reſol. 37., Leandrus Diſcalceatus de Sacrament. part. 2. tract. 9. diſp.25 n. 36., Ioannes Angelus Boſſius tom. 3. var. mor. tit. 11. n. 69., & tract. de effect. matrim. c.7. n. 174.*

Rationes pro aſſerto.

Rationem ex eo deſumendam exiſtimo, quia ille actus ſic elicitus in vaſe innaturali eſt incohata ſodomia, & ex genere ſuo non ordinatur ad actum coniugalem, nec ad prolis generationem, quinimmo eſt inordinatus contra naturam, improportionatus eidem generationi, ergo erit abſolutè illicitus; Neque obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, quod ex intentione eiuſdem agentis ordinetur ad ipſam copulam coniugalem, cum ſolum vtatur illo modo tanquam medio ad magis ſe excitandum ad eandem, & ſicuti, ſi in alijs partibus vxoris etiam membro virili tangeret perfricando &c. quantumuis hoc præſtaret maioris voluptatis cauſa, potiſſimum ſi illum tactum ordinaret ad copulam naturalem non contraheret noxam læthalem, vt eſt in confeſſo fermè apud omnes, ita etiam tangendo, quinimmo etiam penetrando vas innaturale, quantumuis hoc præſtaret maioris voluptatis gratia non extenderet culpam ad læthalem, cum ille tactus, & penetratio inter coniuges, quantumuis importet maiorem inordinationem, & maiorem libidinis rationem, non excedat limites puri tactus, ſicuti non excedit limites eiuſdem immiſſio membri inter mamillas, vel fortè etiam in ore;

Solutiones argumentorũ.

Non, inquam, obeſſe poteſt, quia ille modus per illam immiſſionem membri virilis in vas præpoſterum vxoris nullo modo nec proximè, nec remotè ordinatus eſt à natura ad copulam coniugalem, nec ad prolis generationem, quinimmo natura ab illo abhorret, quod adeo verum eſt, vt ratione illius immiſſionis præciſè diuerſificetur in ſpecie actus ſodomiticus à ſimplici pollutione, cum hæc ſit ſolummodo emiſſio ſeminis extra vas, illa emiſſio eiuſdem per immiſſionem membri

bri

Digitized by Google

bri intra vas præpoſterum, & ſic ille modus conſtituit diuerſam malitiam ſupra ſimplicem ſeminis effuſionem, quod infert diuerſam prohibitionem; nec valet paritas quoad alios tactus impudicos etiam per membrum virile in alijs partibus fæminæ, puta in manibus, cruribus, & mamillis, quandoquidem, nec tantum ab his natura abhorret, & quodamodo illos ſaltem remote ordinat ad copulam coniugalem. Quid vero dicendum ſit de immiſſione membri virilis in os fæminæ ad effectum magis excitandi libidinem, vel magis ſe excitandi ad copulam, mox ſubdo.

Maior difficultas videtur eſſe, an ſit peccatum læthale perfricare circa vas præpoſterum vxoris membrum virile in ſuperficie dumtaxat ad effectum maioris voluptatis, vel idem membrum immittere in os fæminæ? Fagundez *in Decal. lib. 6.c.3. n.19., Diana part.3.tract.4.reſol.204., & part.5. tract.7. reſol. 7., Leandrus Diſcalceatus de Sacram. part.2. tract. 9. diſp. 25. q. 37., & 38., Stephanus Bauny de Sacrament. tract.12. vbi de oblig. coniug. vers. tertio eſt*, putant eſſe peccatum mortale in vtroque caſu perfricationis ſcilicet in ſuperficie vaſis præpoſteri, & immiſſionis in os mulieris. Rationem ex eo deducunt, quia inuoluit meram turpitudinem, & contrarium aſſerere nimis laxat habenas libidini; tum, quia nec os, nec vas præpoſterum natura ordinauit ad copulam legitimam, nec proximè, nec remotè, ſicuti ordinauit manus, crura, & ſimilia; & potiſſimum quoad refricationem membri virilis in ſuperficie vaſis præpoſteri vxoris apparet quædam incohatio ſodomiticæ copulę, à qua adeo natura abhorret. Ex aduerſo non eſſe peccatum læthale in vtroque caſu ſuſtinent *Sanchez d. lib.9. diſp. 17. n.5. in fine, Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrimon. c.7. n.175. in fine*, ſecluſo tamen pollutionis periculo, cum conſiderent huiuſmodi actus tanquam tactus præciſè inter coniuges, qui non excedunt limites noxæ venialis, prę cipuè cum os non ſit vas ordinatum ad copulam ſodomiticam, & per illos tactus, ſeu perfricationes vas præpoſterum non penetretur. Quid iam concludendum? Tu cogita. Mitiorem arbitror hanc ſecundam opinionem.

13 Sententia aſſerens eſſe peccatum læthale maritum perfricare membrũ virile in ſuperficie vaſis præpoſteri vxoris, & immittere in os ipſius.

14 Sententia aſſerens non eſſe peccatum læthale.

Ex his omnibus poteris deducere, quod vxor exacta ad reddendum debitum, ita tamen, vt prius patiatur penetrationem vaſis præpoſteri, non teneatur cum tali conditione reddere, quinimmò, nec poſſit, cum actus ipſe ſit in ſe peccaminoſus læthaliter, & afficiat non ſolum petentem, ſed etiam reddentem. Rurſus cum inuoluat fæditatem, & indecentiam ſaltem venialem, vt eſt in confeſſo apud omnes, illa perfricatio in vaſe præpoſtero, & immiſſio membri virilis in os fæminæ, vtique, nec tenetur vxor huiuſmodi actiones pati, adeoque, nec reddere ſub conditione illarum actionum.

15 Illatio ad prædicta.

SECTIO IV.

An ratione furoris, vel amentiæ, vel in altero, vel in vtroq; exiſtente excuſentur coniuges à redditione debiti.

SVMMARIVM.

Amentia, & furor quotuplex. 1.
Si non fuerit abſoluta dementia, ſed quædam fatuitas, vel in vno, vel in vtroq; non deobligat. 2.
Poſſunt amentes pro tempore, quo gaudent lucidis interuallis, congredi. 3.
Excipe, niſi poſtea eſſet periculum abortus. 4.
Si vterque fuerit plenè amens, & furioſus, ſunt ſeparandi, & grauitèr peccarent, qui eos incitarent ad copulam. 5.
Grauius peccarent, qui inſtigarent duos amentes ad copulam fornicariam, ac peccarent, qui ad eandem incitarent ſanos. 6.
Si alter coniux tantum ſit amens, & alter ſanus ſecluſo periculo abortus, ſeu damni prolis, & coniugum non eſt illicitus concubitus inter ipſos. 7.
Maius periculum eſſet, ſi fœmina eſſet amens, vel furioſa in ordine ad prolem. 8.
Si vxor ſit ſana, & maritus amens, poteſt vxor illi reddere, vel ab eodem petere. 9.
Si ſit periculum, quod amens in congreſſu ſeminet extra vas, non poteſt ſanus ab illo petere, ſi illud periculum ſit moralitèr certum. 10.
Ex ſuppoſitione, quod congreſſus inter ſanum, & amentem ſit licitus, tenetur ſanus perpetuo amenti reddere, ceſſante periculo abortus, vel damni. 11.

AMentia, de qua procedit titulus, poteſt multiplicitèr conſiderari; vel quatenus talis eſt, vt non omnino priuet vſu rationis, ſed reddat ſubiectũ, in quo eſt, adinſtar fatui, & inſtar pueri non carentis quidem vſu rationis, ſed modico pollentis, vel eſt talis, vt non extendatur ad omnia, ſed ad aliqua tantum in aliquo genere, quæ non attingant matrimoniũ, nec vſum ipſius, vel eſt talis, vt non afficiat coniugem, vel coniuges pro omni tempore, ſed pro aliquo, ita vt gaudeat, vel gaudeant lucidis interuallis. 1

1 Amentia, & furor, quotuplex.

Rurſus furor, vel eſt continuus, vel habens lucida interualla; rurſus vel in alte-

ro tantum exiſtit, vel in vtroque; ſi in altero tantum, vel eſt fæmina, quæ habet concipere, & fætum fouere, vel eſt maſculus, qui tantum habet agere. Rurſus, vel talis eſt furor, vt periculum ſit ob eundem, vt fætus interficiatur, vel non eſt talis. His ſuppoſitis ſit.

2 *Si nō fuerit abſoluta dementia, ſed quædam fatuitas, vel in vno vel in vtroq; non deobligat*

Aſſertio I. Si vterque coniux, vel alter tantum non ſit omnino mentecaptus, ſed fatuus, & ſimplex adinſtar pueri incipientis gaudere vſu rationis; item, ſi vterque, vel alter tantum non ſit amens in omni materia, ſed in vna, vel altera, non tamen circa matrimonium, non eſt illicitus concubitus inter eoſdem, & rogatus non eximitur ab onere reddendi debitum, ſiue ipſe ſit ſanus, & alter fatuus, ſiue ipſe fatuus, & alter ſanus, ſiue vterq; ſit fatuus. Ita quoad primam partem *Riccardus in 4. diſt. 32. art. 4. q 2., & ibi Supplementum Gabriellis q. vnica art. 2. poſt vndecimam concl., Sanchez lib. 9. de debit. coniug. diſp. 23. n. 1., Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrim. c. 1. nu. 298.* Quoad ſecundam *Sanchez, & Boſſius loc. cit. ille n. 2. iſte n. 297.*

Rationes pro aſſertio.

Ratio primæ partis ex eo deſumitur, quia illa fatuitas, ſeu ſimplicitas adinſtar pueri incipientis gaudere vſu rationis non eſt talis, vt tollat deliberationem ſufficientem ad contrahendum matrimonium, nec demit capacitatem ad vſum dominij in corpore alterius per illum cōtractum acquiſiti, ergo ſiue fatuus ſit, qui petat, ſiue ſanus, tenebitur alter, ſiue ſanus, ſiue fatuus ſit reſpectiuè, reddere, quinimmo etiam ſi vterque ſit fatuus. Antecedens ſupponitur, cum ſupponamus non eſſe omnimodam dementiam, Conſequentia vero probatur, quia poſita ſufficienti deliberatione ad contractū requiſita, & vſu dominij indè reſultantis non eſt, cur in ordine ad talem vſum ad exigentiam vnius alter non teneatur reddere, cum mutua obligatio nec ratione alicuius extrinſeci impediatur.

Ratio ſecundæ partis ex eo procedit, quia in ordine ad matrimonium, & ad actus eiuſdem non ſupponitur fatuitas in ipſis coniugibus, ergo in ordine ad actus, & vſum ipſius matrimonij, nulla adeſt ratio impediens, quominus alter poſſit petere, & alter teneatur reddere.

3 *Poſſunt amentes, ſi gaudeāt lucidis interuallis pro illo tempore congredi.*

Aſſertio II. Si coniuges amentes, ſeu furioſi lucidis fruantur interuallis conſiderata re ſecundum ſe poſſunt pro illo tempore, quo illis gaudent, adinuicem petere, & tenentur adinuicem reddere. *Nicolaus de Orbellis in 4. diſt. 32. q. vnica §. 10., Aſtenſis in ſumma 2. part. lib. 8. tit. 10. art. 3. q. penult., Bartolomæus à Ledeſma de matrim. diff. 49. in fin., Sanchez de matrimon. lib. 9. diſp. 23. nu. 3., Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrimon. c. 1. num. 299.*

Ratio ex eo deducitur, quia ex vna parte ſupponitur inter ipſos validè initum matrimonium, & ex alia cum pro illo tempore nō ſint rationis impotentes, peterent liberè, & actu humano, ergo conſiderata re ſecundum ſe tenebitur alter rogatus reddere, cum non ſit aliqua ratio impediens, nec remouens à tali debiti redditione.

4 *Excipe niſi poſtea eſſet periculū abortus.*

Dixi *re conſiderata ſecundum ſe*, nam, ſi adeſſet periculum, quod poſita tali redditione redeuntibus eiſdem coniugibus ad priſtinam amentiam, & furorem proles non eſſet fouenda, nec educanda, ſed potius per abortum interimenda, vel non conſeruanda; tunc idem dicendum eſt in hac hypotheſi, quod infrà dicetur de perpetuo amentibus, & furioſis, nec in hac hypotheſi eſſet ex neceſſitate debitum reddendum.

5 *Si vterq; coniux fuerit perfectè amens, & furioſus ſunt ſeparandi.*

Aſſertio III. Si vterque coniux fuerit plenè amens, & furioſus ſunt ab inuicem ſeparandi, donec ad mentem, & tranquilitatem redeant, & qui eos pro tempore amentiæ, & furoris incitarent ad coitum, grauitèr peccarent. *Ludouicus Lopez 2. part. inſtruct. de matrim. c. 52. ad finem, vbi de impedimento furiæ, Petrus de Ledeſma de matrim. q. 58. art. 3. dub. 2., Coninchus diſp. 34. n. 80., Bonacina de matrim. q. 4. punct. 1. n. 10., Sanchez d. lib. 9. diſp. 23. n. 5., Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrim. c. 1. n. 303.*

Rationes pro aſſertio.

Ratio ex eo deducitur, quia, quantumuis ipſi coniuges pro illo tempore coeuntes non peccarent, cum liberè non operarentur, deficiente vſu rationis requiſito ad ſufficientem libertatem, denegari tamen non poteſt, quin incitantes ad coitum grauem noxam contraherent, cum tale incitamentum cederet in graue damnum prolis, quæ inde prouenire poſſet, quoad educationem, quæ haberi non poſſet per parentes, qui, cum ſint ratione deſtituti ad hoc munus, ſunt omnino inhabiles. Accedit, quod adeſſe poteſt moralitèr periculum, vt eandem prolem ante, vel poſt partum enecent.

6 *Grauius peccarent qui incitarent duos amentes ad copulam fornicariam, ac peccarēt, qui incitarent ſanos.*

Hinc rectè deducit Sanchez, quod grauiori culpæ ſubeſſent incitantes, ſi duos amentes non coniugatos prouocarent, & incitarent ad copulam, ac ſi incitarent duos etiam non coniugatos, rationis tamen compotes, quia licet in vtroq; caſu concurrerent ad fornicationem, & ſic quoad hanc conſiderationem in culpa eſſent pares, in ordine tamen ad damnum prolis videntur abſolutè impares, cum maius damnum, & euidentius ipſi immineat

Digitized by Google

neat ex eo, quod habeat parentes amentes, & furioſos, ac ſi haberent ſanæ mentis, ac animi paccati; & ſic per conſequens aſſerit, quod incitantes teneantur in confeſſione talem circumſtãtiam aperire, cum illa incitatio non ſolum ſit cõtra virtutem caſtitatis, ſed etiam contra iuſtitiam propter damna prolis, & ſicuti ſi incitarent ad copulam cum conſanguinea tenerentur ſpeciem inceſtus manifeſtare, cum ad illum cõcurrerint, ita ſi incitauerint ad copulam fornicariam cum damno prolis, illam iniuſtitiam adnexam illi actui tenentur aperire.

7 Secluſo periculo damni, vel prolis vel coniugum non eſt illicitus concubitus inter ipſos, ſi alter ſit amens, alter ſanus.

Aſſertio IV. Si alter coniux tantum ſit amens, ſeu furioſus, & alter ſanus ſecluſo periculo abortus, ſeu damni prolis, & notabilis eorundem coniugum ex natura rei non eſt illicitus concubitus inter ipſos *Ludouicus Lopez 2. part. instruct. de matrim. c. 52. ad fin. vbi de impediment. furiæ, Petrus de Ledeſma q. 58. art. 3. concl. 2., Diana part. 9. tract. 7. reſol. 4., Conincbus diſp. 34. n. 80., Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrim. c. 1. n. 300.*

Ratio ex eo deducitur, quia ex vna parte ille congreſſus eſt inter coniuges legitimè vnitos vinculo matrimonij, & nullum proli poteſt detrimentum prouenire quoad educationem, ergo ſi pręſcindas à periculo abortus, & à damno, quod inde poſſit obuenire ipſis coniugibus, non erit aliqua inhoneſtas, nec turpitudo in tali congreſſu.

8 Maius periculum eſſet, ſi fœmina eſſet amens, vel furioſa.

Dixi *ſecluſo periculo abortus*, quia exiſtente tali periculo iam redderetur ille congreſſus inhoneſtus ratione eiuſdem, cui coniuges tenentur obuiare, & ſic ſanus, vtpotè rationis compos peccaret, cum prolem illi periculo exponeret. Ex quibus eruere fas erit hanc generalem regulam, quod, ſi maritus fuerit ſanæ mentis, & vxor amens, ſeu furioſa regularitèr non ſit licitum marito cum illa congredi, quia ex quo ipſa habet prolem geſtare, in vtero fouere, conſeruare &c. non irrationabilis viget ratio ſuſpicandi, quod eandem ſit enecatura, vel amentia, vel furore percita. Dixi *regularitèr*, quia ſi nulla foret ſpes, vel quia ſenex eſt, vel ſterilis, quod eſſet conceptura, vel quod, cum ſit ex natura ſua mitis, quantumuis conciperet, non ſit prolem ipſam conceptam interfectura, ex nullo capite ille congreſſus redderetur illicitus, cum tota turpitudo, quæ conſiderari poteſt in illo actu eſſet ratione periculi abortus, quod certè in his terminis non immineret. Ex aduerſo, ſi vxor ſit ſanæ mentis, & maritus amens, & furioſus vix apparere poteſt turpitudo in illo congreſſu, quinimmo licitè poteſt eadem vxor ſana ipſum coniugem amentem prouocare ad coitum. *Sotus in 4. diſt. 34. q. vnica art. 4. ad fin. corporis verſ. circa primam partem, Ludouicus Lopez 2. part. instruct. de matrim. c. 52. ad fin., Sanchez lib. 9. de debito coniug. diſp. 23. nu 9.*, & ratio eſt, quia in illa hypotheſi nullum ſubeſt periculum abortus, quod ſolum in hac hypotheſi conſideratur. 9 Si vxor ſit ſana, & maritus amens, poteſt vxor illi reddere, vel ab eodem petere.

Circa hanc aſſertionem ſolum remanet dubium diluendum, an ſcilicet, ſi ſit periculum, quod amens in actu illo congreſſus ſeminet extra vas, ille congreſſus ex illo periculo reddatur illicitus. Partem negantem, quod ſcilicet ille congreſſus foret illicitus ſuſtinent *Sanchez d. lib. 9. de debito coniug. diſp. 23.*, à quo non videtur diſſentiri *Ioannes Angelus Boſſius d. tract. de effect. matrim. c. 1. n. 300., & ſeqq.*, propter eam rationem, quia coniux ſanus vtitur iure ſuo, & illa ſeminis effuſio extra vas, ſi contingeret eſſet omnino per accidens, & præter ipſius intentionem, & ſi quandoque ex culpa amentis proueniat, non ſemper tamen id euenit. Nihilominus cum diſtinctione reſpondendum exiſtimo, vel etenim eſt periculum moralitèr certum, & rationabilitèr euenturum ex qualitate perſonæ, vel modi; vel eſt ſolummodo aliquale periculum, & non ita certum talis effuſionis ſeminis extra vas. Iuxta primum membrum diſtinctionis arbitror illicitum fore talem congreſſum, quia ſicuti illicitus eſt, quando eſt cum periculo moralitèr certo abortus, ita non eſt, cur non debeat eſſe illicitus, quando eſt cum moralitèr certo periculo effuſionis ſeminis extra vas, cum non minus in vno, quam in altero caſu fruſtraretur ſemen ſuo fine, & effectu, ad quem ex natura ſua eſt ordinatum, & ſicuti in hac hypotheſi non excuſatur coniux ſanus, ſi congrediatur ex motiuo, quod vtatur iure ſuo, & quod per accidens, & præter ipſius intentionem proueniat abortus, quando congreditur cum periculo eiuſdem, ita nec excuſari cenſendus eſt ex illo motiuo, quando congreditur, cum certo moralitèr periculo, quod ſemen extra vas ſit effundendum. Iuxta ſecundum membrum ſentio vtiq; fore licitum talem congreſſum, & in hoc validè procedere rationem pro ſuperiori opinione adductam à Sanchez; non enim priuari poteſt coniux ſanus iure, quo gaudet ob periculum illud remotum, & minus certum, quod alter poſſit effundere ſemen extra vas.

10 Si ſit periculum, quod amens in congreſſu ſeminet extra vas, nõ poteſt ſanus ab illo petere, ſi illud periculũ ſit moralitèr certũ.

Aſſertio V. Dato quod congreſſus inter ſanum, & amentem, ſecluſo periculo abortus, & damni corporalis coniugis ſani ſit licitus, non eſt, cur non teneatur per

ſe

ſe, & ex natura rei idem coniux ſanus reddere perpetuo amenti, dummodo nullum periculum abortus, aut damni coniugis ipſius ſani ex illo congreſſu immineat. *Nauarrus in ſumma c.16.n.27., Silueſter verb. debitum q.1. vers. ſecunda eſt in fin., Corduba lib.3. quæſtionarij q.8. fol.186. col.2. §. contra ſupradictam reſolut., Vera crux pr. part. ſpeculi art.41. §. penult., Graffius pr. part. decis. lib.2. c.83. num.4.* Ex iuriſtis *Abbas c.2. n.3. de coniug. lepros., & ibi Alexander de Neuo nu.3.* Eſt tamen hæc aſſertio contra *Sanchez d. lib.9. de debit. coniug. diſp.23. nu.10., Ioannem Angelum Boſſium tract. de effect. matrim. c.1. nu. 294., & alios plures apud eoſdem.*

II Si congreſſus inter ſanũ, & amentẽ eſt licitus, tenetur ſanus ceſsante periculo abortus, vel alterius damni illi petenti reddere.

Rationem ex eo deſumo, quia denegari non poteſt, quin ſint veri coniuges legitimo vinculo matrimonij obſtricti, & inter ipſos optimè ſaluari poteſt finis tam primarius, quam ſecundarius intentus à natura, ſcilicet generationis, & remedij concupiſcentiæ, ergo non erit, cur ſanus rogatus ab ipſo amente, quando nullum periculum ſubeſt abortus, vel alterius damni non teneatur ipſi petenti reddere; Neque obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, quod non eſſet petitio facta humano modo, ac proinde eſt, ac ſi coniux inſomnis peteret, cui propterea alter non tenetur annuere, quod confirmari poteſt ex eo, quod ſi quis incidat in furorem amittat adminiſtrationem ſuorum bonorum, adeoque etiam ſi in amentiam, & furorem incidat, amittat vſum dominij, quod habet in corpus alterius coniugis. Non, inquam, obeſſe poteſt, quia cum actus coniugalis ſit actus quodamodo naturalis, & iuxta exigentiam naturæ communis quodamodo hominibus, & brutis ſuppoſita ſufficienti poteſtate in coniugibus, non exigit ad legitimam petitionem tantam aduertentiam, & deliberationem, quantam exigit in cæteris actionibus non ita naturalibus, & iuxta exigentiam naturæ; vnde quamuis illa petitio non ſit actus humanus, eſt tamen actus hominis, & quamuis non eſſet actus meritorius, eſt tamen actus licitus, cum ſit inter legitimos coniuges, & ſicuti, quia naturale eſt homini viuere, & ſumere alimenta, quibus viuat, non poſſunt denegari alimenta ex proprijs bonis furioſo, & amenti, quantumuis illorum petitio non ſit humana, ita etiam &c. Ad illud, quod ſubditur de negatione adminiſtrationis furioſo in ordine ad bona ſua, dicendum eſt iura rectè de hoc diſpoſuiſſe, quia eſt præſumptio efficax, quod ob indeliberationem, & defectum rectæ rationis eſſet de illis malè diſpoſiturus; in hac autem hypotheſi nulla poteſt eſſe præſumptio, quod amens ſit malè vſurus dominio, quo gaudet circa alterius coniugis corpus, cum ſupponatur poſſe eſſe finis generationis à natura intentus, & nullum adeſſe periculum abortus, ſeu alterius damni.

Rationes pro aſſerto.

Inſtantiæ propoſitæ, & diſſolutæ.

Minus obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, quod ſit periculum damni in prole, quod ſcilicet naſcatur fatua, & amens; Minus, inquam, obeſſe poteſt, quia melius eſt proli naſci cum illa qualitate fatuitatis, & amentiæ, quam ſimplicitèr non naſci, adeoque nullum damnum ipſi infertur; Deinde non ita certum eſt, quod ſit cum illis qualitatibus naſcitura, adeoque ratione illius incertitudinis non debet priuari iure certo, quo gaudet.

Alia inſtantia diſſoluitur.

SECTIO V.

An ad vitandum damnum rei familiaris ob multiplicitatem prolis excuſentur coniuges ab onere reddendi debitum.

SVMMARIVM.

Poſſunt coniuges conuenire de non congrediendo ad vitandam prolis multiplicitatem. 1.
Secus ſi eſſet periculum incontinentiæ in altero. 2.
Non eximuntur coniuges ab onere reddendi ex eo, quod non habeant, quod poſſint poſt mortem proli multiplicatæ relinquere. 3.
Etiam ſi non habeant, quo prolem multiplicatam poſſint alere, dum viuunt. 4.
Soluuntur rationes oppoſitæ. 5.

NON eſt hic difficultas, an poſſint mutuo conſenſu coniuges abſtinere à coitu coniugali ad effectum, ne multiplicetur proles, quam commodè alere nequeant, quandoquidẽ indubitati iuris eſt apud omnes, tam Theologos, quam canoniſtas, quod vtique poſſint abſtinere; De hoc latè *Paludanus in 4. diſt.31. q.3. art.2. n.15., D. Antoninus part.3. tit.1. c.20. §.6., Phyliarchus de offic. ſacerdot. to.1. part.2. lib.4. c.19 §.3. peccat, Ludouicus Lopez pr. part. inſtruct. cap.85. in princip.* nec difficilis eſt probatio huius aſſertionis, ſiquidem ex vi contractus matrimonialis obligantur quidem coniuges ad reddendum debitum alteri ſerio, & legitimè petenti, non autem ad petendum, niſi ex alia ſuperiori cauſa ad hoc impellantur, ergo ſicuti vterque poteſt non petere, poterit etiam conuenire de non petendo, & ſic in neutro conſurgit obligatio reddendi. Accedit, quod vterque poſt contractum matrimonium poteſt votum ſimplex caſtitatis emittere, ratione cuius

I Poſsunt coniuges conueniꝛe de non congrediendo ad vitandam prolis multiplicitatem.

Digitized by Google

cuius obligatur ad non petendum, ergo etiam &c. Accedit ſecundo, quod per talem conuentionem nulli irrogatur iniuria; non alteri ex coniugibus, cum in talem abſtinentiam conſentiant; non proli, quia, cum adhuc non ſit, non inducit aliquam obligationem in coniugibus ad ipſam ponendam in eſſe, cæteroqui coniuges non poſſent vouere caſtitatem, nec vt vacarent orationibus abſtinere ab vſu coniugij. Hæ rationes non ſolum probant, quod ne dum mutuo conſenſu poſſint abſtinere, quando non habent, quo commodè prolem multiplicatam poſſint alere, ſed etiam, quando vtpotè diuites poſſent etiam alimenta præſtare, atque in his terminis loquuntur *Villalobos tract. 13. difficult. 49. n. 2., Sotus in 4. diſt. 32. q. vnica art. 1. ante medium, Bonacina de matrim. q. 4. punct. pr. n. 13., Coninchus diſp. 34. n. 24., Laiman lib. 5. tract. 10. p. 3. c. 1. n. 16., Phyliarchus de offic. ſacerd. tom. 1. p. 2. lib. 4. c. 19. §. tertio peccat.*

Nulli per talem conuentionē irrogatur iniuria.

Dixi *niſi ex alia ſuperiori cauſa ad hoc impellantur*, quia, ſi in altero coniuge adeſſet periculum incontinentiæ, teneretur alter non obſtante conſenſu præſtito ad abſtinendum eidem, vel expreſsè, vel tacitè petenti reddere ex motiuo ſaltè charitatis, quia illa promiſſio cum illo periculo non obligat; quinimmo arbitrarer in hac ſuppoſitione periculi incontinentiæ, quando etiam vexatus tali periculo nec tacitè, nec expreſsè peteret, teneretur alter conſcius illius periculi petere, ſeu ſaltem offerre copulam coniugalem ex motiuo eiuſdem charitatis, prout latè etiam docent *D. Thomas in addit. ad 3. part. q. 64. art. 2. ad primum, & q. 49. art. 5. ad ſecundum, Sotus in 4. diſt. 31. art. 4. concl. 1. in fin., Petrus de Ledeſma q. 49. art. 5. dub. 2. concl. 2., Henriquez lib. 11. c. 15. n. 9.*

2 Secus ſi eſſet periculum incontinentiæ in altero.

Articulus examinandus.

Id igitur, quod ſub præſenti titulo controuertendum occurrit, eſt, an quando non eſt mutua conuentio de abſtinendo ab vſu coniugali licitum ſit alteri ad euitandam prolis multiplicitatem, vel aliquod aliud damnum in re familiari denegare debitum alteri ſerio, & moderatè petenti.

3 Non eximuntur ab onere reddendi, ſi habeant pro tempore, quo viuunt, quo poſſint prolē multiplicatam alere, licet non ſint habituri, quod poſſint poſt mortem relinquere.

Aſſertio I. Si parentes habeant bona ſufficientia ad alendos filios, quantumuis multiplicatos pro tempore, pro quo ijdem parentes viuunt, non excuſantur ab onere reddendi debitum ſub eo prætextu, ne ijdem filij multiplicentur, quantumuis non habeant, quod relinquant poſt eorum obitum ad congruam ipſorum ſuſtentationem. Ita in ijs terminis *Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrimon. c. 1. n. 221.*, & à fortiori ita ſentire tenentur *Angelus verb. debitum n. 15., Nauarrus in ſumma c. 16. n. 25., Alexander in ſuo Enchiridio 2. part. præcept. 6. vbi de debito coniug. vers. ſi debitum negauit, Petrus à Ledeſma de matrim. q. 46. art. 1. diffic. vlt. concl. 1., Graffius pr. part. decis. lib. 2. c. 82. n. 1. in fin., Rebellus part. 2. lib. 29. 16. n. 5., Taxeda tom. 2. lib. 4. tract. 1. controu. 12. n. 129., Coninchus diſp. 34. n. 24.* dum ſtatuunt non eximi coniuges à culpa læthali, ſi negent debitum, ne multiplicetur proles, quantumuis non habeant, quo eandem multiplicatam poſſint alere.

Ratio ex eo deducitur, quia multiplicatio prolis eſt finis principalitèr à natura intentus in contractu matrimoniali, ergo ex fine, ne eadem multiplicetur, poterit alter rogatus, ſeu exactus abſtinere à redditione, niſi ſufficiens cauſa excuſet, ſed quando parentes habent, quo poſſint, dum viuunt, prolem multiplicatam alere, quantumuis non habeant, quo eandem poſſint alere poſt ipſorum parentum mortem, non eſt ſufficiens cauſa denegandi debitum, quod ſeriò, & moderatè exigitur, ergo &c. Subſumpta minor probatur, quia parentes non habent onus alendi filios, niſi quouſque viuunt, & poſt obitum relinquendi eiſdem ſolummodo legitimam eorum bonorum, quibus pro tempore mortis gaudent, ergo &c. Iuxta hos terminos præter præcitatos DD. hanc opinionem ſuſtinet *Petrus de Ledeſma de matrim. q. 64. art. 1. ad fin.* vbi limitat concluſionem, quam indefinitè poſuerat, quod coniuges non eximantur ab onere reddendi debitum ob finem, ne proles multiplicetur, quando non habent, quo eandem alant, limitat, in quam, iuxta hanc conſiderationem, ſi ſcilicet non habeant, quo alant, dum ipſi viuunt, ſecus ſi pro eo tempore habeant, quo eos alant, licet non habeant, quo eos alant poſt mortem, atque ità etiam ſentire videtur *Sanchez de matrim. lib. 9. de debito coniugali diſp. 25. num. 3. in fin.*

Rationes pro aſſerto.

Aſſertio II. Etiam ſi coniuges non habeant, quo prolem multiplicatam, dum viuunt, alere poſſint, non poſſunt licitè denegare debitum, ne eadem multiplicetur. Ita contra *Emanuelem Sà verb. debitum coniugale n. 18., Comitolum lib. 1. reſpon. mor. q. 136. num. 10., Dianam part. 9. tract. 7. reſol. 3., Hurtadum de matrimon. diſp. 10. n. 54., Pontium lib. 10. c. 3. num. 7., Sanchez de matrim. lib. 9. diſp. 25. num. 3., Ioannem Angelum Boſſium tract. de effect. matrim. c. 1. num. 220.* ſuſtinent *Angelus verb. debitum coniugale n. 15., Nauarrus in ſumma c. 16. nu. 25., Graffius pr. part. decis.*

4 Etiam ſi non habeāt, quo commodè prolē poſſint alere, dū viuunt.

lib.

Digitized by Google

lib.2.c.82.nu.1.in fin., Ludouicus Lopez pr. part. inſtruct. c.78.§. peccat etiam coniux, Petrus à Ledeſma de matrimon. q.64.art.1. diffic. vlt. concl.1.

Rationem ex eo deſumo, quia hanc debiti coniugalis reddendi obligationem, neque demit damnum prolis futuræ ex indigentia, neque magnum coniugum incommodum in eadem alenda, ergo non erit, cur deobligetur alter coniux ab onere reddendi debiti in hypotheſi, de qua loquimur. Antecedens, quoad primam partem facilè ex eo liquet, quia melius eſt proli naſci, & viuere inopem, quam omninò non naſci; quoad ſecundam euincitur, tum quia, vt ſupra innuebam, illa prolis multiplicatio eſt primarius finis intentus à natura, & maximum bonum matrimonij, ad quod coniuges ſe obligantes videntur etiam ſe obligaſſe ad quæcunque incommoda, quæ ex illo prouenire poſſunt conſtanter perferenda, tum quia ius, quod habet coniux in alterius corpus ex vi contractus matrimonialis tale, ac tantum eſt; vt præualere debeat cuicunque incommodo, quod poſſit prouenire ex prolis multiplicatione; tum quia tandem maximum iugum eſſet ipſius coniugibus ſimul cohabitare, & in eodem thoro viuere, & non poſſe vti coniugio potiſſimum, cum vix poſſit abeſſe periculum incontinentiæ, prout rectè notauit *Coninchus diſp.34.n.24.*

Rationes pro aſſerto.

5 Neque obeſſe poteſt, ſi aſſeratur primò, quod ſicuti in cæteris debitis magna incommoditas excuſat ab eorum ſolutione, ita non ſit, cur excuſare non debeat ab onere ſoluendi debitum coniugale magna incommoditas in alenda prole, quinimmo impotentia; Non, inquam, obeſſe poteſt, quia ſtrictius videtur debitum, quo premuntur coniuges ad onus coniugij, cum alligentur vinculo indiſſolubili proueniente ex ipſo iure naturali ordinato ſecundum ſe ad bonum naturæ, ac ſint cætera debita, quæ in ordine ad creditores quoad ſolutionem poſſunt non eſſe neceſſaria, nec ordinata ad bonum naturæ, ſed dumtaxat ad melius eſſe. Deindè data contraria opinione vix contingere poſſet, quod pauperes tenerentur debitum perſoluere, cum ſemper ſubeſſent periculo, quod præ inopia non poſſent prolem alere. Tandem incommoditas, ſeu impotentia non eſt directè quoad ſolutionem debiti, ſed ad quid conſequens ad illam, nempe ad ſuſtentationem prolis, ſi quæ indè obueniet; hæc autem poteſt ex multis capitibus ceſſare, vel quia non ſequatur conceptio, vel quia Deo diſponente poteſt illis contingere pinguior fortuna, vel quia poſſunt confidere in Dei auxilio, qui ſicuti volucres cœli paſcit, ita non ſinet creaturam, ſeu creaturas rationales ad gloriam ſupernaturalem ordinatas fame perire; tandem, quia ille metus incommoditatis, ſeu impotentiæ ad alendam prolem fundatus in tenuibus fortunæ bonis, quæ ipſi coniuges poſſident, poteſt compenſari per ſpem, quod illa proles, & eiſdem coniugibus, & ſibi poſſit vtilitatem non modicam afferre.

Prima inſtātia propoſita, & diſſoluta.

Neque obeſſe poteſt, ſi afferatur ſecundo, quod illa redditio debiti cederet in maximum præiuditium filiorum iam natorum, cum parentes ob tenuitatem ſuorum redditu um non poſſent æquè bene illos alere, ſi alia proles ſuperueniret; Non, inquam, obeſſe poteſt, quia ſicuti non tenentur coniuges abſtinere ab vſu coniugij ob periculum alicuius infectionis in prole concepta in vtero matris, & nondum nata, ita nec videntur tenere abſtinere ob periculum damnorum, ſeu præiuditij, quod quoad alimenta poteſt contingere filijs iam natis, cum magis ſit conſiderabile damnum in naturalibus, & intrinſecè in exiſtentibus, quam in merè temporalibus, & exterioribus bonis, potiſſimum cum iſtis facilius poſſit obuiari, vel per labores, vel per eleemoſinas &c.

Secunda inſtantia item diſſoluta.

SECTIO VI.

An excuſentur coniuges à redditione debiti ob dubium valoris matrimonij.

SVMMARIVM.

Dubium multiplex exponitur. 1.

Si dubium fuerit rationale, & circa contractum, dubitans non poteſt petere. 2.

Si dubium fuerit circa impedimentum dirimens ortum ante contractum, dubitans non poteſt petere, tenetur tamen alteri non dubitanti reddere. 3.

Non dubitans non tenetur alteri dubitanti reddere. 4.

Poteſt tamen, ſi velit, reddere. 5.

Extante periculo incontinentiæ in dubitante petente, non dubitans ex lege charitatis, teneretur reddere. 6.

Si vterque dubitans de valore contractus antequam miretur, contraxerit, neuter poteſt petere, & reddere. 7.

Huiuſmodi coniuges ſunt à thoro ſeparandi. 8.

Ad inſtaurandum huiuſmodi matrimonium requiritur, quod deponatur practicè dubium. 9.

Contracto matrimonio ex parte vtriuſque cum bona fide, ſi ſuperuenerit dubium etiam diſcretum, dubitans tenetur alteri non dubitanti reddere. 10.

Dubi-

Digitized by Google

Dubitans, ſi poteſt præmittere inquiſitionem ſuper dubio, antequam exigatur, tenetur. 11.

Non tenetur dubitans alteri non dubitanti detegere ſuum dubium. 12.

Superueniente dubio poſt contractum nequit dubitans, nec ante, nec poſt inquiſitionem petere debitum. 13.

Dubitans mota lite, eaque pendente, tenetur alteri petenti reddere. 14.

Intellige, ſi lis ſit ſuper vinculo coniugali diſſoluendo, ſecus ſi ſuper diuortio. 15.

Dubitans ante conſummatum matrimonium intra primum bimeſtre, nec tenetur, nec poteſt reddere. 16.

Dubitans, qui propria auctoritate receſſit, eſt reſtituendus quoad habitationem, nõ quoad thorum, ſi offerat incontinenti probationes, abſolutè quoad omnia, ſi incontinenti non offerat. 17.

Quandonam dicatur offerre incontinenti. Ibid.

Superueniente dubio diſcreto poſt contractum matrimonium neuter poteſt petere, & reddere, ſiue ante, ſiue poſt præſtitam inquiſitionem. 18.

Contracto legitimè matrimonio ſuperueniente in altero dubio de impedimento, quod ipſe poſſit remittere, non tenetur dubitans alteri reddere. 19.

Etiam ſi Iudex eidem dubitanti præciperet redditionem. 20.

Etiam ſi ipſe dubitans moueret litem ſuper vxoris ſeruitute. 21.

Secus, ſi dubium eſſet leue. 22.

DVbium hoc de valore matrimonij, vel poteſt eſſe circa contractum ipſum, quatenus non certo conſtet, an re vera fuerint verba, ſeu ſigna, & actio externa denotantia contractum cum animo verè contrahendi, vel circa aliquod impedimentum, quatenus adeſt dubium de ſubſiſtentia alicuius impedimenti dirimentis tempore contractus exiſtentis. Porro, ſi fuerit dubium circa impedimẽtum, vel hoc præceſſit ipſum contractũ, vel ſubſecutum eſt ad eundem contractũ; item ſiue præceſſerit, ſiue fuerit ſubſecutum, vel præceſſit in vtroq; vel in vtroq; ſuperuenit, vel præceſſit, vel ſubſecutum fuit in altero tantum. Porrò, vel hoc dubium eſt rationabile, & probabile, quatenus, vel vterque, vel alter ſit dubius dubitatione, ſeu credulitate diſcreta, & probabili, vel leue, ſeu debilibus innixum rationibus, quatenus vterque, vel alter eorum ſit dubius credulitate leui, & minus probabili. Iuxta hæc omnia dubiorum genera præſens titulus diſcutietur.

1 Dubium multiplex exponitur

Aſſertio I. Si dubium fuerit circa contractum ipſum matrimonij, & quidem rationabile, & hoc ſe teneat ex parte vnius dumtaxat, quatenus hic dubitet, an fuerint poſita verba, vel ſigna denotantia conſenſum cum animo contrahẽdi nullo modo poteſt hic debitum petere perſeuerante eo dubio; ſi vero ſe teneat ex parte vtriuſq; neuter poteſt legitimè petere. Conſentit *Ioannes Angelus Boſſius tom.* 1. *var. mor. part.* 2. *tit.* 1. *§. ſi nu* 1923., *& tract. de effect. matrim. c.* 2. *n.* 2.

2 Si dubiũ fuerit circa contractum matrimonij, & rationabile, dubitans non poteſt petere.

Ratio ex eo deducitur, quia cum hoc dubium verſetur circa ipſa ſubſtantialia contractus, & non ſit leue, nec irrationale nullum ius confert ipſi dubitanti, cum poſſeſſio, quæ incipit in dubio rationabili, nec conferat bonam fidem practicè, nec ſpeculatiuè, ergo perſiſtente illo dubio non licitum erit dubitanti accedere ad alterum, ob periculum accedendi ad non ſuum. Accedit, quod in eo dubio verſante circa ipſam ſubſtantiam contractus poſſeſſio ſtare debeat pro certa lege naturali non accedendi ad non ſuam.

Aſſertio II. Si dubium fuerit circa aliquod impedimentum dirimens, & fuerit in altero coniuge ante contractum matrimonij altero contrahente in bona fide exiſtente, non poteſt ſic dubitans petere debitum, tenetur tamen alteri in bona fide exiſtenti ſeriò petenti reddere *Salonius ſecunda ſecundæ q* 61. *tract. de domin. q.* 5. *art.* 6. *ratione vlt.*, *Palacios in* 4. *diſt.* 27. *diſp.* 3. *fol.* 602., *Ludouicus Lopez* 2. *part. inſtruct. de matrim. c.* 55., *Vera Crux* 3. *part. ſpeculi art.* 18. *concl.* 6.; *Bonacina de matrim. q.* 4. *punct.* 4. *n.* 10., *Sanchez de matrimonio lib.* 2. *diſp.* 42. *num.* 2., *Reginaldus lib.* 31. *n.* 299., *Gutierez de matrim. c.* 50. *nu.* 2., *Coninchus diſp.* 34. *nu.* 101.

3 Si dubium fuerit circa impedimentum dirimens ortum ante contractum dubitans nõ poteſt petere, tenetur tamen alteri non dubitanti reddere.

Ratio primæ partis ex eo deſumitur, quod latè dicebamus *tom.* 1. *ſub tit. Contractus I. de contract., vt ſic prænot.* 2. *n.* 13., nempe dubium in incæptione poſſeſſionis non tribuere aliquod ius, eo quod talis poſſeſſio non ſit cum bona fide *l. vnica C. de vſucap. transf., & c. vlt. de præſumpt.*, ergo, cum ille ſic dubitans incohauerit ſine bona fide, cum dubium illam perimat poſſeſſionem matrimonij, nullum ius habebit ad petendum debitum, ſeu ad vſum voluntarium eiuſdem matrimonij cum periculo fornicationis.

Poſſeſſio non eſt cũ bona fide.

Ratio ſecundæ partis ex eo deducitur, quia, cum alter matrimonium contraxerit bona fide, vtique iuſtum habet titulum poſſeſſionis, ergo non conſtante de nullitate matrimonij non eſt tali titulo, & iure priuandus ob dubium, ſeu malam fidẽ alterius; Neq; hic audiendi ſunt *Sotus in* 4. *diſt.* 27. *q.* 1. *art.* 3. *verſ. alia verò Ludouicus Lopez* 2. *part. inſtruct. de matrim. c.* 39, *Vega lib.* 3. *ſummæ caſ.* 155., dum aſſerunt, quod cum dubitans non poſſit petere, ne

Non dubitans habet iuſtũ titulũ poſſeſſionis.

Digitized by Google

matrimonium claudicet, non poſſit etiam ſine labe læthali petenti reddere, adduntque, quod ſi vxor ſecundo nubat cum dubio de morte prioris mariti, dubium illud prævalere debeat, adeoque tale matrimonium eſſe irritandum; Non, inquam audiendi ſunt, quia, vt benè notant *Sanchez de matrim. lib. 2. d. diſp. 42. num. 5., Ioannes Angelus Boſſius tom. 1. var. moral. part. 2. tit. 1. §. 51. num. 1976. in fin.* non eſt aliquod abſurdum, quod ratione malæ fidei in eo, qui contraxit cum tali dubio, quoad ius petendi tale matrimonium claudicet, cum ex alio capite omnino firmum remaneat quoad onus reddendi alteri petenti, qui contraxit cum bona fide, hoc etiam videre eſt in eo, qui obſtrictus voto ſimplici caſtitatis contraxit, reſpectu cuius claudicat matrimonium, quoad ius petendi, non autem quoad onus alteri reddendi, qui tali voto non afficitur. Ad illud, quod ſubditur, quod poſſeſſio illius, de cuius morte alter dubitat, debeat prævalere; gratis omnino dicitur, quia illa poſſeſſio, ſicut, & ipſius vita non eſt certa, ſed omnino dubia; poſſeſſio autem illius, qui bona fide contraxit, eſt omnino certa, quæ per cõſequens debet prævalere.

Soluuntur nonnullæ instantiæ oppoſitæ.

Tota aſſertio noſtra clarè deciditur per textum *in c. Dominus de ſecundis nuptijs*, vbi ſic expreſsè legitur *Sanè ſuper matrimonijs, quæ quidam ex vobis contraxerunt nondum habita abeuntis coniugis certitudine reſpondemus, vt nullus amodo ad ſecundas nuptias migrare præſumat, donec ei conſtet, quod ab hac vita migrauerit coniux; ſi verò aliquis hoc non ſeruauit, & de morte prioris coniugis adhuc exiſtimat ſibi dubitandum ei, quæ ſibi nupſit, debitum non deneget poſtulanti, quod à ſe tamen nouerit nullatenus exigendum*, Ex quibus facilè eruitur contra præallegatos Doctores matrimonium illud non eſſe irritandum; cum etenim Pontifex compellat dubitantem ad reddendum alteri, qui bona fide contraxit, per conſequens ſtatuit matrimonium illud tenere, quod etiam nos docuimus *tom. 7. ſub tit. Contractus XV. de matrim. IV. Pranot. 2. n. 12.*

Iura euincentia intentum.

Ex eo, quod dixerimus, quod, ſi coniux, qui bona fide contraxit, petat feriò debitum ab altero, qui cum illo dubio contraxit, teneatur iſte illi reddere, oritur hic immediatè difficultas, an ſi ille, qui mala fide contraxit, perſeuerante tali dubio peteret, teneretur alter innocens illi reddere? Affirmatiuam partem ſuſtinent *Henriquez lib. 12. de matrim. c. 6. nu. 5. in comment. lit. T., Bartolomæus à Ledeſma de matrim. dub. 20. concl. 1.*, ea ratione, quia tota iniquitas, ſi quæ eſt, ſe teneret ex parte petentis; iniquitas autèm petentis non eximit alterum ab onere reddendi, vt videre eſt in eo, qui obſtrictus voto ſimplici caſtitatis peteret ab altero debitum, qui certè illud non poſſet negare; quod etiam nos ſupra affirmauimus, dum diximus, quod, ſi turpitudo non ſe teneat ex parte ipſius actus, ſed ex circumſtantia aliqua ſe tenente ex parte petentis, nõ eximatur alter ab onere reddendi. Nihilominus *Sanchez d. lib. 2. diſp. 42. n. 3., Ioannes Angelus Boſſius tom. 1. var. mor. part. 2. tit. 1. §. 51. nu. 1978., Salas prima ſecunda tract. 8. ſect. 22. nu. 213.* partem negantem ſuſtinent ea moti ratione, quia nemo tenetur reddere, niſi ad legitimam petitionem alterius, ſed alter dubitans non poteſt legitimè petere, quandoquidem hic legitimè non poſſidet, nec habet ius iuſtitię ad illum vſum proptèr rationem mox adductam, quod incæptio poſſeſſionis in mala fide nullum ius confert; nec valent rationes pro contraria opinione adductę, quandoquidem obſtrictus voto ſimplici caſtitatis, & petens illicitè ex circunſtantia ſe tenente præciſè ex parte petentis habet legitimam poſſeſſionem ad petendum, & ſolum impeditur à petitione quoad eſſe licitum ratione alicuius circunſtantiæ, quæ non tollit poſſeſſionem; dubitans autem de valore matrimonij in ipſa celebratione contractus nullam acquirit, nec detinet poſſeſſionem, adeoque &c.

4 Non dubitans in hac hypotheſi, non tenetur dubitanti reddere.

Hic duplex inſurgit ratio dubitandi; Prima eſt, an, quantumuis non teneatur alter innocens, & poſſeſſor bonæ fidei alteri, qui contraxit in dubio valoris matrimonij, petenti reddere, poſſit tamen, ſi velit ad eius petitionem reddere? Secunda, an ſaltem eidem dubitanti petenti teneatur reddere, ſi norit ex negatione eidem imminere periculum incontinentiæ. In ordine ad primam abſolutè ſentio poſſe, ſi velit, reddere *Sanchez d. lib. 2. diſp. 42. num. 4., Ioannes Angelus Boſſius tom. 1. var. mor. part. 2. tit. 1. §. 51. num. 1979., & tract. de effect. matrimon. c. 2. nu. 34.*, ſi etenim ipſe innocens, qui contraxit bona fide, poteſt licitè petere, non eſt cur licitè petenti non poſſit reddere, cum ſit in pacifica poſſeſsione bona fide, ſibique ſuadeat illud matrimonium eſſe validum, adeoq; ipſo poteſt plenè vti, ſiue petendo, ſiuè reddendo. In ordine ad ſecundam ſentio ſaltem ex lege charitatis, ſi non iuſtitiæ teneri in ea hypotheſi reddere, ſed congruentius foret, ſi ipſe tunc offerret. Rationem ex eo deſumo, quia ex lege charitatis coniux innocèns quantum poteſt, tenetur conſulere damno ſpirituali alterius, quando licitè,

5 Poteſt tamen, ſi velit, reddere.

6 Extante periculo incontinentiæ in dubitante petente, ex lege charitatis, teneretur reddere.

Digitized by Google

licitè, & ſine propria culpa poteſt eidem obuiare, ergo vrgente periculo incontinentiæ in altero, ſi non reddat, tenebitur ex eadem lege reddere; Neque dicas, quod, cum illa petitio dubitantis de valore matrimonij ſit iniqua, & peccaminoſa, ipſe reddendo conſtitueretur reus cooperationis illi iniquæ petitioni; contra enim impugnaberis, quia ipſe non cooperatur reddendo illi iniuſtæ petitioni, cum independentèr ab ipſo iam intelligatur poſita, vndè ipſe ſolum vtitur iure ſuo, & per vſum illum vtique licitum obuiare intendit illi periculo, ad quod etiam tenetur, cum nulla culpa ex illa redditione eidem immineat, vrgente præcepto charitatis. Dixi, *ſed congruentius foret, quod ipſe tunc offerret*, quia hoc pacto cognito illo periculo occurreret cuicunque labi etiam ex parte petentis ex illa petitione.

7 Si vterq; dubitans de valore contractus, antequam ineatur, neuter licitè, poteſt petere, & reddere.

Aſſertio III. Si vterque coniux dubitans de valore contractus, antequam ineatur, contraxerit, neuter poteſt licitè petere, nec reddere *Vera Crux 3. part. ſpeculi art. 13. in fin., Sanchez d. lib. 2. diſp. 42. num. 7., Henriquez lib. 11. de matrim. c. 11. n. 5., Coninchus d. diſp. 34. n. 102., Arriaga prima ſecunda diſp. 25. nu. 30., Nauarrus in ſumma c. 22. n. 54., Sotus in 4. diſt. 27. q. 1. art. 3., Bonacina de matrimon. q. 4. punct. 4. n. 11.*, qui tamen falſo aſſerit, hanc aſſertionem eſſe contra *Henriquez loc. cit.*, nam iſte ibi expreſsè docet in hac hypotheſi neutrum coniugem poſſe licitè petere, & reddere debitum; eſt tamen contra *Silueſtrum verb. matrimonium 4. q. 9. dict. 3.*, qui tamen, cum non ita expreſsè loquatur, poteſt trahi ad ſanum ſenſum noſtræ aſſertionis.

Rationes pro aſſerto.

Ratio ex eo deducitur, quia neuter poteſt legitimè in hac hypotheſi petere, quia neuter legitimè incæpit poſſeſſionē per ea, quæ docuimus in præcedenti aſſertione, ſi etenim, quando alter tantum in dubio, ſeu mala fide contraxit, hic nequit abſolutè petere, quia non legitimè acquiſiuit ius poſſeſſionis, non eſt, cur etiam quando vterque in tali dubio, ſeu mala fide contraxit, non debeat vterque carere iure petendi, cum vterque incohauerit poſſeſſionem cum tali dubio, quę propterea nullum ius confert, ergo etiam neuter poterit licitè, & legitimè reddere. Conſequentia probatur, quia ad hoc, vt redditio ſit licita, debet ſupponere ius legitimum exigendi, ergo cum neuter poſſit legitimè exigere, neuter poterit legitimè reddere; nec in hoc valet paritas de coniugibus obſtrictis voto ſimplici caſtitatis, qui quantumuis nequeant petere, poſſunt tamen reddere proptèr rationem diſparitatis ſupra adductam.

Hic iam oritur difficultas quomodo gerendum ſit cum huiuſmodi coniugibus, qui cum tali dubio contraxerunt. 8

Huiuſmodi coniuges ſunt ſeparandi à thoro.

Cōueniunt communitèr DD. eſſe a thoro ſeparandos propter periculum incontinentiæ *Coninchus diſp. 34. de mutua coniug. oblig. dub. 10. n. 102. vers. hinc infertur, Ioānes Angelus Boſſius tom. 1. var. mor. part. 2. tit. 1. §. ſi n. 1981.*, talis etenim cohabitatio præberet fomitem concupiſcentiæ, excitaret ardorem libidinis, quem non poſſent compeſcere; Nec tamen hinc ſequitur, matrimonium illud eſſe inualidandū, ſeu inualidum declarandum; cum expreſsè habeatur *in c. dominus de ſecundis nupt., & in c. in præſentia de ſponſal.* non licere ad alias nuptias tranſire, donec conſtet de priorum diſſolutione, adeoq; perſeuerante dubio, an illud matrimonium ſit validum, non erit diſſoluendum quoad vinculum coniugale.

Si autem hic inquiras, quandonam hoc matrimonium cum tali dubio ex parte vtriuſque initum inſtaurari poſſit quoad ius, & onus petendi, & reddendi debitū; Tunc *Sanchez d. lib. 2. de matrim. diſp. 42. n. 9.*, aſſerit, ad hoc ſic inſtaurandum ſufficere, ſi arbitrio prudentis viri interueniant rationes, quæ conſtituant opinionem probabilem ad perſuadendum matrimonium valere, quantumuis probabilius ſit non valere, & rationes pro inualiditate efficacius moueant, quia in moralibus ſatis eſt opinionem probabilem amplecti;

Quomodo hoc matrimonium ſit inſtaurandum.

Henriquez verò *lib. 11. de matrimon. c. 11. n. 5. in fin.*, ſentit ad illum effectum iuris, & oneris petendi, & reddendi debitum requiri, vt ex legitima cauſa deponant practicè dubium, & reputent probabilius eſſe matrimonium valere.

Refertur opinio Henriquez.

Salas *in prima ſecunda D. Thomæ tract. 8. ſect. 21. n. 17.*, relatus *à Ioanne Angelo Boſſio tom. 1. var. mor. part. 2. tit. 1. §. 51. n. 1994.* vtrique opinioni præcedenti aduerſans expreſsè ſentit, quod, quantumuis probabilius coniuges crederent matrimonium illud valere, non poſſint petere, nec reddere, eamq; rationem adducit, quia quantumuis fuerit maior probabilitas pro valore matrimonij ſemper tamen talis opinio habet coniunctam formidinem, & dubitationem, cum quibus non licet petere, niſi vrgente aliqua graui neceſſitate, cum hoc ſit ſe exponere periculo fornicandi. Addit vlterius hanc rationem, quia etiam, ſi coniux probabilius reputet matrimonium non valere, tenetur nihilominus alteri petenti reddere, ergo etiam, ſi probabilius putet valere, tenebitur non reddere.

Opinio Salas.

Opinio Coninchi ſub diſtinctione.

Coninchus *diſp. 34. de mutua coniug. obligat. dub. 10.*

Digitized by Google

num. 103. verſ. reſpondeo igitur, procedit cum diſtinctione; vel etenim tale dubium verſatur circa mortem prioris coniugis, quatenus v. g. quis coniugatus dubitans de morte ſui coniugis matrimonium cũ alio contraxerit, & tunc arbitratur non poſſe vti matrimonio, donec de morte illius apertè conſtet, eamque rationem adducit, quia cum aperta iniuria, & iniuſtitia prioris coniugis, de cuius obitu dubitatur, matrimonium illud ſecundum fuerit contractum ſpoliando illum in dubio ſua poſſeſsione, ita etiam cum eiuſdem iniuria eſſet vſus illius matrimonij, & in ordine ad hoc potiſſimum definitum eſt *in c. in præſentia de ſponſal.* ad hoc, vt quis coniugatus poſſit ad ſecundas nuptias tranſire, requiratur, vt habeatur certitudo de morte prioris coniugis, nec ſufficiat probabilis coniectura, quantumuis cæteroqui teneretur cum magna dif-

Rationes pro opinione Coninchi. ficultate per multos annos vitam cælibem ducere; vel tale dubium eſt ratione impedimẽti iure humano inducti, & tunc adhuc ſubdiſtinguit; vel etenim dubium verſatur in eo, an tale impedimentum verè interfuerit, nec ne, & tunc arbitratur, ſiue dubium fuerit poſitiuum, ſiue negatiuum, adeo vt vtraque pars ſit probabilis poſt diligentem veritatis inquiſitionem tales poſſe licitè contrahere, & poſt contractum vti tali matrimonio, quia poſſeſſio libertatis ſtat pro ipſis, quandoquidem cum iure naturæ ſint liberi, ab illo impedimento præſumuntur liberi, donec conſtet de contrario; vel dubium verſatur in eo, an impedimentũ, quod re vera extitit, fuerit ſublatũ nec ne, & tunc adhuc ſubdiſtinguit, vel quatenus dubitetur, an fuerit ſuper illo obtenta diſpenſatio, nec ne, vel quatenus ſit certum obtentam fuiſſe diſpenſationem, ſed dubitatur de ipſius valore; ſi dubium verſetur circa diſpenſationem obtentam, vel non obtentam, & tunc ſentit, ſiue dubium fuerit poſitiuum, ſiue negatiuum, ob probabiles pro vtraque parte rationes non poſſe vti coniugio, quandiu hoc dubium manet, quia poſſeſſio ſtat pro impedimento; ſi verſetur non circa ipſam diſpenſationem, cum conſtet eandem fuiſſe obtentam, ſed circa valorem ipſius, & tunc ſentit, & matrimonium tenere, & coniuges eodem poſſe vti, quia præſumptio ſtat pro eodem matrimonio.

Quid iam in hac opinionum varietate ſentiendum? Arbitror probabilius

9 **Requiritur, quod diſponatur practicè dubiũ.** eſſe cum *Henriquez loc. cit.*, quod requiratur, vt deponatur practicè dubium, cum quo illud matrimonium contractum eſt, & rationes pro valore ipſius reputentur efficaciores, ſiue illud dubium fuerit circa mortem prioris coniugis, ſiue circa impedimentum iure humano inductum, ſiue circa diſpenſationem ſuper eodem obtentam, ſiue circa valorem eiuſdem diſpenſationis. Rationem generalitèr ex eo deduco, quia vbi agitur de periculo animæ vitando tutior, & probabilior pars in dubio eſt eligenda *l. ſi fuerit §. vlt. ff. de reb. dub. c. iuuenis de ſponſal. c. ad audientiam de homicid.*, *Couaruuias in c. alma mater part. 1. §. 2.*, *Nauarrus in manual. c. 27. n. 139.*, *Emanuez Rodriquez in ſumma tom. 2. c. 51. n. 6. concl. 4.*, *Vaſquez in prima ſecundæ D. Thomæ q. 19. art. 6. diſp. 65. c. 3.*, *Salas in prima ſecundæ q. 21. tract. 8. diſp. vnica ſect. 17. nu. 152.*, *Ioannes Maria Nouarinus qq. forens. lib. 1. q. 14. num. 12.*, tutius autem eſt, quod, niſi tale dubium fuerit practicè depoſitum per congruentiores rationes, abſtineatur à tali vſu, quãdoquidem abſtinendo nulla noxa contrahitur, quæ contrahi poteſt vtendo; Adderem, quod, cum temere contractum fuerit illud matrimonium in illa dubietate, in pœnam quodamodo contrahentium fauor non debeat eſſe in commodum libertatis arg. eorum, quæ habent *Surdus decis. 195. n. 5.*, *Moneta in tract. de opt. canon. c. 3. n. 142.*, *Mantica de tacit., & ambig. conuent. lib. 2. tit. 12. nu. 27.*, *Ioannes Maria Nouarinus in praxi elect., & var. for. q. 43. sect. 1. n. 18.*

Aſſertio IV. Contracto matrimonio bona fide vtriuſq; coniugis, ſi vni eorum ſuperueniat dubium non ſolum leue, ſed etiam probabile, & diſcretum de valore eiuſdem, tam ante, quam poſt factam diligentem inquiſitionem ſuper tali dubio non ſolum poteſt, ſed etiam tenetur alteri non dubitanti petenti reddere debitum *Auguſtinus Barboſa collect. ad c. dominus de ſecundis nuptijs, & ad c. inquiſitioni de ſententia excommun.*, *Nauarrus in c. ſi quis autem nu. 102. de pænit. diſt. 7.*, *Couaruuias de ſponſal. part. 2. c. 7. §. 2. num. 8., & ſeqq.*, *Rebellus de obligat. iuſtitiæ part. 2. lib. 2. q. 16. n. 7.*, *Coninchus d. diſp. 34. de mutua coniug. oblig. n. 105.*, *Bonacina de matrim. q. 4. punct. 4.*, *Arriaga prima ſecundæ tom. 1. diſp. 25. n. 30., 39., 43., & ſeqq.*, *Auerſa de matrimon. q. 21. ſect. 2.*, *Baſilius Pontius de matrimon. lib. 10. c. 15. num. 7.*, *Ioannes Angelus Boſſius tom. 1. var. mor. part. 2. tit. 1. §. 51. nu. 1928.* 10 **Superueniente dubio matrimonio inito in bona fide vtriuſque dubitans tenetur alteri non dubitanti reddere.**

Dixi, *dubium non ſolum leue, ſed etiam probabile, & diſcretum*, nam circa dubium leue ſuperueniens vix poteſt eſſe aliquid difficultatis, nam hoc debet deponi conſilio proprij Paſtoris, vel alterius viri prudentis, & non ſolum in ordine ad reddendum, cum ad hoc non requiratur etiã tale conſilium, ſed in ordine etiam ad pe-

tere

Dubium leue debet deponi conſilio proprij paſtoris, vel alterius prudẽtis viri.

tendum, prout habetur *in c, inquiſitioni de ſent. excommun.*, vbi ſic legitur. *In ſecundo diſtinguimus, vtrum habeat conſcientiam huiuſmodi ex credulitate leui, & temeraria, an probabili, & diſcreta, & quidem ad ſui paſtoris conſilium (conſcientia leuis, & temerariæ credulitatis exploſa) licitè poteſt non ſolum reddere, ſed exigere debitum coniugale; verum cum conſcientia pulsat animum ex credulitate probabili, & diſcreta, quamuis non euidenti, & manifeſta debitum quidem reddere poteſt, ſed poſtulare non debet*; & licet in hoc textu dicatur *ad ſui Paſtoris conſilium*, hoc tamen ex communi conſenſu refertur etiam ad conſilium cuiuſcunque viri docti, & prudentis, prout notat *Ioannes Angelus Boſſius loc. quo ſup. n. 1924.*

Rationes pro aſſerto.

Deducitur hæc aſſertio in fortioribus terminis ex dictis pro præcedenti aſſertione; ſi etenim quando quis cum tali dubio præcedenti matrimonium ipſum contraxit, obligatur alteri non dubitanti reddere debitum, à fortiori obligari cenſendus eſt, quando bona fide contraxit, & poſtea eodem contracto ex interuallo ſuperuenit illa dubietas; tum quia plura facta obligant, quæ fieri prohibentur *l. circa ff. de inoffic. teſtam. c. ad apoſtolicam 46. de regular. c. 1. de matrim. contract. contra interdictum Eccl. c. fin. de diuortijs, Bartolus in q. 1. Lucana Ciuitatis nu. 12. verſ. è contra*, & hanc regulam infallibilem dicit *Thomas de Thomaſetis in florib. leg. 185.* quando à principio actus non eſt omnino inualidus, vt contingit in caſu præſenti, ſecundum quem non inualidatur matrimonium, quantumuis ab initio eſſet contractum cum illo dubio, vt ſupra probauimus, ex quo ſequitur, quod à fortiori non irritetur, ſi ſuperueniat ex interuallo illud dubium; tum quia quando contractum eſt per bonam fidem, tunc legitimè contrahens incohauit poſſeſſionem, quod non euenit, quando contraxit cum dubio, quia tunc non incæpit legitimè poſſidere; ex quo eruo, quod ſi quando non incæpit poſſidere legitimè, non eximitur ab onere reddendi, multominus eximendus ſit, quando legitimè incæpit poſſeſſionem; Neque obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, quod licet maximè reddendo coniux poſſit, & teneatur facere contra conſcientiam ſpeculatiuè dubiam, nunquam tamen contra conſcientiam practicè dubiam, quia hoc eſt accedere, & reddere ei, quem, ſeu, quam practicè putat non eſſe ſuum, vel ſuam; in hac autem hypotheſi coniux reddendo haberet conſcientiam, non merè ſpeculatiuè dubiam, ſed etiam practicè talem, quia dubitans de valore matrimonij, dubitat an hæc, vel hic ſit ſuus, vel ſua; Non, inquam, obeſſe poteſt, quia, quantumuis dubitet, an ille, cui reddit, ſit ſuus, vel ſua, ex quo tamen norit alterum eſſe in legitima poſſeſſione petendi debitum, cũ contraxerit bona fide, qua nõ poteſt ſpoliari proptèr dubium proprium, poteſt efformare conſcientiam practicam, ſeu iuditium practicum, debiti redditionem ſibi eſſe licitam, quo ſtante non eſt, cur excuſetur ab onere illius redditionis.

Inſtantia proponitur, & diſſoluitur.

Intellige ſiue ante, ſiue poſt adhibitã debitam inquiſitionem.

Dixi, *tam ante, quam poſt diligentem inquiſitionem ſuper tali dubio, quo afficitur*, quia in hac hypotheſi onus reddendi cõſurgit ex iure poſitiuo, quod habet alter coniux non dubitans exigendi debitum, quod ius inexiſtit in eodem coniuge non dubitante, ſed bona fide contrahente ex vi eiuſdem contractus matrimonialis, & hoc ius non dependet ab illa diligenti inquiſitione dubitantis; ex quo etiam poteris deducere contra *Paludanum, D. Antoninum, & alios relatos à Ioanne Angelo Boſſio tom. 1. var. mor. part. 2. tit. 1. §. 51. n. 1927.*, non requiri, quod dubitans, ad hoc, vt teneatur reddere debitum alteri petenti non dubitanti, habuerit præceptum à ſuperiori de tali redditione; non, inquam, requiri, tum propter rationem mox adductam, quia ſcilicet ius petentis eſt abſolutum in ſe, nec dependet ex illo præcepto, nec etiam quoad executionẽ; tum quia *in d. c. Dominus de ſecun. nuptijs, & c. inquiſitioni de ſent. excommunic.* nulla fit mentio de tali præcepto, ſed abſolutè, & per ſe loquendo præcipitur, quod coniux dubitans reddat alteri non dubitanti debitum; vndè ibi agnoſcitur obligatio ex natura rei inexiſtens.

II Dubitans ſi poteſt præmittere inquiſitionem antequã exigatur ad reddendum tenetur præmittere.

Hic ſolum remanet dubitandum, an ſaltem ille, qui dubius eſt de valore matrimonij, ſi ſperet poſſe inuenire, antequam ſit occaſio, in qua alter non dubius petat, teneatur veritatem inquirere, & ſi alter non dubius petat ante talem inquiſitionem, teneatur ei dubium reuelare. In ordine ad primum abſolutè ſentio teneri præmittere illam diligentem inquiſitionem præueniendo quodamodo exactionem alterius, ſi poteſt, & ſit ſpes veritatis detegendæ *Vaſquez prima ſecundæ diſp. 66. n. 33., Coninchus de ſacramentis d. diſp. 34. n. 101., Hurtadus de matrim. diſp. 10. nu. 44., Ioannes Angelus Boſſius tom. 1. var. mor. part. 2. tit. 1. §. 51. n. 1932.* atque hæc noſtra opinio procedit, ſiue dubium incæperit ante contractum matrimonium, ſiue poſt contractum eiuſdem. Ratio ex eo deducitur, quia, quantum poteſt tenetur obuiare periculo fornicationis, ſiue formalitèr, ſiue materialitèr ſumptæ, in quantum poteſt, ac alitèr præſtando ſe conſtituit in dolo, & in culpa

pa

Digitized by Google

pa ſe exponendo illi periculo, ergo tenetur præmittere illam inquiſitionem ad effectum cauendi, ſi poteſt, ante exactionem debiti. Confirmatur, quia illa ignorantia veritatis ante factam diligentem inquiſitionem non poteſt dici inuincibilis, cum fortè per illam inquiſitionem poſſit vinci, ergo, cum ex vno capite teneatur vitare periculum, nec illa ignorantia ex alio capite poſſit excuſare, cum poſſit eadem vinci, vtique tenebitur ad illam vincendam, & fugiendum periculum illam inquiſitionem præmittere. Dixi, *ſi ſit ſpes veritatis detegendæ*, nam, ſi nulla foret ſpes, ſuperflua videretur illa inquiſitio. In ordine ad ſecundam probabilius arbitror non teneri detegere alteri non dubitanti petenti debitum ſuum dubium *Azorius prima part. inſtit. mor. lib. 2. c. 19. q. 4., Salas in prima ſecundæ D. Thomæ tract. 8. ſect. 22. n. 108., Ioannes Angelus Boſſius tom. 1. var. mor. part. 2. tit. 1. §. 51. n. 1933.* Rationem primo ex eo deduco, quia alter coniux non dubitans habet bonam fidem, & per conſequens plenum ius petendi, quo non debet priuari ex dubietate alterius, etiam ſi illam cognoſcat, ſeu notam habeat; ſecundo ex eo, quod ex illa manifeſtatione, ſi fieret à dubitante, poſſent plura, & deteriora mala oriri. Tertio, quia etiam ſi dubitans aperiat ſuum dubium non tenetur alter tali aperitioni, ſeu ipſius dicto credere, nec dubitare; Quod, ſi dicas, quod poſsit eſſe ſpes, quod alteri ſit crediturus, maximè, ſi rationes, quibus innititur tale dubium, ſint probabiles, & congruentes ad inducendam credulitatem, ſeu ſaltem dubietatem in altero; tunc dicam, quod, quantumuis poſsit ſubeſſe illa ſpes, poſsit etiã ſubeſſe periculum, quod indè grauia damna ſint obuentura, quod periculum præponderat illi ſpei. Quod, ſi inquiras, quid iuris eſſet, ſi dubitans patefecerit alteri ſuum dubium, tunc conſiderandum eſt, an rationes tales eiuſdem dubij adduxerit, vt rationabile dubium excitarit in altero, vel rationes adduxerit, vt non mouerint eundem non dubitantem; ſi primum eueniet, tunc iudicandum erit ſecundum id, quod infra dicetur, dum vterq; coniux poſt contractum matrimonium incipit dubitare de valore eiuſdem; ſi ſecundum, & ipſe non dubitans poterit petere, & dubitans eidem petenti tenebitur reddere vtſupra.

Si ſit ſpes veritatis detegẽdę.

12

Non tenetur dubitans alteri non dubitanti detegere ſuum dubium.

Nec obſtat ſpes, quod alter nõ dubitans ſit crediturus.

Aſſertio V. Poſt contractum matrimonij ab initio bona fide ex parte vtriuſque initum, ſi in alio ſuperueniat dubiũ rationabile, & diſcretum de valore eiuſdem, nec ante, nec poſt factam diligentem veritatis inquiſitionem poteſt ille licitè petere debitum coniugale, ſi facta eadem diligenti inquiſitione adhuc dubium perſeueret *Nauarrus in manual. c. 22. n. 54., Coaruuias de ſponſal. part. 2. c. 7. §. 2. nu. 8., & 9., Garzias de benef. part. 7. c. 2. nu. 17., Valentia tom. 4. diſp. 10. q. 4. punct. 2., Monteſinus in prima ſecundæ diſp. 39. q. 4., Bannes prima part. Theologiæ moral. tract. 12. de impedim. matrim. q. 8. conclus. 2., Turrianus in opuſc. Theol. opuſc. 10. diſp. 4. dub. 1., Salonius ſecunda ſecundæ q. 5. de dominio art. 7. verſus fin.*, & alij innumeri quos citat *Sanchez d. l. 2. de matrim. diſp. 41. num. 45.*, qui tamen quantumuis hanc opinionem appellet valdè probabilem *loc. cit. n. 47.* adhæret tamen in ea parte, qua dicitur, quod etiam poſt factam diligentem inquiſitionem, ſi non deponatur rationabilitèr, & practicè dubium, non poſsit licitè petere, alteri ſententiæ concedenti liberum vſum etiam quoad petitionem, cui opinioni adhæret etiam *Ioannes Angelus Boſſius tom. 1. var. mor. part. 2. tit. 1. n. 1943.*

13

Superueniente dubio in altero poſt contractũ nõ poteſt dubitans nec ante, nec poſt diligẽtem inquiſitionem petere debitũ perſeuerante dubio.

Ratio ex ſuperius dictis deducitur, quia ſcilicet in dubio præcipuè facti, vbi agitur de periculo animæ, ex vulgatis iuribus tutior pars eſt eligenda, illa ſcilicet, in qua nullum eſt periculum peccandi etiam materialitèr, ſed perſiſtente dubio, ſiue ante, ſiue poſt factam diligentem perquiſitionem veritatis habendæ non petendo debitum dubitans nulli periculo peccandi etiã materialitèr exponitur, cui exponitur petendo, ergo &c. Cõfirmatur ex allegatis textibus *in c. dominus de ſecundis nuptijs, & in c. inquiſit. de ſent. excom.*, vbi abſolutè pręcipitur dubitanti, vt reddat debitũ alteri non dubitanti petenti, non autem conceditur facultas ad petendum, ſed potius prohibetur petitio, nec ibi fit diſtinctio de petitione ſiue pręmiſſa illa diligenti inquiſitione, ſiue non præmiſſa, ergo &c.

Rationes pro aſſerto.

Nec obeſſe poteſt, ſi aſſeratur primo, quod, cum contractus ille fuerit initus bona fide ex parte vtriuſque contrahentis incæperit poſſeſſio legitimè ex parte vtriuſque, & vterque acquiſiuit ius petẽdi, ergo ex ſuperuenienti dubio nequit hoc ius demi potiſſimum poſt factam diligentem inquiſitionem veritatis, ſi de tali veritate non conſtiterit, & hoc ex generali regula quam tradidimus *tom. 1. ſub tit. Contractus 1. de contract., vt ſic præ not. 2. n. 13.* nempè dubium, quod oritur non in incæptione poſſeſſionis, ſed in cõtinuatione eiuſdem, non tollere eandem poſſeſſionem, eo quia vulgatis iuribus notum eſt conſtitutum in legitima poſſeſſione non eſſe ipſa priuandum proptèr dubium ſuperueniens, cum melior ſit cõ-

Nec obſtat, quod cõtractus fuerit ex parte vtriuſque initus bona fide.

ditio

Digitized by Google

ditio poſſidentis, vnde benè dicitur, quod perſeuerans in poſſeſſione bona fide acquiſita accedente poſtea dubietate, quãuis non habeat bonam fidem ſpeculatiuè, habeat tamen bonam fidem practicè proptèr fundamentum iuris, quod poſſeſſor in dubio ſit in poſſeſſione manutenendus. Non, inquam, obeſſe poteſt, quia illa regula generalis non poteſt habere locum in præſenti materia proptèr multiplicem rationem, quam aſſignant DD., & primo hanc rationem adducunt *Vasquez prima ſecunda diſp. 66. c. 4., & 5., Sairus lib. 1. clauis c. 13. nu. 29., Hurtadus de matrimon. diſp. 10. n. 40., & ſeqq.*, quia in alijs materijs iuſtitiæ ſolum eſt periculum iniuſtitiæ; in præſenti vero dubio præter periculum iniuſtitiæ, periculum etiam eſt caſtitatis violandæ accedendo ad non ſuam, vel non ſuum; Secundo, quia vti re aliena illam conſumando, vel diſtrahendo ita non eſt intrinſecè malum, ſicuti eſt accedere ad non ſuam, cum illa conſummatio rei alienæ, & diſtractio multis de cauſis poſſit cohoneſtari, etiam ſi ſcientèr id fiat, acceſſus autem ſcientèr ad non ſuam nulla ratione poteſt cohoneſtari, ac proindè mirum non eſt, ſi in alia materia iuſtitiæ licitum ſit poſſidenti bona fide in dubio ſuperueniẽti re, quam poſſidet, vti, non ſic autem in dubio, an coniux ſit ſuus, vel ſua eadem, vel eodem vti. Tertio, quia dubius in vſu rei, quam poſſidet cum illo dubio ſuperuenienti non infert damnum irreparabile, quandoquidem, ſi conſtiterit rem illam non eſſe ſuam, poterit res illa Domino reſtitui; dubius vero in vſu vxoris, vel alterius coniugis infert damnum, ſeu iniuriam irreparabilem, nam ſi conſtiterit, quod coniux, quo, ſeu qua vſus eſt, non ſit ſua, non poteſt eandem integram reſtituere.

Regula quædam generalis, in hoc nõ habet locum.

Neque obeſſe poteſt, ſi dicatur, ſecundo, quod nimis durum eſſet coniugi, qui poſt contractum bona fide matrimoniũ incipit dubitare de ipſius valore, ſi teneretur etiam poſt adhibitam congruam diligentiam pro veritate inquirenda, & non inuenta abſtinere à iure petendi perpetuò; Non, inquam, obeſſe poteſt, quia poteſt vti coniugio ad petitionem alterius non dubitantis eo modo, quo poteſt vti ille, qui eſt obſtrictus voto ſimplici caſtitatis; quod ſi ſupponas, quod vterque coniux verſetur in tali dubio, tunc *Valentia tom. 4. diſp. 10. q. 4. punct. 2. vers. nihilominus tamen*, arbitratur nullum eſſe abſurdum, quod per accidens impediantur coniuges a petitione debiti, quod paſſim poteſt contingere in ſimilibus, vt infra.

Non eſt abſurdũ, quod per accidens coniuges impediãtur à petitione debiti.

Nec item obeſſe poteſt, ſi afferatur textus *in c. 2., vt lite pendente*, vbi dicitur, quod *accuſatus de matrimonij defectu ante probatam accuſationem, iure, quod habet in alterum, priuari non poſſit*, ergo, qui dubius eſt de valore matrimonij, non debet priuari iure ſuo exigendi ante probatam inualiditatem contractus, nec item, ſi afferatur textus *in c. literas de reſtit. ſpoliat.*, vbi Innocentius III. in caſu, de quo agitur de impedimento matrimonij, & controuertitur, an fieri debeat reſtitutio ſpoliati ante probationes, reſpondit, ſi non afferantur ſtatim probationes, debere fieri reſtitutionem, & quoad habitationẽ, & quoad thorum, ſi vero ſtatim afferantur, debere tantum reſtitui quoad habitationem, non quoad thorum, proptèr periculum fornicationis; ex quo deduco, quod, ſi in dubio, vbi non afferantur immediatè probationes, facienda ſit reſtitutio, & quoad habitationẽ, & quoad thorum, vtique in tali dubio, vbi non conſtet de veritate contraria, fieri poſſit petitio debiti. Non, inquam, obeſſe poteſt; non primum, quia ibi non ſupponitur, quod ille, de quo in tali loco agebatur, habuerit dubium de defectu matrimonij, ſed quod fuerit accuſatus de tali defectu; vndè congruè ibi dicitur, quod ante probationem non ſit per ſententiam priuandus iure ſuo, quod verum eſt, cum ipſe habeat bonam fidem de valore eiuſdem matrimonij; non ſecundum, quia vt benè notant *Baſilius Pontius de matrim. lib. 10. c. 15. n. 9., & ſeqq., Vaſquez prima ſecundæ diſp. 66. c. 4.* Pontifex in illo textu innititur ſolum præſumptioni fundatæ in eo, quod vxor illa ſine iudicio Eccleſiæ, ſua tantum temeritate receſſerit à viro, & per conſequens dicit, quod, ſi incontinenti nõ afferantur probationes, ſit reſtituẽda viro quoad habitationem, & thorum, quia tunc Iudex fori externi, ex quo accuſatio non probatur, præſumere meritò poteſt, vel nullum adeſſe impedimentum, vel illud malitioſè eſſe obiectum; quod non euenit in præſenti hypotheſi, ſecundum quam ipſe coniux verè ſupponitur eſſe dubitans, & ratione talis dubij verè inexiſtentis non poteſt licitè petere, quamuis teneatur reddere.

Inſtantia à iure deſumpta diſſoluitur.

14 Ex his oritur hic immediatè dubium, an ſuperueniente dubio in altero coniuge de valore matrimonij antecedentèr bona fide vtriuſq; initi, ſi hic dubitans litem intentauerit ſuper eodem matrimonio, teneatur alteri lite pendente debitum reddere inſpecto foro conſcientiæ. Hæc dubitatio poteſt ſecundum duplicem ſenſum procedere; vel etenim lis excitata fuit præciſè pro diuortio quoad tho-

Dubitans lite pendente debitum tenetur reddere.

thorum, & habitationem, ob cauſam adulterij, non pro vinculo coniugali diſſoluendo, vel excitata fuit ſuper eodem vinculo diſſoluendo ex cauſa alicuius impedimenti dirimentis, de quo ille, qui litem excitauit, non leuitèr dubitat. Iuxta primum ſenſum arbitror abſolutè non teneri ſic dubitantem reddere *Henriquez lib. 11. c. 15. num. 14., Coaruuias de ſponſal. diſp. 2. c. 8. §. 1. n. 8., quibus in hac parte adhæret Ioannes Angelus Boſſius tom. 1. var. mor. part. 2. tit. 1. §. 51. n. 1959.* Ratio ex eo deducitur, quia ſic reddendo præiudicium inferret iuribus ſuis, nam iniuriam adulterij cenſeretur remittere. Iuxta ſecundum arbitror teneri reddere

15 Si lis ſit ſuper vinculo coniugali diſſoluendo, ſecus ſi ſuper diuortio.

Sanchez d. lib. 2. diſp. 41. n. 50., Salas prima ſecundæ tract. 8. ſect. 22. nu. 209., Villalobos part. 1. tract. 1. diffic 23. nu. 4., Ioannes Angelus Boſſius loc. cit. Expreſsè deducitur ex textu in *d. c. 2., vt lite pendente*; non enim lis ad matrimonium diſſoluendum dat, aut tollit ius petendi, aut reddendi, & ſicuti ex ſuperius dictis ante litem motam tenetur reddere alteri ſerio petenti, ita non eſt, cur non teneatur reddere etiam poſt litem conteſtatam.

Sed quid dicendum ſit, ſi dubium illud conſurgat in altero coniuge poſt matrimonium bona fide initum, non tamen adhuc conſummatum intrà bimeſtre à iure conceſſum ad deliberandum de ſtatu Religionis, an ſcilicet tunc dubitans teneatur alteri petenti intra illud bimeſtre reddere debitum? Ratio dubitandi ex eo conſurgit, quod nonnulli docuerunt, quos citat, & ſequitur *Ioannes Angelus Boſſius tom. 1. var. mor. part. 2. tit. 1. §. 51. n. 1945.*, nempe, quod ſuperueniente dubio in altero coniuge poſt contractum matrimonium bona fide ex parte vtriuſque ante præſtitam debitam inquiſitionem pro veritate cognoſcenda, ſi ſit ſpes, quod eadem veritas poſſit haberi, non poſſit petere debitum, poſſit vero petere poſt peractam illam diligentem inquiſitionem, ſi inualiditas non reſultet; iſti enim docent, quod coniux dubius ante illam diligentiam adhibitam non poſſit reddere debitum, eo quia tunc alter non habet ius petendi; poſt verò illam diligentiam, ſicuti poteſt ipſe petere, ita teneatur alteri petenti reddere. Quia tamen

16 Dubitans ante conſummationem matrimonij intra bimeſtre, nec tenetur, nec poteſt reddere.

nos docuimus, quod permanente dubio, ſiue ante, ſiue poſt illam diligentem inquiſitionem non poſſit legitimè petere, ita videtur in præſenti dicendû, quod in illo priori bimeſtri, ſi matrimonium adhuc non fuerit conſummatum, ſuperueniente illo dubio nedum non teneatur, ſed nec poſſit reddere. Ratio ex eo deducitur, quia tota ratio, quæ ipſum obligat ad reddendum debitum extra, ſeu vltra illud bimeſtre, ſeu poſt conſummatum matrimonium, eſt proptèr iniuriam, quam negando irrogaret alteri non dubitanti, qui legitimè peteret proptèr ius, quod habet legitimè petendi, ſed intra illud bimeſtre, alter non dubitans, ſi nôdum fuerit matrimonium conſummatû, non habet ius petendi, cum à iure permiſſum ſit vtrique coniugi illud bimeſtre ad non conſummandum ad effectum deliberandi, ſi velint, de perfectiori ſtatu Religionis, per textum *in c. ex publico de conuerſ. coniug.*, atque ita in his terminis docent *Vaſquez prima ſecunda diſp. 66. c. 6., Azorius prima part. inſtit. mor. lib. 2. c. 19. q. 2., Ariaga prima ſecundæ tom. 1. diſp. 25. num. 47.*

Quod autem ſentiendû ſit, quando dubitans poſt contractû bona fide matrimoniû de valore matrimonij propria auctoritate receſſit ab altero coniuge nô dubitâte, & ſubindè litem excitauit pro diſſoluêdo vinculo coniugali? 17

17 Dubitans, qui propria auctoritate receſſit, ſi offerat incôtinêti probationes eſt reſtituêdus quoad habitationem, non quoad thorû, eſt vero abſolute reſtituendus, ſi non offerat incontinenti.

Difficultas dirimitur per præcitatum textum *in c. literas de reſtitut. ſpol.*, vbi definitur pro foro externo, quod ſi ipſe dubitans, qui ſua auctoritate receſſit, & litem excitauit, offerat incontinenti probationes, ſit reſtituendus quoad habitationem, nô quoad thorum, ſi vero incontinenti non offerat; ſit reſtituendus, & quoad habitationem, & quoad thorum. Quantum vero temporis veniat pro ly *incontinenti*. Nonnulli arbitrantur, quod probationes ita debeant offerri, vt nullum intercedat temporis interuallum iuxta textum *in l. quod ait §. vlt. ff. de adult.* nulloque alio actu etiam momentaneo interpoſito *l. ſi pater captus ff. de vulgari*. Congruentius arbitror non ita ſtrictè in præſenti materia particulam hanc eſſe interpretandâ, ſed admittere aliquod breue temporis ſpacium arbitrio Iudicis taxandum *Menochius de arbitrar. caſ. 12. nu. 4., Sanchez de matrim. lib. 10. diſp. 12. num. 23., Felinus in c. præterea n. 10. de teſtib. cogn.*

Aſſertio VI. Contracto matrimonio bona fide ex parte vtriuſque, ſi poſtea ex interuallo ſuperueniat in vtroque dubiû probabile, & diſcretum de eiuſdem valore neuter perſeuerante eodem dubio poteſt petere, & reddere ſiue ante, ſiue poſt præſtitam diligentem inquiſitionem. 18

18 Superueniente in vtroq; dubio poſt côtractum neuter poteſt petere, & reddere.

Conſonat cum ijs, quæ ſupra dicta ſunt de dubio, quod ſuperuenit alteri eorundem dumtaxat, atq; ita ſentiunt *Azorius prima part. inſtit. mor. lib. 2. c. 18. q. 6., Vaſquez prima ſecunda diſp. 66. c. 6., Valentia tom. 4. diſp. 10. q. 4. punct. 2., Baſilius Pontius de matrim. lib. 10. c. 15. n. 9., & ſeqq., Raphael Anerſa de matrim. q. 21. ſect. 2. §. media*

dia

Digitized by Google

dia via, Hurtadus de matrimon. diſp. 10.

Ratio ex eo deducitur, quia, ſi alter coniux poſt contractum bona fide matrimonium diſcretè, & probabilitèr dubitet de valore eiuſdem matrimonij, quantumuis teneatur reddere alteri non dubitanti ſeriò, & legitimè petenti, non tamen poteſt legitimè petere, per textum *in d. c. dominus de ſecundis nuptijs, & c. inquiſitioni de ſent. excomm.*, ergo, ſi etiam alter congruè, & diſcretè dubitet de valore eiuſdem non poterit licitè petere, & ſic neutèr tenebitur, nec poterit licitè reddere; nam onus reddendi conſurgit ex iure petendi; neque dicas, quod, ſi vterque coniux fuerit obſtrictus voto ſimplici caſtitatis, & alter eo nō obſtante petat, teneatur alter reddere, ergo etiam &c.; cōtra enim impugnaberis, quia diſpar omnino eſt ratio, quia per votum ſimplex caſtitatis coniuges non amittunt ius iuſtitiæ, quod habent ex vi contractus matrimonialis ad petendum, quamuis petēdo peccent contra Religionem; coniuges autem dubitantes de valore matrimonij carent iure petendi, & poſſeſſionis priuilegio, adeoq; &c.

Rationes pro aſſerto.

19 Aſſertio VII. Contracto matrimonio bona fide ſeruata forma Eccleſiæ, ſeu à Tridentino præſcripta, ſi alteri poſt talem contractum ſuperueniat dubium diſcretum, & probabile de valore eiuſdem ob impedimentum, quod remittere ſit in poteſtate dubitantis, probabilius ipſe dubitans non tenetur alteri petenti quātumuis non dubitanti reddere debitum. *D. Thomas in 4. diſt. 36. in fin. in expos. literæ, & ibi D. Bonauentura in expos. eiuſd. lit., Adrianus 4. de reſtit. q. de præſcript. §. inſtabis fortaſſe, Medina C. de reb. reſtit. q. 19. ad finem in ſolut. ad ſecundum, Coaruuias de ſponſal. part. 2. c. 7. §. 2. nu. 11., Henriquez lib. 11. c. 10. n. 5., Azorius part. prima inſtit. mor. lib. 2. c. 19. q. 1., Villalobos part. 1. tract. 1. difficult. 23. n. 8.*

Contracto legitimè matrimonio, & ſuperueniente dubio diſcreto in altero de valore eiuſdem, ob impedimentum, quod poſſit remittere dubitans, non tenetur alteri reddere.

Ratio ex eo deducitur, quia, ſi in ea hypotheſi redderet, vel redderet formalitèr, vt coniux, vel non vt talis; non enim aliud medium poteſt excogitari, quo poſſit reddere; ſi redderet formalitèr, vt coniux, iam hoc præſtaret affectu maritali, & per conſequens ſibi maximum præiuditium inferret, quandoquidem per illam redditionem cum illo affectu reualidaret illud matrimonium, quod eſſet inualidū, vel ſaltem eſſet dubium de inualiditate ipſius, & ſic cogeretur inuitus cum ſeruo, ſeu ancilla in coniugio perſeuerare; ſi non redderet formalitèr, vt coniux, accederet affectu fornicario, adeoque cum enormi culpa; Primam partem huius dilemmatis maximè confirmat textus *in c. 2. de coniug. ſeruor.*, vbi deci ditur, quod, ſi maritus poſtquam audierit vxorem eſſe ancillam, cum illa carnalitèr congrediatur, compellendus ſit eam retinere.

Rationes pro aſſerto.

Dices primo, dubitans de valore matrimonij ratione aliorum impedimentorum dirimentium poſt illius contractum perſeuerante adhuc dubio tenetur alteri non dubitanti petenti reddere per ſuperius allegata, & probata, ergo etiam in hac hypotheſi dubitans de valore eiuſdem ratione conditionis ſeruilis in altero exiſtentis eodem dubio perſeuerante, tenebitur eidem reddere. Sed contra neganda eſt conſequentia. Ratio diſparitatis in eo conſiſtit, quia dubitans quoad alia impedimenta, quæ nequeunt eiuſdem auctoritate, & poteſtate auferri, reddendo ſibi præiuditium non infert, quia non tollit illud impedimentum; dubitans vero quoad conditionem ſeruilē, cum ſit in poteſtate ipſius illam auferre, reddendo ſibi præiuditium inferret, cum per illam redditionem quodamodo ratificaret illum matrimonium, & ſic cogeretur permanere in coniugio cum ancilla.

Inſtantia prima propoſita, & diſſoluta.

Dices ſecundo textum *in d. c. Dominus de ſecundis nupt., & c. inquiſitioni de ſent. excom.* loqui indiſcriminatim, & indefinitè de quocunque impedimento obligando ſimplicitèr dubitantem perſeuerante dubio ad reddendum, & negando ius ad petendum. Sed contra, quia gratis omnino dicitur, quod textus illi comprehendant etiam caſus, in quibus ex redditione magnum conſequeretur damnū in reddente dubitante, prout notant DD. omnes præcitati in aſſertione; nec veriſimile eſt iura voluiſſe abrogare ius, quod poſſet competere eidem dubitanti de diſſolutione illius contractus matrimonialis, ſi poſtea conſtiterit eundem fuiſſe inualidum.

Inſtantia ſecunda diſſoluta.

Dices tertio, quod etiam in hac hypotheſi reddendo dubitans nullum ſibi ingerat præiuditium, quandoquidem certe debet reddere affectu coniugali, ne noxam fornicationis contrahat, ſed non tali animo, vt ratificet matrimonium, ſi fortè ſit inualidum ratione talis conditionis ſeruilis, ſed vt ius alterius non dubitantis ſeruet illæſum, prout notant *Sanchez d. lib. 2. q. 43. nu. 5., & 8., Ioannes Angelus Boſſius tom. 1. var. mor. part. 2. tit. 1. §. fi nu.* 1955. Sed contra, quia in ijs, quæ pertinent ad agentis, vel patientis poteſtatem, actio ipſa, vel paſſio inducit præſumptionem pro volūtate eius, qui agit, & patitur ad opus illud ratificandum, circa quod verſatur actio, & paſſio, & proteſtatio, vtpotè contra factum non videtur,

Inſtantia tertia ſoluta.

tur, poſſe ſuffragari potiſſimum in foro exteriori, ſecundum quod conſideraretur ipſa actio ſecundum ſe, quæ quantumuis ſit ad petitionem alterius, intelligitur tamen à reddente volita, & quidem affectu coniugali, qui videtur non poſſe præſcindere ab eo, quod petentem acceptum habeat, vt ſuum.

20 Etiam ſi Iudex eidem dubitanti præciperet redditionem.

Amplia primo aſſertionem, vt procedat etiam, quando Iudex eidem dubitanti præciperet redditionem, quandoquidem Iudex procederet ſolummodo præſumptionibus innixus, cui adhærere non tenetur legitimè dubitans, cum poſſet ſemper ſuſpicari, quod, ſi poſtea conſtaret de conditione ſeruili, Iudex permaneret in eadem ſententia, & cogeret cum ancilla, ſeu mancipio perſeuerare, cum non obſtante mandato poſſet præſumere copulam fuiſſe habitam animo ratificandi.

21 Etiam ſi ipſe dubitans litem moueret ſuper vxoris ſeruitute.

Amplia ſecundo, vt procedat, ſi non ſolum ipſe dubitans moueret litem ſuper vxoris ſeruitute, quatenus tunc non teneatur etiam Iudice præcipiente reddere eidem debitum, in quo ſenſu ſolum loquitur *Gregorius Lopez l. 4. tit. 5. p. 4 verb. de partis*, ſed etiam, ſi Dominus Ancillæ moueret litem, ſi dubium inde conſurgens ſit diſcretum, & probabile.

22 Secus, ſi dubium eſſet leue.

Limita tamen in caſu, quo dubium eſſet leue, & friuolis innixum fundamentis, quia tunc de eo nulla habenda eſſet ratio, & abſolutè eſſet deponendum, cum proptèr leuitatem ſuſpicantis non ſit ſuſpendendum ius certum, quo alter, qui eſt in bona fide, fruitur.

SECTIO VII.

An ratione cognationis ſpiritualis ortæ inter coniuges poſt matrimonium excuſentur à redditione debiti.

SVMMARIVM.

Nonnulla de cognatione ſpirituali remiſſiuè. 1.
Coniux in neceſſitate baptizans filium communem, vel alterius coniugis ex alio matrimonio, vel vxorem nouiter conuerſam ad fidem contrahit cognationem cum filio, & cum vxore. 2.
Non tamen interdicitur ab vſu matrimonij cum eadem vxore. 3.
Si pater baptizet altero præſente filium interdicitur vſu matrimonij. 4.
Secus, ſi baptizaret non aduertens ſuper aliorum præſentia. 5.
Si ſuſcipiat in neceſſitate eoſdem modo, quo ſupra, probabilius nec contrahit affinitatem, nec impeditur ab vſu coniugij. 6.
Si ſuſcipiat in neceſſitate in baptiſmo ſolemni contrahit cognationem, non tamen interdicitur vſu coniugij. 7.
Cur potius non ſit omittenda ſolemnitas ſuſceptoris, quam adhibendus Pater pro patrino. 8.
Suſcipiens communem filium, vel alterius coniugis cum ignorantia inuincibili facti, vel perſonæ, non priuatur iure petendi. 9.
Baptizans communem filium, vel alterius coniugis cum illa ignorantia perſonæ contrahit cognationem cum illa. 10.
Non tamen priuatur iure petendi debitum ab altero. 11.
Si ignorantia eſſet vincibilis, & culpoſa baptizans, & ſuſcipiens priuaretur tali iure. 12.
Si fuerit ignorantia iuris inuincibilis etiam non priuaret iure petendi debitum. 13.
Quid ſentiendum ſit, quando adeſt ignorantia pœnæ. 14.
Coniux, qui ſcienter, & extra neceſſitatem tenuit, vel baptizauit filium communem, vel alterius coniugis non eximitur ab onere reddendi alteri debitum. 15.
Soluuntur nonnulla obiecta. 16.

Recolenda hic ſunt ea, quæ dicta ſunt *tom. VI. sub tit. Contractus XV. de matrim. II. prænot. 10. ſect. 4. per totum*, de cognatione ſpirituali, quæ multum conferre poſſunt ad præſentis tituli intelligentiam, & hic applicanda; non enim vacat illa repetere. Inter cætera autem ibidem dictum eſt, quod, quamuis per *Concil. Trid. ſeſſ. 24. c. 2.* fuerit ſublata fraternitas, & etiam paternitas, & compaternitas indirecta, non tamen ſublata ſit paternitas directa inter baptizantem cum baptizato, & compaternitas inter baptizantem cum Patre, & Matre baptizati, inter confirmantem cum parentibus confirmati, & inter patrinos cum ipſo baptizato, & confirmato, & cum eorum parentibus carnalibus. Quibus ſuppoſitis ſuppono etiam, quod alter ex coniugibus filium communem baptizauerit, qui ſcilicet fuerit à ſe ipſo, & à propria vxore progenitus, vel tenuerit, vt patrinus in baptiſmo, ſeu confirmatione, vel ſi non tenuerit filium communem, tenuerit tamen filium ſuæ vxoris ex alio matrimonio, & hinc quæro, an proptèr illum baptiſmum, ſeu ſuſceptionem in baptiſmo, & confirmatione contraxerit rationem cognationis ſpiritualis, ratione cuius non poſſit petere, nec reddere propriæ vxori petenti. 1 Nonnulla de cognatione ſpirituali remiſſiuè.

Pro reſolutione aduertendum eſt, an coniux baptizet filium communem, vel filium vxoris ex alio matrimonio in neceſſitate, vel ex voluntate propria, & Nonnulla notabilia.

quod

quod dico de filio communi, vel proprio vxoris, intellige de ipſa vxore, quatenus, ſi nouitèr conuerſa fuerit ad fidem, baptizetur à proprio marito. Rurſus, an eoſdem leuet de ſacro fonte baptiſmatis, vel ſuſcipiat in confirmatione tanquam patrinus ex eadem neceſſitate, vel ſolummodo ex propriæ voluntatis arbitrio; ex hac enim diuerſa conſideratione oriri poteſt diuerſa ratio decidendi.

2 Coniux baptizans filium cõmuné, vel vxoris cõtrahit cognationẽ cum filio, & vxore.

Aſſertio I. Coniux in neceſſitate baptizans filium communem ſibi, & propriæ vxori, vel filium proprium ipſius vxoris ex alio matrimonio, vel fortè etiam eandem vxorem nouitèr conuerſam ad fidem contrahit non ſolum cognationem cum eodem filio communi, & proprio vxoris, ſed etiam cum eadem vxore *Sanchez de matrim. lib. 9. de debito coniugali diſp. 26. n. 2., Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrim. c. 4. n. 4.*, qui teſtantur de communi, & nos etiam idem docuimus *tom. VI. ſub tit. Contractus XV. de matrim. II. prænot. 10. ſect. 4. n. 22.*

Expreſsè colligitur ex textu *in c. de eo, & c. ſi quis filiaſtrum 30. q. 1., & c. veniens de cognat. ſpirit., & c. 1. eod. tit. in 6., & ex Trident. d. ſeſſ. 24. c. 2.*, in quibus textibus expreſsè ſtatuitur, contrahi cognationem ſpiritualem inter baptizantem, & baptizatum, & parentes eiuſdem baptizati ſine vlla exceptione, & limitatione; Neque obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, has diſpoſitiones intelligendas eſſe dumtaxat, quando quis baptizat ſolemnitèr, non autem quando priuatim, prout etiam diximus de patrinis *præcit. prænot. 10. ſect. 4. n. 22.*, qui, ſi priuatim teneant, non contrahunt hanc cognationem ſpiritualem; Non, inquam, obeſſe poteſt, quia, vt ibidem innuimus, diſpar omnino eſt ratio in baptizante priuatim in neceſſitate, & tenentibus in baptiſmo priuato; quia baptizans contrahit ratione ſacramenti, quod confert, ſiuè conferat priuatim, ſiue ſolemnitèr; ſuſcipiens vero contrahit ratione cæremoniæ, quam adhibet; hæc autem cæremonia, vt ab Eccleſia inſtituta eſt, non adhibetur, niſi in baptiſmo ſolemni, quod, ſi extra illum adhibeatur, non adhibetur, vt ceremonia Eccleſiaſtica.

Rationes pro aſſerto.

3 Nõ tamen interdicitur ab vſu matrimonij cũ eadẽ vxore.

Aſſertio II. Quantumuis coniux ſic baptizans in neceſſitate puerum, vel cõmunem ſibi, & vxori, vel proprium eiuſdem vxoris ex alio matrimonio, vel eandem vxorem nouitèr ab infidelitate conuerſam contrahat cognationem ſpiritualem, non interdicitur tamen ab vſu matrimonij cum eadem propria vxore, ſiue petendo, ſiue reddendo. *D. Antoninus 3. part. tit. 1. c. 15. §. 3., Monaldus in ſumma tract. de matrim. tit. de fraternit. ſpirit. ad finem, Sotus in 4. diſt. 42. q. 1. art. 1. concl. 3., Henriquez lib. 2. de baptiſmo c. 18. n. 3., Sanchez lib. 9. de debito coniug. diſp. 26. num. 2., Baſilius Pontius de matrim. lib. 10. c. 6., Coninchus de ſacrament. diſp. 34. dub. 8., Hurtadus de matrim. diſp. 10. diffic. 6., Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrim. c. 4. num. 5.*

Expreſsè colligitur ex textu *in c. ad limina 30. q. 1.*, vbi etiam adducitur ratio deciſionis conſiſtens in eo, quod non ſit rationi congruum, vt coniux, qui ſine aliqua culpa, quin potius meritoriè extremo alterius vitæ ſpiritualis periculo conſuluit, damnum in ſuis iuribus conſequatur; conſequeretur autem, ſi ex illo actu benefico priuaretur iure petendi debitum ab altero coniuge; Neque obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, quod illa priuatio iuris petendi non conſequatur, vt pæna ad baptiſmum collatum, ſeu ſuſceptionem ab eodem, vel a confirmatione, ſed vt effectus cognationis ſpiritualis ex illis actibus conſurgentis; nam ſicuti per carnalem generationem contrahitur cognatio carnalis, ita per ſpiritualem regenerationem contrahitur ſpiritualis coniunctio, vt conſiderat *D. Thomas in 4. diſt. 42. q. 1. art. 1. in corpore*, & ſicuti ratione carnalis generationis debetur à filio Patri reuerentia, ita ratione ſpiritualis regenerationis debetur Patri ſpirituali eadem reuerentia; & inter omnes, cum quibus contrahitur illa cognatio ſpiritualis, ingeritur quoddã amicitiæ, & familiaritatis vinculum, ratione cuius inter ipſos interdicitur matrimonium; hoc autem æque euenit, ſiuè quis baptizauerit ex neceſſitate, ſiuè ex voluntate; Non, inquam, obeſſe poteſt, nam, quantumuis illa cognatio ſpiritualis inducta ſit ratione illius reuerentiæ debitæ, & ratione vinculi amicitiæ, & familiaritatis inter baptizantem, & baptizatum, alioſque in iure præſcriptos, hoc intelligendum eſt, quando illa cognatio contracta eſt nulla neceſſitate vrgente, quia tunc conſequitur effectus ille inductus à iure Eccleſiaſtico poſitiuo, vt ratione eiuſdem nequeat eſſe coniugium inter eos, inter quos contracta eſt, & fortè, nec etiam petitio debiti, ſi inter eoſdem iam ſit contractum coniugium; ſecus autem neceſſitate vrgente ad euitandam mortem ſpiritualem proli iam natæ imminentem; tunc etenim non præſumendum eſt, quod voluerit Eccleſia, maximè ſi matrimonium iam contractum erat, coniuges vinculo illo oneroſo afficere, vt proptèr opus maximè meritorium, quod exercuerunt in fauorem ſpiritualem prolis

Rationes pro aſſerto.

Eluditur quædam inſtantia propoſita

Digitized by Google

non poſſent amplius iure matrimonij ſibi competente vti; vndè quamuis daremus, quod inter coniuges illa priuatio iuris petendi ex baptiſmo filij communis, ſeu proprij vxoris non conſequeretur, vt pæna proptèr delictum, ſed vt effectus cognationis ſpiritualis indè contractæ inductus à iure poſitiuo proptèr illud vinculum amicitiæ, & familiaritatis, vt dicitur in inſtantia, quia tamen ille effectus priuationis non eſt à natura, ſed à iure poſitiuo præcisè, non præſumitur inductus in illo caſu ſpeciali baptiſmi collati in illa neceſſitate periculi ſpiritualis proli imminentis, ſed ex benigna Eccleſiæ diſpoſitione exceptus, ne baptizans damnum referat ex opere ſummè meritorio,

Dices primo, Si ante matrimonium contractum cum tali vxore quis in caſu illo neceſſitatis baptizauerit filium eiuſdem vxoris ex alio matrimonio ſuſceptum non poſſet poſtea cum eadem matrimonium contrahere propter illam cognationem ſpiritualem conſurgentem ex illo baptiſmo non obſtante, quod filiũ illum baptizarit vrgente neceſſitate, ergo etiam, quantumuis vrgente neceſſitate conſtante iam matrimonio baptizauerit vel filium communem eiuſdem matrimonij, vel proprium vxoris ex alio matrimonio, non poterit ratione cognationis ſpiritualis inde conſurgentis, vti matrimonio iam contracto. Sed contra, quia in primis non ita verum eſt antecedens, vt ſupponunt *Sanchez lib. 9. de debito coniug. diſp. 26. nu. 2., Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrim. c. 4. nu. 5.* dum dicunt, quod inter coniugem baptizantem filium communem, vel proprium vxoris conſurgat cognatio ſpiritualis non ſolũ cum eodem filio baptizato, ſed etiam cum propria vxore, quæ cognatio, ſi præcederet matrimonium, ipſum dirimeret; quandoquidem illa neceſſitas baptizandi videtur eximere ab onere, quod regulariter ex diſpoſitione iuris poſitiui Eccleſiaſtici conſurgit cum cognatione ſpirituali carendi iure contrahendi matrimonium cum illis, cum quibus conſurgit illa cognatio; cum non videatur congruum, quod ex opere meritorio damnũ referat in ſuis iuribus. Deinde dato illo antecedenti, neganda eſt conſequentia, quia longè plura requiruntur ad priuandum iure iam perfectè quæſito, ac ad impediendum à tali iure acquirendo, cũ præcipuè in materia matrimonij in primo caſu maneret vinculum coniugale indiſſolubile ſine iure ad actus eiuſdem, nec poſſet aliud matrimonium contrahi, quod nimis durũ eſſet pati ob opus ſumma commendatione dignum; in ſecundo autem caſu nullum eſſet vinculum, nec impediretur, quominus poſſet cum alia contrahere matrimonium.

Noua inſtantia propoſita, & diſſoluta.

Dices ſecundo textum *in c. ad limina 30. q. 1.* procedere dumtaxat, quando coniux baptizaret puerum communem ſibi, & vxori, qui propterea extendi non debet, quando baptizaret filium propriũ vxoris ex alio matrimonio, vel eandem vxorem nouitèr conuerſam ad fidem. Sed contra, quia quamuis textus loquatur ſolum in caſu baptiſmatis filij communis, ex identitate tamen rationis trahitur etiam ad caſum baptiſmatis filij proprij eiuſdem vxoris ex alio matrimonio, vel eiuſdem vxoris; hæc etenim ratio eſt neceſſitas, ne filius pereat ſine baptiſmo cum morte etiam ſpirituali, atque ita loquuntur *Sanchez, & Boſſius loc. cit.*

Soluitur argumentum à iure deductum.

Solum hic remanet explicandum, quandonam cenſeatur talis neceſſitas adeſſe, vt ratione eiuſdem coniux baptizans filium communem, vel proprium vxoris ex alio matrimonio non priuetur iure ab eadem vxore petendi debitum. Nonnulli arbitrantur, ſufficientèr adeſſe talem neceſſitatem ad hunc effectum, quando immineret periculum interitus filij, & non adeſſet præſentia ſacerdotis, cum textus in *d. c. ad limina 30. q. 1.* dicat ſolummodo *in abſentia ſacerdotis*, vnde videntur inferre, quod, ſi fuerit alius præſens non ſacerdos imminente periculo mortis pueri, & ipſe coniux, ſeu Pater baptizet, non priuetur iure petendi. Nihilominus abſolutè ſentiendũ eſt, quod, ſi fuerit alius à ſacerdote præſens, qui poſſit baptizare, & ipſe coniux baptizarit, priuetur iure petendi debitum ab vxore *Hoſtienſis in c. ſi vir nu. 3. ſuper verſ. ſi ex malitia de cognat. ſpir., Alenſis 2. part. q. 170. memb. 3. §. 3., D. Bonauentura in 4. diſt. 42. art. 1. q. 2. n. 8., Brunellus de ſponſal. concl. 20. n. 13., Angles Floribus pr. part. de matrim q. 15. de cognat. ſpirit. art. 1. concl. 2. Sanchez de matrimon. lib. 9. de debit. coniug. diſp. 26. n. 2., Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrim. c. 4. n. 5.* Ratio ex eo deducitur, quia ratio textus, ob quam excuſat coniugem baptizantem, ne contrahat priuationem iuris petendi debitum, eſt mera neceſſitas, ne infans abſque baptiſmo decederet, cum alia via non ſuppeteret ipſum baptizanti, ſed præſente alio, ſeu præſentibus alijs, qui poſſent baptizare, illa neceſſitas, vt ipſe baptizaret, non ſuppeteret, nec vrgeret, ergo &c. Neque refert, quod textus dicat dumtaxat *in abſentia ſacerdotis*, quia vt bene notat *Ioannes Angelus Boſſius loc. cit.* ibi ſolum exprimitur ſacerdos, quia eſt in præ-

4 Non exiſtente præſente ſacerdote, ſi alius exiſtat, & pater filiũ baptizet, priuatur vſu matrimonij.

Digitized by Google

præcepto Eccleſiaſtico, ne baptizet iure Eccleſiaſtico, & ex officio, niſi ſacerdos; cæterum, cum in caſu neceſſitatis cuicunque permiſſum ſit baptizare, non video, cur in illo caſu, quo nemo poſſet ex officio baptizare, & adeſſent alij, qui poſſent baptizare ad ſubueniendum neceſſitati pueri periclitantis, ipſe ſic ſe intrudens non debeat ſubiacere oneri carendi iure petendi debitum à propria vxore, cum ſolum eximatur à tali onere, quando illud munus exercet ex neceſſitate præcisè, qua cæteroqui filius inbaptizatus decederet. Non priuaretur tamen tali iure petendi debitum, quantumuis adeſſent alij, qui poſſent baptizare, quando in præſentiſſimo mortis filij periculo accurrens, & ductus animi miſeratione ob periculum eiuſdem filij non aduertens ſuper aliorum præſentia baptizaret,

5 **Secus ſi baptizaret non aduertens ſuper aliorum præſentiam.**

prout notant *Sanchez d. lib. 9. diſp. 26. n. 2. in fin., Martinus Perez de matrim. diſp. 29. ſect. 6. n. 3., Baſilius Pontius de matrim. lib. 10. c. 6. n. 5, Reginaldus lib. 31. nu. 291, Villalobos tom. 1. tract. 13. diff. 11. num. 3., Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrim. c. 4. num. 5.* Ratio ex eo deducitur, quia, cum in ea hypotheſi ex indeliberatione, & inaduertentia ad aliorum præſentiam vacet omne culpa, quin potius mereatur proſpiciens ſaluti infantis; non videtur ſuo iure congruè priuandus; cum in tanta neceſſitate non vacet ad deliberandum.

Ex hactenus dictis ſequitur, quod, ſi quis coniux in caſu talis neceſſitatis baptizarit vel filium cōmunem, vel filium propriæ vxoris ſuſceptum ex alio matrimonio, vel forte etiam vxorem ipſam nouiter ad fidem conuerſam, rogatus ab eadem vxore ad reddendum debitum, teneatur reddere; ſi etenim non priuatur iure petendi, multo minus eximitur ab onere reddendi, cum hoc ſit opus debitum ex iuſtitia ſuppoſita alterius petitione, & in hoc omnes conueniunt.

Aſſertio III. Si alter coniux ſuſcipiat filium communem ſibi, & vxori, vel proprium eiuſdem vxoris ex alio matrimonio, vel ipſam vxorem nouitèr conuerſā ad fidem ex neceſſitate, cum alius non

6 **Si ſuſcipiat eoſdem in neceſſitate, nec contrahit affinitatē, nec priuatur vſu coniugij.**

adeſſet, qui ſuſciperet in baptiſmo priuato, & hoc præſtat, tanquam patrinus, probabilius, nec contrahit cognationem ſpiritualem, nec impeditur à iure petendi debitum ab eadem vxore. Conſonat cum ijs, quæ nos docuimus *tom. 6. ſub tit. Contractus XV. de matrim. II. Prænot. 10. ſect. 4. nu. 22.* hancque ſuſtinent *Sotus in 4. diſt. 42. q. 1. art. 1. vers. profectò rationes, Gallego de cognat. ſpir. c. 11. nu. 6., Suarez 3. part. q. 67. art. 8. dub. vlt., Sanchez de matrimon. lib. 7. de impediment. diſp. 62. num. 14.*

Ratio eſt, quia hæc cognatio ſpiritualis inducta eſt ſolummodo per ius Eccleſiaſticum poſitiuum per ea, quæ alibi latius probauimus, & dumtaxat inter eas perſonas, quas ſtatuit Eccleſia, ſed ius Eccleſiaſticum non ſtatuit hanc cognationem contrahi à patrinis, niſi in baptiſmo ſolemni, quod ex eo deducitur, quod adhibere ſuſceptorem non eſt de ſubſtantia baptiſmatis ſecundum ſe, ſed tantum cæremonia ab Eccleſia inſtituta, cæremoniæ autem non adhibentur ex neceſſitate, niſi in baptiſmo ſolemni, vnde, qui accedit in baptiſmo priuato, non eſt propriè ſuſceptor, & patrinus.

Rationes pro aſſerto.

Quod, ſi ſupponas, quod, quamuis in baptiſmo priuato non ſit neceſſarius ſuſceptor, nihilominus adhibeatur, & tenens habeat verè animum obeundi munus patrini; tunc etiam (quidquid in contrarium dixerit *Suarez 3. part. q. 67. art. 8. dub. vlt.*) probabilius non contrahit hanc cognationem ſpiritualem, quia munus ſuſceptoris ex eiuſdem inſtitutione eſt cæremonia in baptiſmo ſolemni adhibenda, nec eſt in libertate eiuſdem ſuſcipientis inſtituere munus, quod ab Eccleſia non eſt inductum. Hæc omnia colligo ex *Sanchez loc. cit.*

7 **Si ſuſcipiat in baptiſmo ſolemni, in neceſſitate contrahit cognationē, non tamē interdicitur vſu coniugij.**

Aſſertio IV. Si alter coniux ex neceſſitate leuet à fonte in baptiſmo ſolemni filium, vel communem ſibi, & vxori, vel proprium eiuſdem vxoris ex alio matrimonio, vel eandem vxorem nouitèr conuerſam ad fidem, quatenus nullus alius adſit, qui poſſit leuare, vel ſuſcipere, vtique contrahit cognationem ſpiritualem; probabilius tamen non impeditur ab vſu coniugij petendo. *Riccardus in 4. diſt. 42. art. 1. q. 2. ad fin. D. Antoninus 3. part. art. 1. c. 15. §. 3., Quandus in 4. diſt. 42. q. vnica prop. 9., Suarez 3. part. de baptiſmo q. 67. art. 8. §. ſed hinc oritur, Graſſius pri. part. deciſ. lib. 2. c. 83. in fine, Sanchez lib. 9. de debito coniug. diſp. 26. nu. 3., Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrim. c. 4. n. 6.* quidquid ex aduerſo dixerint *Henriquez lib. 11. de matrim. c. 15. n. 11., Petrus de Ledeſma de matrim. q. 56. art. 1. dub. 1. in princip., Bonacina de matrim. q. 4 punct. 2. n. 3., Baſilius Pontius de matrim. lib. 10. c. 6. n. 6.*

Ratio ex eo deducitur, quia ex præſcripto Eccleſiæ, quotieſcunque poteſt, baptiſmus ſolemnitèr conferendus eſt, & tunc tantum priuatim fieri præmittitur, quando imminet proli periculum interitus, ſed quando ſolemnitèr conferendus eſt, ex præſcripto eiuſdem Eccleſiæ requiritur ſuſceptor, & patrinus, ergo deficiente

Rationes pro aſſerto.

Digitized by Google

ficiente alio, qui poſsit munus illud ſupplere, poterit coniux neceſſitate præcepti quodamodo cogente tali munere fungi prolem propriam, vel alterius coniugis ſuſcipiendo, & ſic, cum munere illo fungatur quodamodo ex neceſſitate, non erit ex eodem munere priuandus iure petendi, quo gaudet, in ordine ad ſuum coniugem.

Dices primo, quod deficiente alio, qui fungi poſſit munere ſuſceptoris, ſeu patrini in baptiſmo ſolemni potius ſit omittenda illa ſolemnitas, quam adhibendus Pater, ſeu coniux in ordine ad tale munus, non obſtante, quod ex præſcripto Eccleſiæ baptiſmus ſit conferendus ſolemnitèr, quando non adeſt periculum interitus prolis, ea proportionali ratione, qua nedum ex præcepto Eccleſiaſtico, ſed etiam diuino conferendum eſt ſacrum Viaticum conſtituto in extremis, & tamen, ſi conferri nequeat, niſi omiſsis præſcriptis ſolemnitatibus, & niſi cum violatione aliorum iurium Eccleſiaſticorum, puta, quod Sacerdos celebrare debeat non ieiunus, vel ſine ſacris veſtibus, potius debet omitti, quam conferri cum illa violatione, ſeu omiſsione, cum ius diuinum præcipiat talem ſumptionem ſacri Viatici, ſi poſſit conferri, ſeruatis ijs, quæ ſunt ſeruanda ex diſpoſitione Eccleſiæ; Quod, ſi dixeris, diſparem eſſe rationem de collatione ſacri viatici cōſtituto in extremis, ac de collatione baptiſmatis exiſtēti in periculo mortis, eo quod ſacramentum baptiſmatis ſit ſacramentum neceſsitatis, non ſic ſacramentū Euchariſtiæ, & illud conferat primam gratiam, non ſic iſtud ex genere ſuo; ſtatim reſpondent, quod, quamuis ſacramentum baptiſmi ſit ſacramentum neceſsitatis ſecundum ſe, non eſt tamen tale, prout fieri debet ſolemnitèr. Sed contra; negandum eſt, quod potius ſit omittenda illa ſolemnitas, quam adhibendus Pater, ſeu coniux pro ſuſceptore, & patrino, quia nulla eſt prohibitio, quod Pater, ſeu coniux poſsit adhiberi, adeoque nulla culpa, ſi adhibeatur; ſolum igitur inducitur in Patre, ſeu coniuge, ſi ſuſceperit, cognatio ſpiritualis ex qua regularitèr conſurgit impedimentum ad petendum debitum ab altero coniuge, à quo tamen excuſat neceſsitas; nec currit paritas eorum, quæ dicta ſunt de collatione ſacri viatici conſtituto in extremis, quod potius omitti debet, quam conferri cum violatione iurium Eccleſiaſticorum; non currit, inquam, quandoquidem iura Eccleſiaſtica abſolutè vetant illam viatici collationem, niſi ſeruentur præſcripta, nec Chriſtus Dominus præcepit talem

8 **Cur potius nō ſit omittenda ſolemnitas ſuſceptoris, quam adhibendus Pater pro patrino.**

ſumptionem abſolutè, ſed ſeruatis ſeruandis, & ſi, aliter fieret, induceretur noxa in ipſa collatione; iura autem Eccleſiaſtica non vetant tanquam quid iniquum, quod Pater, ſeu coniux ſuſcipiat puerum proprium, vel vxoris in baptiſmo, ſed tantum inducunt in eundem ſuſcipientem cognationem ſpiritualem, &, quando aliud non excuſat, impedimentū iuris petendi debitum; vndè illa collatio baptiſmi, in qua Pater, ſeu coniux ſuſcipit, non eſt ſecundum ſe peccaminoſa, ſed ad ſummum inductiua illius cognationis; à priuatione autem iuris petendi excuſat illa neceſsitas, cum alius non fuerit, qui potuerit ſuſcipere.

Dices ſecundo, textum *in d. c. ad limina 30. q. 1.* loqui dumtaxat de baptizante, non de ſuſcipiente, vndè illius diſpoſitio non eſt ad hunc extendenda, potiſsimum cum in ordine ad iſtum non militet ratio diſpoſitionis, quæ, prout aſsignatur in eodem textu, conſiſtit in eo, quod in ordine ad baptiſmum conferendum vrgeat neceſsitas, cum ſine illo filius decederet, & in æternum periret; in ordine vero ad ſuſcipiendum talis vrgens neceſsitas non militat, cum poſsit filius ſine ſuſceptore baptizari, per quem baptiſmum redderetur immunis ab æterno interitu. Sed cōtra, fateor non eſſe tantam neceſſitatem in ordine ad ſalutem pueri ſuſceptoris, ſicuti eſt baptizantis, eo quia iſte eſt neceſſarius ſimplicitèr, ille vero ſolum ſecundum quid, & quando confertur ſolemnitèr baptiſmus; nego tamen, quod etiam quoad ſuſceptorem in baptiſmo ſolemni, quando alius non adeſt, qui tali munere poſſit fungi, non ſit tanta neceſſitas, quanta ſufficiat ad excuſandum à priuatione iuris petendi debitum ab altero coniuge, quandoquidem præceptum Eccleſiaſticum obligat in baptiſmo ſolemni ad adhibendum ſuſceptorem ad ſeruandam ſacramenti ſignificationem, & ſic quando alius non adeſt in ordine ad hunc effectum ipſe coniux neceſſarius ſupponitur, & ſic ex neceſſitate tali munere fungitur, ratione cuius excuſari videtur ab onere illius priuationis. Quod, ſi textus *in d. c. ad limina 30. q. 1.* ſolum loquatur de baptizante, nullamque mentionem faciat de ſuſcipiente, hoc prouenit, quia nomine baptizantis videtur cōprehendere concurrentes ad baptiſmum ex præſcripto Eccleſiæ, prout notat *Sanchez d. lib. 9. de debito coniug. diſp. 26. n. 3.*

Quamuis non ſit tāta neceſſitas ſuſceptoris quāta baptizantis, eſt tamen tāta, vt ſufficiat ad nō contrahēdum interdictum.

Aſſertio V. Si coniux parens ſine vlla neceſſitate communem filium, vel proprium alterius coniugis ex alio matrimonio ſuſcipiat tanquam patrinus in baptiſmo, vel in confirmatione ex ignorantia

rantia

rantia inuincibili facti, vel perſonæ putans non eſſe ſuum, vel alterius coniugis puerum, quem leuat, vel ſuſcipit, nullo modo priuatur vſu coniugij etiam petendo. In hanc opinionem propendere exiſtimo, quotquot ſuſtinent non contrahi cognationem ſpiritualem in ſuſceptione à ſacro fonte baptiſmatis cum errore perſonæ *Silueſter verb. matrimonium* 8. *q.* 7., *Sanchez lib.* 7. *de impedim. diſp.* 58. *num.* 7., *Reginaldus lib.* 31. *n.* 155., *Abbas in c.* 2. *de cognat. ſpirituali nu.* 4., *Alexander de Neuo c. veniens eod. tit. nu.* 10., & nos etiam docuimus *tom. VI. ſub tit. Contractus XV. de matrimon.* 2. *prænot.* 10. *ſect.* 4 *num.* 30., atque in terminis proprijs aſſertionis loquuntur *Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrim. c.* 4. *n.* 7., *Nauarrus in man. c.* 16. *num.* 34., *Suarez in tertiam partem D. Thomæ tom.* 3. *q.* 67. *art.* 8., *Baſilius Pontius de matrim. lib.* 10. *c.* 6. *n.* 8.

9 **Suſcipiens communẽ filium, vel alterius coniugis ex ignorãtia inuincibili facti nullo modo priuatur iure petendi.**

Expreſsè colligitur *ex c.* 2. *de cognat. ſpirit.*, vbi deciditur, coniugem tenentem, ſeu leuantem filium mariti ignorantem eſſe filium eiuſdem non arceri à petitione debiti. Sed facilè poteſt reſponderi huic textui, ex ipſo ſcilicet non euinci, quod non contrahatur cognatio ſpiritualis inter ipſam coniugem ſuſcipientẽ, & filium ſuſceptum, & alterum coniugem, cuius iſte eſt filius, ſed ad ſummum, quod ratione ignorantiæ inuincibilis excuſetur à pæna, ſeu à priuatione iuris petendi debitum, ſicuti diximus in præcedentibus, quod coniux parens baptizans in neceſſitate puerum, vel communem, vel proprium vxoris ex alio matrimonio contrahat quidem cognationem ſpiritualem, eximatur tamen a pæna, ſeu priuatione iuris petendi debitum ab altero coniuge ratione talis neceſſitatis. Sed his minimè obſtantibus congruè ſuſtineri poteſt, ideo textum *in d. c.* 2. *de cognat. ſpir.* aſſerere non arceri coniugem ſuſcipientem cum illa ignorantia inuincibili à iure petendi debitum, quia arbitretur in ea hypotheſi non contrahi inter eoſdem cognationem ſpiritualem, quandoquidem ad hanc contrahendam requiritur intentio determinata, in ordine ſcilicet ad determinatam perſonam exercendi munus ab Eccleſia inſtitutum in ſuſceptione à ſacro fonte baptiſmatis; hæc autem intentio determinata quoad perſonam determinatam non eſt, cum ſuſcipiens habeat intentionem ad vnam perſonam, quæ non eſt illa, de qua ipſe cogitat. Vide, quæ latè diximus *eodem tom. VI. ſub tit. Contractus XV. de matrim.* 2. *prænot.* 10. *ſect.* 4. *n.* 30. *in probat. aſſert.* Neque in hoc currit paritas de adductis quoad collationem, ſeu ſuſceptionem ex ſacro fonte baptiſmatis in neceſſitate, quandoquidem in his interuenit plena voluntarietas in ordine ad determinatam perſonam, quæ non interuenit in caſu, de quo hic loquimur.

Rationes, & iura pro aſſerto.

Hic immediatè oritur difficultas, an ea, quæ dicta ſunt quoad coniugem Parentem ſuſcipientem cum illa ignorantia inuincibili perſonæ filium communem, vel proprium vxoris ex alio matrimonio in baptiſmo, æquè intelligenda ſint, ſi ipſe coniux parens eundem cum illa ignorantia inuincibili baptizet, ſeu baptizarit? Hæc difficultas videtur ſolummodo eo tendere, vt decidatur, vtrum ipſe baptizans ex eo præcisè, quod baptizet cum illa ignorantia inuincibili non contrahat cognationem illam ſpiritualem, nam ex alio capite vix videtur poſſe habere locum; non enim poteſt ipſe baptizare, niſi priuatè in caſu neceſſitatis, in quo caſu iam ſuperius diximus, quod quantumuis contrahat cognationem illam ſpiritualem, non priuetur tamen iure petendi debitum à ſuo coniuge. Arbitror abſolutè ex eo præcisè, quod baptizet cum illa ignorantia inuincibili non reddi immunem à contractione illius cognationis ſpiritualis *Sanchez d. lib.* 7. *de impedim. diſp.* 58. *nu.* 7., & nos etiam docuimus *d. tom. VI. ſub tit. Contractus XV. de matrim.* 2. *diſp.* 10. *ſect.* 4. *n.* 30. *in probat. aſſert.* Ratio ex eo deducitur, quia in tantum eximimus ab illa cognatione ſpirituali ſuſcipientem in baptiſmo puerum cum illa ignorantia inuincibili, in quantum eiuſdem ſuſcipientis non adeſt determinata intentio ad illam perſonam, quam ſuſcipit, cum intenderet aliam ſuſcipere, ſed in baptizante ſupponitur determinata intentio ad illam determinatam perſonam, quam baptizat, quia miniſtri ſacramentorum tenentur habere animum miniſtrandi ſacramentum præſenti, quicunque ille ſit, quod onus non eſt in patrinis, ſeu ſuſceptoribus, cum poſſint nolle ſuſcipere, niſi perſonam determinatam. Vide, quæ in hoc genere dicta ſunt *d. tom.* 6. *d. prænot.* 10. *ſect.* 4. *n.* 30., vbi etiam exploduntur argumenta contraria.

10 **Baptizans communẽ filium, vel alterius coniugis cum illa ignorantia perſonæ contrahit cognationem.**

Sed, an in hoc caſu ratione illius cognationis ſpiritualis contractæ, priuetur iure exigendi debitum ab altero coniuge? Negatiuè reſpondent *Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrim. c.* 4. *num.* 7., *Baſilius Pontius de matrim. lib.* 10. *c.* 6. *n.* 8., *Silueſter verb. matrimon.* 8. *q.* 7., *Nauarrus in man. c.* 16. *n.* 34., *& alij magis communitèr*, & ea ratione mouentur, quia illa priuatio iuris eſt in pænam, prout colligunt *ex d. c. ad limina* 30. *q.* 1., hic autem culpa non

11 **Nõ tamen priuatur iure petendi debitũ ab altero coniuge.**

Digitized by Google

non eſt, cum fiat ex ignorantia inuincibili, adeoq; nequit eſſe talis pæna.

Dixi *ex ignorantia inuincibili facti*, *vel perſonæ*, nam ſi eſſet ignorantia vincibilis, & culpoſa, certe baptizans, ſuſcipiēs, vel leuans de ſacro fonte baptiſmatis non eximeretur a tali priuatione iuris petendi debitum, quandoquidem illa ignorantia computaretur pro ſcientia, adeoque idem dicendum erit, quod infra dicetur de baptizante extra neceſſitatem ſcientèr. Nomine autem *ignorantia inuincibilis facti*, eam intelligo, qua quidem coniux baptizans ſuſcipiens, vel leuans de ſacro fonte baptiſmatis norit ſuſcipientem proprium, vel communem filium contrahere cognationem ſpiritualem, ignorat autem, an ille, quem baptizat, ſuſcipit, vel leuat ſit ſuus, vel cōmunis filius. Nomine *ignorantiæ perſonæ*, eam intelligo, qua arbitratur vnam perſonam baptizare, ſuſcipere, vel leuare, & aliam baptizat, vel ſuſcipit.

12 Si ignorantia eſſet vincibilis, & culpoſa baptizans, & ſuſcipiens priuarentur tali iure.

Hic alia ſuboritur difficultas, an ſolummodo ignorantia inuincibilis facti, & perſonæ efficiat, vt non contrahatur cognatio ſpiritualis, nec ignorans priuetur iure petendi debitum ab altero coniuge, an vero etiam ignorantia iuris, & pænæ? Nomine ignorantiæ iuris eam intelligo, quam quis exercens aliquem actum ignorat eundem eſſe prohibitum, vel eidem annexam eſſe aliquam priuationem; Nomine vero ignorantiæ pænæ eam intelligo, qua quis norit actum eſſe prohibitum, ſed neſcit pænam, quæ eidem eſt annexa. In ordine ad ignorantiã iuris contendunt plurimi eandem non reddere immunem à cognatione ſpirituali, nec abſoluere à priuatione iuris petendi debitum *Ancharanus c. ſi vir n. 4. de cognat. ſpir., & ibi Hoſtienſis nu. 2. ſuper verb. ex ignorantia, Ioannes Andraas n. 4., Abbas nu. 5., Sotus in 4. diſt. 42. q. 1. art. 1. concl. 3., Viguerius lib. inſtit. c. 16. §. 7. verſ. 9.*, quorum rationem eam potiſſimum eſſe arbitror, quia ignorantia iuris nunquam præſumitur, ac proindè neque excuſat *c. ignorantia de reg. iur. in 6., Gabriel. ſub tit. de reg. iuris concl. 7. n. 1., Paris. cons. 68. à n. 302. lib. 4.*; leges enim omnes ſcire debent, & lata culpa eſt iuris diſpoſitionem ignorare *l. leges ſacratiſſimæ C. de legib., Socinus cons. 108. n. 12. vers. & licet* quod non ſolum procedit in ignorantia iuris diuini, naturalis, vel gentium per per textum *in c. turbatur §. notandum 1. q. 4., l. 2. C. de in ius vocan., Igneus in l. 3. §. ſi conditioni n. 3. ff. ad Syllanian.* ſed etiam in ignorantia iuris humani, ſiue communis, ſiue municipalis *Gabriel. commun. ſub tit. de reg. iuris concl. 5. nu. 12., Sebaſtianus Medices de caſib fortuit. part. 1. q. 3. nu. 42. verſ. item ſtatuti ignorantia, Gailus lib. 2. obſeruat. 48. n. 28.*, Nihilominus *Sanchez de matrimon. lib. 9. de debito coniug. diſp. 32. n. 6, & 49, Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrim. c. 4. n. 7., Pontius de matr. lib. 10. c. 6. n. 8., Reginaldus lib. 31. n. 298., Martinus Perez de matrim. diſp. 29. ſect. 6.* docent ſuſcipientem proprium, vel communem filiū cum ignorantia inuincibili iuris non priuari iure petendi debitum ab altero coniuge, cui opinioni ego quoque libentius adhæreo. Ratio eſt, quia, quando lex humana punit actionem nulla alia lege prohibitam, ignorantia inuincibilis legis, ſicut excuſat a culpa, ita excuſat ab omni pæna in vtroque foro *Suarez de legibus lib. 5. c. 12. n. 8., Sairus lib. 3. clauis c. 9. n. 24., Sanchez d. lib. 9. diſp. 32. n. 6., Reginaldus lib. 31. n. 298., Carolus Antonius Theſaurus de pænis Eccl. part. 1. c. 15. in princip., Ioannes Angelus Boſſius loc. cit.*; in hac autem hypotheſi nullum aliud eſt ius præcedens prohibens diſtinctum ab illo, quod inducit pænam priuationis iuris petendi debitum, quin immo coniugem præciſè ſuſcipere puerum, vel communem, vel proprium vxoris non eſt ſecundum ſe prohibitum, nec peccaminoſum; Ad rationes, quæ pro contraria ſententia afferebantur, dicendum eſt primo allegata iura, & rationes procedere tantum ſecundum præſumptiones, ſeu inniti præſumptionibus ſolummodò, vnde ſi reuera adeſſet, ſeu adſit talis ignorantia, non video, cur ratione eiuſdem non debeat excuſari; ſecundo, quia in ordine ad pænalia, quæ ex genere ſuo exigunt ſtrictam interpretationem, ſemper requiritur ſcientia.

13 Si fuerit ignorantia iuris inuincibilis etiã non priuaret iure petendi debitum.

In ordine verò ad ignorantiam pænæ habita ſcientia iuris, quatenus ſcilicet, quis norit ius prohibere actionem aliquam, non tamen norit pænam eidem adiectam, dicendum eſt in præſenti hypotheſi non habere locum difficultatem, quandoquidem ſupponimus, quod nulliū ius pręcedens prohibeat huiuſmodi ſuſceptionem, tanquam malam, ſed ſolummodo, quod iura ſtatuant, quod ſuſcipientes contrahant illam cognationem ſpiritualem; vnde de hac ignorantia dicendum idem eſt, quod dictum fuit de ignorantia iuris in mox expoſita reſolutione.

14 Quid ſentiendum ſit, quando adeſt ignorantia pænæ.

Aſſertio VI. Si coniux extra neceſſitatem ſcientèr tenuerit in baptiſmo, vel confirmatione, vel fortè etiam baptizauerit filium communem, vel proprium alterius coniugis ex alio matrimonio priuatur quidem iure exigendi debitum ab altero coniuge, non tamen eximitur ab one-

onere reddendi alteri ſerio petenti. *Alenſis 2. part. q. 170. memb. 3. §. 3. poſt ſolut. ad 2., D. Thomas in 4. diſt. 42. q. 1. art. 1. in corpore, D. Antoninus 3. part. tit. 1. c. 15. §. 3., Vera Crux pr. part. ſpeculi art. 57. concl. 4., Angles Floribus pr. part. de matrimon. q. 15. de cognat. ſpirit. art. 1. concl. 2., Graffius 2. part. decis. lib. 1. c. 5. nu. 31., Petrus de Ledeſma de matrim. q. 56. art. 1. dub. 4. concl. 2., Sanchez de matrimon. lib. 9. de debito coniug. diſp. 26. nu. 7.*, hancque tutiorem, communiorem, & ſecuriorem appellat *Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrimon. c. 4. n. 23. in fin.*, hancque ex Iuriſtis ſuſtinent *Gloſa c. noſſe 30. q. 1. verb. non fraudentur, Vincentius cap. ſi vir de cognat. ſpirit. c. 16., Hoſtienſis nu. 3. ſuper verb. patrocinari, Ioannes Andræas nu. 5., Caieta repet. c. ad limina 30. q. 1. §. 4. n 143.*

15 **Coniux, qui ſcienter, & extra neceſſitatem tenuit, vel baptizauit filium communem, vel alterius coniugis, non eximitur ab onere reddendi alteri debitum.**

Fateor cum *Sanchez d. diſp. 26. n. 7. propè medium*, hanc aſſertionem nullo textu directè conuinci, cum omnia iura, quæ afferri poſſunt, poſſint in alium ſenſum deflecti, quandoquidem ſi afferatur primo textus *in c. ſi quis filiaſtrum 30. q. 1.*, in quo dicitur, coniuges inter quos ratione ſuſceptionis proprij filij in baptiſmo, vel confirmatione orta eſt cognatio ſpiritualis, eſſe ſeparandos; reſpondent contrariæ ſententiæ aſſertores, quod ille textus ſit correctus per textum *in c. ſi vir de cognatione ſpirituali*; ſi afferatur ſecundo textus *in c. noſſe 30. q. 1.*, vbi dicitur coniuges non eſſe defraudandos, ſed reuerſuros in idipſum, ſi non ex vtriuſque conſenſu alter alterius filium è ſacro fonte leuarit; ex quo textu deducitur, quod ſi ex conſenſu vtriuſque per alterum ipſorum fuerit filius à ſacro fonte leuatus argumento à contrario ſenſu deducto, reſpondent, hunc textum modo nullius roboris eſſe, quandoquidem eſt Nicolai I., qui vixit anno 858., & ſic intelligitur correctus *per d. c. ſi vir de cognat. ſpirit.*, quod eſt ex Alexandri III., qui vixit anno 1156.; ſi afferatur tertio textus *in c. ad limina 30. q. 1.*, vbi deciditur coniuges ſeparandos non eſſe propter baptiſmum filio a parente collatum vrgente neceſſitate, ergo extra neceſſitatem erunt ſeparandi; reſpondent, quod auctor illius textus, qui fuit Ioannes VIII. retulit ſe ad præcedentem canonem *in c. 1. 30. q. 1.*, qui propterea ſimul cum iſto correctus fuit *per d. c. ſi vir de cognat. ſpirit.* Quamobrem moueor ad hanc aſſertionem propter communem DD., tum Theologorum, tum Canoniſtarum conſenſum, quibus in ſimili materia plurimum eſt deferendum; cui communi auctoritati nonnulla ad confirmationem ſubijcienda ſtatuo.

Iura non ita manifeſtè euincunt.

Euincitur ex communi Theologorum, & Canoniſtarum conſenſu.

Primò textum *in d. c. ſi vir de cognat. ſpirit.* vbi non ſolum dictum ponitur, quod ſcilicet, ſi alteruter coniux filium ſuum de ſacro fonte leuauerit, ſiue ignoranter, ſiue ex ſcientia, non ſit alterutri debitum ſubtrahendum, ſed etiam ratio dicti, ſcilicet, *quia ſi ex ignorantia id factum eſt, eos ignorantia excuſare videtur; ſi ex malitia, eis ſua fraus patrocinari non debet*, ſed ex ratione dicti expreſsè deducitur, quod coniux baptizans ex ſcientia, ſeu leuans de ſacro fonte baptiſmatis ſit quidem priuandus iure exigendi debitũ, non autem eximendus ab onere reddendi, ergo &c. Minor probatur, quia ratio, ob quam ſuſtinetur ex vi præſentis textus hoc mutuum ius, & onus in hoc coniugio, eſt, quia ſecus fraus doloſo patrocinaretur, ſed tantum patrocinaretur, ſi à debito reddendo eximeretur, non patrocinaretur autem, ſi doloſus prohiberetur à debiti petitione, ergo ibi interdicitur ob pęnã culpę, & ſic priuatur iure petendi, cæteroqui ratio textus nullius eſſet momenti; vndè cum in allegato textu ante rationem dicti redditam, dicatur non eſſe debitum ſubtrahendum, hoc debet ita intelligi, vt innocenti coniugi petenti debitum ſit reddendum, non verò, vt etiam delinquens poſſit petere.

Explicatur textus in c. ſi vir de cognat. ſpirit.

Secundo, quia rationes ſuperius adductæ, ob quas diximus, quod, quando in neceſſitate quis baptizat, vel leuat puerum communem, vel proprium vxoris ex alio matrimonio, non priuatur iure petendi, in eo potiſſimum conſiſtunt, quia illæ actiones ratione neceſſitatis eximuntur a culpa, vel ſaltem quia illæ actiones ratione inuoluntarietatis redduntur immunes a quocunque onere, quod ſe habeat per modum pænæ, ſed hæ rationes non ſubſiſtunt, quando illæ actiones exercentur cum plena ſcientia extra caſum neceſſitatis.

Neque aduerſus ea, quæ hactenus dicta ſunt, obeſſe poteſt primo, quod nullibi hæc pæna priuationis expreſsè, & directe in iure reperiatur inducta, &, cum verſemur in odioſis, non ſit, nec à pari, nec à contrario ſenſu deducenda; non enim allegati textus vim aliquam, vt innuimus poſſunt habere, cum vel intelligantur correcti, vel in aliam deflectantur ſignificationem. Secundo quia nimis rigida foret illa pæna, ſeu punitio, quandoquidem ex vno capite compellerentur ſimul habitare, ex alio remanerent expoſiti manifeſto periculo incontinentiæ. Non, inquam, obeſſe poſſunt, quia intelligo talem pænam inductam per textũ *in d. cap. ſi vir de cognat. ſpirituali*, nec ab eiuſdem ſenſu a nobis expoſito recedendum 16

Soluuntur nonnulla obiecta.

dum exiſtimo propter communem Canoniſtarum,& Theologorum conſenſum textum illum ſic interpretantium; Minus obeſt id, quod ſubditur, quandoquidem non eſt mirum, quod propter tranſgreſſionem illa pæna procedat; vnde alijs medijs tenentur coniuges obuiare illi periculo.

SECTIO VIII.

An excuſentur coniuges ab vſu coniugij ob affinitatem ortam inter ipſos poſt matrimonium.

SVMMARIVM.

Nonnulla de affinitate remiſſiue. 1.

Si alter ex coniugibus poſt contractum matrimonium perfectè cognouerit conſanguineam alterius,in gradu à iure probibito priuatur iure petendi debitum. 2.

Sententia aſſerens coniugem poſt contractum matrimonium, ſed ante conſummationem cognoſcentem conſanguineam alterius coniugis teneri ingredi Religionem, & non poſſe cogi ad conſummandum. 3.

Sententia aſſerens, quod quamuis priuetur iure petendi, non tamen eximatur ab onere reddendi. 4.

Sententia hæc præfertur. 5.

Coniux, qui copularetur cum proprio conſanguineo, non priuaretur iure petendi debitum ab altero coniuge. 6.

Qui copulatur cum ea, cum qua habet publicam boneſtatem, non priuatur iure exigendi debitum ab altero coniuge. 7.

Quid veniat nomine copulæ perfectæ ad hunc effectum. 8.

Affinitas ex copula fornicaria quoad effectum impediendi matrimonium non extenditur vltra ſecundum gradum. 9.

Probabilius reſtringitur etiam quoad effectum non impediendi debiti exactionem. 10.

Coniux, qui conſenſit ſuam vxorem copulari cum proprio conſanguineo, amittit ius petendi ab eadem, ſi cooperatus eſt. 11.

Secus ſi merè negatiuè ſe habuit. 12.

Coniux cognoſcens conſanguineam alterius priuatur tali iure, quantumuis illa carnalis cognitio fuerit occulta. 13.

Et etiam ſi inceſtuoſus fuerit iuuenis, & expoſitus periculo incontinentiæ. 14.

Non acquirit inceſtuoſus ius petendi debitum ex eo, quod innocens conſcius illius inceſtus eidem petenti reddiderit. 15.

Non priuatur iure petendi, qui copulam habet cum eo, vel cum ea, cum quo, ſeu qua habet publicæ boneſtatis impedimentũ. 16.

Nec item priuatur, qui inceſtum commiſit cum conſanguinea alterius coniugis ignarus conſanguinitatis. 17.

Si vterque coniux inceſtuosè cognouerit conſanguineum alterius, neuter poteſt petere, vel reddere debitum. 18.

Neuter poteſt petere, & reddere, quantumuis vterque dolosè contraxerit affinitatem cum animo fraudandi alterum iure petendi. 19.

Si alter tantum illo animo contraxerit affinitatem ipſe priuatur iure petendi, non tamen eximitur ab onere reddendi. 20.

Affinitas contracta ab altero poſt contractum matrimonium, ſed ante conſummationem non deobligat ab onere reddendi. 21.

Excipe intra primum bimeſtre, ſed hoc prouenit ex alio capite. 22.

Innocens non priuari debet ob culpam alterius. 23.

Si factus affinis ante conſummationem reddat intra primum bimeſtre non peccat. 24.

Siue fuerit vxor, quæ facta fuerit affinis marito, ſiue maritus vxori, poteſt vterque renuntiare priuilegio illius bimeſtris. 25.

Si vxor fuerit per vim oppreſſa à conſanguineo mariti non priuatur iure petendi debitum. 26.

Coniux, qui ob metum grauem carnalitèr commixtus eſt cum conſanguineo alterius, probabilius priuatur iure petendi. 27.

Intellige, ſiue ille metus proceſſerit ab altero coniuge, ſiue ab ipſo conſanguineo. 28.

Coniux inceſtuoſus cum conſanguinea alterius coniugis priuatur iure debiti, etiam ſecluſa quacunque Iudicis ſententia. 29.

Super illa affinitate poteſt Epiſcopus ex conſuetudine diſpenſare, ſi ſuperuenerit matrimonio. 30.

Item confeſſarij Regulares ex commiſſione ſuorum Prouincialium. 31.

NON immorandum in inueſtigando quidditatem affinitatis, modum, quo contrahitur, & perſonas, inter quas contrahitur, quandoquidem de his latè egimus *tom. VI. ſub tit. Contractus XV. de matrim. II. prænot. 11. per totum*, ad quem locum vos remitto. Hic ſolummodo remanent inueſtiganda ea, quæ conſurgunt inter coniuges ex affinitate orta inter eoſdem poſt contractum matrimonium ex eo, quod alter eorum carnalitèr copulatus fuerit cum conſanguineo, vel conſanguinea alterius coniugis. Hæc affinitas, ſi fuerit inter aliquas perſonas ante contractum matrimonium in gradu à iure prohibito impedit, & dirimit matrimonium inter eaſdem per latè ibidem allegata,& probata; modo inquiritur, an, ſi poſt contractum matrimonium inter eoſdem ſuperuenerit, impediat ius coniugij, ſiue petendo, ſiue reddendo, & quænam conditiones ad hoc requirantur.

I Nonnulla de affinitate remiſſiuè.

Aſſertio I. Si alter ex coniugibus poſt con-

contractum matrimonium copulatus fuerit conſanguineo, vel conſanguineæ alterius copula perfecta in gradu à iure prohibito priuatur abſolutè iure exigendi debitum. Eſt communiſſima inter DD.

2
Cognoſcēs conſanguineā alterius poſt contractum matrimonium priuatur iure petendi debitum.

Dixi *poſt contractum matrimonium*, nam, ſi habita fuerit antecedenter ad illius celebrationem, impedit nedum vſum, ſed etiam dirimit ipſum contractum, adeo vt nequeat validè inter ipſos celebrari. Quid verò ſentiendum ſit, ſi talis copula habita fuerit cum conſanguinea, vel conſanguineo vxoris, vel mariti poſt contractum quidem matrimonium per verba de præſenti, ante tamen illius conſummationem, an ſcilicet impediat conſummationem? Nonnulli apud *Sanchez lib.9. de debito coniug. diſp.29. n.1., & apud Ioannem Angelum Boſſium tract. de effect. matrim. c.5. n.20.* docent coniugem, qui ſic copulatus eſt conſanguineo alterius ſui coniugis ante conſummationem matrimonij, teneri ingredi Religionem, nec poſſe cogi ad conſummandum, & reddendum debitum, quod, ſi prima vice reddat conſummando, peccet læthalitèr *Paludanus in 4. diſt. 27. q.1. art.3 num.26., D. Antoninus 3. part. tit.1. c. 11. ante §.1. verſ. nota etiam, Viualdus candelab. ſacram. pri. part. de matrim. n.27., Maior in 4. diſt.41. q. pr. paulo poſt princip. verſ. deinde dico de ſecundo quæſito.* Rationes ex eo deducūt primo, quia quilibet tenetur vitare inceſtū, cum ſit ab intrinſeco malus, & quocunq; iure prohibitus; in data autem hypotheſi conſummatio illa matrimonij eſſet manifeſtè inceſtus, cum eſſet acceſſus ad affinem, nam vxor propria ratione illius congreſſus facti à marito cum conſanguinea eiuſdem vxoris facta fuerit affinis eidem marito. Secundo, quia in primo bimeſtri, ſi maritus factus affinis vxori eidem petenti reddat debitum, grauitèr peccat, cum non excuſetur à tali noxa ex neceſſitate reddendi; non enim pro illo tempore tenetur reddere; ſed adhuc matrimonio non conſummato non tenetur reddere, cum ſemper poſſit velle ingredi Religionem, ergo &c. Tertio, quia iuxta communem, & probabiliſſimam opinionem, ſi quis obſtrictus voto caſtitatis nubat, tenetur religionem ingredi, & peccat prima vice reddendo, quia ad hoc non obligatur, cum poſſit licitè velle ingredi Religionem, ergo &c. Nihilominus, quantumuis priuetur ex illo congreſſu cum conſanguinea vxoris iure petendi, non tamen eximitur ab onere reddendi, ſi nolit Religionem ingredi, cum ad hoc non teneatur *D. Bonauentura in 4. diſt.41. q.3. nu.22., Angelus verb. matrim. 3. impedim. 15. n.2., Sanchez lib.9. diſp.29. nu.2., Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrim. c.5. n.20., Baſilius Pontius de matrim. lib.10. c.7. n.4., Auerſa de matrimon. q.13. ſect.3. §. videri poteſt, Filliutius tom.1. tract.10. c.9. n.349. in fine* Ratio ex eo deducitur primo, quia iura infra allegan da in probatione aſſertionis priuant quidem iure petendi, non tamen eximunt ab onere reddendi ob affinitatem conſurgentem poſt matrimonium inter coniuges, nec diſtinguunt, quando matrimonium eſt præciſè contractum, & quando eſt conſummatum, ergo, ſi quando matrimonium iam conſummatum eſt, priuatur coniux, ex cuius cauſa affinitas orta eſt, iure petendi debitum, non tamen onere eximitur alteri ſerio petenti reddendi, etiam quando matrimonium non eſt conſummatum, priuabitur eodem iure, non tamen eximetur ab illo onere, ſiquidem, quod lex non diſtinguit, nec nos debemus diſtinguere. Secundo, quia æquum non eſt, vt coniux innocens ex alterius nequitia priuetur iure ſuo, quo gaudet ex vi contractus matrimonialis, petendi debitum, ergo nocens ad petitionem iſtius tenebitur reddere. Neque obſtant ea, quæ ex aduerſo afferebantur; nō primum, quia acceſſus ad affinem, quando eſt ſpontaneus, eſt quidem inceſtuoſus, & peccaminoſus, ſecus quando eſt debitus ex iuſtitiæ legibus; quod optimè conſiderarunt iura *in c.1. de eo, qui cogn. conſang.* vbi inducitur priuatio iuris petendi, & *in c. diſcretionem eod. tit.*, vbi inducitur obligatio reddendi alteri innocenti; non ſecundum, quia manifeſtum patet diſcrimen, quandoquidem in primo bimeſtri à die contracti matrimonij nullus ex coniugibus tenetur reddere; at eodem elapſo, ſtatim ad id tenentur, niſi immediatè determinent de ſtatu Religionis; non tertium, quia, vt infra videbimus, non tenetur obſtrictus voto ſimplicis caſtitatis poſt celebratas nuptias tranſire ad Religionem, ad effectum ſeruandi idem votum, ſed poteſt liberè reddere quamuis non poſſit petere.

Si cognouerit ante contractū dirimit matrimonium.

3
Sententia aſſerens cognoſcētem conſanguineā vxoris ante cōſummationē cum eadē vxore nō poſſe cogi ad reddendum.

4
Sententia aſſerens, quod quāuis priuetur iure petendi, nō tamen eximatur ab onere reddendi.

5
Sententia hæc præfertur.

Rationes pro hac ſententia afferūtur.

Soluūtur rationes contrariæ opinionis.

Dixi *conſanguineo, vel conſanguineæ alterius coniugis*, nam affinitas ex genere ſuo eſt diuerſarum cognationum ex carnali copula copulatio, vnde affines ſunt perſonæ nobis citra cognationem ex carnali copula coniunctæ, Iuris Conſultus *in l. non facile §. ſed quoniam ff. de grad. affin. Theophilus §. ſed diximus Inſtit. de nuptijs*; vnde, ſi alter coniux carnalitèr copularetur non cum conſanguineo coniugis, ſed cum conſanguineo proprio non priuaretur iure petendi debitum à propria vxore. *Ricardus in 4. diſt. 34. art. 4. q. 2. ad pri-*

6
Coniux, qui copularetur cū proprio conſanguineo non priuaretur iure petendi.

Digitized by Google

primum, Sanchez d. l. 9. diſp. 27. n. 7., Sotus in 4. diſt. 37. q. vnica art. 2. ad fin., Ludouicus Lopez pri. part. instructorij c. 296. §. pro reſolut. quæſtionis, Leſſius de iuſt. lib. 4. c. 3. dub. 11., Fagundez in Decal. lib. 6. c. 6. n. 32. & ſeqq., Baſilius Pontius de matrim. lib. 10. c. 7. n. 2., Martinus Perez de matrimon. diſp. 52. ſect. 2. n. 6., Villalobos pri. part. tract. 13. difficult 52. n. 2., Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrim. c. 5. nu. 8. quidquid ex aduerſo dixerint *Angelus verb. inceſtus n. 5., Mayron. in 4. diſt. 32. q. vnica concl. 2.* Ratio ex eo deducitur, quia per illum congreſſum mariti v.g. cum propria conſanguinea, nõ oritur vinculum affinitatis cum propria vxore, ergo non eſt, cur idem maritus priuari debeat iure petendi debitum à propria vxore. Antecedens probatur, quia affinitas inter coniuges ſolum cõſurgit ex eo, quod alter ipſorum committat inceſtum cum conſanguineis alterius, vel cum illis commiſceatur, ex quo conſurgit affinitas cum vxore propria, cum enim per illum congreſſum fiat vna caro cum eo, ſeu cum ea, cum quo, ſeu qua congreditur, per conſequens fit affinis cum illis, cum quibus perſona cognita ſeruat cõſanguinitatem, & cum iſta habeat conſanguinitatem cum perſona coniugis illius, qui eam cognouit, conſequenter contrahit affinitatem cum ipſomet coniuge proprio; Neque dicas, quod, cum ex vi contractus matrimonialis coniuges fiant affines omnium conſanguineorum alterius coniugis reſpectiuè, adeo vt maritus fiat affinis cum conſanguineis vxoris, & vxor affinis conſanguineis mariti, conſequatur, quod maritus v.g. cognoſcens carnalitèr conſanguineum propriũ cognoſcat affinem ſuæ vxoris, adeòq; cum ipſa met vxore contrahat affinitatem; contra enim impugnaberis, quia ex conſanguinitate quidem oritur affinitas, non autem ex affinitate, cum ex vulgari regula affinitas non pariat affinitatem. Accedit pro confirmatione noſtræ opinionis, quod omnia iura inducentia priuationem iuris petendi debitum loquuntur tantum de inceſtuoſis cum conſanguineis alterius coniugis, quæ propterea cum ſint pænalia, extendenda non ſunt vltra propriam verborum ſignificationem; Neque obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, quod grauius ſit delictum inceſtus cum conſanguineis proprijs, ac ſit inceſtus cum conſanguineis vxoris, quia eo grauior eſt culpa, quo maior eſt coniunctio, maior autem eſt coniunctio cum conſanguineis, quam cum affinibus; Non, inquam, obeſſe poteſt, quia non ex maiori grauitate delicti ſecundum ſe oritur priuatio iuris petendi debitum à propria vxore; ceteroqui hæc priuatio a fortiori conſurgeret ex congreſſu ſodomitico, & beſtiali, qui ex genere ſuo eſt grauior, quam ſit inceſtus, ſed a maiori grauitate delicti, prout aduerſatur matrimonio; magis autem aduerſatur matrimonio inceſtus cum conſanguinea vxoris, eo quia conſurgit affinitas cum eadem vxore, quam inceſtus cum conſanguinea propria, ex quo non conſurgit affinitas cum eadem vxore,

Rationes pro hac reſolutione.

Soluuntur nonnulla obiecta opposita.

Ob eandem rationem, qua dicitur in aſſertione *conſanguineo, vel conſanguineæ alterius coniugis* etiam deducitur, quod, ſi alter coniux copulatus fuerit cum eo, vel cum ea, cum quo habet publicæ honeſtatis iuſtitiæ impedimentum, non impediatur à iure exigendi debitum à propria vxore *Sanchez d. lib. 9. diſp. 27. n. 4., Villalobos pri. part. tract. 13. difficult. 52., Martinus Perez de matrim. diſp. 52. ſect. 2., Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrim. c. 5. nu.* 10. Ratio ex eo deducitur, quia iura inducentia priuationem iuris petendi ob inceſtum loquuntur tantum de inceſtu cum conſanguineis alterius coniugis, ex quo oritur affinitas. 7

Qui copulatur cum ea, cum qua habet publicam honeſtatẽ non priuatur iure petẽdi debitum ab altero coniuge.

Dixi, *copula perfecta*. Nomine autem copulæ perfectæ intelligo illã, per quam poteſt eſſe naturalis prolis generatio, ad quod non ſufficit ſola penetratio vaſis fæminei, niſi intra illud ſemen virile etiã immittatur; ſed an requiratur etiam ad hoc, vt copula dicatur perfecta, ad effectum, vt per illam contrahatur affinitas, quod etiam fæmina ſeminet magnum eſt diſſidium inter DD. Hanc fæminæ ſeminationem neceſſariam non eſſe docent plures Canoniſtæ, & Theologi relati à *Sanchez d. lib 9. diſp. 64. n. 21.*, & inter cæteros *Rebell. de obl. iuſtit. part. 2. lib. 3. q. 15. n. 2., Baſilius Pontius de matrimon. lib. 10. c. 7., Bonacina de matrim. q. 3. punct. 12., Villalobos part. pri. tract. 14. difficult. 17. nu.* 8. eo, quod cum *Ariſtotile lib. 2. de generat. anim. c. 2.* arbitrentur ſemen fæmineum non eſſe neceſſarium ad generationem. Contrarium alij plures ſentiunt propter rationem oppoſitam, quod ſcilicet etiam fęminę ſemẽ ſit neceſſariũ, & præcipuè *Hurtadus de matrim. diſp. 20. diffic. 1., Auerſa de matrim. q. 17. ſect. 1. verſ. finem, Caſtrus Palaus part. 5. tract. 28. diſp. 4. p. 8. n. 3., Diana part. 3. tract. 5. reſol. 19.* In hoc non immoror, quandoquidem de hac re fusè egi *tom. VI. ſub tit. Contractus XV. de matrim. I. prænot. 9. n. 3.* ad quem locum pro reſolutione vos remitto.

8

Quid veniat nomine copulę perfectæ ad hunc effectum.

Dixi, *in gradu à iure prohibito*, circa quã particulam aduertendum eſt, quod antiquitus ante diſpoſitionem Concilij Trid. ad

Digitized by Google

ad contrahendum affinitatem, per quam inter affines non poſſet contrahi matrimoniũ, requirebatur, quod perſona carnalitèr cognita eſſet coniuncta ſaltẽ in 4. gradu conſanguinitatis cum illa perſona, cum qua cognoſcens matrimonium contrahere intendebat, prout habetur *in c. diſcretionem, de eo qui cogn. conſang.* Modo *poſt Concil. Trid. ſeſſ. 24. de matrim. c. 4.* quoad affinitatem conſurgentem ex copula fornicaria res reducta eſt ad ſtrictiores terminos, adeo vt non extendatur talis affinitas inter perſonam carnalitèr cognitam, & eam, qua m ille, qui cognouit, ducere intẽdit vltra ſecundum gradum, vnde ſi ſit vltra hunc ſecundnm gradum non impediat matrimonium. Difficultas ſolùmodo eſt, an ſicuti idem Concilium Trident. reſtrixit affinitatem ortam ex copula fornicaria ad ſecundum gradum in ordine ad effectum, vt intra illum non poſſit contrahi matrimoninm, extra illum poſſit contrahi, ita reſtrixerit ad eundem ſecundum gradum in ordine ad effectum petendi debitum, quando coniux carnalitèr cognouit conſanguineum alterius coniugis, adeout, ſi conſanguinea cognita fuerit intra ſecundum gradum conſanguinitatis cum altero coniuge, coniux, qui cognouit, non poſſit à ſuo coniuge petere, poſſit autem, ſi conſanguinitas ſit vltra ſecundum gradum.

9 **Affinitas ex copula fornicaria quoad effectum impediẽdi matrimonium non extẽditur vltra ſecundum gradum.**

Probabilius arbitror Concil. Tridẽtinum etiam in hac hypotheſi reſtrixiſſe ad ſecundum gradum, adeoque copulam habitam cum cõſanguineis alterius coniugis vltra ſecũdum gradum non impedire debiti exactionem *Henriquez lib. 11. de matrim. c. 15. nu. 11., Petrus de Ledeſma de matrimon. q. 55. art. 3. dub 4., Baſilius Pontius de matrim. lib. 10. c. 7. n. 5., Hurtadus de matrimon. diſp. 20. difficul. 7., Carolus Antonius Theſaurus de pan. Eccl. p. 2. verb. inceſtus pæna nu. 4., Diana part. 3. tract. 5. reſol. 19., Auguſtinus Barboſa collect. ad c. 4. Trident. in fine, Sanchez de matrim. c. 9. de debito coniug. diſp. 27. num. 14.* Ratio ex eo deſumitur, quia hoc impedimẽtum iuris petendi conſurgit ex affinitate conſurgente ex inceſtu commiſſo cum conſanguineo, vel conſanguinea coniugis, vt teſtatur *D. Thomas in 4. diſt. 34. q. vnica art. 5. in ſolut. ad obiecta, Turrecremata in c. quædã cum fratre 32. q. 7. n. 2. ad ſecundum, Silueſter verb. matrimonium 7. q. fin. dict. 3.,* ſed affinitas conſurgens ex copula fornicaria non eſt vltra ſecundum gradum quoad effectum &c., ergo &c.; Neque dicas, poſt Concilium Tridentinum per copulã fornicariam non conſurgere quidem affinitatem quoad effectum dirimendi matrimonium, bene tamen talem affinitatem conſurgere quoad effectum impediendi exactionem debiti, cum hæc duo valde diuerſa ſint, & in correctorijs facienda ſemper eſt reſtrictio quoad expreſſa in correctione, non quoad alia diuerſa; contra enim impugnaberis, quia ex quo Concil. Trident. reſtrixit affinitatem ex copula fornicaria ad ſecundum gradum, & impedimentum illud petitionis debiti conſurgat ex affinitate, vbi non eſt talis affinitas, nec poteſt eſſe tale impedimentum. Deinde, ſi correxit quoad id, quod maius eſt, nempè quoad contrahendum matrimonium, à fortiori correxiſſe cenſendum eſt, quoad id, quod eſt minus, nempè quoad ius petẽdi debitum poſt matrimonium validè contractum.

10 **Probabilius Concilium Tridẽtinũ reſtrixit affinitatẽ ex tali copula ad ſecundum gradum quoad effectum petendi debitum.**

Nonnullæ inſtantiæ oppoſitæ diſſoluuntur.

Omnem rationem ambigendi abſtulit Sacra Cardinalium Concilij Tridentini interpret. apud *Aldanũ in comp. canon. deciſ. lib. 1 tit. 8. n. 35., & apud Farinacium in declarat. ad d. c. 4. in fine*, cuius Sacræ Congregationis hæc ſunt formalia verba *SS. D. N. Gregorius XIII. ex ſententia Congregationis dixit per hoc decretum ablatum cenſeri impedimentum quoque ſuperuenientis affinitatis poſt cõtractum matrimonium, quia, ſi impedimentum dirimens ſublatum eſt, quod maius eſt, ergo, & iſtud, quod ſolum impedit, ne is, per quem contracta eſt affinitas, ſine peccato poſſit exigere debitum, quod minus eſt, præterea Concilium ſuſtulit tertium, & quartum, ergo in omnibus.* Aliud ſimilè decretum Sacræ Congregationis Concilij, per formalia verba refert *Sanchez d. diſp. 27. n. 14. propè medium.*

Declaratio Sacræ Congregationis ad rem noſtram.

Probatur iam aſſertio quoad vtramque partem ex diſpoſitionibus iuris canonici, & primo, quod nequeat petere, expreſsè habetur *ex c. 1. de eo, qui cog. conſang.*, vbi ſic legitur *ſi quis cum filiaſtra ſua ſciẽter fornicatus fuerit, nec à Matre debitum petere, nec à filiaſtra, nec ille vllo vnquam tempore poterit ſe alijs matrimonio copulare.* Secundo, quod teneatur reddere, habetur *ex c. diſcretionem eod. tit.*, vbi ſic legitur. *Sed nec affinitas poſt matrimonium inique contracta ei debet officere, quia huiuſmodi iniquitatis particeps non fuit; cum ſuo iure non debeat ſine ſua culpa priuari.*

Rationes pro aſſerto.

Sed quid dicendum ſit in hypotheſi, qua alter coniux, cuius conſanguineam alter cognouit carnalitèr, nullam quidẽ per ſe contraxit affinitatem cum ſuo coniuge, ſe copulando cum conſanguineo, vel conſanguinea illius, ſed tantum conſenſit, vt ſuus coniux per copulam iniquam cum ſua conſanguinea eam contraheret, an ſcilicet, & ipſe priuetur iure petendi? Cum diſtinctione reſpondendum exiſtimo, vel etenim conſenſit, quodammodo cooperando, vel merè negatiuè

ſe

Digitized by Google

ſe habendo; ſi primo modo; probabilius arbitror, amittere ius ad petendum;

11 **Coniux, qui conſenſit ſuũ coniugem copulari cum propria conſãguinea, amittit ius petendi, ſi cooperatus eſt.**

& iuxta hunc ſenſum arbitror præciſè locutos fuiſſe *D. Bonauenturam in 4. diſt. 34. art. 3. q. 2., Aſtenſem in ſumma 2. part. lib. 8. tit. 11. art. 3. q. 14., Silueſtrum verb. luxuria q. 4. d. 3., Petrum à Ledeſma de matrim. q. 55. art. 6. n. 443., Sanchez de matrimon. lib. 9. diſp. 27. num. 3.*, atque ad hoc comprobandum plurimum facere videtur *textus in d. c. diſcretionem de eo, qui cogn. conſang.*, vbi expreſsè dicitur, quod affinitas non debeat alteri officere, qui huiuſmodi iniquitatis particeps non exiſtit, addita ratione, quia ſuo iure non debet ſine culpa priuari, ergo, ſi fuerit cum ſua culpa propter cooperationem, erit priuandus argumento à contrario ſenſu deducto; ſi ſecundo modo probabile arbitror, non amittere ius ad petendum; atque iuxta hunc ſenſum locutos arbitror *Hurtadum de matrimon. diſp. 20. diffic. 7., Martinum Perez de matrimon. diſp.*

12 **Secus ſi merè negatiuè ſe habuit.**

52. nu. 2., Ioannem Angelum Boſſium tract. de effect. matrim. c. 5. n. 6., & 7., atque hæc opinio fundamentum habet in eo, quia in pænalibus, & odioſis facienda eſt ſtricta interpretatio, itaùt diſpoſitio non extendatur vltra terminos, quibus concipitur; ſed diſpoſitio, qua inducitur impedimentum exactionis debiti, reſpicit dumtaxat illum, qui per copulam iniquam contraxit affinitatem, ſeu qui particeps fuit illius iniquitatis, cuiuſmodi in rigore non eſt ille, præcipuè in ordine ad pænas ſubeundas, qui merè negatiuè ſe habet, ergo &c.

Amplia primo aſſertionem, vt procedat etiam, quantumuis inceſtus habitus cum conſanguineo, vel conſanguinea alterius coniugis eſſet occultus *Gloſa in c. qui dormierit verb. neutram 32. q. 7., Caſtro*

13 **Coniux cognoſcẽs conſanguineam alterius, impeditur à iure petẽdi, quamuis inceſtus fuerit occultus.**

lib. 2. de lege pænali c. 5. §. rurſus quinto argumento, Sanchez lib. 9. diſp 27. n. 2., Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrim. c. 5. nu. 4., qui alios plures refert. Expreſsè deducitur ex textu in *d. c. 1. de eo, qui cogn. conſang.* vbi indefinitè ſine vlla exceptione inducitur illa priuatio, quando per copulam iniquam cognoſcitur carnalitèr conſanguineus, vel conſanguinea alterius coniugis; nec illa diſpoſitio innititur ſcandalo, quod ex publico inceſtu oriri poſſit, ſed affinitati iniquè contractæ; vnde etiam plurimi docent, quod ad hanc pænam contrahendam reſpectu delinquentis non requiratur Iudicis ſententia, quia, quantumuis regularitèr pœnæ non contrahantur, nec ſint exequendæ ante Iudicis ſententiam; fallit tamen, quando pænæ conſiſtunt in pura priuatione, & oriuntur ex cauſa, quæ in contrahentibus ex diſpoſitione iuris ingerunt indecentiam ad effectum, quo priuant.

Amplia ſecundo, vt procedat etiam, quantumuis coniux inceſtuoſus, qui cum conſanguineis proprij coniugis congreditur, ſit iuuenis, & incontinentiæ periculo expoſitus *Coaruuias 4. decret. 2. part. c. 7. §. 2. num. 5., Gutierez qq. canon. tom. 1.*

14 **Et etiam ſi ipſe inceſtuoſus ſit iuuenis, & expoſitus periculo incontinentiæ.**

c. 23. n. 6., Sanchez d. lib. 9. diſp. 27. num. 8., Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matr. c. 5. n. 3. Ratio eadem eſt, quæ adducta fuit pro præcedenti ampliatione, quia iura indiſtinctè loquuntur de quocunque coniuge culpabilitèr cognoſcente carnalitèr conſanguineam alterius coniugis. Fateor tamen, quod ex titulo iuuentutis, & expoſitionis illius periculi ſubſit cauſa legitima facilioris diſpenſationis ad liberum vſum matrimonij.

Amplia tertio, vt procedat etiam, quantumuis alter coniux innocens alteri inceſtuoſo ſciens illius inceſtum debitum reddiderit *Coaruuias de ſponſalibus part. 2. c. 7. §. 2., Ioannes Angelus Boſ-*

15 **Non acquirit inceſtuoſus ius petendi debitũ ex eo, quod innocens illi petenti reddiderit.**

ſius tract. de effect. matrim. c. 5. n. 5., Silueſter verb. luxuria q. 4. dict. 4. Ratio ex eo deducitur, quia hæc priuatio iuris petendi in contrahente affinitatem ob copulam habitam cum conſanguineo, ſeu conſanguinea alterius coniugis, non eſt inducta præciſè in fauorem alterius coniugis innocentis, ſed in pænam inceſtus, & affinitatis contractæ, ex quo ſequitur non eſſe in poteſtate coniugis innocentis eandem remittere, nec expreſsè, nec tacitè per redditionem debiti; Neque obeſſe poſſunt textus *in c. ſi vir de adulter., & c. propoſuit de coniug. ſeruor.* in quibus dicitur, quod per petitionem, & redditionem voluntariam fiat reconciliatio; non obſtant, inquam, quandoquidem textus illi procedunt dumtaxat, quando illa priuatio inducta eſt ſolummodo in fauorem innocentis, vt in caſu adulterij, & in caſu conditionis ſeruilis, in quo vtroque innocẽs, & liber poteſt remittere iniuriam, & illam conditionem, cum priuatio iuris in illorum fauorẽ fuerit præciſè inducta.

Limita primo, in caſu, quo alter coniux copulam haberet cum eo, vel cum ea, cum qua habet publicæ honeſtatis iuſtitiæ impedimentum, tunc etenim non priuaretur iure petendi debitum

16 **Non priuatur tali iure, qui copulam habet cũ ea, cum qua habet publicam honeſtatẽ**

Sanchez lib. 9. de debito coniugali diſp. 27. n. 4. contra Cordubam in ſuo quæſtionario lib. 1. q. 12. in princip. atque hanc eandem limitationem ſuſtinent etiam *Ioannes Angelus Boſſius tract. de effectu matrim. c. 5. nu. 10., Villalobos pr. part. tract. 13. diffic. 52., Martinus Perez de matrim. diſp. 52.* Hoc explicari poteſt in eo, qui primum matri-

tri-

Digitized by Google

trimonium cum alia fæmina contraxit, dum tamen antecedentèr ad tale matrimonium ſponſalia cum alia iniuerat, qui ſi poſtea diſſoluto primo matrimonio contrahat per verba de præſenti cum ſorore illius, cum qua ſponſalia inierat, & copulam habeat cum ſorore ipſius, cum qua ſecundum matrimonium contraxit, non impeditur à iure petendi debitum. Ratio ex eo deducitur, quia quantumuis talis copula eſſet inceſtuoſa, tamen iura non inducunt tale impedimentum, niſi coniugi inceſtuoſo cum alterius conſanguineo, vel cõſanguinea.

Limita ſecundo in caſu, quo inceſtum commiſerit cum conſanguinea alterius

17 coniugis ignarus illius conſanguinitatis. Ratio ex eo deducitur, quia illa priuatio iuris petendi debitum inducta eſt in pænam delinquentis, quæ propterea locum habere non poteſt, vbi non eſt delictum voluntarium in eo genere, ob quod impoſita eſt eadem pæna; ſed in hac hypotheſi non eſt delictum voluntarium inceſtus, cui iniuncta eſt illa priuatio, cum fuerit ſine cognitione conſanguinitatis, ergo &c.

Si inceſtũ commiſit ignorans cõſanguinitatem non priuaretur iure petẽdi.

Aſſertio II. Si vterque coniux affinis effectus fuerit per copulam mutuam cum alterius conſanguineis, probabilius neuter poteſt petere, & reddere debitum; Ita quoad primam partem

18 *Gloſa in cap. noſſe 30. qu. 1. verb. non fraudentur*, *Hoſtienſis in c. ſi vir in fin. de cogn. ſpirit.*, *D. Antoninus 3. part. tit. 1. c. 15. §. tertio*, *Nauarrus in ſumma c. 17. num. 34.*, *Sanchez d. lib. 9. diſp. 28. n. 2.* vbi alios innumeros allegat *Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrim. c. 5. n. 11.* Quoad ſecundum idem *Sanchez*, & *Boſſius loc. cit. ille nu. 5. iſte eodem num.*, *Alenſis 2. q. 170. memb. 3. §. 3. poſt ſolutionem ad 2.* *Pontius de matrim. lib. 10. c. 7. nu. 3.*, *Villalobos part. 1. tract. 13. difficult. 52. n. 5.*, *Filliutius tom. 1. tract. 10. c. 9. n. 349.*, *Auerſa de matrim. q. 13. ſect. 3.*

Si vterq; fuerit inceſtuoſus cum conſanguineo alterius neuter poteſt petere, & reddere.

Ratio quoad primam partem deducitur ex textu *in c. 1. de eo, qui cogn. conſangu.* vbi indefinitè, & ſine vlla exceptione dicitur, quod, ſi coniux culposè copulatus fuerit cum conſanguineo, vel conſanguinea alterius coniugis, priuetur iure petendi ab altero debitum, ergo ſi vterque culposè id egerit, vterque priuabitur tali iure; Neque poteſt dici, quod in hac hypotheſi mutui inceſtus coniugis vtriuſque fiat delictorum compenſatio, adeoque quod vterque in ſuo iure reintegretur; Non, inquam, dici poteſt, quia, vt ſupra innuebam, priuatio iuris petendi non eſt inducta in fauorem alterius coniugis innocentis, ſed in pænam delinquentis; vbi autem pænæ ob delicta non ſunt inductæ in fauorem, & vtilitatem alterius innocentis, mutua compenſatione non tolluntur, cum non ſit liberum alteri remittere pænam aduerſus delinquentem impoſitam, ſi hæc in ſui gratiam præcisè non fuerit inducta; ex quo habeo diſcrimen, quod intercedit, quando vterque coniux eſt adulter, ac quando vterque eſt inceſtuoſus cum conſanguineo, vel conſanguinea alterius coniugis; in primo etenim caſu pænæ ob adulterium, quatenus important priuationem iuris petendi debitum, ſunt inductæ præcisè in fauorem innocentis, qui propterea poteſt non ſolum expreſsè remittere talem priuationem, ſed etiam tacitè per voluntariam petitionem, vel redditionem debiti, adeoque non eſt mirum, quod, ſi adulteria fuerint mutua, mutua compenſatione tollantur; in ſecundo verò caſu pænæ illæ propter inceſtum non ſunt inductæ præcisè in gratiam innocentis, ſed in odium delinquentis, ac propterea non poſſunt ab altero remitti, ſicque compenſatione non auferuntur.

Non fit in hac hypotheſi delictorum compenſatio.

Ratio ſecundæ partis ex eo deſumitur, quia, quando alter eſt innocens, excuſatur reus à culpa in reddendo debitum, quia æquum non eſt, vt innocens ex illius culpa priuetur iure ſuo, quo gaudet in corpore eiuſdem rei, ſed quando vterque in eodem genere eſt reus, hæc ratio excuſans non militat, ergo &c. Minor probatur, quia, cum vterq; ſit culpoſus, innocentia vnius, in qua fundatur onus alterius nocentis ad ipſi reddendum, non poteſt eidem prodeſſe, cum talis innocentia non extet, quin potius peruerſitas in eodem genere, ergo non &c.

Euincitur etiã, quod non poſſit reddere.

Dices primo, ſi antè, vel poſt contractum matrimonium vterque ſit obſtrictus ſimplici voto caſtitatis, neuter poteſt petere, vterque tamen ad alterius petitionem non ſolum poteſt licitè, ſed etiam tenetur reddere, ergo etiam, ſi poſt contractum matrimonium vterque contraxerit affinitatem per copulam inceſtuoſam cum conſanguineis alterius coniugis, quantumuis vterque priuetur iure petendi, non carebit onere reddendi ad alterius petitionem, adeoque nec peccabit reddendo. Sed contra, quidquid ſit de illo antecedenti, de quo latè infra occurret ſermo in ſubſequentibus ſectionibus, neganda eſt abſolutè conſequentia. Ratio diſparitatis in eo conſiſtit, quod votum ſimplex caſtitatis non aufert ius iuſtitiæ, quod habent coniuges in corpus alterius, affinitas autem conſurgens ex copula inceſtuoſa cum conſanguineis

Diſparitas de vtroque coniuge obſtricto voto caſtitatis.

co-

Digitized by Google

eorundem coniugum ob notam in eiſdem inceſtuoſis iniuſtam tale ius iuſtitiæ aufert, donec talis nota per diſpenſationem auferatur.

Dices ſecundo, quod in hac hypotheſi dato, quod vterque priuaretur iure iuſtitiæ ad petendum, & reddendum debitũ coniugale, copula inter eoſdem habita non minus eſſet fornicaria, ac ſi eſſet inter ſolutos, quod certè non videtur dicendum. Sed contra; ſequela non tenet; quantumuis enim talis copula ſit grauitèr peccaminoſa, prout docent *Coaruuias de ſponſal. part.2.c.7.§.2.*, *Rebellus de oblig. iuſt. part.2 q.18.n.12.*, *Reginaldus lib.31.n.291.*, *Martinus Perez de matrim. diſp. 52. ſect.2. nu.*8. non tamen eſt propriè fornicaria, quia quantumuis coniuges priuati ſint ſuo iure, illudque remaneat impeditum, manet tamen in radice matrimonij propter vinculum coniugale, quod non obſtante illa copula inceſtuoſa perſeuerat, adeoque acceſſus ad alterum coniugem non eſt acceſſus ad alienum, ſed ad ſuum.

Talis copula non eſſet fornicaria, & quare.

Dices tertio. Si alter dumtaxat ex coniugibus conſtituatur reus inceſtus per acceſſum ad conſanguineum alterius coniugis, æquè eſt priuatus iure petendi, ac ſi alter etiam in tali reatu eſſet conſtitutus, ſed quando ipſe ſolus eſt reus, alter quamuis non teneatur reddere, poteſt tamen licitè, ſi velit, reddere, ergo quando vterque eſt reus, poterit alter ad petitionem alterius reddere, quantumuis non teneatur. Sed contra; non eſt eadem ratio in vtroque caſu; nam quando vnus dumtaxat eſt reus inceſtus, alter remanet in plena poſſeſſione petendi, & reddendi, nec in aliquo priuatur iure ſuo; quando verò vterque eſt in eodem genere culpoſus, vterque priuatur iure petendi, & conſequentèr etiam, vt ſibi petenti reddatur, adeoque &c.

Soluitur alia inſtantia.

Aſſertio III. Si vterque coniux doloſè, & malitioſè affinitatem contraxerit per copulam inceſtuoſam cum conſanguineis alterius, animo ſcilicet fraudandi alterum iure petendi debitum, neuter poteſt petere debitũ, & neuter poteſt licitè reddere *Auerſa de matr. q. 13. ſect. 3. §. quod ſi doloſè*, *Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrimon. c. 5. num.* 12. aduerſus *Sanchez d. lib.9. diſp. 28. n. 6.*, *Reginaldum lib. 31. n.292.*, *& alios*.

19 Neuter poteſt petere, & reddere, quantumuis vterq; doloſè contraxerit affinitatem cũ animo fraudandi alterum iure petẽdi.

Ratio ex eo deducitur, quia, ſi quid euinceret, quando malitioſè, eo ſcilicet animo fraudandi, contraxerunt affinitatem, quod ad inuicē teneantur, & poſſint licitè reddere, maximè eſſet generalis regula, qua dicitur, quod fraus, & malitia nequeat patrocinari ſuo auctori, quod certè eueniret in præſenti hypotheſi, vbi ex propria malitia, & dolo coniuges quoad ſuam intentionem reportarent commodum negationis iuris petendi; & oneris reddendi; Sed hæc ratio nihil euincit, quandoquidem, cum illa priuatio iuris ſit inducta a iure in pænam delinquentium, vt fatetur *Sanchez* contrariæ ſententiæ aſſertor *d. lib. 9. diſp. 30. n.1.* ſuppoſito delicto non eſt attendenda voluntas operantis, niſi quatenus auget potius malitiam, non in ordine ad minuendam pænam ab eodem iure impoſitam; Neque obeſſe poteſt textus *in c. ſi vir de cognat. ſpirituali*, vbi æquiparatur hic caſus affinitatis contractæ ex malitioſo inceſtu mutuo vtriuſque coniugis caſui, quo ijdem coniuges contraxerint hanc affinitatem per ignorantiam, in quo conſtat ex ſuperius dictis eos coniuges teneri ſibi reddere; non, inquam, obeſſe poteſt, quia allegatus textus *in c. ſi vir de cognatione ſpir.*, ſolum non eximit à iure petendi debitum, quando affinitas contracta eſt ex ignorantia; vndè ſequitur, quod, ſi contracta fuerit cũ ſcientia, vtique priuet tali iure, & ſi hæc verificantur, quando ſimplicitèr cum ſcientia cõtracta eſt, non video, cur non debeant verificari, quando vltra ſcientiam addita eſt fraus, & malitia ad alterum defraudandum. Certè in hoc caſu maius eſt delictum. Quod ſi repetas, quod ille textus *in d. c. ſi vir* abſolutè non eximat coniuges a iure petendi debitum, quando ex malitia contraxerunt vel cognationē ſpiritualem, vel affinitatem addita ratione, ne malitia, & fraus eis patrocinetur, cum ibidem dicatur *ſiue ex ignorantia, ſiue ex malitia id fecerint, non ſunt ſeparandi, nec alter alteri debet debitum ſubtrahere, quia ſi ex ignorantia id factum eſt, eos ignorantia excuſare videtur, ſi ex malitia eis ſua fraus non debet patrocinari*; Si, inquam, hoc repetas, ſtatim ſubdam hæc procedere, quando alter dumtaxat ex propria malitia, & fraude talem affinitatem contraxit, tunc etenim ipſius malitia non debet eidem patrocinari, quod efficeret, ſi innocens priuaretur iure petendi; non autem quando vterque eiuſdem culpę equalitèr eſt reus, quia tunc malitia eidem non patrocinaretur, ſed propria culpa vtrique obeſſe; neque aliquam vim facit, quod Pontifex ibidem in numero plurali dicat *eis ſua fraus non debet patrocinari*, quaſi quod deciſionem referat ad vtrumque, quando ſcilicet vterque ex malitia eiuſdem prauitatis eſt reus; non, inquam, aliquam vim facit, quandoquidem vt ex principio eiuſdem textus patet *ſi vir, vel mulier* loquitur in numero plurali,

Soluuntur nonnullæ inſtantię oppoſitæ.

Digitized by Google

rali, quia loquitur diſiunctiuè, vel de viro, vel de muliere, & comprehendit vtrumque ſub diſiunctione, & poſteriora ſemper referuntur ad præcedentia, ad quorum normam regulantur.

Hinc ſequitur, quod, ſi alter ex malitia, & fraude affinitatem illam per copulam inceſtuoſam contraxerit altero

20 Si alter tantum illo animo affinitatē contraxerit, ipſe priuatur iure petēdi, non tamen eximitur ab onere reddendi.

innocente, vel ignorante priuetur quidē iure petendi debitum, non ſubtrahatur tamen ab onere reddendi, quia culpa ipſius, & doloſa malitia ſicuti eidem non patrocinatur, ita nec innocentem ſpoliare poteſt iure ſibi competente, & poſſeſſione ſua. Quid autem ſentiendum ſit, ſi alter affinitatem contraxerit ex malitia, & fraude, animo ſcilicet alterum fraudandi iure ſuo, alter vero non ex malitia, ſed cum ſcientia ſimilem affinitatem per ſimile delictum nactus fuerit? Videtur prima fronte dicendum, quod ſolum priuetur iure petendi ille, qui malitiosè contraxit ei obſiſtente propria malitia, potiſſimum, cum in prauitate non ſint pares, & fraus non patrocinetur auctori. Nihilominus abſolutè ſentiendum eſt, in hac etiam hypotheſi neutrum poſſe petere, neutrumque reddere. *Sanchez d. lib. 9. diſp. 28. n. 5.* Ratio ex eo deducitur, quia ex parte vtriuſque adeſt ſufficiens delictum a iure requiſitum ad contrahendam illam pænam priuationis iuris petendi, cum contrahens affinitatem ſcienter extra neceſſitatem per diſpoſitionem iuris tali iure priuetur, nec officit malitia in contrahente cum animo fraudandi, quia hæc auget quidem culpam in eodem, non tamen ex maiori hac culpa ceſſat in altero minus culpoſo, & non fraudulento pæna proportionata proprio delicto.

Aſſertio IV. Si affinitas, ſeu cognatio ſpiritualis fuerit quidem ab altero coniuge cōtracta per inceſtū cū conſanguineo, vel conſanguinea alterius coniugis poſt

21 Affinitas contracta ab altero poſt contractum matrimonium, ſed ante conſummationem non deobligat ab onere reddendi.

contractū matrimoniū, vel per baptiſmū, ſed ante illius conſummationē, quamuis pro tempore prioris bimeſtris non teneatur innocenti petenti reddere, eodem tamen elapſo, ſi non deliberauerit de ingreſſu in Religionem, tenetur reddere, quinimmò reddendo, vel in illo priori bimeſtri, vel poſt nullo modo peccat, nec ad euitandam redditionem tenetur Religionem ingredi *D. Bonauentura in 4. diſt. 41. q. 3. n. 22.*, *Angelus verb. matrimonium 3. impedim. 15. n. 2.*, *Petrus de Ledeſma de matrimon. q. 55. art. 6. circa 3. ſtatum affinit. dub. 4.*, *Sanchez de matr. lib. 9. diſp. 29. n. 2.*, qui tamen excipit, quando redderet intra bimeſtre *Baſilius Pontius de matrim. lib. 10. c. 7. n. 4.*, *Auerſa de matr. q. 13. ſect. 3. §. videri poteſt*, *Fillíutius tom. pr. tract. 10. c. 9. n. 349. in fin.*, *Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrimon. cap. 5. num. 20.*

Ratio quoad primam partem, quod ſcilicet pro priori bimeſtri non teneatur reddere innocenti petenti, clarè deducitur ex generali iure *in c. ex publico de conuerſ. coniug.*, vbi decernitur, quod intra 22 Excipe intra primum bimeſtre.

bimeſtre non poſſint coniuges compelli ad conſummandum matrimonium, ſed id temporis ipſis relinquatur ad deliberandum de perfectiori ſtatu Religionis, & hoc ex priuilegio à Christo Domino conceſſo, nec hoc priuilegium demitur ex eo, quod alter coniux intra illud ſpacium temporis ob inceſtuoſam copulam contraxerit affinitatem cum altero coniuge, cum nullibi conſtet de abrogatione talis priuilegij ob hanc cauſam, nec in iure reperitur diſpoſita pæna, quod inceſtuoſus cum conſanguinea alterius coniugis ante conſummatum matrimoniū cum eadem impediatur ab ingreſſu in Religionem, eo quod priuetur illo ſpacio à iure conceſſo ad deliberandum, ergo non eſt, cur intra illud ſpacium non poſſit coniugi innocenti petenti denegare debitum.

Ratio ſecundæ partis, quod ſcilicet eodem elapſo bimeſtri, ſi non deliberauerit de Religione, teneatur reddere, ex eo deducitur, quia alter innocens elapſo illo termino, & non facta tali deliberatione ius habet legitimè petendi, quo non priuatur ob culpabilem affininitatem in altero ſuperuenientem per ea, quæ hactenus latè docuimus, & clarè habetur *in c. diſcretionem, & c. penult. de eo, qui cognat. conſang.*, ergo non eſt, cur reus non 23 Innocens non priuari debet ob culpā alterius.

teneatur eidem innocenti reddere. Dixi *ſi non deliberauerit de Religione*, nam iuxta ea, quæ docui *tom. VI. ſub tit. Contractus XV. de matrimon. I. prænot. 16. n. 1.*, etiam ſi elapſum fuerit bimeſtre, & adhuc non fuerit matrimonium conſummatum, poteſt coniux velle ad Religionem tranſire, prout etiam docent *Gloſa c. ex publico de conuerſ. coniug.*, *Silueſter verb. votum 4. q. 2. dict. 1.*, *D. Bonauentura in 4. diſt. 17. art. 3. q. 2.*; vnde hoc ſolum intercedit diſcrimen intra illud bimeſtre, & extra, quod intra non poſſint compelli coniuges ad conſumandum, etiam ſi animum non habeant ingrediendi Religionem; extra illud poſſint compelli, niſi immediatè ſe transferant ad Religionem.

Ratio tertiæ partis, quod ſcilicet non peccet reddendo, ſiue intra primum ſemeſtre, ſiue poſt illud etiam prima vice, ex eo deducitur, quia per illam affinita-

24 *Factus affinis reddens debitum intra primũ bimeſtre non peccat.*

tem ſic contractam ab altero coniuge, non demitur ius, quod habet innocens in corpus alterius, nempè ipſius, qui contraxit affinitatem, ergo hic ad illius petitionem tenetur reddere, & reddendo non peccat, quia adimplet id, ad quod ex lege iuſtitiæ tenetur.

Coniux ille factus affinis nõ tenetur ingredi Religionem.

Dices ad ſummum hoc argumentum valere elapſo illo bimeſtri, & non facta illa deliberatione ingreſſus in Religionē, quia tunc, quantumuis affinis tenetur ad reddendum alteri petenti, qui ex illa affinitate ab eodem contracta non priuatur iure ſuo, non autem valere intra illud bimeſtre, quia intra illud omni iure eximitur ab onere reddēdi, vndè, ſi redderet, omnino voluntariè redderet, adeoq; peccaminoſè, quandoquidem intantum affinis reddendo debitum eximitur à culpa, in quantum tenetur reddere, ergo cum pro illo bimeſtri non teneatur reddere, reddendo non eximetur à culpa; hoc argumento vtuntur *Sanchez lib. 9. diſp. 6. nu. 14., & eodem lib. diſp. 35. num. 2., Silueſter verb. matrimonium 8. q. 15. dict. 7., Petrus de Ledeſma de matrim. q. 55. art. 6. circa tertium ſtatum affinitatis dub. 4. in ſolut. ad primum, Hurtadus de matrimon. diſp. 10. difficult. 8. n. 31.*, Sed contra primo, quia, vt etiam affirmat *Sanchez d. lib. 9. diſp. 29. n. 2.* (quamuis in hac tertia parte aſſertionis quoad redditionem intra illud bimeſtre nobis aduerſetur) coniux ille ſic effectus affinis, non tenetur ingredi Religionem ad effectum, vt non congrediatur cũ ſuo coniuge, cui per illum inceſtuoſam copulam factus eſt affinis; quo ſuppoſito aduerſus hanc aduerſariorum inſtantiam ego ſic arguo; illud bimeſtre conceditur ex priuilegio diuino ad effectum deliberandi de perfectiori ſtatu Religionis, quod priuilegium non eſt coarctatiuum, ſed merè facultatiuum, ergo, cum non teneatur ingredi Religionem, poterit immediatè deliberare de non ingreſſu, & ſic immediatè cedere illi priuilegio, ergo facta illa deliberatione non erit, cur non poſſit, & non teneatur reddere, quia ceſſante cauſa, ob quam conceditur illud tempus, non eſt, cur vigere non debeat onus, quod eſt annexum matrimonio nempè reddendi debitum. Deindè, ſi abſolutè non tenetur ingredi Religionem ex eo, quod contraxerit illam affinitatē, ergo non ſolum poſt elapſum bimeſtre poteſt decernere nolle ingredi, ſed etiam intra illud bimeſtre, & ſi eodem elapſo, & non facta deliberatione de ingreſſu, non peccat reddendo, non video cur facta deliberatione de non ingreſſu intra illud, & ratione eiuſdem deliberationis conſtituto altero in pleno iure petendi non eximatur à peccato, ſi reddat.

Occurritur aduerſantium ſubterfugio.

Contra ſecundo; Poſito, quod intra illud bimeſtre, vel immediatè à contracto matrimonio decreuerit non ingredi Religionem, ſed permanere in coniugio, non poteſt ipſe coniux factus alteri affinis dici ſimpliciter liber ad reddendum debitũ, quandoquidem conſtito innocenti de deliberatione non ingrediendi, negatio redditionis ad petitionem innocētis eſſet occaſio diſplicentiæ, & diſcordiarum, cur pax non conſeruaretur, & mutuus amor non foueretur inter coniuges, quæ omnia ſufficientem cauſam præbere ad reddendum, & cohoneſtandam illam redditionem aſſeuerant *Rebellus de oblig. iuſt. part. 2. lib. 3. q. 17. nu. 8., Abulenſis in Num. c. 30. n. 81., Henriquez lib. 11. c. 15. nu. 8. lit. G. in comment., Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrim. c. 1. n. 276.*, nec incongrua ratione hoc decernitur, quandoquidem prohibitio non reddendi prouenit dumtaxat à iure humano; ius autem humanum non obligat cum tanto detrimento, ſeu periculo boni pacis, & diſpendio diſcordiarum.

Magis cõtra aduerſarios roboratur noſtrum aſſertum.

Contra tertio, quia illa affinitas obligat quidem ad abſtinendum à ſpontaneo actu coniugali, non autem ad non renuntiandum priuilegio iuris eximentis ab obligatione erga alterum ex matrimoniali contractu proueniente cum talis priuilegij renuntiatio non comprehendatur ſub obiecto voti caſtitatis, aut impedimenti affinitatis, qua poſita etiam ex neceſſitate non ſequitur vſus coniugij, quia poteſt alter ſe abſtinere à petitione debiti, vndè ſic renuntians non intendit primo, & directè concubitum coniugis, à quo impeditur ratione affinitatis, ſed pacificam, & amicabilem coniugis ſocietatem, quod eſt vnum ex tribus, quæ maximè Deo placent, & probata ſunt coram hominibus *Eccleſiaſt. 25.*, licet per accidens, & ſecundario copula ſequatur.

Magis etiã euincitur idē aſſertum.

Contra quarto, quia ex dictis *tom. VI. ſub tit. contractus XV. de matrim. II. diſq. 1. §. 6. n. 2.*, vxor obſtricta ſimplici voto caſtitatis poteſt marito adultero remittere iniuriam, & gratiam reconciliationis cōcedere, qua poſita eidem marito petenti, tenetur reddere, ergo etiam obſtrictus poſt contractum matrimonium vinculo affinitatis poterit renuntiare priuilegio bimeſtris ſibi conceſſi ad non vtendum coniugio, quo poſito tenebitur alteri petenti reddere. Conſequentia probatur, quia tota ratio, ob quam aduerſarij adſtruunt, quod intra illud bimeſtre coniux factus affinis alteri coniugi, non poſſit reddere, ea eſt, quia ratione affinitatis, tenetur quantũ eſt ex ſe abſtinere ab vſu

coniu-

Digitized by Google

coniugij, & in tantum eximitur à culpa reddendo, in quantũ ad talem redditionẽ obligatur, non obligatur autem pro illo bimeſtri, quandoquidem omni iure ab illo onere eximitur; ſed hoc idem contingit in obſtricto voto caſtitatis, qui, quantum eſt ex ſe, tenetur abſtinere a coniugio, & ſolum eximitur à culpa reddendo, quando ad talem redditionem obligatur, & tamen non obſtante, quod quando alter eſt adulter, eximatur ab onere reddendi, poteſt remittere adulterium, & gratiam reconciliationis concedere, qua poſita teneatur reddere, ergo etiam obſtrictus vinculo affinitatis quantumuis pro primo bimeſtri ante conſummationem non teneatur reddere, poterit tamen renuntiare tali priuilegio, & in ordine ad mutuum amorem, & concordiam conſeruandam poſita tali renuntiatione reddere.

Ex eo autem, quod dixerimus, quod potiſſimum in ordine ad bonum pacis, & mutui amoris poſſit coniux factus affinis renuntiare priuilegio illius bimeſtris, & alteri petenti reddere, oritur hic difficultas, an ea, quæ dicta ſunt, æquè verificentur, ſiuè fuerit maritus, qui factus fuit affinis ex illa copula inceſtuoſa; ſiuè fuerit vxor. Ratio dubitandi ex eo conſurgit, quod, quando vxor facta fuit affinis denegando debitum marito innocenti petenti maiores excitaret diſcordias, cum maritus, vt potè potentior facilius excitetur; quando vero maritus factus eſt affinis denegando intra illud bimeſtre debitum non tot excitaret diffidia, cum fæminæ ſint mitiores, & paccationis naturæ, & timidiores, atq; ideo *Abulenſis c. 30. in Numer. q. 81.*, proptèr hanc rationem admittit, quod, quando vxor

25 Eodem modo diſcurrendũ eſt de vxore, ac de marito facto affini.

facta eſt affinis, teneatur marito petenti reddere, non autem, quando maritus factus eſt talis, teneatur vxori reddere. Nihilominus probabilius arbitror prædicta verificari, ſiue fuerit vxor facta affinis, ſiue maritus. Ratio eſt, quia quantumuis maritus ſit aptior ad iram, & promptior ad diffidia, denegari tamen non poteſt, quin ex illa denegatione debiti facta à marito affini vxor innocenti eadem vxor habeat cauſam non fouendi mutuum amorem, nutriendi cõcordiam, quin potius animum ab eodem marito auertendi, cum in ordine ad actus coniugij æquale ius habeat, ac habeat maritus, & quandoque fæminæ maiorem iram, & indignationem concipiant.

Aſſertio V. Si affinitas per alterum ex coniugibus fuerit per vim contracta, puta, ſi vxor à viri conſanguineo fuerit per vim oppreſſa minimè inducit in eadem vxore priuationem iuris exigendi debitum.

26 Si vxor per vim fuerit oppreſſa à conſanguineo mariti, nõ priuatur iure petendi debitum.

Hoſtienſis c. 1. de eo, qui cogn. conſang. nu. 2. in fine in verb. filiaſtram, Riccard. in 4. diſt. 35. art. 2. q. 4., Aſtenſis in ſumma 2. part. lib. 8. tit. 11. art. 3. q. 15., Sotus in 4. diſt. 37. q. vnica art. 2. vers. debet autem, Henriquez lib. 12. de matrimon. c. 2. nu. 2., Petrus de Ledeſma de matrim. q. 55 art. 6. diffic. 5. concl. 1., Sanchez d. lib. 9. diſp. 31. nu. 1., qui omnes præcitatos, & alios allegat.

Ratio ex eo deſumitur, quod habetur *in c. ſi vir de cognat. ſpirituali*, vbi dicitur, quod ſi coniuges ex ignorantia affinitatem contraxerint, non ſint ſeparandi, nec alter alteri debitum debeat ſubtrahere, eos ignorantia excuſante, ergo, ſi contraxerint per vim, quatenus per vim vxor fuerit oppreſſa, non erit priuanda iure exigendi debitum.

Rationes, & iura pro aſſerto.

Conſequentia probatur, quia nõ minus excuſat à culpa ignorantia, ac vis illata. Secundo *ex c. diſcretionem de eo, qui cogn. conſang.*, vbi ſic legitur, *Sed nec affinitas, quæ poſt contractum legitimè matrimonium inter virum, & vxorem contrahitur ei (ſcilicet coniugi, qui non commiſit inceſtum) debet officere, quia huiuſmodi iniquitatis particeps non exiſtit, cum ſuo iure non debeat ſine culpa priuari*, vbi conſidera rationem deciſionis, quia ſcilicet *iniquitatis particeps minimè fuit*, ergo, cum etiam vxor facta affinis, ſeu per vim cognita non ſit rea culpæ, ſeu noxia iniquitatis, vtique non erit priuanda. Tertio, quia ex ſuperius dictis illa priuatio inducta fuit tanquam pæna delicti, ergo, vbi non fuerit delictum, nec poterit eſſe illa pæna.

27 Qui ob metũ grauem contraxit affinitatẽ, priuatur iure petendi.

Aſſertio VI. Probabilius eſt coniugẽ, qui ex metu cadente in conſtantem virum carnalitèr commixtus eſt cum conſanguineo alterius coniugis, priuari iure exigendi debitum, *Sanchez d. lib. 9. diſp. 31. num. 4.*, contra *Nauarrum in ſumma c. 27. n. 63., Pedrazzam in ſumma præcept. 7. §. 26.* qui tamen non loquuntur in his, ſed in ſimilibus terminis.

Rationem ex eo deſumo, quia talis carnalis commixtio quantumuis per metum facta eſt peccaminoſa læthalitèr, quia metus non demit voluntarietatem ad peccatum læthale requiſitam, & in ijs, quæ ſunt ab intrinſeco mala, debet potius vitam exponere, quam fædari, ergo per illam contrahitur pæna priuationis iuris exigendi debitum; Neq; dicas, quod, quantumuis ſit voluntarietas ſufficiens ad contrahendam culpam, non ſit tamen talis vt ſufficiat ad contrahendam pænam, quandoquidem, cum pæna illa ſit inducta prçcisè per ius Eccleſiaſticum, non eſt præſumendum, quod pia mater volue-

Digitized by Google

voluerit ad hanc pœnam compellere delinquentem per metum illum cadentem in conſtantem virum coactum; contra enim impugnaberis, quia in ijs, quæ aduerſantur iuri diuino, & quodamodo naturali etiam ex diſpoſitione Eccleſiæ metus non excuſat à pœna, vbi fuerit culpa, ſed ad ſummum à grauiori pœna, quod à parte colligitur *ex c. ſacris de his, quæ vi*, vbi ſic legitur. *Licet metus attenuet culpam, quia tamen eam prorſus non excludit, cum pro nullo metu debeat quis mortale crimen incurrere, excommunicationis labe credimus inquinari*. Hoc etiam clare liquet ex textu *in c. coactus 22. q. 5.*, vbi non obſtante metu grauiſſima pęna inuritur periuranti addita ratione, quia plus corpus, quam animam dilexit, quatenus ad effugiendã mortem corporalem ſubijt peccando, ſeu peierando ſpiritualem.

28 *Intellige, ſiue ille metus proceſſerit ab altero coniuge, ſiue ab ipſius conſanguineo.*

Hic ſolum remanet difficultas examinanda, an ſcilicet ea, quæ dicta ſunt in hac aſſertione, ſint præciſè intelligenda, quando metus ille fuit incuſſus ab altero coniuge compellente quodamodo ad copiam ſui faciendam conſanguineo ipſius, an vero etiam, quando talis metus fuit incuſſus ab alio ab ipſo coniuge, puta ab ipſo conſanguineo congrediente, vel altero. Arbitror procedere, ſiue metus ille procedat ab altero coniuge, ſiue ab ipſo conſanguineo congrediente per illum metum. Ratio eſt, quia à quocunque proueniat, ſemper ille congreſſus eſt grauitèr peccaminoſus nullo modo metu à nota grauis peccati excuſante. Verum tamen eſt, quod in hypotheſi, qua metus ille eſſet à marito incuſſus, nedum ipſa vxor priuaretur iure petendi, ſed etiam maritus illum metum incutiens, cum & ipſe conſtitueretur particeps illius iniquitatis, prout expreſsè colligetur *ex c. diſcretionem de eo, qui cog. conſang.*

29 *Ad incurrendam hanc priuationem, nõ requiritur Iudicis ſententia.*

Aſſertio VII. Secluſa etiam quacunq; Iudicis ſententia coniux inceſtuoſus cum conſanguineo, vel conſanguinea alterius priuatur iure petendi debitum *Villalobos part. pr. tract. 13. diffic. 52. n. 2., et tract. 2. diffic. 25. n. 2., Caſtrus Palaus part. 1. tract. 3. diſp. 2. punct. 2. n. 9., Bonacina de matrim. q. 3. punct. 2. n. 22., Leandrus Diſcalceatus de ſacrament. tom. 2. tract. 9. diſp. 25. q. 63., Sanchez de matrim. lib. 9. diſp. 30. n. 2., Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrim. c. 5. n. 26.*

Ratio ex eo deducitur, quia, ſi ad incurrendam hanc pęnam requireretur Iudicis ſententia, fere nunquam talis pœna incurreretur, cum vt plurimum delictũ, ob quod incurritur, ſit occultum, & non niſi difficultèr reducibile ad forum externum, ergo, ne fruſtraneè intelligatur talis pœna impoſita, intelligenda eſt impoſita, vt incurratur abſque aliqua Iudicis declaratione, argum. eorum, quæ docent *Suarez de legibus lib. 5. c. 8. n. 9., & c. 9. n. 6., Villalobos part. 1. tract. 2. difficult. 25. n. 5., Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrimon. c. 5. num. 26. in fin.*

Omnia, quæ dicta ſunt ſub hoc titulo de priuatione iuris exigendi debitum reſpectu coniugis inceſtuoſi cum conſanguineo, vel conſanguinea alterius coniugis, intelligenda ſunt, niſi eadem affinitate contracta poſtea interceſſerit ſuper eadem affinitate diſpenſatio ab habente legitimam poteſtatem diſpenſandi; hac etenim poſita liberum eſt coniugi, qui contraxerat talem affinitatem, petere. Quod, ſi inquiras; quiſnam poſſit ſuper tali affinitate contracta poſt matrimonium diſpenſare ad effectum, vt poſſit peti debitum, tunc dicam poſſe ex conſuetudine, & praxi legitimè præſcripta diſpẽſare Epiſcopũ, prout tradidi *tot. VI. ſub tit. Contractus XV. de matrimon. 3. prænot. 11. nu. 27.* Item confeſſarios Regulares ex commiſſione ſuorum Prouincialium per conceſſionem *Iulij II. Ordini S. Benedicti*, vt habetur *in compendio priuilegiorum Societatis Ieſu tit. Diſpenſatio §. 3.*, & per conceſſionem *Pij V. Ordini Prædicatorum*, vt habetur *in compend. minorum tit. Diſpenſatio poſt adnotationem Capucini*. Vide quæ docuimus *eod. tom. VI. loc. cit. prænot. 12. n. 32.* Hæc autem diſpenſatio poteſt ad eundem effectum peti, & obtineri validè abſque alterius coniugis innocentis conſenſu, quinimmo eodem inuito, & reluctante; non enim talis pœna, ſeu priuatio inducta eſt in fauorem innocentis, ſed dumtaxat in pęnam delinquentis *Ioãnes Angelus Boſſius tract. de effect. matrim. c. 1. n. 251., & c. 5. n. 11.* Quod ſi vterque coniux ſimilem affinitatem ex ſimili delicto contraxerit, tunc etiam dicendum eſt poſſe Epiſcopum, & Regulares eodem modo cum vtroque diſpenſare, prout docuimus *d. tom. VI. ſub tit. Contractus XV. de matrimon. 3. prænot. 11. n. 29.*

30 *Super illa affinitate poteſt Epiſcopus ex conſuetudine diſpenſare.*

31 *Item confeſſarij Regulares ex commiſſione ſuorum Prælatorum.*

SECTIO IX.

An ratione voti Religionis, ordinum ſuſcipiendorum, caſtitatis emiſſi ab altero, vel ab vtroque coniuge excuſentur ab onere reddendi debitum.

SVMMARIVM.

Obſtrictus voto ſimplici caſtitatis, vel Religionis, vel ſacrorum Ordinum, ſi nubat ſine diſpenſatione, grauitèr peccat. 1.

Etiam ſi illud votum non ſit abſolutum, ſed con-

conditionale, & relatum in tempus futurum. 2.

Periculum infirmitatis poſt votum, ſi non nubat, præbet ſufficientem cauſam diſpenſationis. 3.

Non tamen tribuit ius vouenti ex ſe contrahendi matrimonium. 4.

Sententia aſſerens obſtrictum voto non peccare, ſi contrahat ad ſedandos ſtimulos carnis. 5.

Sententia contraria præfertur, niſi obtineatur diſpenſatio. 6.

Soluuntur rationes oppoſitæ ſententiæ. 7.

Non ſolum obſtrictus voto caſtitatis peccat contrahendo, ſed etiam non obſtrictus contrahens ſcienter cum obſtricto. 8.

Etiam ſi non obſtrictus præueniat. 9.

Votum caſtitatis emiſſum ante matrimonium impedit reſpectu vouentis petitionem debiti, non redditionem alteri petenti. 10.

Reijcitur opinio volentium per matrimonium votum præcedens diſſolui. 11.

Reijcitur opinio aſſerentium, ſemel conſummato matrimonio obſtrictum tali voto poſſe liberè petere. 12.

Non obſtrictus voto caſtitatis, qui ſcientèr contraxit cum oſtricto, poteſt petere. 13.

Infidelis, qui poſt votum caſtitatis nupſit, non poteſt petere debitum. 14.

Qui vouit virginitatem intendens ſe obligare ad abſtinendum ab omni actu venereo pro quocunque tempore nunquam poteſt petere, ſi vero intenderit abſtinere ſolummodo à defloratione, hac ſemel poſita, poteſt petere; in dubio, de qua abſtinentia intenderit, probabilius non poteſt petere. 15.

Si vterque fuerit obſtrictus voto caſtitatis, neuter poteſt petere, vterque tamen tenetur reddere. 16.

Vtroque obſtricto voto caſtitatis, ſi alter nouerit, alterum eſſe in manifeſto periculo incontinentiæ, & non petere propter votum, poteſt licitè petere, non obſtante &c. 17.

Obſtrictus voto caſtitatis, ſi non expreſſè, tacitè petat per aliqua ſigna grauitèr peccat. 18.

Votum Religionis emiſſum ante contractum impedit conſummationem primam, tàm petendo, quàm reddendo, non impedit tamen vſum, poſtquam prima vice fuerit conſummatum. 19.

Suppoſita prima conſummatione matrimonij adhuc votum illud Religionis non diſſoluitur. 20.

Obſtrictus voto Religionis, qui contraxit matrimonium, non tenetur adhuc ingredi Religionem, quantumuis alter, cum quo contraxit, fornicatus fuerit. 21.

Qui poſt votum ſacrorum ordinum contraxit, peccauit contrahendo, non tamen poſt contractum vtendo. 22.

Etiam prima vice conſummando. 23.

Votum abſtinendi à nuptijs impedit contractum, non tamen vſum poſt contractum. 24.

Excipe, niſi etiam intenderit abſtinere ab vſu coniugij. 25.

Quid ſentiendum ſit, vbi non conſtet de intentione. 26.

Votum ſimplex Religionis ſine facultate alterius emiſſum poſt contractum impedit conſummationem eiuſdem, non tamen vlteriorem congreſſum. 27.

Votum caſtitatis ſine licentia alterius poſt contractum obligat in præiuditium vouentis. 28.

Emiſſum cum animo ingrediendi Religionem, obligat omnino ad caſtitatem. 29.

Emiſſum poſt conſummatum matrimonium validum eſt, & obligat ad non petendum, non autem eximit à reddendo. 30.

Votum non petendi debitum poſt conſummatum matrimonium tenet, ſiue vouens fuerit maritus, ſiue vxor. 31.

Votum ſimplex Religionis obligat adhuc matrimonio non conſummato, eodem conſummato obligat pro tempore habili. 32.

Quid dicendum ſit de voto ſuſcipiendi ſacros Ordines. 33.

Votum caſtitatis conſummato matrimonio de licentia alterius emiſſum impedit reſpectu vouentis petitionem, & reſpectu alterius redditionem. 34.

Concedens facultatem vouendi priuatur iure petendi. 35.

Si vterque mutuo conſenſu vouit caſtitatem neuter poteſt petere, & neuter reddere. 36.

Votum mutuo conſenſu emiſſum nullam noxam inuoluit. 37.

Poteſt tamen ex circunſtantia interuenire aliqua noxa. 38.

Coniuges mutuo conſenſu elicientes tale votum, & ius poſtea remittentes conſtituuntur rei voti violati, remiſſio tamen tenet quoad onus reddendi. 39.

Mutuum pactum non petendi, nec reddendi tenet, poteſt tamen remitti. 40.

Si alter remittat, altero renuente, non remittens non tenetur reddere debitum. 41.

Si pactum fuerit iuramento firmatum, & fuerit ſolum in fauorem vtriuſque, poteſt adhuc remitti. 42.

HVIuſmodi votum, ſiue fuerit caſtitatis, ſiue Religionis, ſiue ordinum ſuſcipiendorum, ſiue non ineundi matrimonij, poteſt, vel eſſe emiſſum ante matrimonium, vel ſubſequentèr ad ipſum. Rurſus, ſiue antecedentèr, ſiue ſubſequentèr fuerit emiſſum, vel eſt emiſſum ab vtroque, vel ab altero tantum, ſi ſubſequentèr ab vtroque, vel fuit emiſſum ex mutuo vtriuſque conſenſu, vel ab vtro-

Varij modi, quibus votum poteſt eſſe emiſſum.

Digitized by Google

vtroque ex propriæ voluntatis arbitrio, non tamen accedente mutuo conſenſu. Difficultates omnes tàm circa has diſtinctiones, quam circa alia ad hanc materiam pertinentia ſub hoc vno, eodemq; titulo perſtringemus.

Aſſertio I. Adſtrictus voto ſimplici caſtitatis, aut religionis, aut ſuſcipiendi

1 ſacros ordines, aut nunquam nubendi, ſi contrahat matrimonium abſolutè, nō obtenta ſuper tali voto diſpenſatione peccat mortalitèr *Nauarrus in man. c. 12. n. 16., Sanchez lib. 7. de matrim. diſp. 11. n. 4., & ſeqq., Gutierez de matrim. c. 85. n. 1., Rebellus de oblig. iuſt. part. 2. lib. 3. q. 17. ſect. 1., Egidius Trullench. in Decal. tom. 1. lib. 2. c. 2. dub. 25. n. 2., Bonacina de matrimon. q. 3. p. 14. n. 7., Leſſius de iuſt. lib. 4. c. 41. dub. 6., Hurtadus de matrimon. diſp. 25. nu. 4., Raphael Auerſa de matrim. q. 10. ſect. 4., Martinus Perez de matrimon. diſp. 23. ſect. 4.*, & alij communitèr.

Obſtrictus voto, & nubens, grauitèr peccat.

Non difficilis probatio præſentis aſſertionis, quandoquidem contractus ille matrimonialis aduerſatur voto, ſeu promiſſioni factæ Deo, quomodocunq; illud votum ſumatur, ſiue de Religione ſuſcipienda, ſiue de caſtitate ſeruanda, ſiue de ſacris ordinibus, ſiue de vitando matrimonio, ergo inuoluit grauem noxam, ſi contra huiuſmodi vota iniretur. Antecedens ex ſe videtur manifeſtum, nam, ſi loquamur in ordine ad Religionem quis non videt, quod matrimonium repugnet ſtatui eiuſdem, & adimplemento votorum, quæ ſunt de eſſentia eiuſdem? Si loquamur de voto caſtitatis, quis dubitet matrimonium ipſum, & vſum eiuſdem eidem obſiſtere? Si de ſuſceptione ſacrorum ordinum, quis ignorat ex eccleſiaſtica diſpoſitione hanc non compati cum contractu matrimoniali? Si tandem de non nubendo, quis non videt nuptias ipſas eidem directè, & immediatè opponi?

Rationes pro aſſerto.

Difficultas aliqua ſolummodo poteſt

2 eſſe primo, an contractus matrimonialis inuoluat culpam læthalem contra votum, quando votum illud non eſt abſolutum, ſed conditionale, & relatum in tempus futurum? Procedit in ſuppoſitione, qua votum illud non ſit conditionale ea conditione, vt ratione turpitudinis, vel alicuius alterius rationis non habeatur pro non adiecta. Reſpondeo probabilius eſſe, quod adhuc inuoluat grauem noxam, & læthalem *Abulenſis c. 30. Numerorum q. vlt., Sanchez de matrim. lib. 7. diſp. 11. n. 7., Gutierez de matrim. c. 85. n. 3., Baſilius Pontius de matrim. lib. 6. c. 12. n. 11., Reginaldus lib. 31. n. 285., Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrim. c. 3. num. 7.*, qui omnes præfatos, & alios allegat. Ratio eſt, quia quantumuis ſic conditionalitèr, & relatiuè ad tempus vouens, non teneatur votum adimplere, niſi purificata conditione, & adueniente tempore, pro quo vouit, tenetur tamen non ponere impedimentum, vi cuius adueniente conditione, vel tempore nequeat adimplere, ſed contrahendo matrimonium poneret impedimentum, ratione cuius non poſſet votum adimplere, ergo &c.

Cōtractus etiam inuoluit grauem culpam, quā tumuis illud votū non ſit abſolutum, ſed conditionale, & relatum in tempus futurum.

Difficultas eſſe poteſt ſecundo, an eximatur à tali culpa læthali, ſi poſt huiuſ- 3
modi vota contrahat matrimonium ex eo, quod iuditio Medicorum ſubſit periculo grauis infirmitatis corporalis, ſi non nubat, vel nuptiæ reputentur valdè vtiles, & proficuæ ad ſalutem in infirmitate iam contracta recuperādam D. Thomas *ſecunda ſecundæ q. 88. art. 11. ad tertium, D. Antoninus 2. part. tit. 11. c. 2. §. 7. ad finem, Metina lib. 4. de ſacrorum hom. continent. controu. 4. c. 20.* videntur ſentire non eximi à tali culpa, dum ſtatuunt hoc non eſſe ſufficientem cauſam ad diſpenſandum; quod tamen *cum Soto lib. 7. de iuſtitia q. 4. art. 2. in ſolut. ad tertium, Sanchez lib. 8. diſp. 20. n. 26.*, non ita firmum crediderim, quin cōtrarium quoad cauſam diſpenſationis iudicauerim, ea motus ratione, quod, cum ex ſuperuenienti cauſa obſeruantia illius voti facta ſit ardua, vtpotè coniuncta cum periculo grauis infirmitatis corporalis, vel cum impotentia morali ad ſalutem recuperādam, non eſt præſumendum, quod Deus præſtabilis ſuper miſericordia velit, ne Eccleſia pia mater ſua benignitate vtens in hac materia valeat diſpenſare; nec obeſſe poteſt, quod huic malo, ſeu periculo eiuſdem poſſit alijs remedijs, ſeu potionibus ſubueniri; non, inquam, obeſſe poteſt, quia ex quo ex iudicio Medicorū certius eſt coitum ſecurius, aptius, & præſentanius profuturum, quam cætera remedia, quæ non ita certam, nec præſentaneam ſalutem ſunt allatura, non videtur, cur Eccleſia ex pia interpretata Chriſti Domini mente per diſpenſationem non poſſit indulgere, vt laborans tali periculo, ſeu morbo actuali poſſit matrimonio ſibi conſulere. Sed, quamuis hoc poſſit eſſe ſufficiens cauſa diſpenſationis; ſentio tamen tali voto obſtrictum non obtenta prius diſpenſatione ob ta- 4
lem cauſam non poſſe ex ſe matrimonium contrahere. *Sanchez in ſumma lib. 4. c. 21. n. 3., Egidius Trullench. in decal. tom. 1. lib. 2. c. 2. dub. 25. n. 2., Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrim. c. 3. nu. 8.* Rationem ex eo deſumo, quia tale votum, cum fuerit

Si poſt votum ſubſit quis periculo infirmitatis, ſi nō nubat, adeſt ſufficiens cauſa diſpenſationis.

Nō tamen tribuit ius vouenti ex ſe contrahendi matrimonium.

rit

rit deliberatè elicitum, ex ſua origine plenam vim aſſecutum eſt ad obligandum pro omni tempore ad ſui obſeruantiam, nec fruſtratur ex ſuperuenienti difficultate, vel ex eo, quod ipſius non executio ſit profutura in ordine ad ſanitatem corporalem tuendam, vel recuperandam, ergo in ordine ad eandem non poterit matrimonium contrahere ex ſe, non obtenta prius diſpenſatione. Antecedens probatur, quia votum illud ſupponitur perpetuum cum plena deliberatione elicitum, adeoq; acceptatum à Deo, & cum non intelligatur ſub aliqua conditione reſtrictiua conceptum, intelligitur abſolutè obligare. Confirmatur ex doctrina *D. Thomæ ſecunda ſecundæ q.* 88. *art.* 11. *ad tertium*, argumento deducto à voto continentiæ quoad cibum in ordine ad votum caſtitatis quoad matrimonium à cõtrario ſenſu; aſſerit enim, quod, cum cibus directè ordinetur ad indiuidui conſeruationem, abſtinentia eidem contraria, quatenus vergit in notabile ſalutis corporalis detrimentum, non poſſit eſſe actus virtutis, & propterea in eo euentu votum eiuſdem non poſſit obligare; matrimonium autem ſuaptè natura ad ſolius ſpeciei conſeruationem ordinatur, & valdè per accidens continentia vergit in indiuidui periculum, & ſic votum continentiæ etiam cum indiuidui periculo eſt actus virtutis, & propterea votum illius etiam in illo obligat.

5 Obſtrictus voto caſtitatis, an, ſi contrahat ad ſedandos vehementes ſtimulos carnis peccet.

Difficultas poteſt eſſe tertio, an eximatur à culpa lethali, ſi obſtrictus huiuſmodi votis matrimonium contrahat ad effectum euitandi vehementes ſtimulos carnis, quibus angitur, adeo vt ſubſit periculo incontinentiæ? Prima ſententia docet vtique ſic obſtrictos eximi ab illa culpa, ſi ad vitandos vehementes carnis ſtimulos, quibus vrgentur, & premuntur, matrimonium contrahunt *Laiman. Theol. moral. lib.* 5. *tract.* 10. *p.* 3. *c.* 1. *num.* 12., *Homobonus vol.* 1. *conſult. moral. p.* 2. *reſp.* 28., *Bonacina de præcept. Decal. diſp.* 4. *q.* 2. *punct.* 1. *n.* 28., *Leandrus Diſcalceatus de Sacram. tom.* 2. *tract.* 9. *diſp.* 23. *q.* 2., *&* 3.

Sententia negatiua cum ſuis rationibus.

Pluribus rationibus ad hoc mouetur, primo, quia in hac hypotheſi votum illud non eſt de meliori bono, quod requiritur ad ſubſtantiam voti, vt obliget, quandoquidem teſte Apoſtolo in illa circunſtantia, ſeu concurrentibus illis ſtimulis melius eſt nubere, quam vri, & hoc argumentum potiſſimum videtur vim habere, quando illa ſtimulorum agitatio præceſſit ipſum votum, quamuis poſſit etiam extendi, quando illa agitatio ſubſecuta eſt ad idem votum, quandoquidem vouens præſumitur vouiſſe ſub implicita conditione, niſi materia ex ſuperuenientibus cauſis reddatur nimis ardua, & moralitèr impoſſibilis obſeruatu, & expoſita periculo grauium peccatorum, nam ſi prçcedentèr hanc difficultatem in obſeruatione, & periculum incontinentiæ cognouiſſet, probabilius non vouiſſet; ſecundo, quia, ſi quis exiſtens in illo periculo incontinentiæ, ratione ſtimulorum carnis vehementèr excitantium ad libidinem, voueret matrimonium ad ſedandam illam carnis agitationem, votum illud teneret, ergo, quia in illo concurſu periculi incontinentiæ ob illos vehementes ſtimulos cum amore caſtitatis nuptiæ ipſæ ſunt quid melius, adeoque in illa hypotheſi votum caſtitatis non eſſet de meliori bono. Secunda ſententia, quam *Sanchez d. lib.* 7. *de matrim. diſp.* 11. *n.* 9. appellat certiſſimam, docet non poſſe ſic obſtrictos voto caſtitatis abſq; diſpenſatione licitè contrahere non obſtantibus illis carnis ſtimulis, & periculo illo incontinentiæ, Idem *Sanchez loc. cit.*, *& lib.* 4. *ſummæ c.* 8. *nu.* 10., *Gutierez de matrimon. c.* 85. *nu.* 4., *Coninchus de ſacrament. diſp.* 30. *n.* 28., *Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrim. c.* 3. *n.* 10. apud quem alios inuenies huius ſententiæ patronos; atque huic opinioni adhærendum cenſeo; primo, proptèr communem praxim, & conſuetudinem communitèr receptam in Eccleſia, ſecundum quam, qui huiuſmodi votis obſtringuntur, dum ſtimulis carnis agitantur, ita vt timeant de incontinentia, ſolent ad Romanam ſedem recurrere pro diſpenſatione, quod foret ſuperfluum, ſi votum pro illis circunſtantijs, & in illo periculo non teneret. Secundo, quia data contraria opinione, ſi non eſſet recurrendum ad iuditium Eccleſiæ pro diſpenſatione, nimis facilis aditus aperiretur violationi huiuſmodi votorum, cũ facilè vnuſquiſque ex deprauata propria cupiditate, & vehementi ad libidinem propenſione proptèr naturam corruptam deciperetur falsò ſibi ſuadens impoſſibilitatem continentiæ; vndè merito ſubdit *Sanchez d. lib.* 7. *de matrimon. diſp.* 11. *n.* 9., quod, cum votum caſtitatis ſit res grauiſſima, & Deo perquam grata, & proindè magnum in violatione periculũ ſubſit, propterea cum ſit abſolutè emiſſum, non ſit relaxandum quoad obſeruantiam ex præciſo vouentis iudicio, ſed relinquendum iuditio Eccleſiæ, vt ſuperiori auctoritate diſpenſetur. Tertio, quia, cum cælibatus, & continentia ſit bonum maximæ excellentiæ, & dignitatis, quodque regularitèr expetitur etiam præuiſis maximis difficultatibus in obſeruantia futuris, non videtur eiuſ-

6 Sententia affirmatiua præfertur, niſi obtineatur diſpẽſatio.

Rationes pro hac ſecunda opinione.

Digitized by Google

eiuſdem votum abſolutè emiſſum ex nimis etiam difficultatibus relaxandum, niſi auctoritas ſuperioris intercedat, potiſſimum, cum diuinæ gratię auxilio ieiunijs, alijſque carnis macerationibus poſſint difficultates illæ ſuperari.

Hinc ad rationes, quæ pro contraria ſententia afferebantur, nunc reſpondendum remanet. Ad primam dic, quod, quantumuis antecedentèr ad votum verum ſit, quod melius ſit nubere, quam vri, nihilominus voto ipſo emiſſo abſolutè, quod eſſe non potuit, niſi cum ſpe perfectæ obſeruantiæ illius non obſtantibus difficultatibus, quæ indè poſſent
7 Soluuntur rationes oppoſitæ ſententiæ. ſuperuenire ex ſperata potiſſimum vberiori Dei gratia, ob illam promiſſionem factam Deo, non videtur eſſe melius votum non obſeruare, & nubere, quam non nubere, & obſeruare votum, præcipuè cum illa violatio voti ſine diſpenſatione cederet quodamodo in damnum totius, quod vt clarius intelligas, placet hic inſerere doctrinam *Sanchez d. diſp. 11. nu. 9.*, qui conſiderat huiuſmodi perſonam obſtrictam altero ex prædictis votis, vel quatenus priuata perſona eſt, vel quatenus eſt pars communitatis Eccleſiæ; hinc aſſerit, quod quantumuis tali determinatæ perſonæ fortè ſit melior, & ſalubrior ſtatus matrimonialis in illis circunſtantijs; non tamen ſit melior eidem conſideratæ, quatenus eſt pars communitatis Eccleſiæ, in ordine ad quam certiſſimum eſt ſtatum continentiæ omnibus penſatis eſſe meliorem, cum cæteroqui plurima ſcandala, & mala Eccleſiæ prouenirent, ſi propria auctoritate poſſet quiſque ex illis circunſtantijs votum tranſgredi. Hoc exemplificat in Religioſis, qui ex proprio inſtituto, & fortè etiam voto tenentur à carnibus abſtinere; quamuis etenim aliquis ex prædictis Religioſis graui morbo laboraret, adeo vt iuditio Medicorum ſalus deſperetur, niſi illis veſcatur, poteſt tamen ab illis abſolutè abſtinere, quamuis cæteroqui, ſi eſſet perſona priuata, & non eſſet membrum illius Religionis, teneretur non abſtinere; & hoc non niſi, quia omnibus penſatis cedat in melius eiuſdem Religionis bonum, quod illis cibis abſtineat. Ad ſecundam fateor, quod votum illud in illis circunſtantijs ſtimulorum carnis, & periculi incontinentiæ de matrimonio cōtrahendo emiſſum ad ſedandos illos motus, & periculum euitandum teneret, ſed, cum tunc non obſtaret votum præcedens continentiæ, votum illud matrimonij reſpiceret vouentem tanquam priuatam, & particularem perſonam, reſpectu cuius tunc eſt melius nubere, quam verſari in illo periculo incontinentiæ, adeoq; &c.

Aſſertio II. Non ſolum læthale peccatum eſt obſtrictum aliquo ex prædictis votis abſque diſpenſatione contrahere matrimonium, ſed etiam non obſtrictum huiuſmodi votis ſcientèr contrahere cum obſtricto eiſdem, & hoc, ſiue ipſe non obſtrictus induxerit obſtrictum ad contrahendum, ſiue rogatus ab eodem obſtricto contraxerit. Ita quoad primam partem, quando ſcilicet non obſtrictus induxit obſtrictum *Sanchez lib. 7. de matrimon. diſp. 11. num. 11.*, *Ioannes Angelus Boſſius tom. 3. var. mor. tit. 9. à n. 344. ad 348.*, *& tract. de effect. matrim. c. 3. nu. 12.* Quoad ſecundum idem *Sanchez*, *& Boſſius loc. cit.*, *Gutierez de matrimon. c. 85. n. 2.*, *Reginaldus lib. 31. n. 185.*, *Coninchus de ſacrament. diſp. 30. n. 35.*, *Trullench. in decal. tom. 1. lib. 2. c. 2. dub. 25. nu. 2.*, *Martinus Perez de matrim. diſp. 23. ſect. 4. nu. 11.*, *& ſeqq.*, qui à fortiori ſuſtinere tenentur primam partem, vt ex ſe patet.

8 Non ſolū obſtrictus voto caſtitatis, peccat contrahendo matrimonium, ſed etiam non obſtrictus cōtrahens ſcienter cum obſtricto.

Prima pars ex eo deducitur, quia qui nedum ſcienter, ſed etiam præueniens, & poſitiuè inducens contrahit matrimoniū cum obſtricto altero ex prædictis votis, qui nō niſi peccando grauitèr poteſt contrahere, poſitiuè cooperatur iſtius peccato, & ſit particeps illius, ergo grauitèr peccat; petit enim à ſic obſtricto actum, quem non poteſt licitè exercere. Confirmatur ex ijs, quæ docet *Ioannes Angelus Boſſius tom. 3. var. mor. tit. 9. à num. 344.*, nempè inuitantem aliquem ad cænam, quem nouit obligatum ad ieiunium, grauitèr peccare, ergo etiam &c.

9 Etiam ſi non obſtrictus præueniat

Secunda pars ex eo euincitur, quia, qui inuitatus ab altero obſtricto aliquo ex prædictis votis ad contrahendum ſecum matrimonium illud acceptat, & contrahit, vſurpat ſibi rem alteri obligatam, & quidem cum ſcientia talis obligationis, quamq; alter non poterat offerre, niſi cum iniuria eius, cui erat antecedenter obligatus, ergo grauitèr peccat contra ius alterius. Secundo, quia votum eſt ſpeciale impedimentum matrimonij, quatenus contractus eſt, qua ratione non poteſt, niſi inter duos conſiſtere, & vt talis, vt iuſtus, & licitus ſit, exigit, vt ex parte nullius adſit impedimentum, ergo exiſtente tali ſpeciali impedimento in altero alter non poterit, quantumuis inuitatus cum illo contrahere, quia contraueniret ſcientèr impedimento impedienti.

Inuitatus obſtrictus nō poteſt licitè acceptare.

Dices primo, plura licitè accipiuntur, quæ illicitè dantur; vt videre eſt in beneficiario, qui, ſi redditus beneficij propriæ congruæ ſuſtentationi ſuperfluos expenderit in vſus profanos, ſeu parentibus non

Inſtantia à paritate deducta, & diſſoluta.

non parentibus contulerit, vtique illicitè contulit, nec tamen à parentibus fuerunt iniuſtè accepti, ergo &c. Sed contra, quia, vel ipſe beneficiarius eſt Dominus reddituum beneficij, vt nos docuimus *tom. de reſtitut. ſub tit. de reſtitut. II. Diſq. I. §. 12. num. 7.*, vel eſt ſolummodo eorundem adminiſtrator, & diſtributor; ſi primum, tota iniquitas in illa diſpoſitione in vſus profanos ſe tenet ex parte ipſius, cum ipſe ſolum intelligatur prohibitus ſic conferre, nec poteſt referri in accipientem, cum prohibitio ad ipſum non referatur, & ex hoc patet diſcrimen, quod intercedit in illa collatione, & in contractu matrimoniali cum impedimento voti ex parte vnius; in primo etenim caſu prohibitio ſe tenet ex parte conferentis; in ſecundo autem ex parte quodamodo impedimenti, quod afficit vtrumq; cum prohibeatur abſolutè contractus cum illo impedimento ineundus; ſi ſecundum; non ſolum illicitè beneficiarius confert, ſed etiam iniuſtè alter recipit, cum recipiat à non Domino, & contra præſumptam voluntatem Domini.

Aliqua inſtantia propoſita & diſſoluta. Dices ſecundo, vſus matrimonij ſæpè acceptatur licitè, quamuis illicitè petatur, ergo etiam licitè poteſt acceptari matrimonium ipſum, quamuis illicitè offeratur ab obſtricto voto caſtitatis. Confirmari poteſt, quia non excommunicatus poteſt licitè acceptare matrimonium ſibi ab excommunicato illicitè oblatum ratione excommunicationis, qua afficitur, ergo etiam &c. Sed contra, quia conſtante iam matrimonio vſus ipſius eſt innocenti debitus, qui propterea non debet in ordine ad illum ex cauſa vouentis iure ſibi competenti priuari, & proindè poteſt acceptare illius vſum, quamuis illicitè oblatum; eodem autem adhuc non contracto contrahere non eſt ei debitum, quinimmò à iure prohibitum proptèr impedimentum voto ipſi annexum ex diſpoſitione Eccleſiaſtica, vndè tali pacto contrahere eſt cooperari actioni iniquæ, & non debitæ. Accedit, quod quando eſt elicitum votum, vouens intelligitur erga Deum obligatus, non tamen obligatione tali, quæ transferat dominium in Deum, eo modo, quo per ſponſalia promittens obligatur alteri ſponſo, & tamen per eadem non transfert dominium, & poſſeſſionem ſui in ipſum, ſicuti transfertur in Deum per profeſſionem ritè emiſſam, & in alterum coniugem per matrimonium per verba de præſenti initum; vndè ſuppoſita obligatione per votum ſimplex caſtitatis erga Deum nō poteſt alter, cui fit oblatio matrimonij, eadem acceptare ſine iniuria eius, cui prius facta fuit obligatio, cum hæc debeat præualere; ſuppoſito vero contractu matrimoniali iam inito, ſiuè antecedentèr ad votum, ſiue ſubſequentèr ad illud, cum iam intelligatur perfectè translatum dominium in alterum coniugem, & perfectè acquiſitum in ordine ad illū, quod certè confert maius ius, non eſt, cum non poſſit vſus oblatus acceptari ab altero, cum tunc vtatur iure ſuo perfectè acquiſito. Ad illud, quod ſubditur, dicendum eſt cum *Sanchez d. lib. 7. diſp. 11. nu. 11.*, non currere paritatem, quia excommunicatio non eſt ſpeciale impedimentum reſpectu matrimonij, ſicuti eſt votum, nec eidem obſtat, quatenus contractus eſt, ſed ad ſummum, quatenus ſacramentum, cum receptio omnium ſacramentorum in excommunicatione ſit grauitèr peccaminoſa, vndè illa excommunicatio non afficit vtrumque, ſed ſolum contrahentem cum illa.

Aſſertio III. Votum caſtitatis emiſſum ante matrimonium impedit reſpectu eius, qui tale votum emiſit, petitionem debiti, non tamen redditionem alteri ſerio, & legitimè petenti. Prima pars eſt *D. Thomæ in 4. diſt. 38. q. 1. art. 3. q. 2. ad quartum, D. Bonauenturæ ibid. art. 2. q. 1. in fine, D. Antonini 3. part. tit. 1. c. 16. §. 1., & c. 20. §. 8., Sanchez lib. 9. diſp. 33. nu 5., Ioannis Angeli Boſsij tract. de effect. matrim. c. 3. n. 31.*, qui duo vltimi alios ferè innumeros allegant contra *Caietam repet. c. ad limina 30. q. 1. §. 4. n. 348., Hieronymū Mangiariam in arb. conſanguinitatis §. in nomine §. 54.* volentes per ipſum matrimonium extingui obligationem voti durante eodem matrimonio, adeoq; ſic obſtrictum tali voto poſſe liberè petere debitum, & contra alios volentes, quod, vbi ſemel matrimonium fuit conſummatum, poſſit ſubſequenter ſic obſtrictus pro libertate petere; atque pro hac opinione ſtant *Gloſa in c. fin. 27. q. 1. paulò poſt princip. in priori reſolut., Cardinalis c. rurſus in fin. qui clerici, vel vou., & alij, Veracrux pr. part. ſpeculi art. 15. concl. 2.* Secunda pars eſt communis, prout teſtatur *Sanchez de matrimon. lib. 9. diſp. 33. n. 1.* 10 Votū caſtitatis emiſſum, ante matrimoniū impedit petitionē debiti reſpectu vouentis, nō redditionem.

Ratio primæ partis ab eo deſumitur, quia votum caſtitatis abſolutè emiſſum, abſolute obligat, nec eius vis abſoluitur per ſubſequens matrimoniū, niſi ad ſummum quatenus lædit ius alterius contrahentis, & compellit contrauenire eidem matrimonio, per textum *in c. quanto de iure iur.*, ſed ex eo, quod tollatur ius petendi, non læditur ius alterius, quandoquidem, ſi iſte petat, tenetur ille reddere, & ius matrimonij ſolum compellit ad reddendum, ergo &c. Confirmatur ex

Digitized by Google

Rationes pro aſſerto.

textu *in c. quodam de conuerſ. coniug.*, vbi, cum quidam profeſſus eſſet inuito altero coniuge, deciſum fuit, quod quantumuis profeſſio non tenuerit, & ſic profeſſus fuerit compulſus ad redeundum ad alterum, non poſſet tamen ab illo exigere debitum, quod non alia ratione dictum fuit, niſi, quia quamuis ille profeſſio non tenuerit in vim ſolemnis profeſſionis, tenuit tamen in vim voti ſimplicis, ergo vòtum ſimplex obligat ſic obſtrictum ad non petendum debitum.

Ex quibus eruere poteris primo, quam longe à veritate aberrauerint *Caieta*, & *Mangiaria* ſupra allegati volentes per ſubſequens matrimonium votum illud caſtitatis abſolui, etiam quoad ius petendi, ita vt ſic obſtrictus poſſit pro libertate

11 Reijcitur opinio volentiũ per matrimonium votum caſtitatis diſſolui.

petere durante illo matrimonio, perindè, ac ſi illo non eſſet alligatus; ſi enim contra ſuperius dicta aliqua ratio eorum mentem euinceret, potiſſimum ea eſſet, quia maior ſit obligatio matrimonij, quam voti, & maius ius illius, quam iſtius, ac proindè, quod ad aduentum illius hoc debeant ceſſare, vel quia matrimonium extinguit etiam ſponſalia antecedentia; ſed nulla ex his rationibus vrget; non prima, quia, vt ſupra dictum eſt, eatenus per aduentum matrimonij vis voti ceſſare debet, quatenus eſt læſiua eiuſdem matrimonij, non eſt autem læſiua eiuſdem, niſi quatenus impediret onus reddendi, non enim ius matrimonij compellit ad petendum; non ſecunda, quia matrimonium ſubſequens omnino repugnat cum ſponſalibus præcedentibus, adeoq; non eſt mirum, quod eadem abſoluat quoad omnia; matrimonium autem non repugnat voto, niſi quoad ius petendi, adeoq;

12 Reijcitur opinio aſſerentium ſemel cõſummato matrimonio obſtrictum voto caſtitatis poſſe liberè petere.

Eruere poteris ſecundo, quam etiam errauerint *Gloſa*, *Cardinalis*, & *VeraCrux* aſſerentes, quod ſemel conſummato matrimonio poſſit obſtrictus voto caſtitatis abſolutè petere, & reddere; quandoquidem vel fuit conſummatum ad petitionẽ alterius non obſtricti voto caſtitatis, vel ad petitionem eiuſdem obſtricti; ſi ad petitionem alterius, iam patet, quod non abſoluatur ab onere non reddendi, nam ex ſuperius dictis patet, quod matrimonium ex natura ſua compellit ad reddendum, & in eo ſolum repugnat cum voto, & per hoc, quod obligatus reddat, non acquirit ius ad petendũ, cum hoc abſolutè pugnet cum voto, & ratione matrimonij ad hoc non obligatur, vnde hoc ius non petendi illæſum remanet; ſi ad petitionem eiuſdem obſtricti voto; non eſt denegandum, quod ſic petendo grauitèr peccauerit, non tamen inferri poteſt, quod acquiſierit ius ad impoſterum petendum. Ratio ex eo deſumitur, quia votum caſtitatis includit obligationem præcepti negatiui, quod obligat ſemper, & ad ſemper, nam dicit abſtinere ab omni actu venereo, in quantum dependet à voluntate eiuſdem vouentis; præceptum autem negatiuum, quantumuis ſemel, & iterum violetur, non deſinit tamen ſemper obligare; atque per hoc reſpondere poteris ad argumenta aduerſantium, quibus dicunt, quod ſemel conſummato matrimonio non poſſit amplius caſtitas ſeruari, quod ea videatur eſſe intentio vouentium, vt ſolum teneantur caſtitatem ſeruare extra matrimonium, & quod notabilis rerum mutatio, & noua difficultas ſuperueniens eximat ab obligatione voti; in hac autem hypotheſi denegari non poteſt, quin ſuperuenerit maxima difficultas in obſeruantia voti, cum teneatur cohabitare cum altero coniuge, & in eodem lecto cubare, quod valde difficile eſt, & obnoxium periculo incontinentiæ. Reſpondere, inquam poteris ad primum negando, quod non poſſit amplius caſtitas ſeruari; non enim caſtitas conſiſtit in indiuiſibili, ſicut virginitas. Ad ſecundum negandum eſt, quod talis præſumi debeat intentio vouentium, qui etenim abſolutè vouet ſine reſtrictione præſumitur ſe obligare ad ea omnia, quæ ex genere ſuo inuoluit tale votum, vnde ſi poſtea conſtante matrimonio tenetur reddere, hoc non prouenit ex limitata intentione ipſius habita in ipſo voto, ſed ex incompoſſibilitate cum eodem matrimonio, quod ex genere ſuo compellit reddere. Ad tertium patet primo ex dictis reſponſio; votum enim illud eſt tantæ perfectionis, & excellentiæ, vt ipſius obſeruantia, quantum eſt ex parte vouentis, ſit præferenda quibuſcunque difficultatibus. Dici etiam poteſt, quod maior difficultas extrinſeca, & non incluſa in eodem voto, quæ ſuperueniat, & non fuerit in emiſſione eiuſdem voti excogitata excuſet ab obſeruantia ipſius; talis eſſet obligatio ingrediendi in Religionem, vt votum caſtitatis emiſſum ſeruetur, talis etenim ingreſſus non eſt incluſus in voto eiuſdem caſtitatis præciſè; maior autem difficultas intrinſeca, & formalitèr in ipſo obiecto voti imbibita ſuperueniens nõ excuſat a tali obſeruantia, quantum eſt ex parte eiuſdem vouentis, quia, cum ſe obligauerit per illud votum ad abſtinendum ab omni actu venereo ſecundum vouentis ſtatum, ſe obligauit etiam ad ea omnia onera, quæ ad talem abſtinentiam conſequuntur.

Voti caſtitatis includit obligationem præcepti negatiui.

Caſtitas non conſiſtit in indiuiſibili.

Soluuntur rationes oppoſitæ.

Ratio ſecundæ partis ex eo deſumitur,

Digitized by Google

tur, quia per ea, quę alibi fusè docuimus, cum votum ſimplex caſtitatis non dirimat matrimonium, ſed tantum impediat contrahendum, vtique non tollit, quod ipſo etiam emiſſo, ſi contractum fuerit matrimonium, non fuerit translatum dominium ſui corporis, & facta traditio eiuſdem in poteſtatem alterius coniugis, quæ translatio dominij, & traditio corporis inducit fortiorem, & ſtrictiorem obligationem erga alterum, quam votum ſimplex, quod importat meram promiſſionem, ergo non eſt, cur non teneatur alteri petenti reddere, quia concurrente maiori obligatione cum minori maior debet præferri, & cum votum ipſum non conſiſtat in indiuiſibili, cum interueniente legitima cauſa poſſit obligare ſolummodo ad redditionem non ſeruato iure ad exigendum, non eſt &c.

Excitantur nonnulla dubia.

Hic nonnullæ inſurgunt rationes dubitandi; quarum prima eruitur ex dictis in præcedenti aſſertione, nempe, quod coniux non obſtrictus voto caſtitatis ſcienter nubens cum obſtricto tali voto grauiter peccet, an ſcilicet ſic nubens poſſit ab altero petere debitum, & hic teneatur illi reddere. Secunda, an obſtrictus voto caſtitatis, ſi nubat, teneatur intra primum bimeſtre alteri petenti reddere, & ſi reddat prima vice intra illud grauiter peccet. Tertia, an, ſi infidelis poſt votum caſtitatis nubat poſſit petere debitum, & alteri exigenti reddere. Quarta, an ea, quæ dicta ſunt de obſtricto voto ſimplici caſtitatis ſint intelligenda de obſtricto voto virginitatis. Quinta, quid ſentiendum ſit, ſi vterque coniux antecedenter ad contractum matrimonij fuerit obſtrictus voto ſimplicis caſtitatis, an ſcilicet neuter poſſit petere, & vterque teneatur reddere. Sexta, an voto caſtitatis obſtrictus poſſit, quandoq; petere, & ſi vterque fuerit tali voto obligatus poſſint per mutua ſigna ſe mouere ad carnalem commixtionem.

13 Non obſtrictus voto caſtitatis nubens ſciēter cum obſtricto poteſt ab eodem petere debitum.

Ad primam reſpondeo, vtique poſſe petere, & petendo alterum obligare ad reddendum. *Silueſter verb. matrimonium 7. q.5. dict.6., Sanchez de matrim. lib 9. de deb. coniug. diſp.33. num. 2.* Ratio ex eo deducitur, quia quamuis iniquè geſſerit contrahendo, dum vſurpat rem alteri obligatam, denegari tamen non poteſt, quin verum ius acquiſierit, & poſſeſſionem in corpus alterius, quantumuis obſtricti voto caſtitatis, ergo, cum ipſe nullo vinculo voti intelligatur alligatus, non impeditur, quominus debitum poſſit ab altero petere; Neque dicas, quod impedimentum ex eo conſurgat, quod ſcienter contraxerit cum impedito, adeoque fuerit factus particeps illius iniquitatis; contra enim impugnaberis, quia nullibi reperitur diſpoſitum, quod per contractum ſcientèr initum cum obſtricto voto caſtitatis quis contrahat idem impedimentum; non enim hoc conſurgit ex voto, cum ipſe nullum votum emiſerit, nec conſurgat implicitè ex contractu cum habente tale votum; nec in pænam, cum de tali pæna non conſtet.

Ad ſecundam patet ex ſupra dictis *in præcedenti ſect. aſſert. 4. in probatione tertiæ partis*, ad quæ vos pro reſolutione remitto.

14 Infidelis, qui poſt votū caſtitatis nupſit nō poteſt petere debitum.

Ad tertiam dicendum eſt, quod quantumuis fuerit infidelis, qui poſt votum caſtitatis nupſit, non poſſit licitè petere *Sanchez d. lib. 9. diſp. 33. num. 6., Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrimonij c.3. num.34., & alij plures apud eoſdem.* Ratio ex eo deducitur, quia obligatio voti ad ſeruandum promiſſum conſurgit ex iure naturali, non ex poſitiuo Eccleſiæ præciſè; ius autem naturale, & diuinum æquè afficit fideles, ac infideles; Neque dicas, quod votum emiſſum ab infideli non teneat, cum Deus eorum ſacrificia non acceptet; contra enim impugnaberis, quia cum tale votum ſit ſecundum ſe de obiecto nedum bono, ſed etiam meliori, & cum æquè fidelis, & infidelis ſit ſubditus Deo, non eſt præſumendum, quod Deus illud non acceptet, cum in ordine ad omnes præcipiat opera ſecundum ſe bona, & honeſta, & ſicuti in omnibus omnia mala culpæ punit, ita non eſt, cur in ordine ad omnes omnia opera bona non acceptet.

15 Quid ſentiendum ſit de obſtricto voto ſub terminis virginitatis.

Ad quartam, dirimenda eſt difficultas ſecundum intentionem vouentis; vel etenim in emiſſione illius voti, quantumuis concepti ſub puris terminis virginitatis intendit ſe obligare ad abſtinendum ab omni actu venereo pro quocumque tempore non ſe reſtringens ad primam vicem tantum; vel intendit præciſè ſe obligare ad abſtinendum ſolummodo à defloratione, per quam amittitur virginitas, vel taliter emiſit, vt dubitetur quamnam intentionem habuerit, vel de abſtinendo ſemper non obſtante, quod ſemel in eo genere deliquerit, vel de abſtinendo tantum pro prima vice; Iuxta primum ſenſum abſolutè ſentio vouentem nunquam poſſe petere licitè, quantumuis teneatur reddere; iuxta ſecundum amiſſa ſemel virginitate per primum actum venereum liber eſt ad petendum; Iuxta tertium, probabilius eſt, quod nunquam poſſit petere. Ita ſecundum omnes partes, ſeu ſecundum omnes prædictos ſenſus ſuſtinent *Ioannes Angelus Boſſius de*

Digitized by Google

tripl. Iubilæi priuilegio ſect.2. caſ. 20. nu.4., & tract. de effect. matrim. c.3.nu.38., *Sanchez de matrimon. lib.9. diſp.33. num.7., & lib.4. ſummæ c.21. num.22.*, *Villalobos prima part. ſummæ tract. 13. diffic. 53. nu. 5.*, *Trullench. in decalog. tom.1. lib. 2. c. 2. dub. 25. num. 5.* Prima, & ſecunda pars non videtur indigere probatione, cum etenim votum reguletur ad mentem vouentis, non enim magis, vel minus obligari poteſt, quam ipſe intenderit, ſi ipſe intendit perpetuam caſtitatem ſine reſtrictione ad primam, vel alias vices non eſt, cur contracto matrimonio non ſit priuandus iure petendi, quamuis ſubdatur oneri reddendi; ſi vero intendit præciſè abſtinere à primo actu venereo, ſeu ab actu, quo ponitur defloratio, non eſt, cur amiſſa ſemel virginitate per actum venereum completum debeat vlterius priuari iure petendi. Tertia pars ex eo euincitur, quia regularitèr, qui vouet virginitatem intelligitur ſe obligare ad perpetuam continentiam, & votum ſuapte natura videtur ad id obligare; vnde in dubio de tali intentione poſſeſſio ad obligandum videtur ſtare pro eodem voto, atq; ita ſenſiſſe videtur *D. Thomas 2.2. q. 88. art. 3. ad ſecundum, Abulenſis c.30. in Numeros q.55.*, *Armilla verb. votum num.19.*, *Maior in 4. diſt.38.q.3.arg.5.contra concl.vnicam.*

Varij ſenſus exponuntur, quod tale votum.

Ad quintam, dico, quod quamuis neuter poſſit in data hypotheſi petere, vterque tamen reddere teneatur *Angelus verb. matrimonium 3. imped.5. num. 5.*, *Tabiena verb. impedimentum imped.2.q.vlt.*, *Ouandus in 4. diſt.38. q.vnica in corrol., quod infert ex ſexta propoſit.*, *Sanchez lib.9.diſp.33. nu.8.*, *Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrim. c. 3. num. 35.* Rationem ex eo deduco, quia vterque acquiſiuit per contractum illum matrimonialem ius, & poſſeſſionem in corpus alterius coniugis; votum etenim ſimplicis caſtitatis non impedit translationem, & acquiſitionem dominij factam per contractum matrimonialem per verba de præſenti, cum ipſum importet ſolummodo meram promiſſionem, ergo, quantumuis alter iniquè petat ratione illius voti, quo afficitur, tenebitur alter eidem petēti reddere, nec tali obligationi reddendi poteſt refragari ſimile votum, cui ipſe reddens eſt alligatus, quandoquidem tale votum efficit quidem, quod eodem obſtrictus non poſſit ea agere aduerſus ipſum, quæ ſunt propriæ voluntatis, non ea, quæ ſunt neceſſitatis, & debita ex iuſtitia.

16 Si vterq; fuerit obſtrictus voto caſtitatis neuter poteſt petere, vterq; tenetur reddere.

Ad ſextam, dicendum eſt, quod ſi vterque coniux fuerit obſtrictus voto ſimplici caſtitatis, & alter nouerit alterum indigere vſu coniugali, quia in illo periculum incontinentiæ aduertit, aut conijcit eum petiturum eſſe, niſi proptèr votum impediretur, hic petendo debitum licitè peteret, nec peccaret petendo, non obſtante voto ſimplici caſtitatis, quo premitur *Villalobos part. 1. tract. 13. difficult. 47. nu. 6.*, *Martinus Perez de matrim. q. 51. ſect.2. nu. 8.*, *Filliucius tom. 1. part. 2. tract. 10. c. 9. n. 311.*, *Angelus verb. matrimonij impedim. 5. num. 5.*, *Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrim. c. 1. nu. 268.* Ratio autem deducitur, quia petitio debiti in gratiam alterius indigentis eſt quodamodo quæddam redditio; neque obeſſe poteſt, id quod aſſerit *Coninchus de ſacram. diſp. 34. n. 40.*, nempè, quod, cum vterq; ſit tali voto obſtrictus, & cum neutèr poſſit petere, non poſſit alter præſumere, quod alter virtualitèr petat, adeoque nō cenſeatur ipſe virtualitèr reddere; Non, inquam, obeſſe poteſt, quia, cum in præſenti hypotheſi ſupponatur alter indigere vſu coniugali ob periculum incontinentiæ, indigentia illa ſupplet pro ipſa petitione. Hæc, quæ dicta ſunt, quando vterque eſt obſtrictus voto ſimplici caſtitatis, æquè intelligenda ſunt, quando alter tantum eſſet obſtrictus tali voto, & noſceret alterum non obſtrictum indigere coitu, & non petere ob verecundiam, vel propter aliquam aliam cauſam retrahentem à petitione *D. Thomas in 4. diſt. 38. q.1. art. 7. quæſtiuncula 2. ad quartum, & in addit. ad tertiam partem q.83. art.1. ad quartum*, *Nauarrus c.16. num.3.*, *Sanchez lib.9. diſp.7. n.1.*, *Sotus in 4. diſt. 37. q. vnica art. 1. poſt ſecundam concl. verſ. debet autem pœna*, *Hurtadus de matrim. diſp. 10. n. 3.*, propter eandem rationem, quia ſcilicet petere in alterius indigentis gratiam eſt quodamodo virtualitèr reddere.

17 Vterque obſtricto voto caſtitatis, & alter non egerit alterū premi periculo incontinentię, poteſt ab ipſo petere.

Sed quid dicendum ſit, ſi præciſo illo periculo incontinentiæ alter non expreſsè petat, ſed ſigna aliqua petitionis oſtēdat, erit ne peccaminoſum reſpectu eiuſdem illa ſigna ſic exhibere, & peccabit ne etiam alter, ſi ad illa ſigna reddat, eidemque commiſceatur? Peccare ſic exhibentem illa ſigna petitionis, non autem alterum annuentem illis, & reddentem ſuſtinent *Ouandus in 4. diſt. 38. q. vnica corrolario, quod infert ex ſexta propoſit.*, *Sanchez de matrimon. lib.9. q. 7. n. 12.*, *Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrim. c. 1. n. 269. in fin.* Ratio ex ſuperius dictis deducitur, quia obſtricto voto ſimplicis caſtitatis non eſt licitum petere, quamuis alteri petenti teneatur reddere; ſed in data hypotheſi ille, qui ſigna illa petitionis exhiberet, tacitè peteret, alter vero, qui annueret, redderet, ergo &c. Maior diffi-

18 Si obſtrictus voto caſtitatis præciſo periculo incontinētiæ nō expreſsè petat, ſed tacitè per aliqua ſigna, peccat.

Digitized by Google

difficultas eſt, quando vterque obſtrictus tali voto mutua ſigna petitionis pro eodem tempore exhiberet, an ſcilicet vterq; tunc peccaret, an vero vterque eximeretur à culpa. Ratio dubitandi ex eo conſurgit, quia tunc vterque videretur præciſè reddere, cum petitio non vni potius quam alteri videatur tribuenda; non etenim vnus præuenit quoad illa ſigna, & alter præuenitur, ſed vterque eodem modo, & pro eodem tempore eadem ſigna exhibet. Nihilominus, quamuis difficile intellectu videatur, quod modo poſſit eſſe ſimul illa tacita, & virtualis petitio, & vnus non præueniat, & alter præueniatur, data illa ſimultanea tacita petitione arbitror vtrumque peccare, quia vterque non ex neceſſitate, ſeu ex onere aliquo iuſtitiæ, ſed ex propria voluntate aliquid efficit contra votum caſtitatis, quod emiſit.

Aſſertio IV. Votum Religionis emiſſum ante contractum matrimonium impedit eius vſum quoad conſummationē, ſiue petendo, ſiue reddendo, adeo vt grauitèr peccet tali voto obſtrictus, ſi prima vice conſummet, ſiue fuerit petens, ſiue reddens, non impedit tamen eiuſdem vſum, ſiue petendo, ſiue reddendo, poſtquam illud matrimonium fuerit conſummatum. Ita quoad primam partem *Sanchez lib. 9. de debito coniug. diſp. 33. n. 14., Angelus verb. matrimonium 3. impedim. 5. n. 2., Nauarrus in ſumma c. 12. num. 80., Aragonius ſecunda ſecundæ q. 88. art. 3. §. bis tamen non obſtantibus ſit concluſio in corrol. 2., Petrus de Ledeſma de matrim. q. 53. art. 1. in dubiolo, quod mouet poſt ſecundum dubium principale, Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrim. c. 3. nu. 52., Azorius part. 1. lib. 11. c. 21. q. 8., Coninchus de ſacrament. diſp. 34. dubit. 2., Baſilius Pontius lib. 10. c. 5. n. 2., & 3., Hurtadus de matrimon. diſp. 10. difficult. 8., Auerſa de matrimon. q. 10. ſect. 4. n. 7.* Quoad ſecundam *Sanchez loc. quo ſupra nu. 15., Boſſius etiam ibidem n. 53., Caietanus in ſumma verb. matrimon. c. vlt. §, & bene nota, Sotus in 4. diſt. 38. q. 2. art. 1. concl. 4., Abulenſis in Leuiticum c. 27. q. 6.*, & alij innumeri relati ab eodem Sanchez.

19 Votũ Religionis emiſſum ante contractũ impedit primam conſummationem, ſiue petendo, ſiue reddendo, nō ſic vlteriorem.

Ratio primæ partis ex eo deſumitur, quia obſtrictus huiuſmodi votis tenetur, quantum poteſt, & in ipſius poteſtate eſt, illud adimplere, ſed adhuc contracto matrimonio poteſt adimplere non petendo, nec reddendo, & quidem quoad petitionem ex ſe patet, quia ab eadem abſtinere eſt omnino in ipſius poteſtate, cum ex vi matrimonij non compellatur petere; quoad redditionem vero ex eo euincitur, quia ante conſummationem poteſt Religionem ingredi, quam vouit; ergo tenetur propter adimplementum voti non petere, nec reddere. Quod, ſi dixeris obligationem, quæ conſurgit ex matrimoniali contractu in ordine ad alterum coniugem, fortiorem eſſe, ac ſit obligatio, quæ conſurgit ex illo voto; adeoq; illam compellere ad reddendum, ſtatim impugnaberis, quia quantumuis illa obligatio ſic fortior, quia tamen ſtatus Religionis eſt perfectior, iure ante conſummationem matrimonij ius tribuit ad tranſeundum ad illum perfectiorem ſtatum, & cum ad hoc ſe obligauerit in præſenti hypotheſi per votum, vtiq; obligationem illam tenetur adimplere, ac proindè tenetur non reddere.

Adhuc eſt liber ad obſeruantiam voti.

Ratio ſecundæ partis ex eo deſumitur, quia votum Religionis non includit formalitèr, & actu votum caſtitatis, ſed ſolummodo propoſitum de illa vouenda, ſi idem votum Religionis executioni mandabitur per formalem profeſſionem, ergo non obligat ad eandem caſtitatem ſeruādam, niſi quatenus votum illud fuerit executum per eandem actualem, & formalem profeſſionem, ergo, ſi obſtrictus tali voto Religionis tranſierit ad nuptias, eaſque prima vice conſummauerit liber erit ad vlteriores actus coniugales, ſiue petendo, ſiue reddendo exercendos. Hæc vltima conſequentia probatur, quia poſita illa prima conſummatione nihil eſt, quod impedire poſſit vlteriorem illum vſum; non votum caſtitatis, quia nullum eſt emiſſum, nec hoc inuoluitur implicitè, & tacitè in ipſo voto Religionis, vt mox dictum eſt; non ipſum votum Religionis; quia, cum hoc non dirimat contractum matrimonialem, ſed dumtaxat impediat, efficit quidem, quod illicitè ille fuerit contractus, & etiam prima vice conſummatus, non autem inualidè, & cum illud matrimonium fuerit conſummatum, quantumuis illicitè, reddit ipſum, qui ſic vouit, impotentem ad executionem illius voti, ergo nullo iure impeditur ab exercitio, & vſu illius matrimonij; Neque dicas, quod priuetur ſaltem iure petendi quodamodo in pænam eo quod contraxerit, & conſummauerit contra votum, quod emiſerat ſaltem implicitè non contrahendi eo quod vouerit ſtatum Religionis, qui eſt incompatibilis cum matrimonio; contra enim impugnaberis, quia, quantumuis ſic contrahendo, & conſummando grauitèr deliquerit, nullibi tamen conſtat, quod tali delicto fuerit impoſita illa pæna priuationis iuris petendi, adeoq; &c.

Rationes pro aſſerto quoad ſecundam partem.

Neque aduerſus ea, quæ dicuntur quoad hunc ſecundam partem aſſertionis

nis

nis obſtare poteſt primo, quod proprius dolus, & propria malitia patrocinaretur eidem obſtricto voto Religionis, ſi poſt conſummationem matrimonij contracti poſſet liberè vti coniugio reddendo, & petendo. Secundo, quod, qui voto ſe obligat ad Religionem neceſſaria ſequela ſe obliget etiam ad caſtitatem, nam, qui ſe obligat ad aliquid, neceſſariò etiam ſe obligat ad id omne, quod neceſſariò cõſequitur ad illud; Non, inquam, obſtare poſſunt, non primum, quia vt bene notant *Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrim. c. 3. num. 53. in fin.*, *Sanchez d. lib. 9. diſp. 33. num. 20.*, non eſt inconueniens, quod, quandoque per accidens ex propria culpa quis fauorem conſequatur, qui tamen fauor non conſequatur directè, & formalitèr ad eandem culpam, ſed tantum indirectè, & conſecutiuè ad effectum aliquem prouenientem ab eadem culpa, qui effectus in præſenti hypotheſi conſiſtit in impotentia poſt conſummationem tranſeundi ad Religionem. Hoc pluribus exemplis poteſt euinci, primo in eo, qui plurimo ære alieno grauatus, qui prodigè, & impudenter proprias facultates profudit; hic etenim quodamodo ex ſua culpa profuſionis fauorem conſequitur, quatenus deobligatur ab onere reſtituendi æs alienum, quo grauatur, qui tamen fauor non conſequitur directè, & formaliter ex ipſa culpa, ſed ex impotentia inde proueniente. Secundo in eo, qui per actionem aliquam iniquam ſe reddit inhabilẽ ad aliquod opus, ad quod tenetur, puta ad ieiunium per inordinatum coitum, vel per immoderatos, & laborioſos ludos; hic etenim eximitur à culpa in non obſeruantia ieiunij, ac proinde fauorem aliquem nanciſcitur, qui tamen formalitèr non prouenit ex ipſa culpa, ſed ex impotentia, quæ ex eadem prouenit; Non ſecundum; quia, qui ſe voto obligat ad Religionem non ſe obligat immediatè ad caſtitatem, ſed ſolummodo ad eandem, dum ſtatum illum Religionis actu aſſumpſerit, nec ſub obiecto illius voti cadit eſſentialiter, ac immediatè caſtitas, ſed ſolummodo conſecutiuè, & ſuppoſito ſtatu aſſumpto.

Nonnulla obiecta, eorumq; ſolutiones.

20 Suppoſita prima cõſummatione matrimonij votum Religionis nõ diſſoluitur.

Quamuis autem ſuppoſita conſummatione matrimonij liber ſit obſtrictus tali voto ad petendum, & reddendum debitum coniugale; ex hoc tamen non ſequitur, quod votum illud ſit penitus extinctum, prout bene notant *Sotus in 4. diſt. 38. q. 2. art. 1. in fin.*, *Aragonius 2. 2. q. 88. art. 3. corrol. 3.*, *Graffius prima part. deciſ. lib. 2. c. 24. num. 21.*, *Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrim. c. 3. num 54.*, vnde, ſi matrimonium illud diſſoluatur per mortem alterius coniugis, tenetur Religionem ingredi. Ratio eſt, quia illud votum non habet, quo in ſua ſubſtantia deſtruatur, ſed ſolummodo, quo impediatur in executione ratione matrimonij iam initi, & conſummati, ergo ſublato illo impedimento per diſſolutionem eiuſdem matrimonij non eſt, cur plenam vim ſuam habere non debeat, ac proinde obligare ad ingreſſum.

Sed an, ſi alter coniux, cum quo contraxit, adhuc ſit ſuperſtes, & commiſerit adulterium, ratione cuius tribuit ſufficientem cauſam diuortij eidem obſtricto voto Religionis, teneatur hic ingredi Religionem negata reconciliatione eidem coniugi delinquenti per adulterium. Ex dictis *tom. VI. ſub tit. Contractus XV. de matrim. 2. diſquiſit. 1. §. 6. num. 2.*, *& ſub hoc eodem tit. præſentis voluminis de matrimon. VI. prænot. 3. ſect. 8. aſſert. 4. quoad tertiam partem* videtur abſolutè aſſerendum non teneri ingredi Religionem, ſed poſſe remittere iniuriam, & liberum conſtituere alterum coniugem ad petendum, & reddendum debitum. Sed in hoc poteſt eſſe aliqua diuerſitas, quandoquidem ibi erat ſolummodo ſermo de obſtricto voto caſtitatis, qui in ordine ad eandem ſeruandã non videbatur compellendus ad iugum graue Religionis, cum in ipſo voto caſtitatis illam non intenderit; hic autem eſt ſermo de obſtricto voto Religionis, quod quotieſcunque poteſt, tenetur ſeruare, cũ directè intentio ad ipſam fuerit ordinata, nec maius iugum tenetur ſuſtinere ab illo, ad quod expreſsè ſe obligauit. Nihilominus, quia *dicto tom. V ſub tit. de matrim. 2. Diſq. 1. §. 6.* non ſolum eximimus coniugem obſtrictum voto ſimplici caſtitatis ad effectum ſeruandæ caſtitatis ab onere ingrediendi Religionem ob arduitatem ſtatus ipſius, ſed etiam ob motiuũ pietatis, qua intendat iniuriam remittere, quod eſt opus à Deo maximè commendatum, quamque exercere non videtur prohiberi per votum illud caſtitatis; ideo etiam ex hoc capite arbitror aſſerendum, quod non obſtante voto Religionis poſſit etiam remittere illam iniuriam, & non ingredi Religionem ob motiuum eiuſdem pietatis potiſſimum perſeuerante iure matrimonij, quod per illud adulterium non diſſoluitur, & in ordine ad euitanda mala, quæ poſſunt in alio coniuge obuenire, & in hac hypotheſi obiectum directum talis remiſſionis eſſet pietas, & indemnitas delinquentis, non autem ipſe coniugalis concubitus. Vide, quæ fuſè ibi diximus.

21 Obſtrictus voto Religionis non tenetur ingredi Religionem, ſi alter, cum quo contraxit, fornicatus fuerit.

Non valet paritas de obſtricto ſimplici voto caſtitatis.

Aſſertio V. Qui vouit ſacros ordines ſuſcipere, & poſtea non obtenta diſpenſatione

tione ſuper illo voto matrimonium contraxit, quamuis grauitèr peccauerit contrahendo, poteſt nihilominus licitè petere, & reddere etiam prima vice. *Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrim. c. 3. num. 58., Sanchez de matrim. lib. 9. de debit. coniug. diſp. 34. num. 6.*

22 Qui poſt votum ſacrorũ ordinum cõtraxit, quamuis peccarit contrahẽdo, non tamen peccat vtẽdo matrimonio.

Ratio aſſertionis ex eo deducitur quoad eam partem, qua dicitur, quod grauitèr deliquerit contrahendo, quia per talem contractum voluntariè poſuit obicem obſeruantiæ eiuſdem voti, cum ſit ex diſpoſitione Eccleſiaſtica incompatibile matrimonium cum ſacris ordinibus, vt eſt in confeſſo apud omnes, ergo &c. Quoad eam vero partem, qua dicitur, quod contracto poſtea matrimonio poſſit licitè petere, & reddere ex eo deducitur, quia hoc votum non obligat ad caſtitatem, ad quam ſolum obligat ordo ſacer ſuſceptus, ergo contracto matrimonio, cum tale votum ſeruari nequeat ob fortius vinculum eiuſdem matrimonij, vtique nullo aduerſante poterit petere, & reddere. Confirmatur ex ijs, quæ ſupra diximus in ſecunda parte præcedentis aſſertionis.

23 Etiã prima vice conſummando, & quare.

Dixi *etiam prima vice* ad differentiam obſtricti voto Religionis, qui prima vice conſummando grauitèr peccat. Ratio diuerſitatis ex eo deſumitur, quia obſtrictus voto Religionis non ſolum ponit obicem eiuſdem obſeruantiæ contrahendo, ſed etiam primo conſumando, quandoquidem etiam contracto matrimonio liber eſt ad tranſeundum ad eandem Religionem, quinimmo tenetur ratione eiuſdem voti, cum iura ipſa ratione maioris perfectionis talis ſtatus etiam contracto matrimonio liberum ante conſummationem concedant aditum ad eandem; obſtrictus vero voto ſacros ordines ſuſcipiendi ſolum contrahendo ponit obicem ipſius obſeruantiæ, cum poſito contractu per verba de præſenti non liberum ſit eidem obſtricto tali voto tranſire ad ſacros ordines, cum iura concedant talem facultatem ſolummodo in ordine ad Religionem ſuſcipiendam non autem in ordine ad ſacros ordines; vndè etiam nullo voto obſtrictus contracto matrimonio, & non conſummato poteſt ad Religionem, non autem ad ſacros ordines tranſire, ergo contracto matrimonio per verba de præſenti poterit abſolutè petere, & reddere; Neque arbitrandum eſt, quod in ordine ad implementum talis voti ordines ſuſcipiendi teneatur ad Religionem tranſire; Non, inquam, arbitrandum eſt, quandoquidem ſicuti ad ſeruandum illæſum votum caſtitatis non tenetur iugum graue Religionis ſubire, ita nec ad ſeruandum votum ordinum ſacrorum ſuſcipiendorum.

Diſcrimẽ quoad hoc inter obſtrictũ voto Religionis, & obſtrictũ voto ſacrorum ordinum.

Aſſertio VI. Votum abſtinendi à nuptijs, quamuis impediat eaſdem contrahere, non impedit tamen ijſdem contractis poſſe licitè eas conſummare petendo, vel reddendo *Sanchez d. lib. 9. diſp. 33. num. 22., Sairus lib. 6. clauis c. 7. dub. 4., Coninchus diſp. 34. num. 54., Leandrus Diſcalceatus de Sacramentis tom. 2. diſp. 25. q. 68., Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrim. c. 3. num. 62.* Quoad impedimentum contrahendi vix remanet ambigendum, quandoquidem ſic contrahens directè operatur contra votum non contrahendi. Quoad negationem impedimẽti poſt cõtractum ad eundem conſummandum ſic

24 Votum abſtinendi à nuptijs impedit contractum, nõ tamen vſum poſt contractum.

Probatur, quia obiectum talis voti non includit neceſſariò negationem conſummationis, nec abſolutè caſtitatem, ſed præciſè non contrahere matrimonium, ergo eodem contra votum contracto non conſurgit obligatio abſtinendi a conſummatione, ſeu ab vſu illius. Antecedens probatur, quia non contrahere matrimonium, & non illud conſummare ſunt duo ex obiecto diuerſa, nec neceſſariò inter ſe connexa, ſicuti ſunt diuerſa iurare ſe nolle contrahere, & iurare ſe nolle conſummare, cum poſſit quis vnum velle, & alterum nolle. Conſequentia primi argumenti probatur, quia votum non trahit obligationem vltra obiectum ipſius, vel vltra ea, quæ cum tali obiecto non ſunt connexa; Neque dicas, quod ex ipſo naturæ ordine votum abſtinentiæ à matrimonio coniungatur cum abſtinentia cõſummationis, quia matrimonium ipſum ex primario ſuo fine ordinatur ad copulam coniugalem, vnde negatio matrimonij trahit ſecum negationem conſummationis eiuſdem, & per conſequens votum abſtinendi ab eodem coniungitur cum voto abſtinendi à conſummatione; contra enim impugnaberis, quia, quantumuis matrimonium ordinetur ſuo fine primario ad generationem prolis, & per conſequens ad conſummationem, poteſt tamen quis velle matrimonium, ſine intentione expreſſa, & actualitèr volita conſummationis; ſic de facto matrimonium Deiparæ cum D. Ioſeph fuit verum matrimonium, & directè ab ijſdem volitum, non tamen fuit intentum in ordine ad conſummationem, & poſſunt plures contrahere matrimonium, & ex communi conſenſu eodem etiam perſeuerante nolle conſummationem eiuſdem, quod ſignum euidens eſt, quod hæc duo non connectantur.

Rationes pro aſſerto.

Verum tamen eſt, quod, ſi in emiſſione talis voti vouens nõn ſolum intenderit

abſti-

Digitized by Google

25 Excipe, niſi intenderit etiã abſtinere ab vſu coniugij.

abſtinere à coniugio, ſed etiam à cõſummatione eiuſdem, non poſſit licitè conſummare petendo, quia directè faceret contra tale votum, vt per ſe patet, quia votum obligat ſecundum intentionem vouentis, quæ propterea, ſi extendatur ad non conſummandum, obligat etiam ad abſtinentiam conſummationis, & propterea, ſi conſumat, facit contra talem intentionem, adeoq; directè contra votum. Conſummato tamen ſemel eodem matrimonio non impeditur poſtea ipſe vouens ab vlterioribus congreſſibus, ſiue petendo, ſiue reddendo. *Azorius inſtit. mor. part. 1. lib. 11. c. 21. q. 7.*, *Baſilius Pontius lib. 10. c. 5. de matrimon. num. 14.*, *Martinus Perez de matrim. diſp. 51. ſect. 6. num. 7.*, *Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrimon. c. 3. num. 61.* Ratio ex eo deducitur, quia poſita conſummatione iam ceſſat obiectum talis voti, quod eſt non conſummatio eiuſdem, ergo non amplius obligat; neque arbitreris, quod obiectum talis voti non conſiſtat ſolummodo in prima conſummatione, ſeu in negatione primæ conſummationis, ſed in negatione cuiuſcunque actus coniugalis perfecti, adeoque, quod ſemper vigeat; Non arbitreris, inquam, quia non eſt præſumendum, quod vouens non contrahere, nec conſummare aliud quid voluerit, quam negationem contractus, & complementi eiuſdem, quod habetur per primam copulam; vnde cenſendus non eſt, quod poſito contractu, & complemento intenderit non vti eodem; non enim tale votum eſt perpetuæ caſtitatis.

In hoc caſu conſummato matrimonio non prohiberetur abſtinere ab vlteriori vſu.

Sed, ſi quæras, quid ſentiendum ſit, quando non conſtat, an in emiſſione talis voti habuerit animum præciſè non contrahendi, non autem non conſummandi, an vero animum, tam de non contrahendo, quam de non conſummando? Azorius *parte prima lib. 11. c. 21. q. 7.*, *Baſilius Pontius lib. 10. de matrimon. c. 5. num. 14.*, præſumunt in tali dubio pro animo ad vtrumque, quia matrimonium ex ſua natura ordinatur ad complementum per conſummationem, adeoque, qui vouit non contrahere, præſumendus etiam eſt habuiſſe animum ad non conſummandum. Pro negatione vero talis animi ad vtrumq; præſumunt *Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrim. c. 3. num. 63.*, *Martinus Perez de matrim. diſp. 51. ſect. 6. nu. 7.*, *Leandrus Diſcalceatus de Sacram. part. 2. tract. 9. q. 71.* ex generali regula, quod in dubio melior ſit cõditio poſſidentis ſuam libertatem, & quamuis verum ſit id, quod dicitur pro parte contraria, quod ſcilicet matrimonium ex genere ſuo contrahatur, vt compleatur, non eſt tamen de ſubſtantia eiuſdem matrimonij, quod conſummetur, cum ſæpe contingat ſeparari. Vtraq; opinio videtur probabilis.

26 Quid ſentiendũ ſit, vbi non cõſtet de intẽtione.

Aſſertio VII. Votum ſimplex Religionis emiſſum ab altero coniuge ſine facultate alterius poſt contractum per verba de præſenti matrimonium non tamen adhuc conſummatum, impedit conſummationem eiuſdem, quod ſi poſtea fuerit conſummatum, nec impedit ipſius vſum in reddendo, nec in petendo. Conſonat cum ijs, quę dicta ſunt *ſub hac eadem ſectione aſſert. 4. per totum*, nam, quantumuis ibi ſermo eſſet, quando votum emiſſum erat ante celebrationem contractus, nihilominus, quia agebatur in ordine ad conſummationem, & vſum eiuſdem matrimonij, ideo, quæ hic dicuntur, habent ius, & rationes communes cum ijs, quæ ibi dicta fuerunt, & propterea noua non indigent diſcuſſione, nec probatione.

27 Votum ſimplex Religionis emiſſum ſine facultate alterius poſt contractum impedit conſummationẽ eiuſdem; quod ſi fuerit cõſummatũ nõ impedit vlteriorem cõgreſſum.

Aſſertio VIII. Votum caſtitatis emiſſum ab altero coniuge ſine licentia alterius poſt contractum matrimonij ante conſummationem eiuſdem, ſi fuerit ſine animo ingrediendi Religionem obligat in præiudicium ipſius vouentis, ſi vero fuerit cũ animo Religionem ingrediendi obligat ad omnimodam caſtitatem perinde, ac ſi eſſet votum abſolutum eiuſdem; emiſſum vero poſt matrimonium conſummatum ſine licentia alterius non eſt irritum, ſed obligat ad non petendum, quamuis non eximat ab onere reddendi. Ita quoad primam partem *Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrim. c. 3. nu. 79.*, qui teſtatur de communi; Quoad ſecundam, quando ſcilicet votum illud emiſſum eſt poſt conſummatum matrimoniũ *Henriquez in ſumma lib. 1. c. 15. §. 8. in fin.*, *Bartolomæus à Sancto Fauſto in theſaur. Relig. q. 228.*, *Reginaldus lib. 31. num. 351.*, *Leſſius de iuſt., & iur. lib. 2. c. 40. num. 100.* *Baſilius Pontius lib. 10. c. 1. num. 19.*, *Leandrus Diſcalceatus de Sacram. part. 2. tract. 9. diſp. 25. q. 74.*, *Fagundez in decal. lib. 4. c. 7. nu. 8.*

28 Votum caſtitatis, ſine licentia alterius emiſſum poſt contractũ obligat in præiudicium vouentis.

Prima pars, quando ſcilicet emiſſum eſt illud votum ante conſummationem, ſed ſine animo ingrediendi Religionem, ex eo facilè liquet, quia iſte ſic vouens potuit ſe obligare, & verè ſupponitur animum habuiſſe ſe obligandi per illud votum, ergo non eſt, cur non debeat plenè obligare, perindè, ac ſi eſſet votum abſolutum caſtitatis; nec obeſſe poteſt, quod ille, qui ſic vouit, fuerit antecedentèr obligatus alteri coniugi, & quod propterea non potuerit ſe Deo obligare; Non, inquam, obeſſe poteſt, quia in ea parte, in qua intelligitur alteri præcedentèr obligatus per illud votum non deſtruit obligationem, ſed ſolummodo ſe

Rationes pro aſſerto.

obli-

obligat ad non ponenda ea, quæ ſuæ libertatis ſunt contra votum, adeoq; dixi in aſſertione *in præiudicium ipſius voventis* ad indicandum non nocere alteri innocenti, non obſtricto tali voto, quique eidem conſenſum non præſtitit.

29 *Emiſſum cū animo ingrediēdi Religionem obligat ad omnimodam caſtitatē.*

Secunda pars, quod ſcilicet, ſi tale votum fuerit emiſſum cum animo ingrediendi Religionem, obliget ad omnimodam caſtitatem, ex eo euincitur, quod illud votum, quantum ad vim obligandi, perinde ſe habet, ac ſi eſſet emiſſum antecedenter ad matrimonium, quod propterea obligat ad non conſummandum, ſicuti votum antecedens contractum obligat ad non contrahendum, quandoquidem etiam contracto matrimonio liber eſt ex affectu Religionis ad non conſummandum, & ad ingrediendum Religionem, ergo, ſi emiſerit votum caſtitatis cum animo ingrediendi Religionem, tenebitur ingredi ad effectum ſeruandi caſtitatem, ſicque, ſi conſummarit etiam reddendo, erit reus violati voti. Confirmatur, quia, ſi antecedentèr ad matrimonium quis vouerit caſtitatem, contrahendo poſtea matrimonium grauiter peccat contra illud votum, & hoc non alia ratione, niſi, quia actio contrahendi erat eidem voluntaria omnino, eamque ademerat per illud votum, quod vtique poterat adimplere, ergo etiam, ſi antecedentèr ad conſummationem eiuſdem vouerit caſtitatem cum animo ingrediendi Religionem, grauitèr contra tale votum peccabit illud conſummando, ſiquidem liber erat ad conſummandum, & ex vi voti talem libertatem ſibi ademit; nec dici poteſt, quod ad ſeruandam caſtitatem non teneatur iugū graue Religionis ſubire; non, inquam, dici poteſt, quia tale iugum ſibi propoſuit in emiſſione voti, illudque omnino liberè voluit, & eſt quodamodo partiale obiectum talis voti.

30 *Emiſſum poſt conſummationem obligat ad nō petendū, non autē eximit à reddēdo.*

Tertia pars, quod ſcilicet illud votum emiſſum poſt matrimonium conſummatum ſine licentia alterius validum ſit, & obligat vouentem ad non petendum, ex eo euincitur, quod habetur *in c. quidam de conuerſ. coniug.*, vbi dicitur de quodam viro, qui vxore renitente profeſſus fuerat in Religione, quod profeſſio ipſius fuerit irrita, obliget tamen vouentem ad votum caſtitatis in ea profeſſione emiſſum, quantum ſe potuit obligare, nempe ad non exigendum debitum, quod idem habetur *in c. placet eod. tit.* Rationem fundamentalem huius tertiæ partis aſſertionis, & iurium pro ea adductorum eam arbitror eſſe, quia nulla eſt repugnantia quin quis poſſit ea vouere, quæ ſint ſui iuris, quæque ſint de meliori bono, ſed non obſtante matrimonio contracto, & conſummato coniux alter omnino ſui iuris eſt in ordine ad petendum, cum ex vi matrimonij ad hoc non obligetur, & non petere maius bonum eſt, cum magis accedat ad caſtitatem, quam petere, ergo &c.

Inſtantia propoſita, & ſoluta.

Dices primo, votum illud eſſe noxiū, & præiudiciale alteri coniugi, qui non vouit, & maximè, ſi fuerit vxor, quæ non vouit, quandoquidem teneretur ſemper petere, quoties vſum coniugij appeteret, quod oneroſum eſt naturali verecundiæ fæminarum, ergo in præiudicium ipſius non poteſt obligare vouentem. Sed contra primo, quia non debet conſiderari onus, & grauamen, ſi quod eſt in altero, quando alter vtitur iure ſuo, quo non eſt priuandus ob incommodum alterius. Secundo, quia, ſi conſtiterit vouenti de nimia appetentia alterius coniugis ad coitum, vel periculo incontinentiæ illius poteſt in ipſius gratiam petere, cum hoc ſit potius quædam virtualis redditio, quàm petitio per ea, quæ latè ſupra commendauimus.

Alia inſtantia propoſita, & diſſoluta.

Dices ſecundo, quod quando votum eſt rei partim licitæ, partim illicitæ, vel partim poſſibilis, partim impoſſibilis ad nihil obliget, maximè ſi fuerit emiſſum per modum vnius, atque in præſenti hypotheſi votum caſtitatis eſt partim de re illicita, & contra iuſtitiam, nempe quoad negationem debiti, partim de re licita, quod negationem petitionis debiti, ergo &c. Maior euincitur ex illo communi effato *Bonum ex integra cauſa, malum ex ſingulis defectibus.* Ad hoc comprobandum adduci poteſt exemplum de eo, qui vouit nunquam peccare, quod, cum ſit de obiecto moralitèr impoſſibili, non tenet, quamuis pars eiuſdem obiecti, nempe aliqua peccata vitare, ſit poſſibilis. Sed contrà, cum hic non agatur de re ſecundum ſe indiuidua, ſed diuidua, ſeu diuiſibili (nam non petere, & non reddere, ſeu abſtinere à petitione, & redditione ſunt actus diuerſi caſtitatis, & ſeparabiles) res regulanda eſt ſecundum intentionem vouentis; vel etenim, vtrumque voluit indiuiſibilitèr, ſeu ſaltem voluit non aliter ſe obligare ad partem bonam, & poſſibilem, niſi dependentèr a rei malæ, indifferentis, ſeu impoſſibilis obligatione, & ſic benè procedunt omnia, quæ in inſtantia afferuntur; vel voluit obligationem partis bonæ, & poſſibilis independentèr ab alia praua, & impoſſibili, & ſic falſum eſt ad, quod in inſtantia affertur, & prop-

terea obligabitur ad partem bonam, & poſſibilem, & in hoc valet vulgata regula, quod vtile per inutile non vitiatur per textum *in reg. vtile de reg. iur. in ſexto*, quod præcipuè verum eſt, quando vtile ab inutili eſt ſeparabile *Dinus in d. reg. vtile Iaſon in l. prima §. ſed, ſi mihi num. 4. ff. de verb. obligat.*, *Nauarrus in ſumma c. 12. nu. 41. verſ. ex quibus infertur.*

Quod, ſi ſupponas, non conſtare de intentione vouentis, an ſcilicet, vtrumq; voluerit indiuiſibilitèr, vel bonum independentèr a malo, vel poſsibile independentèr ab impoſsibili, tunc quando res eſt diuidua, præſumendum eſt, quod voluerit ſe obligare, quantum poteſt, & non alitèr, ne ponat actum fruſtratorium; hæc omnia confirmari poſſunt argumento eorum *in d. c. quidam, & c. placet de conuerſ. coniug.*, vbi cum profeſsio, & votum caſtitatis ſint quid ſeparabile ad inuicem, & vnum pro eo ſtatu fuerit impoſsibile, & alterum poſsibile, iura præſumunt pro poſsibili ſecluſo impoſsibili.

Aſſertio IX. Votum non petendi debitum poſt contractum, & fortè etiam conſummatum matrimonium ſine licentia

31 Votum non petendi debitū poſt conſummatum matrimonium tenet.

alterius ab altero emiſſum, ſiue hic fuerit maritus, ſiue fæmina non eſt irritum, ſed obligat *Sanchez d. lib. 9. de debito coniug. diſp. 35. num. 21.*, *Albertus Magnus in 4. diſt. 32. art. 4.*, *Aſtenſis in ſumma 2. part. lib. 8. tit. 10. art. 2. q. 2.*, *Leſſius de iuſt., & iur. lib. 2. c. 40. num. 99.*, *Reginaldus lib. 33. num. 352.*, *Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrimonij c. 3. num. 91.*

Ratio ex eo deſumitur, quia denegari non poteſt, quin materia illius voti ſit licita, honeſta, & a Deo acceptabilis afferente *D. Auguſtino ſuper pſalmum 146.*, quod *pro ſanctificatione perfecta Deus ſibi computabit, ſi non exigis, quod tibi debetur*, & ſit in poteſtate vouentis conſtituta, ergo non eſt, cur votum illud non debeat tenere, & obligare.

Intellige, ſiue vouens fuerit maritus, ſiue vxor.

Dixi, *ſiue fuerit maritus, ſiue vxor, quæ ſic vouerit* propter *Victoriam in ſumma de matrimonio num. 280.*, *Sotum lib. 7. de iuſt. q. 3. art. 1. verſ. an vero poſſit alteruter*, *Angles Floribus prima part. de matrim. q. 6. de oblig. ſoluendi debitum art. 1. difficul. 4.* volentes, quod, ſi maritus ſic vouerit propter præiudicium vxoris, (cum præ pudore fæminæ rarò ſoleant petere) votum illud non teneat, quod tamen facilè non approbarem, propter rationes ſuperius adductas, & quod ſcilicet vxor non debeat ægrè ferre, cum maritus vſus fuerit iure ſuo, & quod maritus ipſe, ſi nouerit vehementem appetentiam ad coitum eiuſdem vxoris, & periculum incontinentiæ, poſſit ſe offerre ad eundem coitum, cum hoc ſit quaſi virtualiter reddere.

Aſſertio X. Votum ſimplex Religionis emiſſum ab altero coniuge contracto iam matrimonio, ſed nondum conſummato ſine alterius licentia obligat quidem ad ipſius implementum; matrimonio verò iam conſummato obligat quidem, ſi referatur ad tempus habile, ſecus vero, ſi referatur ad tempus eiuſdem matrimonij conſtantis. Ita in vniuerſum ſentit *Sanchez d. lib. 9. de deb. coniug. diſp. 35. num. 32.* Prima, & tertia pars conſtat ex ſuperius dictis. Quoad ſecundam, vero ſic euincitur, quia vota conditionalia, & relata ad tempus, pro quo poſſint licitè exequi, ſine præiudicio alterius omnino licita ſunt, & obligatoria purificata conditione, ſub qua ſunt concepta, & aduenienté tempore, ad quod fuerunt relata, ergo cum illud votum fuerit relatum ad tempus habile, ſcilicet pro quo fuerit diſſolutum matrimonium per mortem alterius coniugis, vtique tenebit, & pro illo tempore obligabit ad ſui obſeruantiam.

32 Votum ſimplex Religionis obligat ad nō conſūmandum, conſummato vero obligat pro tempore habili.

Quoad votum vero ſuſcipiendi ſacros ordines emiſſum poſt matrimoniū abſq; licentia alterius coniugis dicendum eſt, quod, ſi referatur ad tempus habile obliget propter rationem mox adductam de voto ſimplici Religionis, ſi verò referatur ad tempus conſtantis matrimonij inducit quidem noxam grauem in vouentem, non tamen obligat ad ſui implementum. Ratio primæ partis ex eo deducitur, quia exhibet Deo pro tempore, pro quo nequit impleri; Exciperem tamen in caſu, quo matrimonium, cum eſſet hactenus conſummatum, & votum illud eſſet emiſſum animo profitendi ad effectum votum illud implendi, quia tunc teneretur ratione talis animi profitendi, & ad profeſſionem emittendam adhuc liber eſt. Ratio ſecundæ partis ex eo deſumitur, quia non poteſt Deo offerre id, quod alteri iam plenè obligatum eſt; nec poteſt diſponere de re alteri debita inuito Domino.

33 Quid dicendum ſit de voto ſuſcipiendi ſacros ordines.

Quoad votum non ineundi alterum matrimonium emiſſum conſtante priori matrimonio ex ſe patet validum eſſe, quin immo, & licitum, quia eſt de obiecto ſecundum ſe licito, honeſto, & meliori, & eſt ſub poteſtate eiuſdem vouentis.

34 Votum caſtitatis conſtante matrimonio, & cōſummato de licētia alterius emiſſum impedit reſpectu vouentis petitionē, & reſpectu alterius redditionē.

Aſſertio XI. Si conſtante matrimonio, ſiue fuerit præciſè ratum, ſiue conſummatum alter votum caſtitatis emiſerit de licentia alterius, probabilius, nec qui talem licentiam conceſſit, poteſt petere, nec qui vouit, tenetur reddere. *Gloſa in c. chariſſimus verb. prabuiſſe de conuerſ. coniug.*, *Abulenſis in Numeros c. 30. q. 81.*, *Alexander*

Digitized by Google

der in ſuo Enchiridio 2. part. præcepto ſexto, vbi de debito coniug. §. ſi vir petijt, *Stunica de voto q. 3. num. 62.*, *Caſtrus Palaus part. 5. tract. 28. diſp. 3. puncto 7. num. 6.*, *Paludanus in 4. diſt. 32. q. 1. art. 2. concl. 4. num. 9.*, *Adrianus 4. q. 14. de matrimon. verſ. 3. contingit*, *Turrecremata c. ſciatis 33. q. 4. art. 1. num. 2. caſu 4.* aduerſus *Sanchez d. lib. 9. de debito coniug. diſp. 36. num. 6.*, *Ioannem Angelum Boſſium tract. de effect. matrim. c. 3. num. 94.*, qui alios innumeros pro ſua ſententia allegant.

Moueor primo ea ratione, quia coniux concedens illam facultatem alteri vouendi caſtitatem eidem aliquid concedit, ad quod vouens ipſe non habet per ſe ius, cæteroqui talis facultas eſſet fruſtratoria, & inutilis, ſed hoc, quod concedit aliud eſſe non poteſt, niſi, quod ipſe cedit iuri ſuo petendi, & conſtituit vouentem in poteſtate ad non reddendum, ergo &c. Minor probatur, quia quoad effectum ſe obligandi ad non petendum vouens non dependet à voluntate concedentis illam facultatem, cum quoad hoc ex ſuperius allegatis, & probatis ſit plenè ſui iuris, ergo in illa conceſſione præſumendus eſt concedere ius, ne teneatur reddere, & per conſequens ipſe non poſſit petere.

Ratio prima pro aſſerto.

Dices non fore fruſtratoriam illam conceſſionem, quantumuis non tolleret onus in vouente reddendi, & à ſe concedens non abdicaret ius ad petendum, quandoquidem hunc effectum præſtaret, vt conſentiens non poſſet licitè abſque iuſta cauſa votum illud irritare, & vt ipſe vouens nunquam poſſit alteri offerre actum coniugalem, quod ex prædictis vtique poſſet quandoq; offerre, ſi talis facultas non eſſet conceſſa, prout notat *Sanchez d. lib. 9. de deb. coniug. diſp. 36. n. 2.* Sed contra, quia illa conceſſio facultatis ad vouendum facta alteri per alterum coniugem ex genere ſuo debet conferre aliquod ius conceſsionario de præſenti, quod prius in eodem non aderat, & demere aliquod ius concedenti, quod prius in ipſo aderat, cum dirigatur ad conſtituendum illud votum in valida forma, & ſecundum quod exigit natura eiuſdem voti ſecundum ſe; non enim debet intelligi petita, & conceſſa illa facultas ad obligandum ipſum vouentem, quantum obligari poteſt quoad ſe, cum ad hoc non requiratur talis facultas; ſed ad obligandum quantum exigit natura voti, adeout eum effectum ſortiatur, quem ſortiretur, ſi vouens in omnibus eſſet ſui iuris, & ſic illa conceſſio ſupplet defectum iuris, quod per matrimonium ademptum erat ad ſe obligandum Deo per votum quoad effectum petendi, & propterea per eandem conceſſionem reſtituitur in ſuo iure ad plenè vouendum, & ſe obligandum eidem Deo quoad omnia; Nec arbitrandum eſt illam conceſſionem dirigi ſolùmodo ad eum effectum, vt concedens non poſſit amplius irritare illud votum, vt præfertur in inſtantia, quandoquidem poſſet ſolum irritare illud votum, quatenus ſibi præiudiciale eſt, non autem, quatenus eſt ſub plena poteſtate vouentis, & ſic, ſi præſtita illa facultate non poteſt amplius irritare, hoc eſt intelligendum quoad ea, quæ erant ſui iuris, & ſic ſupponitur, quod ius ſuum transtulerit per illam conceſſionem in ipſum vouentem; Minus officere poteſt id, quod ſubditur in eadem inſtantia, nempe, quod ipſe vouens non poſſet vlterius offerre actum coniugalem alteri, qui ſic conceſſit vouere, ſicuti, quandoque poterat, ſeu poſſet, ſi non eſſet facta illa conceſſio; Minus, inquam, poteſt officere, quandoquidem, ſi in aduerſariorum ſententia non obſtante illa conceſsione concedens poteſt petere, & vouens tenetur reddere, non video, cur ipſe vouens interueniente cauſa, propter quam poſſet offerre, ſi non eſſet illa conceſsio, non poſſet etiam in iſta ſententia offerre interueniente illa conceſsione, quandoquidem illa oblatio per ſuperius dicta eſt quodamodo virtualis redditio.

Inſtantia propoſita aduerſus rationē, & diſſoluta.

Moueor ſecundo ex ijs, quæ docui *tom. VI. ſub tit. Contractus XV. de matrim. II. prænot. 9. num. 20.*, quod ſcilicet, ſi alter coniux de licentia alterius profeſſus fuerit in Religione, teneat eadem profeſſio, & deobliget profeſſum ab onere reddendi debitum, & demat ius in altero ad petendum, quæ tamen profeſsio foret inualida, nec profeſſus deobligaretur ab onere reddendi, ſi alterius licentia non acceſsiſſet, ergo licentia illa ab altero præſtita præſtat effectum, vt vouens, ſeu proficiens deobligetur ab onere reddendi, & demat ius in altero petendi, ergo, ſi hoc valet in ordine ad profeſsionem, non erit cur valere non debeat in ordine ad votum continentiæ.

Secunda ratio pro aſſerto.

Dices diſparem eſſe rationem de facultate conceſſa in ordine ad profitendum, ac de licentia præſtita in ordine ad ſimpliciter vouendam continentiam, ſeu caſtitatem, quandoquidem per facultatem conceſſam ad profitendum conceditur, vt tradatur poteſtas ſui corporis alteri, quæ non conceditur per facultatem ſimpliciter vouendi, nam per profeſsionem abſolutum dominium transfertur in Deum acceptantem per prælatos Religionis, per votum autem ſimplex tale dominium non transfertur, ſicuti non

Inſtantia oppoſita, & diſſoluta.

Digitized by Google

tranſfertur per ſponſalia, tranſfertur autem per matrimonium. Sed contra, quia, ſicuti illa licentia conceſſa ad profitendum ſufficiens eſt ad hoc, vt alter poſsit ſe obligare, quantum exigit natura profeſsionis ſecundum ſe, ita illa facultas præſtita ad vouendum videtur ſufficiens, vt alter poſsit ſe obligare, quantum exigit natura voti ſecundum ſe conſiderati, facultas etenim commenſurari debet ad normam operis, ad quod conceditur; votum autem ſecundum ſe obligat ad abſtinendum à quocunq; actu venereo ſiue petendo, ſiue reddendo, & ſi limitatur ratione ſubiecti, hoc eſt, quatenus eſſet in præiudicium alterius, cui præiuditio cedit hic alter per ſpontaneam conceſſionem facultatis, ſicuti cedit per conceſſionem ad profitendum; Neque vrgeas, quod ea licentia accipienda ſit, vt quam minimum poſsit, noceat concedenti, & hoc ex rationabilitèr præſumpta voluntate eiuſdem; contra enim impugnaberis, quia, vbi aliud non exprimitur, conceſsio ſumenda eſt iuxta naturam, & normam eius, ad quod conceditur, adeoq; iuxta naturam voti, & ad id, ad quod ex genere ſuo obligat votum, & cum conceſsio iuris alteri non competentis regularitèr ſit in damnum concedentis, cum ius ſuum transferat in alterum, non debet conqueri, quod alter vtens ſua conceſſione, & iure ex vi illius conceſſo deneget, quod antea ſibi debebatur.

Illa facultas eſt ſufficiens, vt alter poſſit ſe obligare.

35 **Cõcedens facultatem vouendi priuatur iure petendi.**

Ex quibus omnibus inferri licet in fortioribus terminis, quod concedens facultatem priuetur iure petendi, & conceſſarius onere reddendi, ſi facultas fuerit cõceſſa ad omnimodam, & abſolutam caſtitatem, prout aſſerunt *Phyliarchus de offic. ſacerd. tom. 1. part. 2. lib. 3. c. 4. §. accipiatur, Coninchus de matrim. diſp. 34. nu. 53., Baſilius Pontius de matrim. lib. 10. c. 5. n. 20., Caſtrus Palaus part. 5. tract. 28. diſp. 3. punct. 7. num. 6.*, quamuis plurimi ex iſtis contrarium ſentiant, quando facultas conceſſa eſt ſimplicitèr ad vouendum ſine illa expreſsione omnimodæ caſtitatis; atq; hoc videtur expreſsè colligi *arg. textus in c. chariſſimus de conuerſ. coniug.*, vbi ſic legitur. *Si inueneritis virum ad tempus præbuiſſe conſenſum, maximè, ſi non idem vir continentiam vouit perpetuam eandem viro cohabitare faciatis, & vtrumq; inuicem maritali affectione tractare*, ergo vbi de conſenſu viri omnimodam, & perpetuam vouerit caſtitatem, & continentiam non erit vxor compellenda ad maritalem affectionem quoad vſum. Deindè conſidero in hoc textu, quod non dicatur, quod ſit compellenda vxor ad cohabitandum, & ad illam affectionem maritalem quoad vſum intra tempus, ad quod præſtitus eſt conſenſus ille mariti, vndè deciſio referenda eſt ad tempus, pro quo ceſſauit illa conceſſio; ex quo ſic argumentor; Si quando facultas vouendi conceſſa eſt ad tempus non poteſt vouens compelli ad vſum coniugalem, niſi eo tempore elapſo, ergo, quando erit conceſſa indefinitè ad quodcunq; tempus pro nullo tempore poterit compelli &c.

36 **Si vterq; mutuo cõſenſu vouerit caſtitatem neuter poteſt petere, & neuter reddere.**

Aſſertio XII. Si vterque coniux mutuo conſenſu vouit caſtitatem neuter poteſt petere, & neuter licitè reddere. *Innocentius c. 1. in fine, & c. dudum nu. 4. de conuerſ. coniug., Abbas in c. cariſſimus num. 6. eod. tit., Henricus c. tua nos nu. 4. de iure iur., Ancharanus c. vnico n. 3. de voto in ſexto, Abulenſis in Numer. c. 30. q. 86. in fin., D. Antoninus 3. part. tit. 1. c. 22. §. 4., Sotus in 4. diſt. 27. q. 1. art. 1. verſ. id autem, Aragonius 2. 2. q. 88. art. 8. dub. vlt., Azorius inſtit. mor. lib. 11. c. 21. q. 5. Leandrus Diſcalceatus de Sacram. tom. 1. tract. 9. diſp. 35. q. 78., Leſſius lib. 2. c. 40. num. 29., Sanchez d. lib. 9. diſp. 37. num. 10., Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrim. c. 3. num. 100.*

Rationes pro aſſerto.

Ratio ex eo deducitur, quia ex quo vterque mutuo conſenſu plenè vouit, vterque ſe obligauit ad non petendum, & vterque iuri ſuo liberè renuntiauit, & vterque alterum liberauit à ſeruitute, ergo neutèr habet ius iuſtitiæ ad exigendũ, adeoq; neutèr obligabitur ad reddendum, quinimmo, ſi reddat, grauitèr peccabit contra votum caſtitatis, quod obligat ad abſtinendum ab omni actu venereo, & ad ſeruandam continentiam, in quantum poteſt.

Inſtantia propoſita, & diſſoluta.

Dices, ſi vterque ſeorſim ſine mutuo conſenſu caſtitatem vouerit, quantumuis neutèr poſſit licitè petere, poteſt tamen alteri petenti licitè reddere, quinimmo tenetur, ergo etiam quantumuis vterque mutuo conſenſu vouerit caſtitatem, ſi alter tamen petat, poterit alter licitè reddere, quinimmò tenebitur. Sed contra negandа eſt conſequentia. Ratio diſparitatis in eo conſiſtit, quod, quando votum emiſſum eſt ſeorſim ſine conſenſu mutuo vtriuſque non eſt ſublatum ius iuſtitiæ, ſed ſolummodo impeditum ratione voti caſtitatis, vndè, ſi alter petat, peccat quidem contra caſtitatem, non autem contra iuſtitiam, & ſic non eſt, cur alter non teneatur reddere, quando verò votum eſt emiſſum ex mutuo conſenſu vtriuſque, iam ratione mutui pacti, ſeu conſenſus vterque ceſſit iuri ſuo liberè, & liberè alterum a ſeruitutè liberauit, adeoque non poteſt compellere alterum ad ſibi reddendum, qui propterea, cum poſſit non reddere ratione conſenſus ſibi præſtiti,

Digitized by Google

ſtiti, & liberationis factæ reddendo grauitèr peccaret, cum non ſeruaret continentiam in eo, in quo poſſet ſeruare ſine iniuria alterius.

Alia inſtantia diſſoluta.

Inſtabis; etiam per illum mutuum conſenſum non intelligitur abolitum ius iuſtitiæ, quod habent coniuges ex vi contractus matrimonialis, quod ex eo euincitur, quod, ſi non obſtante illo mutuo voto, & mutuo conſenſu carnalitèr adinuicem commiſceantur, non dicantur adulteri, ſed ſacrilegi, quin immo, ſi commiſcerētur cum alijs eſſent propriè adulteri, quod verum non eſſet, ſi in illis non remaneret ſaltem radicalitèr ius iuſtitiæ, ergo remanente in iiſdem illo iure iuſtitiæ ad petitionem vnius quantumuis ſacrilegam alter tenebitur reddere. Conſequentia hæc tenet, quia in tantum in præcedenti inſtantia eximimus coniugem reddentem à culpa, quando ſeorſim, & ſine mutuo conſenſu votum emiſſum eſt, in quantum per illud votum non eſt ſublatum ius iuſtitiæ in petente, quantumuis impeditum per votum caſtitatis, ergo, cum etiam in præſenti hypotheſi remaneat ſaltem radicalitèr in eiſdem coniugibus ius iuſtitię ad petitionem vnius, alter tenebitur reddere. Sed contra ea, quæ dicuntur in hac inſtantia, ſolum verificantur quoad vinculum coniugale, quod certè per illud votum, & mutuum conſenſum non diſſoluitur, & ad ſummū quoad ius quoddam radicale in ordine ad ſubſtantiam imbibitum in ipſo vinculo, non autem quoad ius proximum in ordine ad vſum, cui fuit renuntiatum per illud votum mutuo conſenſu elicitum, quod ſatis eſt vt vterque dicatur carere iure iuſtitiæ ad petendum debitum.

Auctoritas D. Auguſtini ad rem noſtram.

Aſſertionem noſtram magis confirmat D. Auguſtinus Epiſt. 199. ad Ecdiſiam, per illa verba, *Quod Deo pari conſenſu voueratis perſeueranter vſque in finem reddere debuiſtis, à quo propoſito, ſi ille lapſus eſt, tu ſaltem inſtantiſſime perſeuera*, vbi nota, quod votum Deo factum eſt obſeruandum vſq; ad finem, vlterius quod, quantumuis alter peccauerit, teneatur alter conſtantiſſimè perſeuerare, & per conſequens etiam debitum denegare.

Nonnulla dubia circa prædicta excitata.

Hic duplex oritur difficultas. Prima eſt, an coniuges ipſi, qui voto mutuo cōſenſu elicito ſe obligarunt ad non petendum, & non reddendum labem aliquam contraxerint per illud mutuum votum, & conſenſum. Secunda, an ſicuti mutuo conſenſu obligationem illam non petendi, & non reddendi contraxerunt, ita poſſint mutuo conſenſu illam diſſoluere, eamque ſibi remittere?

37 Votū mutuo conſenſu emiſſum nullā noxam inuoluit.

In ordine ad primam abſolutè ſentio tale votum mutuo cōſenſu emiſſum nullam noxam inuoluere *Gloſa c. veniens verb. illicitum de regular.*, *Aſtenſis in ſumma 2. part. lib. 8. tit. 10. art. 2. q 8.*, *Sotus in 4. diſt. 27. q. 1. art. 4. verſ. at vero citrà mortem. Sanchez diſp. 37. n. 17.*, *Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrimonij c. 3. num. 102.* Ratio ex eo deducitur, quia huiuſmodi votum eſt de opere meliori, & de conſilio, & de obiecto, quod eſt ſub poteſtate vouentium, nec alteri ex illis infert præiuditium, ergo non eſt, cur debeat aliqua labe inficiari. Neque dicas inficiari huiuſmodi votum ob periculum incontinentiæ, cui ſe exponunt ſic mutuo conſenſu vouentes; contra enim impugnaberis, quia in primis reſolutio noſtra procedit conſiderato tali voto ex obiecto, non ſecundum circunſtantias, ſecundum quas poſſit deprauari. Deindè non ſupponimus illud incontinentiæ periculum, cum ſupponamus cum plena deliberatione, & conſideratione vouiſſe;

Inſtantia propoſita, & diſſoluta.

Neque vlterius vrgeas, quod iura ſemper præſumant pro tali periculo incontinentiæ, quouſq; coniuges peruenerint ad annum ſexagenarium, quod videtur colligi *ex c. cum ſis de conuerſ. coniug.*, vbi ob periculum incontinentiæ ſtatuitur, quod alter ex coniugibus etiam de licentia alterius, non poſſit ad Religionem migrare, & in ea profiteri, niſi alter, de cuius licentia profiteri intendit, tranſeat etiam ad Religionem, ſi fuerit iuuenis, vel emiſerit votum continentiæ, ſi fuerit ſenex ſexagenarius; hoc autem periculum incontinentiæ æquè conſiderari poteſt in ijs, qui vouent ſimplicitèr caſtitatem permanentes in ſæculo, quinimmo maius periculum eſt in hoc caſu, quo permanere intendunt in ſæculo, vt per ſe patet; contra adhuc impugnaberis, quia diſpar omnino eſt ratio in profeſſione ſolemni Religionis, ac in voto ſimplici caſtitatis, & potiora iura induxerunt Eccleſiam ad inducendam obligationem illam in altero coniuge concedente alteri facultatem profitendi in Religione, mutandi ſtatum, quando eſt iuuenis per ſimilem profeſſionem, ac ad inducendam ſimilem obligationem, quando facultas ſolummodo conceſſa eſt ad ſimplicitèr vouendam caſtitatem; Hæc iura potiora conſiſtunt in eo, quia emiſſo ſimplici voto caſtitatis poteſt occurri periculo incontinentiæ per diſpenſationem, ac proindè mirum non eſt, quod Eccleſia tantam induceret obligationem, quātam induxit pro profeſſione, emiſſa autem ſolemni profeſſione tali periculo non poteſt occurri per diſpenſationem, adeoque &c.

Inſta-

Digitized by Google

Inſtabis vlterius, iura Eccleſiaſtica etiam pro voto ſimplici caſtitatis ſtatuerunt, quod non ſufficiat votum vtriuſque mutuo conſenſu elicitum, ſed vlterius voluerunt requiri Epiſcopi conſcientiam, per textum *in c. ſi vir, & vxor 27. q. 2.*, vbi ſic legitur, *ſi vir, & vxor pro ſola Religioſa inter ſe conſenſerit vita, nullatenus ſine Epiſcopi conſcientia fiat*, vbi nota, quod cum dicatur *pro ſola Religioſa inter ſe vita*, non ſit diſpoſitio intelligenda de ſolemni profeſſione in Religione, cum tunc non ſit vita inter ſe, ſed de priuata vita, quæ habeatur per votum caſtitatis ſimplex, quæ ſecundum quod poteſt dici Religioſa, quatenus imitatur continentiam Religioſorum per abſtinentiam ab actibus venereis. Rurſus *in c. tua el 2. de iure iur., & c. veniens de Regular.* iuramentum mutuum de matrimonio ſeparando factum à coniugibus appellatur temerarium, & non ſeruandum. Sed contra, ad primum textum dico, vel illum procedere ſolummodo de conſilio, prout notat *Gloſa ibid. in verb. conſcientia*, vel procedere, quia ibi coniuges conſtituere intendebant Monaſterium, & ad illud tranſire. Ad ſecundum, & tertium textum dicendum eſt, ea in eiſdem textibus fuiſſe diſpoſita, quia coniuges ſeparare intendebant matrimonium non ex affectu ſeruandæ continentiæ, ſed ex cauſa iniuſta, vt pluribus allegatis canoniſtis notat *Sanchez d. lib 9. diſp. 37. n. 17.*

Non requiritur ad hoc Epiſcopi conſcientia.

38 Non negauerim tamen, quandoq; ex circunſtantia in tali voto interuenire poſſe aliquam noxam, puta, ſi fuerit aliqua imprudentia in vouendo extante manifeſto periculo futuræ incontinentiæ; vndè meritò dixit *Sotus loc. cit.*, quod ſi ambo incontinentiam non timent, poſſint liberè, & licitè vouere.

Poteſt tamen ex circumſtãtia interuenire aliqua noxa.

39 In ordine ad ſecundam dico, quod, ſi coniuges poſtea ſibi remittant ius illud, quod acquiſierunt ex mutuo conſenſu non petendi, nec reddendi debitum, conſtituantur rei voti violati; remiſſio tamen illius iuris teneat, quantum ad effectum, vt teneantur alteri petenti reddere, non autem, vt poſſint licitè petere. Ita in vniuerſum *Sanchez d. lib. 9. diſp. 37. n. 15., Baſilius Pontius lib. 10. c. 17. nu. 14., Suarez tom. 3. de Religione lib. 9. c. 9. nu. 7., Caſtrus Palaus tom. 3. de voti relaxatione diſp. 2. p. 2. nu. 6., Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrim. c. 3. num. 104* Ratio primæ partis ex eo deſumitur, quia votum illud mutuo conſenſu veſtitum per ſuperius dicta obligat ad non petendum, & ad non reddendum debitum, ergo ſi mutuo cõſenſu ſibi remittant talem obligationem conſtituentur ſacrilegi effractores voti. Conſequentia probatur, quia illa remiſſio renunciationis iuris ad non petendum, & ad non reddendum lædit ſaltem in parte votum ipſum continentiæ ſeruandæ, nempè quoad onus non reddendi, immo etiam quoad ius petendi, quantum eſt ex iure iuſtitiæ, ergo &c. Neque dicas, quod mutuus ille conſenſus non cadat ſub voto, cum ſe habeat ſolummodo per modum cuiuſdam pacti, ſeu conuentionis inter partes, quæ ſicuti mutuo conſenſu contracta eſt, ita mutuo cõſenſu poteſt diſſolui, per textum *in c. 1. de reg. iuris.* Quod autem non cadat ſub voto, tàm à priori, quàm à poſteriori euincitur; à priori, quia materia talis voti non eſt niſi caſtitas abſolutè ſeruanda; à poſteriori, quia ſi caderet ſub voto fruſtra inquireretur, an mutuo conſenſu poſſet diſſolui, ſeu remitti, quãdoquidem, cum ius eſſet quodamodo Deo quæſitum, non eſſet ſub poteſtate contrahentium illud diſſoluere, ſicuti non eſt in poteſtate eorundem diſſoluere votum; Contra enim impugnaberis, quia dato, quod mutuus ille conſenſus non cadat ſub voto, denegari tamen non poteſt, quin mutuus ille conſenſus fuerit ratio, proptèr quam continentia ſub illo modo abſtinendi à coitu, & actu venereo, tàm petendo, quam reddendo fuerit obligata, & quod propterea per illam remiſſionem quoquomodo violetur illud votum ſub illo modo conceptum, ſicuti quando eſt abſolutè promiſſa continentia Deo per votum ante matrimonium, quæ ſecundũ ſe abſolutè obligat ad ipſam ſeruandam, tàm in petendo, quàm in reddendo, non tollitur, ſeu denegari non poteſt, quin eadem violetur per ſubſequentem contractum matrimonij, cum per ipſum ponatur onus reddendi; Neque hinc inferas, quod ſicuti votum ipſum non poteſt remitti per partes, ita neque mutuus ille conſenſus, ſiquidem per remiſſionem illius conſenſus remitteretur pars continentiæ obligatæ per votum Deo; Non, inquam, hoc inferas, quandoquidem, vt bene notant *Sanchez d. lib. 9. diſp. 37. nu. 15., & Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrim. c. 3. num. 104.*, talis remiſſio voti non eſt irritatio voti quoad partem propriè, & per ſe, ſed ſolum per accidens, & quaſi indirectè, quia non obſtante tali voto habet vterque proprij corporis dominium ad illud quaſi ſacrilegè transferendum. Ratio ſecundæ partis ex eo deſumitur, quia ad validitatem remiſſionis, neq; obeſſe poteſt mutuus ille conſenſus, neque votum ſimplex caſtitatis; non mutuus conſenſus ſecundum ſe, quia hic poteſt ſecundum ſe per alium mu-

Si votum illud ſibi inuicem remittant conſtituũtur rei voti violati.

Inſtantiæ contra reſolutionẽ, & earum reſolutio.

Digitized by Google

mutuum conſenſum contrarium diſſolui, ſicuti, ſi mutuo ſibi ſpopondiſſent coniuges non petere, poſſent per alium mutuum conſenſum illum reuocare, & ſibi inuicem facultatem tribuere petendi; non votum ſimplex caſtitatis, quia hoc non aufert corporis dominium, nec impedit valorem translationis in alium; vt videre eſt in eo, qui obſtrictus voto ſimplicis caſtitatis contrahit matrimonium per verba de præſenti, ergo facta illa mutua remiſſione, quantumuis hæc ſit ſacrilega, cũ votum perſeueret, neuter poterit petere, vterq; tamen alteri petenti tenebitur reddere; Neque dicas, neque illum mutuum conſenſum ſecundum ſe, neque votum caſtitatis ab vtroque emiſſum, ſi ſeorſim accipiatur ab illo mutuo conſenſu obeſſe illi remiſſioni, bene tamen vtrumque ſimul, quatenus ſcilicet ille mutuus conſenſus eſt de voto, & refertur ad illud pleno iure validandum, quia tunc non ſolum obligat ex Religione ob votum, ſed etiam ex iuſtitia ob mutuum conſenſum; contra enim impugnaberis, quia illa obligatio iuſtitiæ conſurgens ex illo mutuo conſenſu, quantumuis hic referatur ad votum, poteſt mutuo etiam conſenſu diſſolui, quamuis talis diſſolutio ſit ſacrilega, propter aliqualem voti violationem, & hoc ex generali regula, quod ex ijs cauſis, ex quibus vinculum conſtitutum eſt, poſſit infringi.

Aſſertio XIII. Mutuum pactum non petendi, nec reddendi debitum per coniuges initum validum eſt, & obligat; poteſt tamen mutuo etiam conſenſu remitti, adeout vterque poſſit petere, & reddere *Nauarrus in ſumma c.12.nu.59. in fin., Ludouicus Lopez prima part. inſtruct. c.84. paulo poſt initium, Sanchez de matrim. lib.9. diſp. 37. num.19., Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrimon. c.3. num.105., & ſeqq.*

40 Mutuum pactum non petẽdi, nec reddendi tenet, poteſt tamen licitè remitti.

Ratio primæ partis ex eo deducitur, quia tale pactum eſt de obiecto honeſto, quod eſt ſub poteſtate paciſcentium, nec per illud aliqua iniuria alteri irrogatur, ergo non eſt, cur non debeat ſubſiſtere, & ſuum ſortiri effectum. Antecedens quoad primas partes patet, quoad vltimam etiam euincitur, quia ex quo, vterque mutuo conſenſu adhæret illi pacto, neuter per illud iniuriam patitur ex vulgari regula ſcienti, & conſentienti non fit iniuria.

Rationes pro aſſerto.

Ratio ſecundæ partis ea eſt, quia illud pactum totam vim habet à voluntate paciſcentium, ergo per aliam voluntatem contrariam mutuo præſtitam poterit vim illam amittere, & vterque conſtitui in primæuo ſuo iure, ergo diſſoluto illo pacto per mutuum conſenſum, vterque poterit libere petere, & vterque libere reddere; non enim ſupponitur aliqua obligatio facta Deo.

Quod ſi inquiras, quid ſentiendum ſit, ſi alter coniux velit remittere illud pactum, alter verò non; tunc dicam, quod ille, qui renuit pactum illud remittere, non teneatur reddere debitum, nec poſſit compelli ad reddendum *Abulenſis c.19. Geneſis q.3. lit.C., Sanchez d. lib.9. diſp.37. num.21., Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrim. c.3. num.*108. Ratio eſt, quia, cum illud pactum fuerit ex vtraque parte poſitum, non poteſt per vnam altera renuente diſſolui; nam ille, qui renuit ex illa mutua conuentione ius acquiſiuit, quo non poteſt priuari ex ſolo alterius arbitrio. Excipit tamen Sanchez caſum, quo alter, qui renuit remittere, cognoſceret alterum pacti pænitentem vexari carnis ſtimulis vehementibus, vt ſi non redderet facilè ſit prolapſurus in incontinentiam; tunc etenim ſentit, ſi non lege iuſtitiæ, ſaltem lege caritatis eidem reddere teneri.

41 Non remittens non tenetur reddere debitum.

Aſſertio XIV. Si mutuum illud pactum non petendi, nec reddendi debitum fuerit etiam mutuo iuramento firmatum, & iuramentum fuerit ſolummodo in fauorem vtriuſque, vt vterque liber remaneret ab obligatione reddendi, poteſt mutuo conſenſu remitti, ſi vero iuramentum illud fuerit emiſſum intuitu pietatis, vt ſcilicet in Dei cultum continentiam iurantes obſeruarent, tunc eodem modo phyloſophandum eſt, quo dictum mox fuit de voto mutuo conſenſu emiſſo. Conſentiunt *Sanchez d. lib.9. diſp.37. nu. 20., Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrimon. c.3. num.* 108.

42 Si pactum fuerit iuramento ſolum in fauorem vtriuſque firmatum poteſt mutuo conſenſu remitti.

Ratio primæ partis ex eo deducitur, quia, cum iuramentum illud fuerit inductum ad firmandum mutuum illud pactum, & in fauorem dumtaxat ipſorum paciſcentium, ipſi videntur liberi, vt cedant mutuo conſenſu proprio fauori, nec iuramentum tollit tale ius remiſſionis, quandoquidem hoc reſpicit dumtaxat ius eorundem, qui ſicuti poſſunt cedere pacto cum hoc ſolum inuoluat ipſorum commodum, ita etiam iuramento propter eandem rationem.

Ratio ſecundæ partis ex eo deſumitur, quia iuramentum illud obligat iurantem ſub promiſſione ad Deum directa, & quidem de re, quæ tendit ad honorem Dei, ergo perindè eſt, ac ſi eſſet votum factum Deo de mutuo illo pacto ſeruando, adeoque eodem modo diſcurrendum eſt de illo iuramento, ac de voto.

Secus, ſi fuerit emiſſũ titulo pietatis.

SEC-

SECTIO X.

An coniux poſſit irritare vota alterius coniugis.

SVMMARIVM.

Vota ſecundum diuerſas qualitates conſiderata. 1.
Vota caſtitatis &c. emiſſa ante matrimonium non poſſunt ab altero coniuge irritari. 2.
Nec etiam, ſi fuerint emiſſa conſtante matrimonio. 3.
Nequit maritus vota caſtitatis, & non petendi emiſſa ab vxore conſtante matrimonio de ipſius licentia irritare. 4.
Neque etiam quoad ius reddendi. 5.
Si vterque coniux mutuo conſenſu vouerit caſtitatem, neuter poteſt votum alterius irritare. 6.
Extende etiam quoad votum Religionis. 7.

1 Vota ſecundum diuerſas qualitates conſiderata.

HViuſmodi vota, de quibus procedit præſens titulus, vel potuerunt eſſe emiſſa ante matrimonium, vel eodem matrimonio iam conſtante, & ſi conſtante matrimonio, vel fuerunt emiſſa de licentia alterius coniugis, vel ſine tali licentia. Rurſus ſiue fuerint emiſſa cum licentia, ſiue ſine eadem, vel referuntur quoad executionem ad tempus talis matrimonij conſtantis, vel ad tempus, pro quo diſſoluetur per mortem alterius coniugis, vel per aliam cauſam. Tandem vel huiuſmodi vota, ſiue ante, ſiue poſt matrimonium emiſſa fuerunt à marito, vel de, ſeu ſine licentia vxoris, vel ab vxore ſiue cum, ſiue ſine licentia mariti.

Extendunt nonnulli quæſtiones ad quæcunque vota in quocunque genere emiſſa ſiue ante, ſiue poſt matrimonium inquirentes, an alter coniux poſſit eadem irritare; nos ad præſentem materiam rem reſtringentes inquiremus dumtaxat, an vota quoquo modo repugnantia matrimonio, ſeu vſui ipſius ſint per alterum coniugem irritabilia.

Aſſertio I. Vota caſtitatis, Religionis, non petendi debitum emiſſa ab vxore ante matrimonium non poſſunt à marito irritari, & à fortiori nequeunt ab vxore irritari, ſi fuerint à marito emiſſa *D. Bonauentura in 4. diſt. 32. in expoſit. literæ nu. 4., Vincentius in ſpec. doctrin. tom. 2. lib. 9. c. 86. in fin., Paludanus in 4. diſt. 38. q. 4. art. 2. concl. 5. num. 23., Caietanus in opuſc. tom. 1. tract. 31. ſeptemdecim reſponſionum reſp. 14. dub. 4., Valentia 2. 2. diſp. 6. q. 6. de voto punct. 6. q. vlt. de votis ſubditorum §. exiſtit autem, Nauarrus in ſumma c. 12. num. 64., Sanchez lib. 9. de matrim. diſp. 39. n. 27., & ſeqq.*

2 Vota caſtitatis &c. emiſſa ab altero coniuge ante matrimonium non poſſunt ab altero irritari.

Probatur primo in vniuerſum quoad vota caſtitatis, & non petendi debitum, quia huiuſmodi vota quoad ius non petendi non ſunt marito ſubiecta nec quoad ſe, nec quoad materiam circa quam verſantur, ergo non poterunt per eundem irritari. Antecedens probatur, quia ex ſuperius dictis quicunque coniux in ordine ad petendum, & non petendum eſt omnino liber, & ſui iuris; non enim ex vi matrimonij compellitur ad petendũ, quamuis obligetur ad reddendum, & per conſequens nec ipſa, nec illa materia, quam vouit, eſt ſubiecta alteri coniugi.

Probatur ſecundo ſpecialitèr quoad votum Religionis, quia vel matrimonium contractum poſt illud votum Religionis intelligitur iam conſummatum, vel non; ſi adhuc non intelligitur conſummatum, coniux, qui Religionem vouit, tenetur votum illud adimplere, cum liber omnino ſit ad illius adimplementum; ſi vero intelligitur iam conſummatum, vel quæſtio eſſet de iure irritandi, dum adhuc perſeuerat idem matrimonium, vel pro tempore, pro quo illud diſſoluetur; ſi pro tempore conſtantis matrimonij, non eſt neceſſaria illa irritatio, quandoquidem eodem matrimonio conſummato vrgente fortiori vinculo eiuſdem matrimonij conſummati, quod transfert plenum dominium, & perfectam poſſeſſionem in alterum, vouens eximitur ab onere ingrediendi Religionem, & tenetur abſolutè alteri petenti reddere; ſi pro tempore, pro quo illud diſſoluetur; iam non eſt in poteſtate eiuſdem coniugis materia eiuſdem voti, cum fuerit antecedentèr promiſſa ad matrimonium cum ipſo contractum, & pro tempore adimplementi poſt diſſolutum matrimonium adimplementum ipſum non eſt, nec poteſt eſſe eidem coniugi præiudiciale, & coniux, qui vouit, tunc omninò liber ſit, & ſui iuris.

Rationes pro aſſerto.

Aſſertio II. Vota caſtitatis, Religionis, & non petendi emiſſa ab altero coniuge conſtante matrimonio ſine licentia alterius coniugis probabilius non poſſunt per iſtum, qui facultatem non fecit, irritari. *D. Bonauentura in 4. diſt. 32. in expoſit. lit. num. 4., Caietanus in ſumma verb. votum c. de condit. ex parte vouentis §. ſcito, Ledeſma 2. part. 4. q. 66. art. 4. in fin., Palacios in 4. diſt. 32. diſp. 2. fol. 717. col. 1., Angles Floribus 2. part. q. de voto art. 7. diffic. 9., Valentia 2. 2. diſp. 6. q. 6. de voto punct. 6. q. vlt. de votis ſubditorum §. exiſtit autem*, hancq; ſatis probabilem appellat *Sanchez d. lib. 9. diſp. 39. num. 10.*, quamuis num. ſeq. adhæreat contrariæ opinioni tanquam probabiliori.

3 Nec etiã, ſi fuerunt emiſſa cõſtante matrimonio ſine licẽtia alterius.

Ra-

Digitized by Google

Rationem ex eo deduco, quia, ſi huiuſmodi vota fuerint emiſſa antecedentèr ad matrimonium, non poſſunt per alterum coniugem irritari per ea, quæ mox tradidimus in præcedenti aſſertione, & fatetur *Sanchez d. diſp. 39. num. 27., & ſeqq.*, ergo, nec poterunt irritari, quantumuis fuerint emiſſa conſtante eodem matrimonio. Conſequentia probatur, quandoquidem materia petendi, ſeu non petendi æquè non eſt ſubiecta poteſtati mariti ſiue ante, ſiue poſt matrimonium contractum, quandoquidem matrimonium ipſum, licet obliget ad reddendum, non obligat tamen ad petendum, quinimmo in ordine ad petendum, ſeu non petendum æquè vxor eſt libera, & ſui iuris poſt idem matrimonium, ergo, cum illa materia non ſit ſubiecta viro, non poterit per hunc auferri. Confirmari poteſt primo, quia ad hoc, vt maritus poſſit vota vxoris irritare, requiritur, vt habeat ſuperioritatem in ordine ad eandem vxorem quoad ea, in quibus intendit irritationem; ſed in ordine ad actus coniugales maritus non eſt ſuperior ad ſuam vxorem, ſed quoad ipſos ſunt pares per textus *in c. gaudemus de diuort., & c. ſi quis vxorem 32. q. 1., Durandus in 4. diſt. 38. q. 1. art. 1. num. 7.*, ergo non poterit votum vxoris quoad eos actus irritare. Neque dicas cum *Sanchez d. diſp. 39. num. 11. prope medium*, quod quamuis vir, & vxor ſint pares quoad libertatem non petendi, & quoad obligationem reddendi, quoad illam tamen nouam obligationem, quæ accidentaria eſt, vxor ſubdatur viro tanquam capiti; Contra enim impugnaberis, quia ex eo, quod vxor eſt libera quoad huiuſmodi actus æquè, ac eſt vir, vtique libere poteſt ſe obligare, & fruſtratoria eſſet illa libertas, ſi eandem non poſſet ad vnum obligare, nempe ad non petendum, ſi enim ea obligatio poſſet auferri, non fuiſſet vouens ad eandem ponendam liber. Confirmari poteſt ſecundo ex textu *in c. placet de conuerſ. coniug.*, vbi dicitur vxorem abſq; licentia mariti profeſſam, ſi fuerit ab eodem reuocata, non poſſe exigere debitum addita ratione, quia, quantum ad ius exigendi omnino libera erat, & ſui iuris; Neque obeſſe poteſt, ſi dicatur cum *Sanchez loc. cit. nu. 13.* hunc textum quoad præſentem effectum nihil probare, quia in eodem non dicitur, quod maritus irritauerit votum vxoris, ſed dumtaxat, quod eandem a Religione reuocauerit; Non, inquam, obeſſe poteſt, quia, ſi æquè potuiſſet reuocare a Religione, & votum irritare, præſumendum eſſet, quod in tali reuocatione ad effectū conſtituendi matrimonium in primæuo ſuo iure intenderit etiam irritationem, ac proindè, dum textus dicit, quod vxor ſic profeſſa à Religione non poſſit debitum exigere, ſupponit, quod votum illud implicitè imbibitum in illa profeſſione, quantumuis nulla, non poſſit à marito irritari.

Rationes pro aſſerto.

Dices primo, quod quantumuis maritus non habeat ſuperioritatem verſus vxorem quoad actus coniugales, cum in iſtis vxor, & maritus ſint pares, habeat tamen regimen, & directionem quoad ipſius voluntatem, quatenus Deus ſubdidit ipſius voluntatem viro aſſerente *Apoſtolo ad Epheſ. 5. mulier ſub viri poteſtate eſt*, cum hæc ſic leuis, imprudens, & facilis in votis ſine deliberatione emittendis, ergo ratione talis directionis, regiminis, & poteſtatis in voluntatem vxoris poterit eius vota irritare, ſicuti Prælatus ratione talis regiminis, & poteſtatis poteſt irritare vota Religioſi ſibi ſubditi, quod videtur etiam innuiſſe *D. Thomas 2. 2. q. 88. art. 8. ad tertium*, per illa verba, *Quia nullum tempus eſt exceptum, in quo Prælatus non poſſit ſubditum circa aliquid occupare, nullum votum Religioſi eſt firmum, niſi ſit de conſenſu prælati, ſicuti nec votum puellæ exiſtentis in domo, niſi ſit de conſenſu Patris, nec vxoris, niſi ſit de conſenſu viri*. Sed contra primo, quia, ſi ratione leuitatis, imprudentiæ, & facilitatis in emittendis huiuſmodi votis, poſſet maritus irritare huiuſmodi vota caſtitatis, Religionis, & non petendi emiſſa poſt contractum matrimonium, poſſet etiam irritare eadem emiſſa ante celebrationem eiuſdem contractus, pro tempore, quo eadem vxor facta fuerit ſub ipſius poteſtate, ſicuti Prælatus Religionis poteſt irritare vota Religioſi emiſſa ante profeſſionem in eadem Religione, quod tamen non admittit Sanchez, nec alij DD. ab eodem allegati pro ſua ſententia. Secundo, quia ea, quæ dicuntur in inſtantia non procedunt quoad vota caſtitatis, & non petendi debitum, cùm in ordine ad iſta ſit vxor omnino libera, & ſui iuris, & independens à voluntate Patris, ſi non fuerit nupta, & à voluntate mariti, ſi fuerit nupta, cuius ſignum euidens eſt, quod ſi fæmina nuptias promiſerit, vel contraxerit etiam contra voluntatem Patris, teneat promiſſio, & nuptiæ, & poſſit eaſdem contrahere, & effectuare etiam inuito Patre. Certè, & ipſe Sanchez diſcrimen aliquod cognouit inter hæc vota caſtitatis, & non petendi, & inter alia vota, dum *eadem diſp. 39. nu. 4.* dixit, quod quamuis quoad actum coniugalem vir, & vxor pares ſint, non tamen in cæteris, in quibus vir eſt caput mulieris, & ibi-

Inſtantia propoſita, & diſſoluta.

Vxor in ordine ad huiuſmodi vota eſt ſui iuris.

dem paulo ante dixit de muliere, *quæ abſtinentiæ cauſa vouerit ad diſtinctionem voti continentiæ, de quo eſt ſpecialis difficultas*. Tertio, quia Prælatus Religionis nequit irritare votum Religioſi quantumuis profeſſi de tranſitu ad ſtrictiorem Religionem, vt eſt in confeſſo apud omnes, quia quoad hoc Religioſus non eſt ſub poteſtate Prælati, & materia eſt de opere meliori, ergo etiam maritus non poterit irritare vota caſtitatis &c. vxoris, cum quoad illam materiam ſit libera, & eadem materia ſit de meliori bono.

Dices ſecundo ex *D. Auguſtino lib. 4. q.59. in Numeros relato in c. manifeſtum 33. q. 5.*, vbi ſic expreſsè habet *Manifeſtum eſt ita voluiſſe legem fœminam ſub viro eſſe, vt nulla eius vota, quæ abſtinentiæ cauſa vouerit, reddantur ab ea, niſi author vir fuerit permittendo*, quem textum pro confirmatione affert *Sanchez d. diſp. 39. nu. 4.* cum pluribus alijs ad idem tendentibus. Quod, ſi dixeris, ibi ſermonem eſſe non de continentiæ voto, ſed de abſtinentia ſtatim reſpondet *Abbas in c. chariſſimus de conuerſ. coniug. nu. 5.*, nomine abſtinentiæ claudi continentiam, per textum *in c. ſi tu abſtines 27. q. 2.*, vbi ſic legitur; *Si tu abſtines ſine vxoris voluntate tribuis ei fornicandi licentiam*. Sed contra, quia, cum textus abſolutè loquatur de abſtinentia ſine vlla particula limitatiua, & reſtringente ad ſpeciem continentiæ, gratis omnino refertur ad eandem continentiam; nec ille textus *in c. ſi tu abſtines*, qui adducitur ab Abbate ad probandum ibi eſſe ſermonem de voto continentiæ aliquid euincit ad rem præſentem, quandoquidem in eo ſit per ſpecialia verba expreſsio, quod ſit ſermo de continentia, cum dicatur, ſi abſtines *tribuis vxori fornicandi per licentiam*. Quoad alios textus allegatos à Sanchez, idem ferè reſpondeas, in illis ſcilicet eſſe ſolummodo ſermonem de votis in alia materia à caſtitate.

Exploditur auctoritas Diui Auguſtini

4 Maritus nequit vota vxoris de ipſius licentia emiſſa cō. ſtante matrimonio irritare.

Aſſertio III. Nequit maritus vota caſtitatis, non petendi emiſſa ab vxore conſtante matrimonio de ipſius licentia irritare *D. Thomas in 4. diſt. 32. in expoſitione litteræ, & ibi D. Bonauentura num. 4., Albertus Magnus n. 6., D. Antoninus 3. part. tit. 1. c. 22. §. tertio, Adrianus IV. q. 14. de matrimon., Paludanus in 4. diſt. 32. q. 2. art. 2. nu. 17., Gratianus c. manifeſtum §. ex præmiſſis 33. q. 5., Phyliarchus de offic. Sacerd. tom. 1. part. 2. lib. 3. c. 4. §. ſed maior difficultas eſt*, quidquid ex aduerſo ſenſerit *Sanchez d. lib. 9. diſp. 40. n. 17.*, vbi plurimos pro ſe allegat.

Ratio pro aſſerto.

Probatur primo ex dictis in præcedenti aſſertione, quia maritus nequit huiuſmodi vota conſtante matrimonio elicita abſque ipſius licentia irritare, ergo multo minus poterit eadem irritare, ſi fuerint de ipſius licentia emiſſa, quandoquidem licentia à marito pręſtita vxori de huiuſmodi votis emittendis potius eadem firmat, ac infirmet.

Si autem hic inquiras, an ea, quæ hic dicuntur, intelligenda ſint dumtaxat de voto caſtitatis in ordine ad ius petendi, quatenus maritus in ordine ad hoc ius nequeat illud irritare, an vero etiam quoad onus reddendi, quatenus ratione licentiæ vxori conceſſæ ad ſic vouendum nequeat ipſam obligare ad ſibi reddendū? Videtur ex ſuperius dictis dicendum, neque etiam quoad effectum, vt vxor teneatur ipſi petenti reddere, poſſe irritare, quandoquidem cum per illam licentiam ceſſerit iuri ſuo, non videtur amplius ipſa vxore inuita ad illud habere regreſsū, quod certè verum videtur, quandoquidem, cum illa licentia ſit relata ad votum, veſtitur ex parte vouentis fortiori vinculo, quatenus votum elicit ex eo, quod habeat aſſenſum alterius cum extenſione ad abſtinentiam à quocunque actu venereo, ſiue in petendo, ſiue in reddendo.

5 Neque etiā quoad onus reddendi.

Probatur ſecundo auctoritate *D. Ambroſij lib. de Paradiſo c. 10.* relati *in c. fin. 33. q. 5.*, vbi ſic habet, *Vota vero continentiæ, ita alterius permiſſu ab altero valent offerri, quod poſt permiſſionem non valent in irritum deduci*; Neque dicas cum *Sanchez d. diſp. 40. nu. 18.* D. Ambroſium intelligendum eſſe dumtaxat, quando vterque mutuo conſenſu caſtitatem vouit; non autem quando alter ſolum de conſenſu alterius; in primo etenim caſu quando vterque communi conſenſu vouit adeſt pactum, & conuentio virtute inter coniuges, vt vterque renuntiet iuri petendi, & reddendi, & per conſequens irritandi, quod pactum, & conuentio non intelligitur, quando alter tantum vouit de conſenſu alterius; Contra enim impugnaberis primo, quia ex ipſo textu manifeſtè apparet D. Ambroſium ibi ſolummodo loqui de voto vnius cum licentia alterius. Ibi *alterius permiſſu ab altero valeant offerri*. Secundo, quia, ſi quando vterque mutuo conſenſu vouit continentiam, nequit maritus votum illud vxoris irritare, ergo neque poterit irritare, quando vxor ſolummodo vouit de licentia ipſius, quandoquidem votum vxoris, quantum eſt ex parte ipſius ita eſt firmum per illam conceſsionem ſibi factam a marito, ac ſi maritus etiam vouiſſet de conſenſu vxoris, nam id, quod firmat votum vxoris, eſt conſenſus a marito ſibi præſtitus ad illud votum, & votum mariti ſolum ſe tenet ex parte ipſius, nec confert ad validitatem

Iura ex D. Ambroſio deſumpta.

Excluditur ſubterfugiū Sanchez.

Digitized by Google

ſtatem illius vxoris, cum hoc habito conſenſu ipſius mariti habeat omnia requiſita ad plenam firmitatem; nec obſtant ea, quæ ſubduntur, quandoquidem per illam ſolam conceſsionem maritus cedit iuri petendi, & reddendi, & per conſequens etiam irritandi, nam tota ratio, proptèr quam votũ vxoris acquirit ius, fundatur in illa permiſsione mariti acceptata ab eadem vxore.

6 Si vterq; mutuo cõſenſu vouerit caſtitatem neutèr poteſt votum alterius irritare.

Aſſertio IV. Si vterque coniux mutuo conſenſu vouerit caſtitatem, neuter poteſt votum alterius irritare. Ita DD. omnes pro præcedenti aſſertione allegati, & vlterius *Sotus lib. 7. de iuſtitia q. 3. art. 1. vers. argumentum autem*, *Stunica de voto q. 3. n. 64.*, *Ludouicus Lopez 1. part. inſtruct. c. 46. §. quando vterque*, *Antonius Gomez bulla Cruciatæ clauſ. 10. num. 66.*, & in hanc conſentit *Sanchez de matrim. lib. 9. diſp. 40. nu. 20.*

Rationes pro aſſerto.

Deducitur in fortioribus terminis ab aſſertione præcedenti, & corroboratur auctoritate *D. Auguſtini epiſt. 199. ad Ecditiam relati in c. quod Deo 33. q. 5.*, vbi ſic legitur. *Quod Deo pari conſenſu voueratis, perſeueranter vſque in finem reddere debuiſtis, à quo propoſito, ſi ille lapſus eſt, tu ſaltem inſtantiſſimè perſeuera.*

7 Extende etiam quoad votum Religionis.

Hæc, quæ dicta ſunt, quando mutuo conſenſu, vterque coniux vouit continentiam, pari ratione intelligenda ſunt, quando vterque mutuo conſenſu vouit Religionem, vel alter Religionem, alter caſtitatem, quandoquidem, cum illud votum vtriuſque quocunque ex allegatis modis conceptum dirigatur ad omnimodam matrimonij ſeparationem, & continentiam mutato ſtatu ſeruandam, videtur vterque cedere iuri reuocandi. *Sanchez loco mox cit. num. 11.*

Multò minus vxor poteſt irritare vota mariti.

Ex quibus omnibus inferre licet, quod, ſi maritus in prædictis omnibus caſibus non poteſt vota caſtitatis, non petendi &c. irritare; multo minus poſſit vxor irritare illa mariti, quandoquidem potius maritus eſt caput vxoris, quam vxor caput mariti, & ad illum potius ſpectat dirigere actiones vxoris, quam ad iſtam dirigere actiones illius.

Quid vero ſentiendum ſit in ordine ad alia vota à caſtitate, & a voto non petendi debitum, an ſcilicet ſint irritabilia à marito, ſi fuerint ab vxore emiſſa, vel è contra dicendum eſt alibi; non etenim videntur pertinere ad præſens inſtitutum.

✠ ✠ ✠ ✠
✠ ✠ ✠
✠ ✠

PRÆNOTIO IV.

An, & quomodo actus coniugalis poſſit eſſe licitus, vel illicitus ratione finis ad quem refertur.

SVMMARIVM.

Bona matrimonij quot, & quænam ſint. 1.
Enumerantur varij fines vſus matrimonij. 2.
Actus coniugalis exercitus ex fine prolis ſecundum ſe licitus eſt, & honeſtus. 3.
Dummodo talis finis non ſit vltimus, & vltimato intentus. 4.
Sufficit intentio prolis virtualis. 5.
Etiam licitus eſt elicitus ex fine boni fidei. 6.
Si alter petat ex malo fine, poteſt alter licitè reddere ex fine generationis, vel boni fidei. 7.
Vt actus ſit licitus ex fine boni fidei neceſſe eſt, vt non excludatur finis generationis. 8.
Actus coniugalis relatus ad finem mortalitèr malum eſt mortalitèr peccaminoſus. 9.
Maius peccatum eſt contrahere ex fine mortalitèr malo. 10.
Referre ad finem venialitèr malum eſt venialitèr malum. 11.
Actus coniugalis relatus ad bonum ſacramenti non eſt malus, ſi alij fines non excludantur. 12.
Relatus ad finem vitandæ incontinentiæ, vel in ſe, vel in altero eſt licitus. 13.
Relatus ad finem extrinſecum ſanitatis, vel lucri licitus eſt, ſi non deſint alij fines. 14.
Relatus præcisè, vel principaliter ad carnalem delectationem non vacat culpa veniali. 15.

MAtrimonium ex alibi ſparſim, & fusè dictis tria habet bona, ad quæ refertur; primum eſt bonum prolis, quatenus ordinatur ex primaria ſui inſtitutione ad eandem generandam, & propagandam ſpeciem; ſecundum bonũ fidei, quatenus ordinatur ad ſeruandam alteri fidem in reddendo debito, & negando corpus cuicumq; alteri ab ipſo coniuge; tertium bonum ſacramenti, quatenus ordinatum eſt ad ſignificandam vnionem verbi Diuini cum humana carne, ſeu Chriſti Domini cum Eccleſia, ex quo conſurgit vinculum indiſſolubile, quod cauſat.

1 Bona matrimonij quot, & quænam ſint.

Hinc in ordine ad huiuſmodi bona inueſtigandum erit primo, an, ſi actus coniugalis exerceatur præcisè ex fine boni prolis licitus ſit, & an poſſit aliqua labe infici; ſecundo, an, ſi fiat ob finem boni fidei honeſtatem habeat; tertio, an talem honeſtatem, & bonitatem habeat, ſi fiat præcisè, ob finem boni ſacramenti.

Vltra hos fines poſſunt alij conſiderari,

ri; qui, quia quodamodo intenduntur à
2 matrimonio, & conſequuntur ad naturam eiuſdem, dicuntur intrinſeci; alij, qui, quia ſe tenent ex parte, & intentione contrahentium, dicuntur extrinſeci. Primi generis ſunt conciliatio mutui amoris inter eoſdem coniuges, remedium concupiſcentiæ, & vitatio fornicationis. Secundi generis ſunt ſanitas corporis, aliud corporale commodum. Porrò fines huius ſecundi generis, cum ſumantur ſecundum intentionem coniugum, poſſunt eſſe, vel honeſti, & liciti, quatenus obiectum, quod intenditur in tali fine, ſit honeſtū, & licitum, vel inhoneſti, & turpes, quando ſcilicet id, quod intenditur in huiuſmodi actibus, aliquam inuoluit turpitudinem, ſeu prauitatem. De his omnibus ſub præſenti titulo agetur.

Enumerantur varij fines vſus matrimonij.

Aſſertio I. Actus coniugalis exercitus
3 ex fine prolis procreandæ ſecundum ſe licitus eſt, & honeſtus, dummodo tamen talis finis non ſit vltimus, ſeu vltimatò intentus *Magiſter in 4. diſt. 31., & ibi D. Thomas q. 2. art. 2., Sanchez de matrimon. lib. 9. diſp. 8. num. 1., Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrim. c. 7. num. 16., & ſeqq.*

Ex fine prolis licitus eſt, & honeſtus.

Probatur, quia Deus principalitèr matrimonium inſtituit in ordine ad hunc finem, cum inſtituerit in officium naturæ ad multiplicandam ſcilicet eandem in indiuiduis, ergo actus exercitus in ordine ad hunc finem erit ſecundum ſe honeſtus, & licitus, cæteroqui finis à Deo intentus principalitèr in inſtitutione matrimonij induceret prauitatem in actu, quod dicere eſt blaſphemia. Cōfirmatur, quia ordinare actum ad finem, ad quem a Deo eſt inſtitutus, omni prorſus vacat culpa, quin immo proptèr talem ordinem induit honeſtatem talis finis; non enim motus naturæ ſecundum ſe malus eſt, ergo talis actus, nec ex motu naturæ erit prauus, nec ex fine illo ſic intento, cum ſeruetur debitus ordo.

Rationes pro aſſerto.

Dixi *dummodo tamen talis finis non ſit vltimus, ſeu vltimato intentus*; ſi etenim
4 ſiſteretur præciſè in tali prole, ſiſteretur in pura creatura; bonum autem ſacramēti exigit, vt actus referatur ad Deum nempe ad multiplicationem prolis, vt ex ipſa augeatur honor Deo, & cultus ipſius amplificetur, prout optimè notauit *D. Thomas in 4. diſt. 31 q. 2. art. 2. ad primum, & cū eo Tabiena verb. matrim. 3. q. 2. §. 3., Sanchez loc. cit. num. 2., Reginaldus lib. 31. num. 336., Villalobos prima part. ſumma tract. 13. diff. 40, Filliucius tom. 1. tract. 10. c. 9. num. 317., Leandrus Diſcalceatus de Sacram. part. 2. tract. 9. diſp. 25. q. 11., Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrimon. c. 7. n. 17.,* Verum tamen eſt, quod non eſt neceſſe, quod actualitèr in ipſo actu coniugij, & expreſsè fiat relatio in ipſum Dei cultum, & honorem, ſed ſufficit, quod habeatur talis relatio virtualitèr, & quaſi habitu, quatenus coniuges à principio contraxerint ad hunc finem, nec poſitiuè excludant in ipſo exercitio.

Dummodo talis finis non ſit vltimus, & vltimato intentus.

An verò requiratur, quod expreſsè, & actu in ipſo coitu coniugali intendatur ipſa proles ad euitandam noxam venialem. Arbitror non requiri illam actualem, & formalem intentionem, ſed ſufficere virtualem, ſeu virtute, quatenus vnus copuletur alteri formalitèr, vt coniugi abſq; contraria intentione, ſeu excluſione prolis, cum etenim actus ille ex natura ſua tendat ad prolis generationem, cenſetur ipſa proles virtualitèr intenta, ſi coniuges actum ad alium finem non referant; atque in ſpecie ſic ſentiunt *Palacios in 4. diſt. 31. diſp. 2. fol. 690. col. 2. verſ., & rurſus fac hominem, Sanchez loc. cit. num. 4., Ioannes Angelus Boſſius loc. cit. n. 18.* 5

Sufficit intētio prolis, etiam virtualis.

Aſſertio II. Actus coniugalis exercitus ad finem boni fidei, ſeu ad ſeruandam fidem alteri coniugi petenti licitus eſt, & honeſtus *D. Thomas in 4. diſt. 31. q. 2. art. 2., Sanchez d. lib. 9. de debito coniug. diſp. 8. nu. 1., Martinus Perez de matrimon. diſp. 49. ſect. 1., Reginaldus lib. 31. à nu. 333. ad 353., Caſtrus Palaus*, quem citat, & ſequitur *Boſſius d. tract. de effect. matrim. c. 7. num. 19.* 6

Etiam licitus eſt elicitus ex fine boni fidei.

Ratio eſt, quia non ſolum matrimonium ex genere ſuo ad hunc finem ordinatum eſt, ſed etiam, quia coniuges ex ipſa natura matrimonij, & ex lege iuſtitiæ ad hoc obligantur, ergo actus coniugalis ob hunc finem exercitus licitus eſt, & honeſtus.

Hæc, quæ hic dicuntur, àdeo vera ſunt, vt quantumuis alter coniux exigat malo fine, aut minus legitimo, alter poſſit, & teneatur illi petenti reddere, ſi referat ad finem generationis prolis, aut ad bonum fidei, quia illa praua circunſtantia finis ſe tenet ex parte petentis, quæ non poteſt deprauare reddentem ex fine intento a natura matrimonij, vnde merito *D. Auguſtinus de bono coniugali c. 7.* dicit. *Reddere debitum coniugale nullius eſt criminis, exhibere autem vltra generandi neceſſitatem, culpa venialis.* 7

Si alter petat ex malo fine, poteſt alter reddere licitè ex fine generationis, vel boni fidei.

Hic oritur difficultas, an actus coniugalis exercitus præciſè ad finem boni fidei ſecluſo ordine ad finem generationis prolis, ſit licitus, & honeſtus, an verò requiratur, vt referatur ad eiuſdem prolis generationem. Videtur abſoluiè dicendum ſufficere ad honeſtatem actus, quod præciſè referatur ad bonum fidei ſecluſo etiam illo ordine ad prolem generandam, quandoquidem indubitati iuris eſt

apud

Digitized by Google

àpud omnes, quod inter ſteriles licita ſit copula coniugalis, & tamen inter eoſdem non poteſt eſſe finis generationis intentus. Nihilominus ſentiendum eſt, non eſſe quidem neceſſe, vt expreſsè, & formalitèr referatur ad prolis generationem, requiri tamen, vt talis finis non excludatur poſitiuè, & quantum eſt ex parte congredientium talis effectus prolis non impediatur, prout notant *Palacios in 4. diſt. 31. diſp. 2. fol. 690. col. 2. verſ., & rurſus fac hominem*, *Sanchez d. lib. 9. diſp. 8. num. 4.* Ratio eſt, quia ille actus coniugalis ex genere ſuo tendit ad eandem generationem, vnde, qui ipſum adhibet non excludendo formalitèr talem finem ipſum virtute, ſi non actu, intendit. Ad rationem oppoſitam de concubitu ſterilium dicendum eſt hanc excluſionem generationis prolis in eiſdem non prouenire ex eorum intentione, & poſitiuo fine ab ipſis intento, ſed ex conditione perſonarum, quæ ſuppoſito matrimonio ritè contracto nō impedit vſum coniugalem, cum prolis generatio inde non impediatur per ſe, & ex eorum fine, ſed dumtaxat per accidens.

8 Vt actus ſit licitus ex fine boni fidei, neceſſe eſt, vt nō excludatur finis generationis.

Aſſertio III. Actus coniugalis relatus ex intentione coniugum ad finem mortalitèr malum eſt mortalitèr peccaminoſus *Silueſter verbo debitum q. 1.*, *Petrus de Soto lect. 16. de matrim. §. quia igitur*, *Nauarrus in man. c. 16. num. 23.*, *Sanchez lib. 9. diſp. 8. num. 7.*, *Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrim. c. 7. num. 21.* Hoc contingeret in caſu, quo coniuges, vel alter coniux ob fornicariam prauitatem intenderent, vel intenderet accedere ad ſuum, vel ſuam tanquam non ſuum, & non ſuam, ſed tanquam ad aliam perſonam amatam, vel alijs ſimilibus.

9 Actus coniugalis relatus ex intentione coniugum ad finem mortalitèr malum eſt mortalitèr peccaminoſus.

Ratio ex eo deducitur, quia actus quoad malitiam non ſolum ſpecificantur ab obiecto, in quod tendunt, ſed etiam a fine, ſub quo in illud tendunt, ergo, ſi finis fuerit mortalitèr malus, etiam actus erit mortalitèr talis. Confirmatur exemplo, & inductione ferè per omnes alias actiones, quæ quantumuis ex ſe, & obiecto ſint bonæ, ex fine tamen prauo, proptèr quem fiunt, deturpantur.

Rationes pro aſſerto.

Hoc tamen vnum monendum cenſeo cum *Sanchez loc. citato*, quod non eodem modo phyloſophandum eſt de actu coniugali relato ad prauum lęthalitèr finē, ac de ipſo contractu matrimonij ad talem finem relato; quandoquidem in primo caſu, de quo hic loquimur, ſola reſultat illa malitia finis; in ſecundo autem præter malitiam finis interuenit indigna ſuſceptio, & confectio ſacramenti, & inordinatio eiuſdem ſacramenti ad finem turpem. Ratio autem huius diſcriminis in eo conſiſtit, quod ille vſus eſt res profana; matrimonium vero ſacramentum, & res ſacra, & propterea abuſus illius, ob finem prauum, non habet niſi malitiam finis, abuſus vero iſtius præter malitiam finis habet prauitatem iniquæ ſuſceptionis, & inordinationis vtſupra.

10 Maius peccatum eſt contrahere ex fine mortalitèr malo.

Ex quibus inferre licet, quod, ſi vſus coniugalis fuerit ex fine ſolummodo venialitèr malo, contrahat quidem malitiā, ſed ſolummodo venialitèr malam propter rationem ſuperius adductam, vt optimè notant *Sanchez loc. cit. nu. 9.*, *Filliutius tom. 1. tract. 10. c. 9. n. 317.*, *Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrim. c. 7. nu. 22.*, qui omnes in illa finis deordinatione duplicem culpam venialem agnoſcunt, alteram deſiderij obtinendi illum finem venialem, alteram priuationis debiti finis; quod tamen verum abſolutè non arbitrarer, quandoquidem intentio finis venialitèr mali includit ex genere ſuo excluſionem debiti finis, & ſi hoc verum eſſet, in quocunque actu prauo interueniret duplex malitia, quod non eſt aſſerendum.

11 Referre ad finem venialitèr malum eſt venialitèr malum.

Aſſertio IV. Actus coniugalis relatus ad bonum ſacramenti, ſeu elicitus ex fine boni ſacramenti nullo modo malus eſt, ſi non excludantur alij fines boni prolis, & fidei, ſecus, ſi iſti fines, vel expreſsè, vel tacitè excludantur. In hanc opinionem arbitror cōuenire *D. Thomam in 4. diſtinct. 31. q. 2. art. 2. in corpore*, *Henriquez lib. 11. de matrim. c. 15. nu. 2.*, *Riccardum in 4. diſt. 31. art. 3. q. 2. in corpore*, *Sanchez d. lib. 9. de debito coniug. diſp. 8. n. 14.*, cum ſupplemento *Gabrielis in 4. diſt. 31. q. vnica art. 2. propoſ. 3.*, *Baſilio Pontio de matrim. lib. 10. c. 9. n. 4.*, licet primi citentur tanquam aduerſates ſecundis, quatenus primi ſentiant in illa directione actus ad illum finem inuolui peccatum veniale, ſecundi vero nullam culpam agnoſcant. Verum, ſi vtrorumque ſenſus attentè perpendatur, non diſcors inuenietur, cum primi intelligant, quando excluduntur, vel expreſsè, vel tacitè alij duo fines, quod eſt id, quod ſentiunt ſecundi.

12 Actus coniugalis relatus ad bonum ſacramenti non eſt malus, ſi alij fines non excludantur.

Ratio primæ partis ex eo deducitur, quia referre vſum matrimonij ad eum finem, ad quem ex diuina diſpoſitione ordinatum eſt, omni prorſus culpa vacat, ſed matrimonium quoad vſum ordinatū eſt ad repræſentandam vnionem verbi diuini cum carne aſſumpta, & Chriſti Domini cum Eccleſia, ergo referre ad talem finem omni prorſus caret culpa. Confirmatur, quia in matrimonio duplex ratio conſiderari poteſt altera ſacramenti, ad quam eleuatum eſt à Chriſto Domino, altera contractus; ſub prima conſideratione

Rationes pro aſſerto.

tione

tione refertur ad rapræſentandam vnionem Chriſti Domini cum Eccleſia, vel verbi diuini cũ carne humana; ſub ſecũda refertur ad generationẽ, & ad fidem ſeruãdam; Quæro iam, cur potius referri debeat ipſius vſus, quatenus contractus eſt ad bonum prolis, & fidei, quam vt ſacramentum ad rapræſentandam illam vnionem? Si dicas hoc euenire, quia bonum ſacramenti non reſpicit primo, & directè vſum matrimonij, ſed eſſentiam, & vinculum, bonum vero prolis, & fidei primo, & per ſe ad vſum ordinatur, adeoque videtur eſſe contra rectum ordinem ordinare vſum matrimonij ad bonum ſacramenti; ſtatim impugnaberis, quia bonum ſacramenti, quatenus importat indiſſolubilitatem, & vt rapreſentat vnionem indiſſolubilem Chriſti Domini cum Eccleſia, ſeu verbi diuini cũ carne aſſumpta non importat ſolum vinculũ quomodocunq; ſed etiam indiſſolubilitatem, quę nõ conſtituitur niſi per conſummationẽ, ſeu per vſum ſaltem prima vice, & ſic directe etiam ordinatur, & reſpicit vſum. Deindè quantumuis bonum ſacramenti reſpiceret primo, & directè eſſentiam, & vinculum matrimonij, tolli tamen non poteſt, quin reſpiciat tale vinculũ, prout eſt ordinatum ad perfectam communicationem, ſicuti vnio verbi diuini cum carne aſſumpta; vel Chriſti Domini cum Eccleſia ordinatur ad continuatam communicationem donorum ſupernaturaliũ, quæ conſequuntur ad eandem vnionem, & per conſequens reſpicit etiam vſum matrimonij, per quem rapræſentatur illa donorum communicatio, quam præſtat vnio hypoſtatica, vel vnio Chriſti Domini cum Eccleſia.

Ratio cur nõ debeãt excludi alij fines.

Ratio ſecundæ partis ex eo deducitur, quia præciſo illo ordine ex intentione coniugis cõgredientis ad bonum prolis, & fidei, iam quantum eſt ex parte eiuſdem congredientis fruſtraretur effectu, ad quem primario vſus ille eſt ordinatus, ergo ille congreſſus ſic præſtitus cum illa excluſione non carebit culpa. Confirmatur, quia ſacramentum matrimonij non eſt ſignum ſimplicitèr, ſed ſignum practicum, ergo non ſolum debet ordinari, qua ſignum eſt ad rapræſentandum, ſed etiam qua practicum eſt ad efficiendum, & per conſequens ad finem prolis procreandæ, ergo erit contra ordinem ipſius, ſi præſcindatur à fine illius efficientiæ, ſeu procreationis prolis, ſeu ille finis, ſeu expreſsè, tacitè excludatur.

13 Relatus ad finem vitandæ incontinentię, vel in ſe, vel in altero eſt licitus.

Aſſertio V. Actus coniugalis relatus ad finem vitandæ incontinentiæ in altero coniuge eſt omnino licitus, relatus vero ad vitandam incontinentiam in ipſo petente etiam licitus eſt, etiam ſi nullus alius finis expreſsè intendatur, dummodo non excludatur finis generationis prolis. Prima pars eſt communis, nec arbitror vllum habere contradictorem. Secunda pars eſt *Caietani in ſumma verb. matrimonium c. vlt. de peccat. in vſu matrimonij verſ. primum igitur caput. Medinæ lib. 3. de ſacror. homin. continentia c. 13.*, & aliorum ferè innumerorum quos allegat *Sanchez d. lib. 9. de debit. coniug. diſp. 9. n. 3.*, *Nauarri in ſumma c. 16. n. 32.*, *Coninch. de ſacram. diſp. 34. nu. 8., & ſeqq; Baſilij Pontij de matrim. lib. 10. c. 8. nu. 9., Hurtadi de matrim. diſp. 10. nu. 4., & 5., Stephani Bauni de ſacrament. tract. 12. q. 3. aſſert. 4., Bonacinæ de matrimon. q. 4. punct. 6. nu. 7.*

Rationes pro aſſerto.

Prima pars facilè ex eo liquet, quia petere debitum coniugalem ad effectum vitandi in altero coniuge incontinentiam, cuius adeſt periculum, eſt quodamodo reddere, & potius quædam debiti redditio, quam petitio, vt pluribus allegatis ſupra docuimus, ſed hoc omni prorſus caret culpa, cum ſit effectus ex iuſtitia debitus, ergo &c. Confirmatur, quia lex charitatis præcipit obuiandum eſſe malo culpæ alterius, quando ſine magno detrimento proprio poſſumus eidem obuiare, ſed quando alter coniux ſubeſt periculo incontinentiæ, proptèr vehementes carnis ſtimulos, & affectum erga aliã perſonam ab ipſo coniuge, poteſt tali periculo obuiare alter exhibendo concubitum, & quidem ſine ſui diſcrimine, ergo lege charitatis ſic exhibens ad illud periculum euitandum nullo modo peccabit, quinnimo actum charitatis, & vtique meritorium præſtabit.

Matrimonium etiã fuit ordinatum ad finem vitandæ incontinentiæ.

Secunda pars ex eo facilè liquet, primo, quia matrimonium, quantumuis primo fuerit inſtitutum in officium naturæ, poſt noxam tamen originalem fuit ordinatum in remedium concupiſcentię, quod vtique habetur per vſum, ſed ordinare, ſeu referre vſum matrimonij ad finem, ad quem fuit à Deo ordinatus, non eſt inordinatè referre, nec vllam inuoluit culpam, cæteroqui Deus inordinatè retuliſſet ad finem peccaminoſum, ergo &c. Neque dicas illam ordinationem factam à Deo ad ſedandam concupiſcentiam eſſe ſolummodo ex fine ſecundario, ſuppoſita tamen ſemper relatione ad finem primarium, qui eſt prolis generationis; vnde intendens primo in tali vſu remedium concupiſcentiæ ordinem quodammodo peruertit ordinando finem primarium ad ſecundarium, quæ peruerſio inducit noxam ſaltem venialem; contra enim impugnaberis, quia ex quo non excluditur finis primarius, vrgente neceſſitate,

ſitate,

Digitized by Google

ſitate quodamodo compellente ad ſecundarium, nempe ad ſedandam carnis concupiſcentiam eo temporis efferueſcentem non eſt peruerſio talis; quæ inducere poſſit noxam vſum coniugalem ordinare in remedium illius concupiſcentiæ, cum natura ipſa morbo tunc exigente ordinet media proportionata ad morbum curandum, quæ media licet ex natura ſua habeant principalitèr, & primario alium finem, dummodo hic non excludatur, poſſunt eligi ad illum finem morbi curandi.

Secundo ex illo *Apoſtoli prima ad Corinth.7.* ſcilicet *Reuertimini in idipſum, ne tentet vos Satanas, propter incontinentiam veſtram; hoc autem dico ſecundum indulgentiam non ſecundum imperium*, vbi Apoſtolus expreſsè permittit actum coniugalem ad finem vitandæ incontinentiæ; Neque obeſſe poteſt, ſi dicatur, quod, cum in illo textu dicatur *ſecundum indulgentiam, non ſecundum imperium*, inferatur, quod ibi aliqua culpa interueniat, nam indulgentia propriè non interuenit, vbi culpa non eſt, prout explicantes illum textum ſentiunt *D. Auguſtinus de bon. coniug. c. 10. tom. 6., D. Gregorius lib. 32. moral. c. 18. 19., & 20., D. Anſelmus, & D. Thomas in d. epiſt. 1. Apoſt. ad Corint. 7.* Non, inquam, obeſſe poteſt, quia duplex poteſt conſiderari indulgentia, quædam, quæ fit minoris mali ad euitandam maius, quædam, quæ fit minoris boni in ordine ad maius; in hac autem hypotheſi dicit ſolum Apoſtolus, quod hoc præſtet ſecundum indulgentiam, quatenus ad euitandam incontinentiam permittat minus bonum, quod eſt coitus coniugalis comparatiuè ad maius, quod eſt continere; atque ita Apoſtolum interpretatur Liranus, Caietanus, & alij; Non negauerim tamen præcitatos SS. PP. pro contraria ſententia ſentire talem actum coniugalem habitum ex illo fine inuoluere aliquam noxam, ſed in hoc ipſi procedebant ex ardentiſſimo caſtitatis affectu, quo æſtuabant, vel fortè, quia præſumebant intendi præcisè illum finem cum excluſione finis principalioris, nempe generationis prolis.

Euincitur auctoritate etiã Apoſtoli.

Nec in hoc admittendam eſſe arbitror moderationem, quam admittit *Sanchez d. lib. 9. de debito coniugali diſp. 9. num. 4.* cum alijs pluribus, quos ibidem allegat nempe, ſi alia non ſuppetant media, quibus ſtimulis carnis poſſit obuiare; Non, inquam, admittẽdam arbitror, quia, cum hoc remedium ordinatum ſit ad hunc finem, non ſunt neceſſariò alia media rigidiora inquirenda, & adhibenda; tum, quia hoc eſſet conſcientijs coniugum ſcrupulos ingerere, nam ſemper dubitarẽ poſſent, an alijs medijs poſſent occurrere.

Aduerſus hanc aſſertionem duo militant argumenta adhuc non ſoluta. Primum eſt, quia actus ille coniugalis, vel fieret ex impulſu concupiſcentiæ, & ita eſt culpa venialis ſaltem, vel ſine tali impulſu, & ita eſt inordinatio vtendo medio, quo non indiget. Secundum, quia petere ad vitandam concupiſcentiam in ſe ipſo, nec pertinet ad bonum prolis, vt per ſe patet, nec ad bonum fidei, cum ad hoc ſolum pertineat reddere debitum alteri coniugi, & ſeruare fidem abſtinendo à coitu alieno, ergo &c. Sed contra ad primum. Reſpondeo actum illum coniugalem non imperari à concupiſcentia, ſed a voluntate rationali eligente illud remedium ad ſedandam eandem concupiſcentiam, & ſi aliqua eſſet noxa, eſſet in eadem concupiſcentia, non in remedio, quod ad eandem compeſcendam eligitur ab eadem voluntate. Ad ſecundum dico illam petitionem debiti ad finem ſedandę concupiſcentiæ in ſe ipſo pertinere ſaltem indirectè ad bonum fidei, quatenus per illam ſe ſubtrahit à periculo concumbendi cum aliena.

Soluuntur argumẽta oppoſita.

Aſſertio VI. Actus coniugalis exercitus ob finem extrinſecum ſanitatis tuendæ, vel recuperandæ, vel lucri acquirendi, ſi non excludantur alij fines principaliores, ad quos ex natura ſua ipſi actus ordinantur, vacat omni prorſus culpa, ſecus, ſi illi fines excludantur, vel tacitè, 14 vel expreſsè. *Palacios in 4. diſt. 31. diſp. 2. fol. 693. verſ. porro nulla harum, Rebellus de oblig. iuſt. part. 2. lib. 3. q. 19. nu. 4., Coninchus de Sacram. diſp. 34. num. 10., Paulus Laiman. tract. 10. part. 4. c. 4. num. 3., Baſilius Pontius de matrim. lib. 10. c. 8. num. 9., Raphael Auerſa de matrim. diſp. 20. q. 21. ſect. 4. verſ. tertio alius finis, Diana part. 3. tract. 4. reſol. 210.*

Relatus ad finem extrinſecum ſanitatis, & lucri licitus eſt, ſi nõ excludãtur alij fines ordinati.

Ratio primæ partis ex eo deducitur, quia fines illi tuendæ, ſeu recuperandæ ſanitatis corporalis, vel etiam lucri, ſeu hæreditatis acquirendæ, non ſunt ſecundum ſe mali, ſed honeſti, vel ſaltem indifferentes, ergo, cum concubitus ille coniugalis non ſit ex obiecto malus, nec finis ille ſit malus nulla ratione deprauabitur, præcipuè cum non excludantur alij fines a natura principalitèr intenti; Neque dicas, prauitatem non conſiſtere quidem in ipſo obiecto actus ſecundum ſe, neque in illo fine ſecundum ſe ſumpto, ſed in peruerſione ordinis, quatenus ordinatur coitus ad finem, ad quem à natura non ordinatur; contra enim impugnaberis, quia ex quo non excluduntur alij fines à natura principalitèr intenti, parum referre debet, quod ad alium finem extrinſecum,

Digitized by Google

ſecum, qui tamen ſecundum ſe non ſit malus, ordinetur ex intentione congredientis, vnde huiuſmodi finis extrinſecus ſe habet tanquam cauſa applicans, & impulſiua ad habendum actum coniugalem, qui ſaltem virtute referatur in finem proprium, & intrinſecum, ad quem actus ex ſui natura ordinatur, & ſeruato tali ordine ad finem intrinſecum, & proprium non video, cur, ſi applicetur ad effectum eiuſdem, ſeu ad actum eliciendum cauſa quædam impulſiua, quæ ſecundum ſe non ſit mala, non depuretur actus à quacunque prauitate, ea proportionali ratione, qua, ſi quis moueretur ad contrahendum matrimonium ex venuſtate alicuius fæminæ, vel ex fine acquirendi pinguem dotem, vel hæreditatem, dummodo non excluderet alios fines intentos à natura, nullam labem contraheret, quia motiuum illud venuſtatis fæminæ non eſt ſecundum ſe malum, & ſolum ſe habet, vt cauſa applicans, & impulſiua ad illum contractum. Deindè, vt aſſentitur Sanchez contrarię ſententiæ aſſertor, licitus eſt actus coniugalis ex ſolo fine ſanitatis tuendæ, vel recuperandæ, quando nulla adeſt ſpes prolis inde ſecuturæ, vt ingenuè fatetur *d. lib. 9. de debito coniug. diſp. 10. num. 3.*, ergo a fortiori licitus erit ex fine eiuſdem ſanitatis tuendæ, quando adeſt ſpes prolis futuræ, & finis eiuſdem per congredientem non excluditur. Conſequentia probatur, quia per aduerſarios in tantum non eſt licitus actus coniugalis ex fine ſanitatis tuendæ, quando adeſt ſpes prolis futuræ, in quantum peruertitur ordo a natura intentus, quantum eſt ex intentione congredientis in illo congreſſu, ſed a fortiori peruertitur, quando intenditur ob ſanitatem tuendam nulla extante ſpe prolis futuræ, quia in primo caſu ſaltem virtute, & implicitè illa actus refertur in finem primarium, cum non excludatur; in ſecundo autem ad illum nequit referri, cum prolis nulla ſit ſpes, ergo &c.

Rationes pro aſſerto.

Confirmatur prima pars aſſertionis, primo in ordine ad ſanitatem tuendam, quia nemine diſcrepante licitus eſt congreſſus coniugalis ad finem boni prolis, ergo non erit, cur non ſit licitus in ordine ad bonum proprium naturale, nempe in ordine ad incolumitatem ipſius congredientis, ſiquidem ex quacunque lege quis plus tenetur erga ſe ipſum, quam erga alterum; Neque dicas matrimonium, & vſum ipſius ex ſui inſtitutione ordinari ad propagationem ſpeciei, & per conſequens ad generationem prolis, non ad incolumitatem indiuidui, adeoq; &c.; contra enim impugnaberis, quia licet verum ſit, quod ex primaria ſui inſtitutione ordinetur ad propagationem ſpeciei, non excludit tamen alios fines extrinſecos, qui ſecundum ſe mali non ſint, ſed honeſti, vel indiferentes, nec alia bona, quæ ex eodem matrimonio, & congreſſu poſſunt prouenire, dummodo per intentionem ipſorum non excludatur finis primarius à natura ipſa intentus; vnde ſequitur, quod, quamuis ratione matrimonij teneatur erga prolem, ratione tamen fortioris iuris teneatur potius erga ſe ipſum, dummodo tamen prolis beneficium in illo actu non excludatur, ſed ſaltem virtute intendatur, quinimmo illa intentio propriæ ſanitatis poteſt valde conferre ad bonum generationis prolis; coniux enim bona vtens valetudine aptior eſt ad generationem eiuſdem.

Ratione fortioris iuris tenetur potius erga ſe ipſum, quam erga prolé.

Confirmatur ſecundo in ordine ad lucrum acquirendum, quia nulla videtur peruerſitas in eo, quod quis ſine alterius præiudicio quærat ſibi vtile etiam in bonis temporalibus per media ſecundum ſe licita, ſed matrimonium, & vſus ipſius eſt ſecundum ſe licitum, & id, quod acquireret ex illo congreſſu, eſſet cum nullius præiudicio, vt notat *Palacios in 4. diſt. 31. diſp. 2.*, Neque hic audiendus eſt *Sanchez d. lib. 9. de deb. coniug. diſp. 8. num. 12.*, dicens matrimonium, & ipſius vſum non ordinari ad lucrum, ſicq; coniugem non debere vtile ſibi quærere per illud matrimonium, & vſum ipſius, ſed per alia media ad hoc inſtituta. Non, inquam, audiendus eſt, quia, quantumuis ex genere ſuo, & ex inſtitutione non ordinetur ad lucrum, non repugnat tamen, quod ſeruato ordine ad finem, quem natura ſtatuit, ex intentione congredientis non referatur ad illud lucrum, in quo ſenſu ipſa intentio lucri eſt cauſa ſolummodo applicans ad illum congreſſum, qui virtute ſemper refertur in finem proprium.

Finis lucri eſſet cauſa dumtaxat applicans.

Ratio ſecundæ partis ex eo deſumitur, quia ſecluſo illo fine generationis prolis, & boni fidei ab actu, ex quo ille finis haberi poteſt, quantum eſt ex parte congredientis, fruſtretur actus ſuo fine à natura principalitèr intento, ergo non eſt, cur non inuoluatur aliqua noxa deordinationis à debito fine.

15 Aſſertio VII. Congreſſus coniugalis exercitus præciſè ex fine delectationis carnalis, vel principalitèr ab eadem, licet poſitiuè non excludantur alij fines intrinſeci non vacat culpa veniali. Pro hac opinione allegat Sanchez quadraginta tres DD., & vtique claſſicos, & hoc præſtet *d. lib. 9. diſp. 11. num. 3.*, & præterea *Ioannes Vallerus de different. verb. debitum coniugale diff. vnica*, *Azorius part. 3. lib. 3. c. 31.*

Relatus præciſè, vel principalitèr ad delectationem carnalem non vacat culpa veniali.

Digitized by Google

c.31.q.2. diſſ. 3., Paulus Laiman lib. 5. tract. 10. p.3.c.4. num.4., Bonacina de matrim. q.4. p.6. num.7., Rebellus de oblig. iuſt. part. 2. lib. 3. q.19. num.5., hancq; expreſsè ſuſtinet *D. Auguſtinus c.6. de bon. coniug.* per illa verba. *Quod coniugalis concubitus generandi cauſa non habet culpam, concupiſcentia vero fouenda, ſed tamen cum coniuge propter fidem thori venialem habet culpam.*

Non immoror in probatione huius aſſertionis, quandoquidem de ea fusè egi in præcedentibus, & hæc res iam definita eſt per Sanctiſſimum D. N. Innocentium XI. Pontificem nunc regnantem, qui in vniuerſali Sanctæ Romanæ Inquiſitionis Congregatione damnauit propoſitionem illam, quæ eſt in ordine nona, qua dicitur *Opus coniugij ob ſolam voluptatem exercitum omni prorſus caret culpa, & defectu veniali.*

Declaratio Innocentij XI.

Solum difficultas hic remanet in explicando, quo modo contrahatur hæc culpa venialis, dum non ſupponuntur ex intentione congredientis excluſi alij fines à natura principalitèr intenti, nempè procreatio prolis, & bonum fidei, & ex alio capite illa delectatio naturalitèr conſequatur ad illum congreſſum, nec ſupponatur excedere limites matrimonij. Certè *Ariſtotiles 10. Eth. c.8.*, expreſsè docet, quod talis eſt delectatio, quale opus de quo eſt, ſed ſtatus coniugij bonus eſt, ergo, & illa delectatio ab eo præcepta. Rurſus idem *7. Ethic. c.9.* habet, quod non omnis, qui aliquid ad voluptatem efficit, ſit incontinens, ſed vbi ea voluptas eſt turpis, delectatio autem in actu coniugali orta non eſt turpis, cum indita ſit ad alliciendos coniuges ad congrediendum. Tandem, quia, ſi ex ſuperius ſparſim dictis ſub hac eadem aſſertione actus coniugalis exercitus ob alios fines extrinſecos, puta ob ſanitatem, quando non excluduntur fines à natura principalitèr intenti, omni caret culpa, quantumuis aliqualitèr videatur ordo peruerti, etiam videtur dicendum in præſenti opus illud ad hunc finem voluptatis exercitum carere omni culpa, cum alij fines non excludantur, & illa delectatio actui ſit naturalis. Sed ad hæc omnia reſponderi poteſt, quod delectatio illa ſenſitiua, ſeu carnalis voluptas poſſit dupliciter conſiderari, vel ſiſtẽdo in eadem tanquam in fine, vel eandem ordinando ad debitum finem; delectatio ſenſibilis ſecundum ſe non poteſt eſſe finis operationis rectæ, & virtuoſæ; prout verò eſt ordinata ad rectum finem, poteſt eſſe recta. Hinc ad primum obiectum deſumptum ab Ariſtotile ducendum eſt talem eſſe delectationem, quale eſt opus, de quo eſt, ſi referatur ad debitum finem ab eo, qui percipit ex illo opere delectationem, ſecus, ſi ſiſtatur in eadem tanquam in fine, quia delectatio ſenſitiua ſecundum ſe non eſt bona; quod, ſi dixeris, quod, quantumuis non ordinetur ex intentione congredientis ad illum debitum finem, ordinetur tamen ex natura ſua, ſtatim reſponſionem recipies, quod ordinatio illa in finem ex parte operis tollat quidem culpam mortalem, non verò impediat venialem ob defectum ordinationis ex parte operantis; atq; hoc idem reſpondendum eſt ad ſecundum obiectum ab eodem Ariſtotile deſumptũ. Quod, ſi inſtes (& eſt id, quod dicebatur in tertio obiecto deducto ex præcedentibus) cur ad euitandam culpam venialem in huiuſmodi delectationibus requiratur non ſolum ordinatio in finem debitum ex parte operis, ſed etiam ordinatio in eundem ex parte operantis, cum in præcedentibus dictum fuerit cohoneſtari actum coniugalem relatum ad finem extrinſecum, vel ſanitatis, vel lucri etiam, ſi expreſsè non referatur ad finem à natura intentum principalitèr, dummodo, vel expreſsè, vel tacitè non excludatur? tunc reſpondebo, hanc ſpecialem ordinationem ad debitum finem ex parte operantis in hoc congreſſu coniugali in ordine ad cohoneſtandam illam delectationem ſenſitiuam diſcriminatim requiri, quia homines ex natura vitiata per peccatum regularitèr in delectationibus ſenſualibus conquieſcunt, tanquam bruta in ſuo cæno, & huiuſmodi delectationes ita alliciunt, vt ſibi alligent voluntates, quæ propterea, ſi non cohoneſtentur debito fine, turpitudine earundem voluptatum inficiantur, quod non euenit in alijs finibus, in quibus regularitèr voluntas non ſiſtit tanquam in fine, ſed tanquam in medio.

A quonã deſumatur illa culpa venialis.

Deducitur ex eo, quod in illa voluptate ſiſtitur tanquam in fine.

PRÆNOTIO V.

An actus coniugalis incæptus, & diſſolutus ante vtriuſque ſeminationem inuoluat culpam, & quamnam?

SVMMARIVM.

Conſiderabilia circa titulum. 1.
Incæpta copula, ſi neuter ſeminauerit, & non ſit periculum effuſionis ſeminis mutuo conſenſu poſſunt ab illa deſiſtere. 2.
Altero diſſentiente regularitèr alter non poteſt ſe ſubtrahere. 3.
Nonnulla exceptiones ad prædicta. 4.
Si alter ſeminauerit, nequit ſub graui alter ſe ſubtrahere à ſeminatione. 5.
Ex grauiſſima cauſa, quando maritus ſeminauit,

Digitized by Google

uit, & non vxor poteſt idem maritus recedere. 6.
Diſcrimen inter pollutionem, & illam non ſeminationem. 7.
Non eſt neceſſe, quod vterque ſimul ſeminet. 8.
Si maritus poſtquam ſeminauit, ſe retraxerit ante ſeminationem fæminæ, poteſt hæc ſtatim ſe excitare ad ſeminandum. 9.
In fornicaria copula, poſtquam fæmina ſeminauit, poteſt, & tenetur vir ſe retrahere à ſeminando. 10.
Etiam ſi ex vi commotionis carnis eſſet periculum effundendi ſemen extra vas. 11.
Fæmina, quæ conſentit fornicationi, poteſt pænitens in actu ſe ſubtrahere, ne recipiat ſemen virile. 12.
Sententia negans poſſe fæminam, poſtquam violenter ſemen recepit, conari illud emittere. 13.
Sententia affirmans cum moderatione præfertur. 14.

1 *Variæ cõſiderationes circa titulum.* SEcundum varias conſiderationes dirimendus eſt hic titulus; vel etenim incæpta copula neuter ſeminauit, & tunc videndum, an communi conſenſu poſſint deſiſtere, vel vnus altero diſſentiente; item vtrum adſit periculum pollutionis extra vas, an non? vel incæpta copula alter ſeminauit, alter non, & tunc videndum eſt, an vxor ſeminauerit, & non maritus, an vero maritus ſeminauerit, & non vxor, item an, vbi ſolum fæmina ſeminauit, an vir deſiſtat à ſeminatione ex propriæ voluntatis arbitrio, an ob periculum ſibi imminens mortis. Hic etiam ex occaſione inquirẽdum erit, an in coitu fornicario, ſi fæmina iam ſeminauerit, vel ſit periculum ſeminationis, teneatur vir nõ deſiſtere, donec ſeminet. Tandem, ſi vir ſeminauerit, & ſe retraxerit ante ſeminationem fæminæ poſſit hæc ſe excitare ad ſeminandum.

2 *Mutuo conſenſu poſſunt à copula incæpta deſiſtere, ſi neuter ſeminarit, & non ſit periculũ effuſionis.* Aſſertio I. Incæpta copula, ſi neuter ſeminauerit, nullumq; ſit periculum effundendi ſemen extra vas reſpectu viri, & intra ſe ipſam reſpectu fæminæ, non eſt peccatum læthale deſiſtere ex comuni conſenſu a copula incohata. *D. Antoninus 3. part. tit. 1. c. 20. §. 6., Tabiena verb. luxurioſus q. 6. n. 7. in fine, Veracrux 4. part. ſpecul art. 15 concl. 5., Le..us de iuſt. lib. 4. c. 3. nu. 55., Laiman lib. 6. ſect. 4. num. 19., Baſilius Pontius de matrim. lib. 10. c. 11. n. 9., Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrimonij c. 9. nu. 58., & alij magis communitèr.*

Ratio ex eo deducitur, quia illa deſiſtentia a copula incohata, nec eſt contra iuſtitiam nec contra caſtitatem coniugalem, nec habet oppoſitionem talem ad aliam virtutem, vt contrahat noxam læthalem, ergo &c. Antecedens quoad primam partem patet, quia per illam deſiſtentiam nulli infertur iniuria, cum ſcienti, & conſentienti nulla iniuria inferatur; quoad ſecundam ſic euincitur, quia inter coniuges non ſunt impediti tactus impudici etiam in partibus verendis ſub peccato læthali, ſi abſit periculum pollutionis; illa autem vaſis penetratio ſine ſeminatione eſt tantum quidam tactus partium verendarum, ergo non erit peccaminoſa læthalitèr; neque dicas, quod inchoatio copulæ in vaſe præpoſtero, & non naturali ſine ſeminis effuſione connumeretur etiam inter tactus impudicos, & tamen inducat culpam læthalem, ergo etiam penetratio in vaſe naturali ſine ſeminatione intra ipſum, quantumuis habeat ſolummodo rationem actus impudici, non eximetur à noxa læthali, quantumuis enim ratione loci videatur actus præpoſterus inchoatus habere maiorem quandam fæditatem, cum tamen non excedat limites actus impudici, ſi tangit culpam grauem, ſequitur, quod, cum præferat maiorem fæditatem copula inchoata, ac præferant ſimplices tactus, & oſcula, vtique ille tangat culpam læthalem; contra enim impugnaberis, quia diſpar omnino eſt ratio de copula ſodomitica inchoata, ac de copula coniugali incæpta; nam prima nullo modo ordinatur ad generationem, quinimmò eidem opponitur, ac proinde nullo modo poteſt eſſe licita inter coniuges; ſecunda autem eſt initium eiuſdem generationis, & ad eandem ordinata, ergo ipſa inter coniuges poterit eſſe licita, cum omnes actus coniugales, qui quoquo modo poſſunt ordinari ad generationem inter coniuges liciti ſint, non ſic illi, qui contrariantur eidem generationi, & a quibus natura ipſa abhorret. *Rationes pro aſſerto.*

Deinde, vel illa copula coniugalis incæpta eſt animo perficiendi, & deinde interrupta ex mutuo conſenſu vtriuſq; coniugis, vel incæpta eſt cum animo non perficiendi; ſi primo modo fuerit incæpta, cum habuerit ordinem a natura intentum, non potuit eſſe in ſua origine mala; nec deprauari poteſt ex eo, quod interrumpatur, antequam compleatur, quandoquidem, dum abeſt periculum effuſionis ſeminis extra vas, coniuges poſſunt cedere iuri ad tale complementum mutuo conſenſu, cum hoc ſit ius ipſorum, & ſicuti poſſunt cedere iuri ad actus coniugales, antequam incipiant, ita poſſunt cedere iuri ad complementum, quãdo iam fuerunt inchoati; illa etenim incæptio non exigit ex ſua natura neceſſariò complementum, cum dependeat à volun- *Coniuges poſſunt cedere iuri ad cõplementum.*

luntate eorundem coniugum actus tàm in inceptione, quàm in complemento, vnde poſita incæptione poſſunt nolle complementum, quando nullum adeſt periculum pollutionis extra vas, & ſicuti poſſunt ponere alios actus præparatorios ad copulam cum animo eam perficiendi, & poſtea à perfectione deſiſtere, ita non video, cur non poſſint copulam ipſam incohare, & poſtea communi conſenſu à complemento declinare? Neq; dicas, hoc cedere in detrimentum prolis, quæ inde poterat concipi, & naſci; contra enim impugnaberis, quia, cum nihil ſit poſitum, quod habeat principium reſpectu eiuſdem prolis, hæc nullum poteſt habere ius, vt ponatur in eſſe, quod ad ſummum haberet, ſi poſitum eſſet ſemen in vaſe apto, quod eſt principium ipſius, vnde, ſi coniuges ſemine effuſo contenderent impedire completam generationem eiuſdem prolis, peccarent quidem læthalitèr aduerſus eandem prolem, non autem peccarent, ſi nollent eiuſdem generationi vacare, quando nulla ſeminis eſſet iactura. Si ſecundo modo fuerit incæpta copula, hoc eſt ſine animo perficiendi etiam non inuoluit culpam læthalem, quia continetur intra limites tactus impudici, qui inter coniuges exercitus non excedit culpam venialem, quantumuis exerceatur ob præciſam voluptatem etiam cum intentione non perueniendi ad copulam perfectam, prout docent *Caietanus 2.2. q.154. art.4. §. in reſponſione ad ſecundum*, *Abulenſis c.5. Matthæi q. 197.*, *Roſella verbum debitum num. 12.*, *Vaſquez prima ſecunda q.74. art.8. diſp. 113. nu.3., & 4.*, *Fagundez in Decalogum lib.6.c.3.n.3.*, *Hurtadus de matrim. diſp.10. diffic.5.*, *Auerſa de matrim. q.21. ſect.8.*, *Martinus Perez de matrim. diſp. 54. ſect.2.*, *Paulus Laiman lib.3. ſect.4. num. 12.* Ratio eſt, quia huiuſmodi voluptas non quęritur extra matrimonium, ſeu per actus, qui ſint alieni a matrimonio, & ſicut ipſum matrimonium excuſat a culpa læthali delectationem ipſam, quæ conſurgit ex copula coniugali, quantumuis eadem delectatio ſine expreſſo intendatur, ita excuſat a noxa læthali delectationem, quæ conſurgit ex illa copula incohata, quando non eſt periculum effuſionis ſeminis extra vas.

Illa copula continetur intra limites actus impudici.

Aſſertio II. Si incæpta copula neuter ſeminarit, regularitèr altero diſſentiente non poteſt alter deſiſtere ſe extrahendo. *Paludanus in 4. diſt.31. q.3. art. 2. num. 15.*, *Caietanus 2.2. q.154. art.11. in fine*, *D. Antoninus 3. part. tit.1. c.20. §. 6.*, *Roſella verbo debitum num.11.*, dum dicunt virum cum vxore rem habentem non teneri ſeminare, niſi ipſa petente, ergo ipſa petente tenebitur ſeminare, nec poterit copula incæpta ab eadem deſiſtere vxore diſſentiente.

3 **Altero diſſentiente regularitèr alter nō poteſt ſe ſubtrahere.**

Ratio ex eo deducitur, quia regularitèr loquendo altero coniuge petente tenetur ex lege iuſtitiæ alter reddere per ea, quæ latè ſupra probauimus, ergo a fortiori incæpta copula altero petente complementum tenebitur alter complere per veram ſeminationem. Conſequentia probatur, quia coniuges non ſolum habent ius, vt alter teneatur reddere quomodocunque, ſed etiam teneatur reddere perfectè, & complete; poteſt enim vxor dicere volo ita coniungi, vt fiam mater, & maritus, vt fiam Pater &c. Neque dicas, quod, quamuis hoc verificetur reſpectu vxoris exigentis debitum completè a marito, non tamen verificetur reſpectu mariti exigentis debitum completè ab vxore, quandoquidem ſemen mariti eſt neceſſarium ad generationem, cum ipſe concurrat actiuè ad generationem, non ſic eſt neceſſarium ſemen fæminæ, cum non concurrat actiuè, ſed merè paſſiuè; contra enim impugnaberis, quia ex alibi dictis etiam fæmina concurrit actiuè ad generationem, ipſiuſq; ſemen ad eandem neceſſarium eſt, adeoq; inſtantia in noſtris principijs nullam vim habet.

Rationes pro aſſerto.

Dixi *regularitèr loquendo*, quia poſſunt tales cauſæ interuenire, vt poſſit maritus v.g. vxore etiam diſſentiente ſe retrahere à complemento, vt ſi vir cognoſcat ſibi magnum vitæ periculum imminere, ſi eandem copulam perficiat; nam ſicuti ob tale periculum excuſatur à debito reddendo etiam copula non incohata, ita etiam excuſatur eadem incohata à complendo. Item, ſi incæpta copula hoſtis ſuperuenerit, ex quo timeatur vitæ interitus. Item, ſi ſubito aliqui ſuperuenerint in loco, in quo copula incæpta eſt, à qua, ſi nó deſiſteret, eſſent actum illum concubitus inſpecturi, quod certè maximè aduerſatur honeſtati.

4 **Nonnullæ exceptiones ad prædicta.**

Aſſertio III. Siue vxor ſeminauerit, & non maritus, ſiue maritus, & non vxor, non eximuntur à peccato mortali, ſi ſe retrahant à complemento per ſeminationem eius, qui adhuc non ſeminarit. Qui ad primam partem *Caietanus 2.2. q. 154. art. 1. circa ſolutionem ad quartum §. ad ſecundum vero caſum, & art.11. ad finem dub. 5.*, *Paludanus in 4. diſt.31. q.3. art.2. nu.15.*, *D. Antoninus 3. part. tit.1. c.20. §.6.*, *Diana part.3. tract.4. reſol.227.*, *Filliucius tom. 1. tract.10. c.9. nu. 333.*, *Bonacina de matrim. q.4. punct.6.*, *Hurtadus de matrim. diſp. 18. difficult.5. num.21.*, *Auerſa de matrim. q.21. ſect.5. §. quarto*. Quoad ſecundam *Ochogauia de Sacramentis tract. 5. de matrim. q.2.*

5 **Si alter ſeminauerit, nequit alter ſub graui ſe ſubtrahere à complemēto.**

num.13., *Hurtadus de matrimonio diſp.* 18. *diff.c.5. num.* 21., *Auerſa de matrim. q.* 21. *ſect.5.§. communis tamen*, hancq; partem in praxi adhibendam eſſe putat *Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrimonij c.9. num.*52.

Ratio primæ partis ex eo deſumitur, quia deſiſtere à complemento copulæ per veram ſeminationem ex parte viri, poſtquam fæmina ſeminauit, eſt fruſtrare ſemen fæmineum fine, ad quem à natura eſt ordinatum, ergo, qui ſic deſiſtit, committit graue peccatum contra naturam. Confirmatur, quia in concubitu coniugali non ſolum ſeruandum eſt inſtrumentũ permanens, quod eſt vas naturale, ſed etiam inſtrumentum fluidum, quod eſt ſemen, ſed omiſſo inſtrumento permanenti graue peccatum committitur contra naturam, ergo etiam omiſſo inſtrumento fluido. Hoc argumento vtitur *Sanchez d. lib.* 9. *diſp.* 19. *num.* 4., Neque aduerſari poteſt, ſi dicatur, quod ſemen fæmineum non eſt neceſſarium ad generationem, adeoq; culpam non eſſe, ſi maritus, poſtquam vxor ſeminauit, deſiſtat à proprij ſeminis emiſſione intra vas fæmineum, ſicuti non eſt culpa ex ſupradictis, ſi incæpta copula, & adhuc non poſita ſeminatione ex parte alicuius deſiſtant communi conſenſu ab eadem copula, cum etenim ex neceſſitate non requiratur ad generationem ſemen muliebre, non videtur de illo curandum; Non, inquam, aduerſari poteſt, quia in primis iuxta noſtra principia falſum eſt, quod ſemen fæmineum non ſit neceſſarium ad generationem; Deinde dato etiam, quod non eſſet neceſſarium, cum tamen ordinetur ad maiorem perfectionem, & formoſitatem fætus, denegari non poteſt, quod non poſſit omitti, niſi in ordine ad eandem generationem; cæteroqui grauitèr non peccaret vxor, quæ voluntariè extra congreſſum coniugalem ſe pollueret, quod non eſt dicendum.

Fruſtraretur ſemen fæmineũ ſuo fine.

Ratio ſecundæ partis ex eo deſumitur, quia ex ijs, quæ tum in quæſt. de ortu, & interitu, tum ſparſim in iſtis queſtionibus de matrim. dicta ſunt nõ ſolum ad prolis generationem concurrit actiuè maritus, ſed etiam vxor, nec ſolum ſemen maſculinum eſt ad eandem neceſſarium, ſed etiã fæmineum, ergo non ſolum grauitèr peccatur, quando maritus ſe retrahit a copula, poſtquam vxor ſeminauit, ſed etiã, quando ſe retrahit, poſtquam ipſe ſeminauit, & non vxor. Deinde dato etiam, quod ſemen fæmineum non eſſet neceſſarium ad generationem, ex communi tamen ſententia eſt vtiliſſimũ, & à natura ſic inſtitutum, vt ſimul cum virili concurrat, ergo, vt ſeruetur naturæ inſtitutum, expectanda eſt etiam fæminæ ſeminatio, & contrarium efficere eſt contra naturæ inſtitutum, adeoq; peccaminoſum.

Maſculus ſe retrahens poſtquam ipſe ſeminauit, peccat.

Hinc poteſt deduci grauitèr etiam peccare vxorem, quæ in ipſo congreſſu coniugali data opera nititur non ſeminare, vel quia cogitationem ad aliud reflectat, vel quia poſt viri ſeminationem à copula deſiſtat ſe ſubtrahendo, atq; ita præter præcitatos DD. ſuſtinent *Tabiena verb. luxurioſus q.6. num.* 7., *Armilla verb. debitum num.* 9., *Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrimon. c.9. num.*53., propter rationem, quam mox innuimus, quia ſcilicet ſemen fæmineum eſt, vel neceſſarium iuxta noſtra principia ad generationem, vel ſaltem valde proficuum, & à natura inſtitutum, vt ſimul cum viri ſemine concurrat.

Plures hic inſurgunt rationes dubitandi, quas mox profero, & expendo. Prima eſt, an quandoque licitum eſſe poſſit interueniente cauſa, quod maritus, poſtquam ſeminauit, recedat a copula non expectata vxoris ſeminatione, vel quod ipſe ab eadem recedat, poſtquam fæmina ſeminauit, ſi ipſe nondum ſemen emiſerit. Secunda, an teneantur coniuges in ipſo congreſſu carnali curare, quantum poſſunt, vt ſimul ſeminent. Tertia, an, ſi contigerit, quod maritus, poſtquam ſeminauit, receſſerit non expectata vxoris ſeminatione poſſit iſta incontinenti tactibus ſe prouocare, donec ſeminet.

Nonnullæ rationes dubitandi proponũtur.

Ad primam videtur in vtroque caſu dicendum etiam ſuperueniente cauſa puta, quod hoſtes ſuperuenerint ad ipſum perdendum, vel alij congreſſum illum inſpecturi, quod videtur contra decentiam, & honeſtatem, non poſſe recedere à copula incohata, in qua vnus, vel alter ſeminauit, quandoquidem hoc eſſet fruſtrare ſemen emiſſum ſuo fine, ad quem ordinatum eſt à natura, quod cum ſit ab intrinſeco malũ, nulla ratione poteſt cohoneſtari, & ſicuti nec etiam ad vitandam mortem poteſt coniux extra actum coniugalem ſemen emittere, cum fruſtraretur fine à natura intento, ita nec etiam ad euitandum illud periculum hoſtium ſuperuenientium ad necem poterit à cõgreſſu recedere, quando alter ſeminauit, & non vterque, quia per talem receſſum fruſtraret ſemen ab altero emiſſum fine generationis, ad quem à natura eſt principalitèr ordinatum. Nihilominus, quando vir iam ſeminauit, & non vxor poſſe ex illis cauſis maritum recedere a copula cum vxore incohata docent *Filliucius tract.10.c.9.nu.*333., *Auerſa de matrimon.*

q.21.

q.21. ſect. 5. §. communis tamen, *Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrim. c.9. num. 53. in fine*; quando verò vxor ſeminauit, & non vir ex illis cauſis ſuperuenientibus poſſe eundem virum recedere à copula incohata docent *Sanchez d. lib.9. de debit. coniug. diſp.19. num.6.*, *Filliucius loc. mox citato*, *Caſtrus Palaus part.5. tract. 28. diſp.3. puncto 4.*, *Diana part.3. tract.4. reſol. 204.*, *& part.5. tract. 14. reſol. 37.*, *Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrim. c.9. num. 60.*, à quibus non recedendum eſſe exiſtimo. Ratio eſt, quia non videtur eſſe obligatio perficiendi in tanto periculo, & in tali vitæ, & honeſtatis diſcrimine; Neque obeſſe poteſt ratio pro contraria opinione mox appoſita, quandoquidem, vt benè notat *Sanchez d. diſp.19. num.6.*, *& Boſſius d.c.9. num.60.*, maximum eſt diſcrimen inter pollutionem extra actum coniugalem, & illam non ſeminationem ſuperueniente illa cauſa, ſeu periculo conſiſtens in eo, quod in voluntaria illa pollutione intercedit actus poſitiuus; poſitiuè autem, & contrariè cooperari illi fruſtrationi finis, ad quem tamen ordinatur à natura, & per conſequens damno prolis ita eſt malum, vt non liceat etiam gratia cuiuſcunque mali vitandi etiam propriè vitæ, prout notat *Ioannes Angelus Boſſius tom.2. moral. tit.1. p.3.*, *& tom.3. tit. 12.*, in illa verò non ſeminatione non intercedit actus poſitiuus, ſed merè negatiuus, qui negatiuè ſolum bono prolis opponitur; nemo autem tenetur cum tanto vitæ propriæ diſcrimine cooperari ſeminando bono eiuſdem prolis. Accedit, vt benè notat *Sanchez loc. cit.*, *& diſp. 17. num. 16.*, quod natura non conceſſit homini adminiſtrationem ſeminis extra congreſſum coniugalem, vt illud poſſit profundere; conceſſit autem talem adminiſtrationem, vt illud non effunderet intra coniugalem congreſſum extante vrgentiſſimo caſu. Quod, ſi inquiras rationem, propter quam non conceſſerit natura adminiſtrationem vrgente grauiſſima cauſa ad effundendum ſemen extra congreſſum coniugalem; conceſſerit autem tali cauſa vrgente adminiſtrationem ad non effundendum ſemen intra eundem coniugalem congreſſum; tunc dicam, hoc ex eo prouenire, quod, cum homines adeo vehementem in ſeminis effuſione delectationem ſentiant, adeo attraherētur ad illam, vt ſemel conceſſa facultate ob grauem cauſam illud extra congreſſum coniugalem effundendi ſibi paſſim confingerent allecti carnis oblectatione, in qua libidinoſi ſummum bonum conſtituunt teſte *Abulenſi in c. 5. Matthæi q. 184. ad primum* alias cauſas quaſi ſufficientes, & ſic aperiretur via voluntarijs pollutionibus, fornicationibus, adulterijs &c., vnde prouidè natura diſpoſuit negando abſolutè adminiſtrationem in omni caſu extra actum coniugalem; hæc autem ratio non militat in non ſeminando in congreſſu coniugali, & propterea &c. Neque ijs, quæ dicta ſunt in reſolutione præſentis dubitationis obſtare poteſt periculum in receſſu effundendi ſemen extra vas ob naturam concitatam in ipſo congreſſu; Non, inquam, obſtare poteſt, quia illa effuſio, ſi contingeret, non eſſet volita, ſed præter voluntatem recedentis, dum dat operam rei licitæ ad vitam, naturalemq; honeſtatem tuendam.

6 Ex grauiſſima cauſa maritus poſtquam ipſe ſeminauit, & nō vxor poteſt recedere.

7 Diſcrimen inter illam non ſeminationem, & voluntariam pollutionē.

Alia diſparitas ex Sanchez aſſignatur.

Ad ſecundum dico non eſſe neceſſe, quod vterque coniux ſimul ſeminet; congruum tamen fore, ſi vterque ſtudeat ſimul ſeminare. Ita quoad ſecundam partem *Caietanus 2. 2. q.15. art. 11. ad fin. dub. 7.*, *Tabiena verb. luxurioſus q.6. §.7.*, *Sanchez de matrim. lib 9. diſp.17. num.7.*, *Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrim. c.9. nu. 47.* Quoad primam vero *Sanchez*, *& Boſſius loc. cit. ille num.9.*, *iſte num.47.*, *Henriquez lib.11. de matrim. c.16. n.7. in fin.* Ratio primæ partis ex eo deſumitur, quia finis principalis illius congreſſus coniugalis eſt, vt inde generatio prolis proueniat; ſed hæc vtique prouenire poteſt, quantumuis coniuges ſimul non ſeminent, dummodo in eodem congreſſu vtriuſque ſeminatio ſequatur, ergo &c. Minor probatur, nam, quantumuis aliquantulum vnum poſt aliud ſemen effundatur, adhuc poſſunt commiſceri ſimul, quantum attinet ad conſtituendum vnum totale principium generationis; non enim ſtatim ſemen ab vno emiſſum corrumpitur, nec ita conſolidatur, vt nequeat cum alio poſtea ab altero emiſſo commiſceri. Confirmatur, quia ſecus maxima via aperiretur ſcrupulis coniugibus in tali congreſſu, cum vix vel rarò poſſit contingere, quod ſimul ſeminent, cum vt plurimum alter ſit robuſtioris, & facilioris complexionis ad ſeminandum, alter tardioris, & imbecillioris naturæ; Neq; obeſſe poteſt id, quod aſſerit *Gallenus lib. 4. de vſu partium c. 7.* nempe, vbi prius vir ſeminat, quam fæmina impediri generationem, quod etiam tradunt *Auicenna fen.21. tertij lib. de membris generationis c. 7. de ſterilitate verſ. error autem accidens*, *& alij* apud *Sanchez d. lib.9. diſp. 17. num.7.* Non, inquam, obeſſe poteſt, quia gratis omnino hoc dicitur, cum non appareat ratio naturalis, ob quam requiratur prius ſeminatio in fæmina, quam in viro, vel æquè primo in vtroque. Ratio ſecundæ

8 Non eſt neceſſe, quod vterque ſimul ſeminet.

Eſt tamen congruū, vt ſtudeat ſimul ſeminare.

Digitized by Google

dæ partis ex eo deſumitur, quia ex ſimultanea vtriuſque ſeminatione certior euadit generatio, vnde conſulendum eſſe aſſerit Sanchez coniugi tardiori, & frigidiori ad ſeminandum, vt ſe tactibus diſponat, vt quantum fieri poteſt ſimul ſeminare curet.

Ad tertiam aſſero, quod, ſi contigerit maritum, poſtquam ſeminauit ante ſeminationem fæminæ, membrum extrahere, poteſt incontinenti vxor tactibus ſe prouocare, donec ſeminet *Leſſius lib. 4. c. 3. nu. 55., & 94, Fagundez in Decal. lib. 6. c. 3.*

9 *num. 20., Sanchez diſp. 17. num. 12., Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrim. c. 9. n. 55., & alij plures apud eundem.* Rationem ex eo deſumo, primo, quia illa prouocatio in fæmina ad ſemen emittendum ſtatim, ac maritus ſeminauit, & membrum extraxit eſt quaſi complementum, & conſummatio actus coniugalis, ergo non erit illicita reſpectu vxoris, cum ius habeat ad complementum actus. Secundo, quia illa emiſſio ſeminis incontinenti facta poſt ſeminationem viri, & extractionem membri virilis eſt apta ad generationem prolis, & ſine illa iuxta noſtra principia hæc nullatenus haberi poteſt, aptitudo autem ex eo euincitur, quia ſemen illud ab vxore incontinenti emiſſum poteſt effectiuè commiſceri cum ſemine præcedentèr à marito emiſſo, & fieri vnum principium actiuum generationis, non enim ſtatim, ac ſemen virile intra vas muliebre emiſſum eſt, corrumpitur, ſed aliquo tempore calore matricis fouetur, & conſeruatur illæſum, & aptum ad agendum in ſemen fæmineum, ſi ſuperuenerit. Tertio, quia fæminæ, ſi ſic poſt ſeminationem mariti, & extractionem membri, non poſſent ſe prouocare ad ſeminandum, exponerentur crebrò grauiſſimis periculis peccandi læthalitèr; ſiquidem maſculi regularitèr robuſtiores ſunt, & prius ſeminant, & ſtatim ſe retrahunt excitata manente libidine in fæmina. Quarto, quia, ſi maritus ſeminauerit antecedentèr ad vxorem, & membrum nondum extraxerit, poteſt vxor ſe prouocare ad ſeminandum, ergo etiam poterit ſe prouocare ad ſeminandum, ſi ille extraxerit incontinenti, poſt extractionem; quid enim præſtat in ordine ad commixtionem ſeminum, quod membrum fuerit extractum, vel non extractum?

Si maritus, poſtquam ſeminauit, ſe retraxerit ante ſeminationem fæminæ, poteſt hæc tactibus ſe excitare ad ſeminandũ.

Aſſertio IV. In copula fornicaria, ſi fæmina ſeminauerit, poteſt, & tenetur maſculus ſe retrahere a ſeminando, & à complendo copulam, quantumuis ex vi commotionis carnis in illo congreſſu ſit periculum effundendi ſemen extra vas *Sanchez de matrimon. lib. 9. de deb. coniug. diſp. 19. num. 7., Leſſius lib. 4. c. 3. num. 55., & 94., Auerſa de matrim. q. 21. ſect. 2. §. ad fundamentum, Diana part. 3. tract. 4. reſol. 227., Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrimon. c. 9. num. 64.* 10

In copula fornicaria, poſtquam fæmina ſeminauit, poteſt, & tenetur maſculus non ſeminare.

Ratio in promptu eſt, quia non ſolum tota actio fornicaria, ſed quælibet ipſius pars eſt illicita, & ab intrinſeco mala, & præceptum eandem vitãdi eſt negatiuum obligans ſemper, & ad ſemper, ergo pro quocunque tempore poteſt, & tenetur quilibet non ſolum eam adæquatè, ſed quamlibet ipſius partem vitare; Neque dicas ea, quę dicuntur in hac probatione, rectè procedere, quando in omiſſione eiuſdem actus fornicarij quoad ſeminationem ex parte maſculi maiora, & deteriora mala non obuenirent, ſecus quando hæc ineuitabilitèr orirentur, quia tunc onus vitandi maiora mala, & vtique culpæ excuſaret à malitia complementi actus fornicarij ex generali regula, quod in concurſu plurium malorum, quæ omnia vitari non poſſint, minus ſit eligendum; in præſenti autem hypotheſi minus malum eſſet perficere fornicationem per ſeminationem, quam eandem ſeminationem omittere, ſiquidem fornicatio completa ſolum aduerſatur bono prolis in ordine ad ipſius educationem; non ſeminatio autem aduerſatur generationi prolis ſimplicitèr, & reddit ſemen fæmineum non idoneum ad finem, ad quem à natura eſt ordinatum; contra enim impugnaberis, nam licet daremus, quod hæc non ſeminatio reſpectu viri ſuppoſita ſeminatione fæminæ ſit grauius peccatum, nihil tamen contra mentem noſtram efficax inferretur, quandoquidem fornicatio ipſa ita eſt ab intrinſeco mala, vt nulla ratione poſſit cohoneſtari; non ſeminatio autem poteſt ex aliqua vrgenti cauſa cohoneſtari, adeoq; &c.

Rationes pro aſſerto.

Rationes oppoſitæ, & diſſolutæ.

Dices adhuc, quod, cum fornicatio fuerit incæpta per ſeminationem fæminæ, viri ſeminatio, non ſic formalitèr fornicaria, ſed ad ſũmum materialitèr, cum non fiat animo libidinoſo, ſed ſolum ad complendum actum ad effectum vitandi damni prolis, adeoq; non ſit ab intrinſeco mala. Sed contra, quia, cum fornicatio ſit ſecundum omnes ſui partes mala, & præcepto negatiuo prohibita pro quocunque tempore intelligitur vetita, nec eandem excuſat, quod fiat ad effectum complendi actum, ne proli damnum ſequatur, quandoquidem nec cohoneſtatur, nec licita eſt fornicatio ob bonum prolis, nec ſeminatio fæminæ iam poſita ad ponendam etiam viri ſeminationem compellit, cũ hæc ſit ab intrinſeco mala, & pro quocunque tempore prohibita, & in

Alia inſtantia propoſita, & ſoluta.

qua-

Digitized by Google

quacunque circumſtantia illicita.

Dixi, *quantumuis ex vi commotionis carnis ex illo congreſſu ſit periculum effundendi*
11 *ſemen extra vas*, quandoquidem, ſi illa effuſio contingeret, eſſet omnino per accidens, & præter intentionem retrahentis, dum daret operam rei licitæ, nempe abruptioni mali operis; ex quo etiam inferri valet, quod, ſi quis ſe diſpoſuerit ad fornicandum, & in præparatione ita fuerit concitatus, vt magnum ſit periculum pollutionis extra vas, teneatur ab eadem copula fornicaria abſtinere, & deſiſtere, cum continuatio illa voluntaria ad perficiendum conſtituat culpam grauem, & ab intrinſeco malam cum iniuria prolis ob defectum educationis; Neque dicas, quod melius ſit proli naſci cum illa infectione, & defectu educationis, quam non naſci, adeoque ab hanc cauſam defectus educationis non reddi illicitum illam continuationem, ſeu conſummationem; contra enim impugnaberis, quia, quantumuis in ordine ad prolem videatur optimè procedere inſtantia, non poteſt tamen vim habere, quando ipſius generatio coniungitur cum actu, qui eſt ab intrinſeco malus, & ſic quamuis proli melius ſit naſci cum periculo defectus educationis, quam non naſci, non eſt tamen melius, vt fiat actus omni ex parte, & ab intrinſeco malus ad effectum, vt proles naſcatur, cum non ſint mala facienda, vt eueniant bona.

Etiamſi ex vi cōmotionis carnis ex illo congreſſu eſſet periculum ſeminandi extra vas.

Hic pro complemento duplex remanet difficultas examinanda, & diluenda. Prima eſt, an, ſi fæmina, quæ volens, ſeu conſentiens incæpit fornicationem, poſtea pænitens incæpti operis violenter ſubtrahat corpus ſuum à maſculo, ne ipſius ſemen recipiat, quantumuis ob concitatam naturam periculum ſit, quaſi certum moralitèr effuſionis ſeminis eiuſdem extra vas peccet. Secunda, an, ſi viribus non potuerit effugere, quin ſemen virile receperit, poſſit poſt talem receptionem conari, vt ſemen receptum dimittat, vel mingendo, vel alia ratione.

Nonnulla dubia excitata.

In ordine ad primam aſſerendum cenſeo poſſe corpus ſuum ſubtrahere, ne ſemen virile recipiat *Ioannes Angelus Boſſius*
12 *tract. de effect. matrim. c.9. num.66.* Ratio eadem militat pro fæmina, quæ militat pro viro ſe ſubtrahente; in vtroq; etenim militat ratio fornicationis, quę eſt quoad omnes ſuas partes ab intrinſeco mala; nec obſtat illud periculum pollutionis viri extra vas, quandoquidem eſt præter intentionem mulieris, quæ dat operam rei licitæ ſe retrahens ab incæpto crimine.

Fæmina, quæ conſentit fornicationi, poteſt in actu corpus ſuum retrahere, ne recipiat ſemē virile.

In ordine ad ſecundam docent *Mazuchellus tract. de caſib. reſeruatis diſp. 2. c. 3. difficul. 4. num. 24.*, *Marchantius in reſolut. Pa. part. 1. c.6. q.21.*, *Diana part. 7. tract. 5. reſol. 31.* poſſe vxorem ſic vi oppreſſam conari, vt ſemen virile reijciat; eamq; rationem adducunt, quia per talem eiectionem ſe defendit contra inuaſorem iniuſtum, qui inuaſor cenſetur adhuc moralitèr perſeuerare in ſemine illius, qui oppreſſit; nec obſtat, quod ipſa vxor prius conſenſerit; non obſtat, inquam, quia, cum ille conſenſus fuerit de opere ab intrinſeco malo, non obligat, & cum iuxta debitum virtutis illum ante completum actum reuocauerit, & conata fuerit ab illo deſiſtere, denegari non poteſt, quin maſculus perſeuerans contra ipſius voluntatem in coitu dicatur propriè opprimere, & per ſemen illud inuadere. Alij è contra docent non poſſe cu- 13
rare, vt ſemen illud, quod, quamuis inuita recepit, eijciat; atque ita ſentire videtur *Diana part. 9. tract. 8. reſol. 18.*, ſibi ipſi contrarius, dum dicit, quod ſponſa oppreſſa à ſponſo per vim ante bimeſtre non poſſit ſemen incontinenti expellere, quia iniuria fieret proli ex illo ſemine procreandæ, non ſponſo; Nec arbitrandum eſt intercedere diſparitatem inter ſponſum vi opprimentem ſponſam intra bimeſtre, ac inter fornicarium violentèr opprimentem fornicariam, dum hæc conatur recedere à coitu, ſitam in eo, quod ratione ſponſalium, ſeu ratione matrimonij rati ſponſus habeat ius in corpus ſponſæ, quod ius non habet fornicarius in fornicariam; Non, inquam, arbitrandum eſt, quantum ad effectum, de quo hic agitur, intercedere talem diſparitatem ad ſaluandam contradictionem Dianæ, quandoquidem fundamentum, quod adducit pro hoc ſecundo caſu de ſponſo, eſt, quia per illam eiectionem inferret iniuriam non ipſi ſponſo, ſed proli, quæ ratio militat etiam in primo caſu de fornicario, quandoquidem in illa eiectione iniuria inferretur eidem proli ex illo concubitu procreandæ. Quid igitur concludendum?

An vxor per vim oppreſſa poſſit conari, vt ſemen virile eijciat extra vas.

Sententia negatiua.

Probabilius arbitror fæminam per vim oppreſſam incontinenti, & ſtatim poſſe licitè curare, vt ſemen emittat, ſe- 14
cus vero, ſi non incontinenti *Sanchez de matrimon. lib.2. diſp.22. num.17.*, *Rainaudus de ortu infant. c.10. num 47.*, *Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrim. lib.9. nu.5.*, quidquid ex aduerſo dixerint *Baſilius Pontius lib.9. de matrim. c.10. nu.5.*, qui, quamuis velit, quod mulier vi oppreſſa poſſit reluctari, vt extrahat virum a ſeminando intra ſe ipſam, & quantumuis in tali luctamine ſequatur opprimentis pollutio

Sententia affirmatiua cum quodam moderamine pręfertur.

extra

Digitized by Google

extra vas, ſit immunis à quacunque labe, ſentit tamen, quod poſtquam ſemen intra vas receptum eſt, non poſſit illud eiicere, ea motus ratione, quia aliud eſt impedimenta apponere, dum ſemen quaſi eſt in via, aliud vero ſemen eicere, cum iam ad finem peruentum eſt. Nihilominus opinio noſtra ſic euincitur, quia immediatè, ac ſemen à viro effuſum eſt, non intelligitur eſſe in loco tuto, nec pacificam acquiſiuiſſe poſſeſſionem, ergo titulo iuſtæ defenſionis poterit vxor illud expellere incontinenti, ac effuſum eſt, ea proportionali ratione, qua docent DD., quod Dominus poteſt licitè furem inſequi, ac res proprias ſurripuit, & percutere, donec in loco tuto ſit conſtitutus, non autem poſtquam ad locum tutum peruenerit. Confirmatur, & per hoc reiicitur fundamentum Pontij, quia ideo poteſt fæmina, antequã ſemen virile receperit, niti amouere opprimentem, quantumuis ſit ſecutura ſeminis effuſio extra vas, quia non tenetur pati, vt ſemen intra ſuum vas violentèr iniiciatur, ſed etiam non tenetur pati, vt intra ſuum vas detineatur, quando nondum pacificam adeptum eſt poſſeſſionem, cum adhuc reputetur, quaſi in fieri, ergo &c.

Non præſumitur in pacifica poſſeſſione.

Verum tamen eſt, quod hæc noſtra opinio procedit in ſuppoſitione, quod ſemen immediatè, ac effuſum eſt, non conſtituatur in loco tuto, nec ſtatim pacificam acquirat poſſeſſionem; ſi etenim ſupponamus, quod immediatè attrahatur à matrice fæminæ, quæ ita obturetur, vt exitum non admittat, nec patiatur eiuſdem ſeminis egreſſum, tunc dicendum eſt, quod per talem nixum ad extrahendum, ſeu eiiciendum illud ſemen grauiter peccet vel per conſcientiam erroneam, vel quantum eſt ex effectu conantis, non tamen quoad effectum, ſeu ex obiecto, cum effectus ipſe in tali ſuppoſitione euenire non poſſit.

Limitatio ad prædicta.

PRÆNOTIO VI.

An ſit licita attentatio vſus coniugalis, quando poſt matrimonium ſuperuenit impotentia ad copulam perfectam in altero coniuge.

SVMMARIVM.

Quot modis poſſint coniuges fieri impotentes. 1.
Extante impotentia ſine ſpe ſeminationis intra vas non eſt licitus congreſſus inter ipſos. 2.
Intellige, ſi ſit periculum effuſionis ſeminis extra vas. 3.
Si non conſtet de omnimoda impoſſibilitate, & ſit probabilis ſpes perficiendi intra vas non eſt illicita illa attentatio, ſeu congreſſus. 4.
Quodnam tempus concedendum ſit ad experimentum. 5.
Si maritus poſſit ſemen emittere intra vas, non tamen fæmina illud retinere probabilius poſſunt congredi. 6.
Si matrimonio contracto maritus factus fuerit eunuchus, & priuatus, vtique teſticulo non poteſt cum vxore congredi, ſecus, ſi vno tantum fuerit priuatus. 7.

MVltiplicitèr ex parte vtriuſque coniugis poteſt ſubſequi impotentia ad vſum matrimonij perfectum poſt contractum matrimonium; & quidem ex parte mariti primo ex imbecillitate naturæ, vel alio morbo. Secundo ex improportione membri virilis, quatenus ita magnum ſit effectum, vt non poſſit vas muliebre penetrare. Tertio ex amputatione virilium, vel ex foramine in eiſdem in ſuperiori parte, qua vrina, & ſemen exeat. Ex parte vero vxoris ex nimia arctitudine, quatenus maritus non poſſit vas illius penetrare, vel ex maleficio, quatenus nequeat ſemen virile vtilitèr recipere. 1

Quot modis poſſint coniuges fieri impotentes.

Aſſertio I. Impotentia, quæ ſuperuenit, ſiue ex parte viri, ſiue ex parte fæminæ poſt contractum matrimonium, ſi fuerit talis, vt nulla prorſus ſit ſpes, quod ſeminatio poſſit fieri intra vas fæminæ, non eſt abſolutè licitus acceſſus coniugalis inter ipſos, ſi ſit periculum effuſionis ſeminis extra vas fæmineum *Caietanus 2.2. q.154. art.1. circa reſolut. ad quartum*, & alij plures, quos citat, & ſequitur *Sanchez de matrimon. lib. 9. de deb. coniug. diſp.18. num.20.*, *Fagundez in Decal. lib.6. c.3. num.42.*, *Filliucius tom.1 tract. 10. num. 132.*, *Coninchus de Sacrament. diſp.34. dub. 11 num.115.*, & alij plures, quos citat, & ſequitur *Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrimon. c.7. num.181.* 2

Non eſt licitus congreſſus extante impotentia ſine ſpe ſeminationis intra vas.

Ratio inde deducitur, quia copula coniugalis, ſeu inter coniuges eſt dumtaxat permiſſa, quando fit intra legitimum vas, ſed in hac ſuppoſitione copula intra legitimum vas fæminæ non eſt poſſibilis, ergo, nec erit licita. Confirmatur, quia, vbi ſolum adeſt periculum pollutionis extra vas, & nulla ſpes infuſionis in idem vas illicitum omnino eſt ſe exponere tali periculo, ergo nulla exiſtente ſpe ſeminationis intra vas peccaminoſum erit attentare congreſſum coniugalem.

Rationes pro aſſerto.

Dixi, *ſi ſit periculum effuſionis ſeminis extra vas fæmineum*; nam, ſi ſupponas in illo attentato nullum adeſſe periculum pollutionis extra idem vas, tunc non damnarem talem congreſſum, ſicuti nec 3

Intellige, ſi ſit periculum effuſionis ſeminis extra vas.

alios

Digitized by Google

alios tactus venereos etiam circa pudenda grauis culpæ, ſicuti nec damnant *Sanchez d.lib.9. de deb. coniug. diſp.18. nu.21.*, *Angles Floribus prima part. de matrimon. q.8. de impedimentis matrimon. art.1. poſt primam difficult.*, *Ioannes Angelus Boſſius loc.cit.num.182.*, *Fagundez in Decal. d.lib.6. c.3.num.43.*, *Auerſa q.21.ſect.8.verſ. quarto dubitarunt aliqui*. Ratio eſt, quia inter ipſos verum inexiſtit matrimonium, & ſunt verè coniuges, inter quos liciti ſunt huiuſmodi tactus venerei, & etiam penetratio, ſeu confricatio in vaſe naturali, potiſſimum cum poſſint ordinari ad finem licitum puta ad fouendum mutuum amorem inter ipſos coniuges, & ad ſedandum ardorem concupiſcentiæ.

4 *Si non conſtet de omnimoda impoſſibilitate, & ſit ſpes perficiendi non eſt illicita attentatio.*

Aſſertio II. Si non conſtet de omnimoda impoſſibilitate, ſed ſit probabilis ſpes ſeminandi intra vas fæminæ non eſt illicitus congreſſus coniugalis, quamuis per accidens, & præter intentionem ſemen extra illud effundatur. *Caietanus 2.2. q.154. art.1. circa ſolutionem ad quartum*, *Sanchez loc.cit.num.22.*, *qui alios plures refert. Fagundez d.c.3.num.45.*, *Bonacina de matrim. q.4. punct.6.num.17., & ſeqq.*, *Ioannes Angelus Boſſius loc. cit. num.183.*

Ratio ex eo deducitur primo, quia ex vi matrimonij legitimè contracti ius habent coniuges ad copulam habendam, vel procurandam, ergo, vbi non conſtat de impoſſibilitate ad eam conſequendam poterit procurare, quia ſic procurando vtitur iure ſuo, quod ſibi competit ex vi matrimonij; neque obeſſe poteſt illa effuſio ſeminis, quæ in ipſo conatu contingit extra vas, quandoquidem illa non eſt intenta, nec volita, & ſequitur ex opere licito, ad quod ius habent coniuges. Confirmatur, quia omnia iura clamant, & præcipuè textus *in c. laudabilem de frig., & maleſ.*, quod vbi eſt dubium, an impotentia ſit perpetua, an temporalis concedatur experientia triennalis, qua coniuges nitantur conſummare, & tamen ferè ſemper conſtat, quod in illo experimento ſemen extra vas effundatur, ergo in dubio, quod coniux poſſit ſemen emittere intra vas, poterunt coniuges congredi, quantumuis ſit periculum effuſionis ſeminis extra vas.

Rationes pro aſſerto.

5 *Quodnam tempus concedendum ſit ad experimentum.*

Si autem hic inquiras, quodnam tempus concedendum ſit ad illam experientiam, an ſcilicet poſſint ſemen amittere intra vas? tunc reſpondebo tandiu licere, quandiu eſt ſpes, quod poſſint coire, & ſemen intra vas emittere *Sanchez d. diſp. 18.num.26.*, *Boſſius d.c.7.num.184.*, *Laiman lib.5.tract.10.part.4.c.11.num.4.* Ceſſante autem probabilitate, & perſeuerante attentis omnibus circunſtantijs dubitate non recederem à regula præſcripta *in d.c.laudabilem de frigidis, & maleſ.*, quæ, quamuis procedat, quando eſt dubium de impotentia præcedente matrimoniũ in ordine ad illud diſſoluendum, trahi tamen poteſt ad dubium de impotentia eidem matrimonio ſuperueniente ad impediendum vſum coniugalem, cum vtrobique dubium ſit de impotentiæ perpetuitate.

Hic oritur ratio dubitandi, an, ſi maritus poſſit quidem ſemen emittere intra vas fæminæ, ſed iſta nequeat ſemen receptum retinere, nec ſpes retinendi ſuperſit, poſſint coniuges licitè congredi. Negant *Fagundez in Decal. lib.6. c.3. num.43.* ea motus ratione, quia videntur ſibi æquiualere non poſſe intra vas ſemen recipi, ac receptum in eodem non poſſe retineri, ſiquidem in vtroq; caſu ſemen fruſtraretur fine ſuo. At melius ſuſtinent licitum eſſe talem congreſſum *Sanchez loc. cit. nu. 24.*, *Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrim.c.7.num.186.*, eo quia ſemper verificetur, quod perfecta copula coniugalis habeatur intra vas, & per accidens cõtingit ſeminis legitimè recepti eiectio; vltra quod regularitèr matrix non totum ſemen dimittit, ſed retinet neceſſarium ad generationem. 6 *Si maritus poſſit ſeminare intra vas, ſed fæmina nequit illud retinere probabilius poſſunt congredi.*

Aſſertio III. Si maritus contracto matrimonio effectus fuerit eunuchus, ideſt priuatus vtroq; teſticulo probabilius nõ poteſt cum coniuge habere congreſſum coniugalem, ſecus, ſi vno dumtaxat careat. *Antoninus c.2.num.6.de frig., & maleſ. verſ. numquid autem, & ibi Præpoſitus n.5.*, *Alexander de Neuo in fine*, *Petrus de Ledeſma de matrimon. q.58. art.1. dub.4.*, *quid mouet circa ſolutionem ad quartum dubij principalis in ſolut. ad vlt.* 7 *Maritus priuatus vtroque teſticulo nõ poteſt congredi, ſecus, ſi vno tantum.*

Ratio primæ partis ex eo deſumitur, quod in præcedentibus dicebamus, nempè non minus eſſe neceſſarium ad fætus generationem muliebre ſemen, ac ſit maſculinum, ergo ne ſemen fæmineum, quod emitteretur in illo congreſſu, ſuo fine fruſtretur, non poteſt maritus vtroque teſticulo carens tentare congreſſum, quandoquidem per illum congreſſum ſemen emiſſum à fæmina non ſortiretur effectum, ad quem à natura eſt ordinatum. Confirmatur ex dictis ſupra, quia, quando vir poteſt, quidem verum ſemen emittere, non tamen intra vas fæminæ, non poteſt cum eadem attentare congreſſum non alia ratione, niſi, quia ſemen illud virile fruſtraretur fine, ad quem à natura eſt ordinatum, ergo, nec poterit congredi, quando defectu genitalium nequit verum ſemen intra vas fæminæ emittere. Conſequentia probatur, quia *Rationes pro aſſerto.*

Oo ideo

ideo in primo caſu antecedentis non poteſt congredi, quia ſemen virile fruſtraretur ſuo fine, ſed etiam in caſu conſequentiæ ſemen fæmineum, quod in ordine ad generationem prolis non minus neceſſarium eſt, ac ſit virile ſuo fine fruſtraretur, & quidem ex congreſſu viri carentis vtroque teſticulo, ergo &c.

Dices primo, huiuſmodi congreſſus cohoneſtari ex eo, quod coniuges vtantur iure ſuo vacantes actui coniugij, quā matrimonium permittit, & per accidens eſſe, quod ſemen verum non emittatur. Sed contra, quia ius coniugij non tribuit ius ad copulam, quando hæc non poteſt haberi cum ſeminatione apta ad generationem, & ſicuti non obſtante, quod intercedat legitimum coniugium non poteſt maritus congredi, quando ſemen non poteſt immittere in vas fæmineum, ita non obſtante eodem non poterit congredi, quando verum ſemen non poteſt in idem vas immittere potiſſimum cum in hac hypotheſi fruſtraretur ſemen fæmineum ſuo fine.

Inſtantia propoſita & diſſoluta.

Dices ſecundo ſteriles poſſunt congredi, quantumuis ipſorum ſemen non ſit aptum ad generationem, ergo etiam eunuchi carentes vtroque teſticulo poterunt congredi, quantumuis ſolum aqueū quendam humorem, non verum ſemen in vas fæminæ poſſint immittere. Sed contra neganda eſt conſequentia. Ratio diſparitatis in eo conſiſtit, quod impotentia ex amputatione virilium eſt impotentia in radice, impotentia vero ex ſterilitate eſt impotentia tantum per accidens; vnde impotentiā defectu virilium abſolutè dirimit matrimonium, vt definit Sixtus V. in quodam ſuo motu proprio circa eunuchorum matrimonia edito anno 1587. per hæc verba. *Committimus fraternitati tuæ, & mandamus, vt coniugia per ipſos, & alios quoſcunque Eunuchos, & ſpadones vtroque teſte carentes cum quibuslibet mulieribus ſiue ignorantibus, ſiue ſcientibus prohibeas contrahi, eoſq; ad matrimonia contrahenda inhabiles authoritate noſtra declares, & tam locorum ordinarijs, ne huiuſmodi coniunctiones de cætero fieri quoquo modo permittant, interdicas, quam eos etiam, qui ſic de facto contraxerint, ſeparari cures, & matrimonia ipſa ſic de facto contracta nulla, irrita, & inualida eſſe decernas*; non ſic dirimit impotentia generationis ratione ſterilitatis ex quo poteſt deduci, quod impotentia Eunuchorum ſit impotentia per ſe in radice, & abſoluta, impotentia autem ſterilium ſit impotentia tantum per accidens, & ratione ſubiecti. Deinde ſemen, quod emittitur a ſterilibus eſt ſemen, licet deficiat in aliqua qualitate, vel in illa excedat, quod vero emittitur à ſpadonibus, ſi verè tamen emittitur, non eſt ſemen, ſed humor quidam aqueus, adeoq; &c.

Alia inſtantia ſoluta.

Ratio ſecundæ partis ex eo deducitur, quia ſpadones carentes vno dumtaxat teſte adhuc ſunt potentes ad generationem, licet ſint minus potentes, ergo non eſt, cur impediri debeant a congreſſu coniugali &c.

PRÆNOTIO VII.

An tactus, oſcula, amplexus, aſpectus, verba turpia, delectationes ſint licita inter coniuges.

SVMMARIVM.

Variæ conſiderationes circa titulum. 1.
Tactus etiam in partibus inhoneſtis, oſcula, & ſimilia, ſi referantur ad copulam coniugalem, & non ſit periculum pollutionis extra vas non ſunt prohibita coniugibus. 2.
Et etiam, ſi referantur ad mutuum amorem fouendum. 3.
Huiuſmodi actus, ſi ſint nimis fœdi, & vltra ordinarium modum, nec ordinati ad actum coniugalem non carent culpa veniali. 4.
Oſcula circa pudenda non excedunt culpam venialem. 5.
Huiuſmodi actus exerciti maioris voluptatis gratia in ipſo actu coniugali non carent culpa veniali. 6.
Si fiant abſq; intentione copulæ, ob ſolam voluptatem ſunt tantum venialitèr mali. 7.
Interdicto vſu coniugali propter morale periculum valetudinis non intelliguntur interdictæ hæ actiones relatæ ad bonum finem. 8.
Nec ſi vſus ſit interdictus ob impedimentum Phyſicum. 9.
Nec, ſi ſit interdictus ob affinitatem ſuperuenientem. 10.
Tactus impudici, & turpes, quos coniugatus exercet in ſuo corpore ad voluptatem altero coniugo præſente, vel abſente ſine animo coeundi non vacant culpa læthali. 11.
Coniuges, qui delectantur copula cogitata tanquam præſenti, dum ſunt abſentes, non peccant læthaliter, ſi abſit periculum pollutionis. 12.

TItulus ſic nudè expoſitus multas poteſt habere conſiderationes, ſecundum quas variæ rationes decidendi poſſunt oriri. Prima conſideratio erit, an huiuſmodi tactus, oſcula, amplexus, aſpectus referantur ad copulam tanquam præparatoria ipſius, an verò ſiſtant in ſe ipſis, tanquam in obiecto voluptatis inde capiendæ præciſè. Secunda, an tactus, & oſcula fiant communi modo, quo ſolent 1

1 Variæ cōſiderationes circa titulum.

lent haberi inter coniuges volentes ſe carnalitèr coniungere, an vero modo inſueto, fædo, & improportionato ad actû coniugalem, vt ſi fieret perfricatio membri virilis in vaſe præpoſtero vxoris, ſi idem membrum virile immitteretur in os fæminæ, vel ſi ipſi coniuges ſibi inuicem pudenda oſcularentur. Tertia, an in huiuſmodi actionibus, ſiue referantur ad copulam, ſiue ſiſtant in ſe ipſis, extet periculum pollutionis extra vas, vel non extet. Quarta, an coniux exerceat huiuſmodi actus turpes non cum altero coniuge, ſed cum ſe ipſo ob ſolam voluptatem in abſentia coniugis, vel eadem præſente, ſed non cum animo coeundi. Quinta in ordine ad delectationes moroſas, an iſtæ in actu coniugali cogitato tanquam præſenti, quando alter eſt abſens, aut non eſt animus in effectu coeundi, licitæ ſint, nec ne. Singula dubia circa huiuſmodi conſiderationes per ſubſequentes aſſertiones expendo.

Aſſertio I. Tactus etiam in partibus
2 inhoneſtis, oſcula ordinaria, amplexus, aſpectus, & delectationes ſenſibiles inde conſurgentes, ſi referantur ad copulam coniugalem, & non ſubſit periculum pollutionis extra vas naturale, licita ſunt inter coniuges *Paludanus in 4. diſt. 31. q. 3. art. 2. num. 17.*, *D. Antoninus 3. part. tit. 1. c. 20. §. 6.*, *Caietanus in ſumma verb. matrimonium c. vlt. §. vlt.*, & alij plures, quos citat, & ſequitur *Sanchez lib. 9. de debito coniug. diſp. 44.*, *Fagundez in decal. lib. 9. c. 5. num. 12.*, *Coninchus de Sacramentis diſp. 34. dub. 11.*, *Villalobos part. 1. tract. 13. diffic. 42.*, *Hurtadus de matrimon. diſp. 10. diff. 5.*, *& alij plures, quos citat, & ſequitur Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrim. c. 7. num. 192.*

Huiuſmodi actus, ſi referantur ad copulã coniugalem, & nõ ſit periculum pollutionis, carent culpa.

Ratio ex eo deducitur, quia huiuſmodi actus ſunt præparatorij coadiuuantes naturam ad perfectam copulam coniugalem, ergo, ſicuti ipſa copula coniugalis licita eſt, ita non poterunt non eſſe liciti actus præparatorij, & coadiuuantes ad ipſam. Accedit, quod natura ipſa in huiuſmodi actionibus voluptatem conſtituit ſenſitiuam, quod vtique ob alium finem eſſe non potuit, niſi vt per ipſam excitaretur natura ad actum ipſum coniugalem.

Rationes pro aſſerto.

Nec ſolum, quando huiuſmodi actus referuntur ad copulam coniugalem, liciti ſunt, ſed etiam, quando referuntur ad mu-
3 tuum fouendum amorem, & ad carnis tentationem ſedandam *Sotus in 4. diſt. 32. q. vnica art. 4. in fin.*, *Graffius prima part. deciſ. lib. 2. c. 82. num. 21.*, *Petrus de Ledeſma de matrim. q. 49. art. 6. in fin.*, *Sanchez de matrimon. lib. 9. diſp. 44. nu. 8. in fin.*, *& 10.*, *Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrim. c. 7. num. 192. in fin.* Ratio ex eo deducitur, quia non minus ipſa copula coniugalis, ſed etiam huiuſmodi actus à natura ipſa ordinantur ad hunc finem, & effectum.

Et etiam, ſi referantur ad mutuũ amorem fouẽdum.

Dixi, *ſi non ſubſit periculum pollutionis extra vas naturale*; ſi enim tale periculum ſubeſſet, omnino abſtinendum eſſet ab huiuſmodi actionibus; hoc contingeret in eo, qui, cum nimis naturæ ardentis eſſet, facilè excitaretur ad ſemen emittendum ex illis præciſè antecedentèr ad copulam, vel in ipſo attentato copulæ ante immiſſionem membri virilis in vas fæminæ. Ratio ex eo deducitur, quia non ſolum ſunt euitanda mala, ſed etiam pericula eorumdem, & ſic non ſolum pollutio extra vas, ſed etiam periculum eiuſdem; Nec obeſſe poteſt, ſi dicatur, quod illa pollutio, ſi ſequeretur, eſſet præter intentionem, & dum vacat actionibus, quæ reſpectu coniugum ſunt licitæ, & permiſſæ; Non, inquam, obeſſe poteſt, quia huiuſmodi actiones ſunt licitæ, & permiſſæ reſpectu coniugum, quatenus ordinantur ad coadiuuandam naturam ad actum coniugalem, ſecus quando eidem actui coniugali per acceleratam naturæ commotionem aduerſantur, dum quodammodo reddunt illum congreſſum, & ſemen ineptum ad generationem, & illæ actiones, quæ ſecũdum ſe eſſent licitæ, ratione ſubiecti, in quo ſunt, & ratione effectus, qui ſecuturus inde præuidetur, redduntur illicitæ. Neque vlterius vrgeas, quod, ſi quis ita eſſet ardentis naturæ, vt etiam præciſis illis actionibus in congreſſu ita præuiè ſemen emitteret, vt in vas fæminæ non poſſet recipi, non propterea impediretur congreſſum attentare non obſtante, quod pollueretur extra vas per ea, quæ docuimus *tom. 6. ſub tit. Contractus XV. de matrimon. II. Prænot. 17. num. 23.*, ergo etiam, ſi ſit talis ardentis naturæ, vt poſitis illis actionibus ſemen præuiè emitteret, non impedietur illas exercere; ſi enim illud periculum effuſionis ſeminis extra vas non impedit attentationem congreſſus, nec videntur poſſe impedire tales actiones, quandoquidem, & iſtæ permiſſæ ſunt reſpectu coniugum, ſicuti permiſſum eſt eiſdem attentare copulam non obſtante illo periculo &c. Contra enim impugnaberis, nam non tenet paritas, cum congreſſus ipſe ſit opus, quod in matrimonio intenditur, & ad quod conceduntur experimenta triennalia non obſtante, quod in illis crebrò conſurgant ſeminationes extra vas; actiones autem, de quibus loquimur, non intenduntur, niſi quatenus ordinantur ad coadiuuandam naturam ad ipſum congreſſum, quæ

Extante periculo pollutionis ſunt vitandi.

Nonnullæ inſtantiæ propoſitæ, & diſſolutæ.

Digitized by Google

propterea, ſi ad talem finem non inſeruiunt, quin potius aduerſentur, non veniunt in illa intentione, naturæq; ordine. Accedit, quod conatus ad copulam ſemper eſt cum ſpe perfecti complementi, & eſt opus immediatum ad ipſum; illæ autem actiones, nec ſunt ita immediatæ, nec ſpem conferunt complementi, ſed potius tollunt, cum experientia ipſa comperiatur, quod ratione ipſarum natura concitetur ad præpropere ſemen emittendum.

Aſſertio II. Si huiuſmodi tactus ſint vltra communem modum, quo haberi
4 ſolent inter coniuges, & ſint valde fædi, extraordinarij, & ſecundum ſe non ordinati ad actum coniugalem, regularitèr non carent culpa veniali *Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrim. c. 7. num. 193., Fagundez in Decal. lib. 6. c. 3. num. 19., Diana part. 3. tract. 4. reſol. 204., & part. 5. tract. 7. reſol. 7.* Hoc contingeret, ſi vir ſuperficiè tenus circa vas pręposterum vxoris membrum virile refricaret, vel in os immitteret. Non diutius immorandum eſt in probatione huius aſſertionis quoad hos caſus particulares enumeratos, quandoquidem latè probata eſt ſupra.

Si huiuſmodi actus ſint vltra modũ, & nimis fædi, nec ordinati ad actũ coniugalem, nõ carent culpa veniali.

Difficultas aliqua ſolummodo videtur poſſe eſſe quoad oſcula circa pudenda, quibus ſe excitent ad copulam. Qua in difficultate *Stephanus Bauny de Sacramentis tract. 12., vbi de obligation. coniug. q. 5. verſ. tertio* arbitratur per huiuſmodi oſcula coniuges ſe excitantes ad copulam peccare læthalitèr. Sed congruentius, & mitius agunt *Filiucius tom. 2. tract. 30. c. 10.*
5 *num. 195., Fagundez in Decalogum d. lib. 6. c. 3. num. 37. verſ. ſi tamen, Ioannes Angelus Boſſius loc. cit.*, dum ſolum in huiuſmodi oſculis agnoſcunt culpam venialem, quod euincitur ex ijs, quæ dicta ſunt de perfricatione membri virilis in vas præpoſterum vxoris, & immiſſione eiuſdem membri in os fæminæ; Quod etiam *cum Fagundez loc. cit.* extenderem, quando maritus poſt ſeminationem in vas fæminæ factam eius pudenda lamberet.

Oſcula circa pudenda nõ carent culpa veniali.

Aſſertio III. Si huiuſmodi tactus exerceantur maioris voluptatis cauſa in ipſa
6 copula coniugali captandæ probabilius non carent culpa veniali. *Paludanus in 4. diſt. 31. q. 3. art. 2., D. Antoninus 3. part. tit. 2. c. 20. §. 6., Petrus de Ledeſma de matrim. q. 49. art. 6. in fin., Sanchez de matrim. lib. 9. diſp. 44. num. 9.*

Huiuſmodi actus exerciti in ipſo actu coniugali maioris voluptatis cauſa nõ carent culpa veniali.

Ratio ex eo deducitur, quia ipſa copula coniugalis habita præcisè ex fine voluptatis ſenſitiuæ captandæ obnoxia eſt culpæ veniali per ea, quæ ſupra latè probauimus, ergo, & huiuſmodi actiones relatæ præcisè ad maiorem voluptatem captandam in ipſa copula erunt tali culpæ obnoxiæ. Conſequentia tenet, quia ex genere ſuo, & ex fine ipſiuſmet naturę magis coniungitur cum effectu ab eadem natura intento copula coniugalis, quam illæ actiones, ergo, ſi ex fine coniugis copula illa relata ad voluptatem ſenſitiuam inuoluit noxam venialem, inuoluent etiã talem culpam huiuſmodi actiones relatæ etiam ad maiorem voluptatem. Confirmatur, quia denegari non poteſt, quin huiuſmodi actiones ſecundum ſe libidinoſæ ſint, ergo niſi depurentur ex fine adiuuandæ naturæ ad finem ab eadem natura intentum propter ſcilicet propagationem ſpeciei culpam aliquam inuoluent, cum declinent à recto fine.

Rationes pro aſſerto.

Aſſertio IV. Tactus huiuſmodi inter coniuges exerciti ſolum ob voluptatem 7
ſenſitiuam captandam abſque intentione copulæ, ſi præſcindamus à periculo effuſionis ſeminis extra vas non ſunt peccata læthalia, ſed dumtaxat venialia *Caietanus 2. 2. q. 154. art. 4. §. in reſponſ. ad ſecundum, Abulenſis c. 5. Matthei q. 197., Vaſquez prima ſecundæ diſp. 115., Manuel primo tom. ſumma ſecunda edit. c. 249. num. 9., Hurtadus de matrim. diſp. 10. diffic. 5., Villalobos prima part. tract. 13. diff. 42., Auerſa de matrim. q. 21. ſect. 8., Martinus Perez de matrimon. diſp. 54. ſect. 2., Laiman lib. 3. ſect. 4. num. 12.*

Si fiant abſq; intentione copulæ ob ſolam voluptatẽ non ſunt læthales, ſed veniales.

Ratio primæ partis ex eo deſumitur, quia matrimonium ipſum cohoneſtat ipſam copulam coniugalem relatam ad voluptatem ſenſibilem præcisè quoad effectum, ne per ipſam contrahatur noxa læthalis, ergo idem matrimonium ad effectum, ne contrahatur dicta noxa lęthalis, cohoneſtabit huiuſmodi actiones quoad voluptatem, quæ ex illis percipitur, quandoquidem ſiue talis voluptas capta ex copula, ſiue ex illis actionibus ſemper eſt inter coniuges; neque dicas, quod cohoneſtetur voluptas ex copula coniugali, quia hæc poteſt coniungi cum fine principali, ad quem à natura eſt ordinata, nempè ad generationem prolis, quod militare non poteſt pro voluptate, quæ capitur ex illis actionibus, quæ, cum non exerceantur in ordine ad copulam, coniungi nequeunt cum illo fine principali generationis; Contra enim impugnaberis, quia licet ipſa copula coniugalis ex natura ſua coniungatur, ſeu coniungi poſſit cum fine principali generationis, quantum tamen eſt ex fine coniugis ſe cum altero copulantis, non refertur ad illum finem, cum ſolum intendatur propter ſenſibilem voluptatem, & ſic, cum actio peccaminoſa deſumatur potiſſimũ ex intentione agentis, inuolueretur noxa læthalis, niſi cohoneſtaretur ratione matri-

Rationes pro prima parte aſſerti.

tri-

trimonij; Sicuti igitur ratio matrimonij excuſat à noxa læthali illam copulam relatam ſimplicitèr ad carnalem voluptatem, non video, cur ab eadem excuſare non poſſit illas actiones voluptuoſas non relatas ad copulam, nec ad finem generationis.

Ratio ob quam inducatur culpa venialis.

Ratio ſecundæ partis ex eo deſumitur, quia in huiuſmodi actionibus ordo finis à natura intenti peruerteretur, cum natura huiuſmodi actiones ordinarit ad coadiuuandam naturam, ad copulam, & ad generationem; exercens autem illas in eiſdem ſiſteret, vt præcisè præferentibus voluptatem, & ſic in voluptate ipſa tanquam fine, cum deberet eſſe medium ad copulam. Confirmatur, quia voluptas præcisè intenta in copula coniugali inuoluit noxam venialem per ea, quæ ſupra commendauimus, ergo non eſt, cur eandem non inuoluat voluptas præcisè relata in huiuſmodi actionibus, cum ſecundum ſe præferat libidinem.

Nonnulla dubia excitata.

Hic oritur difficultas, an, ſi coniux, vel ratione voti, vel ratione alicuius impedimenti moralis, puta propter morale periculum valetudinis, ſeu propter periculum abortus, vel ratione alicuius impedimenti Phyſici, puta propter impotentiam coeundi ortam poſt contractum matrimonij, vel ratione alicuius præcepti Eccleſiaſtici, puta propter affinitatem ſpiritualem ortam cum altero coniuge, impediatur à copula coniugali, intelligatur etiam impediri ab huiuſmodi actionibus, adeo vt ſi ipſas exerceat, contrahat noxam læthalem.

Coniux impeditus ratione voti abſoluti ad actum coniugalem intelligitur etiam impeditus ad huiuſmodi actus.

Dico primo, ſi ſit impeditus ratione voti abſoluti caſtitatis à copula coniugali, intelligitur etiam impeditus ab actiua perceptione voluptatis in huiuſmodi actionibus, *Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrimon. c. 3. num. 39., & tom. 2. var. moral. §. 59. num. 2192., Vaſquez prima ſecundæ diſp. 112. num. 11., Fagundez in Decal. lib. 9. c. 6. num. 7., Coninchus de Sacram. diſp. 34. dub. 11., Sanchez d. lib. 9. de debito coniug. diſp. 44. num. 25., Perez diſp. 54. ſect. 3.* Dixi *ab actiua perceptione voluptatis in illis actionibus*, quia non negauerim, quod ad expreſſam alterius petitionem poſſit licitè huiuſmodi actiones exercere, quia tunc eſt pati, non agere, & ſicuti, quamuis non poſſit petere, tenetur tamen reddere debitum, ita quamuis non poſſit actiuè exercere huiuſmodi actiones, tenetur tamen illas pati. Ratio ex eo deſumitur, quia, qui ſe obligauit per votum abſolutum caſtitatis, ſe obligauit ad abſtinendum ab omnibus actibus venereis, quantum eſt in ipſius poteſtate, quandoquidem tenetur abſtinere ab omnibus, quæ eidem voto aduerſantur, ſed ex vi contractus matrimonialis non tenetur huiuſmodi actiones exercere, ergo ex vi voti tenetur ab illis abſtinere. Quid autē ſentiendum ſit, ſi vterq; coniux fuerit tali voto abſoluto caſtitatis obſtrictus, tunc iuxta ſuperius dicta dicendum eſt neutrū poſſe licitè huiuſmodi actiones exercere, quia vterque ex vi voti tenetur à quacunque voluptate venerea abſtinere. Hæc procedunt, quando votum ab vno, vel ab vtroque emiſſum eſſet abſolutum caſtitatis; ſi enim ſupponas, quod tale votum referatur ſolummodo ad non petendum debitum, tunc non renuerem concedere oſcula, tactus, & amplexus licere ob honeſtum finem, cum non aduerſentur tali voto.

8 Interdicto vſu coniugali propter morale periculū valetudinis non intelligūtur interdictæ hæ actiones relatæ ad bonum finem.

Dico ſecundo, ſi ſit interdictus vſus coniugalis propter morale periculum valetudinis, non propterea inter coniuges interdictæ cenſendæ ſunt actiones, de quibus hactenus diximus, ſi referantur ad honeſtum finem *Sanchez d. lib. 9. de debito coniug. diſp. 44. num. 21., Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrimon. c. 7. nu. 199., Coninchus de Sacram. diſp. 34. num. 115.* Ratio ex eo deducitur, quia copula coniugalis in hac hypotheſi non intelligitur interdicta ratione alicuius intrinſeci, ſed ratione periculi, quod imminet, ſaluti corporali, ſed ex illis actionibus non imminet illud periculum, ergo non eſt, cur non debeant eſſe licitæ inter coniuges, ſi fiant iuxta debitum finem.

9 Nec ſi vſus ſit interdictus ob impedimentum Phyſicum.

Dico tertio, ſi vſus coniugalis fuerit interdictus, ob impedimentum Phyſicū, puta propter impotentiam coeundi, quæ ſuperuenerit matrimonio, non ex hoc intelliguntur prohibitæ huiuſmodi actiones. DD. mox allegati pro præcedenti dicto, & militant pro hoc dicto rationes, quæ fuerunt adductæ pro eodem præcedenti.

10 Nec, ſi ſit interdictus ob affinitatem.

Dico quarto, ſi interdictus ſit vſus coniugalis ratione alicuius præcepti Eccleſiaſtici ob affinitatem, ſeu cognationem ſpiritualem contractam poſt matrimonium, nec ex hoc intelliguntur interdictæ huiuſmodi actiones *Sanchez loc. cit. num. 23., Boſſius item loc. cit. num. 200., Fagundez in Decal. lib. 9. c. 6. num. 4., Martinus Perez diſp. 54. ſect. 3.* contra *Auerſam de matrim. q. 21. ſect. 8. verſ. quinto admittit*, volentem ex hac cauſa interdici. Ratio noſtri dicti ex eo deducitur, quia illa prohibitio vſus coniugalis eſt quodamodo in pænam delicti, vi cuius contracta eſt illa affinitas, & cognatio ſpiritualis, ergo, vtpotè odioſa, & pænalis erit reſtringenda ad terminos, ſub quibus eſt concepta, adeoq; ad ſolam copulam, non au-

au-

autem ad alios actus cæteroqui licitos inter coniuges.

11 Aſſertio V. Tactus impudici, & turpes, quos coniugatus exercet in proprio corpore ad captandam voluptatem in abſentia alterius coniugis, vel eodem præſente ſine animo tamen coeundi cum ipſo ſunt peccaminoſi læthalitèr *Vaſquez prima ſecunda diſp.113.num.4., Salas prima ſecunda tract. 13.diſp.6. num. 129., Diana part.2.tract.17.reſol.37., & part.3. tract.4. reſol.215., Ioannes della Crux in direct. part. 1. præcept.6. art.9.dub.12.*, hancque valde probabilem, & in praxi ſuadendam dicit *Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrimonij c.7.num.207.*, quamuis ipſe contrariæ opinioni tanquam probabiliori adhæreat.

Tactus huiuſmodi exerciti ab altero coniuge in ſe ipſo alio abſente, vel præſente ſine animo coeũdi ſunt lęthales.

Ratio ex eo deducitur, quia coniux in ordine ad vſum venereum extra actus coniugales non maius ius habet in proprium corpus, ac habeat quælibet alia perſona libera, ſed quælibet alia perſona libera per huiuſmodi tactus turpes in proprio corpore contrahit noxam læthalem, ergo, & ipſe coniux ſimiles actus in ſe ipſo exercendo contrahet talem noxam. Maior probatur, quia ius, quod habet in proprium corpus in ordine ad actus venereos eſt ex vi matrimonij in ordine ad copulam cum altero coniuge habendam; matrimonium autem non confert ius, niſi relatiue ad vſum corporis alterius, ergo extra talem ordinem nullum ius confert; Neque dicas cum *Sanchez d. lib.9.diſp.44 num. 16.*, huiuſmodi tactus ſua natura indiferentes eſſe, vel ad copulam coniugalem, vel illicitam, & cum ex intentione ſe tangentis turpiter non referantur ad copulam illicitam non eſſe extrahendos à ſuo ordine naturali, adeoq; nec ſic ſe tangentem damnandum eſſe culpæ læthalis; Contra enim impugnaberis, quia, quantumuis illi tactus ſecundum ſe ſint indiferentes, vel ad copulam coniugalem, vel fornicariam, ex quo tamen in hac hypotheſi, vel ex impoſſibilitate cognita, vel ex negatione voluntatis congrediendi cum proprio coniuge illi tactus nequeunt referri ad talem congreſſum coniugalem, ſequitur, quod ordinentur ad pollutionem, ſeu ad deciſionem ſeminis extra vas muliebre.

Rationes pro aſſerto.

12 Aſſertio VI. Delectari coniuges in copula cogitata tanquam præſenti, dum abſentes ſunt, aut in eo tempore, & loco, quo exerceri non poteſt, ſi non adſit periculum pollutionis, non eſt culpa læthalis *D.Thomas q.15. de malo art.2. ad 17., Paludanus in 4. diſt.9.q.3.art.1.num.7., Caietanus in ſumma verb. delectatio moroſa §. ſecundum, an delectatio verſ. tertio, quod vir Medina prima ſecunda q.74.art.8.in princip., Diana part.3.tract.4.reſol.224., Malderus in primã ſecunda D. Thomæ q. 74.art.10. dub. 11., Tannerus etiam in prima ſecunda diſp.4. q.8. dub.7. num.140., Ioannes Angelus Boſſius tom.2. var. mor.§ 59.num.2191., & tract. de effect. matrim. c.7.num.215., Sanchez d.lib.9 de matrimonio diſp.44.nu.3.*

Cogitare, & delectari de copula tanquã præſenti, dũ ſunt abſentes, nõ eſt læthale.

Ratio ex eo deducitur, quia matrimonium ipſum excuſat a noxa læthali voluptatem ſenſitiuam, quam percipiunt coniuges ex tactibus impudicis, quantumuis iſti non ordinentur ad copulam coniugalem per ea, quæ ſupra probauimus, ergo non eſt, cur à tali noxa non excuſet etiam delectationem ſenſitiuam de copula maritali cogitata, tanquam præſenti, dummodo non ſit periculum effuſionis ſeminis extra vas. Conſequentia hæc tenet, cur enim poteſt eſſe licita, ſeu non peccaminoſa læthalitèr delectatio ex illis actibus reſultans, & non delectatio conſurgens ex copula cogitata? omnia enim hæc verè ſunt inter coniuges. Confirmatur, quia talis eſt delectatio, quale eſt obiectum, ſed copula, de qua eſt delectatio, eſt licita inter coniuges, ergo ex hac parte non eſt culpabilis delectatio inde conſurgens. Dixi *ex hac parte*, nam, cum in hac delectatione ex copula cogitata non adſit finis debitus, ſeu eſſe non poſſit bonum prolis, propterea inuoluitur inordinatio finis, & per conſequens culpa venialis.

Rationes pro aſſerto.

DISQVISITIONES I.

A prima ad tertiam prænotionem incluſiuè.

§. I.

An coniux voluntariè ſe reddens impotentem ad reddendum debitum peccet læthalitèr.

SVMMARIVM.

Status diſquiſitionis expoſitis. 1.

Coniux, qui ſcienter per media illicita ſe reddit impotentem ad debitum reddendum, peccat lathalitèr. 2.

Si inopinato illa impotẽtia accederit, quamuis ex actione illicita non inducit diuerſam noxam ab ipſa actione. 3.

Vir frequentibus pollutionibus, & crebris fornicationibus ſe reddens impotentem ad reddendum vxori moderatè petenti peccat etiam

Digitized by Google

etiam contra iuſtitiam. 4.

Coniux, qui per media illicita ſe reddidit impotentem tunc tantum peccauit, quando talem ſe reddidit, non quando ex impotentia non reddit debitum. 5.

Non toties peccaret, quoties non redderet. 6.

Si alter coniux fornicatus fuerit ex eo, quod alter factus impotens ipſi non reddiderit, non eſt fornicatio imputabilis ipſi reddenti, prout importat diuerſam culpam ab ea, quà ſe reddidit impotentem. 7.

Coniux, qui medijs licitis aduertentèr ſe reddidit impotentem ad reddendum etiam peccauit, ſi illa media fuerunt immoderata. 8.

1 **Status diſquiſitionis expoſitus.**

DIſquiſitio I. Titius contractis nuptijs cum Theodorica ſe per media, vel illicita, puta per frequentes coitus cum alijs fæminis, ſeu per crebras pollutiones, vel per media cæteroqui licita, puta per carnis macerationes, per ieiunia, & ſimilia ſe impotentem reddidit ad reddendum debitum eidem Theodoricæ. Quæſitum hic fuit, an ſic ſe reddendo impotentem grauitèr peccauerit.

2 **Qui ſciẽter ſe reddit impotentẽ per media illicita, peccat læthalitèr.**

Reſpondeo primo, quod, ſi Titius ſcientèr per media illicita ſe reddidit impotentem ad debitum vxori reddendum, peccauit læthalitèr *Riccardus in 4. diſt. 32. art. 1. q. 1. ad primum*, *Roſella verb. debitum num. 2.*, *Cannedo ſumma Sacram. de matrimon. c. 8. num. 71.*, *Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrim. c. 1 num. 114.*, *D. Antoninus 3. part. tit. 1. c. 20. §. 10.*, *Caietanus in ſumma tit. de debito coniug. in princip.*, *Villalobos prima part. ſumma Theol. mor. tract. 13. diffic. 44. num. 7.*, *Bonacina de matrim. q. 4. punct. 1. num. 2.* Ratio ex eo deducitur, quia lex obligans ad finem obligat ad media neceſſaria ad conſequendum finem, ideſt ne obligatus ad finem ponat per ſe obicem, ratione cuius idem finis nequeat conſequi, ſed coniuges ex lege iuſtitiæ tenentur ſibi ad inuicem reddere debitum, ergo tenentur etiam ab ijs abſtinere, ratione quorum redduntur impotentes ad talem redditionem debiti. Confirmatur, quia quilibet ſcientèr ſe faciens impotentem ad ſoluenda alia debita ciuilia grauitèr peccat contra iuſtitiam, ergo etiam coniux reddens ſe per media illicita impotentem ad reddendum alteri debitum coniugale grauitèr peccabit.

Dixi, *ſcientèr*, nam, ſi aliquam actionem, quantumuis iniquam exerceret, ex qua non præuideret orituram impotentiam ad reddendum, ſed hæc contingeret inopinato, tunc peccaret quidem contra illam virtutem, cui aduerſaretur illa actio, non tamen contra iuſtitiam aduerſus ius coniugale, quandoquidem illa impotentia conſurgeret præter intentionem exercentis illam actionem; nec obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, quod ipſi ſit imputanda illa impotentia, cum proueniat ex actione illicita, cui ipſe operam dedit, & à qua tenebatur abſtinere; Non, inquam, obeſſe poteſt, quia, cum illa actio non ſupponatur habere naturalem, & neceſſariam connexionem cum illa impotentia, nec ex intentione operantis cum illa connectatur, non poteſt imputari operanti, niſi quatenus aduerſatur virtuti, contra quam directè tendit illa actio. Sic quis diceret eſſe contra ius coniugale actionem, qua quis intendens alienum thorũ violare læſus à marito adultertur in partibus genitalibus, non poſſet amplius debitum vxori petenti perſoluere? Certè eſſet contra iuſtitiam, non ſolum contra maritum vxoris, quam violare intendit acceſſus ad ipſam, ſed etiam contra propriam vxorem, non tamen intelligeretur eſſe contra iuſtitiam ex eo orta impotentia, cum hæc ſit præter intentionem exercentis illam actionem.

3 **Si inopinato illa impotentia acceſſerit, quamuis ex actione illicita non inducit diuerſam noxã ab ipſa actione.**

Ex ijs inferre licet, quod, ſi vir frequentibus pollutionibus voluntarijs, & crebris acceſſibus ad alienum thorum, vel ad meretricem ſe reddiderit impotentem ad reddendum vxori moderatè, & ſeriò petenti, non ſolum peccauerit contra caſtitatem per illos actus fornicarios, ſed etiã contra iuſtitiam propter ius alterius læſum, cui non poteſt ſatisfacere; ex quo ſequitur, quod in confeſſione non ſolum teneatur aperire, ſe talia delicta commiſiſſe, ſed etiam per illa ſe impotentem reddidiſſe ad ſatisfaciendum ei, quod ex iuſtitia debebat, cum tales actus non ſolum aduerſentur caſtitati, ſed etiam iuſtitiæ.

4 **Vir crebro ſe polluens, & fornicans ita vt non poſſit vxori petenti moderate reddere, peccat etiam cõtra iuſtitiam.**

Hic triplex oritur difficultas. Prima eſt, an peccet ſolummodo ex eo, quod ſe impotentem reddidit, an vero etiam ex eo, quod ex tali impotentia non reddat. Secunda, an peccet toties, quoties requiſitus non reddit ex eo, quod ſit factus impotens. Tertia, an, ſi alter coniux ex eo, quod alter factus fuerit impotens ex cauſa illicita, incidat in fornicationem, hæc imputanda ſit ei, qui ſe reddidit impotentem.

Nonnulla dubia excitata.

In ordine ad primam videtur abſolutè dicendum, quod peccarit dumtaxat ſe impotentem reddendo, non autem non reddendo debitum ad petitionem alterius. Ratio eſt, quia impoſſibilium nulla eſt obligatio per textum *in l. impoſſibilium ff. de reg. iur.*, reddere autem in tali hypotheſi eſt omnino impoſſibile, adeoq; &c. Nihilominus alij ſentiunt peccare non red-

reddendo debitum, quia non redditio reſpectu eius, qui ſe impotentem per media illicita reddidit, eſt omnino culpabilis in cauſa, & vtique non licita, quia illa impotentia præuideri potuit ex illis actionibus ſecutura, & ſic culpa in illa non redditione volita in cauſa conſiſtit. Quid iam concludendum? Probabilius arbitror peccare ſe reddendo impotentem per media illicita, non autem quando non reddit debitum alteri petenti, & hoc propter rationem, quam adduxi pro prima opinione, quia ſcilicet ad impoſſibile nemo tenetur; nec officit, quod illa non redditio debiti ſit culpabilis, & voluntaria in cauſa, prout afferebatur in ſecunda opinione, adeoq; ipſius culpæ imputabilis; non officit, inquam, quia illa voluntarietas in cauſa efficit quidem, quod ſe reddendo impotentem grauius peccet extenſiue, non autem, quod tunc ſit peccatum, quando ex impotentia non reddit, atq; ita ſentit *Bonacina q. 4. de Sacramento matrimonij punct. 1. num. 2. in nouiſ. edit.*, qui etiam eam reddit rationem, quod ſcilicet, ſi peccaret per ipſam non redditionem ſuppoſita impotentia voluntariè per media illicita inducta, ferè ſemper eſſet in ſtatu peccati. Deinde conſiderandum eſt, an per media illa illicita ſe reddiderit impotentem ea intentione, & animo, vt alterum coniugem fraudaret iure ſuo, an vero præciſè ad explendam propriam libidinem, ex quo poſtea conſecuta fuerit illa impotentia, quantumuis præuiſa. Iuxta primum ſenſum videtur potior ratio dubitandi, quandoquidem illa intentio, & animus fraudandi alterum videtur referri ad ipſam non redditionem, ſicq; ipſa non redditio ratione talis voluntatis videtur peccaminoſa, cum ſit expreſsè volita. Nihilominus etiam iuxta hunc ſenſum arbitror peccare dumtaxat ſe impotentem reddendo, cum ſuppoſita impotentia eximatur ab onere, ſicuti in alijs humanis commertijs poſita impoſſibilitate ad ſoluendum, quantumuis ex animo non ſoluendi, non peccatur per non ſolutionem, ſed dumtaxat per impoſſibilitatem inductam voluntariè ad non ſoluendum.

5 Coniux, qui per media illicita ſe reddidit impotentem, tunc ſolù peccat, quando talem ſe reddidit, non, quando non reddit debitum.

In ordine ad ſecundam dicendum eſt non toties peccare coniugem, qui ſe medijs illicitis impotentem reddidit ad reddendum, quoties ex tali impotentia non reddit alteri etiam ſeriò, & moderatè petenti, ſed tantum, quando ſe reddidit impotentem per illas actiones illicitas. Conſonat cum ijs, quæ dicta ſunt in reſolutione præcedentis difficultatis; impotentia etenim excuſat, & ſemper eſſet in ſtatu peccati læthalis, prout ſupra dicebamus, ſi toties peccaret, quoties factus impotens non redderet, quod nimis durum videtur.

6 Non toties peccat, quoties non reddit, cù ſit impotens.

In ordine ad tertiam dico, quod, ſi alter coniux ex eo, quod alter factus ſit impotens, labatur in fornicationem, hæc nō ſit imputabilis ad culpam ipſi impotenti diſtinctam ab ea, qua ſe voluntariè reddidit impotentem, dummodo det operam, quantum poteſt, vt vxor contineat. Ratio ex eo deducitur, quod ſupra dicebamus, nempe, quod impotentia abſoluta excuſet à peccato, & innocens tenetur abſolutè abſtinere à fornicatione, nec ex impotentia alterius ius obtinet ad alteri communicandum fornicariè corpus ſuum; quod ex eo euincitur, quod, ſi redderetur impotens ad reddendum ex cauſa ſine ſua culpa, non imputaretur ipſi fornicatio alterius, ita nec ſit eidem imputanda ex eo, quod ſe ſcientèr alter reddiderit impotentem, quandoquidem illa impotentia voluntaria reddit quidem reum impotentem, non autem ius tribuit alteri ad delinquendum; vnde tenetur, quidem impotens effectus talis voluntariè, quantum poteſt ad remouendum alterum exhortationibus, & ſuaſionibus à peccato, non autem tenetur reddere, quando non poteſt ad remouendum alterum à peccato, cum hoc amplius non ſit in ipſius poteſtate.

7 Si alter labatur in fornicationem, ex eo, quod alter impos non reddat, culpa non eſt imputabilis ipſi non reddenti.

Reſpondeo ſecundo. Si Titius medijs licitis aduertentèr ſe reddidit impotentem ad reddendum alteri debitum, etiam peccauit, ſi media illa fuerint immoderata *Paludanus in 4. diſt. 32. q. 1. art. 2. nu. 8., D. Antoninus 3. part. tit. 1. c. 20. §. 10., Sanchez de matrim. lib. 9. diſp. 3. num. 4., Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrimon. c. 1. num. 116.* Ratio ex eo deducitur, quia lex iuſtitiæ, quæ obligat ad finem, obligat ad non ponenda media, quæ impedire poſſunt talis finis conſecutionem, ergo lex, quæ obligat coniuges ad redditionem debiti, obligat etiam ad non ponendam impotentiam, ratione cuius impediatur tale debitum, ſeu eiuſdem redditio, adeoq; ſicuti peccaret non reddendo, quando eſt potens, ita etiam peccat, dum ſe conſtituit impotentem ad reddendum.

8 Coniux, qui aduertentèr etiam medijs licitis ſe reddidit impotentem, peccauit, ſi illa media fuerint immoderata.

§. II.

§. II.

An vxor, quæ abſtinentijs moderatis abſq; fraude ſe extenuat, ſeque reddit minus aptam ad reddendum, & aliqualitèr deformem peccet.

SVMMARIVM.

Exponitur diſquiſitio in ſuis terminis. 1.
Si vxor bona fide ſe extenuet per conſueta ieiunia Eccleſiaſtica, aliaq; pietatis opera, non peccat. 2.
Et etiam ſi per illa aliqualitèr ſe reddat deformem. 3.
Vir non tenetur, quinimo non poteſt adhibere ieiunia voluntaria, nec præſcripta, quando non poteſt reddere vxori periclitanti, niſi crebro reddat. 4.
Nec in hoc caſu requiritur licentia, ſeu declaratio ſuperioris, vt eximatur ab onere ieiunij. 5.

1 Status diſquiſitionis expoſitus.

DIſquiſitio II. Caia fæmina Deo deuota vxor Antonij ſe eccleſiaſticis præceptis accommodans, vel fortè etiam alijs pietatis exercitijs ſe donans non modicum viribus ſe extenuat, aliqualitèr deformem reddit, ita vt non reddatur quidem inepta ad reddendum, fiat tamen minus apta. Quæritur hic, an peccet contra onus iuſtitiæ, quod habet ad reddendum?

2 Si vxor bona fide ſe extenuet per Eccleſiaſtica ieiunia, aliaq; pietatis opera, nō peccat.

Reſpondeo primo, ſi hoc præſtet bona fide, & ſine fraude, non peccat *Riccardus in 4. diſt. 32. art. 1. q. 1. ad primum, & ibi ſupplementum Gabriellis q. vnica art. 3. dub. 1., Alexander in ſuo Enchir. 2. part. tract. de ſexto præcepto ad finem §. ſecus, ſi per ieiunia, Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrim. c. 1. num.* 128. Ratio ex eo deducitur, quia non tenetur coniux abſtinere ab operibus conferentibus ad vtilitatem temporalem propriam, vel familiæ, quantumuis ex illis ſe reddat minus potentem ad reddendum debitum, dummodo non ſe reddat abſolutè, & ſimplicitèr impotentem, ergo multominus tenebitur abſtinere ab operibus, vel præceptis, vel moderatis conferentibus ad vtilitatem ſpiritualem etiam ſi &c. Conſequentia tenet, quia fortius vrget vtilitas ſpiritualis, quam temporalis, & quis magis tenetur ſibi conſulere in ſpiritualibus, quam in temporalibus.

Ea, quæ dicuntur quoad extenuationem virium, proportionalitèr intelligenda quoad deformitatem in vxore, ſi quæ inde proueniret; ſi etenim ex illis ieiunijs præceptis, vel liberis moderatis abſtinentijs quædam oriretur deformitas non tamen talis, vt vxor marito exoſa appareret, non crederem teneri vxorem ab huiuſmodi operibus, & ieiunijs abſtinere, quandoquidem non tenetur ſeruare pulcritudinem maiorem, qua poſſit alterum coniugem ad libidinem excitare cū iactura ſpiritualium bonorum, dummodo non ſe omnimodè deformem, & exoſam marito reddat. 3 Et etiam ſi aliqualitèr ſe reddat deformem.

4 Imminente vxori periculo incontinentiæ, niſi vir ad copulam frequentiorē potentior fiat, non poteſt hic adhibere ieiunia voluntaria, nec etiam præſcripta.

Reſpondeo ſecundo, ſi vxori immineat periculum incontinentiæ, niſi vir ad copulam frequentiorem potentior efficiatur, non poteſt ipſe vir adhibere ieiunia voluntaria etiam moderata, & etiam præcepta, quibus reddatur minus aptus ad contribuendum iuxta ægeſtatem eiuſdem vxoris *Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrim. c. 1. num.* 128. Ratio ex eo deſumitur, quia lex charitatis obligat quoſcunque ne dum coniuges ad conſulendum neceſſitati ſpirituali alterius, vbi commodè poteſt, ergo exiſtente vxore in graui periculo incontinentiæ tenebitur vir etiam non ſeruatis ieiunijs voluntarijs, & præceptis ſe conſeruare aptum, & potentem ad ſatisfaciendum eidem vxori, ne in deterius abeat per fornicationem, ſeu alios actus incontinentiæ.

Charitas, ſeu mutuus amor coniugum præferendus eſt ieiunio.

Dices primo hæc verificari, quotieſcunque non obſtet præceptum poſitiuū contrarium, vt euenit in caſu, quo vrgeret præceptum Eccleſiaſticum ſeruandi ieiunium, quod vtique debet præualere, cum opera præcepta debeant præualere operibus charitatis. Sed contra, quia charitas, ſeu mutuus amor coniugum ieiunio præferendus ſit per textum *in c. non mediocritèr de conſecr. diſt. 5.*, nec præcepta poſitiua obligant cum ſcandalo per textum *in c. nihil cum ſcandalo de præſcript.*, nec cum grauibus incommodis, & periculo rixarum, & pacis frangendę *Silueſter verb. ieiunium num. 5., Ioannes de Friburgo lib. 1. ſummæ tit. 12. q. 27., Trullench. lib. 3. c. 2. dub. 7. num. 22.*, quod poſſet contingere, ſi præceptum Eccleſiaſticum ieiunij ſeruaretur. Ad hæc corroboranda plurimum prodeſt id, quod communitèr docent, quod excuſentur ab onere ieiunij, qui vacant infirmorum grauitèr laborantium curæ, qui, vt incumbant ſaluti animarum, ſedulas curas aſſumunt incompatibiles cum eodem ieiunio, & his ſimilia.

Dices ſecundo non obligari coniuges, niſi ad moderatam redditionem debiti, vnde, ſi vxor exigat frequentiorem, debet propriæ conditioni imputare, nec quoad hoc grauandus eſt maritus ex eo, quod ſe potentiorem non reddat abſtinendo à mo-

Licet non obligaretur ex iure matrimonij, obligaretur ex opere charitatis.

moderatis ieiunijs voluntarijs, & etiam præceptis. Sed contrà, quia quamuis ex iure matrimonij non obligentur coniuges, niſi ad moderatum vſum; ex iure tamen charitatis, quando in altero imminet periculum incontinentiæ, tenentur, quantum poſſunt ad ſubueniendum eidem, adhibere omnia media neceſſaria non obſtante præcepto Eccleſiaſtico, cum lex charitatis ſtrictius obliget, quam Eccleſiaſticum mandatum per ea, quæ diximus in reſponſione ad præcedentem inſtantiam.

Circa hanc reſponſionem oritur ratio dubitandi, an in hac hypotheſi requiratur declaratio impotentiæ, ſeu licentia ſuperioris in eo, qui, ſi ieiunaret, non eſſet potens ad ſubueniendum alteri, qui, ne ſuccumberet incontinentiæ, egeret crebriori coitu. Affirmant talem declarationem, ſeu licentiam requiri *Innocentius rub. de obſer. ieiunij num. 1.*, *Silueſter verb. ieiunium q. 9.*, & alij plures apud *Sanchez d. lib. 9. diſp. 3. num. 13.* Verum

5 Nec in hoc caſu requiritur licentia, ſeu declaratio ſuperioris, vt eximatur ab onere ieiunij.

ſentiendum eſt extante tali periculo incontinentiæ in altero coniuge talem facultatem ſuperioris non requiri, cum præceptum ieiunij non obliget in concurſu ſtrictioris legis charitatis per ea, quæ ſupra commendauimus. Sed quid dicendum ſit in dubio, quod tale periculum incontinentiæ vrgeret, vel non vrgeret, vel tale non eſſet, vt non poſſet ſuperari conſuetis remedijs; tunc arbitrarer tutius eſſe requiri talem facultatem, ſeu ſaltem iudicium, & declarationem perſonæ doctæ, & prudentis, quia in cauſa propria non videtur quis iudex, dum res verſatur in dubio.

§. III.

An coniux teneatur vti cibis calidis, & ſimilibus veneris irritamentis, vt potentior fiat ad reddendum.

SVMMARIVM.

Series diſquiſitionis expoſita. 1.

Rationes ſuadentes non teneri vti talibus cibis. 2.

Imminente alteri periculo incontinentiæ tenetur vti, ſi poſſit ſine diſpendio propriæ ſalutis corporalis. 3.

Extra periculum etiam incontinentiæ alterius poſſunt licitè ſumi, ſi ſumptio ordinetur ad copulam ob finem honeſtum. 4.

Secus, ſi ordinetur præcisè ad maiorem voluptatem captandam. 5.

Diſquiſitio III. Dictum fuit in præcedenti paragrapho, quod ex lege ſaltem charitatis teneatur coniux abſtinere a ieiunijs moderatis, & etiam præceptis, vt ſe potentiorem conſeruet ad reddendum, quandò alteri imminet periculum incontinentiæ ex minus frequenti redditione. Modo iam quæritur, an ex tali lege caritatis non ſolum teneatur ab huiuſmodi ieiunijs abſtinere; ſed etiam vti cibis calidis, alijſque venereis irritamentis ad eundem effectum ſe reddendi potentiorem. 1

1 Factum expoſitū in ſuis terminis.

Videtur abſolutè negandum, quia, quantumuis ex tali lege teneatur non reddere ſe impotentiorem per huiuſmodi abſtinentias, & ieiunia, non tenetur tamen maius robur, & potentiam acquirere per media proprium ſtatum naturalem excedentia, quia lex matrimonij, & fortè etiam charitatis obligat, quidem quantum vires naturalitèr inexiſtentes patiuntur, non autem obligat ad acquirendas modo extraordinario, & inſueto maiores vires ad crebrius, & frequentius reddendum. Nihilominus 2

2 Rationes ſuadentes nō teneri vti talibus cibis.

Reſpondeo, ſi ſine proprio diſpendio corporalis ſalutis poſſit vti huiuſmodi cibis calidis, vel ſine graui detrimento, vtique ſic ſuadente lege charitatis teneatur idem coniux ad ſubueniendum alteri in illo periculo incontinentiæ huiuſmodi cibis vti *Sanchez d. lib. 9. de matrim. diſp. 3. num. 6.*, *Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrim. c. 1. num. 131.* Ratio ex eo deducitur, quia lex charitatis obligat quoſcunque ad ſubueniendum proximo præcipuè in detrimentis animæ, quotieſcunque id poſſunt præſtare ſine iactura ſuæ ſalutis, ſuorumq; bonorum, ſed in præſenti ſuppoſitione vtendo cibis calidis, alijſq; ad venerem incitantibus poteſt ſubuenire ægeſtati alterius coniugis periclitantis, nec ex eo vllum detrimentum ſibi imminet, ergo tenetur &c. 3

3 Imminēte alteri periculo incontinentiæ tenetur vti, ſi poſſit ſine diſpendio propriæ ſalutis corporalis.

Dixi *ſine diſpendio propriæ corporalis ſalutis, vel ſine graui detrimento*; non enim quis tenetur cum tanto incōmodo alienæ ſaluti conſulere; quod ſi dicas, quod bona ſpiritualia aliena ex lege charitatis ſint præferenda bonis corporalibus proprijs; ſtatim impugnaberis, quia ad ſummum hæc verificantur, quādo bona ſpiritualia aliena ſubſunt periculo ineuitabili, cui nullo modo poſſit occurri, niſi cum detrimento corporali proprio, in hac autem hypotheſi bona ſpiritualia alterius coniugis in illo periculo incontinentiæ non ſubſunt irreparabilitèr illi damno, ſeu periculo, cum poſſit eidem occurrere per moderatas abſtinentias, ieiunia, & ſimilia, & tale periculum non ſit ineuitabile.

Ex occaſione oritur hic ratio dubitandi,

di; an extra periculum incontinentiæ in altero coniuge licitum ſit vti huiuſmodi cibis calidis,aliiſque irritamentis, quibus reddatur potentior ad debitum. Reſpondendum eſt vtique licere, ſi ordinentur ad copulam habendam ob finem honeſtum, ſecus,ſi ſolius libidinis cauſa. *Fagundez in Decal. præcept.6. lib.6.c.3. nu.46., Sanchez d.lib.9. de matrimon.diſp.13.,Ioannes Angelus Boſſius tract.de effect. matrim. c.1.n.132.* Ratio ex eo quoad primam partem deducitur,quia ipſa copula habita ob finem honeſtum, vel prolis generandæ,vel mutui amoris fouendi inter coniuges, vel procurandæ ſalutis corporalis, vel retinendæ licita eſt per ea, quæ ſuprà latè docuimus, ergo etiam licita erunt media, quæ ad ipſam poſſunt conducere, ſi aliundè non habeant aliquam turpitudinem. Ratio quoad ſecundam partem ex eo deſumitur, quia ipſa copula habita ob præciſum finem delectationis non vacat culpa ſaltem veniali per ea, quæ ſupra ex declaratione Sanctiſſimi D. N. Innocentij XI. Pontificis nunc regnantis ſupra commendauimus, ergo etiam tali culpa non carebit illa ſumptio ciborum calidorum ad eum finem præciſè maioris delectationis in coitu captandæ, ſeu ſolius libidinis gratia. Hoc tamen vnum aduertendum eſt, quod, ſi ex illa ſumptione præuideatur certum moralitèr periculum effuſionis ſeminis extra vas muliebre,non careret talis ſumptio noxa læthali, prout notant *Rebellus part.2. lib.3. q.19.num.19., Pontius lib.10.c.8.num.8., Auerſa q.21.ſect.4.verſ.admitti poteſt,Leandrus Diſcalceatus de Sacram. part.2.tract.9. diſp.24.q.18.*

4 Extra periculum etiam incontinentiæ alterius poteſt licitè vti talibus cibis, ſi ordinentur ad copulam ob finem honeſtum.

5 Secus ſi ordinetur ad maiorem voluptatem captandā.

§. IV.

An coniuges poſſint vouere abſtinentias, & alia in præiudicium debiti coniugalis.

SVMMARIVM.

Status tituli exponitur. 1.

Neuter coniux ſine alterius licentia poteſt vouere abſtinentias, vigilias, & ſimilia, quæ obſtent debito coniugali moderatè reddendo. 2.

In ordine ad vota abſtinentiæ,quæ non poſſunt officere debito coniugali, maritus poteſt vouere independentèr ab vxore, non ſic vxor independentèr à marito. 3.

Vota, quæ obſtant debito coniugali moderatè reddendo,non ſunt ipſo iure irrita. 4.

Ex ſuppoſitione, quod huiuſmodi vota ab altero irritentur, mortuo irritante non reuiuiſcunt. 5.

Maritus irritans huiuſmodi vota vxoris hoc præſtat cū ratione poteſtatis in voluntatem, cum ratione iuris in materiam. 6.

DIſquiſitio IV. Alter ex coniugibus altero inſcio, vel fortè etiam inuito vouit abſtinentias aliquas, vigilias, & ieiunia, quibus redditur minus potens ad reddendum debitum coniugale. Hic plura fuerunt dubia excitata; primum, an illud votum ſic emiſſum teneret; ſecundum ex ſuppoſitione, quod teneret, poſſet ab altero coniuge irritari; tertium ex ſuppoſitione, quod ab altero irritaretur, an mortuo eodem irritante reuiuiſceret, & obligaret vouentem ad ipſius executionem.

1 Status quæſtionis expoſitus.

Sub hoc titulo examinabitur, an æquè primo procedat difficultas ſiue in ordine ad maritum, ſiue in ordine ad vxorem; quamuis enim vir, & vxor quoad debitum coniugale videantur eſſe pares per ea, quæ alibi commendauimus, quia tamen vxor videtur quodamodo eſſe ſubdita marito, non è contra, ideo in hoc videtur vigere ſpecialis ratio dubitandi. Nihilominus

Articul. examinādi circa titulum.

Reſpondeo primo. Neutrum coniugem ſine alterius licentia poſſe vouere abſtinentias,vigilias,& ſimilia, quæ obſtent debito coniugali moderatè reddendo *Gloſa in c. manifeſtum verb. niſi author 33.q.4., Innocentius c. ſcriptura ad fin. de voto, D. Antoninus 3.part. tit.1. c.22., Paludanus in 4. diſt.38.q.3. art.1. concl.6. num. 10., Abulenſis c.5. Matthæi q.149., Fagundez in Decalog. præcept.3. lib.2.c.38.num.21., Sanchez d. lib.9. diſp.3.num.7., Ioannes Angelus Boſſius tract.de effect. matrim. c.1. num. 120.* Non difficilis probatio huius reſponſionis, quandoquidem tale votum eſt contra ius, quod habet alter coniux in corpus eiuſdem vouentis, qui ſicuti habet ius, vt alter ſibi ſeriò, & moderatè petenti reddat debitum, ità etiam ius habet, ne alter ex propriæ voluntatis arbitrio ſe reddat impotentem ad reddendum, quia,qui habet ius ad actum,habet etiam ius, ne ponantur media, quæ poſſint obſiſtere tali actui.Hæc ratio æquè euincit in ordine ad maritum vouentem huiuſmodi abſtinentias, ac in ordine ad vxorem,quæ ipſas voueret, cum in ordine ad debitum coniugale adinuicem reddendum maritus, & vxor ſint pares.

2 Non poſſunt vouere,quādo impediret moderatam debiti redditionem.

Reſpondeo ſecundo. In ordine ad vota abſtinentiæ, quæ non poſſunt officere debito coniugali, maritus poteſt vouere independentèr ab vxore, non ſic vxor independentèr à marito *Hoſtienſis in ſumma*

Digitized by Google

tit. de voto §. ſi quis vouere poſſit num. 8. *verſ. vxor etiam, Abbas c. chariſſimus num.* 4. *de conuerſ. coniug., Sanchez de matrim. d. lib.* 9. *diſp.* 3. *num.* 7. Ratio ex eo deducitur, quia vir eſt caput mulieris, prout habetur ex *Apoſtolo prima ad Corint.* 11., *& ex c. cum caput* 33. *q.* 5., vxor autem præcipuè in ijs, quæ ſpectant ad ſtatum familiæ, eſt eidem viro ſubdita, ergo ille vtpotè independens ab vxore poterit talia vota emittere, non ſic iſta vtpotè illi ſubiecta. Ab hac regula excipiendum tamen eſt votum caſtitatis per ea, quæ alibi docuimus ob ſpecialem rationem ibidem aſſignatam. Confirmatur ex ijs, quæ alibi docuimus, nempè virum poſſe irritare vota vxoris emiſſa conſtante matrimonio, non ſic vxorem illa viri, ergo, quia vxor non potuit illa emittere ſine conſenſu viri, bene tamen vir ſine conſenſu eiuſdem vxoris.

3 Circa ea, quæ non officiunt debito coniugali, maritus poteſt vouere, non ſic vxor.

Reſpondeo tertio. Vota huiuſmodi abſtinentiæ, vigiliarum, & ſimilium, quç obſtant debito coniugali moderatè reddendo, non ſunt ipſo iure irrita, ſed ſunt valida, donec irritentur. *Caietanus* 2. 2. *q.* 88. *art.* 8., *Sanchez de matrim. lib.* 9. *diſp.* 3. *num.* 8., nec in hoc diſſentiri arbitror cæteros Doctores exceptis *Soto lib.* 7. *de iuſt. q.* 3. *art.* 1. *verſ. an vero poſſit Manuele* 2. *tom. ſumma c.* 90. *num.* 7. Ratio ex eo deducitur, primo, quia fruſtra Doctores communitèr inquirerent, an coniuges poſſent irritare alterius vota huiuſmodi, ſi eſſent ipſo iure irrita; non enim indiget irritatione, quod ſecundum ſe in ſua origine eſt irritum. Secundo, quia huiuſmodi vota, quantum eſt ex ſe, ſunt de obiecto licito, & elicita cum plena deliberatione ex parte vouentis, & ſi quid habent, quod aduerſetur iuſtitiæ, eſt præiudicium aliquod, quod poteſt ſubeſſe alteri coniugi, ergo in tantum erunt irritanda, in quantum alter coniux voluerit irritari; vnde, ſi alter conſenſum præbuerit, non erit, cur pleno iure non obligent.

4 Vota, quç obſtant debito coniugali moderatè reddẽdo, non ſunt ipſo iure irrita, ſed ſunt valida, donec irritẽtur.

Dices primo. Vota de opere illicito ſunt ipſo iure irrita, ſed huiuſmodi ſunt vota elicita ab altero coniuge ſine licentia alterius, quæ obſtent moderato vſui matrimoniali, quandoquidem talia vota ſunt de re prohibita, cum coniuges ex onere iuſtitiæ prohibeantur ad ſe reddendum impotentes ad moderata reddendum, ergo &c. Sed contra, quia quoad ſubſtantiam, & ex obiecto votum illud non eſt illicitum, ſed tantum eſt tale, quatenus eſt contra ius alterius, & contra voluntatem ipſius; vnde quamuis, quandiu non conſtet de voluntate ipſius, non poſſit impleri, non tollitur tamen quin teneat, quouſque alter non reprobet; ſicque merito ſubdit *Sanchez d. lib.* 9. *diſp.* 3. *num.* 8., quod vir abſolutè vouens in hac hypotheſi non peccet, niſi expreſsè intendat ſe obligare contra vxoris voluntatem, cum tacita inſit huiuſmodi votis conditio hæc, *ſi alter coniux voti conſcius conſenſum præſtet.*

Inſtantia contra ſẽtentiam propoſita, & ſoluta.

Dices ſecundo, ſi alter coniux votum ediderit de non reddendo alteri debitum, vtique tale votum irritum eſt, nec indiget irritatione, ergo etiam ſi vouerit abſtinentias, vigilias, aliaque pænalia, quæ obſtent vſui matrimonij, tale votum irritum erit, ſiquidem ea ratio, quæ obligat ad reddendum debitum, obligat etiam ad non ponenda media, quæ impediant tale debitum, & ſic &c. Sed contra, quia diſpar omnino eſt ratio, cũ votum de non reddendo debito ſit directè contra fidem matrimonij, & hoc eſt Deo vouere rem alienam, quam Deus non acceptat; votũ autem de huiuſmodi abſtinentijs non eſt directè contra fidem matrimonij, nec cõtra debitum coniugale, ſed tantum eſt aliquod grauamen alteri coniugi, vndè non eſt cur non ſit validum, licet exequi nequeat accedente alterius diſſenſu; atq; in hoc diſcrimen conſentiunt *Turrecremata in c. ſunt quadam* 17. *q.* 1. *nu.* 9., *Angles Floribus* 2. *part. q. vnica de voto art.* 7. *poſt nonam difficultatem dub.* 3. *concl.* 1., *Tabiena verb. matrimonium* 1. *q.* 3. §. 4.

Alia inſtãtia diſſoluta.

Reſpondeo quarto, ex ſuppoſitione, quod ab altero coniuge votum abſtinentiæ, vigiliarum, & aliorum ſimilium fuerit ab altero irritatum, mortuo irritante non amplius reuiuiſcit *Abbas c. ſcripturæ n.* 7. *de voto, Caietanus* 2. 2. *q.* 88. *art.* 8. *dub.* 4., *Sotus lib.* 7. *de iuſtit. q.* 3. *art.* 1., *Nauarrus in ſumma c.* 12. *n.* 66., *Sanchez d. lib.* 9. *diſp.* 39. *n.* 36., *Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrim. c.* 8. *nu.* 104. Ratio ex eo deducitur, quia, vel alter coniux irritat ratione dominatiuç poteſtatis, quam habet in alterius voluntatem, vel ratione dominij, & poteſtatis in materiam promiſſam, cuius executio præiudicat irritanti; quocunque ex his modis irritet in radice tollit obligationem voti, & extinguit, ergo hoc nullo modo eodem irritãte mortuo poteſt reuiuiſcere ex generali regula, quod ius ſemel abſolutè extinctũ nunquam reuiuiſcat *l. cum ex cauſa C. de remiſ. pign.* Antecedens quoad primam partem patet, quia quando votum irritatur ratione dominatiuæ poteſtatis, quæ in irritante ineſt, ſupponitur, quod actus, per quem fuit illud votum elicitum, ſit omnino dependens à voluntate eius, qui irritat, qui per conſequens per proprium diſſenſum poteſt actum illum voti elicitum reddere ineptum ad obligandum, & nullius

5 Ex ſuppoſitione, quæ huiuſmodi vota irritentur, mortuo irritante non rèuiuiſcunt.

Rationes pro noſtra opinione.

Digitized by Google

nullius roboris; quod enim quoad ſui valorem ab altero pendet ſine illo non poteſt eſſe validum; Quoad ſecundum vero partem ſic euincitur, quia, cum votum illud ſit quoquomodo alteri præiudiciale per conſequens materia illius voti eſt etiam ſubiecta alteri irritanti, cum ius habeat, ne aliquid opponatur proprio iuri repugnans, ſicq; poteſt ſubtrahere illam materiam ſibi repugnantem, per quam ſubtractionem votum ipſum deficit. Confirmatur, quia quando materia voti eſt aliquo modo alteri ſubiecto, vouens ipſe, ſeu ipſum votum habet annexam tacitam conditionem, *ſi alter conſenſum præſtiterit*, ergo non purificata illa conditione per conſenſum alterius votum ipſum reddetur nullius roboris.

6 Maritus irritans huiuſmodi vota vxoris hoc præſtat tum ratione poteſtatis in voluntatem, tũ ratione iuris quoad materiam

Difficultas ſolummodo eſſe poteſt in præſenti, an alter coniux irritet huiuſmodi vota alterius ratione dominatiuæ poteſtatis abſolutæ in voluntatem alterius, an vero præcisè ratione iuris quoad materiam. Probabilius arbitror irritare ratione vtriuſq; prout ſentiunt *Abulenſis c. 30. Numerorum, Sotus lib. 7. de iuſt. q. 7. art. 1. verſ. at vero ſicuti Aragonius 2. 2. q. 88. art. 1., Diana part. 4. tract. 4. reſol.* 110. Intellige tamen de marito irritãte huiuſmodi vota ab vxore elicita, non è contra. Ratio ex eo deducitur, quia vxor ſubditur marito, non ſolum quoad materiam promiſſam, ſed etiam quoad voluntatem, & quoad actus eius, quod colligitur *ex c. 30. Numerorum*, ibi-*Si mulier maritum habuerit, & vouerit aliquid, ſi audiens vir ſtatim contradixerit, & irritans fecerit pollicitationes eius, propitius ei erit Dominus*, & ex illo *Apoſtoli ad Ephes. 5. Mulieres viris ſuis ſubditæ ſint ſicut domino, quoniam vir eſt caput mulieris, ſicut Chriſtus eſt caput Eccleſiæ, ſed ſicut Eccleſia ſubiecta eſt Chriſto, ita & mulieres viris ſuis in omnibus*; & hoc quidem congruere videtur attento fragiliori ſexu earundem mulierum. Ex quibus omnibus inferri poſſe videtur, quod vxores nõ poſſint irritare vota mariti ratione dominatiuæ poteſtatis in voluntatem eiuſdem mariti, ſed dumtaxat ratione iuris, quod habent in materiam promiſſam, vt ex ſe patet.

§. V.

An coniux inconſulto altero poſſit vouere aſſumere habitum Pij Ordinis D. Franciſci, ſeu Eremitarum.

SVMMARIVM.

Factum dilucidatur in caſu particulari. 1.
Illud votum validum eſt, non tamen poteſt exequi ſine alterius conſenſu. 2.
Alter coniux poteſt huiuſmodi votum irritare. 3.
Tale votum irritatum non amplius reuiuiſcit. 4.

1 Factum, & articuli circa ipſum examinandi.

DIſquiſitio V. Alter coniux conſtante matrimonio vouit aſſumere habitum Tertij Ordinis D. Franciſci, vel Eremitarum, vel fortè etiam, ſi fuerit vxor habitum mulierum, quas vulgaritèr appellant Beatozze. Quæſitum fuit primo, an illud votum tenuerit. Secundo ex ſuppoſitione, quod validum fuerit, an potuerit ab altero coniuge irritari.

Rationes ſuadentes tale votũ tenere.

Videtur abſolutè dicendum, & votum illud validum fuiſſe, nec potuiſſe ab altero coniuge irritari, quandoquidem hoc non videtur obeſſe vſui matrimonij, ſicuti obſtant vota abſtinentiæ, vigiliarum, & ſimilium, quæ reddunt coniugem minus potentem ad vſum; ex illius etenim habitus delatione nulla oritur impotentia, nec indè euenit minor potentia; & eo magis hoc intelligendum videtur, ſi votum illud non in perpetuum, ſed ad modicum tempus extenderetur. Nihilominus

2 Validũ eſt illud votũ, nõ tamen poteſt exequi ſine alterius cõſenſu.

Reſpondeo primo, validũ quidem eſſe illud votum, nõ tamen poſſe exequi ſine alterius coniugis conſenſu. Conſentiunt in hoc quotquot ſuſtinent nõ eſſe ipſo iure inualidum votũ abſtinentiæ, vigiliarũ, & ſimilium, quæ quoquo modo obſtant debito coniugali moderatè reddendo, & hoc militat in fortioribus terminis; ſi etenim vota illa, quæ talitèr obſtant, tenent, niſi irritentur per diſſenſum alterius coniugis, cur tenere non debet votũ aſſumendi huiuſmodi habitus, quod non pugnat cum tali vſu, ſeu redditione debiti?

3 Alter coniux poteſt huiuſmodi votum irritare.

Reſpondeo ſecundo, alterum coniugẽ poſſe huiuſmodi votum irritare *Silueſter verb. votum 5. q. 1. n. 3., Roſella eod. verb. votum 2. n. 9., Nauarrus c. 12. nu. 62., Fagundez in decal. præcep. 3. lib. 2. c. 38. n. 25., Sanchez d. lib. 9. diſp. 3. n. 9., Ioannes An-*

gelus

gelus Boſſius tract. de effect. matrim. c. 1. n. 130. Rationẽ ex eo deſumo, quia coniuges ad alterius exigentiam tenentur iuxta conditionem proprij ſtatus ſe ornare, vt alteri poſſint placere, & conciliare adinuicem amorem, ergo à fortiori tenentur illis veſtibus abſtinere, quæ potius horrorem generant, quam amorem concilient, ergo, ſi alter vouerit huiuſmodi habitus induere, poterit alter huiuſmodi votum irritare.

Ex tali delatione redditur minus moralitèr aptus.

Neque obſtant ea, quæ ex aduerſo afferebantur, quantumuis enim Phyſicè huiuſmodi habituum delatio non reddat coniuges minus aptos ad reddendum ſibi mutuo moderatè debitum, reddit tamen minus moralitèr idoneos, quatenus horrore quodam afficiuntur, quo remouentur ab eodem petendo, ſeu reddendo; ius autem coniugum non ſolum extenditur ad tollendam quamcunq; actionem, ex qua prouenire poſſit impotentia Phyſica ad idem debitum, ſed ad auferendum quodcunque voluntarium, ex quo prouenire poſſit impotentia moralis, ſeu remotio ab eodem debito reddendo.

4 Tale votũ ab altero irritatum nõ amplius reuiuiſcit.

Ex quibus omnibus inferre poteris, quod, ſi abſolutè per alterum coniugem fuerit illud votum irritatum, nõ amplius eodem extincto reuiuiſcat iuxta vulgatam regulam, qua dicitur, quod obligatio ſemel abſolutè extincta non amplius reuiuiſcat.

§. VI.

Per quemnam actum vnius coniugis intelligatur poſita irritatio voti ab altero emiſſi.

SVMMARIVM.

Status controuerſia exponitur. 1.

Ex eo, quod ſciens immediatè non contradixerit voto, non tollitur, quin poſſit poſtea illud irritare. 2.

Quinimmo ex eo, quod ſciens tacuerit, & non contradixerit, non cenſetur votum illud approbaſſe. 3.

Votum emiſſum ſine licentia alterius poteſt ſine cauſa irritari, ſecus ſi cum licentia. 4.

Opinio aſſerens maritum ſciẽtem votum vxoris, & tacentem cum animo interno approbandi illud ratificare, vt non poſſit amplius reprobare. 5.

Sententia negans, & dans facultatem irritandi. 6.

Præfertur prima opinio. 7.

Poteſt irritari per actum etiam interpretatiuum cum voluntate ſigno exteriori expreſſa. 8.

DIſquiſitio VI. Ex prædictis ſatis ſuperque conſtat poſſe alterum coniugem vota alterius præiudicialia quoquo modo debito coniugali moderatè reddendo irritare. Modò quæritur per quemnam actum intelligatur talia vota irritare? 1

Factũ in ſuis terminis.

Fundamentum dubitandi vnde deſumatur.

Fundamentum maximum dubitandi videtur deſumi ex textu *in c. 30. Numerorum* præcitato, vbi ſic legitur *Si maritum habuerit, & vouerit aliquid, ſi audiens vir ſtatim contradixerit, ac irritas fecerit poſt citationes eius, propitius erit ei Dominus*. Ex quibus verbis videtur requiri expreſſa contradictio immediatè, ac nouerit votum elicitum; dum enim dicit, *ſi audiens maritus ſtatim contradixerit*, ergo, ſi ſtatim non contradixerit, non poterit amplius irritare, ſed intelligetur ſimplicitèr conſentire, & ratum habere.

Exponitur ſententia Sanchez.

Sanchez *d. lib. 9. de debito coniugali diſp. 39. num. 34.* breuibus verbis videtur innuere, quod, quando irritat ratione poteſtatis dominatiuæ directè in voluntatem alterius coniugis, intelligatur ſufficientèr irritare, quando aliud non declarat; vnde ex ipſius mente videtur inferendum, quod, quando irritat ratione iuris ſibi competentis ob materiam, debeat declarare, quod nolit tale votum in ſui præiudicium ſubſiſtere?

2 Ex eo, quod immediatè nõ cõtradixerit, non tollitur quin poſſit irritare.

Reſpondeo primo. Ex eo præcisè, quod coniux ſciens alterum vouiſſe abſtinentiam, & alia huiuſmodi non ſtatim contradixerit, non impeditur, quominus poſſit poſtea illud votum irritare. Ita arbitror ſentire quotquot ſuſtinent poſſe alterum coniugem, qui licentiam alteri conceſſit vouendi, votum irritare; atque hi ſunt *Caietanus in ſumma verb. votum c. vlt. ſtatim in princip.*, *Fagundez in decal. lib. 2. c. 37. num. 17.*, *Nauarrus in ſumma c. 12. num. 61.*, *Azorius part. 1. lib. 11. c. 18. q. 6.*, *Sairus lib. 6. clauis c. 10. num. 12.*, *Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrimon. c. 8. num. 74.*, *Baſilius Pontius de matrim. lib. 10. c. 17. num. 12.* Ratio ex eo deducitur, quia, ſi maritus v. g. expreſsè licentiam dederit vxori talia vota emittendi, poteſt nihilominus eadem irritare validè quoad effectum, vt mulier amplius non teneatur tali voto, quamuis ipſe poſt conſenſum præſtitum peccet irritando ſine cauſa, quia maritus adhuc retinet dominium ſupra voluntatem vxoris, & actus eius, vel ſaltem ius ſupra materiam talis voti, prout docent DD. præcitati, & alij innumeri apud *Sanchez d. lib. 9. de debito coniugali diſp. 40. num. 4.*, & *apud Ioannem Angelum Boſſium loc. cit. num. 74.*, ergo à fortiori poterit irritare, quantumuis immediatè non contradixerit; plus

Rationes pro reſponſione.

etenim

Digitized by Google

etenim poteſt operari voluntas expreſſa, quam mera non contradictio, in qua ſolum poteſt conſiſtere interpretatiua licentia.

Dices primo hoc expreſsè aduerſari textui *in d. c. 30. numerorum*, vbi cum dicatur. *Si audiens ſtatim contradixerit*, videtur per conſequens inferri, quod, ſi ſtatim non contradixerit, non poſſit amplius &c. Sed contra, quia textus ille ſolum intendit, quod per contradictionem mariti votum ab vxore emiſſum irritetur, adeo vt nullam vim habeat amplius vouentem obligandi; quod ſi dixerit, *ſtatim contradixerit*, hoc appoſuit ad indicandum, quod, ſi nullum conſenſum præſtiterit nec expreſſum, nec interpretatiuum, quod conijcitur ex eo, quod immediatè poſt notitiam contradixerit, non ſolum validè, ſed etiam licitè irritam reddat pollicitationem, & votum, quod arguitur ex verbis eiuſdem textus, quæ ſubduntur *Propitius erit ei Dominus*. Cæterum, ſi diſtulerit contradictionem, non tollitur, quin adhuc poſtea poſſit validè irritare, quamuis fortaſſis non licitè, ſi in illa dilata contradictione ſupponatur conſenſum tacitum præſtitiſſe, quod in ſequenti reſponſione clarius examinabitur. Quod autem etiam ſi diſtulerit contradictionem, adhuc tamen poſſit ex interuallo validè reddere irritam illam promiſſionem, colligitur *ex eodem c. 30. numerorum*, vbi ſic legitur. *Si audiens vir tacuerit, & in alteram diem diſtulerit ſententiam, quidquid vouerat, atque promiſerat, reddet, ſi autem contradixerit poſtquam reſciuit portabit ipſe iniquitatem eius*, quem textum explicans *D. Auguſtinus lib. 4. q. 59. in numeros* habet *Non cum ad peccatum eiuſdem viri pertinere voluerit lex prius, ſi permiſerit, & poſtea prohibuerit, & hoc tamen non dixit, quod mulier, quæ voueat, faciat*, & *D. Ambroſius lib. de Paradiſo c. 10.* ſic habet *Etiam ſi viro permittente repromiſſa fuerit, vel non licet ei votum opere complere, cum vir voluerit reuocare promiſſum*.

Soluitur Primum aduerſantium obiectum.

Dices ſecundo, ea, quæ dicuntur in probatione reſponſionis per allegatos DD., & per textum *in d. c. 30. numerorum*, intelligenda eſſe dumtaxat de marito quoad vota elicita ab vxore ratione ſuperioritatis, & poteſtatis dominatiuæ, quam habet in eandem vxorem, & in voluntatem ipſius, non è contra de vxore in ordine ad vota a marito elicita, cum vxor non habeat ſuperioritatem, nec poteſtatem dominatiuam in eundem maritum. Sed contra, quia hic agitur de votis, quæ quoquo modo poſſunt obeſſe vſui coniugali, in ordine ad quem maritus, & vxor per ſupra allegata ſunt pares, & propterea, quod vni conceditur, alteri non eſt denegandam. Fateor tamen in ordine ad alia, quę non concernunt vſum matrimonialem in quibus maritus abſolutè conſideretur vt ſuperior, quod non poſſit mulier vota eiuſdem mariti irritare, cum non ſubſint eidem mulieri nec quoad materiam, nec quoad poteſtatem dominatiuam.

Soluitur ſecundũ.

Dices tertio, non eſſe amplius in poteſtate alterius coniugis irritare vota, ad quæ præſtitit conſenſum, ſiue expreſſum, ſiue interpretatiuum, quando iam vota illa intelliguntur executioni mandata; intelliguntur autem vota coniugis executioni mandata, quotieſcunque alter coniux reſciuit vota illa fuiſſe emiſſa, & non contradixit maximè ſi coniux, qui vouit, incæperit abſtinentias, vel deferre habitũ, & ſimilia. Sed contra, quia, cum verſemur in votis, quorum executio exigit tractum ſucceſſiuum, non diſſonum rationi videtur, quod, quantumuis alter coniux in executione partiali tacuerit, & non contradixerit, poſſit in vlteriori executione contradicere ratione poteſtatis, vel dominatiuæ in voluntatem vouentis, vel in materiam eiuſdem voti, ſibi quoad vſum coniugalem præiudicialis.

Soluitur tertium.

Reſpondeo ſecundo. Ex eo, quod alter coniux cognito alterius voto ſtatim non contradixerit, ſed tacuerit, & ad tempus diſſimulauerit, non cenſetur approbaſſe illud votum, ita vt non poſſit amplius ſine cauſa illud irritare. 3

3 Nec cenſetur approbaſſe illud votum.

Pro clariori intelligentia huius reſponſionis aduertendum eſt, hoc intercedere diſcrimen, quando votum elicitum eſt ſine alterius conſenſu, & approbatione, ac quando elicitum eſt altero conſentiente, & approbante; ſi enim ſine approbatione fuerit elicitum, poteſt ab altero etiã ſine cauſa irritari, ſi vero cum approbatione, vtique ſine cauſa non poteſt relaxari. Id autem, quod in præſenti reſponſione intenditur, eſt, an talis taciturnitas ad tempus, & non contradictio alterius coniugis habeatur pro ſufficienti conſenſu, ita vt exigatur cauſa ad votum illud diſſoluendum, an vero non habeatur pro tali conſenſu, ita vt ſine cauſa etiam poſſit diſſolui, & ſic pro hac ſecunda parte reſoluimus, & definimus pro qua ſtant *Sanchez d. lib. 9. de debito coniug. diſp. 40. num. 10.*, *Caietanus ſuper c. 30. numerorum in fin.*, *D. Thomas in 4. diſt. 32. in fin. in expoſ. lit.*, *& ibi Paludanus q. 2. art. 2. num. 17.*, *D. Antoninus 3. part. tit. 1. c. 22. §. 2.*, *Silueſter verb. votum 5. q. 2.*, *Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrim. c. 8. num. 81.*

4 Votum emiſſum ſine licẽtia alterius poteſt irritari ſine cauſa, ſecus ſi fuerit emiſſũ cum licẽtia.

Pro-

Probatur iam reſponſio, quia in præiudicialibus taciturnitas, & non contradictio non habetur pro conſenſu, per textum *in reg. qui tacet de reg. iur. in 6. l. inuitum ff. de ſeruit. vrb. præd. l. in eo §. penult. ff. de ritu nupt., Alexander conſ. 84. In cauſa in fin. lib. 7., Couarruuias pract. c. 15. verſ. quinto deinde*, quod præcipuè verificatur, quando agitur de annullando actum *Alexander conſ. 59., Attentis narratis n. 15. verſ. nec obſtant lib. 3., Hypolitus Riminald. Iun. conſ. 164. dubitatur num. 15. lib. 2.*, vt euenit in præſenti hypotheſi; nec obeſſe poteſt textus *in d. c. 30. Numerorum*, vbi dicitur, quod, ſi diſtulerit contradictionē in alteram diem, portabit ipſe iniquitatem vxoris; ex quo videtur deduci, quod ex tali dilatione præſumatur conſenſum præſtitiſſe, ſine quo non poteſt marito iniquitas imputari; Non, inquam, obeſſe poteſt, quia talis textus quoad hanc præciſam determinationem omninò cæremonialis eſt, prout notant communitèr DD., qui propterea per legem Euangelicam ſupponitur abolitus.

Rationes pro reſponſione.

Hic excitant DD. difficultatem, an, ſi re vera maritus, qui tacet, & non contradicit, habeat internum animum approbandi votum, illudque ratificandi, intelligatur illud approbare, adeo vt non poſſit amplius illud ſine iuſta cauſa irritare? Affirmant votum illud intelligi approbatum, & quaſi emiſſum de licentia ipſius mariti *Sanchez d. lib. 9. de debito coniug. diſp. 40. num. 10., Leſſius lib. 2. de iuſt. c. 49. num. 78.*, qui pluribus mouentur rationibus, primo, quia denegari non poteſt, quin votum illud ex parte vxoris elicientis ſit validum, vtpotè emiſſum cum plena deliberatione, & ſolum, quoquo modo claudicat per ordinem ad maritū, quatenus emiſſum intelligitur, vt obliget ad executionem, ſi maritus conſenſerit, ergo, ſi extet re vera conſenſus mariti etiam poſt votum, illud erit firmum, & ſine cauſa irreuocabile; nec obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, quod conſenſus ille merè internus ſit, adeoque nullam vim conferat in eſſe externo; Non, inquam, obeſſe poteſt, nam aduerſarij ſtatim reſpondent, quod ille conſenſus ſufficientèr exprimatur externè per illam taciturnitatem, & non contradictionem, & licet illa taciturnitas ſecundum ſe ſumpta in præiudicialibus ſufficientèr non inducat conſenſum, ſumpta tamen cum vero conſenſu interno exiſtente in marito facit actum validum, & firmum, nam concurrentibus contrarijs præſumptionibus in eodem actu illa, quæ facit valere actum, potior eſt, & præferenda, prout latè probat *Menochius de arbitr. Iud. caſ. 472. num. 2. de præſumpt. lib. 1. q. 29.* Secundo, quia, cum votum illud ex parte vouentis ſit validum, & firmum, ex parte ipſius obligat, & ſic ex parte ipſius nihil deficit, quominus obliget, ergo ad obligandum maritum, ne reuocet talem obligationem vxoris, non requiritur, niſi conſenſus ipſius ſibi notus, & Deo.

5 Sententia aſſerens maritum tacentem cum animo approbandi ratificare, & non poſſe amplius reprobare

Rationes pro eadē.

His tamen non obſtantibus *Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrim. c. 8. num. 82.*, quamuis aſſerat, præcedentem opinionem eſſe valdè probabilem, videtur nihilominus ſentire, dictum conſenſum internum vouenti non manifeſtatū non ſufficere, vt votum cenſeatur approbatum, ita vt non poſſit ſine iuſta cauſa irritari. Rationem ex eo adducit, quia approbatio, ſeu licentia mariti refertur ad ipſum vouentem, qua vouens eſt, non vero reſpicit directè Deum, quamuis poſita poſtea approbatione maritus obligetur Deo ad non irritandum votum vxoris ſine iuſta cauſa, & non poteſt referri ad vouentem, neq; ad ipſum directè ordinari, niſi ſignis exterioribus exprimatur, cum homines adinuicem non cōmunicent, neque ordinentur; niſi per voces, & ſigna exteriora, ergo &c. Hæc ferè ad verbum ipſe Boſſius. Neque obeſſe poſſunt ea, quæ pro contraria ſententia afferebantur, nempè quod ille conſenſus ſufficientèr per illam taciturnitatem, & diſſimulationem exprimatur; Non, inquam, obeſſe poſſunt, quandoquidem illa taciturnitas indiferens eſt, vel ad approbationem, vel ad reprobationem, & in præiudicialibus nunquam habetur pro reprobatione, vnde non eſt admittenda præſumptio pro firmitate actus contra tacentem. Vtraque opinio eſt valdè probabilis. Probabiliorem tamen arbitror primam propter rationes adductas præcipuè cum non requiratur vxoris acceptatio ad voti firmitatem, & confirmationem, prout requiritur in donationibus, & contractibus.

6 Sententia negans, & tribuens facultatē irritandi.

7 Præfertur prima opinio.

Reſpondeo tertio, per quemcunque actum, ſiue expreſſum, ſiue interpretatiuum intelligi poteſt poſita irritatio voti ab altero emiſſi, dummodo ſit cum voluntate irritantis ſigno aliquo exteriori expreſſa. Conſentiunt communitèr DD. Ratio eſt, quia ſupponitur in poteſtate alterius coniugis huiuſmodi vota irritandi, & vtique per diſsēſum à tali voto; diſſenſus autem huiuſmodi vtique etiam humano modo haberi poteſt per quemcunque actum voluntatis, ſiue per voces, ſiue per alia ſigna exteriora manifeſtatum. Confirmatur, quia nemine contradicente huiuſmodi vota ſufficientèr irritantur per actum expreſſum, quo maritus

8 Poteſt irritari per actum etiam interpretatiuum, dū modo ſit cum voluntate ſigno exteriori expreſſa.

tenuat

Digitized by Google

renuat executioni eorundem, ergo etiam poteſt irritari ſufficientèr per actum voluntatis eiuſdem ſignis externis manifeſtatum, cum huiuſmodi actus actui expreſſo correſpondeant.

§. VII.

An, & qualitèr peccet Maritus, qui contra licentiam datam, vel approbationem factam de voto illud irritat.

SVMMARIVM.

Status diſquiſitionis expoſitus, 1.
Fundamenta opinionis aſſerentis nullo modo peccare. 2.
Peccaret maritus, qui ſine cauſa votum illud de ſui licentia emiſſum irritaret. 3.
Non obſtante facultate ex iuſta cauſa poteſt votum illud ſibi præiudiciale irritare. 4.
Maritus irritans huiuſmodi vota ſine iuſta cauſa regularitèr peccat lethalitèr. 5.
Et quidem peccato reducibili ad ſacrilegium. 6.

DIſquiſitio VII. In præcedentibus ſufficientèr innuiſſe videmur, quod maritus, qui, vel expreſsè, vel tacitè facultatem fecit vxori vota emittendi, quæ quoquomodo præiudicialia ſint iuri eiuſdem mariti, vt ſibi moderatè reddatur debitum, vel talia vota iam emiſſa, vel expreſsè, vel tacitè approbauit, non poſſit ſine legitima cauſa vota illa irritare, & vtique peccet irritando. Nunc, quia aliqui abſolutè docent apud *Suarez tom. 2. de Religione lib. 6. de voto c. 8. num. 8.* maritum talia vota irritando etiam ſine cauſa nullo modo peccare, placet ex profeſſo primo examinare, an re vera peccet, vel non peccet ponderando omnia argumenta pro vtraque parte. Secundo, ex ſuppoſitione, quod peccet, an tale peccatum ſit læthale, an vero veniale dumtaxat.

1 Factum elucidatum,

Fundamenta opinionis aſſerentis nullo modo peccare in eo conſiſtunt primo, quia maritus dando licentiam non intelligitur contraxiſſe ſpecialem obligationem cum vxore non retractandi talem licentiam, quia nec hoc vouit, nec promiſit. Secundo, quia in ipſa conceſſione licentiæ ſupponitur habuiſſe tacitam conditionem, vt talis licentia perſeueret ad ipſius beneplacitum, non alitèr, nec alio modo. Nihilominus

2 Fundamenta opinionis aſſerentis nullo modo peccare.

Reſpondeo primo, peccare maritum contra licentiam, ſeu facultatem factam vxori de ſic vouendo ſine iuſta cauſa votum illud irritantem *Suarez tom. 2. de Religione lib. 6. de voto c. 4. num. 22.*, *Sanchez d. lib. 9. de debito coniug. diſp. 40. num. 7.*, *Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrim. c. 8. num. 85.*, *Abulenſis in d. c. 30. numerorum q. 43. ad finem*. Colligitur primo ex eodem textu *in c. 30. Numerorum*, vbi expreſsè dicitur, quod, *ſi maritus non contradixerit* (hic pro non contradictione accipitur conſenſus, ſeu facultas ſaltem interpretatiua) *portabit iniquitatem eius*. Secundo ratione etiam euincitur, quia, cum conſenſum dederit ad eliciendum illud votum, permiſit, quantum eſt ex ſe, vt vxor ſe Deo obligaret auferens impedimentum, quod ex parte ſui poterat obſtare ad ipſius firmitatem, ergo poſteà irritando ſine cauſa tollit obligationem, quam ipſe permiſit Deo offerri, adeoque hoc cedit quodamodo in contemptum ipſius Dei.

3 Peccat maritus, qui ſine cauſa votum illud irritaret.

Reſpondeo ſecundo. Exiſtente iuſta cauſa non obſtante facultate iam facta poteſt maritus irritare votum vxoris ſibi quoquo modo præiudiciale. *Suarez tom. 2. de Religione lib. 6. de voto c. 4. num. 22., & c. 8. num. 7.*, *Sanchez in ſumma lib. 4. c. 27. nu. 28., & lib. 9. de matrimon. diſp. 40. nu. 7.*, *Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrimonij c. 8. num. 86.* Rationem ex eo deduco, quia, cum maritus concedens talem licentiam præſumatur prudentèr concedere, videtur per conſequens concedere ſub tacita conditione permanendi in eadem conceſſione, niſi iuſta, & legitima cauſa obuenerit non permanendi.

4 Non obſtante facultate ex iuſta cauſa poteſt irritare votum ſibi præiudiciale.

Si autem hic inquiras, quænam iuſta, & legitima cauſa cenſenda ſit, vt maritus poſſit irritare votum vxoris, cui ipſe licentiam dedit. Reſpondendum eſt, id remittendum eſſe arbitrio prudentis viri, qui non ex quacunque cauſa, ſed tantum graui debet adiudicare, quæ vtique teſte Sanchez debet eſſe grauior, quam fuiſſet in principio ſufficiens ad denegandam licentiam. *Sanchez in ſumma lib. 4. c. 27. nu. 30.*, *Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrim. c. 8. num. 86.*

An cauſa ſit iuſta, remittendum eſt arbitrio prudentis viri.

Reſpondeo tertio. Maritus irritans huiuſmodi vota ſine iuſta cauſa regularitèr peccat mortalitèr *Caietanus 2. 2. q. 88. art. 8. dub. 3.*, *Ludouicus Lopez prima part. inſtruct. c. 48. §. peccant prælati*, *Manuel 2. tom. ſummæ c. 89. num. 6.*, *Graffius part. prima lib. 2. c. 29. in fin.*, *Sairus lib. 6. clauis c. 10. nu. 12.*, *Leſſius lib. 2. de iuſt. c. 40. dub. 13. num. 36. verſ. peccabit tamen*, *Villalobos tract. 34. diffic. 21. num. 19.* Ratio ex eo deducitur, quia per huiuſmodi irritationem ſine cauſa iniuſtè impediret voti executionem, & ſicuti, qui tranſgreditur votum à

5 Maritus irritãs ſine iuſta cauſa regularitèr peccat lethalitèr.

Digitized by Google

ſe emiſſum ſine cauſa peccaret grauitèr, ita non eſt, cur grauitèr non peccet, qui ſine cauſa impedit eiuſdem executionem.

Si autem hic inquiras ad quam ſpeciem peccati poſſit reduci illa irritatio voti facta ſine cauſa à marito, qui con-
6 ſenſum, & facultatem præbuerat ad illud; crederem, reducendam eſſe ad ſpeciem ſacrilegij, quatenus efficit, ne promiſſio facta Deo per votum adimpleatur, & ſic quodamodo attingit votum ipſum, quod reſpicit virtutem Religionis, quam lædere ſacrilegum eſt.

Et quidē peccato reducibili ad ſacrilegium.

§. VIII.

An, ſi maritus conceſſerit facultatem vxori vouendi, & ipſa vouerit ſe votum illud emiſſuram, poſſit idem maritus votum illud ſine cauſa irritare.

SVMMARIVM.

In quo conſiſtat ſtatus difficultatis. 1.
Sententia aſſerens, non poſſe votum illud ſine cauſa irritare. 2.
Votum illud non cenſetur emiſſum de facultate mariti, adeoq; poteſt irritari. 3.

DIſquiſitio VIII. Intendebat vxor Caij votum emittere de abſtinentijs faciendis, vel de habitu Beatarum, vt
1 vulgo dicitur, deferendo, cui idem Caius facultatem fecit, & ipſa vouit, ſe illud votum emiſſuram, non autem actu vouit illam abſtinentiam, & delationem habitus. Hic iam quæritur, an illud votum intelligatur emiſſum de licentia mariti, & an maritus poſſit illud ſine cauſa irritare.

Facti ſeries expoſita.

Videtur prima fronte abſolutè aſſerendum, & votum illud cenſeri emiſſum
2 de licentia mariti, & maritum ipſum non poſſe illud ſine cauſa irritare, quandoquidem facultas ad aliquid faciendum videtur etiam inuoluere facultatem ad illud promittendum, & ſicuti, qui facultatem a Patre v.g. accepit donandi aliquid alteri, & promitteret illud eidem donare, cenſeretur promiſiſſe illam donationem de licentia Patris, cum hæc facultas comprehendatur in illa donandi, ita qui facultatem accepit ab altero Superiore aliquid vouendi, & promiſit, cenſetur &c. Nihilominus

Sententia aſſerens non poſſe votum illud ſine cauſa irritare.

Sanchez *d. lib.9. de debito coniugali diſp. 40. num.10., Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrim. c. 8 num. 83.* arbitrantur votum illud non cenſeri emiſſum de facultate mariti, ac propterea poſſe ab eodem ſine cauſa irritari; quibus non incongruè adhærendum cenſeo. Ratio ex eo deducitur, quia per illud votum vo- 3
uendi vxor ſibi imponit nouum onus, ad quod etiam obtenta licentia viri non tenebatur; quandoquidem etiam poſita mariti licentia poterat vouere, & non vouere, vnde quod obtenta etiam licentia eiuſdem mariti liberè facere poterat iam poſito illo voto vouendi ex neceſſitate facere tenetur; maritus autem nouo illi oneri minimè conſentit.

Votum illud non cenſetur emiſſum de facultate mariti, adeoq; poteſt irritari.

Dices primo, facultatem aliquid faciendi inuoluere etiam facultatem id promittendi, prout præferebatur pro contraria ſententia, ergo, ſi ex vi illius facultatis poterat validè facere, poterat etiam validè promittere ex vi eiuſdem, adeoq; ſicuti, ſi vouiſſet, non poſſet maritus, qui dedit licentiam, irritare votum ſimplicitèr emiſſum, ità nec videtur poſſe irritare votum de eodem emittendo. Sed contra, quia longè diuerſum eſt facultatem concedere ad rem ſimplicitèr vouendam, ac facultatem concedere ad votum eliciendum de re eadem vouenda; nam ſtante prima facultate liberum eſt ei, cui conceſſa eſt talis facultas, votum elicere, & non elicere; poſito autem voto de illa re vouenda non eſt amplius liberū ad rem ipſam vouendam, cui oneri non conſentit maritus.

Inſtantia propoſita, & diſſoluta.

Dices ſecundo, data facultate inferiori aliquid donandi intelligitur etiam facultas illud promittendi, ergo etiam data facultate aliquid vouendi intelligitur etiam data facultas votum illud promittendi. Sed contra neganda eſt conſequentia. Ratio diſparitatis in eo conſiſtit, quod promiſſio, & pactum contrahendi, ſeu quaſi contrahendi inter homines, tanquam quid præambulum, & diſpoſitio præcedit ipſum contractum, & ideo ſuperior dans facultatem contrahendi, ſeu quaſi, intelligitur facultatem concedere ad ipſius contractus promiſſionem per textum *in l. oratio ff. de ſponſal.* at votum ad aliquid vouendum non eſt diſpoſitio, adeoq; vnum in altero non includitur.

Alia inſtātia diſſoluta.

§. IX.

An fæmina intendens nubere poſſit ſoluere ieiunium, ne deformis fiat.

SVMMARIVM.

Factum exponitur in ſuis terminis. 1.

Sen-

Digitized by Google

Sententia affirmatiua, quam Sanchez tribuit Lopez. 2.
Sententia negans cum ſuis rationibus. 3.
Extante illo periculo deformitatis poteſt probabilius ieiunium ſoluere. 4.
Soluuntur rationes oppoſitæ ſententiæ. 5.

1 Status diſquiſitionis expoſitus.

DIſquiſitio IX. Caia fæmina nobilis, & nobilis intendens matrimonium contrahere, nec vitam cælibem ducere, timens, ne ex conſuetis, & præſcriptis ab Eccleſia ieiunijs deformitatem, & ſqualſorem contraheret quibus difficultas multo nuberet, ſeu inueniret virum, qui eam duceret, ſtatuit in corde ſuo eadem ieiunia præſcripta ſoluere. Quæſitum hic fuit, an ſic ſoluens ieiunia eximatur à noxa violationis eiuſdem, ſeu eorundem ieiuniorum præſcriptorum.

2 Sentẽtia, quam Sanchez tribuit Lopez, quod fæmina poſſit ieiuniũ ſoluere.

Sanchez *lib. 9. de debit. coniug. diſp. 4. nu. 12.* refert, & ſequitur *Ludouicum Lopez 2. part. inſtruct. de ieiun. c. 11. ad finem* aſſerentem fæminam ſic ſoluentem ieiunia excuſari à quacunque culpa, cum talis deformitas pro notabili damno cenſeatur. Sed apud Ludouicum Lopez in meo exemplari doctrinam hanc non inuenio, cum ſecunda pars non extendatur vltra cap. 107.

3 Sententia negatiua cum ſuis rationibus.

Videtur abſolutè aſſerendum, non poſſe abſque graui noxa huiuſmodi ieiunia ſoluere, quandoquidem in primis vix percipi poteſt, quomodo ex moderatis, & præſcriptis ieiunijs talis, ac tanta contrahi poſſit deformitas, & pallor, vt difficiles contractus reddat nuptiarum, cum teſte *D. Athanaſio lib. de virgin. poſt initium* habeatur. *Si accedant aliqui, & dicant tibi, Ne frequentèr ieiunes, ne imbecilior fias, ne credas illis, neque auſcultes,* & poſtea ſubdit de filijs Iſrael captiuis apud Nabuchodonoſor Regem Babilonis poſt abſtinentiam à cibis regijs, *Et viſa ſunt facies eorum ſpecioſiores præter cæteros pueros, qui regia menſa cibis nutrebantur,* & tandem concludit *Vides quid faciat ieiunium? Morbos ſanat deſtillationes corporis exſiccat &c.* Hoc idem confirmat *D. Baſilius Magnus hom. 1. de ieiun. ante med.* per illa verba *Quid fortiſſimum Samſonem inexpugnabilẽ reddidit? Nonne ieiunium, cum quo in matris ventre conceptus eſt?* & poſtea ſubdit. *Ieiunium prophetas genuit, potentes confirmat, atque roborat. Ieiunium animæ optima cuſtodia, corporis ſocius ſecurus, fortibus viris nutrimentum, & arma, atletis, & certantibus exercitatio.* Deindè fæmina ante nuptias contractas non ſubdita eſt poteſtati mariti, cuius aliquod ius poſſit demere, ergo vrgente præcepto Eccleſiaſtico, ſi aliunde eidem ſit obnoxia, tenebitur ſub graui eidem ſatisfacere; non enim militat eadem ratio de fæmina nupta, & innupta; nam quoad fæminam nuptam concurrit cum præcepto Eccleſiaſtico ieiunij ius, quod habet maritus in corpus vxoris in ordine ad debitum ſibi reddendum, qui propterea poteſt velle, ne corpus ipſum vxoris fiat deforme, & minus idoneum ad ſe excitandum ad actus coniugales, quod ius mariti cum ſit ex debito iuſtitiæ debet præualere iuri poſitiuo Eccleſiaſtico; quoad fæminam verò innuptam nullum ius mariti concurrit, adeoque non eſt, cur non debeat præceptum Eccleſiaſticum ieiunij obligare. His tamen non obſtantibus

Præceptũ ieiunij videtur præpõderare.

4 Extante illo periculo deformitatis probabilius poteſt ſoluere ieiuniũ.

Reſpondeo, ſi verè ſubſit moralitèr certum periculum deformitatis, & ſqualloris in fæmina ex ieiunio ſecuturi, ratione cuius difficilius poſſit nubere, probabilius eſt, poſſe ſoluere tale ieiunium. Ita *Sanchez, & Lopez ſupra allegati*. Ratio ex eo deducitur, quia præcepta iuris poſitiui non obligant ad executionem cum notabili damno exequentis, ſeu exequi debentis, ſed priuari iure nuptiarum, ſeu quoquo modo impediri ab eiſdem eſt notabile damnum, vt per ſe patet, ergo &c. Confirmatur, quia in ordine ad tuenda bona temporalia licitum eſt ieiunium Eccleſiaſticum ſoluere, vt videre eſt in ruſticis, alijſque, qui ob laborem inſumendum ad huiuſmodi bona acquirenda eximuntur ab onere ieiunij, ergo etiam in ordine ad tuenda bona corporis præcipuè in ordine ad vſus, ad quos quis ius habet, inter quos numeratur ius ad contrahendum matrimonium.

5 Soluũtur rationes oppoſitæ ſententię.

Ad obiecta aduerſantium primo loco propoſita reſpondendum eſt, ea procedere attento præciſè ordine gratiæ, per quam Deus ſeruantes mandata ſua quandoque corroborat etiam in ordine ad vires corporales, & robur potius auget, quam diminuat ad oſtendendam potentiam ſuæ ineffabilis prouidentiæ, ſecundum quam robuſtiores reddidit filios Iſrael veſcentibus leguminibus, & aqua, quam alios vtentes cibis regijs; quod idẽ dic ad auctoritatem D. Baſilij. Cæterum in ordine naturæ ieiunijs potius ſqualleſt eadem natura, quam robuſtior euadat; vnde, ſi experientia compertum fuerit, quod fæmina attentà complexione naturali deformis euadat, & ſquallida, non video, cur excuſari non poſſit ab onere ieiunij.

Eximitur in ordine ad propria iura conſeruãda.

Ad illud, quod ſubditur, dicendum eſt, fæminam non eximi dumtaxat ab onere ieiunij in ordine ad ius mariti, ſed etiam in ordine ad iura propria conſeruanda, inter quæ potiſſimum numeratur ius, quod fæmina habet ad contrahendum ma-

Digitized by Google

matrimonium, quò per præceptum Eccleſiaſticum ſeruandi ieiunium non poteſt priuari, nec in aliquo fruſtrari.

---

§. X.

An vxor ob viri præceptum præcisè ſoluere poſſit ieiunium Eccleſiaſticum.

SVMMARIVM.

Series facti in ſuis terminis. 1.
Diuerſi ſtatus, ſecundum quos poteſt examinari titulus. 2.
Præcipiente marito ſolutionem ieiunij in ſpretum Eccleſiæ, ſi vxor hoc ſciat, non poteſt illa ſoluere. 3.
Si non præcipiat in contemptum Eccleſiæ, nec adſit periculum diſcordiarum, non poteſt vxor ſoluere. 4.
Si timeantur graues rixæ inter coniuges, vxor poteſt ieiunium ſoluere. 5.
Præcepta poſitiua non obligant, quando adimpleri nequeunt niſi cum ſcandalo. 6.
Vbi timentur rationabilitèr rixæ, non eſt neceſſario expectanda proprij Sacerdotis diſpenſatio. 7.

1
Exponitur factū circa titulum propoſitum.

DIſquiſitio X. Viribus adeo robuſtis pollebat Caia vxor Antonij, nec periculum aliquod ſuberat, quod ex ieiunijs ab Eccleſia præſcriptis deformis, & pallida euaderet. His tamen non obſtantibus Antonius ipſius maritus eidem expreſsè præcepit, ne ieiunia præſcripta, quandoq; ſeruaret. Quæſitum fuit, an ratione talis præcepti eximeretur ab onere eadem ſeruandi, adeout, ſi ſolueret, nullam noxam contraheret.

2
Diuerſi ſtatus, ſecundum quos poteſt examinari titulus.

Pro ſolutione hic animaduertendum eſt, an maritus ſciente vxore præciperet ieiunij ſolutionem in ſpretum, & contemptum Eccleſiæ præcipientis, an verò ſolummodò ex quodam propriæ voluntatis arbitrio, & inconſulta ad luxuriam procliuitate. Rurſus, an ex negatione reſpectu vxoris, ad quam mariti præceptum dirigitur ſolutionis ieiunij, oriri facilè poſſint inter eandem vxorem, & maritum iurgia, & notabiles diſcordiæ, an verò nullum ex ijs, vel ſolum modicum poſſit timeri; ſecundum etenim has animaduerſiones oriri poſſunt diuerſa iura, & diuerſæ rationes decidendi.

Reſpondeo primo. Si maritus præcipiat ſolutionem ieiunij in contemptum Eccleſiæ præcipientis ſciente vxore certum eſt, eandem vxorem non poſſe abſq; noxa ieiunia ab eadem Eccleſia præcepta ſoluere. *Phyliarchus de offic. Sacerd. tom. 1. part. 2. lib. 3. c. 25. §. quod ieiunia, Sanchez de matrimon. lib. 9. de debit. coniug. diſp. 3. nu. 13.* Ratio ex eo deducitur, quia ſpretus ille, ſeu contemptus Eccleſiæ præcipientis ordinatus à marito in illo præcepto, & ab vxore cognitus hæreticam redolet prauitatem, & temerariam iniuriam eidem Eccleſiæ irrogatam, ergo vxor non poteſt ex illo præcepto ſic concepto ſoluere Eccleſiaſticum præceptum; ſiquidem, ne dum faceret contra virtutem abſtinentiæ præceptum, ſed etiam contra virtutem Religionis cum prauo ſenſu erga Eccleſiam.

3
Si præcipiat in ſpretum Eccleſiæ, vxor conſcia non poteſt ſoluere.

Dices prauitatem erga Religionem ſe teneri ex parte mariti præcipientis in ſpretum Eccleſiæ, non autem ex parte vxoris obtemperantis præcisè mariti mandatis. Sed contra, quia ex quo vxor nouit præcipi in ſpretum Eccleſiæ, & præceptum illud exequitur, cooperatur, quantum eſt ex ſe, violationi reuerentiæ debitæ eidem Eccleſiæ, & conſtituitur particeps delicti eiuſdem mariti, quod, cum ſit ab intrinſeco malum, eſt potius, quam mors fugiendum, cum nulla ratione poſſit cohoneſtari.

Vxor cooperaretur prauitati mariti.

Reſpondeo ſecundo. Si ex propriæ voluntatis arbitrio, & ſine Eccleſiæ contemptu maritus ieiunij violationem præcipiat, nec ſubſit periculum notabilium diſcordiarum inter vxorem, & eundem maritum, non poteſt vxor licitè ieiunium ſoluere. *Innocentius rub. de obſeruat. ieiun. num. 2., Silueſter verb. ieiunium q. 9., Abulenſ. c. 6. Matthæi q. 149., Sanchez d. lib. 9. de debito coniug. diſp. 3. num. 13.* Ratio ex eo deducitur, quia ceſſante motiuo deformitatis, & ſqualloris in fæmina, & ijs omnibus, quæ quoquo modo impedire poſſunt vſum coniugij, maritus nullum ius habet aduerſus præcepta Eccleſiæ, ergo illorum executionem nullo modo poteſt impedire. Antecedens patet, quia vniuerſum ius, quod habere poteſt maritus circa obligationes propriæ vxoris, vel eſt ratione iuris in ordine ad corpus vxoris quoad vſum, ne ſcilicet hic quoquo modo impediatur, vel reddatur minus amabilis, vel ratione ſuperioritatis, quam habet in actus eiuſdem vxoris; ſed ceſſante deformitate, ijſq; omnibus, quæ quoquo modo poſſunt impedire vſum coniugij, ex ieiunijs vxoris præceptis ab Eccleſia nullo modo impeditur vſus coniugij, nec redditur minus amabilis, & ex alio capite, quantumuis maritus habeat ſuperioritatē reſpectu vxoris quoad ea, quæ pendent à libera ipſius voluntate, non habet tamen in ordine ad ea, quæ ſunt independentia ab ipſius voluntate,

4
Si non præcipiat ex contemptu, nec adſit periculū rixarum, nō poteſt vxor ieiunia ſoluere.

ſed

ſed ſunt præſcripta à poteſtate ſuperioris Eccleſiæ, ergo &c.

5 Si timeātur inter coniuges graues rixæ, poteſt vxor ieiunium ſoluere.

Reſpondeo tertio. Si ex negatione ſolutionis ieiunij Eccleſiaſtici, ſeu præſcripti ab Eccleſia præceptæ à marito oritura rationabilitèr timeantur diſſidia, & notabiles diſcordiæ inter eundem maritum, & vxorem, poteſt eadem vxor licitè eadem ieiunia ſoluere, ſeu non adimplere. *Abbas rub. de obſeru. ieiun. num. 8., Tabiena verb. ieiunium q. 20. §. 21., Abulenſis c. 6. Matthæi q. 149., Capua part. prima deciſ. lib. 2. c. 23., Nauarrus in ſumma c. 21. n. 19., Angles Flor. prima part. de ieiunio q. 6. de illis, qui tenentur ieiunare diff. 12., Ludouicus Lopez 2. part. inſtruct. de ieiun. c. 111. in fin.*

Præcepta charitatis ſunt præferenda præcepto ieiunij.

Ratio ex eo deducitur primo, quia præcepta charitatis præferenda ſunt præceptis ieiunij, prout habetur *ex c. non mediocritèr de conſec. diſt. 5.*, quod deſumptū eſt ex D. Hieronymo; vnde etiam communitèr dicitur, quod ad conſulendum ſaluti animarum, aliiſque miſericordiæ operibus, quando vtrumque adimpleri non poteſt, eximatur quis ab onere ieiunij; ſed fouere mutuum amorem inter coniuges, & vitare diſſidia, & notabiles diſcordias eſt actus ſpecialis charitatis, & etiam præceptum eiuſdem, ergo &c. ſecundo, quia præcepta poſitiua non obligant cum ſcandalo, & grauiſſimo incommodo per textum *in c. nihil cum ſcandalo de præſcript.*, & ita docent *Metina c. de ieiunio q. de his, qui ad ieiun. tenentur in prima cauſa excuſante verſ. ad eundem caſum, Ledeſma 2. p. 4. q. 17. art. 3. fol. 203. col. 2. §. præterea in hoc art., Phyliarchus de offic. ſacerd. tom. 1. part. 2. lib. 3. c. 25. §. quod ieiunia, Palacios in 4. diſtinct. 15. diſp. 8. poſt quartam concl. fol. 120. verſ. denique, ſi diſcordia*, ergo, ſi ex adimplemento ieiunij præcepti ab Eccleſia oriri rationabilitèr timeantur ſcandala, & notabiles diſcordiæ inter maritum, & vxorem, poterit hæc licitè ad eadem euitanda ieiunium non adimplere.

6 Præcepta poſitiua non obligant cum ſcandalo.

Dices, ſcandalum, ſi quod ſumi poteſt à marito ratione obſeruantiæ ieiunij ab vxore præſtitæ, quando alia ratio ſolutionis non ſubeſt, prouenire ex peruerſitate eiuſdem mariti, quod propterea non videtur vxori imputandum; non enim, quia maritus praua præcipiat, ſequi debet vxor prauitatem ipſius, vt ſcandalum euitet. Sed contra, quia, quantumuis ſcandala oriantur ex prauitate mariti inofficioſè præcipientis, poteſt tamen vxor ad ſocialia fædera matrimonij fouenda, ad quod omni iure tenetur, ieiunium ſoluere, cum adimplementum ipſius cederet in graue ſui incommodum, & in damnum ſocietatis coniugalis; vnde, cum præceptum ieiunij ſit tantum poſitiuum, & Eccleſiaſticum, nec obliget cū graui incommodo, & damno, debet abſolutè cedere iuri naturali fouendæ ſocietatis inter coniuges, & eiuſdem non extinguendæ; nec quia diſſolutio huiuſmodi ſocietatis proueniret ex prauitate mariti ſine vlla cauſa decideret vxor à iure, & onere eam conſeruandi, cum innatum ſit fæderi connubiali onus ſeruandi ipſam, nec iura poſitiua poſſint tali iuri naturali officere.

Ad ſocialia fædera fouenda poſſunt iura poſitiua poſtponi.

Dices ſecundo. Si ea, quæ dicuntur in ſolutione mox poſitæ inſtantiæ, vera eſſent, poſſet etiam eadem vxor ſic exigēte marito ſoluere ieiunium ab Eccleſia præſcriptum, quando maritus præciperet talem ſolutionem in ſpretum, & contemptum Eccleſiæ, quandoquidem ipſa poſſet intendère præcisè conſeruationem mutui amoris coniugalis, & malitiam illius contemptus refundere in maritum. Sed contra, quia, vbi innoteſcit ſpretus Eccleſiæ, iam violatio ieiunij non eſſet ſolum contra præceptum poſitiuum Eccleſiæ, ſed etiam contra ius diuinum, & naturale, & vtique negatiuum ſtatuens Eccleſiam non eſſe dehonorandam, vnde quoad hoc debet potius vxor mori, quam cum ſpretu Eccleſiæ pręceptum violare.

Inſtantia propoſita, & diſſoluta.

Pro complemento hic oritur difficultas, an vxor, vbi rationabilitèr ex adimplemento præcepti ieiunij timentur diſſidia, & notabiles diſcordiæ poſſit ex ſe ſoluere ieiunium, an verò debeat expectare proprij Sacerdotis diſpenſationem. Sentio, quidquid videantur ex aduerſo aſſerere. *Innocentius rub. de obſeruat. ieiunij num. 2., Capua prima part. deciſ. lib. 2. c. 37. num. 53., Abulenſis c. 6. Matthæi q. 149.*, vbi ſubſit verè periculum diſſidiorum inter coniuges non eſſe ex neceſſitate expectandam proprij Sacerdotis diſpenſationem *D. Hieronimus relatus in c. non mediocritèr de conſecr. diſt. 5., Sanchez lib. 9. de deb. coniug. diſp. 3 num. 13., Viguerius lib. inſtit. c. 7. §. 3. verſ. 2. in fin.* Ratio eſt, quia præceptum ieiunij in concurſu præcepti ſeruandi mutui amoris inter coniuges non obligat, adeoq; non indiget relaxatione per diſpenſationem. 7

7 Vbi timētur rixæ, nō eſt expectanda proprij Sacerdotis diſpēſatio.

---

§. XI.

An contrahens ſcientèr matrimonium cum obſtricto voto caſtitatis ſimplicis poſſit ab illo debitum petere.

SVMMARIVM.

Exponitur titulus diſquiſitionis. 1.

Ra-

Rationes ſuadentes non poſſe petere. 2.
Poteſt iuſtè petere, & alter tenetur reddere. 3.
Satisfit rationibus oppoſitæ opinionis. 4.

1 Facti ſeries expoſita.

DIſquiſitio XI. Vouerat Caia, antequam nuptias contrahere intenderet, ſimpliciter, & abſolutè caſtitatem. Titius non ignarus talis voti ſtatuit non obſtante tali voto ipſam ducere, initiſque pactis coniugalibus ipſam de facto duxit. Quæſitum hic fuit, an idem Titius poſſet licitè debitum exigere, & an Caia teneretur reddere.

2 Rationes ſuadentes non poſſe petere.

Videtur abſolutè dicendum, nec Titium poſſe licitè petere, nec Caiam reddere, quandoquidem Titius illicitè contraxit certò ſciens non potuiſſe licitè cõtrahere, & per conſequens ſibi illicita eſſe, quæcunque ex tali illicito contractu poſſent conſequi. Ex alia parte Caia nouit Titium, ex quo contraxit cum illa ſcientia, illicitè contraxiſſe, & illicitè petere; illicitè autem petenti non tenetur reddere. Nihilominus

3 Poteſt iuſtè petere, & alter tenetur reddere.

Reſpondeo, & Titium poſſe à Caia debitum petere, & Caiam eidem Titio petenti teneri reddere. *Silueſter verb. matrimonium 7. q. 5. dict. 6., Sanchez de matrimon. lib. 9. de debito coniugali diſp. 33. num. 2.* Ratio ex eo deducitur, quia per illud matrimonium, quantumuis iniquè contractum maritus perfectum ius, & dominium acquiſiuit in corpus vxoris, nec illa ſcientia voti ab vxore antecedentèr emiſſi poteſt tali iuri officere, cũ nec ipſe vouerit, nec alterius voto aſſenſum præſtiterit.

Dices primo, ſcientiam illam voti alterius conſtituere ipſum maritum contrahentem reum ſacrilegij, & quamuis matrimonium ipſum non dirimat, ſicuti non dirimit votum ipſum, impedire tamen ipſius executionem quoad vſum, quandoquidem æquum non eſt, vt qui ſcientèr cum iniquitate, & ſacrilegio contraxit, conſequatur plenè iura contractus etiam quoad vſum, ea proportionali ratione, qua qui contraxit cum voto, æquum non eſt, vt potiatur iuribus contractus ipſius etiam quoad vſum.

Contraxit iniquè, cõſecutus eſt tamen iura matrimonij.

Sed cõtra, quia, quamuis contrahendo factus fuerit reus ſacrilegij, non tollitur tamen, quin plenè conſecutus fuerit iura matrimonij, cum ſcientia de voto ab altero emiſſo reſpectu ſcientis non inducat tantam obligationem, quantam inducit votum ipſum reſpectu vouentis; nec vllum ius inducit impedimentum ad petendum debitum ratione ſcientiæ habitæ de alterius voto, ſicuti inducit ratione voti quoad vouentem; nec aliquid officit, quod ſciens contraxerit cum iniquitate, nam iniquitas ipſa inficit quidem contractum, non tollit tamen ius, quod conſequitur ex eodem contractu, ſicuti contrahens ex aliquo prauo fine matrimonium conſtituitur quidem reus prauitatis illius finis, non tamen priuatur iure contractus, niſi finis ille aduerſetur naturæ eiuſdem.

Dices ſecundo, ſi vterque antecedentèr ad matrimonium vouerit caſtitatem, neuter poſt matrimonium poteſt ab altero exigere debitum, niſi impetretur diſpenſatio per ea, quæ ſupra commendauimus; ergo etiam ſi alter tantum vouerit, & alter conſcius voti ipſius cum ipſo contraxerit, neuter poterit licitè petere debitum; Conſequentia probatur tum quia cooperatur iniquitati alterius, adeoq; eadem pæna puniendus eſt; tum quia contrahendo cum illa ſcientia videtur ſe conformare obligationi vxoris, & cedere iuri ſuo.

Sic contrahendo non intelligitur cedere iuri ſuo.

Sed contra, neganda eſt abſolutè conſequentia, quia, ex quo contrahit ſcientèr cum obſtricto voto caſtitatis, nec vouet, nec conſenſum præſtat voto alterius, & licet quoquo modo cooperetur iniquitati alterius (quod an verum ſit alibi fuit definitum) non propterea priuatur iure petendi debitum, cum nullibi de hoc ſit diſpoſitum; eſt etenim deciſum, quod obſtrictus voto caſtitatis contrahens matrimonium non poſſit petere, non autem quod contrahens cum ſcientia voti alterius priuetur tali iure. Ad id, quod ſubditur, dicendum eſt, maritum contrahentem non intendere ſe conformare voto alterius, nec cedere iuri ſuo, ſed ideo contrahere, vt poſſet iure ſuo vti petendo, quo nullo iure priuatur.

4 Satisfit rationibus oppoſitæ opinionis.

Hinc patet quid reſpondendum ſit ad rationes pro contraria parte; dic etenim, non ex quacunque iniquitate in contrahendo oriri priuationem iuris petendi, ſed dumtaxat ex iniquitate præſcripta à iure ſub onere, ſeu pæna talis priuationis, ſub quo onere non prohibetur contrahere cum ſcientia voti alterius.

§. XII.

An fornicans cum coniugata obſtricta voto caſtitatis emiſſo ante matrimonium non ſolum committat adulterium, ſed etiam ſacrilegium.

SVMMARIVM.

Caſus explanatus in ſuis terminis. 1.
Sententia aſſerens per matrimonium extingui votum. 2.

For-

Fornicans cum coniugata obſtricta voto caſtitatis committit adulterium, & ſacrilegium. 3.
Votum non extinguitur per matrimonium. 4.
Soluitur ratio oppoſita opinionis. 5.

1 Exponitur dilucidè factum. DIſquiſitio XII. Meuia antecedentèr ad matrimonium emiſit votum ſimplex caſtitatis, deinde eo non obſtante contraxit matrimonium cum Sempronio. Conſtante iam matrimonio ſic inito eadem Meuia fornicata eſt cum Calidonio. Quæſitum hic fuit, an tàm ipſa Meuia, quàm Calidonius non ſolum contraxerint crimen adulterij, ſed etiam ſacrilegæ violationis voti.

2 Sententia aſſerens per matrimonium extingui votum. D. Bonauentura *in 4. diſt. 38. art. 2. q. 2. in fin., Gloſa c. fin. 27. q. 1. paulo poſt princip., Caieta repet. c. ad limina 30. q. 1. §. 4. nu. 348., & alij* videntur ſuſtinere, con committere crimen ſacrilegij, eo quod arbitrentur per matrimonium votum penitus extingui. Mouentur potiſſimum ea ratione, quia duobus contrarijs concurrentibus minus fortè cedit fortiori per textũ *in c. 1. de pænit. diſt. 1.*, minor autem, & minus fortis eſt obligatio voti, quam ſit obligatio matrimonij; ſiquidem per matrimonium fit actualis corporum traditio, per votum autem nonniſi mera promiſſio. Nihilominus.

3 Eſt adulter, & ſacrilegus ſimul. Reſpondeo, Calidonium fornicantem cum coniugata obſtricta voto ſimplicis caſtitatis non ſolum committere crimen adulterij, ſed etiam ſacrilegij *D. Thomas in 4. diſt. 38. q. 1. art. 3. q. 2. ad quartum, & ibi D. Bonauentura art. 2. q. 1. in fin., Paludanus in 4. diſt. 32. q. 2. art. 1. num. 14., Aſtenſis in ſumma 2. part. lib. 8. tit. 16. art. vnico q. 6., Turrecremata c. ſicut 37. q. 1. art. 1. in fin., Nauarrus in ſumma c. 22. num. 73., Henriquez lib. 12. de matrim. c. 2. num. 9., Phyliarchus de offic. ſacerd. tom. 1. part. 2. lib. 2. c. 4. ad fin., Veracrux prima part. ſpeculi art. 15. dub. 2., Sanchez lib. 9. de debit. coniug. diſp. 33. num. 11.* Ratio à contrario ſenſu deducitur ab ijs, quæ dicta ſunt pro præcedenti opinione, nam per matrimonij contractum voti vinculum non diſſoluitur, quandoquidem matrimonium non abſoluit à præcedenti voti obligatione, niſi quatenus idem matrimonium cogit contrauenire voto per textum *in c. quanto de iure iur.*, & ſic quatenus alter coniux

4 Votum nõ extinguitur per matrimonium. per petitionem compellit vouentem ad ſibi reddendum debitum, ergo in alijs omnibus idem votum remanet in ſuo robore, ergo peccans cum obſtricto tali voto peccat contra virtutẽ Religionis, adeoq; ſacrilegè. Confirmatur *ex c. quidam de conuerſ. coniug.* vbi, cum quis ſine cõſenſu vxoris profeſſus fuerit in Religione, dicitur, quod profeſſio non teneat, dicitur tamen votum tenuiſſe, non quantum ad poſſe negare debitum alteri petenti, ſed quantum ad obligandum ſic profeſſum ad non petendum, quia hoc eſt in ipſius poteſtate; ex quibus eruitur votum ipſum caſtitatis, quamuis ſecundum ſe obliget ad abſtinendum ab omni actu venereo, prout tamen premitur fortiori vinculo matrimonij ſuperuenientis ad idem votum obliget tantum, quantum eſt in poteſtate vouentis, non quantum eſt in præiudicium alterius exigentis, ergo peccans cum obſtricto tali voto, quantumuis coniugato peccat contra votum, adeoque &c.

Hac eadem ratione euincitur, quod non ſolum ipſe Calidonius fornicarius peccet adulterè, & ſacrilegè, ſed etiam eadem Meuia coniugata, & obſtricta tali voto, quinimmo à fortiori, cum ipſa ſit, quæ immediatè peccat contra votum à ſe ipſa antecedentèr emiſſum.

Ad rationem, quæ pro contraria opinione afferebantur, aſſerendum eſt, per fortius vinculum matrimonij ſuperuenientis non extingui vinculum voti, ſed tantum ſuſpendi in ea parte, in qua aduerſatur iuri alterius coniugis, non in alijs, quæ ſunt in poteſtate eiuſdem vouentis per ea, quæ alibi fusè commendauimus. 5 Soluitur ratio oppoſitæ opinionis.

---

§. XIII.

An proles habita à coniugatis mutuo caſtitatis voto obſtrictis vel ab altero profeſſo, vel promoto ad ſacros ordines ſit legitima, an ſpuria.

SVMMARIVM.

Exponitur caſus ſecundum varias conſiderationes. 1.
Sententia aſſerens, talem prolem eſſe illegitimam, eiuſque rationes. 2.
Proles ſuſcepta à coniugibus mutuo caſtitatis voto obſtrictus eſt legitima. 3.
Matrimonium eſt fundamentum legitimationis. 4.
Soluuntur rationes oppoſitæ. 5.
Idem ſentiendum eſt, quando vnus votum emiſit independentèr ab altero. 6.
Si maritus poſt conſummatum matrimonium inuita vxore profeſſus eſt in Religione, & poſtea cognouit vxorem, & genuit, proles illa legitima eſt. 7.
Si maritus hæc præſtiterit conſentiente vxore ad profeſſionem proles eſt illegitima. 8.

Ge-

Genitus in ſacerdotio ex vxore legitima eſt irregularis. 9.

Obiectio Sanchez contra ipſū retorquetur. 10.

Ex eo, quod proles ſit irregularis, arguitur, quod ſit illegitima. 11.

Vtroque coniuge ſolemnitèr profitente proles poſt profeſſionem ſuſcepta habetur pro illegitima. 12.

Si ante conſummatum matrimonium vel alter, vel vterque ſolemnitèr profeſſus eſt in Religione, proles poſteà ſuſcepta eſt abſolutè illegitima. 13.

Si ante conſummatum matrimonium alter altero inconſulto fuerit ad ſacros ordines promotus, & poſtea prolem genuerit, proles eſt legitima. 14.

Intellige etiam poſt conſummatum matrimonium. 15.

Si poſt conſummatum matrimonium altero conſentiente alter promotus fuerit ad ſacros ordines, proles poſtea ſuſcepta ex ſpeciali iure poſitiuo habebitur pro illegitima. 16.

1 **Caſus, & variæ cōſiderationes circa ipſum.**

DIſquiſitio XIII. Poſt mutuum votum caſtitatis Titius, & Caia coniuges nullo habito reſpectu ad votum carnalitèr commixti ſunt, & ex ea commixtione prolem genuerunt. Rurſus poſt conſūmatum matrimonium Titius tranſijt in Religionem, & in ea profeſſus eſt, & poſtea iterum carnalitèr cognouit Caiam, & ex ea prolem genuit. Tandem idem Titius poſt matrimonium tranſijt ad ſacros ordines, & poſt ſuſceptionem eorumdem prolem etiam generauit ex eadem Caia. Quæſitum hic fuit, an proles quocunque ex allegatis modis ſuſcepta habenda ſit pro legitima, & naturali, an verò pro ſpuria, ſeu illegitima.

2 **Sententia aſſerens talē prolem eſſe illegitimā eiuſque rationes.**

Ioannes Andræas *c. dudum num. 7. de conuerſ. coniug., & ibi Antonius num. 20., Ancharanus c. vnico num. 3. de voto, Abbas c. chariſſimus num. 7. de conuerſ. coniug., ſupplementum Gabriellis in 4. diſt. 32. q. vnica art. 2. poſt ſeptimam concluſ. verſ. quid ſi vterque, Brunellus de ſponſalib. concl. 30. num. 14.* ſuſtinent, talem prolem eſſe illegitimam, qui, quamuis loqui videantur ſolum, quando ſuſcepta eſt poſt mutuum vtriuſque votum, videntur tamen à fortiori ſuſtinere, quando alter tranſijt de licentia alterius ad profeſſionem Religioſam, vel ad ſacros ordines. Ratio ipſorum multiplex eſſe poteſt. Prima eſt, quia, quantumuis matrimonium illud poſt emiſſum ab vtroq; votum caſtitatis teneat quoad vinculum coniugale, quoad vſum tamen actus coniugalis non tenet, cum neuter poſſit petere, & per conſequens neuter reddere. Secunda, quia iniquitas parentum, quandoque reddit prolem illegitimam, prout habetur *in c. fin. §. ſi quis vero de cland. deſp.* vbi, cum coniuges ignari impedimenti dirimentis clam contraxerint, dicitur, quod ratione iniquæ, & clandeſtinæ deſponſationis proles habetur pro illegitimā, cum cæteroqui ratione ignorantiæ impedimenti, & bonæ fidei eſſet habenda pro legitima per textum *in c. ex tenore, qui fil. ſint legit.*

Articuli examinādi circa factum.

Vt ordinatè procedamus, & ſingula ſingulis referamus, ſingula ſunt ſecernenda, & diſcriminatim examinanda, & primo, quando proles ſuſcepta eſt à coniugatis obſtrictis mutuo conſenſu voto ſimplici caſtitatis, vbi etiam agatur, quando vtriuſq; votum ſine mutuo conſenſu eſt elicitum. Secundo, quando alter poſt conſummatum matrimonium tranſiuit ad Religionem, in qua profeſſus eſt, vbi erit conſiderandum, an tranſierit de licentia alterius, an ſaltem cum ſcientia ipſius, an vero altero neſciente, vel ſi ſciēte, non contradicente. Tertio, quando alter ante conſummatum matrimonium ingreſſus eſt Religionem, & in ea profeſſus. Quarto, quando alter, vel ante, vel poſt conſummatum matrimonium ſuſcepit ſacros ordines.

3 **Proles ſuſcepta à coniugibus mutuo voto caſtitatis obſtrictis, eſt legitima.**

Reſpondeo primo, Proles ſuſcepta à coniugatis voto caſtitatis mutuo conſenſu obſtrictis eſt, & habenda eſt pro legitima *Cardinalis c. dudum in oppoſ. poſt q. 3. in fin. de conuerſ. coniug., Maior in 4. diſt. 32. q. 2. arg. 2. contra ſecundam concl. in fin., Aſtenſis in ſumma 2. part. lib. 6. tit. 22. art. 3. q. 5., Rainerius in ſumma tit. de fil. presb. §. ſed pones, Sanchez d. lib. 9. de debit. coniug. diſp. 38. num. 3.* Ratio ex eo deducitur, quia denegari non poteſt, quin inter iſtos ſit verum coniugium, & proles illa non ſit ſuſcepta à coniugibus vero titulo matrimonij copulatis, non enim votum ſoluit matrimonium, licet reddat ipſius vſum illicitum, ergo non eſt, cur illa proles haberi non debeat pro legitima. Confirmatur primo, quia copula inter huiuſmodi coniugatos tali voto obſtrictos, quantumuis ſit illegitima ratione ſacrilegij, non tamen poteſt dici fornicaria, cum ſit inter legitimè coniugatos, ergo nec proles ab eiſdem cenſenda erit illegitima; Neque dicas, quod, quamuis matrimonium ſubſiſtat quoad vinculum coniugale, nō tamen ſubſiſtat quoad vſum, quod eſt id, quod primo loco dicebatur pro aduerſa opinione, & ſic ſemper verificatur, quod illa proles ſuſcepta ſit ex coitu illicito; contra enim impugnaberis, quia vſus eſt prohibitus inter obſtrictos voto ſimplicis caſtitatis, ratione iuris vetantis actum, non irritantis contractum, vnde copula ipſa, quantumuis illicita

Vſus inter huiuſmodi coniuges nō eſt fornicarius.

cita

Digitized by Google

eita non eſt fornicaria, cum ſit inter legitimos coniuges. Confirmatur ſecundo, quia plus operari debet cauſa naturalis, & radix eſſentialis legitimationis, quę eſt verum matrimonium, quam peccatum parentum, & accidentalitèr ſuperueniens per textum *in l. qui habent ff. de tutel.*, ergo exiſtente vero matrimonio, quantumuis intercedat in vſu culpa parentum, proles ex eodem habita habenda erit pro legitima.

4 Matrimonium eſt fundamentum legitimationis.

Ad rationem ſecundam, quæ pro aduerſa parte afferebatur deductam *ex c. fin. §. ſi quis vero de claud. deſponſ.*, dicendum eſt, eam rectè procedere, quandoquidem ibi non conſtabat de veritate, & ſubſiſtentia matrimonij, quod eſt fundamentum legitimationis, nec ignorantia poterat excuſare, quia non fuerat adhibita illa diligentia, quæ à iure præſcribitur.

5 Soluuntur rationes oppoſitæ.

Hæc procedunt, quando à coniugibus mutuo conſenſu emiſſum fuit illud votum caſtitatis, & deinde eo non obſtante prolem genuerunt. Quid vero dicendum ſit, quando vterque quidem coniux votum emiſit, ſed vnus independentèr ab altero. Sed in hac etiam hypoteſi abſolutè ſentiendum eſt, prolem ex coitu inter ipſos progenitam habendam eſſe pro legitima, quia adhuc conſtat matrimonium legitimum inter ipſos, & ſi quando mutuo conſenſu ratione voti ſe obligant ad non vſum, adhuc proles legitima habetur, non video, cur habenda non ſit talis, quando vnuſquiſque ex coniugibus ſeparatim ſe obligauit ad non vtendum, quantum eſt de ſe, non tamen mutuo conſenſu.

6 Idem ſentiendum eſt, quando vnus votum emiſit independètèr ab altero.

Reſpondeo ſecundo. Si poſt conſummatum matrimonium Titius ad Religionem tranſiuit, & in ea profeſſus eſt Caia penitus ignara, vel etiam ſciente, & contradicente, & poſtea copulam habeat cum eadem Caia, ex qua proles, generetur, vtique hæc habenda eſt pro legitima quoad omnes effectus *Maiolus lib. 1. de irregular. c. 4. n. 4., & 5., Sanchez d. lib. 9. de deb. coniug. diſp. 38. n. 5.* Ratio ex eo deducitur, quia inter iſtos adhuc ſubſiſtit verum matrimonium; non enim iſtud diſſoluitur per ſubſequentem Titij profeſſionem emiſſam ſine conſenſu, quin potius cum reluctantia Caiæ, prout habetur *in c. quidam, & c. placet de conuers. coniug.* in quibus textibus dicitur, quod profeſſus ſic ſit alteri reſtituendus, cum profeſſio non teneat, licet remaneat obligatus voto ſimplici caſtitatis, & ratione eiuſdem non poſſit licitè petere. Vndè deducitur prolem non infici nota ſpurietatis, ſeu illegitimitatis, ſiue Titius ſic profeſſus ad petitionem Caiæ reddiderit, ſiuè ipſe ab eadem petierit debitum, nam licet petendo grauitèr, & ſacrilegè peccauerit contra votum, non tamen ex tali noxa poteſt conſurgere aliquod inquinamentum in prole ratione veri matrimonij inter eos ſubſiſtentis per ea, quæ in præcedenti reſponſione commendauimus.

7 Proles habita à marito, qui poſt conſummatum matrimonium profeſſus eſt in Religione vxore diſſentiente, habenda eſt pro legitima.

Reſpondeo tertio. Si poſt conſummatum matrimonium Titius ſe receperit in Religionem, & in eadem profeſſionem emiſerit ſcientè Caia, & conſentiente, ſeu non contradicente probabilius eſt prolem illam reputari pro ſpuria, ſeu illegitima. *ArchiDiac. c. miniſtri diſt. 81. in fin., Hoſtienſis in ſumma tit. de fil. præsbit. §. qui filij n. 5., Albericus in ſuo diction. lit. I. verb. illegitimè nati vers. quod ſi aliquis clericus, D. Antoninus 3. part. tit. 28. c. 4. §. 2. ad finem,* qui quamuis loquantur in terminis mariti promoti ad ſacros ordines ſciento, & conſentiente vxore, à fortiori intelligendi ſunt in terminis mariti profeſſi in Religione. Reſponſio eſt contra *Maiolum lib. 1. de irregul. c. 4. nu. 6., 7., & 9., Sanchez d. lib. 9. de debit. coniug. diſp. 38. nu. 6.* Ratio ex eo deducitur, quia accedente conſenſu alterius coniugis denegari non poteſt, quin talis profeſſio ſit valida, prout colligitur *ex c. ex parte 1. de conuerſ. coniug., & ex c. Agatoſa 27. q. 2.*, nec aduerſatur textus *in c. ad Apoſtolicam eodem tit. de conuerſ. coniug.*, vbi dicitur, quod *non ſit recipiendus alter coniugum ad obſeruantiam regularem, niſi reliquus perpetuam continentiam repromittat, ſed & vitam debet mutare, niſi fortè ſit eius ætatis, vt ſine ſuſpicione incontinentiæ valeat in ſæculo remanere*, quod idem habetur *in c. 1. eod. tit. de conuerſ. coniug.*, ex quibus habes, quod ad validam profeſſionem alterius coniugis non ſolum requiratur conſenſus, & facultas alterius, ſed etiam, quod alter ſi fuerit iuuenis, mutet ſtatum per profeſſionem in Religione, vel ſi fuerit ſenex, voueat in ſęculo perpetuam continentiam; Non, inquam, aduerſatur, quia, vt docuimus *tom. 6. ſub tit. Contractus XV. de matrim. II. prænot. 9. n. 20.* prædicti textus procedunt ſolummodo quoad licitum eſſe, non quoad validum eiuſdem profeſſionis; proles autem ſuſcepta à profeſſo validè in Religione non poteſt niſi haberi pro illegitima, prout videtur colligi *ex c. literas de fil. præsbit.* vbi dicitur, quod genitus in ſacerdotio de vxore legitima natus, & conceptus, ad hoc vt promoueatur ad ordines, indigeat diſpenſatione; ſi ergo indiget diſpenſatione, videtur illegitimus.

8 Si maritus poſt conſummatū matrimoniū profeſſus eſt in Religione vxore cōſentiente, proles poſtea ſuſcepta habenda eſt pro illegitima.

Profeſſio illa eſt valida.

9 Genitus in ſacerdotio ex vxore legitima eſt irregularis.

Dices primo, non obſtante illo conſenſu præſtito ab vxore adhuc vinculum

coniugale remanet inſolubile, cum ex lege diuina, poſtquam conſummatum eſt, nequeat per humanam poteſtatem diſſolui, ſed ſolum remanet impeditum quoad vſum, ergo proles ex eodem ſuſcepta non obſtante profeſſione emiſſa de licentia alterius coniugis erit legitima vtpotè ſuſcepta ex vero matrimonio. Sed contra primo hoc argumentum æquè tangit *Maiolum, & Sanchez*, qui quamuis aſſerant, quod accedente præcisè vxoris conſenſu ad profeſſionem mariti hæc nō ſit valida, & per conſequens proles ex eodem matrimonio ſuſcepta ſit legitima, aſſerunt tamen, quod, ſi conſenſui vxoris accedat Epiſcopi decretum, & profeſſio ſit valida, & proles illegitima; quo poſito aduerſus eoſdem ſic arguo. Matrimonium illud vtpotè cōſummatum eſt quacunque poteſtate humana etiam Eccleſiaſtica indiſſolubile, cum indiſſolubilitas proueniat à iure diuino, ergo proles ex eodem ſuſcepta quantumuis impedito quoad vſum per præceptum Epiſcopi erit legitima, quod eſt expreſsè contra id, quod ipſi aſſerunt; Contra ſecundo, quia ad hoc vt proles ſit illegitima, ſufficit, quod vſus eiuſdem matrimonij ſit abſolutè impeditus per fortius vinculum legitimè contractum, per quod transferatur ſimplicitèr ius in alium, & etiam corporis traditio; prout euenit in præſenti hypotheſi, ſecundum quem per illam profeſſionem de conſenſu alterius emiſſam ius corporis profeſſi tranſlatum eſt in Deum, & in Religionem; neque obſtant ea, quæ in prima reſponſione præſentis diſquiſitionis dicebantur de coniugibus mutuo voto caſtitatis obſtrictis, reſpectu quorum nec copula eſt fornicaria cum ſit inter veros coniuges, nec proles illegitima; Non obſtant, inquam, quia per ſimplex votum caſtitatis non transfertur dominium, nec formalitèr, nec radicalitèr, vndè poſſeſſio adhuc remanet penes eoſdem coniuges; per profeſſionem autem legitimè emiſſam de conſenſu alterius coniugis poteſtas verè transfertur in Deum ſaltem formalitèr licet quoquomodo radicaliter remaneat ratione vinculi penes alterum coniugem; vndè quoquo modo copula poteſt dici fornicaria, cū per illam fiat iniuria Deo, qui acquiſiuit ius in corpus mariti.

10 *Obiectio Sanchez contra ipſum retorquetur.*

Per profeſſionem conſentiente altero coniuge dominium transfertur in Deum.

Dices ſecundo textum *in d. c. literas de fil. presbit.* non aſſerere prolem eſſe illegitimam, ſed dumtaxat eſſe irregularem admodum prolis illegitimæ, & hoc quidem quoad ordines, & beneficia, non autem, quoad ſucceſſionem, & honores, prout præfatum textum explicant *Rainerius in ſumma tit. de filijs presbit. §. ſed pone Antonius d. c. literas n. 7., & ibi Abbas n. 4. in fin., Aſtenſis in ſumma 2. part. lib. 6 tit. 22. art. 3. q. 5., Sanchez d. lib. 9. de debit. coniug. diſp. 38. num. 7.*, Sed contra; ex quo textus ratione illegitimitatis ſtatuat, prolem eſſe irregularem, vtique ſupponit eſſe illegitimam, & ſi talis ſupponitur in ordine ad ordines, & beneficia Eccleſiaſtica dicatur, cur non in ordine ad ſucceſſionem, & honores alios? Deindè, ſi quando etiam vltra conſenſum vxoris accedit decretum Eccleſiæ ad profeſſionem mariti proles illegitima cenſetur quoad omnia, prout ſtatuunt *Maiolus d. lib. 1. de irregul. c. 4, & Sanchez d. lib. 9. de deb. coniug. diſp. 38. nu. 6.*, cur etiam non erit illegitima quoad omnia, quando præcisè accedit conſenſus vxoris? Certè decretum Iudicis, ſeu Eccleſiæ non reddit matrimonium ſolutum.

11 *Ex eo, quod proles ſit irregularis, arguitur, quod ſit illegitima*

Confirmari poteſt noſtra aſſertio, quia, ſi vterque coniux conſummato iam matrimonio votum ſolemne emiſerit, & poſtea ex concubitu prolem genuerit proles illa illegitima habetur *Innocentius c. dudum n. 4. de conuerſ. coniug., & ibi Hoſtienſis n. 4., Barboſa rub. ff. ſolut. matrim. ſecunda part. n. 7., Paleotus de nothis, & ſpurijs c. 10.* à quibus diſſentiri non videtur *Sanchez d. lib. 9. diſp. 38. num. 1., & 2.*, ergo etiam erit illegitima, ſi alter de conſenſu alterius ſolemniter in Religione per profeſſionem vouerit, ſiquidem, ſi in primo caſu non obſtante indiſſolubilitate matrimonij inficitur proles ob incontinentiam parentum, non video, cur infici non debeat ob incontinentiam alterius, qui ſolemnitèr profeſſus eſt cum alterius conſenſu?

12 *Vtroque coniuge ſolemnitèr profitente proles poſt profeſſionem ſuſcepta eſt illegitima*

Reſpondeo quarto; Si ante conſummationem matrimonij alter, vel vterque coniux ſolemnitèr in Religione fuerit profeſſus, & poſt profeſſionem concubuerint, & prolem genuerint, proles indè ſuſcepta eſt omnino ſpuria, & illegitima. Conſentiunt omnes, quos viderim, & præcipuè *Maiolus lib. 1. de irregul. c. 4. n. 5., Sanchez lib. 9. de debit. coniug. diſp. 38. n. 4.* Ratio ex eo deſumitur, quia per profeſſionem ſolemnem in Religione ante matrimonium conſummatum idem matrimonium penitus diſſoluitur, ob priuilegium perfectioris ſtatus per ea, quæ alibi fusè commendauimus, ergo copula inter ſic profeſſum habitam, & priorem coniugem erit fornicaria, & per conſequens proles ex eadem concepta erit illegitima vtpotè ſuſcepta à non coniugibus.

13 *Si ante conſummatū matrimoniū, vel vnus, vel vterq; profeſſus fuerit, proles poſtea ſuſcepta eſt illegitima.*

Reſpondeo quinto; Si ante conſummationem matrimonij alter ex coniugibus promotus fuerit ad ſacros ordines altero inconſulto, & deindè ex eodem coniuge

niuge prolem ſuſceperit eadem proles nō erit illegitima *Maiolus de irregularitate c.4. nu.8., Sanchez d. lib. 9. de debit. coniug. diſp. 38. num. 4., & 7.* Ratio ex eo deducitur, quia per promotionem ad ſacros odines matrimonium prius legitimè celebratum quantumuis non conſummatum non diſſoluitur per textum *in extrauag. antiqua Ioannis XXII. de voto*; priuilegium etenim diſſoluendi matrimonium, antequam conſummatum ſit eſt conceſſum præciſè in ordine ad perfectiorem ſtatum Religionis, non in ordine ad ſacros ordines per ea, quæ alibi fusè docuimus.

14 Si ante conſummationē alter ad ſacros ordines fuerit promotus altero ignorāte, ſi poſtea proles habita ſit, eſt illegitima.

Reſpondeo ſexto; ſi poſt conſummatū matrimonium alter tranſierit ad ſacros ordines altero neſciente, vel ſciente, & contradicente, & poſtea ex vxore prolem genuerit; hæc abſolutè habenda eſt pro legitima. Deducitur in fortioribus terminis ab ijs, quæ dicta ſunt in reſponſione ſecunda, eamque expreſsè ſuſtinet *Sanchez lib. 9. de deb. coniug. diſp. 38. nu. 7.*, non enim per promotionem ad ſacros ordines ius, quod vxor acquiſiuit ex matrimonio rato, & conſummato poteſt eadem inuita amitti.

15 Intelligitur etiam poſt conſummatū matrimonium.

Reſpondeo ſeptimo. Si poſt conſummatum matrimonium alter coniux altero conſentiente tranſierit, ſeu promotus fuerit ad ſacros ordines, & deindè ex ſua vxore prolem genuerit ſtante diſpoſitione iuris probabilius eſt, illam prolem eſſe illegitimam *Henriquez lib. 11. de matrim. c. 20. nu. 1. in fin., D. Antoninus 3. part. tit. 28. c. 4 §. 2. ad finem, Roſella verb. illegitimus n. 10., Alexander de Neuo c. tua el ſecundo n. 9. de iure iur.* Colligitur *ex d. c. literas de fil. præsbit.*, neque obeſſe poſſunt ea, quæ dicta ſunt in reſponſione quinta, quod ſcilicet per ſuſceptionem ſacrorum ordinum non irritetur matrimonium, quantumuis talis ſuſceptio fuerit ante conſummationem, ſicuti irritatur, & diſſoluitur per profeſſionem emiſſam ab altero, vel vtroque coniuge ante eandem conſummationem; Non, inquam, obeſſe poſſunt, quia quantumuis ſuſceptio ſacrorum ordinum ſecundum ſe non diſſoluat prius matrimonium legitimè contractum quando tamen talis ſuſceptio ſit accedente conſenſu alterius coniugis ratione voti ſolemnis implicitè imbibiti in eiſdem ſacris ordinibus ex ſpeciali iuris diſpoſitione taliter vſus coniugalis interdicitur, vt proptèr parentum incontinentiam proles ipſa pro infecta, & illegitima habeatur.

16 Si poſt conſummatū matrimoniū altero cōſentiente alter promotus fuerit ad ſacros ordines proles poſtea ſuſcepta ex ſpeciali iure eſt illegitima.

* * *

§. XIV.

Ad quemnam Iudicem ſpectat compellere coniuges ad ſibi debitum reddendum.

SVMMARIVM.

Factum expoſitum in ſuis terminis. 1.
Si neget debitum ex dubio valoris matrimonij ſolum ad Iudicem Eccleſiaſticum ſpectat compellere. 2.
Si neget ob præſumptum adulterium à marito commiſſum etiam ad Iudicem Eccleſiaſticum ſpectat compellere. 3.
Negante vxore debitum ex propriæ voluntatis arbitrio, poteſt per vtrumque Iudicem compelli ad reddendum. 4.

Diſquiſitio XIV. Contracto matrimonio inter Caium, & Calidoniam, eodemque conſummato renuebat poſtea eadem Calidonia Caio exigenti debitum reddere, cumque ipſe Caius contenderet de ſuo iure tuendo, orta eſt controuerſia apud quem Iudicem deberet agere, an apud Eccleſiaſticum, an vero apud ſæcularem? 1 Exponitur facti ſeries.

Negatio debiti, quam præſtat Calidonia, vel poteſt prouenire ex dubietate fortaſſe ſuborta valoris matrimonij, vel ex aliqua legitima cauſa, ob quam eximatur ab onere reddendi, puta ob adulterium eiuſdem Caij, vel tandem ex proprio voluntatis eiuſdem Calidoniæ arbitrio. Iuxta has omnes cauſas, ex quibus proueniat negatio huiuſmodi præſens titulus eſt examinandus. Pro quo Conſiderationes circa factum.

Reſpondeo primo. Si Calidonia neget Caio debitum ex dubio ſuboriente validitatis matrimonij ad ſolum Iudicem Eccleſiaſticum ſpectet, controuerſiam dirimere, eandemque Calidoniam compellere ad debiti redditionem. In hanc reſponſionem conſentiunt quotquot ſuſtinent, cauſas matrimoniales quoad ſubſtantiam tanquam materiam Eccleſiaſticam ad ſolam Eccleſiam pertinere priuatiuè quoad alios *Gloſa fin. c. ſi ingenuus 29. q. 2., Abbas repet. c. Eccleſia de conſtit. num. 19., Coaruuias 4. decret. 2. part. c. 6. §. 10. n. 16., D. Thomas in 4. diſt. 42. q. 2. art. 2. ad quartum, & ibi D. Bonauentura art. 2. q. 7. ad fin., Paludanus q. 2. art. 2. concl. 7. nu. 25.* Probatur primo ex ijs omnibus textibus, in quibus dicitur, cauſas matrimoniales ad ſolius Eccleſiæ forum pertinere, & primo *ex c. tuam de ordine cognit.* Secundo *ex c. multorum 35. q. 3.* Tertio *ex c. accedentibus*

2 Si neget debitum ex dubio valoris matrimonij ſolum ad Iudicē Eccleſiaſticū ſpectat compellere.

bus de exceſſu prælatorum. Quarto *ex c. Euphemium 2. q. 3.*, vbi dicitur, quod matrimonia hodie reguntur iure poli, non iure fori. Probatur ſecundo ratione, quia cum hodie contractus matrimonij naturę limites excedat, ſitque eleuatus ad eſſe ſacramenti factus eſt materia purè Eccleſiaſtica; non enim congruum videtur, vt poteſtas laicalis ſe ingerat in materia ſacramentorum.

Compulſio ad cohabitandum, & reddendũ in hoc caſu eſt de annexis.

Neque dicas, quod quantumuis dirimere controuerſias ſuper valore, & ſubſiſtentia matrimonij pertineat ad Iudicem Eccleſiaſticum, poſtquam tamen cõtrouerſia dirempta eſt, compellere ad cohabitandum, & mutuo reddendum debitum ſit materia purè ciuilis, adeoque pertinens ad Iudicem, ſeu poteſtatem laicalem; contrà enim impugnaberis, quia, ad quem pertinet cognoſcere ſuper principali, pertinet etiam cognoſcere ſuper annexis, dependentibus, & incidentibus, dependens autem eſt à cognitione validitatis matrimonij compulſio ad cohabitandum, & reddendum debitum, adeoque Deindè cauſa negationis debiti eſt dependens a cauſa valoris matrimonij, ergo ad eum ſpectabit decernere ſuper compulſione ad reddendum, ad quem ſpectat decernere ſuper validitate matrimonij.

3 Etiam ſi neget ob præſumptum adulterium mariti.

Reſpondeo ſecundo. Si Calidonia debitum neget marito ob adulterium ab eodem commiſſum, & controuerſia inde oriatur ad Iudicem Eccleſiaſticum eam ſpectat dirimere. Non immoror in probatione præſentis reſponſionis, quandoquidem de ea latè actum eſt ſub hoc eodem *tit. dum de diuortio*, vndè ad ibi agitata vos remitto.

4 Negante vxore debitum ex proprio voluntatis arbitrio per vtrumque Iudicem poteſt compelli.

Reſpondeo tertio; Si ex propriæ voluntatis arbitrio Calidonia neget marito debitum poteſt vterque Iudex eam compellere ad reddendum *Gloſ. in c. non eſt de ſponſal. verb. vxores, & ibi Abbas num. 6.*, *Ioannes Andræas addit. ad ſpecul. tit. qui filij ſint legitimi §. vnico lit. G. verb. præiuditialem*, *Antonius c. illud de præſumpt. nu. 10.*, *Couarruuias 4. decret. ſecunda part. c. 7. in init. num. 3.*, *Sanchez d. lib. 9. de debit. coniug. diſp. 4. num. 7., & 8.* Ratio ex eo deducitur, quia, vbi conſtat de validitate matrimonij, nec vlla ſuper ea viget contentio, conſideratur præcisè peruerſitas vxoris denegantis debitum, per quam violatur mutua fides ſeruanda, & rixarum, & diſſidiorum pullulant radices; Nedum autem ad Epiſcopum, ſed etiam ad Iudices laicales ſpectat ſeruare mutuam coniugum concordiam, & euellere diſſidiorum cauſas, & radices; vnde merito ſubdit *Gloſa in d. c. non eſt de ſponſal. verb. vxores per officiũ Iudicis, vel Epiſc. loci.*

DISQVISITIONES II.

Ad reliquas omnes de matrimonio VII. Prænotiones.

§. .

An peccatum ſit in actu coniugali deſiderare non concipi prolem.

SVMMARIVM.

Exponitur facti ſeries. 1.

Optare, quod in actu coniugali proles non concipiatur non eſt ſecundum ſe graue peccatum. 2.

Immo nec eſt peccatum ſi veſtiatur aliqua iuſta cauſa, puta, ne proles careat neceſſarijs, cum parentes ſint pauperes. 3.

Si coniuges in votis prolem excludant, & ſolum intendant voluptatem ſenſitiuam, peccant venialitèr. 4.

Optare non concipi prolem non habito reſpectu ad incommoda vitanda ratione paupertatis, neque eſt veniale, ſi referatur ad vitandam concupiſcentiam concubitus. 5.

Intentionalis excluſio prolis, quando non veſtitur fine vitandi incommoda egeſtatis, non caret culpa veniali. Ibid.

Diſquiſitio I. Titius contracto matrimonio per verba *de præſenti* cum Caia congrediens cum eadem ſerio optabat ex illo concubitu ab eadem Caia prolem non concipi, quamuis nullum opponeret impedimentum ad eiuſdem prolis conceptum. Quæſitum hic fuit, an tale deſiderium induceret noxam, & quamnam. 1

1 Factum expoſitũ in ſuis terminis.

Conſiderationes circa factum.

Plura hic veniunt conſideranda; primo, an ſine aliqua cauſa deſiderium illud conceperit in ipſo concubitu. Secundo, an ex aliqua cauſa puta ex defectu diuitiarum, cum prolem non poſſent commodè alere. Tertio, an cum in tali concubitu optauerit prolem non concipi, eundem concubitum præcisè habuerit ad finem ſenſitiuæ voluptatis, an vero ad finem ſedandæ concupiſcentiæ. Quarto, an ſi in illo deſiderio prolis non concipiẽdæ culpa aliqua interuenerit, hæc pro læthali habenda ſit, an vero dumtaxat pro veniali.

Reſpondeo primo; Optare in actu coniugali non concipi prolem, ſi ſecundum ſe ſumatur, non eſt peccaminoſum læthalitèr *Nauarrus in man. c. 16. num. 33.*, *Filliutius tract. 10. c. 9. nu. 319.*, *Coninchus lib.*

Digitized by Google

2 Optare in actu coniugali ſecundum ſe, quod proles nõ concipiatur, non eſt grauiter peccaminoſum.

lib.10.c.8.n.4., Stephanus Bauni de ſacramentis tract.12.vbi de oblig.coniug.q.3.aſſert.3., Sanchez d.lib.9.diſp.8.nu.10., Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrimon. c.7. num. 44. Ratio ex eo deſumitur, quia tale deſiderium ſecundum ſe ſumptum, & ex obiecto non eſt malum, cum nemo teneatur prolem optare; neque obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, quod per tale deſiderium intentionalitèr excludatur finis, qui intenditur in coniugio, ſeu in ipſo actu coniugali, qui principaliter ordinatur ad prolem ſuſcipiendam; Non, inquam, obeſſe poteſt, quia finis præcepti non cadit ſub præcepto, adeoq; &c.

3 Immo nõ eſt peccatum, ſi tale deſiderium veſtiatur aliqua iuſta cauſa, & quali.

Reſpondeo ſecundo. Si tale deſiderium veſtiatur aliqua iuſta cauſa, puta, ne proles deſtituatur congruis alimentis, cum parentes non habeant diuitias, quibus ipſam poſſint alere, omni prorſus caret culpa *Roſella verb. debitum num.11., & ibi Angelus num.27., Phyliarcus de offic. ſacerd. tom.1. part.2. lib.4. c.19. verſ. quinto peccat. Paludanus in 4. diſt.21.q.3. art.2. n.15. præter DD. in præcedenti reſponſione allegatos.* Ratio eſt, quia opus ſecundum ſe indiferens trahit ſecundum ſe bonitatem, vel malitiam a bonitate, & malitia motiui, ſecundum quod elicitur, ſed in concubitu coniugali optare non concipi prolem non eſt opus ſecundum ſe malum, & ex obiecto, ſed ſecundum ſe indiferens ergo, ſi veſtiatur, ſeu coniungatur cum motiuo ſecundum ſe licito, & honeſto trahit ab illo honeſtatem, & per conſequens erit ſecundum ſe licitum, & honeſtum, ſed quando illud deſiderium veſtitur motiuo, ne proles deſtituetur congruis, & debitis alimentis, cum coniuges non habeant, quo eandem poſſint congruè alere, veſtitur fine honeſto, ergo &c.

Proponitur inſtãtia, & diſſoluitur.

Dices proli melius eſt eſſe cum defectu congruæ ſuſtentationis, quam ſimplicitèr non eſſe, adeoque non eſt ſufficiens ad cohoneſtãdum illud deſiderium motiuũ, quod proles deſtituetur congruis alimentis præcipuè poſito ipſo actu coniugali, de cuius natura eſt ordinari ad prolem, nam licet daremus, quod coniuges licitè abſtineant à coitu ob motiuum, ne proles priuetur congrua ſuſtentatione, non tamen ex hoc ſequi videtur, quod non abſtinendo à coitu poſſint optare licitè prolem non concipi ex illo motiuo &c. nam in primo caſu abſtinendo quodamodo vtuntur iure ſuo, cum nullo iure præmantur ad non abſtinendum; in ſecũdo autem caſu, ex quo vtuntur, non poſſunt intentionaliter priuare actum ſuo fine, ad quem ex natura ſua ordinatur, nec indigentia futura prolis poteſt excuſare ob rationem adductam, quia ſcilicet melius eſt eidem ſimplicitèr eſſe cum illa indigentia, quam abſolutè non eſſe. Sed contra; Eſto quod proli melius ſit eſſe cum defectu illo congruæ ſuſtentationis, quam non eſſe; reſpectu tamen parentũ licitum eſt optare, eam non concipi, ne magnis præmantur ægeſtatibus in ea alenda, dummodo aliquid non efficiant, quo impediatur eiuſdem prolis conceptio. Ratio ea eſt, quia cum non teneantur prolem procurare, poſſunt etiam in ordine ad proprium bonum optare, ne ea concipiatur, dummodo non ponant obſtaculum ad conceptum, & cum verſemur in iure parentum, ipſorum conditio potius eſt attendenda, quam prolis conceptæ; nec obſtant ea, quæ ſubduntur in inſtantia, quod ſcilicet, quamuis poſſint abſtinere a coitu, ne proles multiplicetur, non poſſint tamen poſito coitu coniugali eundem intentionalitèr priuare fine, ad quem ex natura ſua ordinatur in præiuditium eiuſdem prolis; Non obſtant, inquam, quia dummodo aliquid Phyſicè non efficiant, quo verè poſſit impediri talis finis à natura intentus, hoc eſt prolis procreatio, non videtur ipſis imputandum ad culpam, quod ad ſe liberandum ab incommodis in prolis educatione, & alimentis eiuſdem, optent eam non ſequi, cum non teneantur velle, quod ſequatur; nec præiuditium aliquod inferunt proli, cum eius procreationem non impediant.

Dũmodo non ponant obſtaculum ad conceptum.

Reſpondeo tertio. Si in votis prolem excludant in ipſo concubitu, & ſolum in eodem intendant voluptatem, & delectationem ſenſitiuam, non eximũtur à culpa veniali propter inordinationem finis per ea, quæ ſupra latè comendauimus, atq; ita docent *Magiſter in 4 diſt.31. vbi D.Thomas q.2. art.3. in corpore, D. Bonauentura art.2. q.3., Albertus Magnus art.21. q.4., Altiſiodorenſis lib.4. ſummæ tract.9. q.2., D. Antoninus tertia part. tit.1. c.20. §.11., Caietanus in ſumma verb. matrimonium c. vlt. de peccatis contingentibus in vſu matrimonij verſ. primũ igitur caput.* Hoc expreſsè docet *D. Auguſtinus de bono coniug. c.6. tom.6.* per ea verba, *Coniugalis concubitus generandi cauſa non habet culpam, concupiſcentiæ verò ſatiandæ tamen cum coniuge, venialem.* Hoc idem definiuit Sanctiſſimus D. N. Innocentius XI. Pontifex nunc regnans in propoſitionibus per ipſum nuperimè damnatis.

4 Si in votis prolẽ excludãt, & intendãt ſolũ voluptatẽ peccant venialiter.

Dices ex præcedenti reſponſione. Si coniuges in concubitu coniugali intentionalitèr excludant bonum prolis, quantumuis hoc præſtent ex fine incommoda vitandi in alimentis eiuſdem prolis nullo modò peccant, ſed in ea hypotheſi alium

Inſtantia propoſita, & diſſoluta.

finem

Digitized by Google

finem habere non poſſunt, niſi ſenſualis voluptatis, & delectationis, cum in votis prolem excludant, ergo habere copulam coniugalem ex fine ex parte concumbentium ſolius voluptatis captandæ carebit quacunque culpa etiam veniali. Sed contra; ex eo, quod intentionalitèr excludatur finis prolis in concubitu, non neceſſario ſequitur, quod ſola voluptas intendatur; poteſt enim ille concubitus fieri ad mutuum amorem inter coniuges fouendum, ad periculum incontinentiæ vitandum, ad ſanitatem tuendam, vel recuperandam &c.

5 *Optare non concipi prolem non habito reſpectu ad vitanda incomoda paupertatis non eſt neque veniale, ſi referatur concubitus ad vitandam incontinentiam.*

Reſpondeo quarto; optare in concubitu coniugali prolem non concipi præcisè nullo habito reſpectu ad euitanda incommoda ob defectum diuitiarum in eadem alenda probabilius caret etiam culpa veniali, ſi referatur concubitus ad finem vitandæ incontinentiæ, ſecus ſi ad finem captandæ præcisè ſenſitiuæ voluptatis. Conſonat cum ijs, quæ ſuperius dicta ſunt. An vero intentionalis excluſio prolis, quando non veſtitur fine vitandi incommoda in ipſa alenda, inducat noxam venialem, affirmat *Sanchez d. lib. 9. diſp. 8. num. 10.*, quod idem videtur affirmare *Ioannes Angelus Boſſius d. tract. de effect. matrimonij c. 7. n. 44.* dum dicit, quod caret etiam culpa veniali, ſi talis intentionalis excluſio fiat ad euitanda incommoda ob defectum diuitiarum, ergo, ſi nô fiat ex tali fine, non carebit eadem culpa veniali argumento exceptionis, quæ firmat regulam quoad non excepta; quibus non inuitus adhæreo, cum talis intentio ſine aliqua cauſa priuet illum concubitum, quantum eſt ex parte operantis, ſuo principali fine, ad quem à natura ordinatur.

§. II.

An licitum ſit contrahere matrimonium cum intentione, & deſiderio excludente finem prolis.

SVMMARIVM.

Senſus diſquiſitionis exponitur. 1.
Opinio Sanchez aſſerentis ſic contrahere eſſe lathale, & eius rationes. 2.
Opinio Boſsij excuſantis à culpa lethali, & eius rationes. 3.
Soluuntur rationes Sanchez. 4.
Præfertur opinio Boſsij. 5.
Si contrahatur cum illo deſiderio etiam præciſo fine paupertatis, non inuoluit culpam ſupra venialem. 6.

DIſquiſitio II. In præcedenti paragrapho inueſtigauimus, an contracto matrimonio cum debito, & ordinato fine à natura intento licitum eſſet in ipſo actu coniugali optare prolem non concipi, ſiue deſiderium veſtiatur fine vitandi incommoda in eadem alenda ob defectum diuitiarum, ſiuè tali fine non cohoneſtetur. Modo inquirimus, an licitum ſit contrahere matrimonium cum ea expreſſa intentione excludente huiuſmodi finem prolis ſuſcipiendæ; hocque ſiue fiat ex fine vitandi incommoda in manutentione eiuſdem prolis ob defectû diuitiarum, ſiue ſine illo fine. 1 *Dilucidatio caſus.*

Latè de hac controuerſia diſputant *Sanchez lib. 2. de matrim. diſp. 29. nu. 29.*, & *Ioannes Angelus Boſſius tract. de contract. matrim. c. 10. num. 266.* diuerſo tamen ſenſu, dum ille arbitratur, noxam eſſe læthalem contrahere cum illa intentione excludente finem primarium matrimonij; nempe prolis ſuſcipiendæ; iſte vero talem culpam non agnoſcit, præcipuè, ſi talis intentionalis excluſio fiat ob finem, ſeu rationem defectus diuitiarum, & impotentiæ commodè, & congruè eiuſdem prolis alendæ. Mouetur primus, quia ſacrilegium eſt grauis iniuriæ ſacramentis illatæ expreſsè excludere finem, ad quem inſtituta ſunt, atque pro hac ſua opinione allegat *Tabienam verb. matrimonium 2. q. 4. n. 5.*, *Henriquez lib. 11. de matrimonio c. 4. nu. 2.*, *Petrum de Ledeſma de matrim. q. 48. art. 2. in fin.* Mouetur ſecundus, quia poſſunt coniuges ex iuſta cauſa, puta, ſi ſint pauperes, careantq; diuitijs ad benè alendos liberos in concubitu coniugali poſt contractum legitimè matrimonium optare filios non concipi per ea, quæ etiam nos commendauimus in præcedenti paragrapho, ergo etiam poterunt, dum fortè magnis carnis ſtimulis agitantur, contrahere optantes, quia non habent media, quibus illam poſſint alere, prolem non concipi. Secundo, quia qui non habent, quo poſſint prolem alere, & educare, poſſunt contrahere cum ſterili ad eum finem, ne ex illo matrimonio proles gignatur, ergo etiam poterunt contrahere cum fæcunda optantes tamen, ne ex illo contractu proles gignatur potiſſimum, ſi tale matrimonium ineatur ad finem vitandæ incontinentiæ.

2 *Opinio Sanchez aſſerentis ſic contrahere eſſe culpam lætalem, & eius rationes.*

3 *Opinio Boſſij excuſantis à culpa læthali, & eius rationes.*

Quod, ſi aduerſus eundem Boſſium pro Sanchez obijciatur, quod magis damnabilis ſit abuſus matrimonij excluſo ipſius fine etiam intentionalitèr, quã vſus actus coniugalis ad alium finem, quam generationis prolis, quandoquidem in contractu matrimonij, cum intentione expreſſa excluda- 4 *Soluuntur rationes Sanchez.*

Digitized by Google

cludatur finis ſubſtantialis matrimonij, infertur iniuria ſacramento, & Deo, immò fit matrimonium inualidum ob defectum conſenſus in id, quod eſt matrimonio ſubſtantiale; Reſpondet ipſe Boſſius, quod tale deſiderium non tollat cõſenſum in id, quod eſt matrimonio ſubſtantiale, ſcilicet in obligationem tradẽdi corpus in ordine ad generationem; neq; abſolutè excludit finem generationis, ſed ſuppoſita tali obligatione importat ſolum voluntatem conditionatam, vt ex tali matrimonio non procreetur proles, ſi ita Deo placuerit concurrentibus alijs cauſis naturalibus aptis impedire generationem independenter ab operatione ipſius contrahentis. Hæc fermè ad verbum idem *Boſſius d. tract. de matrimon. contract. c. 10. num. 266.* Ex quibus etiam poteſt deduci, quod propriè non inferat iniuriam ſacramento, & Deo, cum non excludat finem ſubſtantialem eiuſdem contractus. Quid igitur in hac controuerſia concludendum?

5 *Si ineatur ad finem vitãdi incontinentiam, non inuoluit noxam læthalem.*

Reſpondeo, præferendam eſſe opinionem Boſſij aſſerentis, quod, ſi matrimonium ineatur ad finem vitandi incontinentiam ob ſtimulos carnis, non inuoluat noxam læthalem, ſi in eiuſdem contractu ſit deſiderium, vt proles non procreetur ob defectum diuitiarum, quibus benè eandem prolem poſſint alere. Rationes ab eodem adductæ, & reſponſiones ad contraria argumenta hoc ſatis efficacitèr euincunt, vndè vlterius non immoror.

6 *Si contrahatur matrimoniũ cum illo deſiderio, etiam ſi non ſit finis paupertatis, non inuoluit culpã ſupra venialem.*

Quid verò ſentiendum ſit, ſi contrahatur matrimonium, ex quo poſſibilis ſit proles cum eo deſiderio, ne eadem procreetur, quando non adeſt ille defectus diuitiarum? Ioannes Angelus Boſſius *d. tract. de matrimon. contractu c. 10. n. 266. in fine*, videtur ſentire in ea hypotheſi, matrimonium illud initum cum tali deſiderio non carere culpa, quaſi quod ſolus ille diuitiarum defectus cohoneſtat illud matrimonium ſic initum. Nihilominus, ex quo conſentit in obligationem tradendi alteri coniugi corpus ſuum, eandemq; ordinat ad finem in matrimonio intentũ, nempè vitandæ incontinentiæ non ſubderem ſic optantem noxæ læthali, cum poſitiuè non excludat finem primarium generationis, nec aliquid ponat, quod poſſit eidem obeſſe, ſed habeat dumtaxat voluntatem conditionatam, ſi ita Deo placuerit, concurrentibus alijs cauſis naturalibus aptis ad impediendam generationem independenter à quocunq; opere ipſius ſic contrahentis.

✠✠✠

---

§. III.

An petere debitum coniugale in diebus feſtis in contemptum feſti ſit peccatum læthale.

SVMMARIVM.

Caſus expoſitus in particulari. 1.
Quid propriè veniat nomine contemptus. 2.
Exigere debitum in diebus feſtis in contemptum proprium eorundem feſtorum eſt ex ſe graue. 3.
Exigere indirectè in contemptum Eccleſiæ ſine expreſſa intentione contemnendi, non eſt graue. 4.
Ex frequentia exactionis propriè non infertur contemptus. 5.
Exigere debitum in diebus feſtis ex eo, quod non curet, non eſt ex ſe graue. 6.

Diſquiſitio III. Dictum eſt in præcedentibus nõ eſſe aliquam noxam actum coniugalem exercere in diebus feſtis. Nunc controuertendum remanet, an ſit peccatum, & quale debitum petere in eiſdem diebus feſtis in contemptum, & ſpretum eiuſdem, ſeu eorundem feſtorũ. 1 *Facti ſeries expoſita.*

Pro ſolutione explicandũ hic eſt, quid veniat propriè nomine contemptus ad effectum, vt dignoſcatur, an per illum veniat peccatum, ſiue graue, ſiue leue; contemptus igitur deducitur à verbo *Contemno*, quod idem ſonat, ac non appretiõ, vel non magnifacio. Hoc autem duplicitèr poteſt contingere; primo quaſi contradictoriè, ſeu negatiuè, quatenus quis de aliquo nullam, vel paruam habet æſtimationem, nullam tamen irreuerentiam, ſeu iniuriam irrogat. Secundo, quaſi contrariè, & poſitiuè, cum ſuppoſita tali non æſtimatione irrogetur irreuerentia, vel iniuria. Porro contemptus contradictorius, ſeu negatiuus conſiſtere poteſt in eo, quod contemnens non videatur curare, in quo ſenſu accipit *Abulenſis c. 5. Matthæi q. 238. in fine, & Supplementum verb. debitum §. 6.*, vel in eo, quod non obſtante die feſto actionem quis exerceat etiam ea intentione, vt illam exerceret, quantumuis eſſet prohibita pro illo die. 2 *Quid propriè veniat nomine cõtemptus.* *Alter quaſi cõtradictoriè, alter quaſi contrariè, & quomodo*

Aduerte inſuper *ex D. Thoma 2. 2. q. 186. art. 9. ad tertium*, duplicitèr adhuc poſſe contingere contemptum, primo propriè, & directè, quatenus eſt voluntas tranſgrediendi legem ex hac ſola cauſa, quod quis non vult ſubijci legi; ſecundo impropriè, & quaſi indirectè, quatenus eſt voluntas tranſgrediendi legem ex *Contemptus poteſt contingere directè, & indirectè, & quomodo.*

alia

alia aliqua cauſa, puta ex concupiſcentia, vel ira, vel ignorantia, vel conſuetudine. Primo modo propriè dicitur contemni lex ex contemptu, non ſic ſecundo modo. His ſic pro notitia expoſitis

Reſpondeo primo. Exigere debitum pro diebus feſtis in contemptum propriũ eorundem feſtorum eſt ex genere ſuo graue peccatum *Sanchez d. lib. 9. de deb. coniug. diſp. 12. n. 6., Abulenſis c. 5. Matthæi q. 238. in fin, Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrim. c. 7. n. 86.*, hocque intellige, ſiue talis contemptus fiat cum iniuria, & irreuerentia legis præcipientis feſtum obſeruari, ſiue eo animo, & intentione fiat, vt intelligatur cõtemnens nolle ſubijci legi præcipienti obſeruantiam feſtorum, ſiue eo animo, vt paruipendat diem feſtum.

3 **Exigere in cõtemptum proprium feſtorum eſt graue.**

Vt tamen reſponſio clarius, & in proprio ſenſu percipiatur, aduertendum eſt iuxta ſuperius dicta, quod per talem exactionem debiti coniugalis ſecundum ſe nulla irrogetur iniuria diebus feſtis, quinimmo nec propriè fiat contemptus cum non aduerſetur iuri præcipienti diem feſtum, eiuſdemque obſeruantiæ; vndè tota malitia deſumenda eſt ſecundum intentionem exigentis, quatenus ex ſua praua voluntate intendat inferre iniuriam, & irreuerentiam, vel quia ea eſt in prauitate, vt etiam ſi ex diſpoſitione iuris talis exactio eſſet prohibita, adhuc ipſam cõmitteret, vel quia eroneè reputans eſſe contra legem, adhuc illam ponitur, vel quia ideo exigat, quia paruipendet legem præcipientem obſeruantiam feſtorum.

Iniuria eſt ex praua intentione exigentis debitũ

Probatur iam reſponſio, quia quacunque ex præcedentibus intentionibus fiat huiuſmodi exactio, ſemper eſt cum graui irreuerentia iuris præcipientis talem obſeruantiam, quantum eſt ex affectu exigentis, & ſpretu Eccleſiæ; irreuerentia autem, & ſpretus Eccleſiæ ſemper inuoluit grauem noxam; quinimmo hæreticam quandam præfert prauitatem, cum demat auctoritati Eccleſiæ ipſius, ipſamque, eiuſque iura paruipendat. Confirmatur quia nolle ex prauitate ſubijci legi legitimè inductæ eſt peccatum ſecundum ſe graue, quinimmo eam tranſgredi, quia traſgrediens non vult eidem ſubijci eſt contra eandem legem grauitèr peccare, ſed qui ex quacunque ex prædictis intentionibus debitum exigit in diebus feſtis ex propria prauitate non vult ſubijci legi, quinimmo eam tranſgreditur, quia non vult ſubijci, ergo &c.

Paruipenderet Eccleſiam, eiuſq; auctoritatẽ.

Reſpondeo ſecundo, exigere debitum indirrectè in contemptum diei feſti, hoc eſt ex alia cauſa ſine expreſſa intentione eiuſdem contemptus, ſeu non referendo ipſum actum exactionis ad finem poſitiui contemptus diei feſti non eſt peccaminoſum ſaltem læthalitèr. Conſentiunt *D. Thomas 2. 2. q. 186. art. 9. ad tertium, Silueſter verb. contemptus nu. 1. propè mediũ Cardin. in clem. eos de ſepult.* Ratio ex eo deducitur, quia exigens debitum ex cauſa concupiſcentiæ in diebus feſtis nihil præſtat, quod aduerſetur venerationi, & cultui eiuſdem diei, nec in reipſa, nec in intentione ipſius exigentis, ergo nõ peccat peccato contemptus contra eundem diem feſtum. Antecedens quoad primam partem ex ſe patet, quia nulla eſt prohibitio exigendi debitũ in die feſto; quoad ſecundam ſic euincitur, quia, ex quo hoc præſtat ex cauſa, non refert ipſum actum exactionis, vt feſtum tranſgrediatur, ſed vt ſibi complaceat. Confirmatur ex *Collectario in c. 1. de conſt.*, vbi ſic habet, *quod contemptus eſt, quando ex ſua voluntate non vult quis ſe ſubijcere ſtatuto, vel obedire præcepto. Sed ſi quis tranſgreditur præceptum ex concupiſcentia, ira, vel negligentia, vel alia particulari cauſa non peccat ex contemptu.* Confirmatur ſecundo *ex c. excellentiſſimus 11. q. 3.* vbi dicitur aliud eſſe peccare ex neceſſitate, aliud ex ignorantia, aliud ex contemptu.

4 **Exigere indirrectè in cõtemptum non eſt graue, & explicatur.**

Hic immediatè oritur difficultas, an per frequentiam exactionis debiti coniugalis in diebus feſtis, quantumuis fiat ex alia cauſa, puta ex concupiſcentia, rectè inferatur contemptus? D. Auguſtinus *lib. de natura, & grat.*, aſſerit quod nec omnia peccata committuntur ex contemptu ſuperbiæ; frequentia tamen peccati diſpoſitiuè inducit ad contemptum, iuxta illud Prouerb. 23. *Impius cum in profundũ venerit peccator contemnit*. In hac materia exactionis, de qua loquimur, vix poteſt eſſe ratio dubitandi, cum exactio ipſa nõ aduerſetur iuri feſtum obſeruandi, niſi fortè hoc intelligatur ex praua intentione faciendi contra diem feſtum, ſeu eius venerationem; ſecundum quem ſenſum dico, ad ſummum poſſe eſſe contemptũ, quantum ad præſumptionem, ſeu interpretationem, nõ quantum ad veritatem; & quod poſſit eſſe quoad præſumptionẽ, ex eo arguitur, quod conſuetudo ad contemptum diſponit, prout notat *D. Thomas 2. 2. q. 185. art. penult. ad vltimum*.

5 **Ex frequẽtia exactionis propriè non infertur contemptus.**

Reſpondeo tertio. Non eſt contemptus grauitèr peccaminoſus exigere debitum in diebus feſtis ex eo, quod præciſè non curet. *Silueſter verb. debitum q. 11. dict. 1., & verb. contemptus nu. 1., Tabiena verb. matrimonium 3. quæſt. 8. §. 9., & verb. contemptus §. 1., Sanchez d. lib. 9. de deb. coniug. diſp. 12. num. 6., Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrim. c. 7. n. 86.*

6 **Exigere debitum ex eo, quod non curet non eſt grauitèr peccaminoſum.**

Intel-

Digitized by Google

Intellige tamen, quando non curando nõ paruipenderet feſtum, ſeu præceptum ipſius, quia, ſi reuera paruipenderet, eſſet propriè contemptus, quantum eſt ex affectu ſic non curantis. Ratio ex eo deducitur, quia ly *non curare* iuxta hunc ſenſum ſolum importat, quod non obſtante die feſto vult vti iure ſuo, quod non eſt contra præceptum eiuſdem diei feſti. Si vero ſupponas, quod hoc præſtet eo animo, & intentione, vt exigeret, etiam ſi talis exactio pro talibus diebus eſſet vetita, tunc non renuerem concedere, quod ex intentione petentis eſſet verè contemptus, & iniuria, prout notant *Adrianus 4. q. 14. de matrimon., Capua part. 2. decis. lib. 2. c. 12. n. 18., Sanchez d. lib. 9. de deb. coniug. diſp. 12. nu. 6., Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrim. c. 7. n. 86.*

---

§. IV.

An ſit peccatum mortale, ſi coniux in actu coniugali ad alium à ſuo coniuge intendat.

SVMMARIVM.

Status diſquiſitionis expoſitus. 1.
Si referat intentionem ad Amaſiam, tanquam ad finem peccat læthalitèr. 2.
Hic actus eſſet intentionalitèr fornicarius. 3.
Si illa pulchritudine amaſiæ vtatur tanquam medio, & in illo ſenſualitèr moroſè delectetur, peccat læthalitèr. 4.
Si cogitatio ſiſteret in mera pulchritudine amaſiæ, & de illa non aliter delectetur, ac ſi delectaretur de arbore pulchra ſpeculatiuè loquendo non eſſet grauitèr peccaminoſa. 5.
Si actu non cogitaret de Amaſia, ſed tantum habitu non peccaret læthalitèr. 6.

1 Factum exponitur in ſuis terminis.

Diſquiſitio IV. Titius contracto matrimonio cum Berta in ipſo actu coniugali cum eadem Berta cauſa maioris voluptatis cogitabat de alia ſibi Amaſia gaudens tanquam, ſi eſſet in illius congreſſu, & propterea, ac ſi eſſet cum non ſua. Quæſitum hic fuit, an in tali intentione, ſeu cogitatu grauitèr peccauerit.

Variæ cõſiderationes circa factum.

Hic pro ſolutione conſiderandum venit, an Titius talem intentionem habuerit ex affectu erga amaſiam, ad quam illum actum dirigeret tanquam ad finem intentum in eadem intentione, an vero illam intentionem habuerit ex pulcritudine Amaſiæ, qua quodamodo tanquam medio excitatus fuerit ad habendum actum coniugalem cum propria coniuge, referens eundem actum ad illam tãquam ſuam, prout re vera eſt propriè ſua, adeo vt terminus talis cogitationis, ſeu delectationis ſit coitus cum propria coniuge, & hic vtique ab ipſo Titio intentus, ipſa vero pulchritudo amaſiæ tanquam medium excitatiuum ad eundem coitum. Porrò, vel talis intentio, ſeu cogitatio amaſiæ coniungitur cum delectatione ſenſuali, & moroſa, vel ſiſtit præcisè in illa pulcritudine tanquam in medio, & tota delectatio ſenſualis habetur ex coitu relato ad vxorem propriam. Iuxta has omnes conſiderationes præſens diſquiſitio eſt dirimenda; pro qua etiam aduerte, an actu Titius habuerit illam intentionem, ſeu cogitationem, an vero tantum habitu, quatenus ſolummodo intelligatur ita diſpoſitus, quod deliberaret de alia, ſi alia menti occurreret, quam conſiderationem explicat etiã *Silueſter verb. debitum coniugale n. 4.*

Reſpondeo primo. Si Titius in actu coniugali habuerit actu talem intentionem ex affectu erga amaſiam, ad quam illum actũ retulit, indubitatum eſt, quod grauitèr peccauit. Conſentiunt omnes, & præcipuè *Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrim. c. 7. nu. 180. vers. an vero cogitatione. Silueſter verb. debitum coniugale n. 4., D. Antoninus tertia part. tit. 1. c. 20. §. 1., Phyliarchus de offic. Sacerd. tom. 1. part. 2. lib. 4. c. 19., Sanchez de matrim. lib. 9. de deb. couing. diſp. 17. nu. 6.* Ratio ex eo deducitur, quia acceſſus formalis ad non ſuam eſt læthalitèr peccaminoſus, & fornicarius, vt per ſe patet, ſed ille acceſſus ad propriam coniugem relatus ad Amaſiam, quantum eſt ex affectu, & intentione accedentis, eſt ad non ſuam, vel ſi realitèr ad ſuam, ad ipſam tanquam formalitèr, & intentionalitèr non ſuam, ergo erit peccaminoſus læthalitèr. Confirmatur, quia ratio malitiæ deſumitur ex intentione operantis, ſed in hac hypotheſi intentio operantis eſt ad obiectum ſecundum ſe malum, & grauitèr peccaminoſum, cum referatur ad non ſuam, ergo &c.

2 Si referat intentionem ad amaſiam, tanquam ad finem, peccat læthalitèr

Si autem hic quæras, an talis actus dici poſſit fornicarius? Videtur prima frontè dicendum, quod non, quandoquidem ille congreſſus actualis eſt re vera cum ſua ſibi alligata vinculo coniugali. Nihilominus dicendum eſt intentionalitèr eſſe actum fornicarium, quia, quantum eſt ex affectu peccantis, ille congreſſus eſt tanquam ſi eſſet cum non ſua.

3 Hic actus eſſet intentionalitèr fornicarius.

Reſpondeo ſecundo. Si illa cogitatio, ſeu intentio referatur ad pulchritudinem Amaſiæ tanquam ad medium, quo Titius ſe excitet ad actum coniugalem, in

4 Si illa pulchritudine Amaſiæ vtatur tãquam medio, & ſenſualiter delectetur, grauitèr peccat.

quo ſiſtat tanquam in fine vltimo, ſi ex illa intentione conſurgat delectatio ſenſualis, & moroſa, eſt grauitèr peccaminoſa *Sanchez d. lib. 9. de debit. coniug. diſp. 17. n. 6.*, *Ioannes Angelus Boſſius d. tract. de effect. matrim. c. 7. n. 180. vers. an vero cogitatione*. Ratio ex eo deducitur, quia talis delectatio moroſa eſt de obiecto læthalitèr peccaminoſo, eſt etenim de Amaſia, quæ non eſt propriè ſua; nec obeſſe poteſt, quod illa delectatio referatur ad coitum coniugalem, tanquam ad vltimũ finem, à quo propterea cohoneſtetur; nõ, inquam, obeſſe poteſt, quia ſecundum ſe illa delectatio eſt de obiecto turpi, nec licitum eſt vti medio turpi, & peccaminoſo etiam in ordine ad finem honeſtum.

Illa delectatio eſt de obiecto læthalitèr peccaminoſo

Reſpondeo tertio. Si illa cogitatio ſiſtat in mera pulchritudine Amaſiæ abſque delectatione carnali eiuſdem, ſed cũ delectatione ſimili ea, qua quis oblectaretur de arbore pulchra ſpeculatiuè loquendo poſſet eximi à graui culpa. In hanc conſentiunt *Sanchez*, *& Boſſius loc. cit.* Ratio ex eo deducitur, quia talis delectatio in nullum obiectum turpe, & peccaminoſum firmatur, quis enim diceret, turpe eſſe oblectari de aliqua mirabili, & peruenuſta Dei factura, quando non refertur ad ſenſualem concupiſcentiam? Dixi, *ſpeculatiuè loquendo*, quia, vt benè notat *Ioannes Angelus Boſſius loc. cit.* vix poteſt contingere abſque delectatione carnali eiuſdem Amaſiæ, & *Sanchez loc. cit.* ſubdit id non eſſe alicui permittendũ, ſed diſuadendum ratione periculi.

5 Si illa cogitatio ſiſteret in pulchritudine amaſiæ, qua non delectaretur pluſquam delectaretur de arbore pulchra, non eſſet grauiter peccaminoſa.

Reſpondeo quarto. Si Titius actu in coitu coniugali non cogitet de Amaſia, ſed tantum habitu, quatenus ita intelligitur diſpoſitus, vt, ſi menti occurreret eadem Amaſia, de illa deliberaret in eodem actu coniugali, non contraheret noxam læthalem *Silueſter verb. debitum coniugale nu. 4.*, qui eam etiam adducit rationem meo videri efficacem, quia actibus meremur, & demeremur, non habitibus, ſed in hac hypotheſi nullus actus interueniret, ſed ad ſummum habitus, quatenus eſſet diſpoſitus, ſi menti obueniret, ergo &c.

6 Si actu nõ cogitaret de Amaſia, ſed tãtum habitu nõ peccaret læthalitèr.

§. V.

An, & quomodo motus ſenſualitatis ſint peccaminoſi.

SVMMARIVM.

Status diſquiſitionis expoſitus. 1.
Diuerſitates horum motuum explicantur. 2.
Actus primo primi ſenſualitatis etiam extra actum coniugij non ſunt grauitèr mali. 3.
Nec ſi ſint ſecundo primi, ſi habeant in cauſa aliquam honeſtatem. 4.
Si prouenient ex cauſa illicita, in qua præuideri potuerint, ſunt graues, ſi cauſa fuerit grauis, leues, ſi cauſa leuis. 5.
Vt ſint imputabiles ad grauem culpam, requiritur actualis aduertentia. 6.
Interueniente conſenſu poſitiuo, & directo ad huiuſmodi motus regularitèr interuenit grauis noxa. 7.
Interueniente conſenſu indirecto, ſeu in cauſa, quæ ſit tantum venialitèr mala, eſt tantum malitia venialis. 8.
Interueniente conſenſu indirecto negatiuo, quatenus non reprimit, cum poſſit reprimere, & motus ſint graues, non reprimens non eximitur à graui culpa. 9.
Ad noxam grauem in huiuſmodi motibus requiritur maior voluntarietas. 10.

DIſquiſitio V. Plerique extra actum coniugalem plures in ſe ipſis ſenſerunt motus concupiſcentiæ, & ſenſualitatis, nec ipſos ordinarunt ad copulam inter eoſdem licitam, cum non eſſent coniuges. Quæſitum hic fuit, an, & quomodo in huiuſmodi motibus interuenire poſſit aliqua noxa, & qualis? 1 Refertur ſtatus quæſtionis.

Pro clariori quæſiti diſcuſſione plura ſunt præmittenda. Primo huiuſmodi motus poſſe eſſe in multiplici defferentia; alij etenim ſunt motus primo primi, qui repente conſurgunt, & præueniunt omnem rationis conſiderationem; alij ſunt motus ſecundo primi, qui ſcilicet ſuccedunt primo primis, in quibus interuenit aliqua rationis aduertentia; alij ſunt motus abſoluti, & cum plena aduertentia. Secundo ad hoc, vt huiuſmodi motus imputentur ad culpam, requiri aduertentiam ſuper rationem malitiæ, quæ imbibitur, ſeu poteſt imbibi in huiuſmodi motibus; quæ autem, & qualis aduertentia requiratur, exponam in ſequentibus reſponſionibus. Tertio, vt huiuſmodi motus ſint peccaminoſi, requiri conſenſum reſpectu eius, qui eoſdem patitur. 2 Diuerſitates horum motuum explicantur.

Huiuſmodi autem conſenſus poteſt quodamodo concipi in duplici diferentia, quatenus alter ſit directus, & expreſſus, alter indirectus, ſeu interpretatiuus. Primus eſt, qui directè tendit in obiectum ſenſualitatis, quod proſecutiuè appetit. Secundus adhuc duplex eſt, alter, quo quis aliquid voluntariè operatur, ex quo conſurgunt tales motus, vndè dicuntur quodamodo voliti in cauſa, quam liberè exercet; alter, quo quis negatiuè quodàmodo ſe habet, quatenus non impedit, nec reprimit huiuſmodi motus. His ſuppoſitis

Reſpon-

Digitized by Google

3 Reſpondeo primo. Si extra actum coniugij patiantur motus ſenſualitatis, qui ſint primo primi, nullam noxam contrahunt. Conſentiunt communitèr DD. *Vaſquez prima ſecundæ diſp.* 106., *Martinus Beccanus ſecunda parte tract.* 2. *c.* 5. *q.* 4, *&* 5., *Valentia tom.* 2. *diſp.* 6. *q.* 4. *punct.* 2. Ratio ex eo deducitur primo, quia huiuſmodi motus ſenſualitatis non ſunt voliti, nec in ſe ipſis, nec in cauſa, ergo nullo modo ſunt ſecundum ſe peccaminoſi, cũ nullum poſſit eſſe peccatum, cuius obiectum non ſit voluntarium, nec in ſe, nec in cauſa. Secundo, quia reprimere huiuſmodi motus non eſt in libertate hominis, ergo non ſunt imputandi ad culpam eiuſdem hominis. Tertio, quia in alijs quibuſcunque externis actionibus motus huiuſmodi non imputãtur ad noxam, ergo nec ſunt imputandi in hoc genere, in quo ſtante procliuitate naturæ lapſæ facilius excitantur.

Actus primo primi ſenſualitatis etiã extra actum coniugij nõ ſunt grauiter peccaminoſi.

4 Reſpondeo ſecundo. Si huiuſmodi motus, quos patiuntur, ſint ſecundo primi, & procedentes ex aliqua cauſa habente aliquam honeſtatem, & vtilitatem, non trahunt ſecum noxam læthalem *Vaſquez in opuſc. de reſtit. c.* 3. *dub.* 6. *nu.* 24., *Bonacina de matrim. q.* 4. *punct.* 7. *prop.* 2. *nu.* 4. Ratio ex eo deducitur, quia, quantumuis huiuſmodi motus ſenſualitatis præuideri potuerint, vel fortè actu præuideantur, ex quo tamen procedunt ex cauſa honeſta, & vtili, non ſunt imputabiles ad culpam, quandoquidem non ſunt voluntarij in ſe ipſis, vt per ſe patet, nec in cauſa directè volita, quia cauſa illa, ex qua præuideri poſſunt illi motus, eſt volita, vt coniungitur cum honeſtate, & vtilitate, non prout ingerere poteſt huiuſmodi motus, qui, ſi contingant, contingunt per accidens, & præter intentionem operantis. Sic in particulari motus huiuſmodi, qui contingunt ex auditione aliorum peccatorum in confeſſione ſacramẽtali, non ſunt peccaminoſi, nec imputabiles ad culpam, cum nec ſint intenti in ſe ipſis, nec in cauſa, ſed per accidens proueniunt. Secundo motus, qui proueniunt ex acquiſitione ob cauſam vtilem, dummodo directè non intendantur, nullam etiam trahunt noxam, ſi præſcindas à periculo conſenſus in vlteriorem actum.

Si ſint actus ſecundo primi habentes in cauſa aliquam honeſtatẽ non ſunt grauitèr mali.

Enumerãtur caſus, in quibus non ſunt mali.

5 Reſpondeo tertio; ſi huiuſmodi motus proueniant ex cauſa illicita, in qua præuideri, & caueri potuerint, non eximuntur à culpa, & quidem graui, ſi cauſa fuerit læthalitèr mala, leui, ſi cauſa fuerit tantum venialitèr mala. Conſentit in vniuerſum *Bonacina de matrim. q.* 4. *punct.* 7. *prop.* 2. *nu.* 5. Ratio ex eo deducitur, quia, quantumuis huiuſmodi motus non ſint voluntarij in ſe ipſis, ex quo tamen ſunt præuiſi in cauſa iniqua, quam tenetur operans euitare, vtique in eadem cauſa intelliguntur ſufficientèr voliti, cũ ei, qui dat operam rei illicitæ, imputentur omnia, quæ ex illa conſequuntur, &, cum nullo honeſto, nec vtili fine poſſit cohoneſtari, illa actio, ex qua præuidentur, ſeu certò moralitèr poſſunt præuideri huiuſmodi motus, vtique in illa intelliguntur tales motus voliti, quantum ſufficit ad inducendam noxam in operante. Cum igitur malitia deſumatur à cauſa, ex qua deſumitur voluntarietas, talis erit malitia in huiuſmodi motibus, qualis erit cauſa, vndè, ſi huiuſmodi motus proueniant ex iocoſis verbis, ex curioſo aſpectu, ex lectione item curioſa, non excedent limites noxæ venialis, dummodo nõ intendatur delectatio, nec adſit periculum conſentiendi.

Si proueniant ex cauſa illicita, in qua præuideri potuerint, ſunt graues, ſi cauſa fuerit grauis, leues, ſi cauſa leuis.

Reſpondeo quarto; ad hoc, vt huiuſmodi motus ſint imputabiles ad culpam 6
grauem, requiritur actualis aduertentia eorundem motuum, ſeu expreſſa aliqua dubitatio de malitia ipſorum *Vaſquez prima ſecunda diſp.* 107., *Leſſius lib.* 4. *de iuſt. & iur. c.* 3. *dub.* 15. *num.* 116. Ratio ex eo deducitur, quia ad peccatum læthale contrahendum requiritur plena libertas, ſed ſine actuali aduertentia, & ſine expreſſa dubitatione de malitia actus non adeſt plena libertas, ſiquidem deficit cognitio, quæ eſt radix, & fundamentum libertatis. Confirmatur primo, quia duæ potiſſimum ſunt rationes, ob quas peccata ex genere ſuo grauia tranſeunt in leuia, & venialia; primum ſcilicet leuitas materiæ; ſecundo inconſideratio ex parte operantis, vt docent cõmunitèr Theologi in quæſtionibus de actibus humanis, & de vitijs, & peccatis, ergo in motibus ſenſualitatis, vbi non adeſt aduertentia, & per conſequens adeſt inconſideratio, non aderit culpa ſaltem læthalis. Confirmatur ſecundo, quia, ſi aliqua actio duas inuoluat malitias, & ſuper vnam dumtaxat fiat aduertentia, & non ſuper alteram, non contrahitur in eadem duplex malitia, ſed illa ſolummodo, ſupra quam cadit aduertentia, ergo ad rationem malitiæ requiritur aduertentia.

Ad malitiam grauem requiritur actualis aduertentia.

Reſpondeo quinto. Interueniente 7
conſenſu poſitiuo, & directo ad huiuſmodi motus ſenſualitatis, regularitèr tales motus ſunt peccaminoſi læthalitèr. Conſentiunt *Martinus Beccanus ſecunda part. tract.* 2. *c.* 5. *q.* 5., *Vaſquez prima ſecundæ diſp.* 107., *Leſſius lib.* 4. *c.* 3. *dub.* 15. *n.* 116., *Bonacina de matrim. q.* 4. *punct.* 7. *propoſit. ſecunda nu.* 7. *verſ. reſpondeo primo*. Ratio ex eo deducitur, quia in huiuſmodi mo-

Interueniente cõſenſu poſitiuo, & directo ad huiuſmodi motus regularitèr eſt grauis noxa.

tibus interueniunt ea omnia, quæ requiruntur ad noxam læthalem contrahendam; obiectum ſcilicet ſecundum ſe peccaminoſum; ſupponuntur etenim huiuſmodi motus eſſe in ea quantitate, quæ ſufficiat ad noxam læthalem; plena, & perfecta aduertentia, & completus conſenſus tendens in idem obiectum, ergo non eſt, cur contrahere non debeant noxam læthalem.

8 Interueniente cõſenſu ſolũ in cauſa, quæ ſit venialitèr mala, motus eſt tãtum venialitèr malus.

Reſpondeo ſexto. Interueniente ſolummodo conſenſu indirrecto, ſcilicet in cauſa, quæ ſit tantum venialitèr mala, huiuſmodi motus ſecundum ſe non ſunt, niſi venialitèr mali. Dixi *ſecundum ſe* nam, ſi in illis intenderetur delectatio, vel adeſſet morale, & præuiſum periculũ conſentiendi in vlteriorem actum, non eximeretur à culpa læthali. In hanc reſponſionem propendent DD. ſupra allegati, & vlterius *Henriquez lib. 11. c. 16. nu. 6.* Ratio ex ſuperius dictis deducitur, quia totum voluntarium, ſi quod eſt, refertur ad cauſam, in qua præuidentur, ſeu præuideri poſſunt huiuſmodi motus, ſed cauſa ipſa non eſt peccaminoſa læthalitèr, cum leuitèr concurrat ſolummodo ad huiuſmodi motus, ergo &c.

9 Non reprimẽs huiuſmodi motus, cum poſſit reprimere, ſi ſint graues non euitat culpam grauem.

Reſpondeo vltimo. Interueniente conſenſu indirecto negatiuo, quatenus ſubditus talibus motibus eoſdem non impedit, nec reprimit, cum poſſit reprimere, & impedire, regularitèr non eximuntur tales motus a culpa læthali, ſi ſint in tali qualitate, & quantitate, vt ſufficiant ad talem culpam *D. Thomas prima ſecundæ q. 74. art. 6., D. Bonauentura in ſecundo diſt. 24. p. 2. art. 2. q. 2., D. Antoninus part. 2. tit. 5. §. 5. in fin., Leſſius de iuſt., & iur. lib. 4. c. 3. dub. 15. nu. 117. vers. verum probabilius eſt*, quidquid ex aduerſo dixerint *Caietanus verb. delectatio moroſa, & Angelus verb. cogitatio.* Ratio ex eo deducitur, quia non ſolum peccamus committendo ſed etiam omittendo eã, & non repellendo, quæ tenemur non omittere ſed repellere, ſed de iure tenemur repellere huiuſmodi motus ſenſualitatis vtpotè aduerſantes bono caſtitatis. Confirmatur, quia in moralibus quando voluntas non facit, quod debet, perindè eſt, ac ſi illud poſitiuè vellet, ergo &c.

10 Ad noxã grauem in huiuſmodi motibus requiritur maior voluntarietas.

Hic pro complemento eorum, quæ ſub hac diſquiſitione dicta ſunt, aduertendum remanet, quod ad inducendam noxam præcipuè læthalem in huiuſmodi motibus, requiratur maior voluntarietas, & maior aduertentia, ac in cæteris omnibus, prout notat *Bonacina de matrim. d. q. 3. punct. 7. prop. 2. n. 4.* cum etenim huiuſmodi motus ſint valdè conditioni humanæ connaturales, & facilè oriantur ex infirmitate naturæ, facilius minuunt libertatem, & indiferentiam voluntatis, & poſita concupiſcentia magis determinatur voluntas ad vnam partem, quam ad alteram, & ſic minus indiferens eſt ad vtramque; Neque obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, quod concupiſcentia potius augeat, quam minuat voluntarietatem, quandoquidem, quod fit ex concupiſcentia, fit cum maiori propenſione, & minori cum renitentia ex natura rei, adeoque non minuat idem voluntarium; Non, inquam, obeſſe poteſt, quia concupiſcẽtia auget quidem voluntarium ſecundum conceptum voluntarietatis, in quo non inuoluitur ratio libertatis; minuit vero ſecundum conceptum voluntarietatis liberæ, prout notat *Ioannes Pontius in ſuo curſu Theologiæ diſp. 20. de actib. human. vt ſic q. 4. nu. 14.*

---

§. VI.

An delectatio moroſa de re venerea, ſiue inter coniuges, ſiue inter alios, ſit peccaminoſa, & quomodo.

SVMMARIVM.

Exponitur diſquiſitio ſecundum diuerſos ſenſus. 1.

Qua ratione delectatio dicatur moroſa. 2.

Si coniuges delectentur moroſè de copula præterita ſine periculo pollutionis, non peccant læthalitèr. 3.

Eximuntur etiam à culpa læthali coniugati gaudentes de copula cogitata, tanquam præſenti. 4.

Vidua non poteſt delectari de actu coniugij præterito tanquam præſenti, ſeu quem præſentem conſtituit per imaginationem. 6.

Sponſa de futuro non poteſt delectari de copula futura, vt præſenti, benè vt futura. 7.

Si non coniugatus cuperet coniugium, vt poſſet in actu venereo delectari, non grauiter peccaret. 8.

Si non ſit periculum conſenſus tanquam in rem præſentem. Ibid.

Delectatio carnalis de copula illicita ſub conditione, ſi eſſet licita, non eximitur à graui culpa. 9.

Diſquiſitio VI. Vel coniuges, vel alij extra cõniugium delectationes vtique conceperunt de re venerea, puta de copula, quæ, ſi fuerint inter coniuges, poſſunt concipi, quatenus ſunt de copula præterita, vel de copula optata, tanquam præſenti, ſi alter coniux fuerit abſens, vel de copula futura; ſi vero fuerint 1

1 Factum ſecundum varias cõſiderationes expoſitum.

inter

inter non coniuges, quorum tamen alter fuerit in coniugio, & ſuperſtes remanſerit ad alterius obitum, vel cum altero contraxerit ſponſalia, poſſunt concipi de copula præterita, vel futura; ſi vero nullo modo fuerint coniuges, poſſunt delectari optando contrahere matrimonium, vt poſſint venereè delectationem ſumere, vel de copula habenda ſub conditione, ſi foret licita. Quæritur iam, an huiuſmodi delectationes ſint peccaminoſæ?

2 Qua ratione delectatio dicatur moroſa.

Pro clariori diſcuſione omnium difficultatum, quæ ſub hoc titulo continentur, aduerte, delectationem non dici moroſam a mora temporis, qua quis detinetur in huiuſmodi delectatione, ſed à mora rationis, quatenus poſita aduertentia malitiæ nihilominus quis feratur in eandem delectationem. Hæc autem delectatio, vel poteſt eſſe ſolummodo de cogitatione, vel de re cogitata; primo modo ſumitur, quando quis locuturus de rebus venereis delectationem aliquam ſumit de rationibus, & elecutione circa eaſdem; Secundo modo ſumitur, quãdo quis actu cogitans de rebus venereis ex eiſdemmet rebus ſumit delectationem. Procedunt potiſſimum difficultates circa hunc titulum quoad delectationes de re cogitata; nam de eiſdem quoad cogitationes vix remanet ratio dubitandi, nam ſi huiuſmodi delectatio procedat à motiuo honeſto, erit ſecundum ſe honeſta, ſi a malo, vtique erit mala; bonitatem etenim, & malitiam huiuſmodi actus deſumunt a motiuo, ſub quo procedunt.

3 Si coniuges delectentur moroſè de copula præterita ſine periculo pollutionis, non peccant læthalitèr.

Reſpondeo primo. Si coniuges moroſè delectentur de copula præterita inter ipſos habita ſine periculo pollutionis probabilius non peccant læthalitèr *Ioannes Angelus Boſſius tom. 2. var. mor. §. 59. nu. 2189., & ſeqq., & tract. de effect. matrim. c. 7. n. 214., & ſeqq., Sanchez de matrim. d. lib. 9. de deb. coniug. diſp. 45. n. 40., & ſeqq., Reginaldus lib. 11. c. 5. n. 52., Filliutius tract. 10. c. 9. q. 12. nu. 253., Bonacina de matrimon. q. 4 punct. 8. prop. 2. num. 12.* Ratio ex eo deducitur, quia huiuſmodi delectationes inter coniuges ratione matrimonij inter ipſos initi omnino licitæ ſunt, & honeſtæ, ſicuti licitus eſt ipſe actus coniugalis inter eoſdem aſſerente *D. Auguſtino lib. 12. de Trinit. c. 12. tom. 3. & Ariſtotilem lib. 10. Ethic. cap. 4. & 5.*, quod talis ſit delectatio, quale obiectum, in quod fertur; Neque dicas, quod illa delectatio, cum ſit de concubitu præterito, nullo modo poſſit ordinari ad finem principalem contractus matrimonialis, qui eſt generatio prolis, adeoque, quod nequeat cohoneſtari honeſtate finis, quę eſt ratio quemcunque actum in hoc genere purificans; contra enim impugnaberis, quia iuxta alibi dicta ratione matrimonij plurima, quantumuis non ordinata ad finem generationis depurantur à culpa læthali, quæ in alijs non coniugatis vtique reperitur; ſic in particulari à tali prauitate depurantur inter coniuges tactus, & oſcula, & delectationes ab eiſdem conſurgentes, quamuis hæc non ordinentur ad copulam coniugalem, nec adhibeantur tanquam præparatoria ad hunc finem, quod eo extendit *Vasquez diſp. 113. n. 4., & Sanchez d. lib. 9. diſp. 44. n. 4.*, vt verificetur etiam, quantumuis ex ea delectatione conſurgeret partium pudendarum commotio, & ſpirituum alteratio, dummodo abſit pollutionis periculum. Confirmatur ex *D. Chriſoſt. homil. 17. in Mattheum ſuper illa verba, qui viderit mulierem*, vbi eximit a culpa delectari aſpectu vxoris etiam abſque animo copulæ habendæ.

Soluitur inſtantia oppoſita.

4 Si coniuges abſente delectentur de copula futura inter eoſdem non peccant læthaliter.

Reſpondeo ſecundo, ſi coniuges inter ſe abſentes delectentur de copula futura inter eoſdem habenda eximuntur à culpa læthali *Caietanus verb. delectatio, D. Thomas q. 15. de malo art. 2. ad 17., Paludanus in 4. diſt. 9. q. 3. art. 1. nu. 7., Viguerius lib. Inſtit. c. 3. §. 5. vers. 5. ad finem, Tabiena verb. luxurioſus q. 8. §. 9., Sanchez d. lib. 9. de debito coniug. diſputat. 44. num. 3.* Ratio, quæ euincit præcedentem reſponſionem, a fortiori præſentem euincit, quandoquidem huiuſmodi delectationes ſunt de actu licito inter coniuges, cum depurentur ratione matrimonij, & cum referantur ad actum futurum poſſibilem referuntur ad actum omni iure ſibi permiſſum.

5 Eximuntur etiam à culpa læthali coniugati delectantes de copula coniugali tanquam præſenti.

Reſpondeo tertio. Eximuntur etiam a culpa læthali delectationes, quas capiunt coniugati ex copula cogitata tanquam præſenti, dum ſunt abſentes, aut eo tempore, & loco, quo copulam coniugalem nequeunt exercere. *Zumel prima ſecundæ diſp. 4. dub. 3. ad fin., Gerſon ſecunda part. tract. de pollut. not. 7. alphabeto 38. lit. D., Roſella verb. delectatio n. 3., & ibi Armilla n. 4., Caietanus in ſumma verb. delectatio moroſa §. ſecundum an delectatio, Ioannes Angelus Boſſius tom. 2. var. moral. n. 2191., & tract. de effect. matrim. c. 7. n. 215. Bonacina de matrim. q. 4. punct. 8. num. 12.* Ratio ex eo deſumitur, quia huiuſmodi delectationes deſumunt ſuum bonitatem, & malitiam ab obiecto, in quod tendunt, ſed obiectum huiuſmodi delectationum eſt ſecundum ſe licitum, cum ſit copula coniugalis inter coniuges, ergo &c. Neque dicas, delectationem in hac hypotheſi deſumi ab obiecto, quod pro illo tempore eſſe non poteſt, & propterea ab

illo

Digitized by Google

illo obiecto pro illo tempore non poſſunt cohoneſtari, ſicuti non cohoneſtatur delectatio, quam vidua concipit ex copula præterita tanquam præſenti; hoc enim eſt delectari de opere, quod pro illa circunſtantia non eſt licitè ponibile; contra enim impugnaberis, quia, quantumuis obiectum illius delectationis pro illo tempore eſſe non poſſit, non propterea delectatio de illo poteſt eſſe illicita, quandoquidem eſt de obiecto ipſis coniugibus licito, quod, ſi pro illo tempore poni poſſet, nulla labe ex genere ſuo inficeretur; nec valet paritas adducta de vidua, quia cum illa non ſubſiſtit matrimonium, quod cohoneſtare poſſit actū, & delectationum de ipſo actu, & eidem tunc prohibitus eſt coitus, & ſubinde delectatio ſenſitiua eiuſdem. Hinc ad vberiorem doctrinam

Inſtantia propoſita, & diſſoluta.

Reſpondeo quarto. Vidua, non poteſt delectari actu coniugij præterito, ſi illum tanquam præſentem, & nunc exercitum per imaginationem conſtituat *Caietanus tom. 1. opuſc. 14. q. 1. & 2*, *Nauarrus in ſumma c. 16. n. 10.*, *Angelus verb. cogitatio n. 2.*, *Bonacina de matrim. q. 4. punct. 8. prop. 2. nu. 14.*, *Reginaldus lib. 11. nu. 52.* ſecus ſi de illo gaudeat, tanquam de re præterita. Ratio primæ partis ex eo deducitur, quia pro illo ſtatu actus ille coniugij, & corporis immutatio non ſunt conceſſa viduæ, qua talis eſt, cum nulli alligetur matrimonio, ſicuti non ſunt conceſſa alteri, qui nunquam fuerit matrimonio alligatus, & ſicuti, ſi iſte delectaretur de actu coniugij ſibi per imaginationem præſenti conſtituto, & quaſi tunc exercito, non eximeretur a culpa ex illa delectatione, ita neque eximi cenſenda eſt vidua, quæ tunc non eſt addicta matrimonio. Ratio ſecundæ partis ex eo deducitur, quia gaudere de actu coniugij præterito, non tanquam præſenti, nihil aliud eſt, quam conſentire in rem licitam, ſeu approbare actum præteritum, & gaudere de cognitione, experientia, & ſimili effectu bono ex tali actu conſecuto; hoc autem non eſt quid illicitum. Accedit, quod non poteſt eſſe gaudium, nec delectatio de actu præterito, qua talis eſt, niſi vi imaginatiuæ conſtituatur tanquam præſens, ergo, ſi ſiſtat in puris terminis obiecti præteriti, vt præteriti, non poterit eſſe cogitatio peccaminoſa, cum ſit dumtaxat approbatio actus pro tempore, pro quo fuit licitus.

6 Vidua nō poteſt delectari de actu præterito, tanquam præſenti.

Rationes pro reſponſione afferuntur

Reſpondeo quinto. Sponſa de futuro non poteſt delectari de copula futura, tanquam præſenti, bene tamen de futura, qua futura eſt. Conſentiunt omnes fere, qui ſuſtinent præcedentem reſponſionem, & ratio fere ex eodem deducitur; quia pro eo ſtatu copula coniugalis non eſt licita reſpecta ſponſæ de futuro, ergo neque licita erit delectatio de eadem tanquam præſenti, & vi imaginatiuæ quaſi actu exercita. Ratio ſecundæ partis ex eo deducitur, quia licitum eſt optare cōtrahere matrimonium, & ſubinde copulam coniugalem, cum ad hoc matrimonium ſit ordinatum; atque ita in vniuerſum ſentiunt *Leſſius lib. 4. de iuſt., & iur. c. 3. dub. 15. n. 120.*, *Bonacina de matrimon. q. 4. punct. 8. prop. 2. n. 15.*

7 Sponſa de futuro nō poteſt delectari de copula futura, tanquam præſenti benè vt futura.

Reſpondeo ſexto. Si quis non coniugatus cuperet matrimonio copulari, vt poſſet in actu coniugali venereè delectari, non peccaret læthalitèr. Conſentit in hanc expreſsè *Bonacina q. 4. de matrimon. punct. 8. nu. 16.*, nec ab hac alios arbitror diſſentiri. Ratio eſt, quia bonitas, & malitia actus deſumitur a bonitate, & malitia obiecti, vel ſecundum quod eſt in ſe, vel ſecundum quod aprehenditur ab eliciente talem actum, ſed obiectum talis delectationis, ſiue ſumptum ſecundum ſe, ſiue vt aprehenſum ab operante, ſeu optante non eſt illicitum, neque malum, cum ſit copula coniugalis pro tempore habili habenda; ſuppono etenim, quod de eadem non delectetur tanquam præſenti, ſeu vt per imaginationem actu exercita, ſed habenda pro tempore conſtantis matrimonij, ergo &c.

8 Si non coniugatus cuperet coniugiū, vt in actu eiuſdem delectaretur, non grauitèr peccaret.

Procedit hæc reſponſio *ſecundum ſe*, & remoto periculo actualis complacentiæ, & conſenſus tanquam in actum præſentem, à quo periculo vix poteſt actus eſſe immunis, & ideo DD. plurimi ſtrictius de hac materia loquentes aſſerunt hoc non eſſe facilè permittendum, ſed potius diſſuadendum.

Si non ſit periculū actualis complacētiæ, & cōſenſus tāquam in actū præſentem.

Reſpondeo ſeptimo. Delectatio carnalis, quam quis ſumit de obiecto turpi puta copula illicita ſub conditione, *ſi illa eſſet licita*, vix videtur poſſe eximi à graui noxa, & læthali *Valentia parte 2. diſp. 6. q. 4. punct. 4.*, *Sanchez in ſumma lib. 1. c. 2. n. 31.*, *Nauarrus in man. c. 16. n. 9.*, *& alij plures*, quos citat, & ſequitur *Bonacina de matrim. q. 4. punct. 8. prop. 2. n. 33.* Ratio ex eo deducitur, quia quantumuis dare mus, quod illa delectatio poſſet depurari à malitia ratione motiui, ſub quo elicitur, depurari tamen non poteſt ab eadem ratione cauſalitatis, quam præſtat; vſquequaque etenim, & genere ſuo commouet ſpiritus, & excitat ad libidinem explendam, nec à malitia ratione cauſalitatis excuſat illa conditio, *ſi liceret*, cum optimè nocit, qui ſic delectatur, delectationem illam illa conditione eſſe deſtitutam.

9 Delectatio de copula illicita ſub conditione ſi eſſet licita, eſt mala.

§. VII.

Digitized by Google

§. VII.

An coniugatis liceant delectationes moroſæ, quando ob aliquod impedimentum ipſis non eſt licitus actus coniugalis.

SVMMARIVM.

Exponitur facti ſeries. 1.
Si copula ſit vetita ratione circumſtantiæ extrinſecæ in bonum ipſorum coniugum, & prolis, delectatio de ipſa non eſt læthalitèr mala. 2.
Delectari de copula in loco ſacro, vel publico, non eſt coniugibus graue. 3.
Si ſit interdictus vſus ratione præcepti Eccleſiaſtici, probabilius non eſt interdicta delectatio ſub mortali. 4.
Si ſit interdictus vſus ob dubium valoris matrimonij non eſt licita delectatio moroſa. 5.
Neque eſt licita talis delectatio in parte ſenſitiua de redditione debiti. 6.
Interdicto vſu coniugali ob votum caſtitatis ab vtroq; emiſſum, vel ob profeſſionem alterius cum conſenſu ab altero præſtito, non ſunt licitæ delectationes ſenſitiuæ. 7.
Si alter tantum ſit obſtrictus voto caſtitatis ipſi non eſt licita delectatio, nec etiam quoad redditionem debiti. 8.

DIſquiſitio VII. Vel abſolutè, vel pro aliquo determinato tempore vetitus erat coniugatis actus, ſeu coitus coniugalis. His tamen non obſtantibus delectationes in ſe ipſis excitabant, & vtique moroſas pro illo tempore, pro quo inter ipſos licitè eſſe non poterat copula. Quæſitum hic fuit, an ratione coniugij inter ipſos conſtantis illæ delectationes depurarentur à culpa ſaltem læthali?

1 Factum propoſitū in ſuis terminis.

Multis modis, multiſque de cauſis poteſt eſſe coniugatis vetita copula matrimonialis; primò ratione alicuius circumſtātiæ extrinſecæ, quæ reſpiciat bonum, vel ipſorum coniugum, vel prolis, quatenus ſcilicet ſi coniuges pro illo tempore copulam haberent, cederet in notabile ſalutis eorundem, vel prolis periculum. Secundo ratione alicuius præcepti Eccleſiaſtici, puta ſi alter coniux contraxerit affinitatem, vel cognationem ſpiritualem cum altero, ratione cuius arcetur à debiti petitione; tertio ratione dubij, quod conſurgit de valore matrimonij, ob quod etiam à debito petendo perſeuerante tali dubio prohibetur. Quarto ratione voti caſtitatis, vel ab vtroq; vel ab altero illorum elicito, vel ratione profeſſionis ab altero de conſenſu alterius emiſſæ. His ſuppoſitis

Quomodo, & qualitèr poſſit eſſe vetitus actus coniugalis coniugibus.

Reſpondeo primo. Si vetita ſit copula matrimonialis ratione circumſtantiæ extrinſecę in bonum ipſorum coniugum, vel prolis, delectatio, quæ de illa ſumitur pro illa circumſtantia, non eſt peccaminoſa ſaltem læthalitèr *Sanchez lib. 9. de debito coniug. diſp. 44. nu. 21.* Ratio ex eo deducitur, quia copula in tali hypotheſi non eſt mala ſecundum ſe, ſed tantum ab extrinſeco prohibita ratione damni corporalis, quod poteſt prouenire eiſdem coniugibus, vel proli conceptæ, vel concipiendæ, ſed delectatio ſecundum ſe non trahit illa damna, ergo, cum ex vno capite non trahat illa damna, & ſit de obiecto, quod ſecundum ſe non eſt illicitum ipſis coniugibus, non erit peccaminoſa ſaltem læthalitèr; Neque dicas, quod talis eſt delectatio, quale eſt obiectum, ſed obiectum pro illa circunſtantia eſt illicitum, cum ſit copula interdicta, ergo &c. Contra enim impugnaberis, quia delectatio ſpecificatur ab obiecto, ſecundum quod illi conuenit ab intrinſeco, non ſecundum quod illi contingit ab extrinſeco, cum eadem delectatio non opponatur illi circunſtantiæ extrinſecæ, & obiectum ipſum ſecundum ſe ſit illi conueniens, & non repugnans.

2 Si vetita ſit copula coniugalis ratione circumſtātiæ extrinſecæ in bonum ipſorum coniugum, & prolis, delectatio de ipſa non eſt læthalitèr mala.

Ex hoc eodem capite deduci poteſt, quod, quantumuis ratione decentiæ, & ratione reuerentiæ loco ſacro debitæ nō poſſit copula coniugalis haberi in loco publico, vel ſacro per ea, quæ ſupra latè commendauimus, non tamen ſit damnabilis ſub graui culpa delectatio ibi habita, cum illa delectatio non aduerſetur decētiæ loci, nec reuerentiæ.

3 Delectari de copula in loco ſacro, vel publico non eſt graue.

Deduci poteſt ſecundo, quod non ſit prohibita delectatio inter coniuges de copula, quando illa ratione abſentiæ alterius haberi non poteſt per ea, quæ ſupra probauimus. Item, quod non ſit prohibita, quando adeſt impedimentum Phyſicum, puta impotentia coeundi, quæ ſuperuenerit, prout docet *Sanchez loc. cit. n. 22.*, & pro hoc militat eadem ratio, quæ militat pro præcedenti illatione.

Nec etiā quando ob impedimentū phyſicum copula nō poteſt haberi.

Reſpondeo ſecundo. Si coniugibus ſit interdicta copula coniugalis ratione alicuius præcepti Eccleſiaſtici, puta quia alter eorum contraxerit ſubſequentèr ad matrimonium affinitatem, ſeu cognationem ſpiritualem cum altero, probabile etiam valdè eſt, quod delectatio de eadem non ſit damnabilis culpa læthali. *Sanchez loc. quo ſup. nu. 23.* Ratio ex eo deducitur, quia illa prohibitio copulæ coniugalis in ea

4 Si ſit interdictus vſus ratione præcepti Eccleſiaſtici, probabilius non eſt damnabilis delectatio ſub graui.

Digitized by Google

ea hypotheſi prouenit etiam ab extrinſeco, & vtique in pœnam, prout pluribus allegatis ſupra docuimus, & alibi; pœnæ autem extenduntur ad id, quod expreſsè præcipitur, non autem in ordine ad alia non expreſſa, cum omni iure clamante ſint reſtringendæ; In præſenti prohibitio propter affinitatem, & cognationem ſuperuenientem eſt in ordine ad copulam coniugalem, non autem in ordine ad delectationem de eadem.

5 Si ſit interdictus vſus ob dubium valoris matrimonij, non eſt licita delectatio moroſa.

Reſpondeo tertio; ſi alteri ex coniugibus interdicta ſit petitio debiti ob dubium rationabile de valore matrimonij, non eſt licita eidem delectatio moroſa partis ſenſitiuæ de copula cogitata. Conſentit idẽ *Sanchez loc. cit. nu. 24.* Ratio ex eo deducitur, quia tota ratio cohoneſtans illam delectationem eſt matrimonium conſtans inter ſic delectantem, & alium, ſed in hac hypotheſi reſpectu eius, qui ſic delectaretur, matrimonium non poteſt eſſe ratio cohoneſtans, cum ſit dubium, ergo & dubia erit honeſtas ex illo conſurgens, ideoque non erit licita illa delectatio. Confirmatur, perſeuerante illo dubio rationali de valore matrimonij non eſt licita dubitanti petitio debiti coniugalis per ea, quæ latè ſupra docuimus, ergo neq; erit licita delectatio de eadem, quandoquidem dubium, quod tollit ius ad exigẽdum debitum, tollit etiam ius ad ea, quæ poſſunt eſſe conſequentia ad tale ius, potiſſimum, cum prohibitio vſus coniugalis proueniat ab intrinſeco ex dubio ſcilicet valoris eiuſdem matrimonij.

6 Neq; eſt licita talis delectatio in parte ſenſitiua de redditione debiti.

Hic oritur difficultas, an ſaltem licita ſit eidem dubitanti delectatio partis ſenſitiuæ de actu redditionis debiti cogitati; ſi ab altero petatur? Videtur prima fronte dicendum, vtique licitum eſſe, ſiquidem licita eſt ipſa redditio, quinimmo debita, & per conſequens licita eſt etiam delectatio de eodem actu redditionis tanquã de obiecto licito, & debito; Nihilominus reſpondendum cenſeo, talem delectationem, ſi ſit partis ſenſitiuæ, non eſſe licitam, prout ſentire videtur *Caietanus tom. 1. opuscul. tract. 14. de delect. moros. dub. 1.*, & expreſsè ſuſtinet *Sanchez d. lib. 9. de debito coniug. disp. 44. num. 24* Dixi *partis ſenſitiuæ*, nam de delectatione in voluntate præciſè oppoſitum ſentiendum arbitror, quandoquidem talis delectatio voluntatis procederet ex motiuo licito, nempe de tali actu redditionis, ſi peteretur ab alio, quod vtique honeſtum eſt, & debitum. Ratio huius noſtræ reſponſionis ex eo deducitur, quod ſupra dicebamus in vltima reſponſione præcedentis diſquiſitionis, quod ſcilicet illa delectatio partis ſenſitiuæ ſit cum vehementi commotione ſpirituum vitalium deſeruientium generationi, & propterea eſt quaſi quædam incohatio coitus de præſenti, qui illicitus eſt, cum pro illo tempore non interueniat petitio, per quam ſolum cohoneſtatur, & hic patet diſcrimen, quod intercedit inter delectationem partis ſenſitiuæ, & delectationem voluntatis, ſitum in eó, quod partis ſenſitiuæ delectatio cauſat illam ſpirituum commotionem, quæ pro eo ſtatu illicita eſt, delectatio vero voluntatis ab ea præſcindit, & procedit ſub motiuo honeſto. Accedit, quod actus apetitus ſenſitiui attingunt ſua obiecta abſolutè non ſub conditione, prout proponuntur ab imaginatiua, quæ nequit conditionem apponere; actus autem voluntatis poſſunt ſub tali conditione ſua obiecta attingere.

Reſpondeo quarto, quando coniugibus interdictus eſt vſus coniugalis, vel ob votum caſtitatis ab vtroque emiſſum, vel profeſſionem alterius ex coniugibus cum conſenſu ab altero præſtito, probabilius eſt, quod non ſint licitæ delectationes partis ſenſitiuæ de copula inter ipſos cogitata. Ita *Abulenſis c. 5. Matthæi q. 197.*, *Sanchez d. lib. 9. de debit. coniug. disp. 44. num. 25.* contra aliquos Neotericos, quos ſuppreſſo nomine citat *idem Sanchez ibid. n. 20.* Ratio ex eo deducitur, quia votum caſtitatis abſolutè emiſſum, vel etiam profeſſionis Religioſæ non ſolum repugnat cum ipſo actu coniugali, ſed etiam cum quibuſcunque actibus venereis, ſeu ad venerem conducentibus; huiuſmodi ſunt delectationes venereæ de copula inter coniuges cogitata, ergo &c. Minor probatur, quia delectari de copula coniugata tanquam præſenti inter non coniuges abſolutè eſt læthaliter peccaminoſum, & ſecundum ſe aduerſatur voto caſtitatis, ergo etiam erit peccaminoſum inter coniuges obſtrictos tali voto, vtpotè quod eidem voto aduerſatur, quandoquidem hoc ſolum intercedit diſcrimen inter coniuges tali voto obſtrictos, & inter non coniuges, quod non coniuges nullo pacto poſſunt huiuſmodi actibus immiſceri, coniuges vero in tantum poſſunt, in quantum tenentur legibus iuſtitiæ, non aliter, nec alio modo, ſed delectari de copula cogitata, vt præſenti nulla lege tenentur, ergo &c. Neque obeſſe poteſt, ſi dicatur, quod adhuc permaneãt coniuges, & ſolum copula ſit eiſdem interdicta ob extrinſecam voti circunſtantiam, & proindè delectatio de eadem non ſit eiſdem vetita, ſicuti non eſt vetita, quando copula eſt ſolummodo interdicta ob circunſtantiam periculi mortis, vel ob affinitatem, & cognationem ſpiritualem ſubſe-

7 Interdicto vſu coniugali, ob votum caſtitatis vtriuſq; vel ob profeſsionem ab altero emiſſam de conſenſu alterius ſunt illicitæ huiuſmodi delectationes.

Inſtantia propoſita, & diſſoluta.

Digitized by Google

ſubſequenter contractam; Non, inquam, obeſſe poteſt, quia, vt benè notat *Sanchez d. lib. 9. de deb. coniug. diſp. 44. nu. 25.* illæ delectationes de copula coniugali, quando hæc ſolum vetita eſt ob circumſtantiam extrinſecam periculi morbi, vel ob affinitatem ſuperuenientem non aduerſantur illi extrinſecæ circunſtantiæ, delectationes vero de copula, quando inter coniuges intercedit votum caſtitatis, directè aduersãtur eidem voto, adeoq; &c.

8 Si alter tantum ſit obſtrictus voto caſtitatis nõ eſt eidem licita delectatio.

Hic ſolum inſurgit ratio dubitandi, an, ſi alter tantum ex coniugibus ſit obſtrictus voto ſimplici caſtitatis, ratione cuius obligetur dumtaxat ad non petendum, non autem ad non reddendum, poſſit hic in parte ſenſitiua delectari de redditione debiti, tanquam præſenti? Videtur prima fronte aſſerendum, vtique poſſe delectari ob rationem ſuperius adductam, quia ſcilicet talis eſt actus, quale eſt obiectum, ſed obiectum talis delectationis eſt licitum, ſiquidem eſt redditio debiti omni iure debita, ergo &c. Nihilominus abſolutè ſentiendum eſt, nec licitam eſſe talem delectationem reſpectu obſtricti voto ſimplicis caſtitatis. Ita *Sanchez loc. cit. nu. 25.* Ratio ex ſuperius dictis deducitur, quia ſcilicet votum caſtitatis abſolutè huiuſmodi actibus aduerſatur, & in tantum iſti permittuntur, inquantum vouens aliundè legibus iuſtitiæ obligatur ad reddendum, ſed nulla lege, nulloq; iure iuſtitiæ obligatur ad delectandum de huiuſmodi redditione extra actum coniugij, ergo &c.

Soluitur ratio oppoſita.

Ad rationem, quæ ex aduerſo afferebatur, dicendum eſt, aſſumptum verum eſſe, quando aliundè non annectitur malitia; in præſenti autem hypotheſi illi delectationi adnectitur malitia ratione voti, quod excludit quemcunque actum venereum, tam in re, quam in voto, & ſolum permittitur ipſa redditio, quatenus eſt debita de iure iuſtitiæ, non aliter, nec alio modo &c.

---

§. VIII.

An, & quando pollutionis periculum in coniugibus efficiat culpam mortalem, quæ antea non erat.

SVMMARIVM.

Status controuerſiæ expoſitus. 1.

Si dent operam rei licitæ neceſſariæ, vel vtili non peccant, quamuis præuideant pollutionem. 2.

Non peccat grauitèr confeſſarius audiendo cõfeſſiones præuidens ex illis ſecuturam pollutionem, ſi non conſentiat. 3.

Nec qui vtitur cibis, & potu moderatis. 4.

Nec qui equitaret. 5.

Nec qui ad ſedandum pruritum partes verendas refricaret. 6.

Nec qui partes verendas mundaret a lanugine. 7.

Nec qui ad remouenda obſtacula virtutis generatiuæ adhiberet remedia ordinaria. 8.

Si actio ſit illicita ex circunſtantia extrinſeca non inducit diuerſam culpam ab illa circunſtantiæ. 9.

Intellige niſi ſit periculum conſenſus in pollutionem. 10.

Vrgente graui neceſſitate licitæ ſunt hæ actiones non obſtante experientia lapſus. 11.

DIſquiſitio VIII. Coniuges plurimas exercebãt actiones, ex quibus præuidere poterant periculum pollutionis extra actum coniugij, quam tamen pollutionem non intendebant. Huiuſmodi actiones ſecluſo illo periculo poterant eiſdem eſſe licitæ, vel illicitæ ex alia cauſa. Quæſitum hic fuit, an ſemper huiuſmodi actiones cum illo periculo pollutionis præuiſæ, ſed nõ intentæ eſſent peccaminoſæ læthalitèr? 1 Status cõtrouerſiæ expoſitus.

Reſpondeo primo. Si coniuges, vel alij dent operam rei licitæ neceſſariæ, vel vtili non peccant, quamuis præuideant in eadem ſecuturam eſſe pollutionem, quam tamen non intendunt *D. Thomas ſecunda ſecundæ q. 154. art. 5. in corp., Abulenſis c. 5. Matthæi q. 246. vers. ſecunda cauſa, D. Antoninus ſecunda part. tit. 6. c. 5. §. quantum ad cauſam verſ. ſecunda cauſa, Nauarrus in ſumma c. 16. nu. 7., Ledesma prima part. q. 21. art. 7. dub. vlt., Valentia ſecunda ſecundæ diſp. 9. q. 3. punct. 3. §. cum autem cauſa, Graſſius prima part. decis. lib. 2. c. 87. in fine, Sanchez lib. 9. de debit. coniug. diſp. 45. n. 4.* Ratio facilè ex eo deduci poteſt, quia nemo tenetur ſe priuare iure ſuo in executione rei licitæ neceſſariæ, vel ſibi vtilis ob aliquem effectum, qui inde ſequi poſſit præter ipſius intentionem, & per accidens, ergo quis poterit exercere actionem per ſe licitam ſibique vel neceſſariam, vel vtilem, quantũuis in illa præuideat ſecuturam pollutionem, quam tamen nullo modo intendit; Neque obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, quod ille effectus, quantumuis non ſit volitus in ſeipſo, ſit tamen volitus in cauſa, cum in illa fuerit præuiſus certò moralitèr ſecuturus; Non, inquam, obeſſe poteſt, quia, cum illa actio ſit ſecundum ſe licita, neceſſaria, vel vtilis operanti, poteſt eſſe intenta ſecundum ſe, & non vt cauſatiua illius pollutionis, quamuis hæc

2 Non peccant, ſi dent operam rei licitæ neceſſariæ, vel vtilis.

Rationes pro reſpõſione afferuntur.

Digitized by Google

cognoſcatur ex illa ſecutura; poteſt enim velle, quod ſibi iuſtum, & licitum eſt, nō quod indè præter ipſius intentionem cōtingit; & ſic actio bonitatem ſumit ab eo, quod operans intendit, non malitiam ab eo, quod præter ipſius intentionem conſequitur.

Hic in particulari deduces primo, non peccare grauitèr Sacerdotem, qui in auditione confeſſionum ſacramentalium

3 *Non peccat confeſſarius audiendo confeſſiones.*

præuidet ſecuturam eſſe pollutionem *Sanchez d. lib. 9. de debit. coniug. diſp. 45. n. 4., & omnes DD. præcitati in reſponſione*, vlterius, *Tabiena verb. cogitatio q. 6.*, *Armilla verb. pollutio nu. 2.*, *Turrecremata c. non eſt diſt. 6. n. 2., & 4.*, *Vega ſecundo tom. ſummæ c. 67. caſu primo*, *Ludouicus Lopez prima part. inſtruct. c. 73. in fin.*, non enim tenetur abſtinere ab illo pio opere, ſibi, aliiſque vtili, vel neceſſario ob periculum pollutionis non intentæ.

4 *Nec qui vtitur cibis, & potu moderatis.*

Deduces ſecundo, nec peccare, qui vtitur cibis, & potu moderatis, ex quibus illud periculum præuideat ex infirmitate naturæ, vt colligitur *ex D. Gregorio reſp. 11. ad Auguſtinum*, & docet Sanchez ſupra allegatus cum vniuerſis præcitatis Doctoribus propter eandem rationem, & quia qui ex illa moderati cibi, & potus ſumptione pollutionem pateretur, potius pateretur, quam ageret.

5 *Nec qui equitaret.*

Deduces tertio, nec peccare, qui ex equitatione ob præcedentes experientias præuideret periculum eiuſdem pollutionis, ſi non obſtante tali præuiſo periculo equitaret; illa etenim actio licita eſt ſecundum ſe, ſibique ſaltem vtilis, cum nō teneatur pedeſter incedere. *Nauarrus in ſum. c. 16. nu. 7.*, *Manuel primo tom. ſummæ in ſecunda edit. c. 211. nu. 1.*, *Vega ſecundo tom. ſummæ c. 67. caſ. 1.*

6 *Nec qui ad ſedandum prurituū partes verendas tangeret, & refricaret.*

Deduces quarto, nec peccare eum, qui ad ſedandum pruritum partium verendarum eaſdem partes pudendas refricaret etiam cum præuiſione futuræ pollutionis, dummodo in illam non conſentiret. *Sanchez loc. cit. nu. 9.* eo quod hoc tendat ad maximam moleſtiam, quam idem pruritus affert, auertendam; nec illa perfricatio ſecundum ſe, nec in voluntate perfricantis ordinatur ad pollutionem.

7 *Nec qui partes verendas mūdaret à lanugine.*

Deduces quinto, nec eum peccare, qui partes verendas mundaret à lanugine, & aliqua putredine circa eaſdem vertente ad euertendam moleſtiam, & fætorem, quamuis indè præter intentionem ſequeretur pollutio; hoc etenim etiam pertinet ad maximam vtilitatem, & commodum mundantis, *Sanchez loc. cit.*

8 *Nec qui ad remouenda obſtacula virtutis generatiuæ adhiberet remedia ordinaria.*

Deduces ſexto, nec eum peccare, qui ad remouenda obſtacula virtutis generatiuæ adhiberet remedia ordinaria, quæ ex genere ſuo non tenderent ad veri ſeminis emiſſionem, ſed ad remouendos humores corruptos, quamuis inde præuidere potuerit pollutionem *Altiſiodorenſis lib. 2. ſummæ tract. 28. art. 2. q. 2.*, *Sanchez loco quo ſup. num. 10.*, hoc etenim pertinet etiam ad vtilitatem talia media adhibentis, cum ad naturalem conſtitutionem, & integritatem corporis naturalis pertineat virtus generatiua.

Reſpondeo ſecundo. Si huiuſmodi actio, quamuis ſecundum ſe licita, ſit illicita ratione alicuius extrinſecæ circunſtantiæ, quæ tamen ſecundum ſe, & directè non ordinetur ad pollutionem, non inducit culpam læthalem diſtinctam ab ea, quam affert illa circunſtantia extrinſeca, ſi adhibeatur, quantumuis ex illa præuideatur periculum pollutionis, dummodo non ſit conſenſus in illam. Hoc contingeret in eo, qui ſacras confeſſiones audiret ob inanem gloriam, vel cibos ſumeret pro die, qua teneretur ad ieiunium, ſi illi cibi eidem ieiunio aduerſentur. In hanc expreſsè conſentit *Sanchez d. lib. 9. de debit. coniug. diſp. 45. nu. 5.* Ratio ex eo deducitur, quia illa circunſtantia, quæ inficit illam actionem, quæ ſecundum ſe eſſet licita, nihil influit in illam pollutionem, ergo non inducit diſtinctam culpam ab ea, quam infert illa circunſtantia ſecundum ſe. Confirmatur exemplo Iudicis, qui puniret reum ſecundum ordinem iuſtitiæ, hoc tamen præſtaret ob iram, & affectum vindictæ aduerſus eundem reum ob aliquam iniuriam aliundè ab eodem ſibi irrogatam, quantumuis enim hic grauitèr peccaret ob illam circunſtātiam iræ, & finem vindictæ, non tamen peccaret contra iuſtitiam exercendo illam punitionem, ergo etiam, qui aliquam actionem ſecūdum ſe licitam, illicitam tamen ex aliqua circunſtantia exerceret, peccaret quidem contra virtutem, cui aduerſaretur illa circunſtantia, non contra caſtitatem, eo quia nec illa actio ſecundum ſe, nec eadem circunſtantia caſtitati opponeretur.

9 *Si actio ſit ſolum illicita ratione circūſtātiæ extrinſecę, quæ non ordinetur ad pollutionem non inducit diuerſā malitiam ab ea, quam dicit ipſa circunſtātia.*

10 *Intelligē niſi ſit periculū cōſenſus in pollutionem.*

Reſpondeo tertio, ea omnia, quæ dicta ſunt in præcedentibus reſponſionibus, intelligenda eſſe, niſi ſubeſſet probabile periculum conſenſus in illam pollutionem præuiſam in illis actionibus, ſiuè abſolutè licitis, ſiue licitis ſecundum ſe, illicitis tamen ex illa circunſtantia *Caietanus opuſ. tom. 1. tract. 22. de pollutione q. vnica art. 2. §. animaduerte tamen*, *Graſſius prima part. deciſ. lib. 2. c. 87. in fin.*, *Nauarrus in ſumma c. 16. nu. 7.*, *Ludouicus Lopez prima part. inſtruct. c. 73. §. penultimo*, *Emanuel Sà verb. luxuria verſ. pollutio inuoluntaria*. Ratio ex eo deducitur, quia con-

Digitized by Google

conſenſus in illam pollutionem, quamuis ex actione licita ſecuturam, eſt mortalitèr peccaminoſus, ergo etiam erit peccaminoſum ſe conijcere in moralitèr certũ periculum eiuſdem conſenſus, quandoquidem eodem iure, quo tenemur vitare malum, tenemur etiam vitare periculum eiuſdem mali, vndè meritò dicit ſcriptura *Eccleſiaſtici 3. Qui amat periculum, peribit in illo.* Quomodo autem coniectandum ſit, quod tale periculum ſit moralitèr certum, dicendum eſt, tunc tale arbitrari, & præſumi, quando experientia conſtat, quod in huiuſmodi actionibus vt plurimum conſenſus contigerit *Caietanus in ſumma verb. periculum, Nauarrus in ſumma c.3. n.14., Manuel primo tom. ſummæ ſecunda edit. c.49. n.2.*

II Ob graue neceſſitatem licitum eſt has actiones exercere non obſtante experientia lapſus, & quo modo.

Hic oritur difficultas, an vrgente aliqua graui neceſſitate licitum ſit huiuſmodi actiones exercere, in quibus experiẽtia compertum eſt, agentem vt plurimum in cõſenſum incidiſſe, elicito tamen antecedẽtèr firmo, & conſtanti propoſito non conſentiendi. Arbitror, vtique licitum eſſe, ſi aliundè tali neceſſitati non poſſet occurri. *D. Thomas ſecunda ſecundæ q. 10. art. 9. in corpore, Caietanus in ſumma verb. periculum, Nauarrus in ſumma c. 3. nu. 15.* Ratio ex eo deducitur, quia, vbi neceſſitas exigit talem actionem, & vbi operans firmitèr ſtatuit in corde ſuo ſe non conſenſurum, non poteſt dici, quod ipſe amet periculum, ſed potius, quod ab illo refugiat, ergo eidem non eſt imputandum ad culpam, ſi fortè in illud periculum ſe conijciat; Neque dicas, quod nulla neceſſitas poſſit cohoneſtare actionem, quę ſit ab intrinſeco mala, illud autem periculum conſenſus, ſicuti & ipſe conſenſus eſt ab intrinſeco malum; contra enim impugnaberis, quia, quantumuis eodem iure, quo interdicitur malum, interdicatur etiam periculum morale, & probabile eiuſdem mali, periculum tamen poteſt facilius depurari, eo quia eidem poteſt ex aliqua circunſtantia occurri, maximè ſi adhibeantur media opportuna, & efficacia ex parte operantis relatiuè ad diuinam bonitatem, & miſericordiam, à qua ſperẽtur maiora ſubſidia ad illud periculum ſuperandum; vnde neceſſitate compellente non erit, cur fretus diuini auxilij ſpe, & roboratus firmo propoſito non conſentiendi non poſſit, ſe in illam actionem conferre. Hoc contingeret in eo, qui ſe exponeret ad ſuccurrendum fæminæ grauitèr laboranti, vbi alterius medici copia non ſuppeteret. Hoc expreſsè indicaſſe videtur *D. Baſilius de conſtit. monaſt. c.4. paulò poſt principium,* dum dixit. *Bellum, quod præter voluntatem inciãt nobis, excipere fortaſſe neceſſarium ſit; ipſum vero voluntarium ſibi creare ſummæ ſtultitiæ eſt.*

---

§. IX.

An ſit culpa non euitare cauſam, ex qua periculum pollutionis extra actum coniugij præuideatur quando nulla neceſſitas, vel vtilitas vrget.

SVMMARIVM.

Exponitur ſtatus diſquiſitionis. 1.

Exercere actiones ſecundum ſe turpes, & in genere luxuriæ ſine neceſſitate cum præuiſione pollutionis eſt ſecundum ſe peccaminoſum. 2.

Coniux tangens alterum ſine neceſſitate præuidens periculum pollutionis, & non referens ad copulam grauiter peccat. 3.

Si tangatur ab altero, quamuis præuideat illud periculum non peccat. 4.

Si coniux tangit ſe ipſum ſine neceſſitate in partibus pudendis cum præuiſione pollutionis grauiter peccat. 5.

Si actiones non ſint ſecundum ſe turpes, non inducunt grauem noxam, ſi excludas periculum conſenſus. 6.

Si immoderatos cibos ſumeret, ex quibus in ebrietate præuideret periculum pollutionis, non contraheret diuerſam culpam à vitio intemperantiæ. 7.

Diſquiſitio IX. Iuxta terminos præcedentis diſquiſitionis in aliquibus actionibus ſecundum ſe licitis præuidebant aliqui imminere periculum pollutionis; nec tamen illę actiones erant ipſis neceſſariæ, vel valdè vtiles. Quæſitum hic fuit, an illas exercere ob periculum pollutionis certæ moralitèr in eiſdem præuiſæ ſit grauitèr peccaminoſum, ſi ſint abſque periculo conſenſus in illam pollutionem. Hoc diſcrimen intercedit inter hanc diſquiſitionem, & difficultatem vltimo loco propoſitam in præcedenti; quod in illa ſupponitur nedum præuiſum periculum pollutionis, ſed etiam periculum conſenſus in illam; in iſta vero ſupponitur quidem præuiſum periculum eiuſdem pollutionis, non tamen conſenſus in ipſam. I Factũ explicatũ in ſuis terminis.

Omiſſis varijs DD. opinionibus, quas ſecundum ſuas diſtinctiones, & rationes refert, examinat, & reſpectiuè refellit *Sanchez d. lib. 9. de deb. coniug. diſp. 45. à n. 11. vſque ad 33.* breuitèr me refero ad meum ſenſum aperiendum per ſubſequentes Actiones in duplici differẽtia, & quænã

reſponſiones, pro quibus aduerto, actiones, in quibus præuideri poteſt illud periculum pollutionis, eſſe poſſe in duplici differentia, alias, quæ ſecundum ſe proptèr affinitatem, quam habent cum ipſa pollutione, vel quia ad illam diſponunt commouendo ſpiritus vitales, vel quia eandem comitantur, proximè ad ipſam accedunt; atque iſtæ ex genere ſuo ſunt venereæ, & regularitèr turpes, cuiuſmodi ſunt tactus, aſpectus, amplexus, oſcula, verba turpia, & ſimilia; alias, quæ talem non habent cum illa ſecundum ſe affinitatem, cum nec venereæ ſint, nec turpes, nec ex genere luxuriæ, cuiuſmodi ſunt equitatio, eſus ciborum calidorum, & ſimilia. Quibus ſuppoſitis

Reſpondeo primo. Si actiones, quas exercent, ſint primi generis, in quibus

2 Exercere actiones turpes ſine neceſſitate cum præuiſione pollutionis eſt grauiter peccaminoſum.

præuideatur futura pollutio, illas exercere ſinè neceſſitate, vel graui vtilitate cum præuiſione illius periculi grauitèr peccaminoſum eſt. *Sanchez d. lib. 9. de deb. coniug. diſp. 45. n. 16., Caietanus verb. pollutio ad finem, Phyliarcus de officio ſacerdotis tom. 1. part. 2. lib. 4. c. 18., D. Antoninus ſecunda parte tit. 6. c. 6. quantum ad cauſam verſ. ſecunda cauſa, Nauarrus in ſumma c. 16. nu. 6.*, & vlterius quotquot ſuſtinent indiſcriminatim, ſemper eſſe peccatum læthale dare operam huiuſmodi actionibus, ex quibus præuideatur periculum illud pollutionis ſine neceſſitate, vel vtilitate non diſtinguentes inter actiones primi, & ſecundi generis; atque iſti ſunt *Medina prima ſecunda q. 74. art. 6. ad tertium, Valentia ſecunda ſecunda diſp 9. q. 3. punct. 3. §. ideo duo requiruntur, Petrus à Nauarra lib. 2. de reſtit. c. 1. dub. 5. nu. 39., Sotus in 4. diſt. 12. q. 1. art. 7. verſ. ex his autem colligito, Graffius prima part. deciſ. lib. 2. c. 87. n. 13.* Ratio ex eo deducitur, quia ex vna parte, vbi nulla neceſſitas, vel vtilitas compellit ad exercitiũ huiuſmodi actionum, voluntariè ſe ingerit in illas actiones, & per conſequens in illud periculũ præuiſum; ex alia parte, cum eædem actiones proximè diſponant, & influant in eãdem pollutionem excitando ſpiritus vitales, & humores commouendo, videtur liberè velle in cauſa eandem pollutionem, ergo illas exercere ſine tali neceſſitate, vel vtilitate, erit peccaminoſum grauitèr, cum hoc nihil aliud ſit, quam velle liberè in cauſa eandem pollutionẽ.

Interdicto opere interdicuntur ea, quæ proximè influunt in opus.

Confirmatur, quia eodem iure, quo cuicunque interdicitur opus aliquod, interdicuntur omnia, quæ notabilitèr, & proximè influere, & conducere poſſunt, quinimmò certò moralitèr conducent ad tale opus, ergo cum illæ actiones ſecũdum ſe turpes, venereæ, & in genere luxuriæ ſecundum ſe, & proximè influant, & diſponant ad pollutionem eodem iure, quo interdicitur ipſa pollutio, intelliguntur, & ipſæ interdictæ.

Neque obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, quod, cum illæ actiones ſecundum ſe licitę ſint, & eximãtur à quacunque culpa, quando fiunt cum aliqua neceſſitate, vel vtilitate, non poſſint deturpari ex eo, quod nulla neceſſitas, vel vtilitas interueniat; quod enim abſolutè licitum eſt, æque fieri poteſt, ſiue neceſſitas interueniat, ſiue non; Non, inquam, obeſſe poteſt, quia illæ actiones ad ſummum licitę ſunt, quãdo non coniunguntur cum proximo periculo pollutionis, & vtique præuiſo, & licet concurrente neceſſitate, vel vtilitate cohoneſtentur, eadem tamen non concurrente nullatenus valent à prauitate depurari. Ratio ex eo deducitur, quia actiones potiſſimum ſpecificantur à fine, ſub quo eliciuntur; finis autem, quando neceſſitas vrget, vel vtilitas, eſt complementum eiuſdem neceſſitatis, vel vtilitatis, quod ſecundum ſe honeſtum, & licitum eſt; quando vero nulla neceſſitas, nec vtilitas vrget non poteſt eſſe niſi incitamentum ad luxuriam, vel non impedimentum ipſius, cum actiones illæ proximè influant ad eandem.

Inſtantia propoſita & diſſoluta.

Maior hic oritur difficultas, an ea, quæ in hac reſponſione dicta ſunt, æquè intelligenda ſint, ſiue ij, qui exercent tales actiones, non ſint coniugati, ſiue coniugati. Reſpondeo in ordine ad coniugatos, diuerſas habendas eſſe conſiderationes, & quidem in ordine ad diuerſas actiones; vel etenim huiuſmodi actiones conſiſtunt in tactibus, & tunc diſtinguendum eſt: aut huiuſmodi tactus ſe tenent ex parte agentis, aut ſumuntur ex parte patientis; ſi ex parte agentis, abſolutè crederem, ſic tangentem alterum coniugem cum præuiſione illius periculi, nec ordinantem huiuſmodi tactus ad copulam coniugalem grauitèr peccare, ſi id præſtet ſine cauſa vrgenti *Sanchez de lib. 9. de debito coniug. diſp. 45. num. 36.* Ratio eſt, quia tales tactus ſunt per ſe cauſa pollutionis, quæ vtique in eiſdem præuidetur, ergo talis cauſa remouenda eſt, ne effectus ille, qui in eadem præuidetur, ſequatur. Dixi, *ſi id præſtet ſine cauſa vrgenti*, quia, ſi hoc ageret ad mutuum amorem conciliandum, vel diſſidia tollenda inter eoſdem coniuges excitata; non damnarem grauis culpæ coniugem actiuè operam dantem talibus tactibus, quando non nimia voluptas adeſt in illis, nec nimium incitamentum ad pollutionem; ratio eſt, quia adeſt iuſta cauſa cohoneſtans huiuſmodi tactus, mutuus ſcilicet

3 Coniux tangens alterum cum præuiſione pollutionis nõ referens tactũ ad copulã peccat grauiter.

4 Si tangatur ab altero, non peccat.

amor

amor inter coniuges maximè neceſſarius ad indiuiduam vitæ vnitatem, & ad prolis debitam educationem; Si vero ſumantur ex parte patientis, nullam culpam in ijs tactibus agnoſco, quandoquidem patiens tenetur illos reddere, & reddendo dat operam rei licitæ, & vtique iure iuſtitiæ debitæ. Rurſus huiuſmodi tactus poſſunt eſſe in altero coniuge quoad ſe ipſum, non in ordine ad alterum coniugem, & tunc adhuc diſtinguendum cenſeo; vel etenim huiuſmodi tactus fiunt in partibus pudendis, & proximè ſunt incitatiui ad libidinem, vel in alijs partibus non ita proximè influentibus; ſi primum dicatur, arbitror non eximi ſic tangentem ſine neceſſitate, & graui cauſa a graui culpa, quia illi tactus præuidentur tanquam proxima cauſa pollutionis; ſi ſecundum, idem dicendum erit, quod dicetur in ſequenti reſponſione, dum de actionibus non venereis ſecundum ſe, nec proximè inducentibus ad pollutionem. Rurſus, vel huiuſmodi actiones non conſiſtunt in tactibus, amplexibus, vel oſculis, quæ omnia veniunt nomine tactuum, ſed in aſpectibus, & verbis turpibus, & tunc ſi ſint cum illo periculo pollutionis præuiſæ, certè inducunt grauem noxam, quia valdè conferunt ad pollutionem, & nulla ſupponitur intercedere grauis cauſa excuſans huiuſmodi actiones.

5 **Si tangat ſe ipſum in partibus pudẽdis cum præuiſione pollutionis grauiter peccat.**

Reſpondeo ſecundo. Si actiones, quæ fiunt, ſint ſecundi generis, probabilius non inducunt noxam læthalem, quantumuis in ipſis præuideatur periculum pollutionis, dummodo non ſit periculum conſenſus in eandem *Phyliarchus de offic. ſacerd. tom. 1. part. 2. lib. 4. c. 18., Henriquez lib. 8. de Euch. c. 51. num. 2., & lib. 11. de matrimon. c. 16. num. 6., Suarez 3. part. q. 80. art. 7. paulo poſt princip., Sanchez lib. 9. de deb. coniug. diſp. 45. num. 16., Vaſquez prima ſecundæ q. 74. art. 8. diſp. 115. num. 9.* Ratio ex eo deducitur, quia huiuſmodi actiones per ſe proximè, & formalitèr non influunt in illum effectum, nec ſunt verè, & moralitèr cauſæ illius effectus, ſed ad ſummum remotè, per accidens, & ſecundum quid; nemo autem tenetur vitare cauſas remotas per accidens ad vitandum effectum, quem in illis præuidet, in quem tamen non conſentit, ſeu quem potius non vellet. Sic in particulari nemo tenetur abſtinere ab vſu aliquorum ciborum, in quibus præuidet periculum pollutionis, quam tamen ipſe non intendit, quin potius præter, ſeu contra ipſius intentionem eſt ſecutura. Quid verò ſit ſentiendum, quando immoderatos cibos, & potus quis ſumeret, ex quibus in ebrietate, vel aliter præuideret periculum pollutionis, an ſcilicet tunc contraheret nouam malitiam pollutionis contra caſtitatem ſupra illam, quam contraheret ex immoderata commeſtione contra virtutem temperantiæ? Negatiuè ſentiendum arbitror *Vaſquez prima ſecunda q. 74. art. 8. diſp. 115. num. 9., Suarez 3. parte q. 80. art. 7. paulo poſt princip., Sanchez d. lib. 9. de debit. coniug. diſp. 45. nu. 17.* Ratio deducitur ex dictis in præcedentibus, quia huiuſmodi actio per ſe proximè, & directè non influit in pollutionem, nec propria eſt cauſa ipſius, ſicuti ſunt actiones turpes, & venereæ primi generis, ergo, cum illa pollutio non ſit volita in ſe ipſa, nec in intentione operantis, quin potius per hanc excluſa, nec actio, in qua præuidetur, directè, & propriè illam inferat, non erit imputandum eidem agenti ad culpam diſtinctam ab intemperantia, & peccato gulæ.

6 **Si actiones nõ ſint ſecundum ſe turpes non ſunt ſecundum ſe grauiter peccaminoſæ, ſi excludas periculũ cõſenſus.**

7 **Si immoderatos cibos ſumeret, ex quibus inebrietate præuideret periculum pollutionis, non contraheret diuerſam culpam à vitio intemperantiæ.**

Aduerſus hanc noſtram reſponſionem plurima congerunt argumenta *Medina prima ſecunda q. 74 art. 6. ad tertium, Zumel ead. q. art. 8. diſp. 4. ante dubium primum in ſolut. ad primum, Valentia 2. 2. diſp. 9. q. 3. punct. 3. verſ. itaque duo requiruntur, Corduba lib. 2. quæſtionarij q. 3. col. penult. §. quinto probatur, & alij contrariæ ſententiæ aſſertores,* quæ tamen ad hæc reducuntur; primo, quia præceptum, quod obligat ad vitandam pollutionem, obligat etiam ad euitandam cauſam, in qua præuidetur, quod exemplificari poteſt in præcepto non occidendi, quod obligat non ſolum ad euitandum homicidium, ſed etiam cauſam, in qua præuideri poteſt periculum eiuſdem homicidij. Secundo, quia regula generalis eſt, quod qui vult antecedens, vult etiam conſequens, & qui vult cauſam, velit etiam effectum per textum *in l. 1. §. 1. ff. ſi vſuſfructus petatur*, ergo volens actionem, in qua præuidet pollutionem, intelligitur etiam implicitè velle eandem pollutionem. Tertio, quia ſtrictius obligantur homines ad non prodigendum ſemen ad generationem ordinatum, quam ad conſeruandum aliquod membrum corporis, ſiquidem in ordine ad bonum totius poteſt membrum abſcindere, non ſic ſemen effundere extra actum coniugalem; ſed non poteſt quis licitè actionem aliquam exercere, ex qua præuidet certum moralitèr periculũ abſciſſionis manus, vel pedis, ergo nec poterit actionem licitè exercere, ex qua præuidet futuram pollutionem. Sed facili negotio prædictis omnibus poſſumus occurrere aſſerendo ad primum, quod ius, quod obligat ad vitandam pollutionem, obliget etiam ad vitandas cauſas, quæ per ſe, proximè, & directè conducunt ad eandem, & hoc quidem

Diuerſa obiecta contra mox dicta.

Satisfit rationibus oppoſitis.

Ius, quod obligat ad vitandam pollutionem, obligat ad euitanda ea, quę proximè inducunt ad eandẽ, non ea, quæ occaſionalitèr ſe habent ad illam.

dem ſub læthali, non autem ſub eodem onere eas cauſas, quæ per ſe non influunt, nec proximè inducunt, cum ex genere ſuo non incitent, ſed ad ſummum per accidens, & præter intentionem operantis; Ad ſecundum idem ferè reſpondeas, quod ſcilicet, qui vult antecedens, & cauſam, velit etiam conſequens, & effectum, quādo ſcilicet antecedens eſt neceſſario, & per ſe connexum cum conſequenti, & cauſa directè per ſe, & formalitèr influit in effectū, ſecus quando antecedens non eſt per ſe connexum, ſed tantum per accidens, & præter intentionem operantis, nec cauſa per ſe tendit in effectum, ſed per accidens tantum. Ad tertium dicendum eſt, quod ly *ſtrictius obligare* poſſit multiplicitèr concipi; primo, quatenus importet, quod nunquam poſſit directè violari præceptum vitandæ pollutionis, nec etiam in ordine ad bonum totius, in ordine tamen ad quod poteſt violari directè præceptum non occidendi, ſeu non mutilandi, & in hoc ſenſu certè ſtrictius obligat præceptum vitandæ pollutionis, quæ nequit exerceri etiam in ordine ad corporis ſanitatem tuendam, vel reparandam, pro qua tamen poteſt membrum reſcindi; ſecundo quatenus importet, quod vitanda ſit quæcunque cauſa, quæ per ſe, & proximè non influit in ſuum effectum, ſed ad ſummum per accidens potius in ordine ad pollutionem, quam in ordine ad homicidiū, vel mutilationem, & hoc falſum omnino videtur, prout latè probat *Sanchez de matrim. lib. 9. de debito coniug. diſp. 45. num. 15.*, vnde ſubdit, quod pollutio non volita in ſe non ſit ſecundum ſe peccatum, benè tamen homicidium. Si autem quæratur ratio, ob quam pollutio, quæ ſequitur ex cauſa remota, & notabilitèr non incitante, quantumuis fuerit in ipſa præuiſa non imputetur ad culpam; imputetur tamen ad culpam homicidium, ſeu mutilatio præuiſa in cauſa etiam remota, & non ita proximè influente; dicam hoc prouenire, quia in ordine ad pollutionem, quando cauſa non eſt per ſe venerea, nec proximè influit, ipſa ſeminis emiſſio procedit potius ex virtute naturali expultrice, & ſuaptè natura eſt potius ad naturæ alleuiationem, quam ad coitum, & ad prolis propagationem; in ordine verò ad homicidium, & mutilationem, quantumuis cauſa non ſit ſecundum ſe proximè inductiua eiuſdem, non procedit tamen homicidium, ſeu mutilatio aliqua virtute naturalitèr impellente, vnde culpa refundenda eſt in præuidentem, & non præcauentem. Deinde illa emiſſio ſeminis ex illa cauſa remota procedens non poteſt eſſe proli

Procedit pollutio potius à virtute naturali expulſiua quam à cauſa.

præiudicialis, quia cum natura vim habeat quibuſdam temporibus expellendi eum humorem parum referre poſſe videtur, quod paulo ante exeat natura impellente concitata quodamodo ex illa cauſa excitante; illa autem cauſa, ex qua præuidetur futurum homicidium, ſeu mutilatio eſt maximè alteri noxia, adeoq; &c.

---

§. X.

An, qui dedit cauſam pollutioni, vacet culpa quoad eandem, ſi ante effectum pæniteat eiuſdem cauſæ.

SVMMARIVM.

Proponitur facti ſeries, & exponitur. 1.
Si ſequatur poſt reuocationē cauſæ, in qua fuit præuiſa pollutio non inducit diuerſā malitiā ab ea, quā inuoluit malitia eiuſdē cauſæ. 2.
In hac ſuppoſitione non eſt neceſſaria in confeſſione pollutionis ſecutæ expreſſio. 3.

Diſquiſitio X. In ſuppoſitione, quod pollutio non ſit volita in ſe ipſa, ſed tantum in cauſa, & per conſequens ratione eiuſdem ſolum peccaminoſa, poſtquam Caius operam dedit alicui actioni ſecundum ſe inducenti proximè ad eundem effectum pollutionis (in quo ſenſu diximus non eximi a graui culpa) eiuſdem actionis ante effectus adimplementum pænituit. Hic duo inſurgunt dubitanda. Primum, an pollutio, ſi inde ſequatur poſt reuocationem cauſæ, ſeu poſt pænitentiam vacet culpa, cum cauſa intelligatur interciſa. Secundum, an interciſa cauſa per pænitentiam ante ſubſecutum effectum ſatis ſit in confeſſione exponere cauſam iam datam, an verò neceſſarium ſit exprimere etiam effectum ſecutum poſt reuocationem cauſæ, ſeu poſt pænitentiam.

1 Facti ſeries expoſita cum rationibus dubitandi.

Reſpondeo primo ad primum. Pollutio ſecuta poſt reuocationem cauſæ in qua fuit præuiſa, ſeu poſt pænitentiam cauſæ datæ non inducit diuerſam culpam ab ea, quam inuoluit malitia volitionis cauſæ. *Maior in 4. diſt. 9. q. 2. concl. 2.*, *Henriquez lib. 5. de pænit. c. 5. num. 5. in commento lit. A.*, *Sotus in 4. diſt. 12. q. 1. art. 7. verſ. hinc fit*, *Graffius prima part. deciſ. lib. 2. c. 87. num. 14. in fin.*, & alij plurimi quos citat, & ſequitur *Sanchez d. lib. 9. de deb. coniug. diſp. 45. num. 29.* Ratio huius reſponſionis ex eo deducitur, quia nullum poteſt eſſe peccatū, quod non ſit voluntarium, ſed illa pollutio in dicta hypotheſi nullo modo eſt voluntaria non in ſe ipſa,

2 Si cauſa fuerit reuocata ante implementū pollutionis nō inducit diuerſā malitiam ab ea, quam inuoluit cauſa.

vt

vt ſupponitur, cum potius ſit contra intentionem operantis; non in ſua cauſa, in qua fuit præuiſa, cum hæc ante executionem eiuſdem fuerit reuocata, & per pænitentiam interciſa, ergo nullo modo inducit malitiam diſtinctam ab ea, quam inuoluit volitio eiuſdem cauſæ. Neque dicas, quod, cum ipſa pollutio fuerit præuiſa in cauſa, & cauſa ipſa fuerit abſolutè in ſe volita, intelligatur ipſa pollutio ſufficientèr voluntaria, vt ſit imputabilis ad culpam, & cum cauſa ipſa non potuerit ſufficientèr reuocari, quantum ad impediendam ipſam pollutionem, non videtur etiam ſufficientèr reuocata voluntarietas ad eandem pollutionem, cum perſeueret in cauſa non ſufficientèr reuocata quoad hunc effectum; Contra enim impugnaberis, quia, cum ille effectus non contineatur neceſſariò, & inſeparabilitèr in illa cauſa, ſublata voluntarietate in cauſa per pænitentiam ante effectus executionem, videtur ſufficientèr reuocata voluntarietas quoad eundem effectum, quæ non eſt alia voluntarietas, quam illa eiuſdem cauſæ. Limitarem tamen hanc reſponſionem in caſu, quo, quando qui pæniteret volitionis eiuſdem cauſæ, effectus pollutionis iam eſſet in via, adeo vt non poſſet amplius impediri, quia tunc talis effectus perindè haberetur, ac ſi eſſet poſitus perſeuerante adhuc cauſa; hoc contingeret in caſu, quo ex tali actione, ſeu cauſa ſemen iam eſſet è renibus extractum, & per meatus euaderet. Confirmantur ea omnia, quæ dicta ſunt in hac reſponſione ex ijs, quæ docent *D. Thomas 3. part. q. 80. art. 7. in corpore, Martinus de Magiſtris q. de pollut. noct., Nauarrus in ſumma c. 16. num. 8., Paludanus in 4. diſt. 9. q. 3. art. 1. concl. 1. num. 5.*, nempe, quod pollutio nocturna non habeat aliam malitiam in ſe ipſa, niſi illam, quam fortè habet in cauſa, ergo tota malitia refundenda eſt in volitionem eiuſdem cauſæ, adeoque remota voluntarietate in cauſa per pænitentiam ante effectum ſecutum eiuſdem pollutionis, pollutio ipſa non erit imputabilis ad culpam diſtinctam à volitione eiuſdem cauſæ.

Proponitur inſtãtia, & diſſoluitur.

Limitatio niſi effectus pollutionis iam eſſet in via.

Confirmatio reſponſionis.

3 **In hac ſuppoſitione non eſt neceſſaria in confeſſione pollutionis ſecutæ expreſſio.**

Reſpondeo ſecundo. In ea hypotheſi remotionis cauſæ per pænitentiam ante ſubſecutum effectum, ſi poſtea hic ſubſequatur, quamuis tutius ſit, quod ille, qui cauſam dedit, exprimat in confeſſione ſacramentali, quod non ſolum cauſam dederit, quamuis reuocauerit, ſed etiam, quod pollutio ipſa fuerit ſubſecuta; probabilius tamen eſt, quod non ſit neceſſaria talis pollutionis ſecutæ expreſſio. Quoad primam partem, quod ſcilicet tutius ſit, quod exprimatur ipſa pollutio ſecuta ex tali cauſa præuiſa, docent *Ludouicus Lopez ſecunda part. inſtruct. c. 31. § præterea, quia omnibus, & 2. part. c. 76. de Euchariſtia §. ſequitur, Sotus in 4. diſt. 12. q. 1. art. 7. verſ. hinc fit.* Quoad ſecundam, ſcilicet, quod non ſit neceſſe eandem pollutionem in data hypotheſi exprimere, docet *Sanchez d. lib. 9. de debit. coniug. diſp. 45. num. 30.* Ratio primæ partis ex eo deducitur, quia, vt benè notat *Ludouicus Lopez loc. cit.*, explicato effectu pollutionis ſecutæ clarius innoteſcit prior culpa in cauſa. Secundo, quia aperiendo talem effectum pollutionis ſecutæ tollitur omnis ſcrupulus, qui poteſt oriri ex contraria opinione, & in ijs, quæ ſpectant ad bonum ſpirituale animæ, tutior pars eſt eligenda; tutius autem eſt, ſi ille effectus exprimatur, quam ſi non exprimatur. Ratio ſecundæ partis ex eo deſumitur, quia iuxta ſuperius dicta in præcedenti reſponſione pollutio ipſa ſecundum ſe in data hypotheſi reuocationis cauſæ per pænitentiam ante ſecutum effectum nullam inuoluit malitiam diſtinctam à malitia volitionis eiuſdem cauſæ, ergo nulla eſt neceſſitas ipſam exprimendi in ſacramentali confeſſione.

Nõ inducit malitiam ſpecie diuerſam.

Dices, qui alterum percuſſit gladio, ex qua percuſſione ſecuta eſt mors, non ſatisfacit oneri confeſſionis fatendo præcisè percuſſionem, quamuis eiuſdem pænituerit ante mortem, ſed vlterius tenetur cõfiteri, eſſe ipſam mortem ſecutam, ergo etiam, qui cauſam dedit pollutioni per actionem aliquam proximè, & venereè inducentem ad eandem, ſi eadem fuerit ſecuta, non ſolum tenebitur cauſam in confeſſione exprimere, ſed etiam effectum ſecutum non obſtante, quod ante ipſius adimplementum pænituerit cauſæ datæ. Sed contra neganda eſt conſequentia. Ratio diſcriminis in eo ſita eſt, quia percuſſio ipſa tendit ad mortem, nec eſt amplius in poteſtate percutientis mortem auertere, ſi vulnus ſit tale, quod eandem inferat; illa autem cauſa data non ex ſe tendit ad pollutionem, ſed ſolummodo per accidens, & præter intentionem dantis illam cauſam; vnde etiam dici poteſt, quod mors in primo caſu vel ſit volita in ſe ipſa, vel ſaltem in cauſa proxima, & per ſe, pollutio verò non ſit volita in ſe ipſa, ſed ad ſummum in cauſa remota, & per accidens.

Inſtantia paritatis propoſita, & diſſoluta.

§. XI.

Digitized by Google

§. XI.

Vtrum aliquando licitum ſit deſiderare pollutionem.

SVMMARIVM.

Factum in particulari caſu expoſitum. 1.
Sententia aſſerens ſic optantem, & in deſiderio, & in complacentia peccaſſe. 2.
Si deſiderium ſit ſolummodo in ordine ad delectationem veneream captandam, nullo modo licitum eſt. 3.
Si fuerit in ordine ad finem honeſtum, non eſt peccaminoſum. 4.
Si complacentia fuerit de pollutione propter effectum bonum, non eſt peccaminoſa. 5.
Quamuis ſit licitum deſiderare ob bonum honeſtum, non eſt tamen licitum procurare. 6.
Si deſiderans pollutionem nimys cibis vteretur ad eum finem grauiter peccaret. 7.
Si non ad eum finem, non contraheret diuerſam culpam ab intemperantia. 8.

1 Factum in particulari expoſitum.

DIſquiſitio XI. Titius iuuenis quidam nobilis, & robuſtæ, firmæque complexionis concupiſcentiæ illecebris allectus ſæpius in ſe ipſo pollutionem exoptabat, nullam tamen opem præſtans ad illius executionem, & complementum, &, cum quandoque eadem euenerit ſine ipſius cooperatione excepto deſiderio, de ipſa gaudebat. Quærebat, an in illo deſiderio, & complacentia, & gaudio reſpectiuè graue peccatum commiſerit, an non?

2 Sententia aſſerens, & in deſiderio, & in cōplacẽtia peccaſſe.

Sotus *in 4. diſt. 12. q. 1. art. 7.*, *Ludouicus Lopez prima part. inſtruct. c. 74.* cum alijs pluribus docent in illo deſiderio, & reſpectiuè gaudio, & complacentia ſecuto effectu Titiū grauiter peccaſſe; ad quod aſſerendum pluribus rationibus mouentur, primo quia id, quod licitum eſt deſiderare, licitum eſt etiam procurare, ſed nullo modo fas eſt procurare in ſe ipſo, vel in alio pollutionem; vnde communiter docent DD. quod nullo modo licitum ſit medicis propinare Pharmaca infirmis per ſe, & directè conducentia ad emiſſionem ſeminis, quantumuis hoc ordinetur ad bonum totius, ergo &c. Secundo, quia nulla ratione licitum eſt deſiderare id, quod ab intrinſeco malū eſt, ſed pollutio eſt ab intrinſeco mala extra actum coniugij, ergo &c. Tertio, quia quando aliquid per ſe illicitum eſt, quantumuis contingat in ſomno, in ebrietate, vel furore, non eſt licitum de illo gaudere, vel delectari, vt videre eſt in adulterio, vel homicidio, ergo &c.

Ex quibus capitibus poſſit prouenire illud deſiderium, & cōplacentia.

Vt clarius hac in re procedamus aduertendum eſt, ex multiplici capite poſſe prouenire illud deſiderium, ſeu gaudium; primo præciſè ex fine captandæ voluptatis venereæ; ſecundo ex fine maioris ſalutis acquirendæ, vel ſanitatis recuperandæ; tertio ex fine ſedandæ concupiſcentiæ, vel tranquilitatis animi acquirendæ. In ordine ad hos omnes fines præſens diſquiſitio eſt dirimenda. Pro qua.

3 Si deſiderium fuerit ſolum in ordine ad delectationem veneream captādam nullo modo licitū eſt.

Reſpondeo primo. Si deſiderium fuerit ſolummodo in ordine ad oblectationem veneream captandam nullo modo licitum eſt. *Leſſius lib. 4. de iuſt. & iure c. 3. dub. 14. num. 104. verſ. dico primo,* qui teſtatur de communi DD. conſenſu, & per conſequens grauiter in eodem peccauit Titius. Ratio ex eo deducitur, quia illa delectatio venerea ſecundum ſe ſumpta, & liberè volita eſt grauiter peccaminoſa, ergo conſenſus in eandem, & deſiderium eiuſdem potiſſimum per medium ſecundum ſe illicitum, quale eſt pollutio intenta in illo deſiderio erit graue peccatum; Neque dicas, quod, cum illud deſiderium feratur in illam pollutionem non vt exercendam modo illicito, ſed via naturali per cauſas à natura cōſtitutas ſine vlla cooperatione deſiderantis, depuretur à quacunque iniquitate, & cum voluptas illa venerea naturalitèr conſequatur ad illam pollutionem non videtur trahere aliquam iniquitatem; contra enim impugnaberis, quia actiones potiſſimum ſpecificantur ab obiecto, in quod tendunt, & à fine, ſub quo tendunt; obiectum autem, & finis illius deſiderij eſt illa voluptuoſa libido, quæ eſt directè intenta; nec poteſt hæc depurari à labe ex eo, quod intendatur per cauſas à natura conſtitutas, quandoquidem ipſa delectatio primario appetitur ſecundum ſe, & eſt directum obiectum talis deſiderij, ad quod nequit ipſe licitè intentionalitèr, & quantum eſt in ipſius affectu dirigere cauſas à natura conſtitutas; atque huius opinionis ſunt etiam *Nauarrus in manual. c. 16. num. 8. verſ. tertio frangit hoc præceptum*, *Silueſter verb. pollutio.*

Actiones ſpecificãtur ab obiecto in quod tendunt.

4 Si fuerit in ordine ad aliquē finem honeſtū non eſt peccaminoſum.

Reſpondeo ſecundo. Si tale deſiderium fuerit in ordine ad ſalutem corporalem ſeruandam vel recuperandam, vel concupiſcentias carnis ſedandas, vel ad tranquillitatem animi, probabilius eſt, quod nullam noxam trahat, & per conſequens, quod Titius in eo deſiderio non peccauerit *Caietanus 2. 2. q. 154. art. 5.*, *D. Antoninus 2. part. tit. 6. c. 3.*, *Silueſter verb. pollutio*, *Nauarrus in man. c. 16. num. 8.*, *Toletus lib. 5. c. 13.*, *Angelus verb. pollutio num. 2.*, *Leſſius lib. 4. de iuſt. & iur. c. 3. dub. 14. num. 105.*

Ratio

Ratio ex eo deducitur, quia tale deſiderium non eſt peccaminoſum, neque ratione obiecti, in quod tendit, neque ratione finis, ſub quo tendit, neque ratione modi, per quem tendit; non ratione obiecti, quia hoc nihil aliud eſt, quam ſanitas corporis, ſedatio ſtimulorum carnis, & animi pax; Non ratione finis, quia hic non diſtinguitur ab ipſo obiecto formali, quod conſiſtit in præcitatis; Non ratione modi, quia non intendit, vt fiat modo vetito, & contra exigentiam naturæ, ſed per naturales cauſas natura ipſa ſe alleuiante, & per vires proprias eiciente, quod ſibi noxium eſt. Confirmatur *ex D. Thoma in 4. diſt. 9. q. 1.*, vbi aſſerit non eſſe peccatum complacere ſibi de præterita pollutione ob ſanctum finem, & purum, & ab omni malo defæcatum, cum tamen peccatum propter nullum finem, quantumuis ſanctum poſſit vlli iuſtè placere, vt latè probat *Nauarrus in c. inter verba 11. q. 3., & in addit. c. quando de conſec. diſt. 1.*, ergo, ſi non eſt peccatum complacere de eadem pollutione præterita ob ſanctum, & bonum finem, nec erit peccatum illam deſiderare ob ſanctum finem, dummodo nulla interueniat cooperatio.

Rationes reſpõſionis.

Reſpondeo tertio. Si complacentia, ſeu gaudium de pollutione ſecuta fuerit propter bonum inde ſecutum, nempè propter adeptam ſanitatem, ſedatas carnis concupiſcentias, & acquiſitam animi tranquilitatem, non erit peccaminoſum *D. Thomas in 4. diſt. 9. q. 3. art. 4. ad quintum, Paludanus ibid. art. 1., Caietanus 2. 2. q. 154. art. 5., D. Antoninus 2. part. tit. 6. c. 3., Nauarrus in ſumma c. 16. num. 8. verſ. tertio frangit, Leſſius d. lib. 4. de iuſt. & iur. c. 3. dub. 14. num. 105. verſ. dico quarto*; Non difficilis eſt probatio præſentis reſponſionis ſuppoſitis præcedentibus, nam de quo licitum eſt deſiderium, quando eſt abſens, & nondum poſſeſſum, eſt etiam licitum gaudium, & complacentia, quando eſt præſens, & poſſeſſum, nam gaudium neceſſario reſultat ex bono deſiderato poſſeſſo, ſeu conſecuto. Confirmatur, quia obiectum ſiue materiale, ſiue formale talis gaudij, ſeu complacentiæ non inuoluit aliquam moralem turpitudinem, ſiquidem materiale nihil aliud eſt, quam ipſa pollutio facta per cauſas à natura conſtitutas non concurrente, ſeu non cooperante ipſam patiente, formale verò nihil aliud eſt, quam ſanitas acquiſita, tranquillitas animi, & ſedatio concupiſcentiæ.

5 **Si complacentia fuerit de pollutione propter bonũ, non eſt peccaminoſa.**

Iam reſpondeamus ad rationes, quæ ex aduerſo afferebantur. Ad primum dic, falſum eſſe generatim ſumptum illud effatum, ſcilicet licitum eſſe procurare, quod eſt licitum deſiderare; poteſt enim quis ſibi mortem deſiderare, vel alteri, non tamen licet operè eam procurare, prout rectè notauit *Sotus lib. 5. de iuſt. q. 12. art. 1., Caietanus 2. 2. q. 154. art. 5.* Ad ſecundum dic, non eſſe per ſe malam illam pollutionem, prout procedit ex cauſis naturalibus nulla interueniente cooperatione eius, qui illam patitur. Ad tertiam dicendum eſt, quod id, quod per ſe malum eſt, & excuſatur à culpa ratione ignorantiæ, ebrietatis, & ſimilium, non poteſt quidem eſſe obiectum licitum complacentiæ, & gaudij, quando ſecundum ſe ſumitur, & abſolutè ratione ſui, ſecus, quando ſumitur ratione alicuius boni annexi, quod habeat ſpecificare illam actionem complacentiæ, & gaudij, prout notat *Leſſius d. lib. 4. de iuſt. & iur. c. 3. num. 106. ad tertiam.*

Satisfit rationibus oppoſitis.

Reſpondeo quarto, quantumuis licitum ſit deſiderare pollutionem ſimplici affectu ob illa bona ſanitatis, concupiſcentiæ ſedandæ, & tranquillitatis animi acquirendæ, non eſt tamen licitum illam medijs poſitiuis, vel quoquo modo ad illam conferentibus procurare. *Leſſius d. lib. 4. de iuſt. & iur. c. 3. dub. 14. num. 104. verſ. dico ſecundo, Sotus lib. 5. de iuſt. & iur. q. 12. art. 1., Caietanus 2. 2. q. 154. art. 5., Nauarrus in Man. c. 16. num. 7. verſ. ſexto, quod falſum eſt dicere.* Ratio ex eo deſumitur, quia procurare pollutionem per media poſitiua, vel quocunq; modo ad illam proximè conducentia, eſt illam velle poſitiuè, non prout per cauſas à natura inſtitutas procedit, ſed prout per media ab optante ordinata intenditur, ſed hoc eſt abſolutè, & ab intrinſeco malum, cum inuoluat deordinationem à recta ratione, & iure naturali, ergo &c. Confirmatur, quia medium illud, per quod procuratur pollutio, eſt proxima diſpoſitio ad illam, proximè autem, & voluntariè ſe diſponere ad pollutionem eſt per ſe graue peccatum, ergo &c.

6 **Quamuis ſit licitum deſiderare ob bonum finẽ, nõ eſt tamen licitum procurare.**

Hic oritur difficultas, an ſi optans pollutionem in ordine ad illa bona prænarrata ſimul nimis comederet, aut calidis edulijs vteretur, intelligeretur contrahere grauem noxam ratione pollutionis, ſi inde ſequeretur? Cum diſtinctione reſpondendum exiſtimo; vel etenim nimijs, ſeu calidis illis cibis vteretur ad eum finem, vt natura eiſdem excitata in illum effectum pollutionis illaberetur, vel præciſè ad finem, vt gulæ per eoſdem ſatisfaceret; ſi primum aſſeratur à graui culpa ſic ſumentem non abſoluerem, quandoquidem illam ſumptionem nimiorum, & calidorum eduliorum ordinaret, quantum eſt de ſe, ad illum effectum pollutionis, cui maximè etiam conferret illud deſide-

7 **Si deſiderans pollutionem nimijs cibis vteretur ad eũ finem peccaret.**

Vu ſide-

ſiderium; atq; iuxta hunc ſenſum loquitur *Nauarrus in man. d.c. 16. num.* 8. Si ſecundum aſſeratur, nullam agnoſco culpam in ſic ſumente diſtinctam ab ea, quam fortè inuolueret intemperantia in nimio, & improportionato illo eſu eduliorum calidorum, prout ſentit idem *Nauarrus loc. cit.*, & cum eo *D. Thomas* 2. 2. *q.* 154. *art.* 5. Conſentit cum ijs, quæ ſupra docuimus, dum de medijs non ita turpibus, & venereis, quæ, ſi adhibeantur præter intentionem pollutionis, non conducunt ad grauem culpam; Neque obeſſe poteſt illud deſiderium pollutionis, quod videtur fieri efficax per illam ſumptionem tanquam per medium proportionatum; Non, inquam, obeſſe poteſt, quia, ex quo illa edulia non adhibentur ad eum finem, ſed vt ſumens gulæ ſatisfaciat, non videntur influere, quantum eſt ex parte eiuſdem ſumentis ad reddendum efficax illud deſiderium, cum non ſint media ordinata ad ipſum; vnde ſumens in ea hypotheſi præcisè vtitur iure ſuo, quo non debet priuari ex illo præconcepto deſiderio.

8 Si non ad eum finē non contraheret diuerſam culpā ab intemperantia.

§. XII.

An copula habita inter coniuges aliquo modo inordinato, ne vxor concipiat, ſit læthaliter peccaminoſa.

SVMMARIVM.

Facti ſeries expoſita. 1.
Non eſt licitus modus coeundi, quo impediri poſſit prolis conceptio. 2.
Non currit paritas de concumbente cum ſterili, & quare. 3.
Peccatum ſic concumbendi inordinatè regulariter ſe tenet ex parte vtriuſq; 4.

1 Factum exponitur in particulari.

DIſquiſitio XII. Coniuges vel nimia prole grauati, vel egeſtate preſſi, vel ob difficultatem, quam vxor patitur in partu, vel ex propriæ voluntatis arbitrio, modum quendam inordinatum ſibi ſtatuerunt in coeundo, quo ſibi ſuadebant, quod proles non foret concipienda. Quæſitum hic fuit, an in illo modo coeundi ex illo fine, ne proles conciperetur, grauiter peccarint?

Optare præcisè prolem non concipi ad euitanda incōmoda educationis prolis vel periculum mortis, vel grauis infirmitatis in fæmina pro tempore partus, dummodo ad hoc non adhibeantur media impedientia, nullam inuoluere culpam ſatis ſuperque ſupra diximus; ad quod etiam non modicum conferre poteſt id, quod etiam ſupra docuimus, quod ſcilicet poſſit haberi copula coniugalis ad vitandum præcisè periculum incontinentiæ, dummodo per media poſitiua non excludatur finis principalis à natura intentus generationis prolis. Difficultas modo eſt, an in ordine ad præcitatos fines nedum liceat optare, ſed etiam adhibere medium poſitiuum ad impediendum prolis conceptionem in modo coeundi.

Ratio dubitandi.

Reſpondeo nullo modo licitum eſſe talem modum coeundi, quo impediatur prolis conceptio *D. Thomas* 2. 2. *q.* 154. *art.* 11., *& ibi Caietanus in comment.*, *Nauarrus in manual. c.* 16. *num.* 9. Ratio ex eo deducitur, quia ille coitus, quantumuis factus cum propria coniuge, fruſtratur fine, quem natura intendit, & illa emiſſio ſeminis perinde eſt, ac ſi facta eſſet extra vas naturale; quid enim confert, quod intra vas naturale ſit receptum, quando ita receptum eſt, vt ex illo nequeat eſſe conceptio prolis, nec finis generationis à natura intentus, ergo illa ſeminis immiſſio, perinde erit, ac ſi eſſet contra naturam, adeoque peccatum ex genere ſuo graue. Secundo, quia negatio illa conceptionis prolis non proueniret ex aliquo naturæ defectu, ſed ex malitia coeuntium fruſtrantium ſemen ſuo fine principali, ad quem à natura ordinatur, ergo erit peccaminoſa, & vtique grauitèr.

2 Non eſt licitus modus coeundi, quo impediri poſſit prolis cōceptio.

Dices non eſt grauitèr peccaminoſus coitus, quem maritus habet cum vxore ſterili, ſene, & inepta ad generationem, quantumuis certo nouerit ex illo prolem non concipiendum, ergo neque erit grauitèr peccaminoſus coitus ſeruato modo improportionato, quo cognoſcatur proles non concipienda, quantumuis talis modus ad eum finem adhibeatur. Sed contra neganda eſt conſequentia. Ratio diſparitatis in eo conſiſtit, quia in primo caſu defectus conceptionis prouenit ex conditione naturæ in fæmina ſterili, ſene, & inepta generationi, quæ non priuat maritum iure ſuo, ac proindè non eſt imputabilis ad culpam; in ſecundo verò non prouenit ex defectu naturæ, ſed ex malitia coeuntium, quæ propterea in ipſis culpabilis eſt.

3 Nō currit paritas de concumbente cū ſterili, & quare.

Vrgebis adæquata ratio, ob quam nos aſſerimus culpabilem eſſe talem coitum cum illo modo improportionato ad conceptionem, eſt quia illud ſemen fruſtretur fine principali à natura intento, ſed etiam, quādo ſit coitus cum vxore ſterili, ſemen virile fruſtratur fine à natura principaliter intento, ergo vel in neutro caſu licitus erit coitus, vel in vtroque. Sed contra, quia in caſu, de quo loquimur in præſenti,

Digitized by Google

ſenti, adæquata ratio culpabilitatis in illo coitu eſt fruſtratio finis a natura intenti malitioſa ex parte coeuntium ita congredientium; in alio verò caſu, quantumuis intercedat talis fruſtratio, non eſt ex intentione, & malitia coeuntium, ſed per accidens ex conditione eiuſdem naturæ in fœmina, quæ ad euitandam culpam ſatis eſt, vt recipiat ſemen modo debito.

Cauſa malitiæ eſt fruſtratio ſeminis culpabilis.

Verum tamen eſt, quod cum regularitèr ex tali modo concumbendi non ſequatur in effectu illud conceptionis prolis impedimentum, cum eo ipſo, quod virile ſemen intra vas muliebre immittitur, à matrice atrahatur, peccatum non conſiſtit in illo obice, quare vt plurimum peccatum, quod tunc committitur, ſe tenet ex mera malitia voluntaria eorundem coeuntium, & ex erronea conſcientia, qua ſibi ſuadent effectum prolis impediendum, & cum eo affectu actionem illam intentant.

Peccatū, vt plurimum cōſiſtit in praua intentione.

4 Ex his, quæ hactenus dicta ſunt in hac reſponſione, & in corrolarijs ad ipſam, deducendum eſt, prout deducit *Nauarrus in man. c. 16. num. 9.* hoc peccatum ambobus imputandum eſſe, ſi ambo in illum modum ad eum finem conſenſerint, alteri verò tantum, ſi ipſe ſolum conſenſerit.

Peccatum ſic concumbendi regularitèr ſe tenet ex parte vtriuſq;

---

§. XIII.

An actus coniugalis in incæptione relatus ad bonum finem declinet in læthaliter prauum, ſi in proſecutione referatur ad finem illicitum.

SVMMARIVM.

In quo conſiſtat factum exponitur. 1.
In illa peruerſione finis in continuatione actus regulariter hic vitiatur læthaliter. 2.
Poteſt tamen excuſari à grauitate, ſi peruerſio proueniat ex inconſideratione, & inaduertentia ob nimiam ſpirituum commotionem. 3.

1 Diſquiſitio XIII. Caius, & Seia coniuges volentes vacare actui coniugali eundem incæperunt cum debito fine generationis prolis, vel ſedandæ cōcupiſcentiæ, ſed poſtea, cū in eodem actu perſeuerarent, ſeu continuarent, eandem mentem ad alium finem illicitum diuerterunt intendentes accedere reſpectiuè ad alterum tanquam ad non ſuum, ſeu vti altero animo fornicario, perinde ac ſi nō eſſet ſuus coniux. Quæſitum hic fuit, an huiuſmodi coniuges in illa finis mutatione à licito ad illicitum grauiter, & læthaliter peccarent?

Expoſitio caſus in particulari.

Ratio dubitandi ex eo conſurgit, quod actus ille coniugalis in plena aduertentia, & debita conſideratione non perturbata intelligitur elicitus, & ordinatus ad debitum finem, qui propterea non videtur poſſe vitiari ex ſuperuenienti prauo fine intento in exercitio actuali eiuſdem actus, cum tunc deliberatio videatur perturbata ex vehementi ſpirituum vitalium concitatione, & commotione, & per conſequens non cum illa aduertentia, quæ videtur requiri ad inducendam culpam maximè læthalem. Nihilominus

In quo conſiſtat ratio dubitandi.

Reſpondeo primo. In illa peruerſione finis in continuatione actus coniugalis, actus ipſe regulariter vitiatur læthaliter 2
Paludanus in 4. diſt. 31. q. 3. art. 3. nu. 22., *D. Antoninus 3. part. tit. 1. c. 20. §. 11.*, *Sanchez de matrim. lib. 9. de deb. coniug. diſp. 8. num. 6.*, *Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrim. c. 7. num. 24.* Ratio ex eo deducitur, quia actiones potiſſimum ſpecificantur à fine in ordine, ad quem eliciuntur per textum *in c. cum miniſter 23. q. 5.*, & docent communiter Theologi in quæſtionibus de actibus humanis, ſed finis, qui in continuatione coitus coniugalis intenditur, eſt mortaliter peccaminoſus, ergo, & ipſe coitus erit talis; Neque dicas, quod in eodem coitu duplex intercedat finis, alter licitus in incæptione, alter illicitus in continuatione, ſeu proſecutione operis; cur, ergo potius actus deturpatur à fine illo illicito in proſecutione, quam honeſtetur à fine licito in incæptione? Contra enim impugnaberis, quia cum actio illa non intelligatur perfecta vſque ad complementum, poteſt varios fines ex electione operantis admittere, vnde, ſi qui prauus finis aduenerit hic actionem illam vitiat non ſolum, quia ipſe eandem actionem deordinat à debita ratione, ſed etiam, quia bonum ex integra cauſa deſumitur, malum verò ex ſingulis defectibus.

In illa peruerſione finis in continuatione actus regularitèr iſte vitiatur læthalitèr.

Actus ex electione operantis admittit varios fines.

Reſpondeo ſecundo. Si illa peruerſio finis contigerit pro tempore deciſionis ſeminis, pro quo maxima eſt perturbatio, & commotio ſpirituum vitalium excuſari poteſt actio à prauitate læthali, & iuxta hunc ſenſum dixi in præcedenti reſponſione *regulariter*. Conſentiunt in hanc reſponſionem ſublimitantes præcedentem *Sanchez d. lib. 9. de deb. coniug. diſp. 8. num. 6.*, *Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrim. d. c. 7. num. 24.* Ratio ex eo deducitur, quia in illa ſeminis deciſione, in illa ſpirituum vitalium nimia commotione

3 Poteſt tamen excuſari à grauitate, ſi finis varietur ob incōſiderationē ex nimia ſpirituum commotione.

Digitized by Google

tione mens,& ratio tanta voluptate perfunditur, vt regularitèr debita deliberatione,& conſideratione ſufficienti ad plenam voluntarietatem deſtituatur; noxa autem læthalis non eſt, vbi ratione indeliberationis,& inconſiderationis deficit plena voluntarietas.

Soluitur ratio dubitandi.

Hinc ad rationem dubitandi dicendum eſt, quod, ſi talis perturbatio ſpirituum vitalium euenerit, quæ deliberationem ita comminuat, vt non ſit ſufficiens ad actionem peccaminoſam, tunc excuſetur talis actio à prauitate, quod tamen regularitèr non contingit, niſi cum ſemen ipſum ſit in actu deciſionis; quod ſi ſupponas, quod antecedentèr etiam ad talem deciſionem talis indeliberatio interueniat, tunc etiam non inuitus aſſererem, quod eximeretur à graui noxa &c.

---

§. XIV.

An accedere ad Euchariſtiam cum conſcientia peccatorum venialium ſit peccatum veniale.

SVMMARIVM.

Factum elucidatur in ſuis terminis. 1.
Sententia Sancij aſſerentis nullum eſſe peccatum accedere cum peccato veniali, diſtractione, & affectu ad ipſum. 2.
Accedere ad Euchariſtiam cum actuali voluntaria diſtractione ad obiecta mala, præter malitiam talium obiectorum, inuoluit etiam malitiam irreuerentiæ. 3.
Accedere ad Euchariſtiam cum peccato veniali exercito in ipſo actu ſumptionis inuoluit malitiam irreuerentiæ. 4.
Accedere ad Euchariſtiam cum peccatis venialibus habitualibus, quæ non ſint crebra quamuis ſine dolore regularitèr non eſt venialitèr peccaminoſum. 5.
Si peccata venialia fuerint crebra, & valde grauia accedere ad Euchariſtiam ſine dolore, & propoſito emendationis infert noxam irreuerentiæ. 6.
Quando coitus coniugalis trahit ſecum diſtractionem mentis impedit Euchariſtiæ ſumptionem ſub veniali. 7.

1 *Exponitur facti ſeries in particulari.*

DIſquiſitio XIV. Quis cõſcius peccatorum venialium à ſe commiſſorũ nulla eorundem facta deteſtatione ad ſacram Euchariſtiam accedere auſus eſt. Quæſitum hic fuit, an per illum acceſſum contraxerit aliquam noxam ſaltem venialem irreuerentiæ contra dignitatem, & excellentiam tanti ſacramenti?

Ioannes *Sancius in ſelectis diſp.22. nu.9.* *& diſp 23.num.21.& 32.*, & cum eo *Vaſquez de Euchariſtia diſp.207. c.2.*, *Emanuel Sà verb. Euchariſtia*, abſolute docent nullum eſſe peccatum, neque veniale nouum contra ſacramenti reuerentiam, ſeu contra diſpoſitionem ad eam dignè recipiendam requiſitam ad eandem accedere cum conſcientia peccati venialis, ſeu cum actuali voluntaria diſtractione ad obiecta venialitèr mala, & etiam cum actuali voluntate committendi peccatum aliquod veniale, puta mendacij, ſeu detractionis leuis, ſi tamen excipias peccatum veniale, ſi cum illo accedat, directè oppoſitum ad naturam actus ſuſcipiendi; ad quod aſſerendũ multis rationibus mouẽtur; primo, quia per illa peccata venialia non impeditur effectus principalis eiuſdem Euchariſtiæ, qui eſt augmentum gratiæ habitualis, & licet quodamodo impediatur feruor ſpiritus, & ſpiritualis dulcedo, hoc tamen non infert aliquam culpam in ſuſceptione ipſius ſacramenti propter irreuerentiam, cum non teneantur fideles procurare omnem effectum, quem Euchariſtia poteſt producere. Secundo, quia non militat eadem ratio de ſumptione Euchariſtiæ, & de oratione, ſi loquamur de diſtractione mentis voluntaria in ordine ad venialia, quandoquidem attentio eſt de ſubſtantia orationis, cum ſit locutio ad Deum; attentè enim debemus loqui, cæteroqui irreuerentèr ageremus cum eo, cum quo loquimur; ſuſceptio autem Euchariſtiæ, cum conſiſtat in manducatione, non exigit ſub præcepto attentionem, ſed ad ſummum de conſilio.

2 *Exponitur ſententia Sãcij cum ſuis rationibus aſſerentis nullum eſſe peccatum accedere ad ſacramentum cum peccato veniali, & affectu ad illud.*

Diuerſitas in diſtractione ab oratione, & in ſuſceptione Euchariſtiæ.

Vt clarius hac in re procedamus, plurima ſunt conſideranda; & primo, an peccata illa venialia, quibus premitur ſumpturus Euchariſtiam, ſint multa, & aliquo modo grauia, an verò modica, & leuia. Secundo, an trahant ex affectu peccantis voluntariam aliquam diſtractionem ad res vanas, & inutiles, an verò ſolummodo minuant ſecundum ſe aliquem ſpiritus ardorem, & gratiæ efficaciam. Quibus ſuppoſitis.

Nonnulla conſideranda circa titulũ.

Reſpondeo primo. Accedere ad ſacram Euchariſtiam ſumendam cum actuali voluntaria diſtractione ad obiecta vana, inutilia, & venialitèr mala importat peccatum nouum irreuerentiæ contra dignitatẽ ſacramenti diſtinctum à malitia, quam inuoluunt eadem obiecta ſecundum ſe. *D. Thomas 3. part. q.79. art. 8.*, *Regnaldus lib.29 num.99.*, *Fillintius tom.1. tract.4.c.8.num.206.*, *Laiman lib.3.tract.4. c.6.num.3.*, *Caſtrus Palaus diſp.11.num.6.*, *Ioannes Lugus de Euchariſtia diſp.14. ſect.2.*, *Stephanus Baunes de ſacramentis tract.5.*, vbi

3 *Accedere ad Euchariſtiam cum voluntaria actuali diſtractione ad obiecta vana importat peccatum irreuerentiæ diſtinctũ à malitia taliũ obiectorũ*

de

de ſuſcipiente Euchariſtiam q. 22. *dub.* 4., *Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrimon. c.*7. *num.* 107., *Cacheranus tom.* 4. *Theol. aſſert. tract.* 9. *de Euchariſtia*, *vt ſacramento c.*4.§ 4.*num.* 86. Ratio ad hominem deducitur contra eundem Sancium. Accedere ad Euchariſtiam cum irreuerentia exteriori, ſeu cum vana locutione geſtu corporis immodeſto, & ſimilibus eſt per eundem Sancium peccatum veniale irreuerentiæ, & ſacrilegij, ergo etiam erit peccatum veniale talis irreuerentiæ accedere ad eandem cum voluntaria mentis diſtractione ad inutilia, vana, & ad obiecta venialitèr mala, cum ipſum lumen intellectus agnoſcentis dignitatem, & excellentiam tanti ſacramenti dictet Deo magis eſſe adhibendum cultum interiorem animæ, quam exteriorem corporis, cum maioris cultus Dei ſit interior reuerentia, quam exterior. Interior autem reuerentia exigit ex genere ſuo excludi cogitationes vanas de re mala, immo etiam de rebus ex ſe indifferentibus; ſicut exterior reuerentia excludit quamcunque corporis incompoſitionem quoad actus, & geſtus exteriores. Confirmatur primo, quia eſt contra reuerentiam Euchariſtiæ ſacramento debitam illam ſumere poſitiuè, & voluntariè cum circumſtantia excludente aliquem ipſius finem; ſed ſumere cum voluntaria mentis euagatione ad obiecta venialitèr mala eſt ſumere cum circunſtantia excludente aliquem finem ſaltem ſecundarium eiuſdem ſacramenti, nempe cæleſtem conſolationem, & ſacram quandam dulcedinem, & voluptatem. Confirmatur ſecundo ex communi conſenſu, & praxi fidelium ſubijcientium clauibus ſaltem, vt venialitèr malas diſtractiones mentis, & diuagationes animi in actu communionis voluntariè admiſſas.

Argumētũ deductum ex principijs eiuſdem Sancij.

4 Reſpondeo ſecundo. Accedere ad Euchariſtiam cum aliquo veniali peccato in actu eiuſdē ſumptionis exercito innouluit etiam ſpecialem rationem malitiæ diſtinctam a malitia eius obiecti peccaminoſi, nempe irreuerentiæ debitæ ſacramento *Cacheranus d. tom.* 4. *Theol. aſſert. tract.* 9. *de Euchariſtia, vt ſacramento c.*4.§.4. *num.* 86. Ratio ex eodem deducitur, quia ſcilicet vix concipi poteſt in illa ſumptione peccatum veniale tunc commiſſum ſine mentis diſtractione, & animi diuagatione, cum ipſum peccatum diſtrahat mentem ad obiectum tunc apprehenſum, & volitum in cuius apprenſione, & volitione conſiſtit.

Accedere ad Euchariſtiam cũ peccato veniali exercito in actu ſumptionis innouluit malitiam irreuerentiæ.

5 Reſpondeo tertio. Accedere ad ſacram Euchariſtiam cum peccatis venialibus habitualibus, quæ non ſint crebra, nec valde grauia, quantumuis ſiue dolore, & propoſito emendationis, ſiue quia eorundem non eſt recordatio, ſiue quia ab humanam fragilitatem ſumens non poteſt auertere voluntatem ab eo leui affectu, probabilius non eſt peccatum veniale *Suarez tom.* 3. *in* 3. *part. diſp.* 66. *ſect.* 1., *Reginaldus lib.* 29. *num.* 99., *Filliutius tom.* I. *tract.*4.*c.*8.*num.*206., *Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrimon. c.*7. *num.* 109., *Cacheranus tom.* 4. *Theolog. aſſert. tract.* 9. *de Euch. vt ſacrament. c.*4. § 4.*num.* 86. Ratio ex eo deducitur, quia illa culpa in habitu ſecundum ſe non infert illam mentis diſtractionem, animique diuagationem, quam infert ipſa culpa in actu ſumptionis eiuſdem Euchariſtiæ, & cum ſit quodamodo diſparata ab ipſo actu ſumptionis non poteſt eidem ſecundum ſe officere, ergo accedere cum eadem ad ſacram Euchariſtiam non erit peccaminoſum, nec etiam venialitèr. Confirmatur primo, quia, cum ſupponatur non præmittere dolorem ſic accedens, quia non recordatur, vel quia non poteſt moralitèr illum affectum auertere non poteſt ei imputari ad culpam, ergo &c. Confirmatur ſecundo, quia attenta hominum fragilitate non eſt exigenda talis diſpoſitio in ſumptione huius ſacramenti, vt omnem excludat culpam, quantumuis venialem, & habitualem, cæteroqui ſoli Sanctiſſimi viri, & ſingulari priuilegio a Deo affecti poſſent ad illud accedere, quod non videtur dicendum, cæteroqui auerterentur, vt plurimum peccatores à ſumptione eiuſdem.

Accedere ad Euchariſtiam cũ peccatis venialibus habitualibus, quæ non ſint crebra non eſt peccatum veniale.

Peccatum in habitu non infert illam diſtractionem.

6 Reſpondeo quarto. Si peccata venialia fuerit multa, & aliquo modo grauia accedere ad Euchariſtiam cum ipſis nulla pænitentia præmiſſa, nulloque emendationis propoſito probabilius infert peccatum veniale irreuerentię erga idem Sacramentum. Conſentiunt *Suarez d. tom.* 3. *in* 3. *part. diſp.*66.*num.*1., *Ioannes Lugus de Euchariſtia diſp.* 14. *ſect.* 2., & *diſp.* 15. *ſect.* 1., *Stephanus Baunes de ſacramentis tract.*5., *vbi de ſuſcipiente Euchariſtiam q.*22. *dub.*4., *Ioannes Angelus Boſſius loc. cit. num.* 108. Ratio ex eo deduci poteſt, quia illæ culpæ veniales multiplicatæ, & aliquo modo graues nedum ſordidam reddunt animam, ſed vlterius eam diſtrahunt a diuinis, & ſacrorum debito cultu, ergo inferunt irreuerentiam ſacramento Euchariſtiæ debitam, ſi cum illis ſine vlla purgatione, pænitentia, & propoſito emendationis accedatur ad idem ſacramentum; Neque dicas, quod etiam peccata venialia habitualia non crebra, quoquo modo inficiant animam, & diſtrahant, ergo vel accedere cum iſtis ad ſacram

Si peccata fuerint multa, & grauia infert noxā irreuerētiæ.

Rationes reſpõſionis.

cram Euchariſtiam inducet ad peccatum veniale irreuerentiæ, vel ſi hoc non inducit, nec inducere debet, quando fit acceſſus cum eiſdem peccatis venialibus multiplicatis; Contra enim impugnaberis, quia, quando peccata venialia ſunt modica, vel non adeo grauia, quantumuis quoquo modo maculant animam, non ita tamen diſtrahunt, cum non importent ſpecialem affectum ad ipſa, & per conſequens non eſt ad ipſa attentio, ſeu ſaltem grauis applicatio; quando verò peccata ſunt multiplicata indicant ſpecialem affectum ad ipſa, & per conſequens diſtractionem à diuinis, & ſacrorum miniſterio, adeoq; &c.

Satisfit rationibus Sācij.

Ad argumenta, quæ ex Ioanne Sancio in principio diſquiſitionis afferebantur, nunc reſpondendum eſt, & quidem ad primum dic, quod quamuis peccata venialia non impediant effectum primarium eiuſdem Euchariſtiæ, qui eſt augmentum gratiæ ſanctificantis, impediant tamen ſecundarium, & non ſolum eſt culpa voluntariè impedire effectum primarium, ſed etiam ſecundarium, cum hoc tamen diſcrimine, quod impedire voluntariè primum effectum regularitèr eſt peccatum læthale, impedire verò ſecundarium, non niſi veniale. Dici etiam poteſt, quod culpa venialis in illo acceſſu non conſiſtat ſolummodo in illo impedimento effectus ſecundarij, ſed etiam in defectu diſpoſitionis ad ſumptionem eiuſdem ſacramenti requiſitæ, & ſicuti accedere cum irreuerentia externa, hoc eſt cum non debito cultu corporali per eundem Sancium eſt culpa venialis, ita non accedere cum debita reuerentia interna, hoc eſt cum diſtractione mentis, non poteſt eſſe niſi culpa venialis.

Prouenit culpa ex defectu diſpoſitionis.

Ad ſecundum reſpondendum eſt, quia, vt benè notat *Cacheranus loc. cit. num.* 85. non reperitur inter cibum ſacramentalem, & materialem omnimoda analogia, quantum ſpectat ad rem præſentem, cum cibus ſacramentalis Deum contineat, & ſit ſine vlla comparatione dignior materiali; vnde illi quidem irrogatur iniuria, ſi diſtractè ſumatur, non iſti, nec ſola oratio, ſed & omnis actio, quæ circa Deum, Deique cultum verſatur requirit ſuo modo attentionem, & petit ſine diſtractione, & mentis euagatione ad alia fieri. Hæc ille fermè ad verbum.

Diſcrimē inter cibū corporalem, & ſpiritualem.

Hinc quantum attinet ad præſens inſtitutum inferre poteris, quomodo liceat, vel non liceat accedere ad Euchariſtiam, quando quis ex actu coniugali aliquam noxam venialem contraxit, vel ex fine indebito, vel ex modo, vel ex alia cauſa, & eiuſdem non præmiſit pænitentiam, nec propoſitum emendationis; Dic etenim, quod quando peccatum illud veniale in coitu coniugali ſecum trahit mentis diſtractionem, vel euagationem ad illud obiectum venialitèr magnum, impediat eiuſdem Euchariſtiæ ſumptionem ſub veniali propter irreuerentiam, quam ingerit ſacramento in eiuſdem ſumptione iuxta ſuperius dicta; quando vero peccatum illud veniale non infert illam diſſipationem, cum non ſit multiplicatum, nec adeo graue, non impediat; quādo verò eſt multiplicatum, & graue, regularitèr impediat iuxta rationes ſuperius adductas. 7

Quando coitus coniugalis trahit ſecum diſtractionē impedit ſumptionem Euchariſtiæ ſub veniali.

Aliqua difficultas, ſolummodo hic videtur deduci ex ijs, quæ ſupra diximus, ſcilicet non eſſe culpam venialem pro ea die, pro qua habita eſt copula coniugalis, vel pollutio nocturna, accedere ad ſacram Euchariſtiam ſumendam, & tamen talis copula coniugalis, vel pollutio nocturna relinquit poſt ſe quendam ſenſum voluptatis, & motum ſpirituum vitaliū generationi inſeruientium, quo ſenſu, & motu mens ad carnalia excitatur, à ſpiritualibus diſtrahitur, & animus redditur parum aptus ad actualem deuotionem, & piam affectionem; Si enim ratione talis diſtractionis, & mentis diuagationis ob peccata venialia crebra, & aliquo modo grauia impeditur ſub veniali ſumptio Euchariſtiæ, cur ratione talis diſſipationis, & mentis euagationis ſub eodem veniali non impedietur ſumptio eiuſdem, quando talis diſtractio excitata eſt ex illa copula coniugali, ſeu pollutione nocturna? Sed dicendum eſt ea procedere, quando illa ſpirituum commotio, vel voluptatis excitatio extincta eſt per pias affectiones, per applicationem mentis ad diuina, vel per alia ſalutaria remedia; vel dic tantum procedere, quando alia iuſta cauſa mouet ad ſacram Euchariſtiam ſumendam, quæ præponderet illi diſtractioni.

Soluitur inſtantia ex alibi dictis deducta.

---

§. XV.

An licitus ſit vſus coniugij non expectato purificationis tempore.

SVMMARIVM.

In quo conſiſtat ratio tituli. 1.
Tempus purificationis in lege veteri. 2.
Non interdicuntur coniuges ex vi legis veteris ab vſu coniugij pro illo tempore. 3.
Sententia aſſerens immediatè poſt partum coire eſſe læthale. 4.

Sen-

Digitized by Google

Sententia aſſerens eſſe tantum veniale. 5.
Sententia aſſerens nullum eſſe peccatum. 6.
Probabilius eſt graue peccatum. 7.
Accedere ad vxorem pro aliquo tempore poſt partum durante fæditate non eſt lathale. 8.

DIſquiſitio XV. Poſtquam Titia coniux Antonij prolem ex matrimonio ſuſceptam edidit, Antonius non expectato purificationis tempore ab eadem Titia debitum coniugale exegit, & fortè obtinuit. Quæſitum hic fuit primo, an idem Antonius licitè potuerit exigere tale debitum. Secundo, an Titia potuerit pro eo tempore licitè reddere. Tertio, an fuerit obligata ad reddendum?

1 **Exponitur titulus.**

Pro clara diſcuſſione præſentis diſquiſitionis aduertendum eſt, primo in lege antiqua *Leuit*. 12. præſcriptum fuiſſe tempus quadraginta dierum pro purificatione fæminæ parientis maſculum, octuaginta verò dierum pro purificatione fæminę parientis fæminam quoad ingreſſum in Eccleſiam. Sed, an hoc idem intelligendũ ſit de debito abſtinendi pro illis diebus ab vſu coniugij, diſputant inter ſe acriter DD., quorum alij abſolutè affirmant, alij negant.

2 **Tempus purificationis in lege veteri.**

Aduertendum ſecundo fundamentum præſentis diſquiſitionis ex duplici capite poſſe prouenire; primo ex diſpoſitione allegatæ legis antiquæ *Leuitic*. 12., an ſcilicet ex vi eiuſdem nunc quoque interdicantur coniuges pro illo tempore ab vſu coniugij. Secundo, an pro illo tempore ab eodem vſu interdicantur ratione alicuius fæditatis, aut indiſpoſitionis in fæmina, ratione cuius non poſſit concipere prolem, vel eiuſdem conceptio reddatur ſatis ambigua, vel incerta.

Rationes dubitádi.

Reſpondeo primo. Ex vi diſpoſitionis iuris antiqui *Leuit*. 12., nec peccauit Antonius exigendo debitum pro illo tempore, nec Titia reddendo, quinnimo debuit, & eadem Titia Antonio exigenti reddere. *Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrim. c*. 7. *num*. 130., *Abulenſis in c*. 5. *Matthæi q*. 244., *Ricchardus in* 4. *diſt*. 32. *art*. 4. *q*. 1., *& ibi Paludanus q*. 1. *art*. 3. *num*. 12., *D. Antoninus* 3. *part. tit*. 1. *c*. 20., *Graſſius prima part. deciſ. lib*. 2. *c*. 82. *nu*. 20. Ratio ex eo deducitur, quia ſiue in illo præcepto interdiceretur pro illo tempore vſus coniugij, ſiue non interdiceretur præceptum illud amplius non obligat, cum fuerit mere ceremoniale; cæremonialia autem poſt Chriſti Domini aduentum amplius non obligant, ergo &c. De hoc latè ſupra locuti fuimus, vnde non eſt, cur hic amplius immoremur.

3 **Non interdicuntur coniuges ab vſu coniugij pro illo tempore purificationis.**

Difficultas ſolummodo hic aliqua eſt, an liceat ſtatim poſt partum exigere, vel reddere debitum? Antonius *rub. de ſponſa-lib. num*. 14., *& ibi Alexander de Neuo nu*. 21. *caſ*. 1., *& in c. finalem diſt*. 5., *& ibi Butrius* ſuſtinent ſecluſo incontinentiæ periculo eſſe peccaminoſum læthaliter petere, & reddere debitum, quod colligunt *ex D. Gregorio reſp*. 10. *ad Auguſt*., vbi ſic habet. *Et niſi purgationis tempus prius tranſierit viris ſuis non debet admiſceri*. Alij inter quos *Baſilius Pontius lib*. 10. *c*. 14. *num*. 9., *Leandrus diſcalceatus de ſacramentis part*. 2. *tract*. 9. *diſp*. 25. *q*. 23., *Ochogauia tract*. 5. *de matrimon. q*. 3. *num*. 3., & alij plures relati à *Ioanne Angelo Boſſio tract. de effect. matrim. c*. 9. *num*. 42. loquentes de concubitu cum puerpera proportionalitèr, ac cum vxore menſtruata aſſerunt eſſe culpam venialem cum puerpera pro tempore purgationis coire. Alij aſſerunt nullam eſſe culpam pro illo tempore coire, ſi nullum immineat proli inde concipiendæ periculum, ſeu damnum, atq; hi ſunt *Aſtenſis in ſumma* 2. *part. lib*. 8. *tit*. 10. *art*. 4. *q. vltima*, *D. Antoninus* 3. *part. tit*. 1. *c*. 20. § 4., *Henriquez lib*. 11. *de matrim. c*. 15. *num*. 7., *Hurtadus diſp*. 10. *diff*. 3. *num*. 13., *Martinus Perez de matrim. diſp*. 49. *ſect*. 3. *num*. 19. Tota ratio pręſentis dubij conſiſtit in eo, an re vera coire immediatè poſt partum ex genere ſuo inferat proximum mortis, vel infirmitatis grauis in fæmina ſic concumbente, vel damnum graue proli inde concipiendæ; nam, ſi excludas huiuſmodi pericula, ex ſubſequenti reſponſione innoteſcet, quid ſit in hac difficultate ſentiendum. Pro qua aduerte *Albericum in l. quæ bis ff. de ædil. edict*., *Leuinum Lemmium lib*. 1. *de occultis naturæ miraculis*, *Tiraquel ad leg*. 15. *connubialem num*. 129., *alioſque plures medicæ artis peritos, & rerum naturalium ſcriptores*, & inter cæteros *Galenum lib*. 1. *de ſanitate tuenda* docere, quod ſicuti ex coitu tempore menſtrui ordinarij imminet graue damnum proli eo, quod vt plurimum naſcatur vitiata, varijs morbis infecta, leproſa, & monſtruoſa, ita ex coitu immediatè poſt partum naſcatur ſimilibus morbis, & deformitatibus infecta, vnde videtur, quod præſcindendo à periculo incontinentiæ, aliorumq; grauium damnorum in parentibus non ſit licitum pro illo tempore coire ad euitanda illa damna in prole. Rurſus alij docent, quod immediatè poſt partum fæmina apta nõ ſit ad ſemen virile retinendum, cum pro illo tempore humores varij profluant ex imbeccilitate naturæ per partum extenuatæ. Tandem plurimi docent graue periculum ſanitatis imminere fæminæ ex illo coitu immediatè poſt partum, quia, cum tunc natura fæminea ex partu valde debilis facta intelligatur, exponitur peri-

4 **Sententia aſſerens immediatè poſt partum coire eſſe peccatum læthale.**

5 **Sententia aſſerens eſſe veniale.**

6 **Sententia aſſerens nullũ eſſe peccatũ.**

In quo conſiſtat fundamentum talis dubij.

Medicorum opiniones circa hoc dubium.

Digitized by Google

periculo deficientiæ ex illo vlteriori concubitu; vnde congruentèr ad hæc *Sotus in 4. diſt.32.q. vnica art.2. in fine*, qui ſuſtinèt eſſe peccatum veniale accedere ad vxorem pro tempore purgationis, moderatur dictum, *niſi recentèr fæmina enixa ſit*, quaſi, quod velit, ſi recentèr enixa ſit, eſſe peccatum læthale ad ipſam accedere; & *Abulenſis c.5. Matthæi q. 244.* aſſerit, quidem non eſſe neceſſarium tempus purificationis expectare ad congrediendum, ſed aliquantulum, dum ab immundicijs mulier purificatur, eſſe expectandum.

Quibus poſitis in hac difficultate ſentio probabilius graue peccatum eſſe immediatè poſt partum nullo intercedente periculo incontinentiæ congredi. Rationem ex eo deduco, quia coniuges ſine neceſſitate coire cum graui periculo ſanitatis propriæ eſt ex genere ſuo graue peccatum *Paludanus in 4. diſt.32.q.1.art.3. num.12., D. Antoninus 3. part. tit.1. c.20. §. 4., Silueſter verb. debitum q.5., Margarita confeſſorum ſexto præcepto fol.87.*, quinimmo etiam cum graui damno fœtus, prout docent communiter DD., quando nulla cauſa excuſat; ſed iuxta præacta coire cum vxore immediatè poſt partum importat graue periculum ſanitatis eiuſdem vxoris, & damnum partus, ergo pro tali tempore ſub graui eſt a coitu abſtinendum.

7 Probabilius eſt graue peccatum.

Reſpondeo ſecundo. Copula coniugalis habita aliquo tempore poſt partum durante tamen tempore purgationis non eſt peccatum læthale ratione illius fæditatis, & immunditiæ, ſed ad ſummum veniale *Monaldus in ſumma tract. de matrim. tit. de effect. matrimon. verſ. ſed numquid cognoſcere, Ludouicus Lopez prima part. inſtruct. c.83. verſ. porro tempore, Baſilius Pontius lib.10. c. 14. num. 9., Leandrus Diſcalceatus de ſacram. part. 2. tract. 9. diſp. 25. q. 23., Ioannes Angelus Boſſias tract. de effect. matrimon c.9. num.44.* Ratio ex eo deducitur, quia accedere ſine vlla neceſſitate, & ſine rationabili cauſa ad vxorem menſtruatam ex ſuperius dictis non caret culpa veniali, & hoc ratione cuiuſdam immunditiæ, & fæditatis, quam dicit ille actus pro illo tempore, ergo etiam non carebit culpa veniali accedere ad vxorem intra tempus purgationis, cum hoc etiam inuoluat aliquam fæditatem, & immunditiam cum aliquo periculo infectionis prolis, vel deformitatis.

8 Accedere ad vxorē poſt partum durante fæditate nō eſt læthale.

§. XVI.

An teneat votum coniugis de non communicando in die habitæ copulæ.

SVMMARIVM.

Factum expoſitum in ſuis terminis. 1.
Nonnulla dicta Sanctij exponuntur. 2.
Illud votum ſubſiſtit, & obligat. 3.
Auctoritates PP. ſuadentes abſtinentiam. 4.
Soluuntur obiectiones Sancij. 5.

Diſquiſitio XVI. Alter ex coniugibus ſumma reuerentia affectus erga ſacrum Euchariſtiæ ſacramentum deliberatè vouit pro ea die, vel nocte antecedente, qua habuit copulam coniugalem abſtinere ab eiuſdem Euchariſtiæ ſumptione. Quæſitum hic fuit, an tale votum, vtpotè animo deliberato emiſſum ſubſiſtat, & obliget vouentem ad ipſius adimplementum? Difficultas non eſt ratione indeliberationis in vouente, cum ſupponatur plenè deliberaſſe, ſed ratione materiæ, quæ cadere poſſit ſub voto; cum enim communitèr doceant Theologi, quod votum ex ſuo genere debeat eſſe de meliori bono, oritur ratio dubitandi, an abſtinentia pro tali die a copula coniugali ſit maius bonum ipſa ſumptione, an verò ſumptio melior ipſa abſtinentia?

I Expoſitur factū in particulari.

Ioannes *Sancius in ſelectis d. diſp.23. nu. 12., & ſeqq.* plurima circa præſens dubium congerit, & primo dicit, quod pro die habitæ copulæ potius conſulendum eſt coniugibus, vt communicent, quam vt abſtineant à cōmunione, quia, quamuis abſtinendo pro illa die ab Euchariſtia reuerentię gratia exerceat actum Religionis, impedit tamen actum excellentioris Religionis ſcilicet realem ſumptionem Euchariſtiæ; ſi enim deſiderium ſumendi Euchariſtiam eſt actus Religionis, illius ſuſceptio actualis erit maior perfectio eiuſdem iuxta vulgatum illud axioma *Propter quod vnum quodque tale, & illud magis*, quod etiam confirmari poteſt ex eo, quod ſuſceptio Euchariſtiæ pro illa die maiora bona affert, quam abſtinentia ab illa, ſiquidem cauſat gratiam ex opere operato, delet venialia, auxilia actualia confert, paſſiones ſedat, & alia huiuſmodi; abſtinentia verò ſolum infert meritum reuerentiæ, & humilitatem pręſefert. Dicit ſecundo *ibidem d. diſp.23. num. 30.* ob eandem rationem, quod, ſi quis nocte præcedenti voluntariam pollutionem paſſus fuerit, vel fornicationem com-

2 Nonnulla dicta Sācij explodātur.

commiſerit, ſi die ſequenti pænitentiam egerit per ſacramentalem confeſſionem, & velit eadem die communicare, potius ſit conſulendus, vt communicet, quam vt abſtineat; Concludit tandem, quantum pertinet ad præſens inſtitutum votum illud in præſenti hypotheſi non ſubſiſtere, cum non ſit de meliori bono. Nihilominus

Reſpondeo, & tale votum ſubſiſtere, & obligare, & potius regularitèr pro illa

3 *Votum illud ſubſiſtit, & obligat.*

die conſulendam eſſe abſtinentiam, quam communionem. *Ioannes Lugus de Euchariſt. diſp.15. ſect.2.num.24., Salazar in tract. de frequentia commun. c.9. §. 1., Fagundez de precept. Eccleſ. præcept. 3. lib. 3. c. 6. num. 16., D. Thomas 3. part. q. 80. art. 7. ad ſecundum, Diana part. 3. tract. 6. reſol. 71., Reginaldus lib. 29. nu. 117., & lib. 31. num. 345., Villalobos tract. 13. diffic. 41. num. 3., Viguerius Inſtit. c. 16. §. 3. verſ. 22., Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrim. c. 7. nu. 117.*

Ratio ex eo deducitur, quia maximè laudabile eſt, decentiſſimum, ac decori tanti ſacramenti apprimè conueniens, atque conſulendum coniugibus, vt pro die habitæ copulæ abſtineat à ſacra Euchariſtia ſumenda. Hoc expreſsè ſuadet *D. Hieronymus relatus in c. ſciatis 33. q. 4.*

4 *Auctoritates PP. ſuadentiū pro tali die abſtinentiam.*

per illa verba *Quicunque vxori debitum reddit vacare non poteſt orationi, nec de carnibus Agni comedere debet, & ſi panes propoſitionis ab ijs, qui vxores tetigerant, comedi non poterant, quanto magis panis, qui de cælo deſcendit, non poterit ab ijs, qui coniugalibus paulo ante hæſerunt amplexibus violari.* Hoc idem docuit *D. Auguſtinus in ſerm. 226. de tempore Domin. 10. poſt pentecoſt. ſermone 2.* per illa verba. *Ille bonus Chriſtianus eſt, qui quoties ſolemnitates veniunt, vt ſecurius communicet ante plures dies caſtitatem cum propria vxore cuſtodit, vt ſecura, & ſincera conſcientia ad Altare Domini caſto corpore, & mundo corde præſumat accedere*, quæ auctoritates, quamuis poſſint explicari, prout procedunt de conſilio tantum, non autem de præcepto, prout aliqui explicant, denegari tamen non poteſt, quin inferant maiorem conuenientiam, & reuerentiam in abſtinendo, quam in communicando; quibus poſitis ad rem noſtram ſic infero, ergo votum de tali abſtinentia Euchariſtiæ pro illa die habitæ copulæ coniugalis ſubſiſtet, & obligabit ad executionem; ſi quidem votum de meliori bono extante plena deliberatione validum eſt.

Secundo probatur. Ad ſacram communionem requiritur attentio, cogitatio de ſpiritualibus, deuotio &c. Sed regularitèr pro die habitæ copulæ huiuſmodi diſpoſitiones non interueniunt, quandoquidem ad actum coniugalem conſequitur voluptas carnalis, mentis diſtractio, & euagatio ad carnalia, ergo pro illa die, pro qua habita eſt copula coniugalis, decens non erit ad ſacram Euchariſtiam accedere, adeoque votum de non acceſſu, vtpotè conuenientiſſimum erit validum, & obligabit.

Ad actum coniugalē conſequitur voluptas, & mētis diſtractio.

Ad rationes, quæ pro aduerſa parte à Ioanne Santio afferebantur, nunc reſpōdendum eſt, & quidem ad primum dicendum eſt, ex communi SS. PP., & Theologorum conſenſu potius pro illa die conſulendam eſſe abſtinētiam à ſacra ſinaxi, quam eiuſdem ſumptionem; nec obſtant pro Sancio adducta, quandoquidem, quātumuis deſiderium ſumptionis ſit actus Religionis, & quidem magnæ perfectionis; actualis tamen ſuſceptio eiuſdem pro tali die, pro talibus circunſtantijs non eſt conueniens, cum non præferat honeſtatem, & decentiam tali ſumptioni debitam propter rationes ſuperius adductas, a qua indecentia, & inhoneſtate depuratur ipſum deſiderium ſumptionis, vt per ſe patet; nec in vſu ſacramentorum attendenda eſt, ſolummodo vtilitas ſumentis, nempè fructus ex opere operato conſequens, ſed etiam decentia, decor, honeſtas, & reuerentia tali vſui conueniens, quibus deficientibus eſt ab vſu abſtinendum. Hoc multis exemplis poteſt illuſtrari; primo in eo, qui ſumpturus eſt ex iure diuino ſacrum viaticum imminente mortis periculo; quamuis enim ipſius collatio fructus plurimos eſſet allatura ſumenti, non eſt tamen eadem collatio conueniens, ſi ſacramentum eſſet conficiendum ſine ſacris indumentis, alijſq; requiſitis, quia hoc inferret indecentiam, & paruam reuerentiam eidem confectioni conuenientem, vnde potius eſt abſtinendum ab eodem viatico, quam adhibendam confectionem cum illa indecentia. Secundo in eo, qui, ſi ex præcepto Eccleſiaſtico non prohiberetur pro eadem die pluries communicare, vtique, ſi ſingulis horis eiuſdem diei communicaret, fructus vberes perciperet, quia tamen talis frequentia ex genere ſuo non eſſet conueniens, potius conuenit ab illa communione iteratis vicibus abſtinere ob illam indecentiam, quam ita communicare in ordine ad illos fructus. Deinde etiam dicere poſſumus in ordine ad fructum, quod contingere poteſt, vt maior fructus percipiatur ex illa abſtinentia pro tali die, quam ex communione, ſiquidem poteſt pro illa die deſiderare perceptionem, & pro ſequenti die, pro qua decentius ſe diſponit, habere illam actualem perceptionem, ſicque duplex fructus correſpondebit; alter

5 Soluuntur obiectiones Sancij.

Attendēda eſt reuerentia debita ſacramento magis, quam vtilitas ſumentis.

Pluribus exemplis euincitur.

ter deſiderio, & merito eiuſdem propter humilitatem, & reuerentiam ſacramento debitam, alter eidem ſuſceptioni in altera die propter fructus, quos ex opere operato afferre ſolet ipſum ſacramentum in vſu benè, & rectè diſpoſitis.

---

§. XVII.

An liceat puellæ ſtatim poſt ſtuprum alteri nubere.

SVMMARIVM.

Series facti expoſita. 1.

Si nubat poſt ſtuprum ad vitandum mortis periculum ſibi imminentis à parentibus non incurrit graue peccatum. 2.

Etiam ſi nubat ſecluſo vitæ periculo ad vitandam grauem infamiam. 3.

Præciſis illis finibus non poteſt licitè poſt ſtuprum immediatè nubere. 4.

Stando in rigore iuris probabilius eſt, quod fæmina ſic nubens non teneatur ad aliquam compenſationem ob dubium, quod proles poſſit eſſe ſuppoſita, ex æquitate tamen facienda eſt ad ratam dubij. 5.

DIſquiſitio XVII. Caia fæmina nubilis, vel per vim oppreſſa à procaci quodam iuuene, vel ſponte conſentiens

1 In quo conſiſtat ratio tituli.

timens, ne propria detegatur infamia ex illo concubitu immediatè poſt ipſum nupſit cuidam viro ipſam in vxorem depoſcenti non detecto illo crimine, quod antea perpatrauerat. Quæſitum hic fuit, an ſic nubendo non detecto illo crimine grauitèr peccauerit, & ad aliquid teneatur?

Conſiderandus hic eſt finis, ob quem ita præpropere poſt fornicarium illum

Conſiderationes circa titulum.

coitum tranſiuit ad nuptias; vel etenim hoc præſtitit ad finem vitandæ mortis ſibi à parentibus, & cognatis imminentem, ſi delictum illud detegeretur; vel præciſè ad finem vitandæ in ſe ipſa infamiæ ex iſta criminis reuelatione, vel præciſo quocunque ex illis finibus. Quibus ſuppoſitis.

Reſpondeo primo. Si Caia immediatè poſt ſtuprum nupſerit ad effectum vitan-

2 Si nubat ad euitandam mortè ab extrinſeco eximitur à graui peccato.

di periculum mortis ſibi à parentibus, vel à cognatis inferendæ probabilius vitat graue peccatum *Sanchez de matrim. lib. 9. de debit. coniug. diſp. 20. num.* 11. Ratio ex eo deducitur, quia illud damnum, quod ipſa pateretur in vita à parentibus, vel cognatis præponderat iacturæ, quam pateretur maritus per illam ſuppoſitionem prolis, quam arbitraretur, vt ſuam, cum poſſet eſſe aliena ex illo concubitu fornicario præcedenti, ergo ad euitandum illud damnum ſibi in vita imminens poterit licitè ſic nubere, potiſſimum cum in ea ſuppoſitione certum non ſit, quod illa

Ipſius vita præponderat damno alterius.

proles non ſit ſua, ſed aliena, quinimmo quando dubium eſt, an proles ſit mariti, vel adulteri, quando ab vtroq; poteſt prouenire iura potius præſumunt, quod ſit mariti, quam adulteri, quia nunquam præſumunt pro peccato, quando actio referri poteſt ad principium licitum, & honeſtum.

Reſpondeo ſecundo. Si Caia immediatè poſt ſtuprum tranſierit ad nuptias ad effectum præciſè tegendi proprium crimen fornicationis non imminente illo

3 Etiam ſi nubat ad vitandam graue infamiam.

mortis periculo, de quo ſupra, probabilius etiam eſt, quod vitet graue peccatum, ſi infamia inde conſequeretur *Leſſius lib. 2. de iuſt. & iur. c. 10. dub. 7. num. 53., Scotus in 4. diſt. 15. q. 2. ſub fin., Nauarrus c. 16. num. 44.* Ratio ex eo deducitur, quia fama, & vita æquiparantur, ergo ſicut ad ſeruandam vitam à periculo ſibi imminente à parentibus poteſt immediatè poſt ſtuprum licitè nubere, ita ad ſaluandam famam à periculo infamiæ inde ſecuturæ poterit licitè nubere; Neque obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, quod famam iam prodegerit, ſic meretricando; Non, inquam, obeſſe poteſt, quia licet famam apud Deum amiſerit meretricando, non tamen amiſit apud homines, cum crimen ab ipſa patratum ſit omnino occultum. Hoc idem euincitur *ex c. officij de pænit., & remiſ.*

Reſpondeo tertio. Illis finibus ceſſantibus non poteſt licitè poſt ſtuprum im-

4 Præciſis illis finibus non poteſt licitè immediatè nubere.

mediatè nubere *Sanchez loc. cit.* Ratio ex eo deducitur, quia infertur, ſeu ſaltem exponitur graui periculo inferendi graue damnum marito per ſuppoſitionem alienæ prolis eidem, qui arbitraretur ipſam, vt ſuam, cum poſſet eſſe adulteri, nec concurreret aliqua grauis cauſa præponderans, & excuſans, cum abſtinendo ab illis nuptijs ſupponatur eidem fornicanti, nec imminere periculum mortis, nec infamię.

Reſpondeo quarto. Stando in rigore iuris probabilius eſt, quod eadem fæmina

5 De rigore iuris non tenetur facere aliquam cōpenſationem pro dubio prolis benè tamen ex æquitate.

ſic nubens non teneatur ad aliquam compenſationem ob dubium, quod proles poſſit eſſe ſuppoſita; ex æquitate verò compenſatio videtur facienda ad qualitatem dubij *Molina diſp. 101. num. 3., Azorius 3. part. lib. 5. c. 6. q. 8., Leſſius lib. 2. de iuſt. c. 10. dub. 6. num. 4., Maſcardus de probat. concl. 738., Riccius deciſ. 266., Henriquez lib. 11. c. 21. nu. 2., Salonius 2. 2. q. 62. art. 6. ad fin.* Ratio ex eo deducitur, quia iura vbi eſt dubium, an proles fuerit mariti, an verò adulteri, quatenus pro tempore, pro

quo

Digitized by Google

quo concepta fuit cum vtroq; cohabitauerit vxor, præſumunt potius, quod fuerit mariti, quam adulteri, ergo cum illa proles ſupponatur mariti, non tenebitur vxor ad aliquam compenſationem pro illa. Antecedens patet, quia ſemper præſumunt potius in fauorem matrimonij pro negatione peccati, quam pro peccato. Confirmatur, quia ex generali regula in dubio ſemper eſt melior conditio poſſidentis, ergo, cum vxor ipſa verſetur in dubio, an illa proles fuerit Amaſij, an verò mariti, non tenebitur in illo dubio ſe rebus ſuis priuare, vt compenſet marito.

Ratio ſecundæ partis eſt, quia denegari non poteſt, quin proles illa potuerit eſſe ex concubitu, quem habuit eadem Caia cum Amaſio antecedentèr ad initum matrimonium, ergo pro qualitate dubij, quod proles potuerit eſſe ab eodem æquitate ſic exigente tenebitur vxor marito damna compenſare, vt ſic ſaluetur proportionata æqualitas.

§. XVIII.

An vxor tempore menſtrui teneatur reddere marito petenti, quando iuſtè creditur monſtrum gignendum eſſe.

SVMMARIVM.

Status controuerſiæ expoſitus. 1.

Vxor extante illo periculo monſtruoſitatis in prole non tenetur marito etiam petenti reddere. 2.

Si tamen illo non obſtante vellit reddere, vtique poteſt cedendo iuri ſuo. 3.

1 Exponitur factũ in ſuis terminis. DIſquiſitio XVIII. In præcedentibus docuimus nullam eſſe labem peccati, ſi vxor pro tempore menſtrui debitum reddat marito petenti, cum ad reddendum teneatur ex lege iuſtitiæ, prout etiam docent *Paludanus in 4. diſt. 32. q. 1. art. 3. num. 12., Monaldus in ſumma tract. de matrim. tit. de effect. matrim. verſ. ſed numquid cognoſcere*, & alij magis communitèr *Aſtenſis 2. part. q. 166. memb. 3. in fin., D. Bonauentura in 4. diſt. 32. art. 3. q. 1., & ibi Petrus de Tarantaſia ead. diſt. art. 3. q. 3., Abulenſis c. 5. Matthæi q. 255.* Difficultas modò eſt, an, ſi coniuges præuideant, & probabilitèr norint, vel ſaltem vxor rationabilitèr hoc ſibi ſuadeat, ex illo concubitu fore, vt naſcatur monſtrum, teneatur eadem vxor marito petenti reddere?

Non renuerem concedere, quod etiam in ea hypotheſi maritus poſſet licitè petere debitum, & poſſet etiam ſine labe vxor reddere, prout etiam concedit *Sanchez lib. 9. de debit. coniug. diſp. 21. num. 17.*, cum vnuſquiſq; ex illis vteretur iure ſuo, quo non debet priuari ob damnum aliquod infectionis in prole, præcipuè cum eidem melius ſit naſci cum illa turpitudine, quam non naſci; Sed an vxor teneatur ſic exigente iuſtitiæ lege, id eſt, quod quæritur. In quo ſtet ratio dubitãdi.

Reſpondeo vxorem cum illo periculo monſtri inde probabilitèr gignendi non teneri reddere marito etiam petenti. *Sanchez d. lib. 9. de deb. coniug. diſp. 21. num. 17.* Ratio ex eo deducitur, quia non ſolum noxius intelligitur proli ille concubitus, ſed etiam eidem vxori, quandoquidem ingentis doloris non poteſt niſi eſſe matri ſemper præ oculis habere filium, vel filiã maxima monſtruoſitatis, ſeu deformitatis nota laborantem; hoc enim eidem affert ſemper magnum dedecus, & magnarum anguſtiarum fomentum, & ſicuti, ſi talis conceptus præuideretur allaturus in talibus circunſtantijs matri grauia damna poſſet mater pro illis circunſtantijs abſtinere ab vſu coniugij non obſtante, quod talis vſus peteretur à marito, ita cum certo moralitèr præuideatur allaturus in illa deformitate, ſeu monſtruoſitate maximi doloris, & anguſtiarum notas matri, poterit hæc abſtinere ab eodem vſu pro illa circunſtantia &c. 2 Vxor extante illo periculo monſtri gignendi non tenetur marito petenti reddere.

Quod autem vxor non obſtante illa præuiſione monſtruoſitatis poſſit, ſi velit, reddere debitum marito petenti, deducitur ex paritate eorum, quæ antè docuimus, nempè non obſtante, quod vxor præuidens ex marito leproſo poſſe contrahere magnam infectionis notam, poſſit nihilominus eidem petenti reddere debitum, prout etiam docet *Sanchez lib. 9. de debit. coniug. diſp. 24. nu. 23., Caietanus 2. 2. q. 154. art. 1. circa ſolutionem ad quartum, Graffius prima part. decis. lib. 2. c. 83. num. 6.*, quia poteſt cedere iuri ſuo, maximè, ſi hoc præſtet ad effectum conſeruandi amorem coniugalem cum coniuge leproſo, & ad vitanda diſſidia inter ipſos; Neque obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, quod ſe exponere tali periculo graue peccatum ſit, prout docet *Sotus in 4. diſt. 32. q. vnica art. 1. concl. 2., Petrus de Soto lect. 16. de matrimonio §. ſunt etiam præter hæc Caietanus in ſumma verb. matrimonium c. vlt. de peccatis in vſu matrimonij verſ. quartum caput*; Non, inquam, obeſſe poteſt, quia præcitati DD. loquuntur dumtaxat, quando coniuges ſe exponunt periculo in morbis communibus non ita diuturnis, & ad mortem tendentibus, non autem in alijs, in quibus ſolummodo poteſt eſſe periculum alicuius infectionis non tendentis 3 Si tamen velit reddere, poteſt reddere. Inſtantia propoſita, & diſſoluta.

Digitized by Google

ſecundum ſe ad mortem, vt in præſenti caſu.

§. XIX.

An coniux, qui conſentit alterum coniugem contrahere affinitatem per copulam fornicariam cum ſuo conſanguineo, impediatur à petitione debiti.

SVMMARIVM.

Exponitur facti ſeries. 1.
Rationes ſuadentes per illum conſenſum non priuari maritum iure petendi. 2.
Maritus per illum conſenſum non eſſet inceſtuoſus. 3.
Per illum conſenſum præſtitum vxori maritus priuatur iure petendi. 4.
Non fit extenſio iuris pœnalis. 5.
Etiam priuatur iure petendi, ſi conſentiat, vt vxor baptizet proprium filium. 6.

1 Status diſquiſitionis expoſitus. DIſquiſitio XIX. Contraxerunt ad inuicem matrimonium Caius, & Berta, & fortè illud conſummarunt; Deinde Caius non contraxit quidem affinitatem cum Berta per copulam, quam ipſe habuerit cum conſanguinea illius, ſed conſenſit, vt Berta ſua coniux fornicariè copularetur cum ſuo conſanguineo, & per conſequens ſecum contraheret affinitatem. Quæſitum hic fuit, an ratione illius affinitatis contractæ à propria vxore de conſenſu ipſius impediatur iure petendi debitum ab eadem popria vxore?

Videtur prima fronte aſſerendum, quod ratione affinitatis contractæ à propria vxore ipſo etiam conſentiente non priuetur illo iure petendi; quandoquidem in iure cautum eſt, quod contrahens affinitatem per copulam, quam habuit cum conſanguineo alterius, priuetur quidem iure petendi, non eximatur tamen ab onere reddendi, prout conſtat *ex c.1.de eo, qui cogn. conſang.*, vbi de iure petendi ſic dicitur *Si quis cum filiaſtra ſua ſcienter fornicatus fuerit, nec à matre debitum petere, nec à filiaſtra &c.* & *ex c. diſcretionem eod. tit.*, vbi de onere reddendi ſic dicitur *Sed nec affinitas poſt matrimonium iniquè contracta ei debet officere, quæ eiuſmodi iniquitatis particeps non exiſtit.* Ipſe autem maritus in hac hypotheſi non contraxit affinitatem per copulam à ſe habitam cum conſanguinea vxoris, adeoque non eſt, cur cadere debeat ſub diſpoſitione huiuſmodi iurium, ſed liber debet remanere, prout antecedentèr (2 Rationes ſuadentes per illum conſenſũ non priuari maritum iure petendi.) ad copulam habitam à propria vxore cum ſuo conſanguineo erat.

Neque obeſſe poſſe videtur, quod, quãtumuis ipſe non contraxerit affinitatem per copulam à ſe ipſo habitam, conſenſit tamen, vt propria vxor illam contraheret, adeoque reus culpæ per illum conſenſum conſtitutus eſt, quod ſufficit ad illam priuationem iuris petendi, quod etiam videtur innuiſſe textus *in d. c. diſcretionem de eo, qui cogn. conſang.*, dum dixit, *quæ huiuſmodi iniquitatis particeps non exiſtit*; quis etenim negaret in hac hypotheſi maritum eſſe participem iniquitatis vxoris, dum eidem liberè, & abſolutè conſenſit? Non, inquam, obeſſe poſſe videtur, quandoquidem non ex quacunq; culpa conſurgit illa priuatio iuris petendi, ſed dumtaxat ex copula fornicaria, quam coniux habuerit cum conſanguineo alterius; Quamuis igitur maritus in hac hypotheſi conſentiendo iniquitati vxoris reus culpæ fuerit conſtitutus, non tamen ipſe conſtitutus eſt per illum conſenſum inceſtuoſus cum conſanguineo alterius, adeoq; non videtur cadere ſub illorum iurium diſpoſitione; nec refert, quod in *illo c. diſcretionem* dicatur *particeps iniquitatis non exiſtit*, quæ particula videtur extendere diſpoſitionem iuris, adeoq; priuationem iuris petendi ad caſum, quo quomodocunque alter coniux, qui inceſtuosè ſe non coniunxit cum conſanguineo alterius conſtitutus eſt reus culpæ, & particeps inceſtuoſæ fornicationis ſuæ coniugis; Non, inquam, refert, quandoquidem illæ particulæ intelligendæ ſunt de participatione in eodem genere, quatenus ſcilicet, & ipſe ſimile delictum inceſtuoſæ fornicationis cum conſanguineis alterius commiſerit. Ad hæc omnia corroboranda plurimum facit, quod hic verſemur in pænalibus, quæ non ſunt extendenda de genere ad genus, ſed reſtringenda ad delictum inceſtuoſæ fornicationis commiſſæ ab eo, qui priuatur. Nihilominus his minimè obſtantibus. (3 Maritus per illum conſenſũ non eſſet inceſtuoſus.)

Reſpondeo. Per illum conſenſum præſtitum vxori ad illam inceſtuoſam fornicationem cum proprijs conſanguineis priuatur maritus iure petendi debitum à propria vxore *D. Bonauentura in 4. diſt. 34. art. 3. q. 2.*, *Riccardus in 4. diſt. 35. art. 2. q. 3.*, *Aſtenſis in ſumma 2. part. lib. 8. tit. 11. art. 3. q. 14.*, *Silueſter verb. luxuria q. 4. dict. 3.*, *Bartolomæus à Ledeſma de matrim. dub. 41. §. ſcire tamen hic oportet*, *Armilla verb. debitum nu. 15.*, *Sanchez de matrimon. lib. 9. de debit. coniug. diſp. 27. nu. 3.* Eruitur probatio præſentis reſponſionis argumento à contrario ſenſu deducto ex textu *cit. in d. c. diſcretionem de eo, qui cogn. conſang.*, vbi eximitur (4 Per illum conſenſũ præſtitum vxori maritus priuatur iure petendi.)

à pæ-

Digitized by Google

à pæna priuationis iuris petendi coniux, qui iniquitatis per alium coniugem inceſtuosè contractæ particeps non exiſtit, ergo, ſi particeps exſtiterit talis iniquitatis per conſenſum eidem præſtitum, non eximetur à pæna talis priuationis; dum etenim textus excipit à tali pæna, quando non eſt particeps eiuſmodi iniquitatis, videtur eidem pænæ ſubijcere, quando eſt particeps non ſolum ex regula contrariorum, ſed etiam ex generali, quod exceptio firmet regulam in alijs non exceptis, & quod excluſio vnius ſit incluſio alterius oppoſiti.

5 Non fit extenſio iuris pænalis.

Nec obeſſe poſſunt ea, quæ ex aduerſo obijciebantur, nempè, quod illa diſpoſitio iuris *in d. c. diſcretionem de eo, qui cogn. conſang.* intelligenda ſit de participatione in eodem genere, nempè, quod maritus ſimile delictum commiſerit, nec extendenda ad aliud genus ob ſtrictam interpretationem pænalium; Non, inquam, obeſſe poſſunt, quia non fit extenſio diſpoſitionis iuris pænalis, vbi ſiſtimus in propria ſignificatione verborum, quibus concipitur talis pæna; participatio autem ex ipſa nominis ethimologia eſt in eodem ſiue delicto, ſiue priuilegio, adeoq; non appellat aliud delictum diſtinctum dum dicitur, *ſi eiuſmodi iniquitatis particeps non exiſtit*, & eſſet deflectere in impropriam ſignificationem verba, ſi de alio diſtincto delicto eſſent intelligenda.

6 Etiã priuatur iure petendi, ſi cõſentiat, vt vxor baptizet puerum commune.

Ex his, quæ hactenus dicta ſunt, deducere fas erit in ſimili caſu priuari iure petendi debitum coniugem, qui conſenſit, vt alter baptizaret, vel teneret è ſacro fonte puerum, ratione cuius contraxit cum ipſo cognationem ſpiritualem *Armilla verb. matrimonium num. 9., Petrus de Soto lect. 11. de matrim. §. ſecundum de hac cognatione, Ludouicus Lopez prima part. inſtruct. c. 85. §. præter ea ſi coniux, Bartolomæus à Ledeſma dub. 44. de matrimon. §. de vſu vero, Viguerius lib. inſtit. c. 16. §. 7. verſ. 9.*, quos omnes citat, & ſequitur *Sanchez d. lib. 9. de debito coniug. diſp. 27. num. 3.*, quod videtur deduci eiſdem rationibus, quibus euincitur reſponſio ſupra poſita; Neque, obeſſe, poteſt, ſi aſſeratur, quod in caſu reſponſionis maritus conſtituatur particeps delicti, ſeu iniquitatis vxoris eidem præbendo conſenſum ad illam inceſtuoſam fornicationem, non ſic autem conſtituatur particeps iniquitatis annuendo vxori baptizanti, vel leuanti puerum de ſacro fonte baptiſmatis, ex quo contrahit cum eodem marito cognationem ſpiritualem; hoc etenim propriè delictum non eſt. Non, inquam, obeſſe poteſt, quia dato etiam, quod vxor ſic baptizando, vel tenendo in baptiſmo puerum non contra-

Inſtantia oppoſita, & diſſoluta.

heret aliquod delictum, quod, an verum ſit, alibi videbimus, non tollitur tamen, quin ipſe annuat actioni, cui annexa eſt priuatio iuris petendi debitum, & per conſequens quin conſtituatur particeps eiuſdem actionis, & proindè ratione eiuſdem non priuetur iure tale debitum petendi.

---

§. XX.

An, ſi alter coniux matrimonio adhuc non conſummato cognoſcat carnalitèr conſanguineam proprij coniugis, priuetur iure petendi debitum.

SVMMARIVM.

Exponitur ſtatus controuerſiæ. 1.
Rationes ſuadentes non priuari iure petendi. 2.
Quantumuis matrimonium non fuerit conſummatum per illam copulam cum conſanguinea vxoris priuatur iure petendi. 3.
Illa copula non eſt propriè inceſtus, ſed tantum ſimilitudinariè. 4.
Illa priuatio iuris petendi prouenit ex publica honeſtate. 5.

Diſquiſitio XX. Per copulam carnalem habitam ab altero coniuge poſt contractum, & conſummatum matrimonium cum conſanguinea alterius coniugis, cum quo conſummatum fuerat matrimonium, coniugem ipſum habentem talem copulam fornicariam contrahere pænam priuationis iuris petendi debitum ab altero coniuge ſatis ſuperque dictum fuit in præcedentibus, & clarè euincunt iura præcitata *in d. c. 1., & c. diſcretionem de eo, qui cogno. conſang.* Nunc autem contingit dubitari, an idem ſentiendum ſit, quando eadem copula fornicaria fuit ab eodem habita cum conſanguinea alterius coniugis nondum conſummato, ſed præcisè contracto matrimonio per verba de præſenti cum ipſo coniuge.

1 Exponitur ratio controuerſiæ.

Videtur abſolutè aſſerendum in ea hypotheſi matrimonij nondum conſummati coniugem copulam fornicariam habentem cum conſanguinea alterius coniugis non contrahere pænam priuationis iuris petendi debitum. Ratio ex eo deducitur, quia priuatio iuris petendi debiti in altero coniuge oritur ex copula inceſtuoſa cum conſanguinea alterius coniugis, vt eſt in cõfeſſo apud omnes DD. ſiue Theologos, ſiue canoniſtas *D. Thomas in 4. diſt. 34. q. vnica art. 5. in ſolut. ad argu-*

2 Rationes ſuadentes non priuari iure petendi.

Digitized by Google

Argumenta, & ibi Riccardus art. 4. q. 2. ad primum, Turrecremata c. quædam cum fratre 32. q. 7. num. 2. ad tertium; quando autem adhuc matrimonium conſummatum non eſt cum propria coniuge illa copula habita cum conſanguinea eiuſdem non eſt propriè inceſtus, cum inceſtus ſit ſolum cum conſanguineis, vel affinibus, vt eſt etiam in confeſſo apud omnes; ſed ante carnis copulam cum propria vxore non eſt propriè affinitas contracta cum conſanguineis ſponſæ, ergo, nec eſt inceſtus, adeoq; ex ea non oritur priuatio iuris petendi debitum. His tamen non obſtantibus.

Reſpondeo. Quantumuis matrimonium cum proprio coniuge non fuerit adhuc conſummatum, nihilominus per illam copulam habitam cum conſanguinea eiuſdem coniugis contrahitur pæna priuationis iuris petendi debitum ab eodem proprio coniuge. *Paludanus in 4. diſt. 27. q. 1. art. 3. num. 26., Angelus verb. matrimonium tertio impedimento is nu. 2., Sotus in 4. diſt. 37. q. vnica art. 2., Coaruuias 4. decret. 2. part. c. 7. §. 2. num. 6., Gutierez lib. 1. qq. canon. c. 23. num. 15., Ludouicus Lopez prima part. inſtructorij c. 296. § vltimo, Silueſter verb. matrimonium 8. q. 15. dict. 7., Caieta repet. c. ad limina 30. q. 1. §. 4. num. 468.* Ratio præſentis reſponſionis ex eo poteſt deduci, quod habetur *in c. 1., & c. tranſmiſſa de eo, qui cogn. conſang.*, vbi interdicitur petitio debiti coniugi, quæ ſe carnalitèr immiſcuit cum conſanguinea alterius, nulla facta diſtinctione, an matrimonium illorum fuerit conſummatum, an verò duntaxat ratum. Fundamentum autem reſponſionis, & iuris, in quo fundatur, deſumitur ex eo, quia impedimentum, ſeu priuatio iuris petendi debitum inducta eſt ob iniuriam illatam matrimonio iam inito ex illa copula fornicaria cum conſanguinea alterius coniugis. Hæc autem iniuria æquè conſurgit ſiue illa copula habita fuerit matrimonio, duntaxat, rato, ſiue conſummato.

3 Etiã matrimonio non conſummato per illam copulam cum conſanguinea vxoris amittit ius petẽdi.

Hic duplex inſurgit difficultas, ex qua contrariæ opinionis poſſunt dilui fundamenta; prima eſt, an illa copula fornicaria habita cum conſanguinea alterius coniugis ſit propriè inceſtus, ſeu inceſtuoſa. Secunda, an illa priuatio iuris exigendi debitum ſit ob affinitatem, quæ conſurgat ex matrimonio præciſè rato, an verò præciſè ob publicam honeſtatem?

Rationes dubitandi circa reſponſionẽ.

In ordine ad primam arbitror non eſſe in rigore inceſtum, ſed ad ſummum ſimilitudinariè, prout ſentit *Sanchez d. lib. 7. de impedimentis diſp. 15. num. 6. in fine*, quia, vt benè aſſerebatur in contraria opinione, inceſtus eſt, ſolummodo inter conſanguineos, & affines; affinitas autem non conſurgit niſi ex eo, quod duo facti ſint in carne vna, ex qua vnione, ſeu vnitate conſurgit poſtea illa coniunctio inter propinquos in vtraque linea, in qua conſiſtit affinitas. Dixi, ſed ad ſummum ſimilitudinariè, ſeu vt alij loquuntur initiatiuè, & largè, prout *Scotus in 4. diſt. 41. q. vnica, paulo poſt princip., & ibi Riccardus art. 1. q. 2., Aſtenſis 2. part. ſummæ lib. 8. tit. 25. art. vnico q. 9., Silueſter verb. matrimonium 8. q. 14. dict. 2., Petrus de Ledeſma de matrim. q. 55. art. 1. difficult. ſecunda.*

4 Illa copula non eſt propriè inceſtus, ſed tantũ ſimilitudinariè.

Ad ſecundam dico propriè non prouenire illam priuationem iuris exigendi debitum ex affinitate, ſed ex impedimento publicæ honeſtatis *Gloſa c. ſi quis deſponſauerit in fin. 27. q. 2., Abbas in c. iuuenis, & c. ſponſam num. 2. de ſponſ., Angelus verb. matrimonium 3. impedimento 14. num. 1., Paludanus in 4. diſt. 41. q. 1. art. 3. concl. 1. nu. 18., Carreſius lib. 2. de ſponſalib. c. 13., Couaruuias in 4. decret. 2. part. c. 6. §. 2. num. 1.*, & alij plurimi, quos citat, & ſequitur *Sanchez de matrim. lib. 7. diſp. 64. num. 25.* Ratio ex ſuperius dictis deducitur, quia ſcilicet affinitas propriè non conſurgit, niſi quando duo facti ſunt in carne vna, prout habetur *in c. fraternitatis 35. q. 10.* vbi ſic habetur. *Si vna caro fuerit quomodo poterit aliquis eorum propinquus vni pertinere, niſi pertineat alteri*; & iuxta hunc ſenſum optimè definitur affinitas preſsè ſumpta *à Gloſa 35. q. 5. in arbore affinitatis*, quod ſit *propinquitas perſonarum ex carnali copula prouenients omni carens parentela*, ergo, vbi non habita fuerit copula coniugalis non conſurget inter propinquos ex vtroque latere illa affinitas.

5 Illa priuatio iuris petẽdi prouenit ex publica honeſtate.

Neque hic audiendi ſunt, qui dicunt per contractum matrimonij de præſenti, quantumuis non conſummatum, ſtrictius vinculum oriri cum cõſanguineis, vtriuſque coniugis reſpectiuè, ac oriatur ex ſponſalibus nudis legitimè initis, ſed ex ſponſalibus nudè ſumptis oritur iuſtitia publicæ honeſtatis, ergo ex matrimonio rato per verba de præſenti, quantumuis non conſummato orietur impedimentum affinitatis, cum inter affinitatem, & publicam honeſtatem nil aliud mediet; atq; iuxta hunc ſenſum ſentire videntur *D. Thomas in 4. diſt. 41. q. vnica art. 1. quæſtiuncula quarta ad ſecundum, Rainerius 2. part. ſummæ tit. de matrim. c. 25., Alexander de Neuo c. ſponſam num. 6. de ſponſalib., Sotus in 4. diſt. 41. q. vnica art. 2. ad fin., Veracruz in appendice ad ſpeculum dub. penult. concl. 4., Bellarminus lib. 1. de matrimon. c. 24. in fin.*, Non, inquam audiendi ſunt, nam ad ſummum huiuſmodi DD., & præcipuè D. Thomas intelligendus eſt loqui de affinitate

Nonnullæ inſtantiæ propoſitæ, & diſſolutæ.

Digitized by Google

tate impropriè, initiatiuè, & ſimilitudinariè ſumpta, nam cæteroqui ſibi ſatis conſtans non videretur, quandoquidem ipſe etiam *in 4. diſt. 41. q. vnica art. 1. quæſtiuncula tertia arg. 2.* affinitatem preſsè ſumptam definit, quod *ſit propinquitas perſonarum ex carnali copula proueniens*. Deinde ad hominem contra huiuſmodi doctrinam, & Doctores ſic arguo. Denegari non poteſt, quin ſtrictius vinculum conſurgat inter propinquos vtriuſque coniugis ex matrimonio iam conſummato, quam ex matrimonio præcisè rato, & contracto per verba de præſenti, ergo, ſi ex illo oritur dumtaxat impedimentum affinitatis, ex iſto oriri debet ſolummodo impedimentum publicæ honeſtatis. Si enim ex eo, quod aduerſarij norint ſtrictius vinculum conſurgere ex matrimonio præcisè rato, quam oriatur ex nudis ſponſalibus arguunt, quod, ſi ex iſtis oritur iuſtitia publicę honeſtatis, ex illo oriri debeat impedimentum affinitatis, non video, cur, cum ego nouerim maius vinculum in matrimonio conſummato, ac reperiatur in matrimonio præcisè rato, non poſſim arguere, quod, ſi ex conſummato oritur impedimentum affinitatis, ex rato, ſolummodo conſurgat iuſtitia publicæ honeſtatis. Tandem dico arctius quidem vinculum conſurgere ex matrimonio rato, & contracto per verba de præſenti, quam ex ſponſalibus, ſed hoc fortius vinculum eſſe in eadem linea publicæ honeſtatis, & difficilius in eadem linea ſolubile.

Argumẽtũ ad hominem cõtra aduerſarios.

---

§. XXI.

In quoto gradu copula habita cum conſanguinea alterius coniugis inducat priuationem iuris petendi debitum ab altero.

SVMMARIVM.

Status diſquiſitionis expoſitus. 1.
Si matrimonium fuerit conſummatum, & maritus cognouerit conſanguineam vxoris vltra ſecundum gradum, non amittit ius petendi. 2.
Sententia aſſerens illam priuationem prouenire ex delicto inceſtus. 3.
Probabilius prouenit ex affinitate inde contracta. 4.
Sententia aſſerens per Concil. Trident. eſſe reſtrictam affinitatem ex copula fornicaria ſolummodo quoad effectum impediendi matrimonium, non quoad effectum iuris petendi debitum. 5.
Reſtringitur etiam quoad effectum priuationis iuris petendi debitum. 6.
Si matrimonium non fuerit conſummatum per copulam cum conſanguinea vxoris vltra ſecundum gradum non amittitur ius petendi debitum. 7.

DIſquiſitio XXI. Contracto matrimonio inter Caium, & Meuiam idem Caius carnalitèr cognouit conſanguineam eiuſdem Meuiæ, ex qua carnali cognitione iuxta ſuperius dicta conſurgit in ſic cognoſcente pæna priuationis iuris exigendi debitum ab altero coniuge. Hic oritur ratio dubitandi, in quonam gradu conſanguinitatis cum altero coniuge debeat eſſe illa perſona, cum qua alter coniux carnalitèr coniungitur ad effectum, vt iſta priuetur iure exigendi debitum ab altero coniuge innocente?

1 Facti ſeries expoſita.

Conſiderandum etiam hic eſt, an matrimonium inter eundem Caium, & Meuiam fuerit per copulam carnalem inter eoſdem habitam poſt contractum matrimonij per verba de præſenti conſummatum, an verò præcisè ratum; ex vtriuſque etenim diſcrimine oriri poteſt diuerſa ratio decidendi, pro qua.

Reſpondeo primo. Si matrimonium inter Caium, & Meuiam fuerit conſummatum, & Caius cognouerit carnalitèr conſanguineam Meuiæ vltra ſecundum gradum non contrahit pænam priuationis iuris exigendi debitum ab eadem Meuia attenta diſpoſitione moderni iuris *Tridentini Concilij ſeſſ. 24. de matrimon. c. 4.* Ita *Nauarrus lib. 4. conſtit. tit. de conſang. in priori edit. conſ. 3. in poſteriori conſ. 6. num. 4., Veracrux append. ad ſpeculum circa impedimentum affinitatis fol. 77., Ouandus in 4. diſt. 41. q. vnica prop. 6., Gutierez qq. canon. tom. primo c. 23. in fin., Petrus de Ledeſma de matrim. q. 55. art. 3. dub. 4., Sanchez de matrim. lib. 9. de debit. coniug. diſp. 28. num. 14.* Hoc expreſsè declarauit Sacra Cardinalium Congregatio apud eundem *Sanchez loc. cit.* per illa verba *Congregatio concilij cenſuit decretum Trident. ſeſſ. 24. de matrim. c. 4. ad primum, & ſecundum gradum reſtringens impedimentum inductum propter affinitatem ex fornicatione contractum cenſeri etiam ad eoſdem gradus reſtrixiſſe impedimentum exigendi debitum ab vxore, quod inducitur ex affinitate proueniente ex illicita copula cum conſanguinea ſuæ vxoris poſt matrimonium habita.*

2 Si matrimonium fuerit cõſummatũ, & maritus cognouerit conſanguineã vxoris vltra ſecundum gradum non amittit ius petẽdi.

Pro clariori intelligentia præſentis reſponſionis hæc ex alibi dictis ſunt aduertenda; primo, quod ex iure communi antiquo conueniunt omnes ferè DD. extendi hanc priuationem iuris exigendi debitum à propria vxore ex cognitione carnali conſanguineæ eiuſdem vxoris

vſq;

Digitized by Google

Antiquitus extendebatur vſque ad quartum gradum.

vſq; ad quartum gradum, prout alibi docuimus, & docent *Goſredus in ſumma tit. de eo, qui cogn. conſang. in fine, Aſtenſis in ſumma 2. parte lib. 8. tit. 20. art. 1. notab. 3.*, *Victoria in ſumma de matrim. num. 288. in fin.*, *Ludouicus Lopez prima part. inſtruct. c. 80. §. ſed connumerare*, cuius communis opinionis fundamentum non aliundè deſumi poteſt, niſi, quia impedimentum illud ad exigendum debitum non aliundè prouenire videtur, quam ex affinitate iniquè contracta ex illa copula fornicaria cum conſanguinea vxoris; impedimentum autem proueniens ex affinitate extendebatur vſq; ad quartum gradum per textum *in c. non debet de affin.*, *& conſang.* Secundo, quod ex diſpoſitione *Concil. Trid. d. ſeſſ. 24. de matrimon. c. 4.* impedimentum affinitatis prouenientis ex copula fornicaria non extenditur vltra ſecundum gradum, cum hoc expreſsè tale concilium definierit per illa verba *Sancta Sinodus impedimentum, quod propter affinitatem ex fornicatione contractum inducitur, & matrimonium poſtea factum dirimit ad eos tantum, qui in primo, & ſecundo gradu coniunguntur, reſtringit, in vlterioribus verò gradibus ſtatuit huiuſmodi affinitatem matrimonium poſtea contractum non dirimere*, quod latius declarauit Pius V. *in ſuo motu proprio Incip. Ad Romanum Pontificem edito anno 1566.* per ea verba *Declaramus, & auctoritate Apoſtolica decernimus nullum hodie impedimentum remanere, quominus in vlterioribus gradibus huiuſmodi liberè, & licitè matrimonium contrahi poſſit*, vbi Pontifex loquitur de affinitate contracta ex copula fornicaria, & de ſecundo dumtaxat gradu.

Noua diſpoſitio Concilij Tridētini.

Id, quod aliquid negotij faceſcit in re præſenti, eſt duplex ratio dubitandi; prima eſt, an impedimentum illud, quod oritur ex copula fornicaria intelligatur induci præciſè ratione affinitatis, an verò ratione inceſtus; ſi enim prouenit ratione inceſtus, videtur extendi vſque ad quartum gradum, cum copula inceſtuoſa ad illum gradum extendatur, atq; in ordine ad hoc Concil. Trid. nihil innouauit. Secunda, an Concilium Tridentinum diſpoſitionem iuris antiqui communis innouauerit, & reſtrinxerit ſolum quoad hoc, quod affinitas conſurgens ex copula fornicaria dirimat matrimonium vſque ad ſecundum gradum, an verò etiam, prout inducit priuationem iuris petendi debitum a propria vxore poſt contractum cum eadem matrimonium?

Nonnullæ rationes dubitandi exponuntur.

In ordine ad primam nonnulli aſſerunt, quod hæc pæna priuationis iuris petendi debitum ab altero coniuge proueniat præciſè ex peccato inceſtus; atq; iſti ſunt *Gloſa c. 1. verb. copulata de eo, qui cogn. conſang.* *Supplementum Gabrielis in 4. diſt. 41. q. 1. art. 1. dub. 1. in ſol. ad primum*, *Sotus in 4. diſt. 37 q. vnica art. 2. verſ. debet autem*, *Graffius prima part. deciſ. lib. 2. c. 81. num. 4.*, qui etiam docent hanc priuationem ortam ex copula fornicaria habita cum conſanguinea alterius coniugis exiſtente in quarto gradu impedire, cum copula inceſtuoſa extendatur ad illum gradum. Mouentur ea ratione, quia affinitas oritur etiam, vbi conſanguinitas fuiſſet ignorata, vel copula à conſanguinea fuerit per vim extorta, & tamen tunc reſpectu ignorantis, aut per vim oppreſſi non inducitur illa priuatio iuris petendi debitum ab altero coniuge, ergo illa priuatio inducitur ratione criminis inceſtus, non affinitatis contractæ. Nihilominus probabilius ſentiendum cenſeo illam priuationem prouenire ex affinitate inde contracta, prout docet *D. Thomas in 4. diſt. 34. q. vnica art. 5. in ſolut. ad obiecta*, *Turrecremata in c. quædam cum fratre 32. q. 7. num. 2. ad ſecundum.* Rationem ex eo deduco, quia omnes textus, per quos inducitur hoc impedimentum, ſeu pæna priuationis ſolummodo mencionem faciunt affinitatis, nullatenus inceſtus. Confirmari poteſt ex ijs, quæ alibi docuimus, nempè, quod inceſtus habitus ab altero coniuge cum proprijs conſanguineis nullam inducat priuationem iuris exigendi debitum in eodem coniuge, qui taliter propriam conſanguineam cognouit. Ad obiectum aduerſantium reſpondendum eſt illam priuationem iuris exigendi debitum ab altero coniuge, cum ſit quodamodo pænalis, prouenire quidem ratione affinitatis inde contractæ non quomodocunq; ſed vt contractæ per copulam inceſtuoſam, vnde ceſſante voluntarietate inceſtus non videtur habere locum huiuſmodi pæna.

3
Sententia aſſerens illam priuationem prouenire ex peccato inceſtus.

4
Probabilius prouenit ex affinitate inde contracta.

In ordine ad ſecundam nonnulli iuris periti apud *Ludouicum Lopez 2. parte inſtruct. de matrimon. c. 50., vbi de impedimento affinitatis §. præterea aduertendum eſt*, docuerunt per Concil. Trident. loc. cit. non fuiſſe reſtrictam affinitatem ortam ex copula fornicaria ad ſecundum gradum quoad effectum priuationis iuris exigendi debitum, ſed dumtaxat quoad effectum impedimenti ad contrahendum matrimonium, quod ex eo probant, quia Tridentinum in eo decreto ſolum loquitur de impedimento contrahendi, quod ſolum reſtrinxit ad ſecundum gradum, de priuatione autem iuris exigendi debitum, poſtquam legitimè contractum eſt matrimonium, nec verbum facit, ergo hic effectus tanquam caſus omiſſus remanet in

5
Sententia aſſerens per Trident ſolū reſtringi affinitatē quoad effectum impediēdi matrimonium nō quoad effectum priuationis iuris petendi debitum.

diſpo-

diſpoſitione iuris communis per textum *in c. ſuſceptum de reſcript. in ſexto, & l. commodiſſimè ff. de lib., & poſth.* Accedit etiam ratio fundamentalis talis reſtrictionis inductæ per Concilium Trident., quæ militat pro poteſtate contrahendi matrimonium vltra ſecundum gradum, non pro poteſtate exigendi debitum vltra illum ſecundum gradum, quandoquidem mens concilij reſtringentis affinitatem prouenientem ex copula fornicaria eo præcisè collimauit, vt tolleret ſcandala, quæ inde contingebant ex frequenti matrimoniorum irritatione; hoc autem ſufficientèr habetur per hoc, quod fuerit reſtricta affinitas, ne impediret vltra ſecundum gradum; non autem hoc habetur per reſtrictionem eiuſdem affinitatis quoad effectum, vt poſſit vltra ſecundum gradum affinitatis contractæ per illam copulam fornicariam petere debitum, quia hoc eſſet potius præbere occaſionem ſcandalorum, & peccandi, quam illam auertere.

6 **Reſtringitur etiam quoad effectum priuationis iuris petendi debitum.**

Nihilominus ſentiendum eſſe, per illam diſpoſitionem Concilij Trid. nedum reſtrictam eſſe affinitatem conſurgentem ex copula fornicaria quoad effectum non dirimendi, ſeu impediendi matrimonium, ſi fuerit vltra ſecundum gradum, ſed etiã quoad effectum, vt, ſi illa affinitas fuerit vltra ſecundum gradum, poſſit coniux ab altero petere debitum. *Ludouicus Lopez 2. part. inſtruct. de matrimon. c. 50. vbi de impedimento affinitatis §. præterea aduertendum eſt, Sanchez de matrim. lib. 9. de debit. coniug. diſp. 28. num.* 15. Ratio ex eo deducitur primo, quia, quando conceditur id quod maius eſt, intelligitur concedi id, quod minus eſt in eodem genere, ſed ex diſpoſitione Concilij Tridentini in allegato decreto conceditur poſſe contrahi validè, & licitè matrimonium, quando affinitas eſt vltra ſecũdum gradum, quod certè eſt quid maius, ergo debet intelligi conceſſum, quod vltra talem gradum, poſtquam contractum eſt matrimonium, poſſit coniux petere debitum, quod certè quid minus eſt, quam poſſe contrahere matrimonium.

Rationes pro reſolutione dubij.

Accedit, quod ius ad copulam eſt quid acceſſorium, & conſequens ad ius matrimonij, ergo illud ius, vtpotè acceſſorium debet ſequi naturam, & conditionem ſui principalis, ſed in ordine ad principale conceditur, vt poſſit contrahi vltra ſecundum gradum affinitatis ortæ ex copula fornicaria, ergo hoc debet concedi in ordine ad ius exigendi debitum vltra illum ſecundum gradum, cum hoc ſit acceſſorium ad illud. Ad ea, quæ ex aduerſo obijciebantur, reſpondendum eſt Concilium Trident. per illud decretum omninò ſuſtuliſſe affinitatem ex copula fornicaria prouenientem, quando eſt vltra ſecũdum gradum; vnde, cum amplius non ſit, nullum poteſt inducere effectum, quia ſicuti non entis nullæ ſunt paſſiones, ita non affinitatis nullus poteſt eſſe effectus impedimenti, nullaque obligatio. Hinc etiam poteris reſpondere ad id, quod ſubditur; ideo enim Concilium nullam mentionem fecit illius iuris exigendi debitum coniugale, ſeu reſtrictionis priuationis iuris petendi ad illum ſecundum gradum, quia cum vltra illum ſecundum gradum ſuſtulerit abſolutè affinitatem abſtulit omnes ipſius effectus, omneſq; obligationes vltra illum ſecundum gradum. Ad illud tandem, quod vltimo loco adducitur, dic, quod ſicuti ex illa extenſione impedimenti contrahendi matrimonium vſq; ad quartum gradum crebra proueniebant ſcãdala ex frequenti matrimoniorum irritatione, quibus ſedulò obuiare voluit concilium reſtringendo illud impedimentum ad ſecundum gradum, ita cum ex illa extenſione priuationis iuris exigendi debitum à proprio coniuge vſq; ad quartum gradum prouenirent varij, & frequentes inceſtus, ſeu inceſtuoſæ copulæ cum proprio coniuge ratione affinitatis inde contractæ, æquum maximè, & conueniens fuit, vt idem concilium eandem extenſionem priuationis reſtringeret ad ſecundum gradum, vt obuiaretur illi occaſioni crebrò peccandi, quod vtique ſufficientèr præſtitit auferendo abſolutè affinitatem vltra ſecundum gradum. Hinc facilè.

Soluũtur rationes oppoſitæ.

Probatur reſponſio ſupra poſita. Adæquata ratio, ob quam conſurgit illa priuatio iuris petendi debitum à proprio coniuge, eſt affinitas illa, quæ conſurgit ex copula fornicaria cum conſanguinea alterius coniugis, ſed hæc affinitas vltra ſecundum gradum amplius non militat, cum abſolutè per Concil. Trident. ſublata ſit per ea, quæ ſupra notauimus, ergo &c.

7 **Si matrimonium non fuerit conſummatũ per copulam habitam cum conſanguinea vxoris vltra ſecundum gradum, non amittit ius petẽdi debitum.**

Reſpondeo ſecundo. Si matrimonium inter Caium, & Meuiam fuerit præcisè ratum, & nondum conſummatum, & Caius cognouerit carnalitèr conſanguineã eiuſdem Meuiæ, quæ talis fuerit cum ipſa vltra ſecundum gradum, probabilius etiã non contrahit pænam priuationis iuris exigendi debitum à propria vxore. Videtur deduci in fortioribus terminis ex ijs, quæ dicta ſunt in præcedenti reſponſione; fortius etenim læditur ius matrimonij, & grauior eidem infertur iniuria per cognitionem carnalem conſanguineæ eiuſdem vxoris, quando idem matrimonium conſummatum eſt, ac quando eſt præcisè ratum, ſed quando iam eſt conſum-

Digitized by Google

ſummatum copula habita cum conſanguinea vxoris non priuat ipſum maritum iure exigendi debitum vltra ſecundum gradum per ſuperius allegata, & probata,ergo neq;&c.

Dices,diſparem eſſe rationem, quando iam matrimonium conſummatum erat, ac quando præciſè ratum, nam quando erat conſummatum, idem Caius maritus habebat impedimentum affinitatis cum conſanguinea vxoris, quam carnalitèr cognouit; quando verò nondum erat conſummatum,habebat præciſè cum eadem conſanguinea ſuæ vxoris iuſtitiam publicæ honeſtatis; per Concilium autem Tridentinum moderata eſt affinitas proueniens ex copula fornicaria per reſtrictionem ad ſecundum gradum; quoad impedimentum autem publicæ honeſtatis nihil innouauit, ſed reliquit ſub diſpoſitione iuris antiqui, ſecundum quod ſicuti impediebat vſque ad quartum gradum per ea,quæ latè docuimus *tom. 6. ſub tit.Contractus XV. de matrim.II. prænot. 12. num.5.*, & docent etiam *Sanchez lib.7.diſp. 70.num.16.*, *Valentia 4. part. diſp. 10. q. 5. punct.3.*, & declarauit etiam *Pius V. in ſuo motu proprio Incip. Ad Romanum ſpectat*, ita etiam videtur inducere, & extendere illam pænam priuationis iuris exigendi debitum à propria vxore vſque ad illum quartum gradum, vt congruè metiatur illa priuatio ad normã impedimenti. Sed contra,quia hoc impedimentum publicæ honeſtatis, quod conſurgit ex matrimonio rato eſt quidem in ordine ad omnes conſanguineos alterius coniugis vſq; ad quartum gradum; at ex eo quod concubitus fornicarius habeatur cum aliquo ex dictis conſanguineis ſuæ coniugis à marito, non propterea oritur reſpectu eiuſdem vxoris ex illa copula fornicaria cum conſanguinea impedimentum publicæ honeſtatis, ratione cuius maritus priuetur iure petendi ab ipſa debitum, cum tale impedimentum non conſurgat niſi ex matrimonio rato, vel ſponſalibus validis, ſed tali iure priuatur ratione affinitatis cum vxore, quæ conſurgit ex illa copula fornicaria habita cum conſanguinea ipſius; affinitas autem orta ex copula fornicaria non extenditur vltra ſecundum gradum per ſuperius probata.

Proponitur inſtãtia, & diſſoluitur.

§. XXII.

An coniux, qui inceſtuosè commixtus eſt cum conſanguineo alterius coniugis in gradu prohibito, peccet læthalitèr petendo debitum à proprio coniuge, & quo peccato.

SVMMARIVM.

Explicatur in quo conſiſtat ratio tituli. 1.
Coniux inceſtuoſus petens debitum læthalitèr peccat. 2.
Soluuntur rationes oppoſitæ ſententiæ. 3.
Tale peccatum eſſet peccatum inceſtus. 4.
Cur ſit inceſtus reſpectu coniugis,qui cognouit alterius conſanguineam, non reſpectu coniugis innocentis. 5.

1 *Explicatur in quo conſiſtat titulus.*

DIſquiſitio XXII. Ex dictis in præcedentibus iam ſatis conſtat coniugem inceſtuoſum cum conſanguineo alterius coniugis interdici vſu matrimonij quoad petitionem cum proprio coniuge, ſi inceſtus fuerit in gradu prohibito. Modò quæritur, an tale interdictum ſit ſub onere peccati læthalis?

Rationes propter quas excitatur titulus.

Difficultatem hanc excito propter nonnullos, qui aſſerunt primo vſu abolitum eſſe hoc præceptum, ſeu interdictum petendi; ſecundo interdictum illud non obligare ſub tali onere,cum ſit inter coniuges,quibus ex lege iuſtitiæ, & ex vi contractus matrimonialis competit ius ad vſum matrimonij,niſi fortaſſe quis petat ex contemptu; atq;ita ſentire vidétur *Veracrux prima part.ſpeculi art. 17. in fine*, *Corduba in quæſt. lib. 1. q. 12. §.penult.* His tamen minimè obſtantibus.

2 *Coniux ſic inceſtuoſus petens debitum læthalitèr peccat.*

Reſpondeo coniugem ſic inceſtuoſum petentem debitum læthalitèr peccare. *Abbas c.fin.de eo,qui cogn.conſang.in fine, & ibi Alexander de Neuo num.5.*, *Victoria in ſumma de matrimon.num.288.*, *Nauarrus in ſumma c.16.num.35.*, *Abulenſis c.5. Matthai c.200.*, *Graffias prima part.deciſ.lib.2.c. 85.num. 11.*, *Caietanus 2.2.q. 154. art. 1. circa ſolut. ad quartum §. ad ſingula autem obiecta*, *Coaruuias 4. decret. 2. part. c.7. §. 2. num.6.*, *Petrus de Ledeſma de matrim. q. 55. art.6.§.quartus ſtatus affinitatis*, & alij innumeri, quos citat, & ſequitur *Sanchez de matrim.lib.9.de deb.coniug.diſp.28. num. 9.*

Faceret cõtra præceptũ Eccleſiæ.

Ratio ex eo deducitur,primo,quia inceſtuoſus in tali hypotheſi petendo debitum ab altero coniuge peccaret contra præceptum Eccleſiaſticum in re graui, ergo

Digitized by Google

ergo non eſt, cur non committeret graue, & læthale peccatum, ſi ſic peteret. Antecedens patet, quia illud interdictum eſt in pœnam Eccleſiaſticam ob delictum ob violatam affinitatem.

Secundo, quia, ſi quis obſtrictus voto ſimplicis caſtitatis peteret debitum a ſuo coniuge, quantumuis teneatur illi reddere, grauitèr, & læthalitèr peccaret, ergo etiam obſtrictus præcepto Eccleſiæ ad non petendum ob delictum, quod commiſit in copula fornicaria cum conſanguinea ſuæ vxoris, ſi petat, grauitèr, & læthalitèr peccaret. Antecedens non vertitur in dubium. Conſequentia probatur, quia materia, circa quam verſatur tam votum, quam præceptum eadem eſt; ex alia parte ad obligandum non videtur eſſe minoris efficacitatis præceptum, ac ſit votum.

Præceptū quoad obligandū æquè eſt efficax, ac votum.

Tertio, quia ex genere ſuo grauius eſt peccatum coire cum affine, ac cum altero ſoluto, ſed in ea hypotheſi petere debitum à propria coniuge eſt velle coire cum affine, ergo graue peccatum eſt, & vtique læthale; Neque dicas titulum coniugij cohoneſtare illam rationem affinitatis, vtpotè qui titulus maioris eſt efficaciæ, & poteſtatis; contra enim impugnaberis, primo, quia hac ratione cohoneſtaretur etiam petitio reſpectu obſtricti voto ſimplicis caſtitatis, quod non eſt aſſerendum. Secundo, quia, quando ius coniugij eſt ex aliqua iuſta cauſa per ius poſitiuum, & legitimum alligatum non poteſt licitè exire in actum, niſi remoto illo vinculo poſitiuo alligante, & obſtringente.

Eſt grauius peccatum coire cum affine, ac cum ſoluto.

3 Soluūtur rationes oppoſitæ.

Ad rationes, quæ ex aduerſo afferebantur, dicendum eſt, gratis dici tale interdictum eſſe contrario vſu abolitum, quandoquidem, vt benè notant *Vincentius in c. tranſmiſſæ de eo, qui cogn. conſang.*, & *ibi Ioannes Andreas num. 4.*, *Antonius in fine Caſtro lib. 2. de leg. pæn. c. 5 §. rurſus quint. arg. 11 Sarmiento lib. 7. ſelect. c. 10. ſtatim in princip.* experientia conſtat quotidiè peti diſpenſationem in ordine ad petendum debitum ab altero coniuge, quod verum non eſſet, ſi tale interdictum eſſet abolitum per contrariam conſuetudinem. Deinde illud interdictum innouatum eſt, & confirmatum per *Concil. Trident. d. ſeſſ. 24. c. 4*, & *per motum proprium Sixti V. Incip. ad Romanum ſpectat*, quod tollit omnem, & quamcunq; præſumptionem abolitionis.

4 Tale peccatum eſſet peccatum inceſtus.

Reſpondeo ſecundo. Peccatum, quod patraret coniux ſic inceſtuoſus petendo, propriè eſſet peccatum inceſtus. Conſentiunt *Sanchez de matrim. d. lib. 9. de debito coniug. diſp 28. nu. 9.*, *Caietanus 2. 2 q. 154. art. 1. circa ſolut ad quartum §. ad ſingula autem obiecta*, *Petrus de Ledeſma de matrim. q 55. art. 6. §. quartus ſtatus affinitatis*. Ratio ex eo deducitur, quia copula carnalis voluntariè habita cum affine propriè, & in rigore eſt inceſtus, vt eſt in confeſſo apud omnes, ſed coniux, qui copulam fornicariam habuit cum conſanguinea propriæ vxoris per eandem factus eſt affinis cum eadem vxore, ergo cum illa petens coeundo propriè committit inceſtum, niſi antecedentèr obtinuerit diſpenſationem; Neque dicas, quod vxor innocens, quantumuis per copulam fornicariam, quam maritus habuit cum propria conſanguinea, facta ſit cum eodem marito affinis, non propterea ipſa committat inceſtum congrediendo cum eodem marito, ergo neque maritus ipſe voluntariè congrediendo cum vxore, quantumuis cum illa contraxerit affinitatem, inceſtuosè peccabit; contra enim impugnaberis, quia, cum verſemur in affinitate prouenientè ex copula fornicaria verſamur in iure pœnali, quod afficere poteſt duntaxat delinquentem, non innocentem, potiſſimum cum vinculum illud affinitatis ex copula illicita non ſit naturale, adeoque præciſa quacunque lege Eccleſiaſtica nullum vinculum naturalis amicitiæ oritur inter conſanguineos perſonæ cognitæ carnaliter, & ipſum cognoſcentem, & è contra, prout latè docuimus *tom. 6. ſub tit. Contractus XV. de matrim. II. prænot. 11 aſſert. 5 num. 10.*, & docent *Nauarrus lib. 4. conſil. in prima edit. tit. de ſponſal. conſ. 7 num. 3.*, & *ſeqq.*, *Henriquez lib. 11. de matrim. c. 1 nu. 2.*, *Ledeſma 2. part. q. 57. art. 3. paulo poſt princip.*, Eccleſia autem in ſuis iuribus pœnalibus non impetit innocentes, ſed delinquentes.

5 Cur ſit inceſtus reſpectu coniugis, qui cognouit cōſanguineam alterius nō reſpectu coniugis innocentis.

---

§. XXIII.

An, quando coniux ratione cognationis ſpiritualis ſuperuenientis matrimonio impeditur a iure petendi, poſſit ab altero expelli ab habitatione.

SVMMARIVM.

Status controuerſiæ expoſitus. 1.
Rationes ſuadentes poſſe expellere. 2.
Non poteſt expellere. 3.
Cognatio ſpiritualis ſuperueniens non tribuit ius ad diuortium. 4.
Coniux, qui altero inſcio emiſit votum caſtitatis, non poteſt ab illo dimitti. 5.
Satisfit rationibus oppoſitis. 6.
Si vterque ſit impeditus ad petendum tenentur thoro ſeparari, non habitatione. 7.

1 Status cõtrouerſiæ expoſitus.

DIſquiſitio XXIII. Poſt contractum matrimonium inter Titium,& Caiam, idemq; conſummatum eadem Caia inſcio, & inconſulto marito, vel non vrgente iuſta cauſa baptizauit filium communem, vel eundem ſolemniter leuauit è ſacro fonte baptiſmatis. Ratione huius collationis baptiſmi, vel ſuſceptionis è ſacro fonte iuxta diſpoſitionem ſacri Concil. Trid. contraxit non ſolum cum eodem filio, ſed etiam cum Titio marito ſuo cognationem ſpiritualem, intuitu cuius ex alibi fusè dictis interdicitur iure petendi ab eodem marito debitum. Cum igitur, & ipſe Titius maritus ſtatuerit in corde ſuo debitum non exigere ab eadem Caia vxore, decreuit etiam eandem Caiam è domo expellere, & amplius cum ipſa non cohabitare. Quæſitum hic fuit, an iuſtè potuerit hoc præſtare.

2 Rationes ſuadentes poſſe expellere.

Videtur prima fronte potuiſſe iuſtè,& poſſe licitè expellere, quandoquidem onus cohabitationis eſt in ordine ad vsũ coniugij; cohabitatio etenim inducta eſt, vt coniuges poſſint commodè, & ad placitum ſe coniugaliter commiſcere; vbi autem ex parte vxoris ob illud impedimentum cognationis ſpiritualis nõ adeſt ius petendi, & maritus ex ſui parte liberè cedit ſuo iuri, non vrget amplius ius ad vſum coniugij, adeoq; nec videtur vrgere onus cohabitationis, ergo maritus iuſtè poterit vxorem expellere. His tamen non obſtantibus.

3 Non poteſt expellere.

Reſpondeo etiam in data hypotheſi maritum non poſſe è domo expellere ſuã coniugem affectam illo impedimento cognationis ſpiritualis *Gloſa c. noſſe verb. non fraudentur 30. q. 1., Abbas c. ſi vir in fin. de cognat. ſpirit., & c. 2. num. 2. de coniug. lepros. Supplementum Gabriellis in 4. diſt. 42. q. 1. art. 2. concl 4., Sanchez de matrim. lib. 9. de debito coniug. diſp. 5. num. 19.*

4 Cognatio ſpiritualis ſuperueniens non tribuit ius ad diuortium.

Ratio ex eo deducitur primo, quia nullo iure ſiue humano, ſiue diuino ſtatuitur, vt vxor propter cognationem ſpiritualem contractam poſt matrimonium poſſit à marito dimitti à domo,& à cohabitatione, cum cognatio ſpiritualis ſuperueniens matrimonio etiam cum ſcientia, & libertate illam contrahentis non tribuat ius ad diuortium; licet enim quantum eſt ex parte ipſius contrahentis talem cognationem voluntariè priuet iure vſus coniugalis, non priuat tamen alijs iuribus, cum hoc in iure non reperiatur diſpoſitum, ergo &c.

Secundo, quia ex eo, quod ſi quis voluntariè inſcio altero coniuge emiſſerit votum ſimplicis caſtitatis, intuitu cuius priuatur iure petendi, non poteſt alter ipſum è domo dimittere, non obſtante, quod ipſe etiam ſtatueret non petere amplius debitum, ergo etiam, ſi quis poſt contractum matrimonium contraxerit cognationem ſpiritualem cum proprio coniuge, ratione cuius priuatur iure petendi, non poterit ab altero coniuge expelli à domo, nec dimitti ab habitatione; Neq; dicas diuerſimodè rem ſe habere in huiuſmodi caſibus, quandoquidem contrahens voluntariè cognationem ſpiritualem, quodamodo peccat, quia facit contra diſpoſitionem Eccleſiæ vetantis coniuges proprios filios baptizare, vel ſuſcipere è ſacro fonte baptiſmatis, vouens autem nullo modo peccat, cum vtatur iure ſuo,& opus præſtet, quod eſt de meliori bono; contra enim impugnaberis; quia baptizare, vel ſuſcipere propriũ filium, vel filium alterius coniugis è fonte baptiſmatis non alia ratione, nec ſub alio onere prohibetur, niſi ſub illo, vt contrahat talem cognationem ſpiritualem, ratione cuius vetatur à iure petendi; hoc autem idem euenit in emittente votũ ſimplicis caſtitatis, ac proindè quoad hoc æqualis eſt vtriuſque conditio. Deindè, quantumuis contrahendo illam cognationem ſpiritualem culpam aliquam comiſerit contra diſpoſitionem iuris, nõ propterea contra ipſum reperitur in iure diſpoſitum, quod ratione eiuſdem poſſit è domo expelli.

5 Coniux, qui emiſit votũ caſtitatis altero inſcio non poteſt dimitti.

Tertio, quia in iure diuino ſolum permittitur viro poſſe vxorem dimittere ex cauſa fornicationis, prout habetur *Matthæi 5.*, ergo ex cauſa cognationis ſpiritualis contractæ poſt matrimonium non licebit eandem vxorem dimittere. Conſequentia probatur, quia particula reſtrictiua ad ſolum caſum fornicationis efficit, quod diſpoſitio nequeat ad alios caſus extendi extra eandem fornicationem; Neque dicas, quod ille textus *Matthæi 5.* intelligendus ſit ſolummodo quoad ius eandem dimittendi ab vſu coniugali; adeoq; quod ex ipſo non rectè inferatur, quod ex cauſa cognationis ſpiritualis nõ poſſit dimitti è domo; contra enim impugnaberis, quia, cum ille textus limitatiue dicat *ob ſolam fornicationem*, non poteſt intelligi, quod loquatur præciſè quoad debitum coniugale, cum plurimæ aliæ extent cauſæ, ob quas poteſt priuari coniux, & priuetur debito coniugali. Igitur, vt fornicatio ſecernatur è cæteris caſibus, ob quos interdicitur vſus coniugij, intelligendus eſt textus de iure dimittendi quoad habitationem propter fornicationem, non propter alias cauſas, cum diſpoſitio ſtet limitatiuè.

Solùm ex cauſa fornicationis poteſt coniux dimitti quo modo intelligendum.

Ad rationes pro aduerſa parte reſpondendum eſt, quod, quantumuis habitatio ſit

ſit

ſit præſcripta in ordine ad vſum coniugij, non propterea ex quocunq; impedimento, ſiue voluntario, ſiue non voluntario conſequitur ius ad alterum dimittendum ab habitatione, cæteroqui vt ſupra innuebam, ſi quis ex coniugibus vouiſſet ſimpliciter caſtitatem, poſſet ab altero dimitti, quod eſt contra communem DD. conſenſum, & contra communem praxim. Solum igitur ius dimittendi prouenit ex cauſa fornicationis, vel ex alia cauſa graui per ſententiam Iudicis, vt alibi explicabamus.

6 Satisfit rationibus oppoſitis.

Quid autem ſit dicendum, quando vterque coniux eſſet impeditus ex aliqua cauſa ad petendum ſimul, & reddendum, an ſcilicet tenerentur in ea hypotheſi ſeparari habitatione? Reſpondeo tunc probabilius eſſe, quod teneantur thoro ſeparari, non tamen habitatione. *Sanchez lib. 9. de debit. coniug. diſp. 5. num. 19 in fine, Turrecremata c. quod Deo 33. q. 3. num. 2.* Ratio primæ partis ex eo deſumitur, quia cubando in eodem thoro exponuntur periculo manifeſto coeundi contra impedimentum, quo premuntur. Ratio ſecundæ partis eſt, quia nullibi indicitur talis ſeparatio ab habitatione, nec illud periculum peccandi contra impedimentum proximè ſubeſt.

7 Si vterq; ſit impeditus ad petendum tenentur thoro ſeparari, nō habitatione.

§. XXIV.

An, ſi maritus conſenſum præſtiterit, vt vxor a proprio conſanguineo per vim cognoſceretur, oriatur interdictum petendi.

SVMMARIVM.

Specialis caſus proponitur. 1.
Vxor per vim oppreſſa conſentiente marito non priuatur iure petendi. 2.
Maritus, qui conſenſum præſtitit ad violentam oppreſſionem, priuatur iure petendi. 3.
Si vxor conſenſerit conſentiente marito neuter poteſt petere. 4.
Quando vterque concurrit malitioſè ad illam fornicationem neuter poteſt petere, vterque tenetur reddere. 5.

1 Factum in ſuis terminis expoſitum.

Diſquiſitio XXIV. Contractis nuptijs inter Caium, & Catherinam, eiſque fortè etiam conſummatis cum Sempronius conſanguineus eiuſdem Caij ingenti afficeretur amore erga eandem Catherinam, quod vtique notum erat Caio marito, hic conſenſum præſtitit, vt idem Sempronius per vim opprimeret eandem Catherinam vxorem ſuam, Quæſitum hic fuit, an eadem Catherina ob illam copulam habitam cum conſanguineo Caij priuaretur iure petendi ab eodem debitum coniugale, & an ipſe Caius ob conſenſum præſtitum ad illam copulam etiam per vim extortam priuaretur tali iure in ordine ad eandem Catherinã?

Reſpondeo primo. Ipſa Catherina per vim oppreſſa etiam conſentiente marito nullo modo priuatur iure petendi debitum ab eodem marito. *Roſella verb. impedimentum imped. 8. num. 15., Silueſter verb. luxuria q. 4. dict. 3., Graſſus prima part. deciſ. lib. 2. c. 80. num. 14., Sanchez lib. 9. de deb. coniug. diſp. 31. num.* 1. Expreſsè colligitur ex textu *in c. diſcretionem de eo, qui cogn. conſang.*, & ratio inde deducitur, quia æquum non eſt, vt vxor priuetur iure ſibi debito ob actionem ſibi non imputabilem ad culpam, cum nec voluntate concurrerit, nec operatione immo ad eandem per vim, & iniuriam fuerit attracta.

2 Vxor per vim oppreſſa cōſentiente marito non priuatur iure petendi.

Reſpondeo ſecundo. Ipſe Caius maritus, qui conſenſum præſtitit Sempronio conſanguineo ſuo, vt Catherinam vxorem ſuam per vim opprimeret, & carnaliter cognoſceret, vtique ratione illius conſenſus præſtiti priuatur iure petendi debitum ab eadem Catherina vxore ſua. *Riccardus in 4. diſt. 35. art. 2. q. 4., Aſtenſis in ſumma 2. part. lib. 8. tit. 11. art. 3. q. 15., Graſſus prima part. deciſ. lib. 2. c. 80. num.* 14 Expreſsè deducitur ex eodem textu *in c. diſcretionem de eo, qui cogn. conſang.*, vbi ea redditur ratio, quod affinitas iniquè contracta ei non officit, qui non fuit particeps iniquitatis, ergo è contrario ſenſu ei, qui fuit particeps talis iniquitatis debet obeſſe, ſed maritus in data hypotheſi ratione conſenſus præſtiti verè fuit particeps iniquitatis, ergo non eſt, cur eidem non debeat obeſſe illa affinitas orta ex illo violento concubitu cum propria vxore. Neque, obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, quod affinitas, ſeu affinitatis fundamentum eſt vinculum vnitatis conſiſtens in eo, quod duo facti fuerint in carne vna ex quo poſtea oritur, quod ratione talis vnitatis diuerſæ cognationes fiant affines, vnde deſinente, ſeu non ſubſiſtente illa vnitate inter illos duos non poſſunt eorundem cognationes inter ſe fieri affines, quia non ſubſiſtente fundamento non poſſunt ea ſubſiſtere, quæ in eodem fundantur; ſed ex illa copula fornicaria, & violenta non oritur illa affinitas inceſtuoſa requiſita ad priuationem iuris petendi inter ipſum conſanguineum Caij, & Catherinam cognitam, quia vis eandem Catherinam eximit à culpa inceſtus, ergo &c. Non, inquam, obeſſe poteſt, quia, quantumuis Catherina eximatur a culpa inceſtus,

3 Maritus, qui conſenſum præſtitit ad violentam oppreſſionē, priuatur iure petendi.

Inſtantia propoſita, & diſſoluta.

Digitized by Google

ſtus, non tollitur tamen, quia reſpectu eiuſdem conſanguinei Caij cognoſcentis illa copula per vim extorta ſit inceſtuoſa, & per conſequens non ſit conſtitutum ſufficiens fundamentum vnitatis, in quo fundetur illa conſanguineorum copulatio, & cum ipſe Caius fuerit particeps illius iniquitatis inceſtuoſæ commiſſæ à ſuo conſanguineo cum propria coniuge ratione conſenſus præſtiti, non eſt, cur ſubire non debeat pænas iuris, inter quas eſt priuatio iuris petendi debitum.

Hic ex occaſione oritur ratio dubitandi, an, ſi eadem Catherina non fuerit per vim oppreſſa à conſanguineo mariti, ſed vel voluntariè conſenſerit, vel leui metu fuerit inducta, & ipſe maritus tali actui fornicario conſenſum præſtiterit, poſſit ipſa petere debitum à marito, & teneatur eidem petenti reddere, & quid ſentiendum ſit de marito, qui conſenſum præſtitit. Reſpondeo primo, nec ipſam Catherinam, nec eius maritum in data hypotheſi poſſe petere debitum. In hanc reſponſionem arbitror conſentire *Sanchez d. lib. 9. de debit. coniug. diſp. 31. num. 2., Roſellam verb. impedimentum imped. 8. nu. 15., Aſtenſem in ſumma part. 2. lib. 8. t. 11. art. 3. q. 15.*, Ratio ex eo deducitur, quia, vterq; in ea hypotheſi factus eſt reus illius iniquitatis inceſtuoſæ; maritus quidem per conſenſum præſtitum; vxor verò eo, quia voluntariè commiſit illum inceſtum, & quantumuis ad illum fuiſſet inducta per leuem timorem, non propterea ratione eiuſdem excuſatur à culpa, nec ab illa pæna, quandoquidem leuis timoris nulla habenda eſt ratio. Reſpondeo ſecundo. Neutrum etiam teneri reddere, nec poſſe *Riccardus in 4. diſt. 35. art. 2. q. 4., Graffius prima part. deciſ. lib. 2. c. 80. nu. 14., Sanchez d. diſp. 31. num. 2.* Ratio ex eo deducitur, quia inter affines abſolutè tales maximè cum culpa vtriuſque nunquam eſt licita copula, ſed ſemper eſt inceſtuoſa, ſiue ſit petendo, ſiue reddendo, ergo ad euitandum crimen inceſtus, neuter poterit reddere.

4 Si vxor conſenſerit conſentiẽte marito, neuter poteſt petere.

Vterque factus eſt reus illius criminis.

Quid verò ſentiendum ſit in ordine ad hanc debiti redditionem, quando vterq; malitioſè, vel per operationem voluntariam, vel per conſenſum concurrit ad illam inceſtuoſam fornicationem ad effectum alterum defraudandi à debito coniugali. Sentio abſolutè, quod, quamuis neuter in ea ſuppoſitione poſſit petere, vterque tamen alteri petenti poſſit, quinimmò teneatur reddere. *Petrus à Ledeſma de matrim. q. 55. art. 6. dub. vlt. concl. vnica, Aſtenſis in ſumma 2. part. lib. 8. tit. 18. art. vnico q. 2., D. Antoninus 3. part. tit. 1. c. 15. §. tertio.* Ratio deſumitur ex textu *in c. ſi vir de cogn. ſpirit.*, vbi dicitur, quod malitia, & fraus nequeant patrocinari eiſdem coniugibus intendentibus ſe inuicem fraudare; at vtique patrocinaretur, ſi inde liberarentur ab onere ſibi adinuicem reddendi debitum; Neque dicas hæc ad ſummum ſubſiſtere, quando alter tantum ex eiſdem coniugibus ita malitioſè procederet, quia tunc fraus non poſſet eidem prodeſſe in detrimentum alterius; ſecus autem, quando vterq; malitiam ad eum finem dirigeret, quia tunc malitiæ, & fraudes inuicem compẽſarentur, & vterque videretur cedere iuri ſuo; contra enim impugnaberis, quia, quantumuis, vterque in hoc fraudulentèr inceſſerit, & vterque ſub eo fine deliquerit, non propterea vtriuſq; malitia adinuicem compenſatur, cum ius obligans ad redditionem debiti in caſu, quo vterq; deliquerit in fraudem iuris alterius ſit in pænam delicti eiuſdem malitiæ, & fraudis, non in vtilitatem eorundem ſe inuicem fraudantium; vnde, vt benè notant *Abbas in c. ſi viro de cogn. ſpirit. num. 5., & ibi Alexander de Neuo num. 7., Supplementum Gabriellis in 4. diſt. 42. q. 1. art. 2. concl. 4., Veracrux prima part. ſpeculi art. 57. concl. 5.*, quando agitur de vtilitate delinquentium, in eorumque fauorem ius exigendi debitum aufertur verum eſt, quod paria delicta mutua compenſatione tolluntur, ſecus vbi agitur de priuatione in pænam delicti, prout contingit in præſenti hypotheſi.

5 Quando vterq; malitioſè concurrit ad illam inceſtuoſam fornicationem neuter poteſt petere, vterq; tamen tenetur reddere.

---

§. XXV.

An ignorantia facti, vel iuris excuſet coniuges contrahentes affinitatem à pæna priuationis iuris exigendi debitum.

SVMMARIVM.

Facti ſeries expoſita. 1.
Ignorantia alia iuris, alia facti, alia pænæ. 2.
Si coniux coierit cum conſanguineo alterius in gradu prohibito cum ignorantia facti non amittit ius petendi. 3.
Etiam ſi coierit cum ignorantia vincibili. 4.
Probabilius etiam eſt, quod eximatur à tali pæna, ſi coierit cum ignorantia iuris. 5.
Et etiam ſi coierint cum ignorantia pænæ. 6.

DIſquiſitio XXV. Vel alter coniugum, vel vterque copulam fornicariam habuerunt reſpectiuè cum conſanguineo alterius in gradu, in quo à iure inducitur pæna priuationis iuris exigendi 1 Facti ſeries expoſita.

gendi ab altero debitum. Contigit autem, vt delinquens, ſi alter tantum fuerit, qui carnaliter cognouerit conſanguineum alterius, vel delinquentes, ſi vterque cognouerit, ignorarint vetitum eſſe acceſſum ad conſanguineum alterius, quamuis nouerint perſonam, cū qua congreſſi fuerunt, eſſe conſanguineam ſui coniugis, (& ecce ignorantia iuris) vel nouerint quidem ius prohibere acceſſum ad conſanguineum alterius, ignorauerint tamen illam perſonam, cum qua congrediuntur, vel congreſſi fuerunt, eſſe conſanguineam alterius, (& ecce ignorantia

2 facti, non iuris) vel tandem cognouerint, & ius prohibere acceſſum ad conſanguineam coniugis, & talem perſonam verè eſſe conſanguineam eiuſdem, ignorarunt tamen tali acceſſui iniunctam eſſe pęnam priuationis iuris exigendi debitum ab altero, (& ecce ignorantia pœnæ). Hic iam quæritur, an coniuges cum talibus ignorantijs in tali genere delinquentes priuentur iure exigendi debitum reſpectiue ab altero coniuge.

Ignorantia alia iuris, alia facti, alia pœnæ.

Pro clariori intelligentia diſquiſitionis aduertendum eſt, an ignorantia, ſiue fuerit facti, ſiue iuris, fuerit inuincibilis, an verò vincibilis, an tandem craſſa, & ſupina. Porro ignorantia poteſt eſſe vincibilis facti, & inuincibilis iuris, & pœnæ. Secundum has omnes diſtinctiones diluetur præſens difficultas, pro qua

3 Reſpondeo primo. Si coniuges coiuerint cum conſanguineo alterius in gradu, quo à iure interdicitur ius petendi debitum ab altero coniuge cum ignorantia inuincibili facti, quamuis non iuris, indubitati iuris eſt, quod non priuentur ex illo concubitu iure petendi debitum ab altero coniuge. In hanc conſentiunt communiter DD. *Sanchez lib. 9. de debit. coniug. diſp. 32. num. 1., Sotus in quarto diſt. 37. q. vnica art. 2. verſ. debet autem pœna, Gulielmus Vorrilongus in 4. diſt. 42. q. vnica art. 2. verſ. eſt notandum Præpoſitus c. ſi vir nu. 4. de cognat. ſpirit., D. Thomas in 4. diſt. 21. q. 1. art. primo in corpore*. Nec difficilis eſt probatio præſentis reſponſionis, quandoquidem hæc pœna priuationis iuris exigendi debitum ab altero coniuge inductum eſt in pœnam inceſtuoſæ fornicationis voluntariæ cum conſanguineo alterius coniugis, quod ex multis textibus euincitur, & primo *ex c. diſcretionem de eo, qui cogn. conſang.*, vbi coniuges ſupponuntur tali pœnæ, ſi illius iniquitatis fuerint participes, & ex alijs textibus ſparſim ſupra adductis, ſed quando eſt ignorantia inuincibilis facti, non poteſt eſſe pœna inceſtuoſæ fornicationis voluntariæ; ſiquidem pœna non eſt, vbi non eſt delictum, delictum non eſt, vbi non eſt voluntarietas, voluntarietas non eſt, vbi non eſt cognitio, ergo &c. Confirmatur *ex c. primo de eo, qui cogn. conſang.*, vbi expreſsè ad incurrendam hanc pœnam requiritur ſcientia affinitatis. Ibi- *Si quis cum filiaſtra ſua ſcientèr fornicatus fuerit*, & poſtea ſubditur pœna, ergo, vbi ignorantèr hoc prꝑſtiterit, non ſubibit huiuſmodi pœnam. Quod, ſi dixeris, quod illa affinitas interdicat petitionem debiti ſuperueniens matrimonio iam contracto, quæ dirimeret contrahendum, ſi præceſſerit idem matrimonium, ſed quando præceſſit etiam cum ignorantia inuincibili facti, dirimit contrahendum, ergo, quando ſubſequitur impedit debiti petitionem; ſtatim impugnaberis, quia illud aſſumptum vniuerſalitèr ſumptum non ſubſiſtit, cum omnes conueniant, quod copula inceſtuoſa, etiam per vim extorta antecedentèr ad matrimonium illud dirimat, non tamen, ſi ſubſequatur, impedit debiti exactionem.

Si coniux coierit cū cōſanguineo alterius cum ignorātia facti non amittit ius petendi.

Non eſt culpa inceſtus, adeoq; neque poteſt eſſe pœna.

4 Reſpondeo ſecundo. Si coierint cum ignorantia vincibili facti, probabilius eſt etiam, quod non contrahant hanc pœnam priuationis iuris petendi *Sanchez d. lib. 9. de deb. coniug. diſp. 32. num. 47., Henriquez lib. 11. de matrim. c. 15. num. 11.* Rationem ex eo cum eodem Sanchez deduco, quod habetur *in c. primo de eo, qui cogn. conſang.*, vbi huiuſmodi pœna imponitur contra fornicantes *ſcientèr* cum conſanguinea alterius Ibi- *Si quis cum filiaſtra ſua ſcientèr fornicatus fuerit &c.* Sed pœnæ inflictæ aduerſus ſcientèr committentes delictum non trahuntur ad ignoranter illud perpatrantes, prout latè probat *Sanchez loc. cit. num. 36.*, & præcipuè ex eo fundamento, quia vbi ad incurrendam pœnam à iure requiritur dolus, non ſufficit culpa lata *l. ſed, & ſi lege §. ſcire ff. de petit. hared., & l. igitur verſ., & generaliter ff. de liberal. cauſ.*, ergo, vbi requiritur ſcientia, non ſufficit ignorantia quamuis vincibilis, quia ita comparatur dolus ad culpam latam, ſicuti ſcientia ad ignorantiā etiam vincibilem, quinimmo magis diſtat ſcientia ab ignorantia vincibili, quam dolus à culpa lata, ergo, vbi interceſſerit ignorantia, quantumuis vincibilis facti de conſanguinitate perſonæ carnalitèr cognitæ non erit puniendus cognitor pœna illa priuationis, vtpotè quæ ſtatuta eſt contra ſcienter committentes illud delictum, & ratio fundamentalis huius rationis in eo conſiſtit, quod pœnalia ſunt ſtrictè interpretanda, non extendenda vltra caſus in iure expreſſos. Hac eadem ratione euincitur, quod coniuges ſic delinquentes non ſint hac pœna plectendi,

Etiam ſi coierint cū ignorātiæ vincibili facti.

Vbi requiritur dolus, non ſufficit culpa lata.

di, quantumuis id præſtiterint ignorantia craſſa, & affectata, dummodo talis non ſit, vt præſeferat temeritatem, quia illa ignorantia æquipararetur ſcientiæ, & dolo, prout notat *Antonius in c.2. nu.9. de conſtit., Henriquez lib. 13. de excommun. c.23.num.1.* Rationes pro contraria opinione earumque ſolutiones, vide apud *Sanchez lib.9.de debit. coniug. diſp.32. num. 44., & 47.*

5 **Probabilius etiam eſt, quod eximatur à tali pæna, ſi coierit cum ignorantia iuris.**

Reſpondeo tertio. Si coniuges in illo acceſſu fornicario fuerint ignorantes ignorantia iuris, probabilius etiam eſt, quod eximantur ab illa pæna priuationis iuris petendi *Sanchez lib.9. de debit. coniug. diſp.32.num.49., Henriquez lib.3. de confirmat. ſacrament. c.3. in fin. in comment. lit. S., & lib.2. de baptiſmo c.18. in fin.* Hoc idem ſentiunt plurimi in coniugibus baptizantibus filios communes, vel leuantibus de fonte ſacri baptiſmatis, ratione cuius muneris contrahunt cognationem ſpiritualem, & tamen, ſi hoc præſtiterint cum ignorantia iuris ſtatuentis per huiuſmodi collationem baptiſmi, & leuamen a ſacro fonte baptiſmatis contrahi priuationem iuris petendi debitum, talem pænam, ſeu priuationem aſſerunt non contrahere; atq; hi ſunt *Paludanus in 4. diſt. 42. q. 1. concl.7.num.15., Suarez 3. part. de baptiſmo q.67.art.8. §.maius vero dubium eſt*, & alij innumeri quos citat, & ſequitur *Sanchez d.lib.9 diſp.32.num* 49. Sed in hoc poteſt interuenire diſcrimen in eo, quod cognatio ſpiritualis inducta eſt de iure poſitiuo Eccleſiaſtico, affinitas verò de iure naturali. Nihilominus reſponſio noſtra ex eo euincitur, quod, quamuis affinitas eſſet inducta de iure naturali, pæna tamen illa priuationis iuris petendi eſt inducta dumtaxat de iure poſitiuo; ignorantia autem iuris prohibentis excuſat à pæna; Neq; obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, quod ignorantia iuris non præſumitur, nam hoc militat ſolummodo quoad præſumptiones, non quoad rei veritatem.

6 **Et etiam, ſi coierint cum ignorantia pænæ.**

Ex dictis deduces. Coniuges ſic coeuntes cum conſanguinea alterius cum ſcientia iuris, & facti; cum ignorantia tamen pænæ probabilius euitare in hac hypotheſi illam pænam &c.

CON:

CONTRACTVS XV.

De Matrimonio VIII. hoc eſt de onere parentum erga prolem in fieri, & iam conceptam.

POtiſſimum eſt coniugum onus, ea omnia euitare, quæ proli poſſunt obeſſe; quamuis enim pro libertate ad eiuſdem generationem concurrant, cum mutuo conſenſu a copula eiuſdem generationis medio prolifico, & neceſſario valeant abſtinere, non tamen ab eiuſdem conſeruatione, poſtquam concepta eſt, poſſunt declinare. Hoc à natura rerum omnium parente inditum eſt, vt quod ante actum libertatis eſt, ex poſt facto ſit neceſſitatis. Hinc parentes nedum media poſitiua ad fouendam, & prolem conſeruandam tenentur conferre, ſed à quibuſcunque abſtinere, quæ eiuſdem conſeruationi valeant obſiſtere. Ad hoc onus præcipuè ſpectat ea omnia auertere, quæ abortum prolis, ſiue animatæ, ſiue adhuc inanimis poſſunt inducere. Hoc meta erit præſentium diſceptationum, quo omnia, quæ ſub hoc titulo examinabuntur, collimabunt. Hic de eiuſdem abortus quidditate, qualitatibus, modis, pænis, alijſque ad ipſum ſpectantibus peragemus. Pro quo ſit.

PRÆNOTIO I.

Quid, & quotuplex ſit abortus, & quomodo fiat.

SVMMARIVM.

Quot modis poſſit contingere abortus. 1.
Definitur abortus, prout fit quaſi violentèr. 2.
Fœtus alius animatus, alius inanimis. 3.
Exponuntur variæ ſententiæ circa tempus animationis fœtus. 4.
Probabilius maſculus animatur quadraginta diebus, fœmina octuaginta. 5.
Quot modis hæc violenta eiectio poſſit contingere. 6.

ABortus ſecundum ſuam generaliſſimam notionem acceptus nihil aliud eſt, quam eiectio fœtus immaturi. Duplicitèr autem hoc poteſt contingere, quinimmo quaſi triplicitèr; primo naturalitèr, quod euenit, quando fæmina ex debili ſpirituum complexione, & de-

1 Quot modis contingere poſſit abortus.

fectu ipſorum non poteſt ſufficientèr fætum fouere, vnde moritur, & eicitur; ſecundo quaſi ab extrinſeco, & non naturalitèr, ſed labore quodam tali prægnantium ſtatui non accomodo, & præter intentionem, & tunc eſt, quando fæmina aliquo pondere premitur, vel nimio labore ipſius vterus relaxatur, ex quo fætus dimmittitur, & ad hunc modum reducitur abortus, qui ex congreſſu coniugum poſt prægnationem matris conſequitur; Tertio violentèr, quod euenit, quando vel per pharmaca noxia, vel per ſanguinis emiſſionem in matre, vel per violen-

tiam aliquam ab extrinſeco eidem matri prægnanti illatam concepti fœtus ſit eiectio. De primo modo, quo contingit huiuſmodi abortus vix aliquid hic manet examinandum; cum enim ex debili naturæ complexione proueniat, non eſt nec matri, nec alteri imputabile ad culpam. De ſecundo modo, præcipuè quando prouenit ex congreſſu coniugum poſt prægnationem matris, quando ſcilicet ſit imputabile ad culpam, & quando non ſit imputabile, plura diximus in præcedentibus, vnde non eſt, cum immoremur. Difficultates igitur, quæ ſub hoc titulo procedent, erunt potiſſimum circa abortum tertio modo ſumptum, cuius quidditatem per hanc definitionem attingo.

Aſſertio. Abortus hoc tertio modo ſumptus optimè per hoc deſcribitur, quod ſit *feſtinata per artem, ſeu vim concepti fœtus, & immaturi eiectio*; in qua definitione conſentiunt omnes ferè ſcribentes.

Explicatur definitio per ſuas particulas, non enim indiget probatione. Dicitur primo *Feſtinata*, cum illa eiectio præcurrat ordinem naturæ, nec expectet tempus à natura ipſa præſcriptum ad exitum eiuſdem fœtus. Dicitur *per artem, vel per vim*, quæ particulæ plurima important; primò ſecernunt abortum hoc tertio modo ſumptum ab abortu naturalitèr proueniente; ſecundo indicant modum, quo euenire poteſt huiuſmodi fœtus eiectio per pharmaca ſcilicet, & medicamenta inſtituta ad hunc effectum, vel per ictus, & violentias illatas fœminæ prægnanti. Tertio connotant hanc eiectionem debere eſſe voluntariam; hæc autem voluntarietas, vel poteſt eſſe reſpectu fœminæ, quæ concepit, quatenus hæc ex aliquo prauo fine adhibuit, vel adhiberi in ſe permiſit media ad hunc effectum conſequendum, vel reſpectu alterius ipſa neſciente, nec conſentiente, quatenus alter medicamenta, & potiones eidem tribuit, vt talis ſequeretur effectus.

2 *Explicatur definitio abortus violentèr facti.*

Dicitur *concepti fœtus, & immaturi eiectio*, per quas particulas contra diſtinguitur inductio abortus ab inductione ſterilitatis, quatenus abortus ſupponit fœtum in vtero matris conceptum, non ſic ſterilitas, Huiuſmodi autem fœtus eſt in duplici differentia; alius animatus, alius adhuc inanimis. Primus eſt, quando materia in vtero matris concepta ita intelligitur deorganizata, vt ad ipſã informandam iam ſupponatur, & ſit anima introducta. Secundus eſt, quando materia concepta nõ eſt adhuc coagulata, nec proximè diſpoſita ad hoc, vt informetur anima.

3 *Fœtus alius animatus, alius inanimis.*

Si autem hic quæras, quandonam intelligatur fœtus animatus, ita variè, & diuerſimodè loquuntur DD., vt vix aliquid certi videatur poſſe ſtatui. Conueniunt in eo ferè omnes, quod ſtatim informetur fœtus anima, ſiue fuerit maſculus, ſiue fœmina, ac fuerit formatus iuxta illud *Exodi* 21. ſecundum verſionem ſeptuaginta interpretum *Qui percuſſerit mulierem prægnantem, & illa abortum fecerit, ſi fœtus erat formatus dabit animam pro anima, ſi nondum erat formatus mulctabitur pecunia*, ſed quandonam intelligatur fœtus formatus, ſiue fuerit maſculus, ſiue fœmina in hoc maximè inter ſe diſcrepant. Leuinus *Lemnius c.* 11. ſentit maſculum formari aliquando die 30. aliquando die 35. aliquando die 40. aliquando die 45. ſecundum quod materia, ex qua formatur conſtat magis, vel minus viuacibus ſpiritibus, fœminam verò, quandoq; die 35. quandoque 40. quandoque 45. quandoque 50. per eandem rationem. Hippocrates *lib. de natura fœtus num.* 10. docet maſculum non tardius formari triginta diebus, fœminam verò non tardius quadraginta duobus diebus. Thomas *Tienus lib. de vi formatrice fœtus q.*8*, concl.* 11. ſentit fœtum pro maſculo formari die tertio ſtatim poſt conceptionem, qui propterea non extendet formationem fœminæ vltra ad ſex dies. Ariſtotiles verò *lib.*7*. de animalibus c.*3*., Plinius lib.*7*.c.*6*., Laiman lib.*3*. tract.*5*.part.*3*.c.*4*.num.*3*., Marchinus de ſacrament. ordinis tract.* 1*. p.* 9*. c.* 3*. num.* 7*., Scortia in bull. Pontif. theorem.* 376*., Quaranta in ſumma bullæ verb. abortus num.* 5. ſentiunt maſculum formari diebus 40. fœminam verò diebus 80. Sed quænam ſit ratio, cur ad tale, vel tale tempus protrahatur formatio maſculi, ad tale vel tale formatio fœminæ, non aſſignant. Hoc ſolum ego indicarem, quod magis protrahitur formatio fœminæ, quam maſculi, quia materia, ex qua conſtat fœmina, non eſt ita viuax, nec ſpiritibus calidis ita abundans, vnde difficilius, & tardius recipit formationem. In hoc opinionum diſcrimine certius arbitror adhærere opinioni Ariſtotelis, tum propter communiorem conſenſum, tum quia mitior eſt in ordine ad effectum, de quo agitur, & ad pœnas abortus.

4 *Aſſignantur variæ ſententiæ circa tẽpus animationis fœtus.*

5 *Probabilius maſculus animatur quadraginta diebus, fœmina octuaginta.*

Circa modos, quibus intendi poteſt hæc ſtudioſa immaturi fœtus eiectio plures attigimus in veſtibulo huius prænotionis, plures enumerat *Sixtus V. in ſua bulla ſuper hoc edita anno* 1588.*, quæ incipit effrænatam*. Primus eſt, per percuſſionem mulieris prægnantis. Secundus per venenum eidem exhibitum. Tertius per medicamenta, & potiones. Quartus per onera, & labores ipſi prægnanti impoſitos, vel per alia huiuſmodi.

6 *Quot modis hæc violenta eiectio poſſit cõtingere.*

PRÆ-

Digitized by Google

PRÆNOTIO II.

De grauitate, & pœnis criminis abortus.

SVMMARIVM.

Abortus, ſi fuerit fœtus animati, importat veram noxam homicidij. 1.
Fœtus in vtero matris exiſtens non viuit vita matris. 2.
Dum adhuc in vtero eſt, propriè homo eſt, ſi viuit. 3.
Pater, vel mater, ſi abortum committat fœtus animati, dicuntur parricidæ. 4.
Fœmina voluntariè abortiens grauioris culpæ homicidij conſtituitur rea propter periculum multiplicis necis. 5.
Item propter læſionem innocentis. 6.
Vxor abortiens inuito marito peccat contra eundem maritum, & coniugium. 7.
Abortum fœtus etiam inanimis deteſtati ſunt tanquam flagitioſiſſimum crimen ne dum SS. PP., ſed etiam antiqui Phyloſophi, & legislatores. 8.
Hoc crimen repugnat iuri naturali. 9.
Item iuri diuino. 10.
Item iuri ciuili. 11.
Item canonico. 12.
Pœnæ tàm de iure ciuili, quàm canonico antiquo contra procurantes abortum fœtus, ſiue animati, ſiue inanimis. 13.
Sinopſis grauiſſimarum pœnarum ſtatutarum per Sixtum V. 14.
Bulla Gregorij XIV. per extenſum. 15.

Grauitas, vel ab intrinſeco, vel ab extrinſeco poteſt cõſiderari.

GRauitas huius delicti, vel conſiderari poteſt ab intrinſeco, vel ab extrinſeco; ab intrinſeco conſiderata, ſeu attenta deformitate, quam habet ex obiecto ipſa actio, & deordinatione à recta ratione; ab extrinſeco conſideratis iuribus, quibus interdicitur, & quibus maximè exoſus eſt abortus.

In ordine ad primam conſiderationem conſiderare adhuc poſſumus, an ille fœtus, de cuius eiectione agitur fuerit animatus, an adhuc inanimis, ſecundum quam acceptionem reſultare poteſt diuerſa deformitas, & quidem, ſi conſideremus abortum fœtus animati, certius eſt

I Abortus, ſi fuerit fœtus animati importat deformitatẽ homicidij

inuoluere deformitatem homicidij, prout ex communi Iuriſtarum, Theologorum, & Summiſtarum conſenſu refert *Auguſtinus Barboſa Collect. ad c. Moiſes 32. q. 2.*, *Farinacius in praxi tom. 5. q. 122. p. 5. num. 98.*, *Stephanus Gratianus in diſcept. forenſ. tom. 1. c. 72. num. 17.*, *Mandoſius de ætat. min. c. 1. num. 2.*, *Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrim. c. 9. num. 69., & ſeqq.*, cum etenim fœtus in vtero matris exiſtens ſupponatur formatus, & anima rationali imbutus, non eſt, cur illius exanimatio dolo procurata non ſit verum, & proprium homicidium, prout expreſsè habetur *c. conſuluiſti 2. q. 5.*, vnde meritò Sixtus V. in ſua præcit. conſtit. ſic procurantes abortum ſubdit omnibus pœnis, quibus ſubduntur veri homicidæ; Neque hic audiendi ſunt *Hireſius Medicus*, *Æniſedemus*, & fortè etiam *Plato*, prout eidem tribuit *Tertullianus lib. 2. de anima c. 25., & 26.* apud *Lactantium de opificio Dei c. 17.* afferentes fœtum, donec in vtero matris viuit, viuere matris anima, quod etiam videtur ſenſiſſe *Tiraquel de retract. lignag. gloſ. 9. §. 1. num. 78. in fin., & in l. ſi vnquam in verb. ſuſceperit liberos num. 147. C. de reuoc. donat.*, dum dixit, quod is, qui nondum natus eſt, non ſit perſona, nec homo, nec animal, & *Ioannes Marcus Medicus in lib. inſcript. Idæarum operatiuum*, cuius opinionem non improbabilem videtur iudicare *Ionnnes Caramuel in ſua Theol. mor. nu. 1163.*, dum docuit fœtum in vtero matris carere ſemper anima rationali, qua tantum informatur, dum ab vtero agreditur; Non, inquam, audiendi ſunt; Non primi, qui ſtatuunt dumtaxat fœtum viuere vita, ſeu anima matris, quandoquidem eorum opinio nedum aduerſatur communi Summiſtarum, Theologorum, Canoniſtarum, & Iuriſtarum conſenſui, & menti totius Eccleſiæ volentis animas fœtuum animatorum, ſi in vtero matris perimantur, deſcendere ad limbum, quod verum non eſſet, ſi viuerent, quandiu in eodem vtero degunt, anima matris. Hoc idem ſentit *Sixtus V. in allegata conſtitutione Effrenatam*, cum in proemio eiuſdem profiteatur ſe velle conſulere ſaluti animarum fœtuum, quod incongruè diceret, ſi animas proprias in eiſdem fœtibus formatis etiam ante natiuitatem non agnoſceret; vnde meritò *Tertullianus lib. de anima c. 25.* appellat hanc opinionem nedum placitum, ſed apertè errorem, vtpote à diametro pugnãtem cum ſcripturis, quas ibidem ipſe appendit, & deinde huiuſmodi falſitatis ſectatores prouocat ad fœminas prægnantes per hæc verba. *Pudeat opinor illos hoc ſtatuere, quod fœminæ agnoſcerent. At quanto roboratior exitus à fœminis reuinci, quam probari. In iſta namque ſpecie nemo tam idoneus Magiſter, arbiter, teſtis, quam ſexus ipſius. Reſpondete matres, voſque prægnantes, voſque puerperæ; ſteriles, & maſculi taceant. Veſtræ naturæ veritas quæritur, veſtræ paſſionis fides conuenitur. An aliquam ſentiatis in fœtu viuacitatẽ alienam de veſtro; de quo palpitent alia, micent latera, tota ventris ambitio pulſetur, vbique ponderis regio mutetur. An hi motus gaudia veſtra ſunt, & certa ſecuritas, quod ita infantem, & vi-*

2 Fœtus in vtero matris exiſtens non viuit vita matre.

viuere confidatis, & ludere? An, ſi deſierit inquies eius, illi prius pertimiſcentis, an, & audiat iam in vobis cum ad nouum ſonum excutitur. Hoc idem ſatis concludenter euincit exemplum D. Ioannis Baptiſtæ, qui, cum adhuc in vtero matris eſſet, ad aduentum Chriſti Domini adhuc in vtero virginis exiſtentis exultauit, & geſtijt in vtero matris, vnde D. Ioannes Chriſoſtomus. *Nondum naſcitur, & ſaltibus loquitur, nondum paritur, & properat præcurrere*, cum alijs pluribus, quæ expreſsè indicant vitam propriam, ſeu animam inexiſtente præcurſori, dum adhuc in vtero matris foueretur. Non amplius in hoc dubitandum, cum Innocentius XI. die ſecunda Martij 1679. damnauerit infraſcriptam propoſitionem. *Videtur probabile, quandiu in vtero eſt carere anima rationali, & tunc primum incipere eam habere cum paritur*.

Neque item audiendus eſt *Tiraquel loc. cit.*, ſeu illi, pro quibus ipſe loquitur, quandoquidem dum dicit, quod is, qui

3 Dum adhuc in vtero eſt propriè homo, ſi viuit.

nondum natus eſt, nec ſit perſona, nec homo, nec animal, hoc intelligendum eſt ſub eo ſenſu, quod eidem non poſſit dari tutor, prout latè probant *Baldus in §. impuberes num. 5. Inſtit. de actil. tut.*, *Tiraquel de retract. lign. gloſ. 9. § 1. num. 78. in fine*, *Ioannes Andræas poſt Odoffac. in addit. ad ſpecul. §. nunc dicendum tit. de tutorib. in vlt. addit.*, *Caccial. in l. matres verſ. in prædictis aduerte, & in l. ſciant C. de ſuis, & legit.* non in eo ſenſu, vt eius exanimatio non ſit homicidium, prout probat *Gratianus tom. 1. diſcept. forenſ. c. 72. num. 17.*, *Signorol. c. 1. nu. 15.*, *Romanus in l. 1. §. occiſorum num. 3. ad Sillan.*, *Bartolus in l. Diuus de extraord. crim.*

Neque tandem audiendus eſt *Ioannes Marcus Medicus ſupra allegatus*, quandoquidem ex ſuæ voluntatis arbitrio ſibi

Dictum Ioannis Marci repugnat ſacris ſcripturis.

confinxit, quod fætus non viuit anima rationali, niſi dum egreditur ab vtero matris, cum hoc aduerſetur communi DD. conſenſui diſtinguentium abortum, quando fætus eſt animatus, ac quando eſt inanimis, & diuerſas pœnas iura conſtituunt in ordine ad primum ab eis, quas conſtituunt in ordine ad ſecundum, & Canones, & Summi Pontifices hanc diuerſitatem conſtituunt, & cognoſcunt. Inſuper aduerſatur textui ſacræ ſcripturæ *Exodi 21.*, vbi iuxta verſionem ſeptuaginta interpretum dicitur *Qui percuſſerit mulierem prægnantem, & illa abortum fecerit, ſi fætus erat formatus, dabit animam pro anima*, vbi ſupponit, quod in fætu formato adſit anima propria. Tandem, quia aduerſus hunc errorem militant omnia argumenta, quæ militant aduerſus eos, qui docent fætum, quouſq; foueatur in vtero matris, viuere anima matris.

Hinc deduces primo, quod ſi per Patrē, vel matrem abortus fætus iam animati data opera fuerit intentatus, & ſecutus, 4

4 Pater, & mater cōmittentes abortum fætus animati dicuntur parricidæ.

conſtituatur ipſi rei parricidij, prout *Gloſa in l. Diuus verb. exilium ff. de extraord. cognit.*, *Deccanus in tract. crimin. lib. 9. c. 8. nu. 14., & ſeqq.*, *Gomez var. c. 3. n. 3.*, & latè *Rainaudus de ortu infantium c. 10. à nu. 17. ad 20.*, quod multis probat rationibus. Hoc crimen *Minutius in Octauio n. 53* parricidij notat. Ibi *Parricidium faciunt, antequam pariant*, idem *D. Cyprianus epiſt. 49.* per ea verba, *Vterus vxoris calce percuſſus, & abortione properante in parricidium partus expreſſus*. Idem *D. Hieronymus Epiſt. 22.* in hunc modum *Nonnullæ, cum ſe ſenſerint concepiſſe de ſcelere, abortus venena meditantur, & frequenter ipſæ etiam commortuæ, trium criminum reæ ad inferos perducuntur, homicidæ ſui, Chriſti adulteræ, nec dum nati filij parricidæ*. Idem *Theodoretus lib. 9. de legib. ſub fin. Quis vero vnquam tale, vel Echetus, vel Phalaris legibus ſuis inſtituit? Quis tale parricidij genus eſt vnquam auſus? Nam qui prohibet fætus in lucem edi abortus profecto pharmacis infantes corrumpi iubet.* Hinc pro huius illationis intelligentia, quod quamuis ſpectata nominis Ethimologia nomine parricidij veniat dumtaxat mors à filio intentata Patri, vt voluit *Fabius lib. 6. cap. 8.* ſecundum tamen rei ſubſtantiam, ſecundum communem DD. acceptionem ſumatur pro quacunque occiſione perſonæ coniunctiſſimæ, ſiue ſit deſcēdentis per aſcendentem, ſeu aſcendentis per deſcendentem, prout colligitur *ex l. vnica C. de his qui paru. vel lib. occid., & §. alia deinde lex Inſtit. de publ. iud.*

Deduces ſecundo, quod fæmina prægnans voluntariè abortiens conſtituatur grauioris homicidij, ſeu parricidij rea, 5

5 Fæmina voluntariè abortiens grauioris homicidij conſtituitur rea, & quare.

vel ex eo, quod actu per eundem abortum multiplicem fætum perimat, vel ſe exponat periculo perimendi; cum enim potuerit multiplicem prolem concepiſſe, & ignoret vnam ne, an multiplicem conceperit, ſemper relinquit in dubio, an vnius, an multiplicis abortus fætus fuerit rea conſtituta. *Rainaudus de ortu infantiū c. 10. n. 14.*, *Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrim. c. 9. n. 71. verſ. addendum etiam ex Rainaudo*. Ratione huius dubij multiplicis prolis certè culpa augetur, cum operans in dubio obſtringat ſe eodem ſcelere, quo is, quo ex certa cognitione operatur.

Propter periculū multiplicis necis.

Deduces tertio, culpam abortientium, ſeu procurantium abortum fætus animati eo magis grauari, quo fertur in innocentem, quod latè colligi poteſt ex ijs, quæ nos docuimus *in tom. 8. de reſtitutio-* 6

6 Item propter læſionem innocentis.

ne

Digitized by Google

ne I. prænot. 15. ſect. 5. nu. 3., nempe etiam in ordine ad bonum publicum communitatis, ſeu in ordine ad vitandam eiuſdem grauem perniciem non licere per ſe directè occidere innocentem, quod etiam docuit *D. Thomas 2. ſecundæ q. 64. art. 6. in corpore, Leſſius lib. 2. de iuſt., & iur. cap. 9. dub. 7. n. 36., Sotus lib. 5. de iuſt. q. 1. art. 7., Corduba lib. 1. qq. q. 27. in ratione c. 3. pro tertia opinione*, quod colligitur ex illo *Exodi 23. Inſontem, & iuſtum non occides*, per quod non intelligitur Deus voluiſſe generali iure prohibere homicidium quomodocunque, ſed ſpecialiori quodam iure voluiſſe innocentes ſeruari, ex quo deducitur, quod ſit maior atrocitas in occiſione innocentis, & inſontis.

7 **Vxor abortiens inuito marito peccat cõtra eũdem maritum, & coniugiũ.** Deduces quarto, quod vxor prægnans non conſentiente marito intentans abortum, vel maritus non conſentiente vxore, grauiſſimè peccant etiam aduerſus alterum coniugem innocentem reſpectiuè, & coniugium; in coniugem quidem, quia priuat alterum prole, quæ inde ſperabatur, quod certè eſt contra iuſtitiam, prout notant *Rainaudus de ortu infantium lib. 10. nu. 22.* quod etiam multis illuſtrat exemplis *Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrim. c. 9. num. 71.*, in coniugium verò, quia fruſtratur eiuſdem principalis finis, qui eſt propagatio ſpeciei. Hanc aduerſus coniugium atrocitatem commiſſam per fætus animati internectionem expreſſit *D. Auguſtinus lib. de nupt., & concup. c. 15.* vbi loquens de coniugibus prolis exortũ ad hanc lucem prohibẽtibus ſic loquitur, *Quamuis vocentur coniuges, non ſunt, nec vllam nuptiarum retinent veritatem, ſed honeſtum nomen velandæ turpitudini obtendunt.* Poſtea ſubdit *Aliquando eo vſque peruenit hæc libidinoſa crudelitas, vel libido crudelis, vt etiam ſterilitatis venena procuret, & ſi nihil valuerit conceptos fætus aliquando intra viſcera extinguat, ac fundat, volendo ſuam prolem prius interire, quam viuere, aut, ſi in vtero iam viuebat, occidit, antequã naſcatur. Prorſus ſi ambo tales ſunt coniuges non ſunt.*

8 **Cenſura antiquorum Phyloſophorum, & legislatorũ cõtra procurantes abortum fætus etiã inanimis.** Vides ex præhabitis, quam graue ſit flagitium internectio fætus animati adhuc in vtero matris exiſtentis. Conſideremus iam grauitatem huiuſmodi delicti, quando fætus in vtero matris conceptus adhuc eſt inanimis. Hanc abortionem fætus quantumuis adhuc inanimis voluntariam deteſtati ſunt, Ethnici tanqum flagitioſiſſimum crimen. Hipocrates, prout referunt *Moſcius lib. 2. de ven. ſect. in morbis acutis c. 15., Mercurialis lib. 1. de morb. mulieb. c. 7., Codronchus de Chr., & tnt. med. ratione c. 22. lib. primo*, ſacramẽto ſe obligauit ad præcauendum à quocunque, quod directè poſſet tendere in huiuſmodi abortionem. Phanorinus *Phyloſophus apud Gallium lib. 1. c. 1., Muſonius apud Stobæum ſerm. 194.* referunt priſcos legislatores graui animaduerſionem crimen hoc puniendum ſtatuiſſe, vt alios innumeros omittam ex ethnicis, qui hoc idem ſtatuerunt; Neque contrarium ſentit *Ariſtotiles cap. 6. Politicorum*, vbi dixit, quod, ſi parentes non habeant, quo commodè alere poſſit filios, determinanda ſit filiorum procreandorum multitudo, & deindè ſubdit, *Sed ſi quid præterea fuerit genitum abortionem ante ſenſum, & vitam facere conueniet*; Non, inquam contrarium ſenſit, ſed tantum voluit, prout notat *Rainaudus de ortu infantium d. c. 10. n. 31.*, quod minus malum ſit abortum facere ante ſenſum, & vitam, quam poſt vitam, & ſenſum, & quando neceſſitas compelleret, potius eſſet eligendum primum tanquam minus malum, quam ſecundum. **Cenſura item SS. PP.** Hanc fæditatem acutius penetrarunt SS. PP., & primo *Tertulianus c. 9. Apolog.*, vbi retorquens Ethnicorum impietatem notam catholicis impingentiũ ſic habet. *Nobis verò homicidio ſemel interdicto, etiam conceptum vtero, dum adhuc ſanguis in hominem dilabatur, diſſoluere non licet. Homicidij feſtinatio eſt prohibere naſci, nec refert natam, qui eripiat animam, an naſcentem diſturbet. Homo eſt, & qui eſt futurus, & fructus omnis iam in ſemine eſt.* Alios tu ipſe vide citatos apud *Reinaudum dict. lib. 10. de ortu infant. à n. 33. ad 35.* Nec ſolis auctoritatibus hæc exitialis fæditas demonſtratur, ſed etiam rationibus euincitur, & primo, quia eſt contra finem primario intentum a natura, quod ſemen ordinatum ab eadem ad generationem prolis, & ſpeciei propagationem, ita enormitèr profundatur. Secundo, quia talis abortio eſt iniurioſa naturæ. Tertio, quia eſt contra coniugium, & ſi fiat ex odio alterius coniugis, eſt contra iuſtitiam.

Hactenus grauitatem delicti ex obiecto, & ex intrinſeco ipſius conſiderauimus per ea etiam, quæ in eodem inſpexerunt grauiſſimi DD., & SS. PP. Nunc etiam eandem conſideramus per ordinem ad iura, quibus interdicitur, & quibus repugnat. 9 **Hoc crimen repugnat iuri naturali.** Repugnat igitur primo iuri naturali, nam bruta etiam ipſa natura duce in partu fætum expectant, nec animal aſſolet proprios fætus ante ortum interimere hoc dictante ipſa natura; vndè merito Phocillides Græcus, qui ſolo lumine naturali ducebatur in ſuis moralibus ſcripſit. *Neque mulier corrumpat fætum intra ventrem, neque cum peperit canibus, aut vulturibus iaciat, neque vir vxori prægnãti iniiciat; hoc etenim inhumanum eſt.*

Re-

Digitized by Google

10 Item iuri diuino. Repugnat ſecundo iuri diuino, prout habetur *Exodi* 21. vbi decernitur, quod ſi quis abortum procurauerit per percuſſionem fæminæ prægnantis reddat animam pro anima, cuius textus verba ſecũdum verſionem ſeptuaginta interpretum ſupra retuli.

11 Item iuri ciuili. Repugnat tertio iuri ciuili, vt habetur *l. diuus ff. de extraord. crim.*, *& l. Cicero ff. de pœnis*, vbi etiam pæna mortis cõtrà abortum procurãtes ſecuto effectu decernitur, ex qua, aliſque pænis, vt infra facilè erit colligere grauitatem delicti; non enim niſi pro graui delicto grauis pæna inuritur.

12 Et etiam canonico. Repugnat quarto iuri canonico, prout colligitur *ex c. cum aliquis*, *& c. ſicuti ex literarum de homicidio*. Ipſius grauitatem præ cæteris prægnantibus verbis exprimit Sixtus V. in præcit. conſtit. per ea verba. Quis, inquit *non deteſtetur tam execrandum facinus, per quod nedum corporum, ſed quod grauius eſt etiam animarum certa iactura ſequitur. Quis non abhorreat libidinoſam impiorũ hominum crudelitatem, vel crudelem libidinem, quæ eo vſque proceſſit, vt ſuam etiam prolem prius interire, quam viuere procuret, aut ſi iam viuebat, occidi, antequam naſci nefario ſcelere moliendo.*

13 Pœnæ de iure ciuili tam contra procurantes abortum fætus animati, quam inanimis. Ad grauitatem delicti conſequi debet grauis, & proportionata pæna, quæ varia, tàm in iure ciuili, quam in iure canonico ſtatuitur (omiſſa pæna mortis, quæ de iure diuino *Exodi* 21. erat ſtatuta) De iure ciuili ſtatutum eſt, quod, ſi fætus erat animatus, auctor criminis puniretur pæna capitis, quia verè homicida eſt, & eo crudelior, quo in inſontem ſæuit; ſi verò inanimis auctor delicti, ſi eſt nobilis conditionis puniatur exilio parte bonorum amiſſa, ſi vero ignobilis, damnetur ad metallum *l. ſi quis aliquid §. quod abortionis ff. de pœnis, Clarus lib. 5. ſent. §. fin. q. 68. verſ. abortum, Homobonus de exam. par. 1. tract. 7. c. 19. q. 88, & part. 3. tract. 13. c. 11. q. 3. reſol. 4.* De iure vero canonico antiquo etiam pæna mortis ſtatui videtur, ſi fætus fuerit animatus, cum verè in hoc homicidium interueniat, ſi vero fuerit inanimis ſtatui duntaxat pænam exilij, vel aliam arbitrariam *Molina tract. 3. diſp. 27. n. 6., Menochius de arbit. caſ. 357., Theſaurus in decis. pedemont. deciſ. 12., & alij communitèr.*

14 Sinopſis omnium ſtatutorũ contra huiuſmodi crimen per Sixtũ V. De iure vero nouiſſimo Eccleſiaſtico *Sixtus V. in ſua conſtit. præcitata, quæ incipit Effrenatam*, decreuit omnes, & quoſcunq; tam viros, quam mulieres cuiuſcunque dignitatis, ſtatus, & conditionis ſint etiam Clericos ſæculares, ſiue regulares quacunque dignitate fulgentes, qui per ſe, vel per interpoſitas perſonas ſterilitatem induxerint, & fætus immaturi, ſiue animati, ſiue inanimati, formati, vel informis eiectionem quocunque modo procurauerint, ita vt re vera abortus ſecutus fuerit, pænas omnes tàm diuino, quàm humano iure, tàm per Apoſtolicas conſtitutiones, quàm per ciuilia iura cõtra eos, qui homicidium voluntariũ perpatrauerit impoſitas, & inflictas eo ipſo incurrere. Præterea ſtatuit clericos omnes omni priuilegio clericali, officijs, & dignitatibus ipſo facto priuari, & ad ipſa inhabiles reddi ſine ſpe habilitatis acquirendæ, & hoc, etiam ſi crimen occultum fuerit, quinimo per Iudicem Eccleſiaſticum degradandos, & curiæ ſæculari tradendos, quæ ipſis eas pænas infligat, quæ contra laicos verè homicidas per diuinas leges, & ciuilia iura ſunt diſpoſitæ; Laicos verò declarat inhabiles ad ordines, & alijs pænis afficit, vt ſupra, decernens, quod ad procedendum contra huiuſmodi delinquentes Eccleſiaſticis, & ſæcularibus poteſtatibus detur locus præuentioni, & admittantur etiam teſtes alioqui inhabiles. Tandem contra omnes, ſiue ſæculares, ſiue clericos, ſiue Regulares, ſiue Moniales, qui, ſeu quæ ſiue principales, ſiue complices tantum, òpem, conſilium, fauorem, potionem, vel alia cuiuſcunque generis medicamenta ſcienter dederint, vel etiam conſuluerint ſcripto, verbo, vel ſignis excommunicationem imponit a nemine abſolubilem (excepto articulo mortis) neq; titulo Iubilæi, vel Cruciatæ, neq; ex vi quarumcunque literarum Apoſtolicarum quibuſcunque principibus, ſeu ad eorum inſtantiam conceſſarum ſecluſo quocunque priuilegio, niſi a Romano Pontifice, cui etiam reſeruat irregularitatem ratione præmiſſorum contractam, etiam ſi eorum crimen occultum fuerit.

Sed hanc Bullam Sixtianam in pluribus moderatus eſt Gregorius XIV. in ſua conſtitutione edita anno 1691. quam, quia plurima continet ad præſentem materiam valde accomoda, quæque multis difficultatibus obuiantibus poſſent deſeruire, placet per extenſum referre, quæ eſt, vt ſequitur.

GREGORIVS EPISCOPVS

Seruus ſeruorum Dei.

Ad perpetuam rei memoriam.

SEdes Apoſtolica pia mater aſſiduè ſentiens ponderis ſibi incumbentis in procuranda ſalute animarum pretioſo Christi Domini ſanguine redemptarum grauitatem, & magnitudi- 15 Bulla Gregorij XIV. per extẽſum.

tudinem in re tanti momenti, vt par eſt, magis in dies ſollicita, eundemque optimum finem ſemper ante oculos propoſitum habens nihil vnquam intentatum prætermitti eorum, quæ ad fidelium animas in viam ſalutis dirigendas iudicat pertinere. Quare nemini mirum videri debet, ſi interdum quidem contumacium fidelium audaciam pœnarum ſeueritate deterret. Rurſus eiſdem, ſi ad cor redire velint, & peccati veniam humiliter expoſcere, maternum aperit ſinum, viamq; ad pœnitentiam eis ſternit faciliorem, ac manſuetudine congrua rigorem temperat, prout in Domino conſpicit ſalubritèr expedire.

§. 1. Dudum ſiquidem fel. recor. Sixtus Papa V. prædeceſſor noſter iuſtitiæ zelo accenſus contra procurantes abortum fœtus tàm animati, quàm inanimis, eiuſq; grauiſſimi ſceleris participes, & adiutores, nec non contra eos, qui mulierum fœcunditatem impedirent, & ſterilitatis potiones, ſeu venena præberent conſtitutionem edidit ſub dat. 4. Kalend. Nouembris Pontificatus ſui anno tertio, per quam vltra diuerſas ſpirituales, & temporales pœnas etiam inter alia excommunicationis ſententiam contra eos promulgauit, ſibiq; & ſucceſſoribus ſuis tantum facultatem abſoluendi reſeruauit, prout in eadem conſtitutione plenius continetur.

§. 2. Cum igitur poſtmodum experientia docuerit ex remedio huiuſmodi, non quā ſperabatur, vtilitatem, ac fructum prouenisse verum potius multis Satanæ malitia ad peccandum inductis ob ſoli ſedi Apoſtolicæ reſeruatam abſoluendi facultatem reddito ad pœnitentiam aditu eos à nefarijs huiuſmodi flagitijs perpatrandis non ſolum non retraxiſſe, ſed etiam plurimorum ſacrilegiorum, grauiſſimorumq; peccatorum, & ſcelerum occaſionem dediſſe. Nos propterea animaduertentes, gladium Eccleſiaſticæ diſciplinæ præſertim quoad cenſuras, & pœnas ſpirituales ita exerendum eſſe, vt ad medicinam tendat, non ad perniciem animarum, æternumque Paſtorem, cuius vices in terris gerimus, quantum (diuina eius gratia adiutrice) poſſumus imitari volentes, qui venit animas hominum ſaluare, non perdere, neminiq; quantumcunque grauitèr, & enormitèr deliquerit, viam ſalutis præcluſit, quin potius ad eam aſſequendam copioſa remedia adhibuit, ac nobis reliquit, & ſimul vtilius cenſentes, vbi nec de homicidio, nec de fœtu animato agitur, pœnas non imponere duriores ijs, quæ per ſacros canones, & leges profanas ſunt inflictæ, habita ſuper hoc cum Venerabilibus Fratribus noſtris S. R. E. Cardinalibus ſuper negotijs, & conſultationibus Epiſcoporum deputatis matura deliberatione, de eorum conſilio conſtitutionem prædictam ſic duximus moderandam, vt à peccato, & excommunicatione contra perſonas ibi expreſſas lata tùm quoad eos, qui hactenus deliquerunt, tùm quoad illos, qui poſt noſtram conſtitutionem in eiſdem caſibus deliquerint, quilibet præsbiter tàm ſæcularis, quàm cuiuſcunq; ordinis Regularis ad Chriſti fidelium confeſſiones audiendas, & ad hos caſus ſpecialitèr per loci ordinarium deputatus plenam, & liberam in foro conſcientiæ tantum abſoluendi habeat facultatem, eandem prorſus, quam idem Sixtus prædeceſſor ſibi, ac ſuis ſucceſſoribus reſeruauit.

§. 3. Quo vero ad pœnas procurantium abortum fœtus inanimis aut exhibentium mulieribus, vel ſumentium venena ſterilitatis, aut quocunque modo auxilium, vel conſilium eis dantium in prædicta conſtitutione contentas conſtitutionem præfatam in ea parte, vbi de his agit, ad terminos iuris communis, ac ſacrorum Canonum, & Concilij Trident. diſpoſitionem auctoritate Apoſtolica tenore præſentium tàm quoad præterita, quàm quoad futura perpetuo reducimus perindè, ac ſi eadem conſtitutio in huiuſmodi parte nunquam emanaſſet.

§. 4. Non obſtantibus eadem prædeceſſoris noſtri conſtitutione, quam quoad reliqua omnia præter contenta in hac noſtra conſtitutione in ſuo robore omnino permanere volumus, cæteriſque contrarijs quibuſcunque. Volumus autem &c.

PRÆNOTIO III.

An reſeruatio peccati, & excommunicationis ſublata per Greg. XIV. intelligatur ſolummodo, quando fœtus erat inanimis, an verò etiam quando animatus.

SVMMARIVM.

Ex quonam deſumatur ratio dubitandi. 1.
Reſeruatio peccati, & excommunicationis ob abortum fœtus etiam animati poſita per Sixtum V. correcta eſt per Gregorium XIV. 2.
Epiſcopi modò ſibi reſeruant abortum fœtus animati. 3.
Satisfit rationi dubitandi pro parte oppoſita. 4.

1 Ex quo deſumatur ratio dubitādi.

Ratio dubitandi ex eo deſumitur, quod idem Gregorius XIV. in recenſita Bulla moderatiua §. 2. volens prædictas pœnas Sixtianas corrigere ex eo, quod experientia compertum ſit eas in perditionem potius (loquitur præcipuè, quo ad reſeruationem facultatis abſoluendi) animas tradere, quam ad ſalutem reuocare aſſerit ſe velle huiuſmodi pœnas moderari; *vbi nec de homicidio, nec de fœtu animato agitur*, deinde ſtatim tollit reſeruationem peccati, & excommunicationis, & facultatem abſoluendi ſuper

his

Digitized by Google

his remittit ad quemlibet ſimplicem confeſſarium ad hoc deputatum ab Epiſcopo, ergo, cum per illam exceptionem, *vbi nec de homicidio, nec de fætu animato agitur*, ſatis ſe declaret Pontifex velle ſe præciſè moderari pœnas, quando fætus eſt inanimis, non eſt trahenda moderatio ad abortum fætus animati etiam quoad hunc effectum reſeruationis ſublatæ. Nihilominus ſit

2 Reſeruatio peccati, & excõmunicationis etiam, quando fætus eſt animatus ſublata eſt per Gregorium XIV.

Aſſertio. Correcta etiam intelligitur conſtitutio Sixtiana per Gregorianam quoad reſeruationem peccati, & excommunicationis ratione abortus fætus etiã animati *Diana part. 7. tract. 5. de abortu reſol. 5.*

Rationem ex eo deſumo primo, quod Gregorius XIV. in § 2. ſuæ conſtit. recenſet cauſam finalem, & motiuam, qua potiſſimum compellitur ad moderandam pœnam Sixtianam per illa verba, *cum experientia docuerit ex remedio huiuſmodi non quã ſperabatur vtilitatem, & fructum prouenisse, verum potius multis Satanæ malitia ad peccandum inductis ob ſoli ſedi Apoſtolicæ reſeruatam abſoluendi facultatem eos à nefarijs huiuſmodi flagitijs perpatrandis non ſolum non retraxiſſe, ſed etiam plurimorum &c.*, & deinde in eodem paragrapho immediatè aufert reſeruationem, & remittit abſoluendi facultatem ſimplici confeſſario ab Epiſcopo approbato, nec ibi diſtinguit inter fætum animatum, & inanimatum, ergo in hoc ſpecialitèr voluit derogare conſtitutioni Sixtianæ, quantum ſcilicet ad effectum reſeruationis à peccato, & ab excommunicatione, ſiue fætus fuerit animatus, ſiue inanimis tantum, quandoquidem motiuum correctionis militat pro vtroque, & in eodem §. correctionis de vtroque loquitur, & cauſa maiorum malorum compertum fuerit, quod ſit eadem reſeruatio. Confirmatur, quia vbi agit de alijs pœnis ab ipſa reſeruatione in ſeqq. paragraphis Pontifex ſegregat per ſpeciales clauſulas, quando fætus eſt inanimis, ac quando eſt animatus, & in primo caſu reducit ad terminos iuris communis, in ſecundo relinquit in ſuo robore; vbi verò agit de ipſa reſeruatione hoc eſt in paragrapho ſecundo indiſcriminatim loquitur, nec diſtinguit inter vnum, & alterum, ſed ſimpliciter aufert eandem reſeruationẽ, & hoc quia ipſa fuit cauſa grauiorum, & crebriorum ſcelerum, ergo, quia quoad hanc reſeruationem voluit moderationẽ eſſe communem, cæteroqui æquè diſtinxiſſet, ac in cæteris pœnis. Confirmatur ſecundo, quia militat ſpecialis ratio moderationis quando fętus eſt etiam animatus quoad pœnam reſeruationis, quæ nõ

Specialis ratio militat pro oblatione reſeruationis, quæ non militat pro alijs pœnis.

militat quoad alias pœnas temporales, prout aduertit idem Pontifex in illis verbis, *Nos propterea animaduertentes gladium Eccleſiaſticæ diſciplinæ præſertim quoad cenſuras, & pœnas ſpirituales ita exerandum eſſe vt ad ſalutem tendat non in pernitiem animarum*, & cum antecedentèr dixerit experientia compertum fuiſſe ex remedio huiuſmodi potius damna ſpiritualia, quam vtilitatem, & fructum ſpiritualem prouenisse, per conſequens ex illo motiuo euertendi hæc damna maiora, & grauiora videtur abſtuliſſe reſeruationem, non alias pœnas, cum pro his non militat idem motiuum.

Rationem deſumo ſecundo ex communi Epiſcoporum praxi, qui poſt euulgatam Bullam moderatiuã Gregorij XIV. cæperunt ſibi reſeruare excommunicationem, ſeu caſum criminis abortum fætus animati, ergo, quia ſupponunt ſublatam talem reſeruationem poſitam à Sixto V. per Gregorium XIV. Ad quid enim ſibi reſeruare id, quod iam ſupponeretur reſeruatum à Pontifice, & à quo ipſi Epiſcopi non poſſent abſoluere, ſi ſublata non eſſet reſeruatio ipſi Pontifici? Certè Sixtus V. prohibuit etiam abſolutionem à tali crimine ipſis Epiſcopis ſecluſa quacunq; facultate.

3 Epiſcopi modo ſibi reſeruant abortum fætus animati.

Ad rationem dubitandi dicendum eſt illas particulas, *vbi nec de homicidio, nec de fætu animato agitur*, referri ad alias pœnas ab excommunicatione, quod colligitur primo ex contextu §. ſubſequentis Bullæ Gregorianæ, in quo relaxat omnes pœnas Sixtianas procurantibus abortum fętus inanimis, & reducit ad terminos iuris communis, quas tamen non vult moderari quoad fætum animatum, & proinde dicit, *vbi nec de homicidio, nec de fætu animato agitur*, nec obeſſe poteſt, ſi dicatur illas particulas cõceptas eſſe, & expreſſas in eodem paragrapho ſecundo, in quo abſtulit illam reſeruationem, ac proindè eſſe ad ipſam referendas, non ad alias pœnas, quę ſunt in ſubſequentibus paragraphis expreſſæ. Non, inquam, obeſſe poteſt, quia quantumuis illæ particulæ fuerint poſitæ in eodem §., cum tamen adnectantur clauſulis generalibus, nempè *vtilius cenſentes non imponere pœnas duriores ijs*, quod vtique reſpicit pœnas in ordine ad abortum fætus inanimis, cum in ordine ad fætum animatum pœnas Sixtianas relinquat in ſuo robore, vtique ad alias pœnas fætus inanimis internectionis debent referri. Colligitur ſecundo referri ad alias pœnas, non ad reſeruationem ex eodem ſecundo §. Bullæ Gregorianæ, vbi nulla perſona excepta aſſerit Pontifex quoad omnes perſonas in Bulla Sixti cen-

4 Satisfit rationi dubitandi pro parte oppoſita.

Digitized by Google

contentas, & expreſſas ſe relaxare reſeruationem, inter quas potiſſimum continentur abortum fætus animati procurantes; Ne igitur detur maximè in vna, & eadem conſtitutione iurium correctio, & tollatur verborum ambiguitas, abſolutè dicendum eſt, ibi voluiſſe dumtaxat Pontificem diſtinguere pænas abortus fætus animati à pænis inanimis per illa verba, *vbi nec de homicidio, nec de fœtu animato agitur*, cum reſpectu inanimis omnes abſtulit pænas Sixtianas, non ſic reſpectu animati, reſpectu cuius omnes reliquit in ſuo robore excepta reſeruatione excommunicationis, quam præſumendum eſt auferre voluiſſe potius, quam alias pænas, eo quia non ſunt adhibenda remedia Eccleſiaſticarum cenſurarum, vt ipſe innuit in eodem §. antecedentèr ad reuocationem, ad perniciem, ſed potius ad ſalutem animarum; cum ex illa reſeruatione experientia compertum ſit potius laxari habenas ad enormiora facinora, quam reuocari.

PRÆNOTIO IV.

An irregularitas, quæ incurritur per abortum, ſit adhuc Summo Pontifici reſeruata.

SVMMARIVM.

Irregularitas impoſita eſt à Sixto V. tàm contra procurantes abortum fætus animati, quàm contra procurantes abortum inanimis. 1.

Irregularitas contracta ob abortum fætus animati adhuc eſt reſeruata Pontifici. 2.

Non contrahitur irregularitas ob crimen abortus, ſi fætus nondum fuerit animatus. 3.

1 Irregularitas impoſita eſt à Sixto V.

Contrahi irregularitatem per crimen abortus manifeſtè colligitur ex allegata conſtit. Sixti V. §. 2. 3., & 4.; hanc verò reſeruari eidem Summo Pontifici habetur in eadem Bulla Sixti, vbi §. 8. vult ſuper irregularitate contracta occaſione præmiſſorum ideſt procurantium abortum, ſiue fætus animati, ſiue inanimis, ſiue inducentium ſterilitatem neminem quacunq; dignitate fulgentem, neq; ex vi Tridentini, neque Priuilegiorum poſſe diſpenſare, niſi Romanum Pontificem, & non niſi grauiſſimis ex cauſis. Controuertitur autem in præſenti, an hæc reſeruatio adhuc vigeat, an verò ſit moderata per Gregorium XIV.

Hæc controuerſia ſic excitata poteſt examinari, vel quando contracta eſt per abortum fætus animati, vel quando etiā per abortum fætus inanimis; quantumuis enim eodem iure, eademq; ſua diſpoſitione Sixtus V. irregularitatem induxerit reſpectu vtriuſque abortus, & reſpectu vtriuſque ſibi, & ſuis ſucceſſoribus reſeruauerit; ex quo tamen Gregorius XIV. moderatus eſt Bullam Sixtianam quoad pænas abortus fætus inanimis, eaſque redaxit ad terminos iuris communis, prout ſupra, quin immo etiam quoad pænam reſeruationis ab excommunicatione, & à culpa in ordine ad fætum animatum, plura inſurgunt hinc dubia diſcutienda; & primo, an ſicuti in ordine ad abortum fætus animati ablata eſt reſeruatio Romano Pontifici ab excommunicatione, & peccato, ita etiam in ordine ad eundem ſublata ſit reſeruatio diſpenſationis ſuper illa irregularitate. Secundo in ordine ad abortum fætus inanimati, cum pænæ omnes ſint per eundem Gregorium XIV. reductæ ad terminos iuris communis, inquirendum remanet, an contra procurantes abortum fætus inanimis de iure communi antiquo iniuncta ſit pæna irregularitatis? Tertio ſuppoſito, quod iuxta terminos iuris communis affixa ſit irregularitas ſic procuranti abortum, an hæc intelligatur adhuc reſeruata Romano Pontifici, an verò poſſit relaxari ab Epiſcopo, vel ab alijs inferioribus? — Articuli examinādi circa præſentē titulum.

Aſſertio I. Si irregularitas contracta ſit per crimen abortus fætus animati, adhuc eſt reſeruata Romano Pontifici, nec eſt diſpenſabilis ab Epiſcopo, quantumuis crimen fuerit occultum *Alphonſus de Leone de cenſur. Eccl. num. 58., Theſaurus in praxi part. 2. c. 1. in fin., Diana part. 7. tract. 5. de abort. reſol. 11. contra Nouarium in ſumma Bullarum tom. 2. tit. de abortu num. 11.*

2 Irregularitas contracta ob abortum fætus animati adhuc eſt reſeruata Pontifici.

Ratio ex eo deducitur primo, quia omnia, quæ ſunt diſpoſita per Sixtum V. in ſua conſtitutione, quando abortus eſt fætus animati, remanent in ſuo robore, quandoquidem, nec fuerunt per Gregorium XIV. correcta, nec innouata, ſed per Sixtum V. per abortum fætus animati contrahitur irregularitas, hæcque expreſſis verbis eidem reſeruatur, ſuiſq; ſucceſſoribus priuatiuè ad quemlibet alium quacunq; etiam dignitate fulgentem, ergo adhuc remanet reſeruata; Neque dicas, quod quantumuis Gregorius XIV. expreſsè non abſtulerit illam reſeruationem ſuper illa irregularitate ſic cōtracta, abſtulerit tamen implicitè, quatenus abſtulit reſeruationem ſuper peccato, & excommunicatione, nam eo ipſo, quod abſtulit reſeruationem ſuper fundamento, quod eſt peccatum, intelligitur etiam abſtuliſſe ſuper rem ſuper eodem fundatam; contra enim impugnaberis, — Inſtantia propoſita, & diſſoluta.

quia abrogatio præciſè quoad vnum diſpoſitorum cum confirmatione aliorum omnium nō trahitur ad aliud, quod non ſit ipſum, præcipuè ſi illa duo ſint ſeparabilia, & diuerſi ordinis, prout contingit in præſenti hypotheſi, ſecundum quam poteſt ſtare irregularitas ſine excommunicatione, & excommunicatio ſine irregularitate; nec vim aliquam habent, quæ adducuntur, quandoquidem, ſi ea ſubſiſterent, etiam ſublato peccato intelligerentur ſublatæ omnes aliæ pænæ, quandoquidem peccatum eſt ratio, propter quam illæ omnes pænæ fuerunt inductæ.

Etiam ſi crimen fuerit occultum.

Dixi, *quantumuis crimen fuerit occultum*; nam hoc expreſsè appoſuit idem Sixtus V. in eadem ſua conſtit., nec quoad hoc aliquid innouauit Gregorius XIV., ex quo inferas, quod nedum Epiſcopi nequeant ſuper tali irregularitate ex hoc capite diſpenſare, ſed neque Prælati Regulares quoad ſuos ſubditos, quantumuis Martinus V. conceſſerit *Priori D. Benedicti de Villadolium*, vt poſſet cum ſuis ſubditis diſpenſare ſuper irregularitate prouenientе ex homicidio occulto, quod indultum extendit *Villalobos in ſumma tom. 2. tract. 12. diffic. 14. num. 6.* ad omnes Prælatos, & Abbates monaſteriorum dictæ Cōgregationis in Hiſpania, quod idem in particularibus terminis de irregularitate contracta ob crimen abortus fætus animati, quādo eſt occulta docet *Bordonus in conſ. regul. reſol. 13. q. 5. n. 19.* Ratio, cur nequeant prælati Regulares diſpenſare ſuper ipſa irregularitate ſic contracta, quantumuis occulta habetur ex diſpoſitione eiuſdem Sixti V., qui quoſcunque excluſit a tali facultate diſpenſandi ex vi quorumcunque priuilegiorum, Iubilæi, Bullæ Cruciatæ, Concilij Tridentini &c.

Neque eſt Epiſcopi ſuper hac diſpēſare.

Secundo fundamentum reſponſionis deducitur *ex Concil. Tridem. ſeſſ. 24 de Reform. c. 6.*, vbi habetur *Liceat Epiſcopis in irregularitatibus omnibus ex delicto occulto prouenientibus excepta ea, quæ oritur ex homicidio voluntario, diſpenſare*; qui autem procurat abortum fætus animati, ſecuto effectu verum homicidium committit, vt præter citata iura docent ex Iuriſperitis *Auguſtinus Barboſa collect. ad c. Moiſes 32. q. 2.*, *Farinacius in praxi tom. 5. q. 122. part. 5. num. 96.*, & ex Theologis *Ioannes Angelus Boſſius tom. 1. varior. moral. tit. 1. num. 1319.*, *Molina de iuſt. tract. 3. diſp. 27. num. 2.*, vnde meritò miratur *Diana part. 7. tract. 5. de abortu reſol. 21.*, quod dixerit *Nouarius in ſumma Bullarum tom. 2. tit. de abortu nu. 21.* poſſe ordinarios cum ſuis ſubditis diſpenſare ſuper tali irregularitate.

Excipitur irregularitas etiā, quæ prouenit à crimine oculto in homicidio.

Aſſertio II. Si fætus nondum fuerit animatus, per abortum eiuſdem non contrahitur irregularitas.

Ratio ex eo deducitur, quia Gregorius XIV. moderatus eſt omnes pænas Sixtianas contra procurantes abortum fætus inanimis, eaſque reduxit ad terminos iuris communis, ſed in terminis iuris cōmunis non extat pæna irregularitatis, quando fætus non eſt animatus, quinimmò *ex c. ſicut ex literarum de homicid.*, *& ibid. Gloſa*, *& c. ſi aliquis eod. tit.*, poſitiuè dicitur, quod nulla contrahatur irregularitas, ſi fætus non erat animatus, ergo &c. Ex quibus non adeſt locus dubitandi quoad tertium punctum propoſitum in principio; ſi enim nulla contrahitur irregularitas, non eſt, cur inquiramus, an hęc ſit reſeruata, necne?

3 **Non contrahitur irregularitas, ſi fætus non fuerit animatus.**

PRÆNOTIO V.

Quinam ſacerdos poſſit abſoluere ab incurſa excommunicatione propter abortum.

SVMMARIVM.

Excommunicatio ob abortum ex vi diſpoſitionis Gregorianæ poteſt primo abſolui ab ordinario loci. 1.

Item à ſacerdote ab eodem approbato ad confeſſiones, & ad hos caſus deputato. Ibid.

Non ſufficit, quod ſit deputatus in genere ad abſoluendum à caſibus reſeruatis. Ibid.

Refellitur opinio Bonacinæ cum ipſius rationibus. 2.

Si excōmunicatio eſſet ſolum Epiſcopalis, poſſet à confeſſario ex vi generalis commiſſionis abſolui. 3.

Confeſſarius Regularis deputatus à ſuo Prælato ad hos caſus poteſt ſubditos ipſius ab hac cenſura abſoluere. 4.

SIſtendo in terminis Bullæ Sixti V. certum eſt ſolum Romanum Pontificem poſſe ab huiuſmodi excommunicatione abſoluere, cum idem Pontifex ſibi, & ſuis ſucceſſoribus reſeruauerit priuatiuè ad quemcunque alium quacunq; dignitate præfulgentem. Difficultas modò eſt ſtante moderatione, quam in hoc poſuit Gregorius XIV., qua remiſit facultatem abſoluendi cuicunque ſimplici confeſſario ex approbatis ab ordinario, & ad hos caſus deputato, in explicando quinam intelligatur pro hoc confeſſario ad hos caſus deputato. Pro quo.

Procedit titulus ſtāte moderatione Gregorij XIV.

Aduerte, quod, cum Pontifex remiſerit hanc facultatē abſoluendi cuilibet Preſbitero, ſiue ſæculari, ſiue Regulari ad Chriſti fidelium confeſſiones audiendas, & ad hos caſus ſpecialitèr per ordinariū

loci

Digitized by Google

Pontifex hanc facultatem principalius remiſit ordinario.

loci deputato, videtur hanc facultatem principalius remiſiſſe eidem ordinario, & quodamodo eidem reſeruaſſe cum facultate tamen, vt alios poſſet ad hoc munus abſoluendi delegare; cum etenim vult, vt ille ſolummodo poſſit abſoluere, qui fuerit ad hos caſus deputatus, excludit ab hac facultate omnes alios, qui non fuerint deputati, & cum relinquat Epiſcopo deputationem, relinquit eidem reſeruationem cum facultate delegandi; vnde in hoc, cum requiratur delegatio ordinarij ad abſoluendum, quæritur qualis debeat eſſe hæc delegatio, & quinam Presbyter ad hoc dicatur ſpecialitèr deputatus.

Quandoque excõmunicatio poteſt eſſe tantũ Epiſcopalis.

Aduerte ſecundo, quandoque hanc excommunicationem, & reſeruationem eſſe præcisè Epiſcopalem, quatenus lata ſit excommunicatio ab Epiſcopis in ſua Diæceſi, & ſibi ſolummodo reſeruata abſolutio, quod poteſt contingere, quando Epiſcopus imponeret, & ſibi reſeruaret abortum in aliqua circunſtantia, ſecundum quam non intelligeretur excommunicatio Papalis ob defectum, vel exiſtentiam illius circunſtantiæ; vnde, ſi talis eſſet, dubitãdum relinqueret, an requireretur ſpecialitèr ſacerdos ad hos caſus deputatus, an poſſet ſacerdos generalitèr ad caſus reſeruatos abſoluendos delegatus abſoluere.

Quinam veniat nomine ordinarij.

Aduerte tertio, poſſe eſſe controuerſiam (cum Pontifex dixerit, quod poſſit quilibet Presbyter ex confeſſarijs approbatis ad hos caſus ſpecialitèr deputatus à loci ordinario abſoluere) an nomine ordinarij loci veniat ſolummodo Epiſcopus in ordine ad ſuos Diæceſanos, & ſubditos committendo facultatem alicui Presbytero, ſiue ſæculari, ſiue Regulari abſoluendi eoſdem ſuos ſubditos ab excommunicatione ob iſtud crimen; an verò nomine eiuſdem veniat etiam Prælatus Regularis in ordine ad ſuos ſubditos, qui in hoc genere deliquerint, committendo facultatem alicui determinato confeſſario ſui ordinis, vel monaſterij. Quibus pro notitia ſuppoſitis ſit.

I Poteſt ordinarius ab hac cẽſura abſoluere.

Aſſertio I. Ab excommunicatione contracta ob abortum ex vi diſpoſitionis, ſeu moderationis Gregorianæ poteſt, primo abſoluere Epiſcopus, ſeu ordinarius loci, in quo commiſſus eſt abórtus; ſecundo ſacerdos ex confeſſarijs approbatis, qui fuerit ad hos caſus ſpecialitèr deputatus ab eodem ordinario loci, non autem, ſi fuerit deputatus ab Epiſcopo ad abſoluendum ab omnibus cenſuris ipſi ordinario reſeruatis *Nouarius in ſumma bullarum tom.2. tit. de abortu nu. 13., Zambellus in repert. mor. verb. abortus nu.2., Filliucius tom.1. tract.29.c.6. num.100., Mazzuchellus de caſib. reſeruat. diſp.2.c.3. diff.c.4. num. 68.*

Ratio primæ partis ex eo deſumitur, quia, ex quo Gregorius XIV. reſtrinxit facultatem abſoluendi ſuper huiuſmodi excommunicatione ad Presbyterum, ſiue ſæcularem, ſiue Regularem ad hos caſus ſpecialitèr deputatum ab ordinario loci, intelligitur eandem excommunicationẽ reſeruaſſe ordinario loci, cum auctoritate, vt poſſet talem facultatem alteri ſpecialitèr committere, ergo ipſe Epiſcopus ex vi diſpoſitionis Gregorianæ poterit in tali excommunicatione abſoluere; quod enim poteſt per alium à ſe ipſo deputatum præſtare, vtiq; poterit immediatè per ſe ipſum.

Item ſacerdos ad hos caſus ſpecialitèr deputatus.

Ratio ſecundæ partis quoad primam partem patet ex verbis eiuſdem Conſtitutionis Gregorianæ -Ibi- *Quilibet Presbyter, tàm ſæcularis, quàm cuiuſcunque ordinis Regularis ad Chriſti fidelium confeſſiones audiendas, & ad hos caſus ſpecialitèr per loci ordinarium deputatus plenam, ac liberam in foro conſcientiæ tantum abſoluendi habeat facultatem.* Quoad ſecundam verò ſic euincitur, quia in generali conceſſione non veniunt ea, quæ ex ſpeciali diſpoſitione legislatoris exigunt ſpeciale mandatum, vt pluribus allegatis iuribus docent *Suarez tom.5. diſp.7. ſect.5., Sotus in 4. diſt. 22. q.2. art. 3. concl.5., & alij communitèr*; ſed ex conſtitutione Gregoriana ad abſolutionem à tali excommunicatione requiritur ſpeciale mandatum, cum Pontifex dicat *ad hos caſus ſpecialitèr per ordinarium loci deputatus*, quod etiam videtur exigere grauitas delicti, ergo confeſſarius generalitèr deputatus ad abſoluendum à cenſuris Epiſcopo reſeruatis non poterit ab hac cenſura abſoluere.

Nõ tamen deputatus in genere ad abſoluendum à caſibus reſeruatis.

Confirmatur, quia per conceſſionem generalem factam alicui ab Epiſcopo nõ venit facultas abſoluendi, ſeu diſpenſandi à caſibus Papalibus occultis conceſſis ex vi Trident. Epiſcopo, ſed requiritur, vt deputetur ad hos caſus ſpecialitèr Vicarius, vt patet *ex Seſſ. 24. de refor. c. 6.*, ergo, cum hæc excommunicatio ſit inducta a iure Papali, & in prima ſui origine eidem reſeruata, & deinde ex Pontificia indulgentia commiſſa ordinario, vel confeſſario ab eodem approbato cum ſpeciali clauſula, vt ad hos caſus debeat eſſe ſpecialitèr ab eodem ordinario deputatus, non poterit abſolui ex vi generalis facultatis, ſed requiretur ſpecialis deputatio ad iſtos caſus.

Neque hic audiendus eſt *Bonacina diſp. 2. q.2. punct.10. nu.16.*, dum aſſerit illam particulam, *ſpecialitèr ad hos caſus deputatus*

tus

tus non eſſe adiectam ad excludendam facultatem abſoluendi ab alijs cenſuris, ſed ad indicandum non poſſe quemquam virtute alicuius facultatis abſoluere, cum de cætero facultas abſoluendi ab omnibus cenſuris, ſi diſtributiuè explicetur, procul dubio crimen abortus ſpecialitèr comprehendat. Non, inquam, audiendus eſt, quia gratis omnino, & ſine fundamento aſſeritur, quod in generali conceſſione comprehendatur ſpecialis facultas etiam in ordine ad crimen abortus. Certè idem Bonacina in generali conceſſione non comprehendit multos caſus, qui vel important ſpecialem grauitatem, vel ſpecialem prohibitionem, vt abſolutionem complicis in delicto maximè in rebus venereis, & aliorum, prout ſparſim ſuis locis videbimus; & quamuis illa particula *ad hos caſus ſpecialitèr deputatus* nõ ſit adiecta ad excludendam abſolutionem, ſeu facultatem abſoluendi ab alijs cenſuris, quatenus, ſi ſit deputatus ad hos, non poſſit etiam eſſe deputatus ad alias cenſuras abſoluendas, eſt tamen adiecta ad innuendum, quod non ſufficit generalis illa conceſſio, ſed quod debeat fieri horum caſuum ſpecialis, & expreſſa mentio in tali conceſſione, quæ æquè ſtare poteſt, ſiue ſit ſola, ſiue connexa cum generali conceſſione.

2 Refellitur opinio Bonacinæ cum ipſius rationibus.

Ad id, quod *ex Bonacina loc. cit.* ſubditur, dico, quod ſicuti in propoſitione vniuerſali non fit diſtributio, niſi reſpectu contentorum in illa, ita, & in generali conceſſione facultas non poteſt diſtribui niſi quoad ea, quæ in ipſa continentur; ex ſpeciali autem diſpoſitione Pontificis non includitur in generali conceſſione facultas abſoluendi à crimine abortus, niſi de eo fiat ſpecialis mentio, & ſpecialis deputatio, quod etiam tenetur dicere idem Bonacina in complici delicti, & alijs, vt ſuo loco.

Aſſertio II. In ſuppoſitione, qua excommunicatio abortus illata per Epiſcopum, & ſibi reſeruatio eſſet præciſè Epiſcopalis, quatenus abortus non eſſet cum illis qualitatibus, & circunſtantijs, quas exigit Sixtus V., & Gregorius XIV. in ſuis conſtitutionibus reſpectiuè, puta, quia non eſſet propriè abortus, ſed intentatio eiuſdem non ſecuto effectu, quo caſu plurimi aſſerunt excommunicationem non eſſe Papalem, ſed tantum Epiſcopalem, ſi Epiſcopus ſibi reſeruauerit talem caſum cum expreſſione *etiam non ſecuto effectu*, tunc non ſolum poſſet Epiſcopus ab illa excommunicatione abſoluere, ſed quilibet etiam confeſſarius deputatus ex vi generalis conceſſionis ad abſoluendum à quibuſcunq; cenſuris eidem Epiſcopo reſeruatis, nec requiritur ſpecialis, nec expreſſa deputatio ad hos caſus. Iuxta hunc ſenſum præciſè arbitror locutos DD. omnes, qui docent deputatum ab Epiſcopo generalitèr ad abſoluendum ab omnibus cenſuris eidem Epiſcopo reſeruatis poſſe etiam abſoluere ab excommunicatione contracta per abortum; atq; hi ſunt *Bonacina d. tom. 3. diſp. 22. q. 2. punct. 10. num. 16., Machadus de perfecto confeſſario tom. 1. lib. 2. part. 3. tract. 17. docum. 9. num. 5.*

3 Si reſeruatio eſſet præciſè Epiſcopalis poſſet à confeſſario ex vi generalis cõmiſsionis abſolui.

Ratio ex eo deducitur, quia eo ipſo, quo Epiſcopus alicui conceſsionem generalem fecit abſoluendi ab omnibus cẽſuris ſibi reſeruatis nulla facta exceptione, non eſt, cur iſte non poſsit tali facultate gaudere in ijs, quæ ſimplicitèr ab eiuſdem Epiſcopi auctoritate dependent, ſed cum excommunicatio illa iuxta terminos, ſecundum quos loquimur, ſit præciſè Epiſcopalis, præciſè pendet ab auctoritate eiuſdem, ergo non eſt, cur illam non poſsit abſoluere ſuppoſita illa generali conceſsione; vnde quoad hoc ſubſiſtit doctrina allata à Bonacina, quod facultas abſoluendi ab omnibus cenſuris, ſi diſtributiuè explicetur, comprehendat etiam cenſuram abortus, ſeu ab abortu prouenientem; valet, ſeu ſubſiſtit, inquam, quia, cum in hac hypotheſi illa cenſura ob abortum ſit merè Epiſcopalis, nec aliquo iure ſecernatur à cæteris cenſuris, non eſt, cur non contineatur in illa facultate generali, quæ certè, ſi diſtributiuè explicetur, extenditur etiam ad iſtã.

Aſſertio III. Facultas abſoluendi ab hac cenſura, quam Gregorius XIV. remittit cuicunque Presbytero ex approbatis ad audiendas confeſſiones fidelium ſpecialitèr ad hos caſus deputato ab ordinario loci, intelligitur etiam ex vi eiuſdem diſpoſitionis Gregorianæ remiſſa Confeſſario Regulari à ſuo Prælato approbato ad audiendas confeſsiones ſuorum ſubditorum, ſi ſpecialitèr deputaretur ad hos caſus in ordine ſcilicet ad eoſdem ſubditos talis Prælati &c. 4

4 Confeſſarius Regularis deputatus à ſuo Prelato poteſt ipſius ſubditos ab hac cẽſura abſoluere.

Rationem ex eo deduco, quia in caſibus, quos non ſibi reſeruant Epiſcopi, ſeu ordinarij locorum, ſed eiſdem reſeruantur à iure Pontificio, nomine ordinarij loci non ſolum venit Epiſcopus reſpectu ſuorum ſubditorum, ſed etiam Prælatus Regularis reſpectu ſuorum, quod videtur innuiſſe *Rodericus qq. Regul. 33. art. 4. tom. 2., Coriolanus de caſib. reſeruatis tit. de Abortu n. 10.*, ergo non ſolum Epiſcopus, & ſimplex confeſſarius ab eo ad hos caſus ſpecialitèr deputatus poterit ab hac excommunicatione abſoluere ſuos ſubditos, ſed etiam Prælatus Regularis, aut

alius

alius confeſſarius ab ipſo ad hos caſus ſpecialitèr delegatus poterit ſuos ſubditos ab eadem cenſura abſoluere, ſi fortè ex hoc crimine in ipſam inciderint.

PRÆNOTIO VI.

An ſolum reſeruatio ab excommunicatione, quando fætus eſt inanimis, intelligatur ſublata à Gregorio XIV., an verò etiam, & ipſa excommunicatio.

SVMMARIVM.

Sententia aſſerens modo ſublatam eſſe excommunicationem. 1.
Etiam ſi fætus non fuerit animatus, excommunicatio non eſt ſublata, ſed tantum reſeruatio. 2.
Moderatio refertur ad excommunicationem latam à Sixto V. 3.
Satisfit rationibus oppoſitæ ſententiæ. 4.

HAnc difficultatem ſub alijs terminis alij proponunt, ſcilicet, an qui procurat abortum poſt conſtitutionem Gregorij XIV. ante animationem fætus incidat in excommunicationem; circa quam *Machadus de perfect. confeſ. tom. 1. lib. 2. part. 3. tract. 17. docum. 9. nu. 1. & 2.*, *Villalobos in ſumma tom. 1. tract. 12. diffcult. 14. num. 2.*, *Bordonus in conſ. regul. reſol. 45. num. 11.*, *Mazzuchellus tract. de caſ. reſeru. diſp. 2. c. 3. diff. 1. nu. 2.*, quibus etiam adhærere videtur *Diana p. 7. tract. 5. de abortu reſol. 8.* aſſerunt, quod intelligatur abſolutè reuocata, vnde qui procurat abortum ante animationem fætus, eandem amplius non incurrit. Fundamentum ipſorum eſt, quia idem Gregorius XIV. quando fætus adhuc eſt inanimis omnes pænas comminatas à Sixto V. contra procurantes abortum moderauit, & reduxit ad terminos iuris communis; ſecundum quos hæc pæna excommunicationis non intelligitur inflicta. His tamen minimè obſtantibus ſit

1 Sententia aſſerens nedũ reſeruationem, ſed etiam excommunicationẽ ipſam eſſe ſublatam.

Aſſertio. Quantumuis per Gregorium XIV. abrogata fuerit reſeruatio excommunicationis contracta ob abortum fætus ſiue animati, ſiue inanimis, non tamen abſolutè fuit abrogata ipſa excommunicatio, quantumuis fætus, cuius factus eſt abortus, fuerit ſolum inanimis. Huius noſtræ aſſertionis omnes, quos viderim inuenio oppugnatores, nullum propugnatorem. Nihilominus

2 Non eſt ſublata excõmunicatio, ſed tantũ reſeruatio

Probatur primo, quia *Gregorius XIV. in dicta ſua conſtitut. moderatiua §. 2.*, in quo ſegregat quodammodo pænam excommunicationis à cæteris pænis loquens indefinitè de excommunicatione lata à Sixto V. contra procurantes abortum fætus, ſiue animati, ſiue inanimis, remittit abſolutionem eiuſdem cuicunque Presbytero ad hos caſus ſpecialitèr deputato. Ibi *Prædictam conſtitutionem ſic duximus moderandam, vt à peccato, & excommunicatione contra perſonas ibi expreſſas lata tam quoad eos, qui hactenus deliquerunt, tam quoad illos, qui poſt noſtram conſtitutionem in eiſdem caſibus deliquerint Presbyter tam ſæcularis, quàm cuiuſcunque ordines Regularis ad Chriſti fidelium confeſſiones audiendas, & ad hos caſus ſpecialitèr per loci ordinarium deputatus plenam, & liberam in foro conſcientiæ tantum abſoluendi habeat facultatem*, ergo non intelligitur illam pænam excommunicationis ſimplicitèr tollere, ſed eiuſdem reſeruationem præciſè moderari, eiuſque abſolutionem tali confeſſario committere; non enim indigeret abſolutione, ſi ipſa excommunicatio non ſubſiſteret.

Rationes pro aſſerto.

Probatur ſecundo, quia idem Pontifex prius enumerat caſus omnes, in quibus Sixtus V. vult pænam excommunicationis contrahi, qui non ſolum ſunt, quando fætus eſt animatus, ſed etiam quando inanimis, & deinde moderans eandem excommunicationem, eiuſque abſolutionem committens cuilibet confeſſario ad hos caſus ab ordinario loci deputato ſtatuit, quod hic confeſſarius plenam, & liberam habeat facultatem abſoluendi in eiſdem caſibus, quos antea retulerat. Ibi *tam quoad eos, qui hactenus deliquerunt tam quoad illos, qui poſt noſtram conſtitutionem in eiſdem caſibus deliquerint*; particula autem *eiſdem* eſt relatiua, & repetit qualitates in præcedenti diſpoſitione expreſſas per textum *in l. à filio §. teſtato, & ibi Bartolus de aliment., & cibar. leg. l. 1. in fin. ff. de iis, qui ſunt ſui Rebuffus in l. vnica in 4 notab. n. 26. C. de ſent. quæ pro eo, Mandoſius in reg. 32., Cancel. q. 28. n. 6.*, & repetit omnes qualitates præcedentes in ſequentes, & ponit eandem determinationem, & idem ſignificat eandem eſſe in pluribus cenſuram *Gratianus conſ. 22. n. 26. vol. 1., Menochius conſ. 130. n. 7.*, vbi ait, quod ſolet æquiparare caſum ſequentem præcedenti *Vulpel. de præpoſ., & aduerb. ſignif. ſub hac dict. pag. 41. col. 2., Cenedo poſt lib. pract., & canon. qq. ſingul. 97. nu. 1., Moneta de commut. vlt. vol. c. 11. n. 37.*, & eſt repetitiua præcedentium, & omnium qualitatum *Narbona l. 59 gloſ. 1. n. 163. tit. 4. lib. 2. Recop.*, ergo re vera voluit, quod in eiſdem caſibus, in quibus committit talem facultatẽ, inter quos eſt excommunicatio abortus etiam fætus inanimis, vt ſupra, vigeat adhuc excommunicatio, cæteroqui eius abſo-

Aliæ rationes pro eodẽ aſſerto.

Digitized by Google

abſolutionem fruſtra committeret confeſſario. Accedit, quod Pontifex loquitur de caſibus, qui fuerunt commiſſi tam ante ipſius conſtitutionem, quam qui committentur poſt illam, ſed in commiſſis antecedentèr ad illam erat excommunicatio fætus etiam inanimis, ergo &c.

Probatur tertio, quia quidquid ſit, an illa clauſula, *vbi nec de homicidio, nec de ſætu animato agitur*, referatur ſolū ad alias pænas ab excommunicatione, an verò etiam ad ipſam, certum eſt, quod diſpoſitio Pontificis in illa moderatione referatur ad excommunicationem propter abortum fætus inanimis, quandoquidem ad ſummum dubitatio eſt ex vi illius clauſulæ, an diſpoſitio referatur ad excommunicationem, quando eſt abortus fætus animati, quatenus ipſa remittatur ſimplici confeſſario ad hos caſus ſpecialitèr deputato, an verò adhuc reſeruetur Pontifici, non verò, quando excommunicatio eſt ratione abortus fætus inanimis, ergo cum illa diſpoſitio referatur ad excommunicationem contractam ſine dubio ob abortum fætus inanimis cenſendum abſolutè eſt, quod hæc excommunicatio adhuc vigeat quoad ſubſtantiam, quamuis ceſſet quoad reſeruationem.

3 **Moderatio refertur ad excommunicationē latam à Sixto V.**

Neque obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, quod ex ſupradictis irregularitas propter abortum fætus inanimis ceſſet non ſolum quoad reſeruationem, ſed etiam quoad ſubſtantiam, ergo etiam ceſſabit excommunicatio propter eandem causā quoad omnia. Non, inquam, obeſſe poteſt, quia quoad excommunicationem eſt ſpecialis, & expreſſa diſpoſitio, non ſic quoad irregularitatem; pro quo recolenda ſunt ſuperius dicta, quandoquidem in primis diſponere voluit Gregorius XIV. quoad excommunicationem, & culpam in abortu, vtpotè quæ, vt ipſe inſinuat in præambulo ſuæ conſtitutionis, propter reſeruationem ingerebant potius enormiora crimina, quam ab eiſdem remouerent, & propterea talem occaſionem deteſtabiliorum ſcelerum volens remouere, reſeruationem ipſam relaxauit. Cæterum in ordine ad alias pænas per ſpeciales, & diſtinctas clauſulas diſpoſuit, quod iniunctæ, quando fætus erat adhuc inanimis, reducerentur ad terminos iuris communis, quando verò fætus erat animatus remanerent in ſuo robore. Cum igitur irregularitas eſſet inter alias pænas, quæ nō erant recenſitæ in illo ſecundo §. moderatiuo, quoad reſeruationem ab excommunicatione debet remanere in ordine aliarum pænarum, quæ remiſſæ intelliguntur, ſi fætus fuerit inanimis.

4 **Satisfit rationibus oppoſitis.**

Ad rationes pro contraria opinione adductas in præſentis prænotionis initio patet ex ſupradictis, quid ſit reſpondendum; Gregorius enim XIV. eas dumtaxat pænas contra procurantes abortum fætus inanimis reduxit ad terminos iuris communis, de quibus antecedentèr non diſpoſuerat per ſpecialem clauſulam; cum autem de pæna excommunicationis diſpoſuerit in præcedenti §. non poteſt hæc cadere ſub ſequenti diſpoſitione, cæteroqui in eadem conſtitutione ſequeretur iurium correctio, & verborum ambiguitas, quod non eſt aſſerendum.

PRÆNOTIO VII.

An, qui procurauit abortum fætus ſiue animati, ſiue inanimis non ſecuto effectu incurrat excommunicationem, aliaſq; pænas.

SVMMARIVM.

Sententia aſſerens incurri etiam effectu non ſecuto. 1.
Conſiderata re in abſtracto effectu non ſecuto pænæ non incurruntur. 2.
Etiam conſiderata re in concreto. 3.
Satisfit rationibus oppoſitis. 4.
Corrolarium ad mox dicta. 5.

Titulus iſte, vel poteſt examinari in abſtracto, inquirendo, an ex eo præciſè, quod Pontifex comminatus fuerit huiuſmodi pænas contra procurantes abortum nulla facta expreſsione, ſiue effectus fuerit ſecutus, ſiue non ſecutus intelligatur, qui ſic procurauit, incidiſſe in huiuſmodi pænas, quantumis effectus non fuerit ſecutus; vel quaſi in concreto, quatenus intelligatur Pontifex in huiuſmodi impoſitione pænarum voluiſſe per alicuius clauſulæ adiectionem, quod huiuſmodi pænæ incurrantur etiam effectu ipſo non ſecuto.

Bellochius *de caſibus reſeru. part. 2. q. 8. nu. 69., Zecchius de caſibus reſeruat. in caſ. 9., Bonacina de reſt. diſp. 2. q. vlt. punct. 7. nu. 6.,* & alij plures videntur aſſerere incurri huiuſmodi pænas effectu etiam non ſecuto, qui videtur ex eo moueri, quod Epiſcopi, vt plurimum excommunicationem imponunt, eamq; ſibi reſeruant ob tale crimen etiam ſi effectus non fuerit ſecutus. Adderem ego potiſsimum hanc opinionem euincere, quod in textu comprehendantur procurantes; procurare autem ex ipſa nominis Ethimologia eſt præciſè dare operam ad aliquem effectum obtinendum, quantumuis ex aliqua cauſa effectus ille non obtineatur; ſic quis dicitur procuraſſe dignitatem, quamuis illam

1 **Opinio aſſerens incurri etiam effectu non ſecuto.**

Digitized by Google

illam non obtinuerit, quis procuraſſe necem alterius, quatenus adhibuit omnia media ad illam intentandam, quamuis non fuerit ſecuta. His tamen non obſtantibus ſit

2 Conſiderata re in abſtracto effectu nō ſecuto pænæ nō incurſūtur.

Aſſertio I. Conſiderata re in abſtracto procurantes abortum fætus etiam animati effectu ipſo non ſecuto, non contrahunt pænas Pontificias impoſitas contra procurantes abortum. *Naldus in ſumma verb. abortus. num. 5., Mazuchellus tract. de caſib. reſeruat. diſp. 2. c. 3. q. 2. num. 27., Diana part. 7. tract. 5. reſol. 9.*

Ratio ex eo deducitur, quia pænalia non incurruntur, niſi actus, qui prohibetur ſit ſecundum omnem ſuam rationem completus per externum complementum, quod trahit ſecum effectum ex generali regula, qua dicitur, quod odia ſint reſtringenda, ergo, cum ſine effectu non intelligatur actus talitèr completus, per ipſum non incurruntur excommunicatio, neque aliæ pænæ per Pontificem iniunctæ. Dixi *Pontificijs*, quia, quandoque Epiſcopi ponunt excommunicationem, eamque ſibi reſeruant cum adiectione clauſulæ *etiam ſi effectus non fuerit ſecutus*, qua in hypotheſi contendunt DD., an tunc effectu reuera non ſecuto procurans contrahat huiuſmodi pænam? Bellochius *Zecchius, & Bonacina loc. cit.* in hac hypotheſi ſuſtinent partem affirmatiuam. Negant verò *Diana part. 7. tract. 5. de abortu reſol. 9., Mazuchellus tract. de caſib. reſeru. diſp. 2. c. 3. q. 2. num. 27.*, qui etiam pro hac ſua opinione citat *Zinnelium, & Capcauillam*. Probabilius aſſero in hac hypotheſi ſic procurantem in has pænas incidere etiam effectu non ſecuto. Rationem ex eo deduco, quia adeſt poteſtas huiuſmodi pænas imponendi, & voluntas in Epiſcopo imponente, & grauitèr in cauſa, & vtique agitur de opere externo, ad quod media externa concurrunt, ergo non eſt, cur huiuſmodi lex pænalis non obliget, & non afficiat delinquentes; vnde arbitror, quod contrariæ opiniones procedant tantum, quando Epiſcopi in huiuſmodi impoſitione pænarum non exprimunt conditionem, ſeu qualitatem, *etiam ſi effectus non fuerit ſecutus*.

Proœdit quoad pænas pontificias.

3 Etiam cōſiderata re in concreto.

Aſſertio II. Conſiderata etiam in re in concreto, ſeu ſecundum diſpoſitionem, ſecundum quam Pontifex huiuſmodi pœnas concepit, & impoſuit, procurans abortum eodem non ſecuto pænas impoſitas non incurrit *Diana d. part. 7. tract. 5. de abortu reſol. 9.*, & in hanc propendent omnes præcit. DD. pro prima aſſert.

Rationem ex eo deduco, quia Sixtus V. imponens huiuſmodi pænas nedum non expreſsit, quod requiratur executio effectus ad ſubeundas has pænas, ſed etiã poſitiuè appoſuit conditionem, ſi effectus fuerit ſecutus. Ibi in §. 1. *decernit eos, qui per ſe vel per interpoſitas perſonas abortum fætus animati procurauerint percuſſionibus, venenis, medicamentis, oneribus, alijſq; modis effectu ſecuto &c.*

4 Satisfit rationibus oppoſitis.

Neque, obeſſe poſſunt ea, quæ ex aduerſo afferebantur; non primum, quia iam ex dictis conſtat, in tantum incurri pænas huiuſmodi Epiſcopales, in quantum per eoſdem Epiſcopos ſunt impoſitæ cum expreſſa clauſula. Si effectus non fuerit ſecutus, vel etiam non ſecuto effectu, quod non militat, quando mens imponentis non eſt expreſſa per huiuſmodi clauſulam, vel potius per clauſulam oppoſitam, nempè ſecuto effectu, quia tunc talis effectus requiritur ad pænam ſubeundam; & hoc accidit in terminis bullæ Pontificiæ, ſecundum quam requiritur effectus. Ad illud, quod ſubditur, dicendum eſt ly *procurare*, vel poſſe coniungi cum effectu, vel ſtare etiam ſine ipſo; pænæ autem, quando aliud non exprimitur, debent intelligi, quando actio, propter quam imponuntur, coniungitur cum effectu ex vulgatis iuribus, quia odia ſunt reſtringenda. Accedit, quod, quando legiſlatores volunt pænas incurri etiam non ſecuto effectu, id exprimunt in impoſitione huiuſmodi pænarum, vt videre eſt in pænis perpatrantibus crimen duelli adiectis, vbi Pontifex vult pænas incurri etiam non ſecuto effectu, ſi per ipſos non ſteterit.

5 Corrolarium ad mox dicta.

Ex ijs, quæ ex occaſione dicta ſunt ſub hoc titulo, nempè, quod, quandoq; Epiſcopi ſolent excommunicationem in ſuis Diæceſibus ſtatuere contra procurantes abortum ſiue fætus animati, ſiue inanimis cum clauſula etiam, ſi effectus non fuerit ſecutus, deducendum eſt id, quod in præcedentibus dicebamus, quod ſcilicet in hac hypotheſi, ſi Epiſcopus commiſerit alicui ſimplici confeſſario facultatem abſoluendi ab omnibus cenſuris ſibi reſeruatis, poſſet hic confeſſarius ex vi illius generalis commiſſionis abſoluere etiam à cenſura ex hac cauſa contracta ad differentiam excommunicationis papalis, cum hæc cenſura omnino dependeat à poteſtate eiuſdem Epiſcopi, qui propterea non tenetur ſeruare illam conditionem appoſitam à Gregorio XIV., quod ſcilicet Presbyter debeat eſſe ad hos caſus ſpecialitèr delegatus.

PRÆ-

Digitized by Google

PRÆNOTIO VIII.

An propinans potionem ad inducendam ſterilitatem incurrat pænas abortus.

SVMMARIVM.

Ex vi bullæ Sixti V. propinantes mulieribus potiones ad ſterilitatem incurrebant pænas procurantium abortum. 1.

Non ſic propinantes viris. 2.

Satisfit textui in c. aliquis de homic. volunt. 3.

Propinantes potiones ſterilitatis modo non incurrunt pænas procurantium abortum. 4.

Grauiſſimè tamen peccant. 5.

Non licet medicamenta ſumere ad ſterilitatem, etiam ſi experientia conſtet matrem in partu vita periclitari. 6.

Non licet ad ſanitatem matris ſumere pharmaca ſecundum ſe ordinata ad fætus interitum. 7.

Coniuges ſe retrahentes à copula carnali poſt vnius ſeminationem non committunt crimen abortus, grauitèr tamen peccant. 8.

STerilitas poteſt vel ſe tenere ex parte fæminæ, vel ex parte maſculi, quatenus vel vnus, vel alter ſit impotens ad prolis generationem, ideo in præſenti prænotione æquè dubitandum venit, an ea, quæ hic dicentur, æquè procedant, ſiue potiones huiuſmodi propinentur marito, ſiue fæminæ. Porrò difficultates, quæ hic examinabuntur, procedunt, an attenta conſtitutione Sixti V., an verò etiam attenta moderatione Gregorij XIV. intelligenda ſint.

Aſſertio I. Attenta præcisè conſtitutione Sixti V. propinantes huiuſmodi potiones mulieri ad inducendam ſterilitatem ſine dubio incurrebant pænas ab eodem Sixto ſtatutas, ſecus propinantes huiuſmodi potiones viris. Quoad primã partem non eſt dubitandum, cum hoc expreſsè ſtatuerit idem Pontifex *in eadem ſua conſtitutione §.5. Ibi Similiter, qui ſterilitatis potiones, ac venena propinauerint mulieribus, aut quo minus fætus concipiant, impedimentum præſtiterint, conſuluerint, ac auxiliati fuerint, nec non & mulieres, qui ea ſcientèr ſumpſerint*. Quoad ſecundum *Villalobos in ſumma tom.1. tract. 12. difficul. 14. num.2., Scortia in bullas Pontificias epit. 146. Thorem.377., Sairus de cenſuris lib.3. c.35. num. 27., Diana part.7. tract.5. de abortu reſol. 12.*

1 Propinãtes potiones ad ſterilitatem fæminis ex vi bullæ Sixti V. incurrebãt huiuſmodi pænas.

Ratio huius ſecundæ partis, in qua ſolummodo eſt difficultas, ex eo deducitur, quia pænæ non ſunt extendendæ vltra caſum, qui exprimitur in lege pænali *l. factum cuique §. in pænalibus, vbi Decius ff. de reg. iuris c. in pænis eod. tit. in ſexto, Thomas de Thomaſet. in flor. leg. reg. 227., Surdus de alim. tit.1. q.51. num. 12., Stephanus Gratianus diſcept. for. tom. 5. c. 972. num.13.*, quod etiam intellige, quantumuis alius caſus procederet ex ſimilitudine rationis *Ioannes Andræas in reg. odia de reg. iur. in ſexto, Duennas reg. 287., Garzias Gironda de priuilegiorum, ſeu exempt. explic. num. 540.*, quinimmo etiam ex identitate rationis *Corſet. in ſingul. verb. extenſio num. 1., Tiraquel de retract. in præfat. num. 62., & ſeq., Farinacius frag. crim. part.2. lit. E. nu.115.*, vbi *num. 117.* ſubdit, quod extenſio non conceditur ex identitate rationis etiam, quod ratio ſit expreſſa in diſpoſitione, quando ſumus in materia odioſa, quod tamen, an verum ſit non auſim concedere; ſed Pontifex in præfata conſtit. præcisè loquitur de propinantibus huiuſmodi potiones, & venena mulieribus, ne concipiant, ergo ipſius diſpoſitio non eſt extendenda contra propinantes huiuſmodi potiones maſculis.

2 Non ſic propinãtes viris.

Dices *in c. ſi aliquis extra de homic. vol.*, quod deſumptum eſt ex Concil. Vormatienſi punitur, vt homicida, qui homini vel mulieri aliquid fecerit, vel dederit ad potãdum, vt non poſset generare, aut cõcipere, aut naſci ſoboles, ergo pænæ huiuſmodi æquè afficiunt propinantes has potiones, & venena ſiue viris, ſiue mulieribus, & præſumendus eſt Pontifex in dicta ſua conſtitutione quoad has particulas ad illam antiquam iuris diſpoſitionem ſe voluiſſe referre. Sed contra, quidquid ſit de illa diſpoſitione antiqua, quæ an ſit in vſu, nec ne, in præſenti non diſputo; certum eſt, quod diſpoſitio Sixtiana præcisè loquatur de propinantibus mulieribus huiuſmodi potiones, quæ propterea non eſt extendenda vltra caſum mulieris; Quod, ſi poſtea ex alia diſpoſitione pænæ afficiant etiam propinantes potiones viris, hoc non eſt contra nos, qui præcisè loquimur in terminis Bullæ Sixtianæ.

3 Satisfit textui in c. ſi aliquis de homic. vol.

Aſſertio II. Propinantes medicamenta inducentia ſterilitatem non incurrunt pænas procurantium abortum ſtante moderatione Gregorij XIV., licet grauiſsimè peccent. Ita quoad primam partem *Machadus de perfecto conf. tom.1. lib.2. part.3, tract.17. num.2., Portellus in dub. regul. verb. abortus num.4., Diana part.7. tract. 5. de abortu reſol. 12.* Quoad ſecundam *D. Thomas in 4. diſt. 31. in fine in expoſitione lit., Caietanus 2.2. q.154. art.1. circa ſolut. ad quartum §. ad ſingula autem obiecta, Nauarrus in ſumma c.16. num.33., Petrus de Ledeſma de matrim. q.49. art.6. dub.2. concl.6., Rainaudus de ortu infant. c.10. num.24., Fagundez in Decal. lib.5. c.13. nu.5., Ioannes An-*

4 Propinãtes potiones ad ſterilitatem ſtãte moderatione Gregoriana nõ incurrunt pęnas procurantiũ abortum.

Angelus Boſſius tract. de effect. matrim. c. 9. num. 7.

Ratio primæ partis ex eo deſumitur, quia huiuſmodi pænæ procurantium abortum reſpectu eorum, qui inducunt præcisè remedia ad ſterilitatem, nec contrahuntur ratione diſpoſitionis Gregorianæ, nec ex natura eiuſdem criminis; non ex primo capite, quia Gregorius XIV. reſpectu inducentium ſterilitatem reduxit ad terminos iuris communis. Ibi *Quo verò ad pænas procurantium abortum fætus inanimis aut exhibentium mulieribus, vel ſumentium venena ſterilitatis aut quocunque modo auxilium, vel conſilium eis dantium in prædicta conſtitutione contentas conſtitutionem præfatam in ea parte, vbi de his agit, ad terminos iuris communis, ac ſacrorum canonum, & Concilij Trident. tàm quoad præterita, quàm quoad futura perpetuò reducimus*, & quamuis idem Pontifex expreſsè moderaretur tantum pænas Sixtianas quoad procurantes abortum fætus inanimis nulla facta expreſſa mentione de propinantibus potiones ad ſterilitatem, adhuc intelligeretur correxiſſe quoad iſtos, quia moderato grauiori intelligitur ex pia mente Pontificis etiam moderatum id, quod minus graue eſt; Non ex ſecundo capite, quia ex natura ſua inductio ſterilitatis non eſt procuratio abortus, cum abortus ſupponat fætum iam conceptum, non ſic ſterilitas.

Rationes pro aſſerto.

Dices aduerſus primum caput. Gregorius XIV. reduxit nedum pænas procurantium abortum fætus inanimis, ſed etiam propinantium venena ad ſterilitatem ad terminos iuris communis, ſacrorũ canonum &c. Sed ex allegato iure communi *in c. ſi aliquis extra de homicid. vol.* contra inducentes potiones ad ſterilitatem inductæ ſunt omnes pænæ homicidæ, ergo &c. Sed contra, quia vt benè notat *Hoſtienſis in d. c. ſi aliquis de homicid. vol.* hic textus plura continet, primo, quod hæc præſtans debeat præſtare ex affectu libidinis explendæ, vel odij meditatione, vt patet legenti textum. Secundo tres caſus diſtinguit; primum quo quis homini aliquid fecerit, vel dederit ad potandum, vt non poſſit generare; ſecundum, quo aliquid ſimilitèr fecerit, vel dederit mulieri, vt non poſſit concipere, tertium vt aliquid fecerit, vel dederit, vt ſoboles naſci non poſſit; tertio dicit, quod hæc præſtans teneatur vt homicida. Ex quibus deduces primo, quod, ſi ex affectu nimiæ libidinis non dederit poculum amatoriũ, vel ex meditatione odij non tribuerit venenum, non videatur pænas homicidæ contrahere, quandoquidem ex præcitatis iuribus pænales leges ſunt ſtrictè interpretandæ. Deduces ſecundo diſtinguendum eſſe, prout diſtinguit Hoſtienſis loco quo ſupra, ſeparando duos primos caſus à tertio, & quoad tertium conſiderando, an effecerit, quod proles non naſcatur, quando erat formata, & animata; an verò, quando adhuc inanimis; ſi quando erat animata, tunc aſſerit idem Hoſtienſis, quod verè, qui hæc præſtiterit, habendus ſit, vt verus homicida; ſi verò, quando adhuc erat inanimis ſit habendus dumtaxat, vt interpretatiuus homicida; quod, ſi hæc verificantur, quando fętus iam conceptus erat, licet adhuc inanimis, non video, cur verificari non debeant, quando adhuc conceptus non erat per obicem appoſitum ne conciperetur. In ordine verò ad homicidam interpretatiuum non ſunt impoſitæ determinatæ pænæ, ſed tantum arbitrariæ poſſunt apponi. Deinde, vt benè notat *Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrim. c. 9. nu. 76.* cenſetur homicida interpretatiuus quoad pænitentiam, non quoad pænas.

Satisfit inſtanz oppoſitæ ſententiæ.

Ratio ſecundæ partis deducitur, primo ex ijs, quæ tradit *D. Auguſtinus lib. 1. de nuptijs c. 15.* Ibi *Aliquando eouſq; peruenit hæc libidinoſa crudelitas, vel libido crudelis, vt etiam ſterilitatis venena procuret, & ſi nihil voluerit conceptos fætus intra viſcera extinguat, ac fundat &c.*, vbi cum appellet libidinoſam crudelitatem, ſeu crudelem libidinem non poteſt non ingerere niſi grauem culpam. Secundo, quia prolis conceptionem impedire in coitu coniugali, & efficere, vt ſemen non poſſit eſſe prolificum aduerſatur fini intrinſeco matrimonij, eiuſque bonis, quale eſt bonum prolis. Tertio, quia inducere talem ſterilitatem obſtat fini intrinſeco ſeminis, qui eſt ipſa generatio, quæ per priuationem potentiæ generatiuæ fruſtratur. Quarto, quia, vt benè notat *Sanchez lib. 9. de debito coniug. diſp. 20.* data opera impedire ſemen à ſuo primario fine generationis non differt niſi ſecundum magis, & minus ab emiſſione ſeminis extra vas. Quid enim eſt aliud effundere ſemen intra vas, quod non ſit prolificum, ac effundere ſemen prolificum extra vas quoad effectum ipſius generationis. Ex quibus deducere poteris, hoc crimen eſſe contra naturam, & ab intrinſeco malum.

5 Grauiſſimè tamen peccant.

Dices fæmina, quæ ſæpè abortitur aut experitur periculum vitæ in partu poteſt ſumere medicamenta inducentia ſterilitatem, ergo impedire finem generationis, ſeu reddere ſemen non prolificum, non eſt ab intrinſeco malum. Sed contra; Quamuis *Torreblanca in pract. iur. ſpir. lib. 12. c. 13. num. 31., & 36.* apud *Dianam part. 5. tract. 14. reſol. 90.* ſuſtineat in hoc caſu licere

comprehendi, ſed principalius ipſas fæminas, quæ vel vt principales, vel vt ſociæ reę ſunt talis criminis; vbi nota, quod ſecernantur principales a ſocijs; ſociæ autem ſunt omnes cooperantes, ſiue quia dederint, ſiue quia auxilium, & fauorem præſtiterint, ergo nomine principalium ſunt illi, vel illæ, quæ executionem fecerint ſumendo talia medicamenta in ordine ad abortum.

Ad rationes, quæ pro contraria parte afferuntur, nunc reſpondendum eſt, & quidem ex dictis patet ſatis ſuperque in illa diſpoſitione comprehendi ipſas fæminas prægnantes, quæ talia pharmaca 4 Soluūtur rationes oppoſitæ. ſumunt tàm per ly *inſuper prædictos omnes*, quàm per ly *vti principales*. Ad illud, quod dicitur, quod per ly *vti principales* intelligantur præcisè principales in dando, prout colligitur ex ſubſequenti verbo *dederint*, dicendum eſt primo, quod fruſtratoriè eſſet appoſita illa particula, ſi referatur præcisè ad eas, quæ dederunt, quādoquidem ſufficientèr hoc explicaretur per li ſocias conſciosq; & præbentes fauorem, & auxilium; nomine enim ſociorum veniunt illi omnes, qui coniunguntur cum principali, & qui actionem illam comitantur, inter quos computantur illi omnes, qui dant &c., & ſi importantur minus principales in dando, vtique certum eſt importari principaliores in eodem genere; vnde ad quid aliud debet referri illa particula *vti principales*, quod aliud eſſe non poteſt niſi perſona, qui exequitur; ſecundo, quod ly *dederint* referatur ad ſocias, & cooperantes, quando ille, qui exequitur eſt principalis, vel ſi principalis ſit alius, qui vel ex affectu libidinis, vel odij meditatione det huiuſmodi pharmaca inſcia omnino vxore ipſa prægnante tunc ad ipſum referatur. Ex quibus ruit illa ratio, quam adducunt, quod ſcilicet in pænalibus non ſit facienda extenſio ad perſonas non expreſſas; ruit, inquam, quia putat ipſas mulieres prægnantes ſufficientèr in illa diſpoſitione pænali exprimi; nec currit paritas de propinantibus venena ſterilitatis viris, quandoquidem in illa diſpoſitione nulla ſit de ipſis mentio, ſed præcisè de propinantibus mulieribus, quod non militat in noſtro caſu &c.

PRÆNOTIO X.

An conſulentes, & mandantes incurrant in huiuſmodi pænas, & quid, ſi reuocauerint mandatum, vel conſilium ante executionem.

SVMMARIVM.

Conſulentes, & mandantes comprehenduntur ſub pæna excommunicationis. 1.
Attenta conſtitutione Sixtiana incurrunt omnes pænas homicidij. 2.
Non ſic attenta conſtitutione Gregoriana, ſi fætus non fuerit animatus. Ibid.
Conſulentes abortum fætus animati præter pænam excommunicationis non incurrunt alias pænas de iure canonico, & ciuili impoſitas homicidis, niſi in iure exprimantur. 3.
Conſulentes, & mandantes non contrahunt excommunicationem effectu non ſecuto. 4.
Mandans reuocato mandato ante executionem non incurrit pænas. 5.
Conſulens reuocato conſilio non euitat pænas, ſi in illo oſtenderit vtilitatem conſulti. 6.

MVltiplex difficultas ſub hoc titulo comprehenditur. Prima, an verè huiuſmodi cooperantes incidant in omnes pænas, an verò ſolummodo in excōmunicationem. Secunda, an intelligantur ſolummodo incidere, ſi effectus ſequatur, an verò etiam eodem non ſecuto. Tertia, an, ſi poſt datum mandatum vel conſilium ante executionem operis reuocauerint mandatum, vel conſilium reſpectiuè, ſi illud ſequatur, eximantur à talibus pænis.

Aſſertio I. Conſulentes, & mandantes comprehenduntur ſub dicta conſtitutione pænali Sixtiana, quantum ad effectum excommunicationis. *Nouarius in ſumma bullarum tom. 2. tit. de abortu num. 22., Bonacina tom. 3. diſp. 2. q. 2. punct. 10. num. 5., Bordonus in conſil. Regul. reſol. 45. q. 9. num. 9., Diana part. 7. tract. 5. de abortu reſol. 10.* 1 Conſulētes & mādantes comprehēduntur ſub conſtitutione Sixtiana quoad excommunicationē.

Quoad conſulentes vix remanet ambigendi locus cum hoc expreſsè definitum reperiatur in d. conſtit. Sixti V. per illa verba §. 8. relata *Inſuper prædictos omnes, qui vel quæ, vel vti principales, vel vti ſocij conſcijque ad tale facinus opem, conſilium, fauorem &c. dederint*, vbi per ly *conſilium* procul dubio importantur conſulentes. Difficultas præcipua eſt quoad mandantes, qui non videntur exprimi, adeoq; in legibus illis pænalibus non comprehendi; Nihilominus, & quoad iſtos adhuc ſic probatur, quia mandantes ſufficientèr exprimuntur per illam clauſulam, *Qui*

per

Digitized by Google

Ex ipſo textu bullæ euincitur.

per ſe, vel per interpoſitam perſonam abortum fætus animati procurauerint, quæ verba duo indicant & procurationem ſine mandato per ly *Qui per ſe*, & procurationem cum mandato per ly *vel per interpoſitam perſonam*, vnde, qui mandat, verè per interpoſitas perſonas procurat. Accedit, quod huiuſmodi pæna intelligitur nemine diſceptante contra facientes abortum; ſed, qui mandat, verè efficit abortum per interpoſitas perſonas, ergo &c.

2 Attenta conſtitutione Sixtina conſulentes, & mandātes cōtrahunt omnes pænas homicidæ.

Aſſertio II. Conſulentes, mandantes, & auxiliantes præter pænam excommunicationis incurrunt omnes pænas iure diuino, canonico, & ciuili ſtatutas contra veros homicidas, ſi conſilium, mandatum, vel auxilium reſpectiuè præſtiterint ad propinanda venena ſterilitatis, vel ad efficiendum, ne mulieres concipiant attenta diſpoſitione Sixti V., ſed attenta moderatione Gregorij XIV. nec excommunicationem, nec alias huiuſmodi pænas contrahunt. In hanc vtramq; partem omnes conſentiunt.

Quoad primam clarè liquet ex §. 5. *d. conſtitutionis Sixti V.* -Ibi- *Similibus pænis vult teneri eos, qui ſterilitatis potiones, ac venena propinauerint mulieribus, aut, quominus fætus concipiant, impedimentum præſtiterint, conſuluerint, & auxiliati fuerint, necnon & mulieres, quæ ea ſcientèr ſumpſerint*.

Moderatio Gregorij XIV.

Quoad ſecundam patet *ex §. 3. conſtit. Gregor. XIV.* vbi ſic legitur, *Quo verò ad pænas procurantium abortum fætus inanimis, aut exhibentium mulieribus, aut ſumentium venena ſterilitatis, aut quocunque modo auxilium, vel conſilium eis dantium in prædicta conſtitutione contentas conſtitutionem præfatam in ea parte, vbi de his agit ad terminos iuris communis, aut ſacrorum canonum, & Concil. Trid. diſpoſitionem auctoritate Apoſtolica tenore præſentium tàm quoad præterita, quàm quoad futura reducimus perindè, ac ſi eadem conſtitutio in huiuſmodi parte nunquam emanaſſet*.

3 Præter pænam excōmunicationis nō incurrunt alias pænas.

Aſſertio III. Conſulentes abortum fætus animati præter pænam excommunicationis probabilius non incurrunt alias pænas iure diuino, & canonico, & ciuili ſtatutas contra veros homicidas, niſi iura vel canonica, vel ciuilia expreſsè comprehendant nedum facientes verum homicidium, ſed etiam conſulentes ſuadentes. Mandantes verò eaſdem incurrunt.

Ratio primæ partis deſumitur tum ex generali regula, tum ex terminis Conſtitutionis Sixti V., ex generali quadam regula, quia pænæ impoſitæ contra faciētes crimen non extenduntur contra ſuadentes, & conſulentes, niſi hoc expreſsè ſtatuatur in iure prohibente; ex terminis conſtitutionis Sixti V., quia in §. 1. idem Pontifex ſtatuens, quod procurans abortum ſubijciatur omnibus pænis iure diuino, canonico, & ciuili contentis nullo modo loquitur de ſuadentibus, & conſulentibus, ſed de perpatrantibus -Ibi- *qui per ſe, vel per interpoſitas perſonas abortum fætus animati procurauerint percuſſionibus, venenis, medicamentis, oneribus, aliiſue modis abortu ſecuto &c.*, ergo cum agatur de pænalibus non eſt facienda extenſio ad ipſos conſulentes non expreſsè comprehenſos in iure; Neque obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, quod comprehendantur in alijs clauſulis ſubſequentibus præcipuè in §. 8., Non, inquam, obeſſe poteſt, quia ille §. octauus ſtat ampliatiuè in ordine ad illam pænam dumtaxat, quæ ibi imponitur, quæ eſt excommunicationis latæ ſententiæ, non in ordine ad præmiſſa.

Quoad alias pænas Sixtus V. non comprehendit conſulentes.

Dices *Sixtus V. in §. 5. ſuæ conſtitutionis* expreſsè afficit huiuſmodi pænis iure diuino, & humano, ſiue canonico, ſiue ciuili, ne dum propinantes venena ſterilitatis, vel impedientes conceptum, ſed etiam conſulentes talem propinationē ad eundem effectum, ergo à fortiori præſumendus eſt voluiſſe afficere nedum propinantes potiones ad abortum fætus animati inducendum, ſed etiam ſuadentes, & conſulentes; ſi etenim hoc præſtitit in ordine ad id, quod minus eſt, præſumendus eſt à fortiori hoc voluiſſe præſtare in ordine ad id, quod maius eſt. Sed contra, quia in pænalibus non valet argumentum à minori ad maius potiſſimum in negatiuis *Curtius Iunior conſ. 157 num. 30., & Cardin. Tuſcus pract. concl. tom. 1. lit. A. concl. 501. nu. 13.* Hic autem verſamur in negatiuis, cum verſemur in præcepto, ne fiat abortus, neue inducatur ſterilitas.

In pænalibus nō valet argumentum à minori ad maius.

Ratio ſecundæ partis quoad mandantes ex eo deducitur, quia iſti expreſsè cōprehēduntur in diſpoſitione pænali eiuſdem Sixti V., cum dicat, *Qui per ſe, vel per interpoſitas perſonas abortum fætus animati procurauerint*, & deinde immediatè ſubdit allegatis pænis iure diuino, & humano impoſitis contra veros homicidas; Qui autem hoc præſtat per interpoſitas perſonas, vtique præſtat per mandatum, ergo &c.

Mandantes expreſsè includuntur.

Aſſertio IV. Conſulentes, & mandantes non contrahunt excommunicationē, nec alias pænas, ſi effectus abortus fætus animati non ſequatur, ſeu fuerit ſecutus *Nouarius in ſumma bullarum tom. 2. tit. de abortu num. 22.*, *Diana d. part. 7. tract. 5. de abortu reſol. 10.*

4 Conſulētes, & mādantes nō incurrunt excōmunicationem effectu nō ſecuto.

Ratio ex eo deducitur, quia principales perpatrantes idem delictum abortus fætus, quantumuis animati, ſi effectus non ſequatur, non contrahunt huiuſmodi

pænas

Digitized by Google

riculo, quo premitur, ita, nec liceat per media poſitiua, & directè abortum fœtus inanimis, nec ſterilitatem procurare in ordine ad eandem matrem liberandam. Sed quidquid ſit de illo aſſumpto, de quo occurret infra ſermo vberimus, alij conantur aſſignare diſcrimen inter vtrumque caſum ſitum in eo, quod, quando periclitatur mater prægnans in vita, cui alia via ſubueniri non poſſit, niſi emittendo fœtum conceptum, tunc fœtus ipſe conceptus ſit quaſi actualis aggreſſor aduerſus vitam eiuſdem matris, cuius periculum eſt præſentaneum, non ſic autem res ſe habet, quando mater ſumit pharmaca ad inducendam ſterilitatem, & ad efficiendum, ne concipiat, quia tunc nullus eſt aggreſſor actualis, nec periculum illud eſt præſentaneum; licitum autem eſt inuaſorem actu repellere, non ſic autem eum, qui actu non inuadit; atq; ita ſentiunt, & reſpondent *Diana part. 5. tract. 14. reſol. 90. verſ. ſed quia ego puto, Sanchez de matrim. lib. 9. de debit. coniug. diſp. 20. nu. 10., Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrim. c. 9. num. 8.* Sed aſſumptum, cui innititur hoc diſcrimen, nimium probat; probat etenim in primis, quod, ſi vita matris periclitaretur, & fœtus etiam eſſet animatus, liceret matri directè intendere, & procurare abortum eiuſdem fœtus, quandoquidem actu aggreſſorem, quantumuis adultum licet aggreſſo occidere; probat ſecundo, quod, quãdo quis ex ſuperabundantia ſeminis graui vitæ periculo ſubiaceret, poſſet directè procurare pollutionem, & eiuſdem ſeminis emiſſionem, quod nulla ratione videtur dicendum; ſemen etenim illud eſſet quaſi actu aggreſſor. Quamobrem pro nunc breuitèr dico hanc difficultatem, ſeu ſolutionem huius difficultatis pendere ex ijs, quæ infra dicentur prænot. 11., ad quæ vos remitto.

Fœtus nõ eſt propriè aggreſſor.

Ex ijs, quæ hactenus dicta ſunt in hac ſecunda parte aſſertionis, eiuſque probatione, habes, quod, ſi vir, vel fæmina in copula carnali ſe retrahant, ſi ſint verè coniuges, adeo vt poſt fæminæ ſeminationem vir non ſeminet, vel fæmina poſt ſui ſeminationem non ſemen virile recipiat, non committant quidem crimen abortus, grauiſſimè tamen peccent. Ratio primæ partis eſt, quia propriè non eſt abortus, vbi non eſt fœtus conceptio; conceptio autem non eſt, vbi non eſt ſeminatio viri, aut eiuſdem ſeminis receptio in vas muliebre, vt ſupra. Ratio ſecundæ partis ex ſuperius dictis deducitur, quia copula coniugalis, & ſeminis effuſio ex natura ſua ordinatur ad prolis generationem, & propagationem ſpeciei; fruſtrare autem naturam tali fine, & ordine non leue peccatum eſt. Dixi, *& ſeminis effuſio*, nam ante effuſionem ſeminis deſiſtere à copula incohata conſentiente vtroque coniuge nullum peccatum ſaltem læthale eſt; nam tunc ex vno capite ſemen non fruſtratur ſuo fine, cum ex parte nullius ſit emiſſum, & cum vterque coniux in illam deſiſtentiam conſentiat, nulli ſit iniuria; Neque dicas, non licere illam vaſis penetrationem, quandoquidem eſt actus per ſe illicitus, niſi ordinetur ad veram generationem prolis per realem ſeminationem; contra enim eſt, quia huiuſmodi actus ſine ſeminatione ſunt tantum quidam tactus partium pudendarum, qui ratione ſtatus matrimonialis ſunt per ſe liciti ipſis coniugibus, cum poſſint ordinari ad honeſtum finem, nempè ad mutuum amorem fouendum, vel ad alium ſimilem; ceſſare autem in huiuſmodi actibus à ſeminatione poteſt etiam aliquo fine cohoneſtari, vt ſcilicet conſulatur valetudini, cui effuſio ſeminis poteſt eſſe noxia, vt tollatur ſuperabundantia filiorum, quos conuenientèr alere non poſſint. Cauendum tamen eſt, ne ſit periculum emiſſionis ſeminis extra vas, quia tunc ratione talis periculi eſſet peccaminoſa illa deſiſtentia à copula incohata.

8 Coniuges ſe retrahentes in copula carnali, ne ſeminent, peccant grauitèr, non committunt crimen abortus.

PRÆNOTIO IX.

An incurrant pœnas abortus ipſę matres prægnantes illum in ſe ipſis procurantes.

SVMMARIVM.

Ratio difficultatis eſt quoad pœnam excommunicationis. 1.
Rationes ſuadentes non incurrere. 2.
Etiam ipſæ mulieres prægnantes incurrunt pœnam excommunicationis. 3.
Soluuntur rationes oppoſita. 4.

IPſas etiam matres prægnantes incurrere omnes alias pœnas temporales comminatas contra procurantes abortum fœtus animati, ſi illum in ſe ipſis procurent, eſt certo certius, cum Sixtus V. in prima parte ſuæ conſtit. Incipient. *Effrænatam* iniungendo pœnas temporales exprimat ipſas etiam prægnantes ad quas extendit huiuſmodi pœnas. Difficultas ſolummodo eſt, an vltra pœnas temporales contrahant etiam excommunicationem latam ab eodem Sixto V. in ſecunda parte eiuſdem conſtitutionis.

1 Ratio difficultatis eſt quoad pœnã excõmunicationis.

Ratio dubitandi ex eo oritur, quod idem Pontifex, qui prius in prima parte

eiuſ-

pænas per ea, quæ habentur in §. 1. eiuſdem conſtitutionis Sixtianæ, & per ea, quæ nos ſupra probauimus, ergo multo minus effectu non ſecuto contrahent tales pænas minus principales, ſcilicet conſulentes, ſeu mandantes. Deinde quoad mandantes expreſsè habetur in eadem conſtit. Sixtiana, vbi ſubduntur huiuſmodi pænis illi, qui per interpoſitas perſonas abortum procurant effectu ſecuto, ergo eodem non ſecuto non contrahent tales pænas *arg. reg. incluſio vnius eſt excluſio alterius, & item arg. contrariorum*; Neque dicas, per ſuperius dicta in pænalibus non valet argumentum a minori ad maius, ergo nec valet argumētum, quod, ſi magis principales non contrahunt huiuſmodi pænas effectu non ſecuto, nec contrahere debeant eodem non ſecuto minus principales, ſeu conſulentes, & mandantes; contra enim impugnaberis, quia, vbi ad incurrendam pænam requiritur delictum cum talibus, vel talibus qualitatibus determinatis, tale requiritur reſpectu eorum omnium, qui concurrunt ad tale delictum; vnde non excluduntur à talibus pænis minus principales, quia ab eiſdem excluduntur magis principales, ſed quia nec magis, nec minus principales contrahunt delictum in illa qualitate, quæ ex diſpoſitione iuris requiritur ad incurrendas pænas iniunctas eidem delicto.

Rationes pro aſſerto.

Aſſertio V. Mandantes, ſi ante executionem operis reuocauerint mandatum, & reuocatio ipſa innotuerit mandatario, non incurrunt excommunicationem, nec alias pænas iuris, quantumuis mandatarius poſtea exequatur mandatum in abortu fætus animati. Deducitur ex ijs, quæ nos probauimus *tom. de reſtitut. ſub tit. de reſtitutione 1. prænot. 12. ſect. 1. num. 5.*, eamque in ſimilibus terminis ſuſtinent *Leſſius de iuſt. & iure lib. 2. c. 13. dub. 3. num. 12.*, *Petrus à Nauarra lib. 3. de reſtitutione c. 4. num. 27.*, *Medina C. de reſtit. q. 7.*, *& alij magis communiter*.

5 Suadens reuocato mandato ante executionem nō incurrit pænas.

Ratio ex eo deducitur, quia poſita reuocatione mandati ante executionem operis, quæ reuocatio fuerit intimata mandatario, ipſa executio operis nullo modo eſt imputabilis ad culpam ipſius mandantis, ergo ipſe mandans nullo modo contrahit pænas impoſitas contra mandantes aliquod maleficium, ſeu opus peccaminoſum. Antecedens probatur, quia omnis ratio agendi in mandatarijs dependet à voluntate ſiue implicita, ſiue expreſſa mandantis, ſine qua non agit, vt mandatarius, & nomine mandantis, ſed vt principalis, & nomine proprio, in quo caſu actio non imputatur mandanti, ſed ipſam exercenti, ſed, quando mandatum intelligitur reuocatum, & reuocatio intimata mandatario, non eſt amplius voluntas mandantis influens in illam actionem, ſed potius remouens ab eadem, ergo non eſt amplius ratio agendi in mandatario nomine mandantis, adeoq; illa actio, ſi euenerit, non erit imputanda mandanti, qui propterea non incurret pænas illius actionis.

Mandatū totā vim habet à voluntate mādantis.

Aſſertio VI. Conſulentes efficacitèr abortum fætus animati, & oſtendentes in illo conſilio vtilitatem, quam inde conſequi poteſt vxor prægnans, ſi abortiatur, & ſumat pharmaca iuxta conſilium, non euitant pænas conſulentium, ſi talis effectus ſequatur, quantumuis antecedentèr ad executionem operis reuocauerint conſilium. Conſonat cum ijs, quæ nos docuimus *tom. de reſtitut. ſub tit. de reſtit. 1. prænot. 12. ſect. 2. num. 12.*, & docet *Leſſius lib. 2. de iuſt. & iur. c. 13. dub. 3. num. 16.* 6

6 Cōſulens nō euitat pænas reuocato conſilio, ſi in illo oſtēderit vtilitatem conſulti.

Pro clariori notitia præſentis aſſertionis aduerte primo conſilium conſulentis poſſe procedere ex duplici motiuo, quorum alterum ſit, quod exhibeat maximam vtilitatem, quæ inde prouenire poſſit perſonæ, quæ recipit tale conſilium, vt ſi conſulat puellæ prægnanti ex concubitu illicito, vt abortiatur, eidem proponens, quod ex eodem abortu euitabit mortem ſibi à parentibus, & cognatis imminentem, & item infamiam, ratione cuius nō poterit nubere cum perſona æqualis conditionis, quod, ſi non præſtiterit morti ſubiacebit, cum parentes, & cognati in huiuſmodi delictis ſint vltricis naturæ, & ſoliti minas exequi, alijſq; innumeris damnis, & incommodis, prout re vera reſultabunt; alterum, per quod non exhibeatur illa vtilitas, & vitatio damnorum, ſed præciſè ſenſus eiuſdem conſulentis, qui hoc præſtaret in ſe ipſo, ſi in ſimili caſu eſſet conſtitutus. Procedit aſſertio de conſilio iuxta primum ſenſum accepto, quæ ſic

Probatur, quia in hac hypotheſi potiſſima, & principalis ratio, quæ mouet operantem ad executionem operis, eſt vtilitas, quam propoſuit conſulens reſultare ex illo opere, prout re vera reſultat, ſed non obſtante reuocatione conſilij illa ratio motiua adhuc perſeuerat, ergo, ſi non obſtante reuocatione adhuc operans perſeueret in volūtate iam mota ad operandum, & de facto operetur adhuc conſulens ipſe obligabitur, cum ex cauſa ipſius, ſeu motione illa actio, ſeu effectus promanarit. Confirmatur, quia, ſi quis alicui arma ſuppeditarit conſulendo, vt inimicum occidat, non deobligatur ab onere homicidij, quantumuis conſilium re-

Perſeuerat conſilium in motiuo.

re-

retractet, & ſuadeat arma deponere, niſi de facto arma abſtulerit, ſi inimici mors ſequatur, ergo, qui per conſilium, ex quo manifeſtè reſultet vtilitas eius, qui tale conſilium recepit, incitauit animum ipſius ad nocendum, non deobligabitur ab onere, quantumuis conſilium retractet, ſi executio dependentèr ab illo conſilio perſeuerante motiuo vtilitatis in effectu ſequatur. Alias plures rationes ad hanc materiam ſeruata proportione conferentes cum ſolutionibus argumentorum contrariæ opinionis, vide *d. tom. de reſtu. 1. prænot. 12. ſect. 2. num. 11. per totum*.

PRÆNOTIO XI.

An liceat prægnanti ad vitandum periculum mortis in morbo ſumere pharmaca, ex quibus poſſit ſequi abortus.

SVMMARIVM.

Remedia duplicis generis. 1.
Mulier in periculo vitæ, quod nequit aliter euitare, poteſt ſumere remedia primi generis. 2.
Intellige, quando fætus non eſt adhuc animatus. Ibid.
Non tamen poteſt ſumere remedia ex ſe tendentia ad fætus etiam inanimis eiectionē. 3.
Si remedium æque tendat ad ſalutem matris, ac ad fætus inanimis eiectionem poteſt mater licitè illud ſumere. 4.
Etiam, ſi fætus fuerit animatus, poteſt mater ſumere remedia primi generis. 5.
Si fætus fuerit animatus, non eſt licitum matri ſumere remedia ſecundi generis. 6.
Poteſt tamen ſumere remedia tertij generis. 7.
Extante ſpe, quod proles poſſit edi viua, & baptizari, tenetur matri ab huiuſmodi remedijs abſtinere. 8.
Si mater ſit in ſtatu peccati mortalis, & non poſſit ſibi conſulere, poteſt ſumere remedia primi generis. 9.

1 *Remedia duplicis generis, & quænam.*

REmedia, quibus procurari poteſt infirmæ matris ſalus, ſunt in duplici differentia, alia, quę ex ſui natura directè, & principalitèr ordinantur ad ſanitatem, quam habent cauſare, licet ex earum ſumptione ſequi poſſit, vel ſequatur abortus; alia, quæ ex natura ſua, & directè diriguntur ad immaturi fætus eiectionem, ex qua poteſt matris ſalus contingere. Primi generis ſunt venæ ſectio, ſudarium, balneum, pharmacum purgatiuum humoris, emplaſtrum mitigatiuum doloris, & alia huiuſmodi. Secundi generis ſunt venenum, dilaceratio, percuſſio, &c.

Rurſus in ordine ad huiuſmodi remedia poteſt tertium quoddam genus excogitari, quod ſcilicet æqualitèr tenderet, & ad ſalutem matris & ad fætus abortum, qui fætus etiam in hoc caſu poteſt conſiderari, vel prout eſt anima informatus, an verò vt informis, & inanimis. *Tertium genus remediorũ.*

Rurſus in ordine ad eadem remedia poteſt triplex ſtatus matris prægnantis conſiderari; primus eſt, quo ipſa non ſumendo talia remedia ſit in morali periculo vitæ, & ſit moralis ſpes, quod fætus naſcatur viuus. Secundus, quo ſine talibus remedijs, & medicamentis æquale ſit periculum vitæ tam matris, quàm fætus, & cum illis ęquè poſſit ſperari ſalus matris, ac timeri abortus fætus, quatenus remedia applicanda æqualitèr tendant, & ad ſalutem matris, & ad fætus interitum. Tertius, quo cum illis remedijs timeatur certa mors fætus, & moralis ſpes habeatur vitæ matris. Hoc vnum adderem poſſe contingere, vt ſine illis remedijs ſperetur, vt fætus edatur viuus etiam moriente matre (qui caſus certè non videtur metaphiſicus, cum *Diana parte 7. tract. 5. reſol. 37.* teſtetur ſe præſente bis contigiſſe, vt mortua iam matre fætus ſit ortus viuus, & baptizatus) in quo caſu quæri poteſt, an ad ſalutem ſpiritualem fætus teneatur mater abſtinere à talibus remedijs, & hoc etiam, ſi probabilitèr timeat ſe eſſe in ſtatu peccati læthalis. Iuxta has omnes conſiderationes præſens titulus examinabitur. *Triplex ſtatus matris prægnantis.*

Aſſertio I. Si mulier prægnans ob
morbum ſit in tali ſtatu conſtituta, vt nō ſit moralis ſpes vitæ, niſi ſumat talia remedia, licitum eſt eidem remedia primi generis ſumere, quando fætus adhuc non eſt animatus, etiam ſi inde poſſit ſequi eiuſdem fætus eiectio *D. Antoninus 3. part. tit. 7. c. 2. §. 5.*, *Nauarrus in man. c. 25. num. 62.*, *Henriquez lib. 12. c. 16. num. 8.*, *Graſſius prima part. deciſ. lib. 2. c. 92.*, *Azorius part. 3. lib. 2. c. 2. q. 4.*, *Baſilius Pontius lib. 10. c. 13. nu. 2.*, *Naluus in ſumma verb. abortus nu. 3.*, *Homobonus de caſ. reſeru. part. 3. c. 67.*, *Diana part. 7. tract. 5. reſol. 34.*, qui etiam aſſerit eſſe communem inter Neotericos, & alij innumeri, quos citat, & ſequitur *Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrim. c. 9. num. 80.* 2 *Mulier in periculo vitę, quod nequit aliter euitare, poteſt ſumere remedia primi generis.*

Probatur primo, quia actiones humanæ ex fine, & obiecto ſuo redduntur bonę vel malæ, nec tali bonitate, vel malitia fruſtrantur ex ijs, quæ per accidens, & præter operantis intentionem ſequuntur *D. Thomas 2. 2. q. 64. art. 7. in corpore*, *Valentia tom. 3. diſp. 5. q. 8. punct. 2. in fin.*, & omnes fere Theologi in quæſt. de actibus humanis, ſed obiectum, & finis, ad quod,
ſeu

Digitized by Google

Finis, ad quem ordinatur tale remedium, non eſt malus.

ſeu quem ordinatur ſumptio talium remediorum ſunt quid ex ſe bonum, vel ſaltem indiferens, & id, quod poteſt ſequi nempè abortus fætus eſt præter intentionem ſumentis, ergo &c. Minor probatur, quia obiectum formale ſumptionis talium remediorum eſt ſanitas matris, ad cuius conſecutionem ordinatur tanquam ad finem, in quo ſiſtit; intendere autem talem ſanitatem ex ſe eſt manifeſtè quid bonum, nec vllam inuoluit malitiam; Neque dicas, quod malitia, quæ in illa actione conſideratur, ſi periculum, cui exponitur fætus, vt abijciatur, cui periculo illum exponere eſt ex ſe peccaminoſum; contra enim impugnaberis, & ſic ſimul.

Mater poteſt præferre vitã propriam in actu ſpei futuræ vitæ fætus.

Probatur ſecundo aſſertio, mater habet ius præferendi propriam vitam in actu ſpei futuræ vitæ alterius, ergo cum nullus peccet vtendo iure ſuo, nec peccabit mater vtendo talibus remedijs, quibus curat propriam vitam ſeruare, licet ex hoc ſequatur periculum mali alterius, nam hoc non eſt finis intentus, nec procuratus, ſed ad ſummum permiſſus; Neque obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, non licere propter ſanitatem acquirendam effundere in pollutione ſemen, adeoq; ad eandem ſanitatem non poſſe licere adhibere remedia, quibus eijciatur fætus iam conceptus. Non, inquam, poteſt obeſſe, quia hoc argumentum non procedit cum recta comparatione; deberet enim ſic procedere, quod ſicuti poteſt mater adhibere remedia cauſatiua propriæ ſanitatis directè intentæ, quamuis per accidens, & præter intentionem ex illis poſſit ſequi fætus eiectio, ita poſſit quis vti remedijs ex ſe ordinatis ad ſalutem propriam, quamuis ex ijs ſequatur, vel ſequi poſſit ſeminis effuſio, dummodo per ſe, & directè hæc non intendatur, quod vtique verum eſſent. Quamobrem ad inſtantiam allatam aſſero diſparitatem ſitam in eo, quod pollutio, cum directè procuretur, licet ordinetur ad finem bonũ ſanitatis, ſemper eſt ex obiecto mala, nec poteſt cohoneſtari à fine, ad quem dirigitur; medicina autem ex ſe curatiua non eſt ex obiecto mala, cum ſit ordinata à natura ad ſanitatem, adeoq; tanquam medium poteſt per ſe intendi ad bonum finem.

Quamobrem ex ijs patet non eſſe in hoc audiendum *Mazuchellum tract. de caſib. reſeruatis diſp. 2. c. 3. diffic. 3. num. 9.*, dum damnat iniquitatis vxorem talia pharmaca ſic ſumentem; non audiendum, inquam, quandoquidem rationes, quibus innititur, nullius roboris videntur eſſe; mouetur enim primo inferendo abſurdum ex noſtra opinione ſitũ in eo, quod, ſi liceret ad ſalutem matris ſumere pharmaca, ex quibus poſſit ſequi fætus abortus, liceret etiam in ordine ad eandem ſalutem ſemen effundere. Secundo, quia, ſi liceret hoc, liceret etiam puellæ prægnanti ad vitandum periculum vitæ, vel famæ, quod ſibi ex partu probabiliſſime timeret abortum procurare, quod non eſt dicendum. Sed hæ rationes facillimè eluduntur ex dictis; non enim nos dicimus, quod directè liceat procurare abortum, ſed ſolummodo, quod liceat pharmaca ſumere ex ſe ordinata ad ſanitatem matris prægnantis, quamuis per accidens, & præter intentionem poſſit inde ſequi abortus, quod idem non videtur repugnare in ordine ad pollutionem, quatenus licitum ſit ſumere pharmaca in ordine ad eundem ſanitatem, quamuis per accidens, & præter intentionem poſſit inde ſequi ſeminis effuſio.

Reijcitur Mazuchellus cum ipſius rationibus.

3 Nõ tamen poteſt ſumere remedia directa tendentia ad fætus eiectionem, quantumuis hic fuerit inanimis.

Aſſertio II. Si fætus adhuc non fuerit animatus, & mater conſtituta ſit in ſtatu, quo eius vita periclitetur ſine ſumptione pharmacorum ex ſe tendentium ad eiectionem eiuſdem fætus probabilius eſt, quod non liceat ea remedia adhibere, quantumuis inde poſſit ſequi ſalus matris periclitantis. *Corduba in sũma q. 137. dic. 4., & in quaſtionar. lib. 1. q. 38. dub. 2.*, *Nauarrus in ſumma c. 25. num. 62.*, *Vaſquez opuſ. de reſtit. c. 2. §. 1. dub. 7. num. 29.*, *& c. 3. §. 5. dub. 15.*, *Baſilius Pontius lib. 10. c. 13. nu. 2.*, *Bonacina de reſtit. diſp. 2. q. vlt. punct. 7. nu. 3.*, *Ioannes Lugo de iuſt. tom. 1. diſp. 10. ſect. 5. nu. 132.*, *Mazuchellus de caſ. reſeru. diſp. 2. c. 2. q. 1. difficul. 3.*, quidquid ex aduerſo ſenſerit *Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrim. c. 9. num. 85.*, qui num. præced. pro ſua opinione allegat plures.

Ratio ex eo deducitur primo, quia in ordine ad ſalutem propriam, quantumuis aliud remedium non ſuppetat, non eſt licitum directè procurare ſeminis emiſſionem, vt eſt in confeſſo apud omnes, ergo neque in ordine ad ſalutem matris, quantumuis aliud remedium non ſuppetat, erit licitum procurare directè remedia ſecundum ſe primo ad illum ordinata abortum fætus, quantumuis inanimis. Conſequentia probatur, quia tam intrinſecè mala eſt abortio voluntariè, & directè procurata, quam intrinſecè mala ſit pollutio; Neque dicas, diſparem eſſe rationem de effuſione ſeminis, ac de eiectione fætus iam in vtero exiſtentis, quandoquidem, quod in nullo euentu licitum ſit ſemen emittere extra actum coniugij non eſt ob damnum generationis, vt multis latè probat *Sanchez lib. 9. de debito coniugali diſp. 17. num. 16.*, ſed quia adeo vehemens eſt in ſeminis emiſſione

Tam eſt mala abortio voluntaria, quam ſeminis effuſio.

comprehendi, ſed principalius ipſas fæminas, quæ vel vt principales, vel vt ſociæ reę ſunt talis criminis; vbi nota, quod ſecernantur principales a ſocijs; ſociæ autem ſunt omnes cooperantes, ſiue quia dederint, ſiue quia auxilium, & fauorem præſtiterint, ergo nomine principalium ſunt illi, vel illæ, quæ executionem fecerint ſumendo talia medicamenta in ordine ad abortum.

Ad rationes, quæ pro contraria parte afferuntur, nunc reſpondendum eſt, & quidem ex dictis patet ſatis ſuperque in illa diſpoſitione comprehendi ipſas fæminas prægnantes, quæ talia pharmaca
4 Soluūtur rationes oppoſitæ. ſumunt tàm per ly *inſuper prædictos omnes*, quàm per ly *vti principales*. Ad illud, quod dicitur, quod per ly *vti principales* intelligantur præcisè principales in dando, prout colligitur ex ſubſequenti verbo *dederint*, dicendum eſt primo, quod fruſtratoriè eſſet appoſita illa particula, ſi referatur præcisè ad eas, quæ dederunt, quādoquidem ſufficientèr hoc explicaretur per li ſocias conſciosq; & præbentes fauorem, & auxilium; nomine enim ſociorum veniunt illi omnes, qui coniunguntur cum principali, & qui actionem illam comitantur, inter quos computantur illi omnes, qui dant &c., & ſi importantur minus principales in dando, vtique certum eſt importari principaliores in eodem genere; vnde ad quid aliud debet referri illa particula *vti principales*, quod aliud eſſe non poteſt niſi perſona, qui exequitur; ſecundo, quod ly *dederint* referatur ad ſocias, & cooperantes, quando ille, qui exequitur eſt principalis, vel ſi principalis ſit alius, qui vel ex affectu libidinis, vel odij meditatione det huiuſmodi pharmaca inſcia omnino vxore ipſa prægnante tunc ad ipſum referatur. Ex quibus ruit illa ratio, quam adducunt, quod ſcilicet in pænalibus non ſit facienda extenſio ad perſonas non expreſſas; ruit, inquam, quia putat ipſas mulieres prægnantes ſufficientèr in illa diſpoſitione pænali exprimi; nec currit paritas de propinantibus venena ſterilitatis viris, quandoquidem in illa diſpoſitione nulla ſit de ipſis mentio, ſed præcisè de propinantibus mulieribus, quod non militat in noſtro caſu &c.

PRÆNOTIO X.

An conſulentes, & mandantes incurrant in huiuſmodi pænas, & quid, ſi reuocauerint mandatum, vel conſilium ante executionem.

SVMMARIVM.

Conſulentes, & mandantes comprehenduntur ſub pæna excommunicationis. 1.
Attenta conſtitutione Sixtiana incurrunt omnes pænas homicidij. 2.
Non ſic attenta conſtitutione Gregoriana, ſi fætus non fuerit animatus. Ibid.
Conſulentes abortum fætus animati præter pænam excommunicationis non incurrunt alias pænas de iure canonico, & ciuili impoſitas homicidis, niſi in iure exprimantur. 3.
Conſulentes, & mandantes non contrahunt excommunicationem effectu non ſecuto. 4.
Mandans reuocato mandato ante executionem non incurrit pænas. 5.
Conſulens reuocato conſilio non euitat pænas, ſi in illo oſtenderit vtilitatem conſulti. 6.

MVltiplex difficultas ſub hoc titulo comprehenditur. Prima, an verè huiuſmodi cooperantes incidant in omnes pænas, an verò ſolummodo in excōmunicationem. Secunda, an intelligantur ſolummodo incidere, ſi effectus ſequatur, an verò etiam eodem non ſecuto. Tertia, an, ſi poſt datum mandatum vel conſilium ante executionem operis reuocauerint mandatum, vel conſilium reſpectiuè, ſi illud ſequatur, eximantur à talibus pænis.

Aſſertio I. Conſulentes, & mandantes comprehenduntur ſub dicta conſtitutione pænali Sixtiana, quantum ad effectum excommunicationis. *Nouarius in ſumma bullarum tom. 2. tit. de abortu num. 22., Bonacina tom. 3. diſp. 2. q. 2. punct. 10. num. 5., Bordonus in conſil. Regul. reſol. 45. q. 9. num. 9., Diana part. 7. tract. 5. de abortu reſol. 10.* 1 Conſulētes & mādantes comprehēduntur ſub conſtitutione Sixtiana quoad excommunicationē.

Quoad conſulentes vix remanet ambigendi locus cum hoc expreſsè definitum reperiatur in d. conſtit. Sixti V. per illa verba §. 8. relata *Inſuper prædictos omnes, qui vel quæ, vel vti principales, vel vti ſocij conſcijue ad tale facinus opem, conſilium, fauorem &c. dederint*, vbi per ly *conſilium* procul dubio importantur conſulentes. Difficultas præcipua eſt quoad mandantes, qui non videntur exprimi, adeoq; in legibus illis pænalibus non comprehendi; Nihilominus, & quoad iſtos adhuc ſic probatur, quia mandantes ſufficientèr exprimuntur per illam clauſulam, *Qui per*

Ex ipſo textu bullæ euincitur.

per ſe, vel per interpoſitam perſonam abortum fætus animati procurauerint, quæ verba duo indicant & procurationem ſine mandato per ly *Qui per ſe*, & procurationem cum mandato per ly *vel per interpoſitam perſonam*, vnde, qui mandat, verè per interpoſitas perſonas procurat. Accedit, quod huiuſmodi pæna intelligitur nemine diſceptante contra facientes abortum; ſed, qui mandat, verè efficit abortum per interpoſitas perſonas, ergo &c.

2 Attenta conſtitutione Sixtiana conſulentes, & mandātes cōtrahunt omnes pænas homicidæ.

Aſſertio II. Conſulentes, mandantes, & auxiliantes præter pænam excommunicationis incurrunt omnes pænas iure diuino, canonico, & ciuili ſtatutas contra veros homicidas, ſi conſilium, mandatum, vel auxilium reſpectiuè præſtiterint ad propinanda venena ſterilitatis, vel ad efficiendum, ne mulieres concipiant attenta diſpoſitione Sixti V., ſed attenta moderatione Gregorij XIV. nec excommunicationem, nec alias huiuſmodi pænas contrahunt. In hanc vtramq; partem omnes conſentiunt.

Quoad primam clarè liquet ex *§. 5. d. conſtitutionis Sixti V.* -Ibi- *Similibus pænis vult teneri eos, qui ſterilitatis potiones, ac venena propinauerint mulieribus, aut, quominus fætus concipiant, impedimentum præſtiterint, conſuluerint, & auxiliati fuerint, necnon & mulieres, quæ ea ſcientèr ſumpſerint*.

Moderatio Gregorij XIV.

Quoad ſecundam patet *ex §. 3. conſtit. Gregor. XIV.* vbi ſic legitur, *Quo verò ad pænas procurantium abortum fætus inanimis, aut exhibentium mulieribus, aut ſumentium venena ſterilitatis, aut quocunque modo auxilium, vel conſilium eis dantium in prædicta conſtitutione contentas conſtitutionem præfatam in ea parte, vbi de his agit ad terminos iuris communis, aut ſacrorum canonum, & Concil. Trid. diſpoſitionem auctoritate Apoſtolica tenore præſentium tàm quoad præterita, quàm quoad futura reducimus perindè, ac ſi eadem conſtitutio in huiuſmodi parte nunquam emanaſſet*.

3 Præter pœnam excōmunicationis nō incurrunt alias pænas.

Aſſertio III. Conſulentes abortum fætus animati præter pænam excommunicationis probabilius non incurrunt alias pænas iure diuino, & canonico, & ciuili ſtatutas contra veros homicidas, niſi iura vel canonica, vel ciuilia expreſsè comprehendant nedum facientes verum homicidium, ſed etiam conſulentes ſuadentes. Mandantes verò eaſdem incurrunt.

Ratio primæ partis deſumitur tum ex generali regula, tum ex terminis Conſtitutionis Sixti V., ex generali quadam regula, quia pænæ impoſitæ contra faciētes crimen non extenduntur contra ſuadentes, & conſulentes, niſi hoc expreſsè ſtatuatur in iure prohibente; ex terminis conſtitutionis Sixti V., quia in §. 1. idem Pontifex ſtatuens, quod procurans abortum ſubijciatur omnibus pænis iure diuino, canonico, & ciuili contentis nullo modo loquitur de ſuadentibus, & conſulentibus, ſed de perpatrantibus -Ibi- *qui per ſe, vel per interpoſitas perſonas abortum fætus animati procurauerint percuſſionibus, venenis, medicamentis, oneribus, alijſue modis abortu ſecuto &c.*, ergo cum agatur de pœnalibus non eſt facienda extenſio ad ipſos conſulentes non expreſsè comprehenſos in iure; Neque obeſſe poteſt, ſi afferatur, quod comprehendantur in alijs clauſulis ſubſequentibus præcipuè in §. 8., Non, inquam, obeſſe poteſt, quia ille §. octauus ſtat ampliatiuè in ordine ad illam pænam dumtaxat, quæ ibi imponitur, quæ eſt excommunicationis latæ ſententiæ, non in ordine ad præmiſſa.

Quoad alias pænas Sixtus V. non comprehendit conſulentes.

In pœnalibus nō valet argumentum à minori ad maius.

Dices *Sixtus V. in §. 5. ſuæ conſtitutionis* expreſsè afficit huiuſmodi pænis iure diuino, & humano, ſiue canonico, ſiue ciuili, ne dum propinantes venena ſterilitatis, vel impedientes conceptum, ſed etiam conſulentes talem propinationē ad eundem effectum, ergo à fortiori præſumendus eſt voluiſſe afficere nedum propinantes potiones ad abortum fætus animati inducendum, ſed etiam ſuadentes, & conſulentes; ſi etenim hoc præſtitit in ordine ad id, quod minus eſt, præſumendus eſt à fortiori hoc voluiſſe præſtare in ordine ad id, quod maius eſt. Sed contra, quia in pænalibus non valet argumentum à minori ad maius potiſſimum in negatiuis *Curtius Iunior conſ. 157 num. 30., & Cardin. Tuſcus pract. concl. tom. 1. lit. A. concl. 501. nu. 13.* Hic autem verſamur in negatiuis, cum verſemur in præcepto, ne fiat abortus, neue inducatur ſterilitas.

Mandantes expreſsè includuntur.

Ratio ſecundæ partis quoad mandantes ex eo deducitur, quia iſti expreſsè cōprehēduntur in diſpoſitione pænali eiuſdem Sixti V., cum dicat, *Qui per ſe, vel per interpoſitas perſonas abortum fætus animati procurauerint*, & deinde immediatè ſubdit allegatis pænis iure diuino, & humano impoſitis contra veros homicidas; Qui autem hoc præſtat per interpoſitas perſonas, vtique præſtat per mandatum, ergo &c.

4 Conſulētes, & mādantes nō incurrunt excōmunicationem effectu nō ſecuto.

Aſſertio IV. Conſulentes, & mandantes non contrahunt excommunicationē, nec alias pænas, ſi effectus abortus fætus animati non ſequatur, ſeu fuerit ſecutus *Nouarius in ſumma bullarum tom. 2. tit. de abortu num. 22., Diana d. part. 7. tract. 5. de abortu reſol. 10.*

Ratio ex eo deducitur, quia principales perpatrantes idem delictum abortus fætus, quantumuis animati, ſi effectus non ſequatur, non contrahunt huiuſmodi

pænas

riculo, quo premitur, ita, nec liceat per media poſitiua, & directè abortum fætus inanimis, nec ſterilitatem procurare in ordine ad eandem matrem liberandam. Sed quidquid ſit de illo aſſumpto, de quo occurret infra ſermo vberimus, alij conantur aſſignare diſcrimen inter vtrumque caſum ſitum in eo, quod, quando periclitatur mater prægnans in vita, cui alia via ſubueniri non poſſit, niſi emittendo fætum conceptum, tunc fætus ipſe conceptus ſit quaſi actualis aggreſſor aduerſus vitam eiuſdem matris, cuius periculum eſt præſentaneum, non ſic autem res ſe habet, quando mater ſumit pharmaca ad inducendam ſterilitatem, & ad efficiendum, ne concipiat, quia tunc nullus eſt aggreſſor actualis, nec periculum illud eſt præſentaneum; licitum autem eſt inuaſorem actu repellere, non ſic autem eum, qui actu non inuadit; atq; ita ſentiunt, & reſpondent *Diana part. 5. tract. 14. reſol. 90. verſ. ſed quia ego puto*, *Sanchez de matrim. lib. 9. de debit. coniug. diſp. 20. nu. 10.*, *Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrim. c. 9. num.* 8. Sed aſſumptum, cui innititur hoc diſcrimen, nimium probat; probat etenim in primis, quod, ſi vita matris periclitaretur, & fætus etiam eſſet animatus, liceret matri directè intendere, & procurare abortum eiuſdem fætus, quandoquidem actu aggreſſorem, quantumuis adultum licet aggreſſo occidere; probat ſecundo, quod, quādo quis ex ſuperabundantia ſeminis graui vitæ periculo ſubiaceret, poſſet directè procurare pollutionem, & eiuſdem ſeminis emiſſionem, quod nulla ratione videtur dicendum; ſemen etenim illud eſſet quaſi actu aggreſſor. Quamobrem pro nunc breuitèr dico hanc difficultatem, ſeu ſolutionem huius difficultatis pendere ex ijs, quæ infra dicentur prænot. 11., ad quæ vos remitto.

Fætus nō eſt propriè aggreſſor.

Ex ijs, quæ hactenus dicta ſunt in hac ſecunda parte aſſertionis, eiuſque probatione, habes, quod, ſi vir, vel fæmina in
8 copula carnali ſe retrahant, ſi ſint verè coniuges, adeo vt poſt fæminæ ſeminationem vir non ſeminet, vel fæmina poſt ſui ſeminationem non ſemen virile recipiat, non committant quidem crimen abortus, grauiſſimè tamen peccent. Ratio primæ partis eſt, quia propriè non eſt abortus, vbi non eſt fætus conceptio; conceptio autem non eſt, vbi non eſt ſeminatio viri, aut eiuſdem ſeminis receptio in vas muliebre, vt ſupra. Ratio ſecundæ partis ex ſuperius dictis deducitur, quia copula coniugalis, & ſeminis effuſio ex natura ſua ordinatur ad prolis generationem, & propagationem ſpeciei; fruſtrare autem naturam tali fine, & ordine non leue peccatum eſt. Dixi, *& ſeminis effuſio*, nam ante effuſionem ſeminis deſiſtere à copula incohata conſentiente vtroque coniuge nullum peccatum ſaltem læthale eſt; nam tunc ex vno capite ſemen non fruſtratur ſuo fine, cum ex parte nullius ſit emiſſum, & cum vterque coniux in illam deſiſtentiam conſentiat, nulli ſit iniuria; Neque dicas, non licere illam vaſis penetrationem, quandoquidem eſt actus per ſe illicitus, niſi ordinetur ad veram generationem prolis per realem ſeminationem; contra enim eſt, quia huiuſmodi actus ſine ſeminatione ſunt tantum quidam tactus partium pudendarum, qui ratione ſtatus matrimonialis ſunt per ſe liciti ipſis coniugibus, cum poſſint ordinari ad honeſtum finem, nempè ad mutuum amorem fouendum, vel ad alium ſimilem; ceſſare autem in huiuſmodi actibus à ſeminatione poteſt etiam aliquo fine cohoneſtari, vt ſcilicet conſulatur valetudini, cui effuſio ſeminis poteſt eſſe noxia, vt tollatur ſuperabundantia filiorum, quos conuenientèr alere non poſſint. Cauendum tamen eſt, ne ſit periculum emiſſionis ſeminis extra vas, quia tunc ratione talis periculi eſſet peccaminoſa illa deſiſtentia à copula incohata.

Coniuges ſe retrahentes in copula carnali, ne ſeminent, peccant grauitèr, non committunt crimen abortus.

PRÆNOTIO IX.

An incurrant pœnas abortus ipſę matres prægnantes illum in ſe ipſis procurantes.

SVMMARIVM.

Ratio difficultatis eſt quoad pænam excommunicationis. 1.
Rationes ſuadentes non incurrere. 2.
Etiam ipſæ mulieres prægnantes incurrunt pænam excommunicationis. 3.
Soluuntur rationes oppoſitæ. 4.

IPſas etiam matres prægnantes incurrere omnes alias pænas temporales comminatas contra procurantes abortum fætus animati, ſi illum in ſe ipſis procurent, eſt certo certius, cum Sixtus V. in prima parte ſuæ conſtit. Incipient. *Effrænatam* iniungendo pænas temporales exprimat ipſas etiam prægnantes ad quas extendit huiuſmodi pænas. Difficultas ſolummodo eſt, an vltra pænas temporales contrahant etiam excommunicationem latam ab eodem Sixto V. in ſecunda parte eiuſdem conſtitutionis. 1

1 Ratio difficultatis eſt quoad pænā excōmunicationis.

Ratio dubitandi ex eo oritur, quod idem Pontifex, qui prius in prima parte

pænas per ea, quæ habentur in §. 1. eiuſdem conſtitutionis Sixtianæ, & per ea, quæ nos ſupra probauimus, ergo multo minus effectu non ſecuto contrahent tales pænas minus principales, ſcilicet conſulentes, ſeu mandantes. Deinde quoad mandantes expreſsè habetur in eadem conſtit. Sixtiana, vbi ſubduntur huiuſmodi pænis illi, qui per interpoſitas perſonas abortum procurant effectu ſecuto, ergo eodem non ſecuto non contrahent tales pænas *arg. reg. incluſio vnius eſt excluſio alterius, & item arg. contrariorum*; Neque dicas, per ſuperius dicta in pænalibus non valet argumentum a minori ad maius, ergo nec valet argumẽtum, quod, ſi magis principales non contrahunt huiuſmodi pænas effectu non ſecuto, nec contrahere debeant eodem non ſecuto minus principales, ſeu conſulentes, & mandantes; contra enim impugnaberis, quia, vbi ad incurrendam pænam requiritur delictum cum talibus, vel talibus qualitatibus determinatis, tale requiritur reſpectu eorum omnium, qui concurrunt ad tale delictum; vnde non excluduntur à talibus pænis minus principales, quia ab eiſdem excluduntur magis principales, ſed quia nec magis, nec minus principales contrahunt delictum in illa qualitate, quæ ex diſpoſitione iuris requiritur ad incurrendas pænas iniunctas eidem delicto.

Rationes pro aſſerto.

5 **Suadens reuocato mandato ante executionem nõ incurrit pænas.**

Aſſertio V. Mandantes, ſi ante executionem operis reuocauerint mandatum, & reuocatio ipſa innotuerit mandatario, non incurrunt excommunicationem, nec alias pænas iuris, quantumuis mandatarius poſtea exequatur mandatum in abortu fætus animati. Deducitur ex ijs, quæ nos probauimus *tom. de reſtitut. ſub tit. de reſtitutione 1. prænot. 12. ſect. 1. num. 5.*, eamque in ſimilibus terminis ſuſtinent *Leſſius de iuſt. & iure lib. 2. c. 13. dub. 3. num. 12., Petrus à Nauarra lib. 3. de reſtitutione c. 4. num. 27., Medina C. de reſtit. q. 7., & alij magis communiter.*

Ratio ex eo deducitur, quia poſita reuocatione mandati ante executionem operis, quæ reuocatio fuerit intimata mandatario, ipſa executio operis nullo modo eſt imputabilis ad culpam ipſius mandantis, ergo ipſe mandans nullo modo contrahit pænas impoſitas contra mandantes aliquod maleficium, ſeu opus peccaminoſum. Antecedens probatur, quia omnis ratio agendi in mandatarijs dependet à voluntate ſiue implicita, ſiue expreſſa mandantis, ſine qua non agit, vt mandatarius, & nomine mandantis, ſed vt principalis, & nomine proprio, in quo caſu actio non imputatur mandanti, ſed ipſam exercenti, ſed, quando mandatum intelligitur reuocatum, & reuocatio intimata mandatario, non eſt amplius voluntas mandantis influens in illam actionem, ſed potius remouens ab eadem, ergo non eſt amplius ratio agendi in mandatario nomine mandantis, adeoq; illa actio, ſi euenerit, non erit imputanda mandanti, qui propterea non incurret pænas illius actionis.

Mandatũ totã vim habet à voluntate mãdantis.

Aſſertio VI. Conſulentes efficacitèr abortum fætus animati, & oſtendentes in illo conſilio vtilitatem, quam inde conſequi poteſt vxor prægnans, ſi abortiatur, & ſumat pharmaca iuxta conſilium, non euitant pænas conſulentium, ſi talis effectus ſequatur, quantumuis antecedentèr ad executionem operis reuocauerint conſilium. Conſonat cum ijs, quæ nos docuimus *tom. de reſtitut. ſub tit. de reſtit. 1. prænot. 12. ſect. 2. num. 12.*, & docet *Leſſius lib. 2. de iuſt. & iur. c. 13. dub. 3. num. 16.* 6

Cõſulens nõ euitat pænas reuocato conſilio, ſi in illo oſtẽderit vtilitatem conſulti.

Pro clariori notitia præſentis aſſertionis aduerte primo conſilium conſulentis poſſe procedere ex duplici motiuo, quorum alterum ſit, quod exhibeat maximam vtilitatem, quæ inde prouenire poſſit perſonæ, quæ recipit tale conſilium, vt ſi conſulat puellæ prægnanti ex concubitu illicito, vt abortiatur, eidem proponens, quod ex eodem abortu euitabit mortem ſibi à parentibus, & cognatis imminentem, & item infamiam, ratione cuius nõ poterit nubere cum perſona æqualis conditionis, quod, ſi non præſtiterit morti ſubiacebit, cum parentes, & cognati in huiuſmodi delictis ſint vltricis naturæ, & ſoliti minas exequi, alijſq; innumeris damnis, & incommodis, prout re vera reſultabunt; alterum, per quod non exhibeatur illa vtilitas, & vitatio damnorum, ſed præcisè ſenſus eiuſdem conſulentis, qui hoc præſtaret in ſe ipſo, ſi in ſimili caſu eſſet conſtitutus. Procedit aſſertio de conſilio iuxta primum ſenſum accepto, quæ ſic

Probatur, quia in hac hypotheſi potiſſima, & principalis ratio, quæ mouet operantem ad executionem operis, eſt vtilitas, quam propoſuit conſulens reſultare ex illo opere, prout re vera reſultat, ſed non obſtante reuocatione conſilij illa ratio motiua adhuc perſeuerat, ergo, ſi non obſtante reuocatione adhuc operans perſeueret in volũtate iam mota ad operandum, & de facto operetur adhuc conſulens ipſe obligabitur, cum ex cauſa ipſius, ſeu motione illa actio, ſeu effectus promanarit. Confirmatur, quia, ſi quis alicui arma ſuppeditarit conſulendo, vt inimicum occidat, non deobligatur ab onere homicidij, quantumuis conſilium

Perſeuerat conſilium in motiuo.

re-

retractet, & ſuadeat arma deponere, niſi de facto arma abſtulerit, ſi inimici mors ſequatur, ergo, qui per conſilium, ex quo manifeſtè reſultet vtilitas eius, qui tale conſilium recepit, incitauit animum ipſius ad nocendum, non deobligabitur ab onere, quantumuis conſilium retractet, ſi executio dependentèr ab illo conſilio perſeuerante motiuo vtilitatis in effectu ſequatur. Alias plures rationes ad hanc materiam ſeruata proportione conferentes cum ſolutionibus argumentorum contrariæ opinionis, vide *d. tom. de reſtit. 1. prænot. 12. ſect. 2. num. 11. per totum.*

PRÆNOTIO XI.

An liceat prægnanti ad vitandum periculum mortis in morbo ſumere pharmaca, ex quibus poſſit ſequi abortus.

SVMMARIVM.

Remedia duplicis generis. 1.
Mulier in periculo vitæ, quod nequit aliter euitare, poteſt ſumere remedia primi generis. 2.
Intellige, quando fœtus non eſt adhuc animatus. Ibid.
Non tamen poteſt ſumere remedia ex ſe tendentia ad fœtus etiam inanimis eiectionē. 3.
Si remedium æque tendat ad ſalutem matris, ac ad fœtus inanimis eiectionem poteſt mater licitè illud ſumere. 4.
Etiam, ſi fœtus fuerit animatus, poteſt mater ſumere remedia primi generis. 5.
Si fœtus fuerit animatus, non eſt licitum matri ſumere remedia ſecundi generis. 6.
Poteſt tamen ſumere remedia tertij generis. 7.
Extante ſpe, quod proles poſſit edi viua, & baptizari, tenetur matri ab huiuſmodi remedijs abſtinere. 8.
Si mater ſit in ſtatu peccati mortalis, & non poſſit ſibi conſulere, poteſt ſumere remedia primi generis. 9.

1 *Remedia duplicis generis, & quænam.* Remedia, quibus procurari poteſt infirmæ matris ſalus, ſunt in duplici differentia, alia, quę ex ſui natura directè, & principalitèr ordinantur ad ſanitatem, quam habent cauſare, licet ex earum ſumptione ſequi poſſit, vel ſequatur abortus; alia, quæ ex natura ſua, & directè diriguntur ad immaturi fœtus eiectionem, ex qua poteſt matris ſalus contingere. Primi generis ſunt venæ ſectio, ſudarium, balneum, pharmacum purgatiuum humoris, emplaſtrum mitigatiuum doloris, & alia huiuſmodi. Secundi generis ſunt venenum, dilaceratio, percuſſio, &c.

Rurſus in ordine ad huiuſmodi remedia poteſt tertium quoddam genus excogitari, quod ſcilicet æqualitèr tenderet, & ad ſalutem matris & ad fœtus abortum, qui fœtus etiam in hoc caſu poteſt conſiderari, vel prout eſt anima informatus, an verò vt informis, & inanimis. *Tertium genus remediorū.*

Rurſus in ordine ad eadem remedia poteſt triplex ſtatus matris prægnantis conſiderari; primus eſt, quo ipſa non ſumendo talia remedia ſit in morali periculo vitæ, & ſit moralis ſpes, quod fœtus naſcatur viuus. Secundus, quo ſine talibus remedijs, & medicamentis æquale ſit periculum vitæ tam matris, quàm fœtus, & cum illis ęquè poſſit ſperari ſalus matris, ac timeri abortus fœtus, quatenus remedia applicanda æqualitèr tendant, & ad ſalutem matris, & ad fœtus interitum. Tertius, quo cum illis remedijs timeatur certa mors fœtus, & moralis ſpes habeatur vitæ matris. Hoc vnum adderem poſſe contingere, vt ſine illis remedijs ſperetur, vt fœtus edatur viuus etiam moriente matre (qui caſus certè non videtur metaphiſicus, cum *Diana parte 7. tract. 5. reſol. 37.* teſtetur ſe præſente bis contigiſſe, vt mortua iam matre fœtus ſit ortus viuus, & baptizatus) in quo caſu quæri poteſt, an ad ſalutem ſpiritualem fœtus teneatur mater abſtinere à talibus remedijs, & hoc etiam, ſi probabilitèr timeat ſe eſſe in ſtatu peccati læthalis. Iuxta has omnes conſiderationes præſens titulus examinabitur. *Triplex ſtatus matris prægnantis.*

Aſſertio I. Si mulier prægnans ob morbum ſit in tali ſtatu conſtituta, vt nō ſit moralis ſpes vitæ, niſi ſumat talia remedia, licitum eſt eidem remedia primi generis ſumere, quando fœtus adhuc non eſt animatus, etiam ſi inde poſſit ſequi eiuſdem fœtus eiectio *D. Antoninus 3. part. tit. 7. c. 2. §. 5., Nauarrus in man. c. 25. num. 62., Henriquez lib. 12. c. 16. num. 8., Graſſius prima part. deciſ. lib. 2. c. 92., Azorius part. 3. lib. 2. c. 2. q. 4., Baſilius Pontius lib. 10. c. 13. nu. 2., Naldus in ſumma verb. abortus nu. 3., Homobonus de caſ. reſeru. part. 3. c. 67., Diana part. 7. tract. 5. reſol. 34.*, qui etiam aſſerit eſſe communem inter Neotericos, & alij innumeri, quos citat, & ſequitur *Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrim. c. 9. num. 80.* 2 *Mulier in periculo vitę, quod nequit aliter euitare, poteſt ſumere remedia primi generis.*

Probatur primo, quia actiones humanæ ex fine, & obiecto ſuo redduntur bonę vel malæ, nec tali bonitate, vel malitia fruſtrantur ex ijs, quæ per accidens, & præter operantis intentionem ſequuntur *D. Thomas 2. 2. q. 64. art. 7. in corpore, Valentia tom. 3. diſp. 5. q. 8. punct. 2. in fin.*, & omnes fere Theologi in quæſt. de actibus humanis, ſed obiectum, & finis, ad quod, ſeu

Digitized by Google

Finis, ad quem ordinatur tale remedium, non eſt malus.

ſeu quem ordinatur ſumptio talium remediorum ſunt quid ex ſe bonum, vel ſaltem indiferens, & id, quod poteſt ſequi nempè abortus fætus eſt præter intentionem ſumentis, ergo &c. Minor probatur, quia obiectum formale ſumptionis talium remediorum eſt ſanitas matris, ad cuius conſecutionem ordinatur tanquam ad finem, in quo ſiſtit; intendere autem talem ſanitatem ex ſe eſt manifeſtè quid bonum, nec vllam inuoluit malitiam; Neque dicas, quod malitia, quæ in illa actione conſideratur, ſi periculum, cui exponitur fætus, vt abijciatur, cui periculo illum exponere eſt ex ſe peccaminoſum; contra enim impugnaberis, & ſic ſimul.

Mater poteſt præferre vitã propriam in actu ſpei futuræ vitæ fætus.

Probatur ſecundo aſſertio, mater habet ius præferendi propriam vitam in actu ſpei futuræ vitæ alterius, ergo cum nullus peccet vtendo iure ſuo, nec peccabit mater vtendo talibus remedijs, quibus curat propriam vitam ſeruare, licet ex hoc ſequatur periculum mali alterius, nam hoc non eſt finis intentus, nec procuratus, ſed ad ſummum permiſſus; Neque obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, non licere propter ſanitatem acquirendam effundere in pollutione ſemen, adeoq; ad eandem ſanitatem non poſſe licere adhibere remedia, quibus eijciatur fætus iam conceptus. Non, inquam, poteſt obeſſe, quia hoc argumentum non procedit cum recta comparatione; deberet enim ſic procedere, quod ſicuti poteſt mater adhibere remedia cauſatiua propriæ ſanitatis directè intentæ, quamuis per accidens, & præter intentionem ex illis poſſit ſequi fætus eiectio, ita poſſit quis vti remedijs ex ſe ordinatis ad ſalutem propriam, quamuis ex ijs ſequatur, vel ſequi poſſit ſeminis effuſio, dummodo per ſe, & directè hæc non intendatur, quod vtique verum eſſent. Quamobrem ad inſtantiam allatam affero diſparitatem ſitam in eo, quod pollutio, cum directè procuretur, licet ordinetur ad finem bonũ ſanitatis, ſemper eſt ex obiecto mala, nec poteſt cohoneſtari à fine, ad quem dirigitur; medicina autem ex ſe curatiua non eſt ex obiecto mala, cum ſit ordinata à natura ad ſanitatem, adeoq; tanquam medium poteſt per ſe intendi ad bonum finem.

Quamobrem ex ijs patet non eſſe in hoc audiendum *Mazuchellum tract. de caſib. reſeruatis diſp.2.c.3.diffic.3.num.9.*, dum damnat iniquitatis vxorem talia pharmaca ſic ſumentem; non audiendum, inquam, quandoquidem rationes, quibus innititur, nullius roboris videntur eſſe; mouetur enim primo inferendo abſurdum ex noſtra opinione ſitũ in eo, quod, ſi liceret ad ſalutem matris ſumere pharmaca, ex quibus poſſit ſequi fætus abortus, liceret etiam in ordine ad eandem ſalutem ſemen effundere. Secundo, quia, ſi liceret hoc, liceret etiam puellæ prægnanti ad vitandum periculum vitæ, vel famæ, quod ſibi ex partu probabiliſſime timeret abortum procurare, quod non eſt dicendum. Sed hæ rationes facillimè eluduntur ex dictis; non enim nos dicimus, quod directè liceat procurare abortum, ſed ſolummodo, quod liceat pharmaca ſumere ex ſe ordinata ad ſanitatem matris prægnantis, quamuis per accidens, & præter intentionem poſſit inde ſequi abortus, quod idem non videtur repugnare in ordine ad pollutionem, quatenus licitum ſit ſumere pharmaca in ordine ad eundem ſanitatem, quamuis per accidens, & præter intentionem poſſit inde ſequi ſeminis effuſio.

Reijcitur Mazuchellus cum ipſius rationibus.

Aſſertio II. Si fætus adhuc non fuerit animatus, & mater conſtituta ſit in ſtatu, quo eius vita periclitetur ſine ſumptione pharmacorum ex ſe tendentium ad eiectionem eiuſdem fætus probabilius eſt, quod non liceat ea remedia adhibere, quantumuis inde poſſit ſequi ſalus matris periclitantis. *Corduba in ſũma q.137.dic.4., & in quæſtionar.lib.1.q.38.dub.2., Nauarrus in ſumma c.25.num.62., Vaſquez opuſ. de reſtit.c.2. §.1. dub.7.num.29, & c.3.§.5. dub.15., Baſilius Pontius lib.10.c.13.nu.2., Bonacina de reſtit. diſp.2. q.vlt.punct.7.nu.3., Ioannes Lugo de iuſt.tom.1.diſp.10.ſect.5.nu.132., Mazuchellus de caſ. reſeru. diſp.2.c.2.q.1.difficul.3.*, quidquid ex aduerſo ſenſerit *Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrim.c.9. num.85.*, qui num. præced. pro ſua opinione allegat plures. 3

Nõ tamen poteſt ſumere remedia directa tendentia ad fætus eiectionem, quantumuis hic fuerit inanimis.

Ratio ex eo deducitur primo, quia in ordine ad ſalutem propriam, quantumuis aliud remedium non ſuppetat, non eſt licitum directè procurare ſeminis emiſſionem, vt eſt in confeſſo apud omnes, ergo neque in ordine ad ſalutem matris, quantumuis aliud remedium non ſuppetat, erit licitum procurare directè remedia ſecundum ſe primo ad illum ordinata abortum fætus, quantumuis inanimis. Conſequentia probatur, quia tam intrinſecè mala eſt abortio voluntariè, & directè procurata, quam intrinſecè mala ſit pollutio; Neque dicas, diſparem eſſe rationem de effuſione ſeminis, ac de eiectione fætus iam in vtero exiſtentis, quandoquidem, quod in nullo euentu licitum ſit ſemen emittere extra actum coniugij non eſt ob damnum generationis, vt multis latè probat *Sanchez lib.9. de debito coniugali diſp.17.num.16.*, ſed quia adeo vehemens eſt in ſeminis emiſſione

Tam eſt mala abortio voluntaria, quam ſeminis effuſio.

delectatio, vt teſte *Abulenſi c.5. Matthæi n. 184. ad primum*, homines eidem tanquam ſummo bono adhæreant; vnde natura homini vltra actum coniugij eiuſdem ſeminis adminiſtrationem prohibuit, ne facilè ſibi ſuaderent ex cauſa licere eiuſdem emiſſionem, & ſic crebrò ſemen prodigerent; hæc autem, vt per ſe patet non militant in abiectione fætus animati, & propterea &c. Contra enim impugnaberis, quia, vt benè notat Leſſius, non eſt prohibita pollutio propter voluptatem ſenſitiuam, ſed potius voluptas ſenſitiua propter pollutionem; vnde præcipua cauſa prohibitionis pollutionis voluntariæ ſiue in ſe, ſiue in cauſa, eſt, quia ſemen fruſtraretur ſuo fine generationis, ad quem eſt ordinatum à natura; cum etenim ad aliud ſemen à natura non ſit inſtitutum, niſi ad prolis generationem, & propagationem ſpeciei, non eſt relictum in poteſtate, & adminiſtratione hominis niſi ad eum effectum, vnde, ſi aliter de ipſo diſponatur, diſponitur contra naturam, adeoq; &c.

Non eſt prohibita pollutio propter voluptatẽ ſenſitiuã.

Dices vlterius cum *Ioanne Angelo Boſſio tract. de effectibus matrimon. c.9. num. 84., & tom.3. var. mor. tit. 12. num. 12., & ſeqq.* diſparem etiam eſſe rationem inter pollutionem directè intentam etiam in ordine ad ſanitatem, & expulſionem fætus etiam directè intentam ob matris periclitantis ſalutem. Rationem diſparitatis in eo conſtituit, quia quando impeditur generatio per remedia directè tendentia in abiectionem fætus in vtero matris exiſtentis, non impeditur per actum de ſe ordinatum à natura ad generationem; at cum impeditur generatio per vſum rei venereæ, ſeu per actum effundendi ſemen, impeditur per actum, qui à natura eſt ordinatus ad ipſam generationem, adeoq; in hoc inuertitur ordo naturæ, non ſic in priori caſu. Sed contra, quia parum referre poteſt, quod impediatur generatio per actũ à natura ordinatum ad generationem, vel per alium actum, quando directè impeditur eadem generatio per fruſtrationem ſeminis ad eandem ordinati; nam id, quod principalitèr intendit natura, eſt, ne ſemen ipſum fruſtretur voluntariè vel in ſe, vel in cauſa ſuo fine, ad quem ab eadem natura ordinatur; cum ipſum non ſit ad aliud ordinatum, niſi ad prolis generationem, & propagationem ſpeciei, nec conſiderandus eſt modus, quo fruſtratur, dum conſequitur effectus ipſe fruſtrationis.

Reijcitur diſparitas aſsignata à Boſsio.

Dices vlterius licitum eſt perimere inuaſorem propriæ vitæ in ipſo actu inuaſionis per ea, quæ latè docuimus *tom. de reſtit. ſub tit. Reſtit. I. Prænot. XV. ſect. 7. num. 10., & ſeqq.*, ſed fætus in hac hypotheſi ſupponitur tanquam aggreſſor matris periclitantis, cum illo eiecto non periclitaretur, ergo licitum eſt illum interimere, & eicere per remedia ad ipſum tendentia directè. Huic argumento multum videntur fidere aduerſarij. Sed contra, quia ex dictis in præcedentibus hoc argumentum nimis, & etiam contra aduerſarios probat; probat enim primo, quod etiam, ſi fætus fuerit animatus, poſſit per talia remedia directè tendentia ad ipſius abortum interimi. Certè, quantumuis ſit adultus, qui alterum aggrediatur in actu ipſo aggreſſionis, poteſt ab aggreſſo impunè, & licitè occidi; quod tamen non fatentur aduerſarij. Secundo, quia, ſi quis ſuperabundaret ſemine, & ex illa ſuperabundantia eidem immineret periculum mortis, poſſet directè illud effundere, cum ſit quaſi aggreſſor, quod tamen nec ipſi aduerſarij admittent.

Reijcitur inſtantia, qua dicitur fætum eſſe actu aggreſſorem.

Quamobrem directè ad inſtantiam reſpondet *Azorius part.3. lib.2. c.1. q.2.* non poſſe inuaſorem ab inuaſo occidi, niſi inuadat iniuſtè; iniuſtè autem non inuadit fætus matrem, cum non ſit compos rationis. Sed non placet hæc reſponſio, tum quia bannitus ad mortem, ſi non poteſt alia via ſe defendere, poteſt inuaſorem occidere, & tamen inuaſor non iniuſtè inuadit, cum inuadat, vt miniſter Iuſtitiæ vindicatiuæ *Nellus tract. de bannitis part.2. q.49.*, tum quia furioſus, quamuis ſit pater, aut filius, ſi inuadat aliquem, & non ſit via ſe tuendi, poteſt inuaſus inuadentem occidere *ex c. furioſus clem. de homicid.*, & tamen inuadens, cum non ſit compos rationis, ſicuti non eſt fætus animatus, non eſt iniuſtus ſaltem poſitiuè.

Reijcitur reſponſio, qua dicitur fætum non eſſe iniuſtum inuaſorẽ.

Reſpondent alij, inuaſum non poſſe primaria intentione intendere necem inuaſoris, quamuis media ex natura ſua ad illam ordinata adhibeat, ſed ſolummodo propriam defenſionem, ad quam ex medijs illis, quibus intendit propriam defenſionem, conſequitur mors inuadentis, ſicque matrem non poſſe primaria intentione per talia media intendere eiectionem fætus, benè tamen per ipſa intendere primario propriam ſalutem, quamuis poſtea neceſſario ex ipſis ſit ſecuturus eiuſdem fætus interitus; Sed nec ſatisfacit hæc reſponſio, nam cum media directè, & ex natura ſua tendant ad deſtructionem fætus, parum ad rem noſtram facit, quod dicatur intentio ad aliud primario referri, ſicuti parum faceret, nec excuſaretur ille, qui directè per media ex natura ſua, & neceſſariò cauſatiua procuraret in ſe pollutionem, ſed diceret ſe primario illam non intendere, ſed ſolum propriam ſanitatem. Deinde plurimi docent inter quos *Sotus lib.5. de iuſt. q.1. art. 8., Victoria*

Reijcitur alia reſponſio.

relect.

releſt. de homicidio nu. 17., *Nauarrus c.* 15. *num.* 3., *D. Antoninus* 3. *part. tit.* 4. *c.* 3. §. 1., *Petrus à Nauarra lib.* 2. *de reſtit. c.* 3. *n.* 342., *Leſſius de iuſt. & iur. lib.* 2. *c.* 9. *num.* 53. non ſolum licere aggreſſo in actu aggreſſionis intendere propriam defenſionem, ſed etiam mortem inuaſoris tanquam medium neceſſarium ad propriam defenſionem, & ad propriam vitam conſeruandā.

Fætus non eſt propriè aggreſſor matris. Reſpondeo igitur ad inſtantiam, fætū non eſſe propriè aggreſſorem matris; nam aggredi eſt vim inferre inuito per media violenta per ſe ordinata ad interitum; non ſic autem ſe habet fætus aduerſus matrem, & per accidens eſt, quod, quandoque ſit nociuus, & conferens ad interitum eiuſdem, cum vt plurimum fætus non afferat matri internectionem, & mater in ſe ipſa ipſum admittit non inuita, ſed conſentiens, nam conſentiendo in matrimonium, & in copulam carnalem iam intelligitur conſenſiſſe in ea omnia incommoda, quæ ex ipſa copula poſſunt contingere, & ſic concepto fætu, ſi ab ipſo vim patitur non poteſt propriè dici aggredi, cum non cenſeatur inuita ſaltem voluntate antecedenti. Quod, ſi ſupponas mulierem per vim cognitam fuiſſe a fornicario, & concepiſſe; tunc dicam poſſe conari, vt ſemen reijciat, quia tunc intelligitur per vim inuaſa à ſtupratore, cuius inuaſio perſeuerat in ſemine, quouſque fætus non ſit animatus, prout docet *Marchantius in reſol. Pa. part. prima c.* 6. *q.* 21. Quod, ſi fætus ad animationem deuenerit, tunc non poterit amplius ipſum directè eicere, quia tranſijt in tertiam quandam perſonam, nec ipſa eſt inuaſor, ſed fuit vir ſtuprator, ex cuius crimine non debet hæc perſona pati.

Dices vlterius, quod cum ex vna parte fætui vita non adimatur, cum non ſupponatur viuere, & ex alia parte ſaluti matris poſſit certo moraliter conſuli, non appareat, cur cum tanto vitæ ſuæ diſcrimine teneatur conſeruare fætum inanimatum, cum habeat ius præferendi propriam vitam ſpei futuræ vitæ alterius.

Alia aduerſariorum inſtātia diſſoluitur. Sed cōtra primo, quia hac ratione, quando ex ſuperabundantia ſeminis periculum ſubeſſet, poſſet ille, qui ſuperabūdat, illius emiſſionem directè procurare, cum tunc etiam præferret vitam propriam vitæ alterius in ſpe in illo ſemine exiſtentis. Secundo, quia, ſi hoc ſubſiſteret, liceret etiam fætum animatum interimere, quia non minus videtur licitum potius ſeruare propriam vitam, quam vitam alterius cæteris paribus, quam præferre vitam propriam vitæ alterius in ſpe; licet enim videatur, quid magis vita alterius in actu, quam tantum in potentia, & in ſpe, negari tamen non poteſt, quin licitè poſſit quis ſibi in vita conſulere, quam alteri, & præferre vitam propriam alienæ.

Dices vlterius, licet pro ſalute totius partem puta manum, bracchium, aut pedem præſcindere, vt euenit in eo, qui in parte aliqua mortifero offenſus eſt veneno, ex quo, ſi pars illa offenſa non præſcindatur, tabes imminet, & mors toti. Immo docent *Leſſius de iuſt. lib.* 2. *c.* 9. *dub.* 14., *Toletus lib.* 5. *c.* 6., quod, ſi tirannus minaretur alicui mortem, ſi ille ſibi oculum non effoderet, aut truncaret manū ad euitandam mortem poſſet ille oculum fodere, & ſibi manum amputare, quamuis abſolutè nemo poſſit ſe ipſum mutilare, cum nemo ſit dominus ſuorum membrorum *l. liber homo ff. ad leg. Aquil.*, ergo etiam mater ad ſaluandam propriam vitam poterit abortum procurare, cum fætus in ventre matris ſit pars ipſius, ſicuti fructus ab arbore pendens eſt pars arboris. Sed contra, nam fætus in vtero matris maximè, ſi ſit animatus, non eſt pars matris, ſed tertia perſona ab ipſa diſtincta, vnde eædem rationes non militant pro fætu, quæ pro parte, nam pro fætu militat ratio innocentis, quæ non militat pro parte, maximè, ſi ſit infecta, pro fætu militat, quod non ſubordinetur matri, ſicuti pars ſubordinatur bono totius. **Fætus in vtero matris non eſt pars ipſius.**

Quod, ſi hic inquiras, cur liceat ob bonum totius præſcindere partem, & non liceat ob eiuſdem bonum emittere ſemen? Reſpondeo hoc prouenire, quia ſemen, cum à natura ſit ſolummodo ordinatum ad prolis generationem, & propagationem ſpeciei, non eſt commiſſum dominio, & adminiſtrationi hominis, niſi in ordine ad vſum coniugalem, ex quo eadem ſpecies poſſit propagari; membra autem hominis, cum ſint à natura ad indiuidui bonum, & incolumitatem deſtinata, adminiſtrationem ipſorum homini deſtinauit, non quatenus poſſet pro libertate diſponere, ſed vrgente neceſſitate in bonum totius, vt poſſit idem totum ſeruari. **Ratio, cur ob bonū totius liceat reſcindere partem, & ob bonū eiuſdem nō liceat ſemen effundere.**

4 **Si remediū æquè tendat ad matris ſalutem, ac ad fætus inanimis abortum poteſt ſumi.**

Aſſertio III. Si fætus nondum fuerit animatus, & remedium æquè aptum ſit ad ſanitatem matris, ac ad eiuſdem fætus interitum, ſeu eictionem probabilius eſt, quod licitè poſſit mater illud ſumere. *Sanchez d. lib.* 9. *de debit. coniug. diſp.* 20. *n.* 18., *Trullench. in Decalogum tom.* 2. *lib.* 5. *c.* 1. *dub.* 4., *Diana part.* 7. *tract.* 5. *de abortu reſol.* 36.

Ratio ex eo deduci poteſt primo, quia, quando remedium æquè tendit ad ſalutem matris, ac ad eiectionem fætus mater ſumens illud remedium non dicitur directè procurare eiuſdem fætus abortum, ſicuti dicitur procurare, quando adhibet re-

Digitized by Google

remedia ex ſe directè; & ex genere ſuo ordinata ad talem abortum; ſiquidem id, quod intendit mater in tali ſumptione, eſt propria ſanitas, quam apta ſunt conferre illa remedia; quod, ſi deinde eque poſſit ex illa ſumptione ſequi fætus eiectio, hoc non cadit ſub ipſius intentione. Confirmatur, quia potius ius habet mater ad ſuam vitam conſeruandam, quam illam fætus, cum hic pendeat à matre, non è contra, ergo vtendo iure ſuo in ordine ad propriam vitam ſeruandam poterit remedium illud ſumere, quod æquè eſt cauſatiuum propriæ ſanitatis, ac abiectionis fætus, ſiquidem per hoc ſibi potius conſulit, quam fætui; Neque dicas, quod, cum illud remedium ſupponatur æquè aptum ad vtrumque effectum, mater illud ſumendo non merè negatiuè, ſed poſitiuè conſtituat fætum ipſum in manifeſtum, & quodamodo certum periculũ, vt abijciatur; conijcere autem alterum in certum abiectionis diſcrimen videtur ex genere ſuo malum; Contra enim impugnaberis, quia abſolutè dici non poteſt, quod poſitiuè ipſa mater conſtituat fætum in illo diſcrimine, ſed ſolum, quod permiſſiuè ſinat illum in illud periculum deſinere; non enim ideo ſumit, vt fætus abijciatur, ſed vt ſibi conſulat per remedium, vtique aptum ad ſibi conſulendum, & ordinatum ad ſanitatem ex ſui natura; Quod, ſi ſimul, & ſemel eſt aptum ad prolis abiectionem, hoc ipſa poſitiuè non intendit, ſed ſinit ſolummodo, vt id efficiat, quod ipſa non poteſt impedire.

Obiectũ directum talis intentionis eſt ſanitas matris.

Rationem ex eo deduco ſecundo, quod matre tale remedium non ſumente imminet eidem fætui certus moralitèr infelix exitus, ſiquidem, ſi mater non ſumeret, certo moralitèr periret, pereunte autem matre, cum fætus ille ſupponatur adhuc inanimis, non habere poteſt exitum vitæ; quod, ſi ſupponas, quod matre non ſumente tale medicamentum ante matris mortem fætus poſſet ad vitam deuenire, adhuc pereunte matre eſt certus moralitèr eiuſdem etiam interitus, cum vix caſus reperiatur medicorum iudicio, quod viuus poſſit edi, quod, ſi quandoque contigerit, vt contigiſſe teſtatur *Diana part. 7. tract. 5. de abortu reſol. 37.*, & per conſequens contingere etiam poſſit, quod fætus mortua matre viuus poſſit extrahi, hoc tamen non officit, cum mater poſſit præferre propriam vitam vitæ futuræ alterius, quando directè, vt poſitiuè in vitam alterius, quantumuis futuram non inuehit, vt contingit in caſu noſtro.

Alia ratio pro aſſertione.

Aſſertio IV. Si fætus fuerit animatus, & mater non ſumendo talia remedia ſit in tali ſtatu, vt ſit in morali periculo vitæ ſiue nulla ſit ſpes, quod proles edatur viua, ſiue adſit talis ſpes, attenta præciſè natura rei licitum eſt matri in ordine ad propriam ſalutem ſumere remedia primi generis. *Lugus de iuſtitia tom. 2. diſp. 10. ſect. 5.*, *Laiman lib. 3. tract. 3. part. 3. c. 4. num. 4.*, *Dicaſtillus de iuſt. lib. 2. tract. 1. diſp. 10. dub. 13. nu. 166.*, *Diana 3. part. tract. 5. reſol. 11.* 5

Etiam, ſi fætus fuerit animatus mater exiſtẽs in periculo vitæ poteſt ſumere remedia primi generis.

Ratio ex eo deducitur, quia, ſi quid prohiberet talium pharmacorum ſumptione maximè præceptum non occidendi innocentem, & finis propagationis ſpeciei; neutrum autem ex his obſtat; Non primum; tum quia talis occiſio per ſe primo, & directè non intenditur, ſed omnino ſequitur per accidens, & præter intentionem ſumentis, ſiquidem talia remedia ſunt talis generis, vt per ſe, & directè ſint cauſatiua ſanitatis, & ſolummodo indirectè, & per accidens poſſint afferre fætui interitum; Tum quia interficere aliquem in caſu neceſſitatis ad ſaluandam propriam vitam præter intentionem non eſt à ratione alienum, vt pluribus illuſtrat exemplis *Diana part. 7. tract. 5. de abortu reſol. 35.* Sic inuadente fera matrem prægnantem poteſt mater feſtinanter fugere, quamuis ex tali feſtinata fuga certo timeatur fætus animati interitus; Sic Rheda, ſeu equo vectus ab aggreſſore timens certum interitum per viam anguſtam poteſt licitè fugere, in qua puer iacens neceſſariò ſit proterendus. Non item obſtat ſecundum, quia finis propagationis ſpeciei non obligat cum tanto diſcrimine matris, cum vnuſquiſque ex lege eiuſdem naturæ primario teneatur conſeruare ſe ipſum; tum quia, ſi hic finis obſtaret, quo minus mater poſſet ſumere huiuſmodi pharmaca, quando fætus eſt animatus, obſtaret etiam, quando fætus adhuc eſſet inanimis, quod tamen eſt contra DD. communiter, & contra ea, quæ nos in præcedentibus latè probauimus.

Mors, & interitus fætus prouenires per accidens, & præter intentionẽ.

Exemplã euincẽtia intẽtum.

Dixi *attenta natura rei*, quod referendum eſt ad caſum, quo ſit ſpes, vt proles poſſit edi viua; nam attento ordine charitatis, ſecundum quem ſalus ſpiritualis alienæ ſalutis præferenda eſt ſaluti temporali propriæ, certum eſt, quod teneatur mater abſtinere à talibus remedijs, vt proles poſſit edi, & baptizari; de qua re infra latius.

Quandoque attẽto ordine charitatis tenetur abſtinere.

Aſſertio V. Si fætus fuerit animatus etiam in ordine ad ſaluandam propriam vitam nõ eſt licitum matri ſumere pharmaca ſecundi generis, quæ ſcilicet directè, & ex natura ſua primario tendunt ad internectionem fætus. *Sanchez lib. 9. de debit. coniug. diſp. 20. num. 7.*, *Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrim. c. 9. nu. 127.* apud quos alios innumeros inuenies. 6

Si fætus fuerit animatus nõ eſt licitũ matri ſumere remedia ſecundi generis.

Pro-

Probatur, quia homicidium innocentis eſt ab intrinſeco, & ex natura ſua malum, quando eſt directè voluntariè ſiue in ſe, ſiue in cauſa intentum, ſed ſumere huiuſmodi pharmaca ex ſe directè, & ex natura ſua tendentia ad abortum fætus, quando eſt animatus, eſt directè, & voluntariè ſaltem in cauſa intendere mortem, ſeu homicidium innocẽtis, ergo hoc erit ab intrinſeco malum; Neque dicas, eſſe quidem ab intrinſeco malum intendere homicidium, ſeu mortem innocentis tanquam finem vltimum in ſe, non autem illud intendere tanquam medium ad ſanitatem acquirendam; contra enim impugnaberis, quia, quod eſt ab intrinſeco malum non poteſt cohoneſtari, quantumuis dirigatur ad finem bonum, ſic quia pollutio eſt ab intrinſeco mala non eſt licita, quantumuis ordinetur tanquam ad finem bonum, nempè ſanitatis acquirendæ.

Quod eſt ab intrinſeco malũ nõ poteſt cohoneſtari.

Plurima argumenta aduerſus hanc noſtram, & communem aſſertionem congerit *Rainaudus de ortu infantium c. 9. à num. 11. ad plures ſeq.*, ſed quia eiſdem in præcedentibus ſatisfecimus non amplius immoramur.

Hic ſolum remanet difficultas, an in caſu, quo fætus ſit animatus, ſaltem ſit licitum matri in graui periculo vitæ conſtitutæ ſumere medicamenta de ſe æquè tendentia, & ordinata ad ſanitatem matris efficiendam, ac ad abortionem fætus animati? Probabilius arbitror, vtique
7 poſſe licitè ſumere *Sanchez d. lib. 9. de debit. coniug. diſp. 20. num. 18.*, *Bonacina de reſtit. diſp. 2. q. vlt. ſect. 1. punct. 7. num. 3. verſ. addo tamen Villalobos 2. part. ſumma tract. 12. diffic. 3. num. 2. in fin.*, *Rainaudus de ortu infant. c. 9. num. 3, & ſeqq.*, *Trullench. in Decalogum lib. 5. c. 1. dub. 4. num. 5.*, *Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrim. c. 9. num. 121.*, *Diana part. 7. tract. 5. de abortu reſol. 36.* Ratio ex eo deducitur, quia hoc non eſt intendere directè mortem fætus animati, ſed propriam ſanitatem, & in æquali periculo poteſt mater ſibi potius conſulere, quam fætui iuxta ea, quæ ſuperius diximus.

Poteſt tamen ſumere remedia tertij generis.

Aſſertio VI. Extante ſpe, quod proles
8 poſſit in lucem viua prodire, & baptizari, tenetur mater ab huiuſmodi remedijs abſtinere attento ordine gratiæ, & lege charitatis, & poſtponere vitam propriam corporalem ſaluti æternæ prolis *Sanchez d. lib. 9. de debit. coniug. diſp. 20. num. 17.*, *Rainaudus de ort. infant. c. 9. num. 21.*, *Leſſius lib. 2. de iuſt. & iur. c. 9. num. 63.*, *Diana part. 7. tract. 5. reſol. 37.*, *Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrim. c. 9. num. 130.*

Extante ſpe, quod proles poſsit edi viua, & baptizari tenetur mater ab huiuſmodi remedijs abſtinere.

Ratio ex eo deducitur, quia, vt aſſerebam, & docent communiter tàm Theologi, quàm Canoniſtæ *cum D. Thoma 2. 2. q. 26. art. 5.*, *Abulenſi in c. 18. Matthæi q. 95.*, *Azorio 2. part. lib. 12. c. 4. §. tertio loco* ordo charitatis exigit, vt præferatur vita ſpiritualis aliena propriæ corporali, ergo potius tenetur mater abſtinere ab huiuſmodi remedijs cum ſuæ vitæ periculo, quam exponere prolem æternæ damnationi.

Neque audiendus eſt hic *Laiman in Theol. morali lib. 3. tract. 3. part. 3. c. 4. nu. 4.*, dum aſſerit teneri quidem ex lege charitatis abſtinere ab ijs remedijs, quæ per ſe, & directè tendunt ad fætus animati internectionem, non autem ab ijs, quæ directè tendunt ad matris ſalutem, & nonniſi indirectè, & per accidens ad fætus interitum, & eiectionem. Non, inquam, audiendus eſt, quia licet hæc omnia attento ordine naturæ vera ſunt, fallunt tamen attento ordine gratiæ, nam quotieſcunque præuidetur certus moralitèr prolis interitus ante baptiſmum, quantumuis aliunde licitè poſſet mater ſibi prouidere per illa remedia ex ſe cauſatiua ſalutis, attento ordine naturali, ad conſulendum tamen neceſſitati ſpirituali eiuſdem fætus tenetur ab illis abſtinere ob prædictum præceptum charitatis.

Loquẽdo etiam de remedijs primi generis.

Ex ijs, quæ hactenus dicta ſunt, inferri poteſt licitum etiam eſſe medico, & obſtetrici applicare prægnanti infirmæ ea omnia remedia in ijs omnibus caſibus, quæ, ſeu in quibus ipſa poteſt ex ſe ipſa aſſumere, illicitum verò ea applicare in ijs caſibus, in quibus ipſa tenetur abſtinere *Rainaudus de ortu infantium c. 9. num. 18., & 19.*, *Malderus 2. 2. tract. 5. c. 1. dub. 17.*, *Sanchez lib. 9. de deb. coniug. diſp. 20. nu. 15.*, *Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrim. num. 86.* Ratio facilis eſt, quia cum applicatio, quam ſibi per ſe facit mater, ſit licita, omnique culpa careat, non apparet, cur non debeat eſſe ſine culpa, & licita applicatio, quæ fit per medicum, alioſq;, quibus demandata eſt cura eiuſdem matris; ex quibus è contrario ſenſu infertur, quod, ſi mater non poteſt aliqua erga ſe ipſam præſtare, neq; poſſint alij erga ipſam facere.

Medicus poteſt applicare remedia in ijs omnibus caſibus, in quibus prægnans poteſt ſumere.

Aſſertio VII. Mater, ſi timeat rationabilitèr ſe eſſe in ſtatu peccati læthalis, 9
& non poſſit inſtanti periculo vitæ ſibi in hoc ſubuenire, non tenetur abſtinere à medicamentis directè tendentibus ad ipſius ſalutem, quamuis ſine illis ſperetur fætus in lucem edendus, & baptizandus.

Exiſtens mater in ſtatu peccati læthalis, ſi nõ poſsit ſibi conſulere, poteſt remedia primi generis ſumere.

Dixi, *& non poſſit inſtante periculo ſibi ſubuenire*, quod certè nimis difficile eſt, & imperceptibile, cum non appareat, cur non poſſit procurare ſtatum gratiæ, ad quam

Digitized by Google

quam poteſt per actus doloris internos ſe diſponere, & per ſacramenta. Aduerto tamen hic, quod data pro nunc, licet non conceſſa illa impotentia morali ſe diſponendi ad ſtatum gratiæ, illa, quæ timet ſe eſſe in ſtatu peccati mortalis, non debeat eſſe anxia, & nimis ſollicita, vt ratione cuiuſcunq; dubitationis, & timoris nolit abſtinere ab huiuſmodi remedijs, ſed dubitatio debet eſſe cum probabili fundamento conſiſtente in eo, quod certo ſciat ſe peccatum læthale commiſiſſe, & rationabile habeat fundamentum dubitandi, ſe illud confeſſum non fuiſſe, vel de illo non habuiſſe ſufficientem dolorem, vel non explicaſſe in confeſſione circumſtantias neceſſario aperiendas, vel alia huiuſmodi; Si autem dubitatio eſſet ſolùmodo in eo, quod poſtquam adimpleuit omnia, quæ in ſe ſunt, adhuc timeat, an Deus ea acceptarit, necne, tunc certè teneretur abſtinere à talibus remedijs, eo quia ex vna parte poteſt rationabilitèr præſumere ſe eſſe in ſtatu gratiæ; ex alia parte nunquam niſi accedente diuina reuelatione poteſt de hoc plenam habere certitudinem, cum teſte Apoſtolo nemo ſciat an amore, an odio dignus ſit, & ſic nemo præcepto charitatis adſtringeretur ad præferendam vitam æternam alterius vitæ temporali propriæ.

Dubitatio debet eſſe cum probabili fundamento, & quonã.

Probatur iam iuxta hos terminos aſſertio, quia, ſi quid obſtaret, ne mater pregnans in data hypotheſi poſſet adhibere remedia cauſatiua directè propriæ ſalutis, & indirectè, & per accidens necis fætus, maximè præceptum charitatis exigens præferri vitam ſpiritualem fætus vitæ propriæ temporali, ſed in noſtro caſu hoc præceptum non vrgeret, cum immineat non ſolum periculum vitæ temporalis propriæ, ſed etiam æternæ, quæ certè præferenda eſt alienæ; nam ſicuti ex ordine charitatis debet, vnuſquiſque magis conſulere propriæ vitæ temporali, quam alienæ, ita etiam vitæ propriæ æternæ, quam alienæ; ordo etenim gratæ ſequitur ordinem naturæ.

Ceſſat in hac hypotheſi motiuũ charitatis.

PRÆNOTIO XII.

An procurans abortum fætus in dubio, an ſit animatus, nec ne, incurrat pænas contra procurantes abortum fætus animati.

SVMMARIVM.

Procurans abortum fætus in dubio, an ſit animatus, incurrit irregularitatem, prout appellat priuationem ad ordines ſuſcipiendos, & miniſtrandum in ſuſceptis. 1.

In tali dubio non incurritur irregularitas, prout importat priuationem beneficiorum, aliaque ex diſpoſitione Iudicis. 2.

In tali dubio non incurruntur aliæ pænæ latæ contra homicidas. 3.

QVamuis nonnulli excitent ſolummodo hanc difficultatem in ordine ad irregularitatem inquirendo, an in tali dubio hæc contrahatur, placet tamen eandem extendere in ordine ad alias omnes pænas iuris, & præcipuè impoſitas à Sixto V. in ſua prædicta conſtitutione incip. Effrenatam, de qua ſupra inquirendo, an, ſi incurratur vera pæna irregularitatis, incurrantur ſimul omnes aliæ pænæ &c.

Titulus excitatur in ordine ad omnes pænas.

In ordine ad irregularitatem aduerte, quod quoad præſens inſtitutum poſſit dupliciter conſiderari, primo, prout importat ſolum priuationem quoad ordines ſuſcipiendos, & in illis iam ſuſceptis miniſtrandum, quæ duo inuoluuntur intrinſecè in ipſa irregularitate tanquam effectus proprij ipſius. Secundo, prout importat etiam priuationem beneficiorum, & inhabilitatem ad ipſa impoſterum obtinenda, aliaque ſimilia, quæ non inuoluit intrinſecè, & ex genere ſuo irregularitas, ſed tantum ex diſpoſitione, & arbitrio legiſlatoris; quæ conſiderationes tenaciter attendendæ ſunt in præſenti dubio.

Irregularitas in præſenti caſu quodamodo duplex.

Aſſertio I. Procurantes abortum fætus in dubio, an fuerit animatus, nec ne, probabilius contrahunt irregularitatem, prout appellat priuationem in ordine ad ordines ſuſcipiendos, & in illis iam ſuſceptis miniſtrandum *Barboſa de poteſt. Epiſc. part. 3. alleg. 51. nu. 141., Baunius in Theol. mor. tom. 2. tract. 11. q. 32., Molina de iuſt. tom. 3. tract. 3. diſp. 27. nu. 4., Megalius in prompt. tom. 1. verb. abortus nu. 3., Caſenſis in cur. Theol. tom. 2. tract. 25. diſp. 5. ſect. 8. n. 54., Auila de cenſur. part. 7. diſp. 2. dub. 5., Fagundez in Decal. tom. 1. lib. 2. c. 10. n. 15., Diana part. 7. tract. 5. de abortu reſol. 24.*

I Procurans abortũ fætus in dubio, an ſit animatus contrahit irregularitatem, & quamoã.

Ratio ex eo deſumitur, quia homicida in dubio cenſendus eſt, vt irregularis *arg. c. ad audientiam c. ſignificaſti 1. & 2. de homicid. c. iuuenis de ſponſal.*; & hoc ea ratione, quia quamuis in foro ciuili, vbi agitur de pænis imponendis, in dubio interpretatio fieri debeat in mitiorem partem reſpectu delinquentis *l. interpretatione ff. de pænis*, in foro tamen conſcientiæ tutior pars eſt eligenda per mox allegata iura; tutius autem eſt eum, qui procurauit in tali dubio abſtinere a ſuſceptione ordinum, illorumque exercitio ad fugiendum periculum, ne propter irregularitatem contractam illicitè ſuſcipiat ordines, & in

Digitized by Google

in illis miniſtret, quam ad illos promoueri, illoſque exercere, ſiquidem in non ſuſcipiendo; & non exercendo peccati dubij nullum eſt periculum, ſecus è contrà

Tutior pars eſt eligenda.

Neque dicas, in dubio meliorem eſſe conditionem poſſidentis, adeoque poſſidentem ius ſuum, vt promoueatur ad ordines, & in illis miniſtret, non eſſe ratione dubij illa priuandum; Contrà enim eſt, quia hoc ſecundum axioma non habet in noſtro caſu locum, in quo tollitur poſſeſſio per iuris diſpoſitionem, per quod *in c. ad audientiam 12. c. ſignificaſti tit. de homicidio* declaratur incurri irregularitatem in dubio facti homicidij.

Tollitur poſſeſſio per iuris diſpoſitionem.

2 Aſſertio II. In tali dubio non incurritur irregularitas, prout importat priuationem beneficiorum, aliaque ex diſpoſitione Iudicis *Sanchez in ſumma tom. 1. lib. 1. cap. 10. nu. 43. & 48., Barboſa de poteſt. Epiſcop. part. 3. alleg. 51. nu. 138., Fagundez in Decalogum tom. 1. lib. 2. c. 10. n. 15., Diana part. 7. tract. 5. de abortu reſol. 35.*

In tali dubio non incurritur irregularitas, prout importat priuationẽ beneficiorum;

Ratio ex eo deducitur, quia, ſi excipias pœnam irregularitatis, circa quam iura ſpecialiter diſponunt, pœnæ aſſignatæ crimini certo non ſunt extendendę ad delictum dubium; ſed vbi agitur de priuatione beneficiorum, & ſimilibus propriè non agitur de irregularitate, quandoquidem iſtæ pœnæ non ſunt ab intrinſeco comprehenſæ in ipſa irregularitate, ſed adijciuntur ex ſpeciali legiſlatoris diſpoſitione, ergo iſtæ non incurruntur ob abortum, quando militat rationale dubium, an fuerit animatum, nec ne? cum igitur ex iuris diſpoſitione per delictum homicidij dubij non incurratur, niſi irregularitas, non incurritur, niſi ſecundum id, quod dicit ab intrinſeco, non id, quod ex arbitrio iudicis.

Excepta irregularitate pęnæ non extẽduntur ad delictum dubium.

Neque dicas, quod in hoc etiam attendenda ſit regula, quod in dubio quoad forum conſcientiæ tutior pars ſit eligenda, adeoque &c. Contra enim impugnaberis, quia regula illa habet locum ſolummodo, quando agitur de periculo animæ, & de peccato vitando, quod non euenit in præſenti hypotheſi, ſicuti euenit in præcedenti irregularitatis, nam in ſuſcipiendo ſacros ordines, & in illis miniſtrando ſe exponit periculo illicitè ſuſcipiendi, & miniſtrandi, quod vtique peccaminoſum eſt; Non deponendo autem beneficia, & officia, quibus legitimè gaudet, non ſe exponit illi periculo, adeòque &c.

Non adeſt periculum animæ,

3 Aſſertio III. In tali dubio non incurruntur aliæ pœnæ illatæ contra veros homicidas. Conſentiunt omnes DD. prçcitati pro præcedenti aſſertione, & rationes pro eadem adductæ hanc quoque concludenter euincunt. Quare non eſt, cur immoremur.

Non incurruntur aliæ penæ.

PRÆNOTIO XIII.

Quænam ſint officia, beneficia, & dignitates, quibus priuantur procurantes abortum ex Conſtitutione Sixti V.

SVMMARIVM.

Explicatur, quid veniat nomine officiorum; & quid non veniat. 1.
Et ſingula recenſentur. Ibid.
Quidnam veniat nomine beneficiorum. 2.
Et ſingula exprimuntur. Ibid.
Quid appellatione dignitatum, & numerantur omnia. 3.

INter cætera, quæ in ſua diſpoſitione pœnali contra procurantes abortum ſtatuit Sixtus V., hæc habentur. Similiter §. 2. 3, & 4. *eoſdem incurrere irregularitatem, vnde nec promoueri poſſunt, nec ſi iam promoti ſunt, miniſtrare, ſed eo ipſo omni priuilegio, clericali officio, & beneficio eſſe priuatos, quæ ſic vacatura reſeruentur diſpoſitioni Papæ, atq; inhabiles in futurum, etiam ſi delictum fuerit occultum?* Circa quam diſpoſitionem modo contingit dubitari, quodnam veniat nomine officij, quid nomine beneficij, qui ſuo nomine dignitatis?

Quidnam veniat nomine officij, & beneficij.

Aſſertio I. Nomine officiorum, quantum pertinet ad præſens inſtitutum, veniunt ea omnia, quæ habent adminiſtrationem rerũ, vel perſonarũ Eccleſiaſticarum cum ſuperioritate, & iuriſdictione ſiue ordinaria, vt Generalis, Prouincialis, ſuperior localis &c. ſiue delegata ratione certi officij, vel perſonatus, vt Viſitator &c. Non veniunt tamen ſub nomine officij, quo priuentur, Lectores, Concionatores, ſtudiorum Præfecti, nec item Magiſtri Nouitiorum, quia ipſorum officium eſt nudum miniſterium, & non niſi cum dependentia. Addunt non pauci officiorum nomine venire officium Sacriſtæ, Camerarij, Economi, Sindici, & Oſtiarij in terminis *Clem. 1. de regul. Nauarrus coment. 4. de Regul. 24., Azorius Inſtit. mor. part. 1. lib. 12. cap. 14. q. 12. verſ. quæres, Sanchez in præcept. Decal. tom. 2. lib. 6. c. 7. n. 127.* 1

Explicantur propria officia, prout continentur ſub præſenti diſpoſitione,

Aſſertio II. Appellatione beneficiorum in lata ſua ſignificatione comprehenduntur omnia beneficia, tum maiora, tum minora, tam curata, quàm ſimplicia, dignitates, & præbendæ, nam ex digni- 2

Quidnam nomine beneficiorum,

nitate non mutatur natura beneficij, ſed additur prærogatiua *Gloſa reg. beneficium verbo beneficium de reg. iur. in 6. & in c. ſi gratioſè de reſcript. verb. beneficia, & in c. 1. de rer. permut. in 6., & in clem. Auditor de reſcript., Flaminius Pariſienſ. de confid. q. 28. nu. 38., Rebuffus in prax. tit. quid ſit beneficium nu. 10., & tit. de vnion. n. 3. & in tract. nominat. q. 9. nu. 5.* Strictè & propriè nomine beneficij venit ius perpetuum percipiendi fructus ex bonis Eccleſiaſticis propter aliquod ſpirituale officium auctoritate Eccleſię conſtitutum *Innocentius & Hoſtienſis in c. relatum 9. de præbend.*, non veniunt tamen nomine beneficij, nec etiã in lata ſignificatione penſiones *Creſentius deciſ. 14. de ſent. & re iudic., Ludouicus Gomez in reg. de infirm. reſignant. q. 16. nu. 2., Rebuffus in tract. de pacif. poſſeſſ. q. 114., & in tract. de nomin. q. 9. num. 36., Gonzalez ad reg. 8. Cancel. gloſ. 5. §. 5. num. 2., Aloiſius Riccius collect. deciſ. part. 2. collect. 425., Antonius Ricciulus de iur. perſon. lib. 5. c. 19. num. 6.*

Aſſertio III. Appellatione dignitatis importatur prærogatiua quædam cum iuriſdictione *Archidiaconus c. 1. de conſuet. in ſexto*, & in rigore in particulari venit primo Epiſcopatus. Secundo Archidiaconatus, & Archipresbyteratus *Puteus deciſ. 89. num. 1. lib. 3., Aretin. conſ. 32. in princip.*, & ex conſuetudine etiam Præpoſitura in Cathedrali *Aret. conſ. 23. num. 5.*, & alia officia, de quibus alibi. Veniunt item quoad Regulares Generalatus, Prouincialatus, & ſuperioritas localis, de quibus etiam ſuo loco. In rigore nomine dignitatis præcipuè in odioſis non venit Canonicus ſimplex *Achil. deciſ. 1. num. 2., & 6. de reſcript., Federicus de Senis conſ. 80. num. 2. in fin., Marius Antoninus lib. 3. reſol. 11. num. 19., Aloiſius Riccius in praxi rerum for. Eccleſ. reſol. 90. num. 1.* Iſti tamen quoad præſens Inſtit. comprehenduntur ſub nomine beneficij Eccleſiaſtici, a quo propterea delinquens in hoc genere priuatur. Sed, an nomine dignitatis veniat Vicarius Generalis Epiſcopi diſſidium eſt apud DD. In commiſſionibus cauſarum venire dignitatis nomine aſſerunt plures apud *Barboſam in tract. de offic. & poteſt. Epiſcop. part. 3. alleg. 54. num. 132.* Sed, an veniat quoad hunc effectũ, vt tali dignitate priuetur, ſi fortè deliquerit. Probabilius crederem quod (quidquid ſit, an ſit propriè dignitas nec ne) Vicarius ſic delinquens priuetur officio Vicariatus propter textum *in tit. Ne prælati vices ſuas* Ibi *Præſenti decreto ſtatuimus, vt is, qui de cætero hoc præſumpſerit officio ſuo priuetur.*

3 Quid tandem appellatione dignitatum.

PRÆNOTIO XIV.

An delinquentes in hoc genere ſubeant omnes pænas ante Iudicis ſententiam.

SVMMARIVM.

Quid importet illa particula eo ipſo. 1.
Pænæ in duplici differentia, & quanam. 2.
Pæna excommunicationis incurritur ante Iudicis ſententiam. 3.
Priuatio officiorum, & beneficiorum exigit Iudicis ſententiam. 4.
Illa particula ipſo facto *efficit, vt ſi poſtea ſequatur ſententia executio quoad fructus retrotrahatur ad tempus commiſſi delicti. 5.*
Item, vt delinquens amittat titulum, non poſſeſſionem. 6.
Ante ſententiam non incurruntur etiam, ſi delictum fuerit notorium. 7.
Inhabilitas ad officia, & beneficia impoſterum obtinenda non incurritur ante ſententiam declaratoriam. 8.
Intellige etiam de inhabilitate ad obtinenda beneficia, etiam ſi tunc nullum haberet. 9.

DEciſio præſentis tituli in parte dependet ab intelligentia illius quæſiti, quid importet illa particula *Eo ipſo*; Communiter dicunt, quod importat latam ſententiam ſecundum *Gloſ. verb. eo ipſo, & verb. euacuauerit in c. quam ſit de elect. in ſexto, Tiraquel. in l. ſi vnquam verb. reuertatur num. 144. C. de reuoc. donat., Rolandus conſ. 62. num. 32. lib. 2., Farinacius frag. crimin. part. 2. lit. L. verbo lex num. 95., Immola in clem. 1. de vita & honeſt. Cleric.*, ac idem importare videtur, ac ſi dictum fuiſſet ſine aliquo hominis, ac Iudicis miniſterio vel potius ipſo iure, ipſo facto. *Abbas in c. ſi diligenti nu. 8. de for. compet., Felinus in c. Rodulphus verſ. vlt. non obſtat de reſcript., Rolandus conſ. 62. num. 32. vol. 2.* Nihilominus

1 Quid importet illa particula Eo ipſo.

Vt clarius, & diſtinctius in hoc negotio procedemus, aduertendum eſt, pænas, quodamodo eſſe in duplici differentia, alias, quæ in executione ab aliqua pendent actione, cuiuſmodi eſt pæna mortis, mutilationis membrorum, deportationis &c., alias, ad quarum executionem nulla requiritur actio, cum conſiſtant in mera priuatione, cuiuſmodi eſt pæna excõmunicationis, ſuſpenſionis, & alia huiuſmodi. Porro non quælibet pæna priuatiua incurritur ante ſententiam Iudicis ſaltem declaratoriam, ſed illa dumtaxat, quæ ita imponitur, vt ſatis, & ſufficienter ex conceptu verborum indicet mentem legiſlatoris eſſe, vt ante quamcunque declarationem incurratur. Porro, ſi

2 Pænæ in duplici differẽtia, & quanã.

ſit

ſit pæna priuatiua, vel eſt de re iam poſſeſſa, vel de re, ad cuius conſecutionem habetur, vel haberi poteſt aliquod ius, vel ſpes, cuiuſmodi eſt pæna inhabilitatis ad beneficia conſequenda. Hinc fit

Aſſertio I. Procurans abortum fætus animati ante quamcunque Iudicis declarationem incurrit pænam excommunicationis, & irregularitatis. In hanc propendent communiter DD., & in fortioribus terminis ſuſtinere debent *Garzias de*
3 *benef. part. 2. c. 10. nu. 18. & ſeqq.* ibique allegat *Abbatem, Felinum, & Nauarrum, Pariſienſem, & Lorcam, Sairus in clau. Reg. lib. 3. c. 9. n. 35.* dum dicunt, quod etiam ante Iudicis declarationẽ priuetur omni beneficio, officio, & dignitate.

Pæna excommunicationis incurritur ante Iudicis ſententiam.

Ratio ex eo deducitur, quia ex vna parte huiuſmodi pęnæ conſiſtunt in mera priuatione, nec in ſui executione indigent hominis miniſterio, vt per ſe patet; ex alia verba, quibus à Pontifice afficiuntur, ſatis indicant mentem legislatoris, vt afficiant delinquentes nulla expectata Iudicis ſententia; in conſtitutione etenim Sixti V. in §. 8. dicitur *Excommunicationem ipſo facto incurrant*, quæ particulæ *ipſo facto* important canonem latæ ſententiæ *Baldus in rubr. C. ſi pendente appel., Felinus in c. Rodulphus nu. 48. & ſeqq. de reſcript., Papienſis in forma libelli in cauſa ſpoliat. poſſeſſ. in gloſa ipſo facto nu. 1., Tiraquel in l. ſi vnquam verb. reuertatur nu. 142. cum ſeqq. C. de reuoc. donat., Moneta de diſtrib. quot. part. 3. q. 7. n. 36., Carb. de legib. lib. 8. disp. 6. verſ. prima Regula,* & indicant cenſeri legem ex ſubiecta materia obligare velle in conſcientia ante ſententiam *Suarez tom. 5. diſp. 3. ſect. 3. n. 8., & de legib. lib. 5. c. 8. n. 1., Salas in tract. de legib. q. 96. tract. 14. diſp. 15. ſect. 2., Loriotus part. 1. diſp. 24. memb. 1. reg. 1., & memb. 2. §. vlt.* Confirmari, ſeu melius magis explicari poteſt ex ijs, quæ communitèr docent Theologi in quæſt. de cenſuris, & communis tenet Eccleſiæ praxis, quod ſcilicet pænæ cenſurarum ipſo iure, vel facto inflictæ obligent in conſcientia, etiam ſi per ſententiam delinquens non declaretur incurſus; cuius ratio fundamentalis eſſe poteſt, quia, cum cenſuræ ex vno capite ſint pænæ ſpirituales habent maiorem proportionem cum culpa, adeòque eam facilius comitantur; ex altero cum attingant forum conſcientię non exigunt ſtrepitum fori iudicialis.

Nō indiget hominis miniſterio.

4 Aſſertio II. Procurantes abortum fætus animati non tenentur officia, beneficia, & dignitates quibus gaudet, deponere etiam in conſcientia ante Iudicis declarationem. *Sanctarellus tract. de appellat. c. 4. n. 15. in fin., Marchinus de ſacram. ordinis tract. 1. part. 8. c. 4. n. 32., Diana part. 7. tract. 5. de abortu reſol. 17.,* & alij innumeri, quos citat, & ſequitur Sanctarellus loco, quo ſupra.

Priuatio officiorū, & beneficiorum exigit Iudicis ſententiam.

Ratio ex eo deducitur, quia hic non agitur de mera priuatione, ſed de poſitiua etiam dimiſſione officiorum, vel beneficiorum &c., in ijs autem, quæ conſiſtunt in actione poſitiua, incongruum pænè videtur, quod idem ſit reus, & vindex, quod videtur colligi *ex c. erit autem lex 4. diſt.* quem textum explicans *D. Thomas 2. 2. q. 45. art. 3.* aſſerit legem, vt obliget, debere eſſe poſſibilem moraliter ſeruatu; difficilimum autem eſt, quod quis contra ſe ipſum tam graues pænas exequatur *Nauarrus comment. de datis, & promiſſis de iuſt. num. 44.*

Dices, Sixtum V. quoad præſentem caſum in particulari in præfata ſua conſtitutione quoad priuationem huiuſmodi officiorum, & beneficiorum addidiſſe clauſulam *ipſo facto*, quæ ex ſuperius allegatis importat effectum, vt pæna incurratur ſine alia declaratione. Deinde fruſtratoria foret illa dictio, ſi hunc effectum priuationis non conſequeretur etiã ante declarationem; quemnam enim alium effectum poſſet conſequi? Sed contrà, quia in primis, vt aſſerit *Nauarrus loc. cit.* illa particula ob grauitatem pænarum appoſita eſt ad terrorem, & exemplum, quo multis graſſantibus opus erat iuxta textum *in l. capitalium §. famoſos ff. de pænis*, cæterum, quod non obliget ad dimittendum ipſo facto ſine ſententia declaratoria docent *D. Thomas 2. 2. q. 62. art. 3., & ibi Caietanus Sotus lib. 1. de iuſt. q. 6. art. 6., Adrianus, quod lib. 6. art. 1., Coaruuias de matrim. part. 2. c. 6. §. 8. num. 9.,* quinimmo aliqui etiam docent, inter quos *Sotus, & Coaruuias loc. cit., & Henriquez de excom. c. 56.,* quod etiam, ſi dicatur, quod delinquens priuetur ipſo facto abſque alia declaratione, non propterea teneatur officia, ſeu beneficia, quæ poſſidet, dimittere ante declarationem; vnde dicunt, quod illa clauſula *abſq; declaratione* intelligenda ſit de declaratione, qua declaretur pęnam eſſe incurſam, non autem qua declaretur crimen eſſe commiſſum; Sed quidquid ſit de hoc vltimo, quod non auſim affirmare, quando illa particula *abſq; declaratione* addita non eſt, quamuis ſit appoſita illa alia, *ipſo facto*, *ipſo iure* communis praxis obtinuit, vt in ordine ad depoſitionem officiorum, & beneficiorum non obliget ante eandem ſententiam declaratoriam; ad quod confirmandum hoc addi poteſt, quod, quando Pontifices, ſeu legislatores voluerunt requiri hanc declarationem expreſſerunt; quod

Particula eo ipſo appoſita eſt ad terrorem, & exemplū.

certè fruſtratoriè præſtitiſſent, ſi hoc importaretur per illam præcisè particulam *ipſo facto, vel ipſo iure*.

5

Illa particula ipſo facto efficit hoc, vt ſi poſtea ſequatur ſententia executio retrotrahatur ad tempus commiſsi delicti quoad fructus

Ad illud, quod ſubditur, dico, quod illa particula *ipſo facto, vel ipſo iure* hoc in primis præſtet in ordine ad bona temporalia, quæ recipiuntur ex officio, vel beneficio, vt ſi poſtea habita commiſſi delicti notitia ſequatur ſententia declaratoria, executio retrotrahatur ex iuris diſpoſitione vſq; ad tempus commiſſi criminis, adeoq; ex parte delinquentis fructus ex illo tempore præcepti intelliguntur deperditi *Leſſius lib. 2. de iuſt. & iur. c. 29. dub.* 8. *num. 64.*, qui, quamuis loquatur in diuerſis terminis, trahi tamen poteſt ad ſanum ſenſum præſentis difficultatis ex paritate rationis. In ordine verò ad beneficium hoc efficit, vt delinquens ſtatim amittat titulum ipſum, ita vt non amplius ſit dominus beneficij, retinet tamen poſſeſſionem illius, qua priuari non poteſt, niſi cauſa cognita *Gloſa c. licet Epiſcopus* 28. *de præbendis in ſexto*, & licet dici non poſſit poſſeſſor iuris, eo quia ius reſiſtit tali poſſeſſioni, dicitur tamen adhuc poſſeſſor facti; ex quibus ſequitur, quod, ſi huiuſmodi delinquens ante habuerit officium cum iuriſdictione, talemq; iuriſdictionem exerceat poſt commiſſum delictum, ſed ante ſententiam declaratoriam, non propterea eius acta intelligantur irrita, cum re vera adhuc iuriſdictionem retineat; Neque repetas, non videri poſſe ſubſiſtere iuriſdictionem ſine titulo, qui eſt fundamentum eiuſdem; contra enim eſt, quia in ijs, quæ iuriſdictionis ſunt ad legitimitatem actuum ſufficit titulus coloratus, & quod communi errore beneficiarius reputetur legitimus, quia error communis facit ius *l. Barbarius ff. de offic. prætor.*, cuius ratio ibid. adducitur, quia niſi huiuſmodi actus iuriſdictionis ſubſiſterent innumeræ confuſiones, & perturbationes inſurgerent in Reipublicæ perniciem, & detrimenta.

6

Efficit itē, vt amittat titulum, non poſſeſsionē.

Dices in Conſtit. Sixti V. ſuperius relata imponuntur huiuſmodi pænæ priuationis officiorum, & beneficiorum, quantumuis delictum fuerit occultum, ergo ex mente Pontificis illæ pænæ incurruntur ante Iudicis ſententiam, nam, quod eſt per ſententiam Iudicis, non eſt ſuper occulto. Sed contra; incurruntur, quidem iuxta ſuperius dicta ante ſententiam quoad priuationem tituli realis, non autem quoad poſſeſſionem ſaltem facti, qua priuari non poteſt, niſi per declarationem ex iuris diſpoſitione.

Soluitur inſtantia propoſita

Hic immediatè oritur difficultas, an, ſi quis delictum abortus perpatrauerit, nec vlla ſecuta fuerit ſententia declaratoria, delictum tamen ipſum ſit notorium, teneatur officium, & beneficium deponere, & an, ſi ſtante tali notorietate acta, ſi quæ exercuerit, ante declarationem irrita ſint habenda. Affirmat *P. Theſaurus in praxi part. 1. c. 28. q. 4.*, & teneri officium, ſeu beneficium deponere, & acta interim acta eſſe irrita, quia tunc ceſſat titulus coloratus ob criminis notorietatem. Sed non libenter annuerem ipſius opinioni, quandoquidem, vbi per ſententiam non conſtat de delicto, poteſt aliqua tragiuerſatione cælari, & in iure ſolum expreſſus eſt publicus Clerici percuſſor ad incurrendas pænas quoad forum fori abſque Iudicis declaratione, vnde non debet ad alios caſus extendi, maximè vbi agitur de depoſitione alicuius iuris iam poſſeſſi.

7

Ante ſententiam nō incurruntur etiam, ſi delictum fuerit notorium.

Aſſertio III. Inhabilitas ad officia, beneficia, ſeu dignitates impoſterum obtinenda appoſita in bulla Sixti V. probabilius non incurritur ante ſententiam declaratoriam *Leſſius lib. 2. c. 35. dub. 16.*, *Sanchez in ſumma tom. 1. lib. 2. c. 39. nu. vlt.*, *Diana part. 7. tract. 5. de abortu reſol.* 18. *in fin.*, *Molina tom. 1. diſp. 96. §. duo*, *Fillincius tract. 34. num. 78.*, *& alij magis communitèr.*

8

Inhabilitas ad officia, & beneficia nō incurritur ante ſententiam.

Ratio ex eo deducitur, quia, cum hæc ſit grauiſſima pæna, videtur, vt optimè notat *Molina loc. cit.* per Epicheiam reducta ad hoc, vt non incurratur, niſi per ſententiam, vel vt alij loquuntur cum ſit, cum alijs pænis puta priuatione officiorum, & beneficiorum coniuncta, videtur cum ipſis currere pari paſſu, adeout, ſi illæ non incurruntur ante ſententiam, nec ipſa; nec valet, quod agatur de mera priuatione, & delinquens non habeat poſſeſſionem nec iuris, nec facti; non valet, inquam, quia cum coniungatur, cum alijs pænis, quæ ſupponunt poſſeſſionem ſaltem facti ad normam illarum commenſuratur, & regulatur.

Limitat primo aſſertionem *Suarez tom. 1. de Relig. tract. vlt. de ſimonia c.* 58. *num. 9.*, quando inhabilitatis pæna lata eſſet ſolum quoad illud numero beneficium, vt cōtingeret in ſimonia, ratione cuius quis amittit beneficium illud, ad quod eſt ſimoniacè promotus cum inhabilitate ad illud impoſterum obtinendum; ſed hæc limitatio non facit ad caſum noſtrum, in quo inhabilitas eſt ad omnia.

Nonnullæ limitationes.

Limitat ſecundo *Sanchez in Decal. c.* 38. *num. 9.* in caſu, quo inhabilitas conſurgeret ex cenſura, & irregularitate, quia tunc obligat in conſcientia etiam abſq; declaratione, & ſententia; qua ratione dicit obligare inhabilitatem, quam relinquit ſacra pænitentiaria diſpenſando ſuper irregularitate ex homicidio, & abortu, & non diſpenſando ſuper eadem inhabili-

Alia limitatio.

Digitized by Google

bilitate. Sed in hac hypotheſi verum non crederem, quandoquidem, ſi ante ſententiam illam non contrahit, nec videtur indigere diſpenſatione.

9 Hic oritur difficultas, an, ſi ille, qui abortum procurauit fœtus animati ſecuto effectu nulla officia, ſeu beneficia, ſeu dignitates poſſideat, cum tamen declaretur inhabilis in futurum, illa inhabilitas contrahatur ante ſententiam declaratoriam. Ex dictis vtique videtur incurrere, cum etenim tunc non coniungatur cum aliquo beneficio, vel officio, cuius delinquens gaudeat poſſeſſione, conſiſtit in mera priuatione, adeoq; ad regulam merè priuatiuorum eſt commēſuranda, & regulanda. Nihilominus adhuc arbitror, ante ſententiam declaratoriam hanc inhabilitatem non contrahere. Ratio ex eo deducitur, quia, quantumuis iſte nulla beneficia, nullaque officia poſſideat, legislator tamen eodem orationis contextu vtramque pœnam conſtituit priuationis ſcilicet beneficiorum, & inhabilitatis, & per conſequens vtraque videtur cadere eodem modo ſub eodem onere, & diſpoſitione; tum quia non eſt adæquata ratio talis non incurſus illius inhabilitatis ante ſententiam illa coniunctio cum priuatione beneficiorum, ſed grauitas eiuſdem pœnæ, vt ſupra.

Intelligẽ etiam, ſi procurans abortum nullum tunc habuerit beneficium.

PRÆNOTIO XV.

An prægnans teneatur perpeti ſectionem vteri ad extrahendam prolem, quando alia via non ſuppetit.

SVMMARIVM.

Nonnulla conſiderabilia circa titulum. 1.

Fœtu iam in vtero matris mortuo, ſi alia via non ſuppetit ad ſaluandam matrem, poteſt ipſius vterus licitè ſcindi. 2.

Non tamen tenetur mater pati. 3.

Si mater duos gemellos conceperit altero mortuo, altero viuente poteſt ſcindi vterus maternus ad extrahendum mortuum. 4.

Mortua iam matre non ſolum poteſt, ſed etiam debet ſcindi vterus matris, ſi ſit ſpes, quod fœtus poſſit viuus extrahi. 5.

Experientijs euincitur mortua matre poſſe fœtum viuum educi. 6.

Viuente matre, & fœtu, ſi alia via ſalus vtriuſq; vel alterius haberi non poteſt, licita eſt ſectio matris. 7.

In ordine ad ſalutem æternam fœtus tenetur mater ſectionem pati. 8.

Mortua tàm matre, quàm fœtu licita eſt ſectio ad aliorum inſtructionem. 9.

Damnata matre ad mortem deferendum eſt ſupplicium ad partum. 10.

Dummodo bonum publicum non exigat matrem ſtatim mori. 11.

AD onus parentum erga prolem in fieri, & iam conceptam non ſolum ſpectare videtur, quod abſtineant ab omni eo, quod eidem proli poteſt eſſe noxium, ne educatur ad lucem, ſed etiam, quod aliqua peragant, & patiantur, quæ poſſint eidem eſſe proficua, vt ad felicem exitum protrahatur. Hic in particulari agendum remanet, an, quando rationabilitèr timeri poteſt, & timetur, quod proles edi non poſſit ad lucem, niſi maternus vterus ſecetur, licitum ſit, & teneatur mater ſectionem illam admittere.

Pro cuius difficultatis clariori intelligentia, & faciliori diſcuſſione plura ſunt aduertenda, & primo, an illa ſectio cedere debeat dumtaxat in bonum matris, vel in bonum ſolummodo prolis, vel in bonum vtriuſque, vel in bonum aliorum ab ipſis ſine vtilitate ipſorum. Secundo hæc omnia poſſe contingere, vel quatenus mortua matre prægnante ſperari poſſit ex tali ſectione proles viua edenda, vel quatenus mortuo in vtero fœtu inde haberi poſſit ſalus matris, cæteroqui perituræ, vel quatenus vtroque adhuc viuente, ſed vno, vel altero, vel vtroque periclitante, vel vnius, vel alterius, vel vtriuſque ex illa ſectione vita, ex medicorum iuditio ſaluari poſſe videatur. 1

Nonnulla conſiderabilia.

Aſſertio I. Fœtu iam in vtero matris mortuo, quando alia via non ſuppetit eiuſdem matris vitam ſaluandi, licitum eſt ipſius vterum ſcindere, vt fœtus ipſi matri noxius extrahatur. In hanc opinionem propendent in fortioribus terminis *Rainaudus de ortu infantium c. 5. per totum*, *Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrimon. c. 9. num. 151., & ſeqq.* dùm ſtatuunt, quod etiam eodem fœtu non mortuo, cuius tamen deſperatur partus naturalis licita ſit ſectio vteri materni ad eiuſdem matris vitam ſeruandam, quando aliunde eidem nō poteſt ſubueniri. Hanc eandem opinionem ſuſtinent communitèr medici *Rouſerus opus. de partu cæſareo Gaſpar Bohuinus append. ad lib. Rouſseri*, *Mauritius Cordæus comment. 1. ad primum lib. Hyppoc. de morb. mulieb. textu 11.*, *Veichardus lib. de morb. mul. c. 14.*, *Ioannes Marinellus lib. 3. de morb. mul. c. 50.*, & alij innumeri, quos citat, & ſequitur *Rainaudus loc. cit.*, quidquid ex aduerſo communitèr ſenſerint Theologi, qui tamen procedunt ex ſuppoſito erroneo arbitrantes non poſſe eſſe talem ſectionem ſine certa matris cæde, quod in ſpecie cognouit *Alenſis 4. part. q. 17. memb. 4.*, qui cum nega-

2 **Fœtu iam in vtero matris mortuo, quando alia via non ſuppetit illū extrahendi, poteſt licitè vterus matris ſcindi.**

Digitized by Google

negaret licitam eſſe talem ſectionem ob eam cauſam, quod matris mortem certo acceleret, & non poſſit eſſe proficua partui ad baptiſmum, ſubdit poſtea, quod licita eſſet, ſi ſperari poſſet ſalus matris.

Probatur iam aſſertio. Licitum eſt ſe exponere periculo mortis non certæ, & ineuitabilis, vt certam mortem alioqui illa actione prætermiſſa ſecuturam euitet, ergo etiam mater ad ſaluandam vitam, ſeu mortem certam vitandam poterit licitè ſe exponere per ſciſſionem periculo mortis, cum tamen hæc non ſit certò ſecutura, quia potius ſperetur eiuſdem ſalus; procedit enim noſtra aſſertio in ſuppoſitione, quod non poſſit aliunde matri ſubueniri, niſi per ſectionem, ſi etenim adeſſent alia remedia nō ita noxia, & periculoſa, vtique non liceret. Antecedens varijs probatur exemplis; ſic conſtitutus in certo periculo mortis vel ab hoſte, vel à fera poteſt licitè, vel ſe proijciendo à muro, vel ſe præcipitando à ponte incerto vitæ periculo committere, ſi alia non ſuperſit via certam, & ineuitabilem mortem fugiendi *Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrim. c. 9. num. 151., Sairus lib. 7. clau. c. 9. num. 38., & ſeqq., Balthaſſar Gomez de poteſt. in ſe ipſum lib. 1. c. 22. num. 22.* Sic infectus gangræna, vel tabe mortifera poteſt ſe exponere ſectioni membri ſiderati, ſine qua certa mors ſequeretur, licet ratione ſciſſionis neruorum, tendonum, venarum, & arteriarum, & applicationis candentium laminarum ad ſiſtendum ſanguinem ſit periculum propter horrendam lacerationem, & conuulſionem, cum talis ſectio ſemper non ſit mortifera, cum felicitèr quandoque euenerit, vt refert *Plutarchus de Caio Mario, & Hippocrates lib. 6. Epidemiæ ſect. 3. de quodam baiulo*, propterea à Medicis ſæpe eſt ad praxim reducta; Sic in vniuerſum docent *Innocentius in c. ſignificauit n. 1. de corpore vitiato Archi Diaconus in c. 1. nu. 2. eod. tit.*, licere ad bonum totius ſcindere membrum principale, etſi ſciſſio ſit periculoſa, dummodo tamen non ſit ſemper mortifera. Conſequentia primi argumenti patet, nam ſi ex vna parte licita eſt ſciſſio aliorum membrorum etiam principalium ad bonum totius, cur non licebit etiam ſciſſio vteri materni ob idem bonum? Ex alia tale remedium multis experientijs cognitum fuit, vt proficuum ipſi matri, vt multis exemplis refert *Rainaudus de ortu infantium c. 5., & 6. num. 8., Rouſſetus de partu cæſareo, Daniel Sennertus lib. 4. part. 1. ſect. 2.*, & teſtantur communitèr Medici; Neq; dicas, ſectionem vteri materni viuentis eſſe in ſe malam, quamuis ordinetur ad finem bonum ſalutis eiuſdem matris aſſerente *Apoſtolo ad Roman. 3.* non eſſe facienda mala, vt eueniant bona; contra enim eſt, quia, ſi eſſet ab intrinſeco mala, id eſſet, quia de ſua natura, & per ſe inferret mortem matri, quod certè hic non militat, tum quia intenditur potius, vt proficua, quam vt noxia, tum quia, ſicuti non eſt ab intrinſeco mala ſciſſio vteri ob gangrænam tēdentem ad interitum matris, cum talis ſciſſio poſſit ei afferre ſalutem, prout de facto attuliſſe refert *Chriſtophorus Vega tract. de præcidentia vteri, Mercurialis de morbo muliebri lib. 4. c. 21.*, ita nec videtur ab intrinſeco mala ob fætum mortuum, qui æquale damnum in corruptione poteſt afferre matri, ſi non tollatur, ac ipſa gangræna. Ratio horum omnium fundamentalis eſt, quia, quamuis nullus ſit dominus membrorum ſuorum, vt ſuppono ex ijs, quæ latè tradidi *tom. de reſtit. ſub tit. de reſtitutione 1. prænot. 15. ſect. 1.* eſt tamen cuſtos eorundem membrorum, ſicuti eſt cuſtos Reſpublica ſuorum ſubditorum, & ſicuti Reſpublica ad bonum totius communitatis poteſt criminoſos ſubditos perimere, ita poteſt quiſq; in bonum ſui eſſe aliquas partes reſcindere, aliaſque infectas proijcere.

Licitum eſt ad euitandam mortem certam ſe exponere periculo incertæ.

Varijs exemplis euincitur.

Sectio vteri non ſēper eſt mortifera

Quinimmo ſæpe fuit proficua.

Non eſt ab intrinſeco mala, & quare.

Sed, an teneatur mater prægnans illam ſciſcionem vteri admittere in ordine ad ſuam ſalutem, vt fætus mortuus extrahatur? Abſolutè crederem, non teneri per ea, quæ in ſimilibus docui *eod. tom. de reſtit. eadem prænot. 15. ſect. 1. num. 3.* Ratio ex eo deducitur, quia homo tenetur quidem propriam vitam conſeruare per media ordinaria, non autem per extraordinaria, & acerbiſſima, inter quæ potiſſimum numerari poteſt illa ſciſio vteri materni, quæ ingentes ex natura ſua infert dolores, quod adeo verum eſt, vt communitèr doceant Theologi, nec etiam Religioſos neq; ex obedientia, & imperio Superioris obligari ad propriam vitam conſeruandam ſufferre acerbiſſimos dolores, ſufferre ſciſionis, & dilacerationes in partibus noxijs, atq; ita in vniuerſum ſentiunt *Sotus de iuſt. lib. 5. q. 2. art. 1., Bannes 2. 2. q. 63. art. 1., & ibi Arragonius q. 26. art. 4. q. 5., Gregorius de Valentia tom. 3. diſp. 5. q. 9., Balthaſſar Gomez de poteſt. in ſe ipſum lib. 2. c. 7. num. 11., Rainaudus de ortu infant. c. 6. num. 2., & 6.*

3 Probabilius tamē eſt, quod mater non teneatur pati talē ſectionē.

Aſſertio II. Si prægnans duos gemellos conceperit, & alter ex ſignis dignoſcatur in vtero mortuus altero ex eiſdem ſignis viuo apparente licita eſt eiuſdem prægnantis ſectio ad extrahendum fætum iam mortuum, ſi ſit ſpes, quod ſectio matri mortem non ſit allatura *Rainaudus de ort. infant. c. 13. num. 7., Ioannes Angelus*

4 Exiſtente duplici fætu altero mortuo, altero viuo poteſt ſcindi vterus matris ad extrahendum mortuū.

Digitized by Google

*gelus Boſſius tract. de effect. matrim. c. 9. num.*159.

Non difficilis probatio præſentis aſſertionis attentis ijs, quæ dicta ſunt in præcedenti; ſi etenim, quando fætus vnicus mortuus eſt in vtero matris licitum eſt vterum eiuſdem matris ſcindere, quando alia via non ſuppetit ad eundem fætum extrahendum, ne eodem putreſcente mortem matri ipſi inferat, non video, cur à fortiori non ſit licita talis ſectio, quando vno fætu in vtero matris mortuo, alius ſeperatus adhuc viuit, quia tunc fætus ille iam mortuus non ſolum eſſet matri noxius, ſed etiam alteri fætui adhuc viuo ſuperſtiti, ergo in ea hypotheſi licitum erit ſcindere &c. ad effectum &c. Nec arbitrandum eſt, inutilem fore talem ſciſſionem, cum vix poſſit apparere in ea hypotheſi poſita illa ſectione ſaluari poſſe vitam matris, & fætus adhuc viui exiſtentis incolumem; Non, inquam, arbitrandum, quandoquidem de vtilitate talis ſectionis pluribus exemplis conſtat, quorum vnum refert *Marcellus Donatus lib. 4. hiſtor. med. mirab. c.* 22. de quadam muliere, quæ duos gemellos conceperat, quorum alter, cum in vtero matris perijſſet, apertus eſt idem vterus, & extractus ſalua, & incolumi matre, quæ poſtea alterum fætum felicitèr perduxit ad partum naturalem. Sed, an in hac hypotheſi non ſolum poſſit mater licitè pati talem inciſionem, ſed etiam teneatur eandem ſufferre, dicam infrà.

Fœtus mortuus eſſet noxius non ſolū matri, ſed etiam alteri viuo.

5 Assertio III. Mortua iam matre non ſolum licitum eſt immediatè poſt mortem ſcindere eius vterum ad extrahendum fætum in ipſo exiſtentem, ſi ſit ſpes, quod viuat, ſed etiam eſt debitum reſpectu parentum proximiorum, & in defectum ipſorum reſpectu rectorum loci *D. Thomas 3. part. q. 68. art.* 11. *in reſpon. ad tertium*, *Alenſis 3. part. q. 17. memb. 4.*, *Paludanus in 4. diſt. 6. q. 1. art. 1. concl. 3*, *Sotus in 4. diſt. 5. q. vnica art. 11. concl. 3. circa tertium*, *Rainaudus de ortu infantium c. 2. num. 1.*, *Poſſeuinus de offic. curati c. 6. num. 8. in fine*, *Caſtrus Palaus part 4. tract. 19. diſp. vnica p. 6. num. 2.*, *Bonacina de ſacram. diſp. 2. q. 2. punct. 6. nu. 8.*, *Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrim. c. 9. num.* 144.

Mortua iam matre, ſi ſit ſpes, quod poſsit fætus extrahi viuus, nō ſolum poteſt, ſed etiam debet vterus ſcindi.

Ratio ex eo deſumitur, quia præceptum charitatis obligat etiam cum notabili detrimento proprio ad vitam corporalem proximi tuendam, & conſeruandam, quando eſt in extrema neceſſitate, & multo magis ad vitam æternam, ergo, cum in noſtro caſu nullum poſſit eſſe detrimentum reſpectu matris, cum ſupponatur præmortua, & poſſit eſſe ſpes aliqua ſalutis tàm corporalis, quàm æternæ

Rationes pro aſſertio.

fætus, licita erit ſectio vteri materni, vt extrahatur. Ex quo ſequitur, quod nedum liceat, ſed debeat fieri talis ſciſſio, adeout contra charitatem, & pietatem peccarent parentes proximiores, & illi, quibus filiorum tutela commiſſa eſt, ſi ſtatim talem ſciſſionem non procurarent, & in ipſorum defectum Rectores loci quoad ſpiritualia, & temporalia ex vi officij ſui.

Neque audiendus eſt *Rodericus de Caſtro lib. 4. de morb. muliebri c. 3. in ſcolijs*, aſſerens, impoſſibile eſt matre iam mortua fætum etiam per momentum in eius vtero poſſe viuere, eo quia ceſſante motu, ſeu vita matris prægnantis ceſſat etiam in fætu cordis motus, qui pendet ex contractione, & diſſenſione duarum arteriarum vmbelicalium, qui motus, cum primum in matre ceſſat, ceſſat etiam in fætu, quique propterea ex tali defectu neceſſariò ſtatim moritur; Non, inquam, audiendus eſt, nam fætus, vt ad aliquam moram viuat, non indiget motu pulmonum reſpirationis, nam vt benè notat *Rainaudus d. lib. de ortu infantium c. 2. nu. 8.*, neceſſaria ſolum eſt reſpiratio propter refrigerationem maximi caloris cuius ſignum euidens eſt, quod mulieres paſſione hiſtoricę laborantes propter exiguum calorem vix reſpiratione vtantur, & quandoque accidit fuiſſe ante mortem ſepulturæ traditas, ob non animaduerſam reſpirationem, quod etiam inſinuaſſe videtur *Andræas Laurentius lib. 8., Anat. c. 7. q. 26., & 27.*, cum igitur fætus habeat exiguum calorem, non eget reſpiratione, ſed ſolum tranſpiratione, ad quam valde poteſt deſeruire, ſi ſtatim aperiatur mortuæ matris os eidem immiſſo epiſtomio, vt fætus aerem poſſit atrahere. Hæc veritas multis comprobatur exemplis, & experientijs ab auctoribus relatis, quæ, ſeu, quas referre eſſet ad tædium. Videantur apud *Ioannem Angelum Boſſium tract. de effect. matrim. c. 9. num.* 146. Nobis ſufficiat vnum, vel alterum referre; ſic in particulari refert *Boſſius loco quo ſupra*, quod prægnante Auguſtiſſima Imperatrice Maria vxore Ferdinandi III., & partui proxima grauiſſimis doloribus perempta ſit, & cum ſtatim ſecta fuerit, extractus fuit infans viuus, & baptizatus, licet poſtea ferè ſtatim mortuus fuerit. Sic *Molina de iuſt. tract. 2. diſp. 624. num. 1.* refert ex matre defuncta, & ſecta extractum fuiſſe Gerardum, qui poſtea fuit Epiſcopus Conſtantienſis; De duobus alijs idem refert *Diana part. 7. tract. 5. de abortu reſol. 37.*

6 Experientijs euincitur mortua matre poſſe fætum viuū extrahi.

Aſſertio IV. Viuente tàm matre, quàm fætu, & vtroque periclitante, vel altero eorum in ordine ad vtriuſque ſalutem,

vel

Digitized by Google

7 Viuente matre, & fœtu, & vtroque periclitāte, ſi alia via ſalus vtriuſq; vel alterius haberi non poteſt, licita eſt ſectio matris.

vel fœtus tantum, quando aliunde haberi non poteſt, licita eſt vteri materni ſectio. *Ramandus de ortu infant. c. 5. per totum*, *Andræas Laurentius lib. 8., Anat. qu. 22.*, *Iacobus Duualius de Hermaphro d. ex part. c.24.*, *Franciſcus Ranchinus lib.7.qq. chirurg. q.14.*, *Daniel Neratus lib.4. med. pract. part. 2. ſect.8. c.6. caſ.3.*, *Miſaldus cent. 1. aphor. 100.*, *Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrim. c. 8. nu. 150. & ſeqq.* quidquid ex aduerſo ſentire videantur Theologi apud *eundem Boſſium loc. cit. nu. 149.* arbitrantes talem ſectionem eſſe ab intrinſeco malam.

Ratio ex eo deducitur, quia licitum eſt ex ſuperius dictis ad extrahendum fœtum mortuum admittere ſectionem in vtero matris viuentis, ergo, ſi alia via prouideri non poteſt vtriuſque, vel ſaltem alterius ſaluti, niſi ſecetur vterus maternus, licita erit talis ſectio maxime, cum per hoc videatur conſuli ſaluti æternæ fœtus.

Hic immediate oritur difficultas, an in hac hypotheſi teneatur mater talem ſciſſionem permittere? In primis certum eſt in ordine præciſè ad ſalutem matris non adeſſe obligationem permittendi huiuſmodi ſectionem, cum fieri nequeat, niſi cum acerbiſſimo dolore; ex ſuperius autem dictis quiſq; teneatur quidem vitam ſuam conſeruare per media ordinaria, at

8 In ordine ad ſalutē æternam fœtus tenetur mater ſectionem pati.

nō per extraordinaria, & difficilima. Sed, an teneatur in ordine ad vitam æternam, quæ ſperari poteſt in fœtu per baptiſmū; diſſidium eſt inter Doctores. Probabilius arbitror teneri, prout ſentiunt *Torres 2.2. tom.2. diſp.26. dub.2. n.27.*, *Ioannes Angelus Boſſius de effect. matrimon. c. 9. n.200.*, *Rainaudus de ortu infant. c. 6. nu. 8.*, *D. Thomas 2. 2. qu. 26. art. 5.*, *Cordubalib. 1. qu. 26. in ſecundo puncto*, *Ludouicus Lopez prima part. inſtruct. c.67.*, *Toletus in ſumma lib.4. c. 10. n.2.*, *Azorius tom.2. lib.12. c.4. §. tertio loco.* Ratio deducitur ex generali regula, qua lex charitatis obligat ad pręferendā vitam ſpiritualem alterius, & æternam extremè periclitantem vitæ corporali, & temporali propriæ, quod confirmari poteſt ex ijs, quæ ſupra docuimus, nempè teneri prægnantem etiam cum periculo ſuæ vitæ corporalis ex præcepto charitatis abſtinere à remedijs etiam ex natura ſua tantum ſanatiuis, ſi illa adhibendo timeatur damnum in vita ſpirituali fœtu.

Neque obſtat, ſi dicatur, vel poſſe matrem remittere vitam ſpiritualem fœtus prouidentiæ diuinæ, ſicuti eadem poteſt remittere ſalutem corporalem propriam, vel nunquam quoad hoc poſſe eſſe caſum neceſſitatis extremæ, cum ſine ſectione vteri poſſit proles in eodem vtero baptizari opera obſtetricis; vel admiſſa impoſſibilitate ſine ſectione vteri materni, quod fœtus baptizari poſſit, poſſe ſuppleri per parentum preces, & pueri oblationem, ſicuti fiebat antiquitus in lege naturæ, vt ſentire videtur *Caietanus part. 3. q.68. art.2.* & fauent *Valentia 3. parte diſp.3. q.5. punct. 3.*, *Suarez tom.3. in 3. parte diſput.27. ſect.3.* quatenus docent Deum ex ſua infinita miſericordia ſupplere defectum baptiſmi irriti ex defectu materiæ, vel formæ, vel intētionis miniſtri. Non obſtat, inquam; Non primum, quia vtique poteſt mater, cum agitur de ſua vita temporali tantum, cedere iuri ſuo, quod habet ad talia media pro eadem conſeruanda, pręſertim, ſi inferant magnum dolorem; non autem poteſt cedere iuri, quod proles habet, vt in extrema neceſſitate, in qua ſupponitur conſtituta, procuretur eius ſalus æterna, prout optimè notarunt *Ioannes Angelus Boſſius loco quo ſupra*, *Rainaudus d. c.6. n.21.*

Mater nō poteſt cedere iuri, quod habet fœtus ad ſalutē æternam.

Non ſecundum, quia ad validitatem baptizari requiritur, quod aqua pertingat corpus baptizandi, ſecus ſequeretur quod occluſus in ſacco coriaceo poſſit validè baptizari, quod nullus admittit; Non videtur autem, quomodo aqua poſſit Phyſicè contingere corpus fętus animati exiſtentis in vtero matris, cum ob oſtructionem matricis, quę à dio conceptionis vſq; ad tempus partus ita occluditur, vt nihil os eius intrare poſſit; quinimmo docent communiter Medici, quod poſtquam vterus fœminæ in ſe concepit virile ſemen ità claudatur, vt ſi ipſa fœmina ſtatim, vel mingendo, vel alio modo velit ſemen receptum abijcere, non poſſit; tum quia etiam ſi daretur obſtetrix ita perita, vt manum immittere poſſet, immediatè tamen non poſſet contingere corpus infantis, eo quia obuolutum eſt ſecundinis, quæ non ſunt partes eiuſdem fœtus, ſed prægnantis, & ſic tangendo tales ſecundinas non videtur valide baptizare, ſicuti tangens tegumentum ſacci conacij non baptizaret infantem in eodem exiſtentem. Quod, ſi aliqui aſſerant ſufficere ablutionem ſecundinarum, in quibus obuolutus eſt fœtus, præterquamquod hoc omnino gratis, & ſine fundamento aſſerunt, denegari non poteſt, quin res ſit per quam incerta, & per conſequens nunquā extraheret puerum a ſtatu ſummæ neceſſitatis ſpiritualis, ac proinde ad habendam certitudinem ſemper vrgeret neceſſitas ſectionis. Non tertium; quia abſolutè non valet illud ſupplementum pro baptiſmo, vt eruitur ex illis verbis Ioānis III. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non poteſt intrare in regnum Dei*, quæ verba, cum importent negationem, quæ

Non poteſt fœtus in vtero matris baptizari.

Non ſufficit ad ſalutē æternam fœtus oblatio pueri, nec preces.

Digitized by Google

quæ eſt malignantis naturæ, important neceſſitatē ſimplicitèr baptiſmi ad æternam ſalutem conſequendam. Deindè, ſi ſubſiſteret illud ſupplementum, nullus, vel ſaltem pauci infantes Chriſtianorum decederent ſine gratia, cum Patres ex lege charitatis preces funderent, vel deberent fundere, & infantes adhuc in vtero exiſtentes offerre. Quamobrem aliqui DD. ſententiam Caietani appellant temerariam, alij hæreſim, & Pius V. iuſſit in Romana commentariorum Caietani editione talem opinionem non apponi.

Theologi procedũt ex falſa ſuppoſitione.

Ad illud, quod dicitur ex mente Theologorum, quod ſcilicet illa ſectio ſit ab intrinſeco mala, patet ex ſupradictis, quid ſit reſpondendum, nempè Theologos ipſos procedere ex falſa ſuppoſitione, quod ineuitabilitèr ex illa ſectione ſequatur mors matris, quod tamen ex exemplis alibi adductis, & experientijs à Medicis relatis, quęque frequentèr contigerunt, manifeſtè falſum apparet.

9 **Mortua tàm matre, quàm fętu licita eſt ſectio ad bonũ cõmune.**

Aſſertio V. Tam matre, quàm fætu iam mortuis in aliorum vtilitatem licita poteſt eſſe vteri materni ſectio *Rainaudus de ortu infant. c. 1. in fine, Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrim. c. 9. nu. 143.*, hocque præcipuè locum habet, quando morbus non potuit benè cognoſci, & inſolita mala affectio fætui, & Matri mortem attulit.

Ratio ex eo deducitur, quia illa ſectio poteſt cedere in bonum, & vtilitatem cõmunem ſcilicet, vel ad peritiam artis anatomiæ, vel ad ſubueniendum alijs in ſimilibus caſibus, quibus ex defectu cognitionis talis qualitatis morboſæ vix poſſet ſubueniri, ergo non poteſt non eſſe, niſi laudabilis talis ſectio in ſimilibus caſibus; vnde communis praxis iam obtinuit, vt ſi quis aliqua infectione incognita occubuerit Medicis ſic exigentibus, & parentibus conſentientibus ipſius viſcera aperiantur. Ad indicandam huius ſectionis materni vteri vtilitatem, quando tam ipſa, quam fętus mortuus eſt, duo notabilia exempla referunt *Rainaudus, & Boſſius loc. cit.*; alterum, quod accuratè deſcripſit *Ioannes Alboſius de embrione putrefacto*, quem mulier Senonenſis per annos 28. geſtauit vtero concluſum; alterum, quod Medicus quidam Friburgenſis refert de quadam muliere, quæ de anno 1595. vterum lapideum pondere librarum ſeptem, & veſicam item lapideā, quibus vix nouacula immitti poterant per annos triginta ſeptem; propter quæ maximè laudabile fuit, & bono communi conueniens, vt earundem mulierum viſcera aperirentur, vt, cum ſimilia contingerent, vel contigiſſe ſuſpicio eſt, poſſent congrua remedia adhiberi.

Aſſertio VI. Quando mulier prægnans ob enorme delictum damnata eſt ad vltimum ſupplicium, ſi ſit ſpes, quod fætus poſſit deuenire ad partum naturalem, deferendum eſt ſupplicium regularitèr loquendo vſq; ad partum, ſecus vero vbi nulla ſit ſpes, quod ad eundem partum poſſit deuenire *D. Thomas 3. part. q. 68. art. 11. in reſponſ. ad tertium, Paludanus in 4. diſt. 6. q. 1. art. 1. concl. 3., Pelbartus roſar. 4. tract. de baptiſmo c. 5. caſ. 5., Angelus verb. baptiſmus 6. num. 2., Firmus eod. verb. num. 39., Rainaudus de ortu infant. c. 2. num. 1., Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrim. c. 9. num. 223.* 10

Damnata matre ad mortem deferendũ eſt ſupplicium vſq; ad partũ.

Quoad primam partem expreſsè colligitur *ex l. Imperator Adrianus ff. de ſtat. homin. l. prægnantis ff. de pœnis*; nec incongrua ratione hoc decernitur, quandoquidem vita æterna, & ſpiritualis fætus præferenda eſt executioni pænæ, ad quam quis tenetur etiam in vita corporali, quandoquidem illa præponderat etiam iuſtitiæ vindicatiuæ, ſi non quoad ſubſtantiam, ſaltem quoad temporis dilationem, quādo aliud grauius damnum non imminet in ordine ad bonum commune; Neque obſtare poteſt, ſi afferatur, quod ſaluti æternæ fætus in vtero matris damnatæ exiſtentis per ſectionem vteri eiuſdem matris per peritum chirurgum poſſit prouideri, adeoq; non eſſe, cur non ſit vltimum ſupplicium in ipſa exequendum; Non, inquam, obſtare poteſt, quia, quantumuis per tale remedium ſectionis poſſit conſuli ſaluti æternæ fætus, denegari non poteſt, quin tale remedium ſit incertum, quod propterea adhiberi nequit, niſi vbi aliunde eidem ſubueniri non poteſt, & in caſu extremæ neceſſitatis, & quidem non ſolum in ordine ad matrem, ne ſcilicet ſubijciatur acerbiſſimis doloribus, ſed etiam in ordine ad fætum, ne ſcilicet ſubijciatur incerto exitui, & periculo mortis, antequam educatur.

Remediũ ſectionis eſt incertum.

Ratio ſecundæ partis ex eo deſumitur, quia ex vna parte in ordine ad matrem, ſicuti poteſt Princeps eam ob delictum occidere vel hoc, vel illo modo, ita etiam poteſt eius vitam exponere ad ſectionem; ex altera parte in ordine ad fætum illi potius ſuffragatur, quam noceat, cum per hoc intendatur eius vita ſpiritualis, de cuius ſalute timetur, ſi ſic non extrahatur, ſed relinquatur vſq; ad partus naturalis tempus. *Suarez tom. 2. in 3. part. q. 68., Coninchus de ſacrament. q. 68. num. 92., Laiman lib. 5. tract. 2. c. 3. q. 1.*

Dixi quoad primam partem *regularitèr loquendo*; nam, ſi ratio publici boni exigeret, vt mater ſtatim moreretur, cum, ſi adhuc ad tempus ſuperſtes eſſet, grauiora damna

Digitized by Google

damna Reipublicæ timerentur, procul
11 dubio non negarem, quod, ſi ex ſectione vteri materni probabilis eſſet ſpes fætum non eſſe lædendum ex ſectione, ſed educendum eſſe ex vtero, adeout poſſit baptizari, poſſet licitè auctoritate publica adhiberi talis ſectio, dummodo proles ſic educta poſſet moralitèr viuere; ſecus, ſi non adeſſet probabilis ſpes, quod ex illa ſectione proles non eſſet lædenda, nec poſſet viua educi ab vtero, ita vt moralitèr poſſet viuere. Conſentiunt in vniuerſum *Rainaudus de ortu infantium c.12. num. 16.*, *Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrimon. c.9. num.226., & ſeqq.* Ratio primæ partis ex eo deſumitur, quia ratio iuſtitiæ vindicatiuæ exigit, vt damna grauia Reipublicæ impediantur etiam cum reſecatione delinquentium, poſtquã deliquerint, & bonum commune, vt membra exicialia è miſtico corpore reſecentur, antequam alia inficiant, ergo, vbi eſt periculum in mora de grauioribus damnis Reipublicæ inferendis, licitum erit vlteriori tempore non expectato eandem prægnantem delinquentem interimere, & ne fætus pereat, prius eiuſdem prægnantis ventrem reſecare, vbi poteſt eſſe ſpes felicis exitus quoad eundem partum tàm in ordine ad baptiſmũ, quam ad vitam corporalem; Neque hoc eſt directè interimere innocentem, ſeu ipſum exponere periculo manifeſto necis; ſed dumtaxat incerto periculo exponere cum maiori ſpe felicis exitus, quod vtique in ordine ad maius bonum commune licitum eſt. Hac ratione docuimus *tom. de reſtitut. ſub tit. de reſtit.1. prænot.15. ſect.5. num.4.* poſſe Rempublicam in ordine ad commune bonum eiuſdem exponere innocentem tiranno eundem dimittendo ab vrbe, quamuis ſit periculum, vt ab eodem interficiatur, quinimmo præuideatur ipſius innocentis interitus, quod etiam antecedentèr docuerant *Leſſius lib.2. de iuſt. c.9. dub.7. num.39.*, *Ludouicus Lopez prima part. inſtruct. c.60.*, quia hoc non eſt meditato cooperari ipſius morti, ſed exponere periculo ob commune bonum, ergo etiã in ordine ad commune bonum poterit incerto illi periculo exponere vitam fætus, quando probabilis viget ſpes ipſius ſalutis, cum hoc non ſit perdere meditato eundem fætum, ſed exponere incerto periculo ad certum damnum Reipublicæ euitandum. Quando verò non adeſt probabilis ſpes, quod proles poſſit incolumis extrahi, tunc certè non eſſet hoc experimentum faciendum, ſed vltimum matris ſupplicium diferendum vſque ad naturalem partum, quia hoc eſſet directè quodamodo, & proximè cooperari morti innocentis, & damnationi æternæ.

Dummodo bonũ publicum nõ exigat matrem ſtatim mori.

Et tunc admittenda eſt ſectio vteri materni.

Si ex illa extractione non ſit moralis ſpes futuræ vitæ fætus differenda eſt mors matris.

Dixi, *dummodo proles ſic educta poſſet moralitèr viuere*, nam ſi poſſet educi dumtaxat ad effectum baptiſmatis, & præuideretur non poſſe diu vitam trahere, ſed paulo poſt moritura, non libentèr concederem poſſe tunc per ſectionem extrahi, ſed aſſererem expectandum eſſe naturalem partum, & matris ſupplicium differendum, niſi aliunde ex certis indicijs cognoſceretur matrem non poſſe illum fætum trahere vſq; ad eundem partum, quia tunc illa ſectio eſſet cauſa feſtinationis mortis eiuſdem fætus, quod certè licitum non videtur.

Si autem hic inquiras, quandonam fætus in vtero matris exiſtens cenſendus ſit maturus, vt ſi extrahatur, præſumatur rationabilitèr vitalis, & poſſe longæuam vitam iuxta curſum naturalem protrahere? Sentio *cum Rainaudo de ortu infantium c.12. nu.6.*, *Ioanne Angelo Boſſio tract. de effect. matrim. c.9. num.227.* talem cenſeri, quando eſt ſeptimeſtris, adeout tunc damno publico vrgente poſſit venter matris ſecari ad ipſum extrahendum, quia tunc proles præſumitur ſufficientèr matura, & vitalis; & licet mora eius in vtero vſque ad nouimeſtrem eſſet tutior, & eidem congruentior ad maiorem perfectionem, quam conſequeretur, non propterea extractio eiuſdem in ſeptimo menſe vrgente bono communi eſſet culpabilis, cum neceſſitas publici boni præferri debeat illi aliquaſi periculo non diuturnæ vitæ illius fætus. Vide, quæ in hoc genere doctiſſimè, & eruditiſsimè ſcribit *Rainaudus d.c.12. à num.6., & ſeqq.*, qui rem plenè dilucidat, declarat exemplis, & omnia elegantèr ſoluit. 12

12 Proles ſeptimeſtris præſumitur ſufficientèr matura.

PRÆNOTIO XVI.

An ad euitandam mortem ab extrinſeco, vel infamiam licitum ſit procurare abortum fætus.

SVMMARIVM.

Sententia aſſerens poſſe vti remedijs ad impediendam conceptionem. 1.

Sententia aſſerens, quando fætus nondum eſt animatus poſſe ad euitandum infamiam vti remedio ad fætus eiectionem. 2.

Sententia aſſerens licitum eſſe fætus inanimis abiectionem in ordine ad vitam, non in ordine ad famam ſeruandam. 3.

Sententia aſſerens licitam eſſe tàm in ordine ad vitam, quàm in ordine ad famam abiectionem ſeminis, quando adhuc non eſt coagulatum, ſecus quando eſt coagulatum. 4.

Non eſt licita neq; in ordine ad famam, neq; in

Digitized by Google

in ordine ad vitam fætus emiſſio ſiue viuat, ſiue non, ſiue ſemen ſit coagulatum, ſiue non. 5.

Intellige niſi per vim oppreſſa conaretur ſtatim ſemen emittere. 6.

Status cõtrouerſiæ exponitur.

SVppono, quod fæmina aliqua nobilis, & honeſtæ conditionis conceperit ex coitu fornicario, cumque inde timeret, ſi crimen panderetur ventre intumeſcente, ne à conſanguineis occideretur, vel grauem infamiam conſequeretur, ſedulò meditaretur fætum conceptum ab vtero medijs pharmacis, alijſq; ad hunc effectũ ordinatis dimittere, hocq; ſiue idem fætus eſſet anima informatus, ſiue informis, & ſubindè quærebat, an hoc poſſet tuta conſcientia peragere.

1 Sententia aſſerens poſſe impediri cõceptionẽ.

Doctores in hoc quæſito diuiſos inuenio. Nonnulli apud *Azorium parte 2. lib. 2. c. 26. q. 4.* docuerunt ad euitandam infamiam poſſe licitè vti remedio, quo impediatur fætus conceptio, cum hoc non ſit propriè abortum procurare.

2 Sententia aſſerens licitã eſſe fetus abiectionem, quando non eſt animatus.

Alij abſolutè aſſeruerant, quotieſcunque fætus adhuc non eſt animatus, licitum eſſe nedum ad vitam ab extrinſeco periclitantem conſeruandam, ſed etiam ad infamiam vitandam procurare ſeminis recepti, ſeu fætus abiectionem. Ita *Leozambellus in repert. mor. verb. Medicus num. 11., Bordonus qq. regul. part. 1. reſol. 45. num. 4.*, hancque opinionem probabilem exiſtimant *Truilenchus in Decalog. lib. 5. c. 1. dub. 3. nu. 1. in fine, Lezana part. 3. verb. abortus num. 5.* Mouentur ea ratione, quia ad tuendam vitam matris ab intrinſeco periclitantis, licitum eſt procurare abortum fætus adhuc inanimis, ergo etiam ad eandem tuendam, quando ab extrinſeco periclitatur, licitum erit &c. Ex quo deinde inferunt licitum hoc etiam eſſe ad euitandam infamiam, cum grauis infamia mortis periculo æquiparetur.

3 Sententia aſſerens licitũ eſſe talem abiectionẽ in ordine ad vitam nõ autem ad famã ſeruandam.

Rainaudus *de ortu infant. c. 10. num. 46.* videtur aſſerere in ordine ad vitæ periculum ab extrinſeco, licitum eſſe procurare abortum fætus adhuc inanimis, non verò in ordine ad infamiam vitandam. Verba eiuſdem formalia recito. *Cenſebitur graue exitij periculum vitæ matris, quæ ex ſcelere concepit, ſi ſceleris comperta per vim extrinſecam læthò danda, iniuſtè licet, ſed tamen ex vſu furentium ob eam nequitiam hominum, prænoſcatur. Tunc enim mater abſq; nouo ſcelere per fætus nõdum animati abiectionem, non honori ſuo ac famæ, ſed vitæ proſpicere poterit.*

Alij tandem ſtatuunt, quod, ſi ſemen intra vas muliebre recentèr receptum ſit, & nondum coagulatum, licitum ſit idem dimittere ad vitam, vel famam ſeruandam, ſecus verò, ſi iam fuerit coagulatum. Quid verò in hac opinionum diuerſitate ſentiendum?

4 Sententia aſſerens licitã eſſe abiectionem, quando ſemen nõ eſt coagulatum, ſecus non.

Aſſertio. Non eſt licitum reſpectu fæminæ, quæ concepit ex illicito coitu neque ad famam, neque ad vitam periclitantem ab extrinſeco procurare abortum fætus ſiue animati, ſiue inanimis, ſiue eiectionem ſeminis nondum coagulati, niſi fortè in hoc vltimo caſu per vim fuerit oppreſſa. *Azorius tom. 3. lib. 2. c. 4. q. 2., Filliucius tract. 29. num. 103., Tannerus tom. 3. diſp. 4. q. 8. nu. 38., Baſilius Pontius lib. 10. c. 13. num. 2., Ioannes Lugus de iuſt. tom. 1. diſp. 10. ſect. 5. num. 130., Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrim. c. 9. num. 94.*, qui appellat hanc opinionem communiſſimam, & certam, & ex Iuriſtis *Menochius de arbitrar. caſ. 357. in fin., Iulius Clarus in pract. crim. q. 64. num. 2., Antonius Theſaurus deciſ. Pedem. 12. num. 12., Farinacius in praxi crimin. q. 122. num. 188., Archi Diaconus in c. baptizandis in q. 1. num. 1., & 2.*

5 Nõ eſt licita neq; in ordine ad famã, nec in ordine ad vitam fætus eiectio ſiue viuat, ſiue non.

Probatur primo ex peſſimis conſequẽtibus, quæ inde prouenirent admiſſa contraria ſententia, nam, ſi ad tuendum honorem, vel vitam licita eſſet talis procuratio, effrenis nimium fieret mulierum, & maximè puellarum licentia, quarum pleraſque conſtat his flagitijs, & libidinibus abſtinere tantum, ne ſuperueniente fætus conceptione, & ventre intumeſcente crimen pandatur cum ipſarum infamia, & fortè etiam vitæ detrimento, cui, ſi prouidere licitè poſſent impediendo curſum generationis, & procurando fætus eiectionem, oh quod flagitia committerent in quas libidines, & obſcænitates non erumperent?

Effrenis fieret mulierum licentia.

Alia ratio aſſertionis.

Probatur ſecundo, quia ex ſuperius dictis vrgente periculo mortis in matre ab intrinſeco ratione ſcilicet fætus concepti non poteſt ad vitandum tale periculum ſumere remedia directè cauſatiua necis fætus, ergo neque ad vitandum tale periculum ab extrinſeco, & ſi non poteſt ad ſaluandam vitam, quæ eſt radix, & fundamentum famæ, & honoris, multo minus poterit ad ſaluandum honorem, & famam, quæ ſunt bona minus pretioſa, quam ſit vita *l. ſancimus C. de ſacroſ. Eccl.*, & quamuis honor ſit maximum bonorũ temporalium *l. Iulianus ff. ſi quis omiſ. cauſ. teſtam.*, & melius ſit bonum nomen, quam diuitiæ multæ *prouerb. 22.* eſt tamen minus bonum, quam vita, quæ eſt fundamentum eiuſdem honoris.

Soluitur inſtantia oppoſitæ ſententiæ.

Quod, ſi aliqui dixerint infamiam grauem eſſe peiorem morte, & pro honore moriendum, prout videtur colligi ex textu *in l. iuſta ff. de manumiſ. vind.*, dicendum erit vel *cum Nauarro in c. inter verba 11.*

Digitized by Google

q.3.concl.4. à num.20. huiuſmodi eſſe dictum Ethnicorum errantium, vel intelligendum eſſe, vt aſſerit *Ioannes Angelus Boſſius tract.de effect.matrimon. c.9. num.97.* de honore fundamentali,& radicali conſiſtente in eo, quod verum cauſat honorem, quod conſiſtit in actionibus virtutum,& declinatione peccatorum,ad quæ conſequitur honor actualis, & pro quibus, cum caſus euenerit,poteſt licitè vita profundi.

Fœmina ſe spontè coniecit in illud periculũ. Probatur tertio, quia fæmina, quæ ex illo illicito coitu concepit ſpontè, & voluntariè,& quidem culpabilitèr ſe coniecit in illud vitæ,& famæ,& honoris periculum, cum illud præuiderit,vel præuidere potuerit, ergo non poterit poſtea ab illo declinare per iniuſtam fætus concepti abiectionem,ſi quidem debet ſibi imputare,quod illum ſpontè,& voluntariè admiſerit, ſeu receperit, & quamuis liberè admiſerit, non propterea poteſt liberè reijcere, quia quæ ſunt voluntatis ante factum, ex prout facto ſunt neceſſitatis, & turpius eicitur, quam non admittitur hoſpes.

Alia ratio euincens aſſertum. Probatur quarto, quia nec ad vitam, nec ad honorem tuendum, licitum eſt directè procurare ſeminis emiſſionem,vt eſt in confeſſo apud omnes, ergo neq; in ordine ad eandem vitam, & honorem ſeruandum licitum erit directè procurare fætus iam in vtero recepti emiſſionem, nam proximior eſt ad vitam fætus, quam ſemen. Neq; dicas naturam magis inſiſtere,ne profundatur ſemen, quam fætus, eo quia ratione delectationis, quæ eſt in pollutione,& non in eiectione fætus niſi ſpeciali ratione à natura interdiceretur eiuſdem ſeminis profuſio, in aſſiduas homines ruerunt pollutiones; contra enim impugnaberis, nam delectatio, vt ſuperius dicebam,eatenus eſt mala, quatenus eſt actus mali, nec prohibita intelligitur, niſi quatenus prohibita intelligitur operatio,quam ſequitur, ergo ratione delectationis non poteſt dici pollutio intrinſecè peior, cum in ratione actus non ſit peior, quinimmo minus malum, nam quod effunditur in pollutione magis diſtat à vita, quam quod deperditur in abortu.

6 Intelligēti fœmina ipſa per vim oppreſſa ſtatim cōnaretur ſemen emittere. Dixi *niſi fortè in hoc vltimo caſu fœmina fuerit per vim oppreſſa*, nam ſi ſtatim poſt coitum fornicarium, & inuoluntarium reſpectu eiuſdem fæminæ eadem ſemen virile receptum conetur emittere, arbitrarer non grauitèr peccare, prout docent *Marchantius in reſol. Pa. part.1. c.6. q.21.*, *Diana part.7.tract.5 de abortu reſol.31. in fine*, quia hoc eſſet ſe defendere contra iniuſtum inuaſorem, cuius inuaſio intelligitur moralitèr perſeuerare in illo ſemine;nec arbitrandum eſt,illam emiſſionem ſeminis iam à fornicario,quantumuis per vim recepti eſſe contra naturam,& ab intrinſeco malam,cum idem ſemen fruſtraretur fine generationis, ad quem eſt ordinatum; Non,inquam,arbitrandum,quia ipſi fæminæ per vim oppreſſæ illa emiſſio non eſt imputabilis ad culpam, ſicuti nec illa fruſtratio ſeminis ipſius, quandoquidem ipſa non eſt cooperata illi immiſſioni,& per conſequens, nec tenetur inuita immiſſum ſemen retinere, præcipuè quando plenam poſſeſſionem in ipſius vtero non acquiſiuit. Sed de hoc infra vberius.

PRÆNOTIO XVII.

An Pater, & Mater non impedientes abortum, cum poſſint, incurrant in excommunicationem,& irregularitatem latam à Sixto V.

SVMMARIVM.

Sententia aſſerens parentes teneri ad defenſionem filiorum ex rigore iuſtitia. 1.

Probabilius non peccant contra iuſtitiam. 2.

Parentes non impedientes abortum cum poſſint,peccant contra naturalem pietatem. 3.

Quantumuis grauiſſimè peccent non impediendo,non contrahunt tamen excommunicationem. 4.

PLurimum conferre poſſe videtur ad diſcutiendum præſentem titulum examen, an parentes teneantur ad defenſionem quoad vitam, & bona filiorum ex lege rigoroſæ iuſtitiæ,an verò ſolummodo ex ordine quodam charitatis, & naturalis pietatis, qua in controuerſia DD. diuiſos inuenio. *Leſſius lib.2. de iuſt. & iur. c.9.dubit.13.num.94.* ſuſtinet non obligari parentes ad defenſionem vitæ,& bonorũ filiorum ex lege rigoroſæ iuſtitiæ, ſed ſolùmodo titulo pietatis, & officij paterni. Contrarium ſtatuunt *Portellius in dub.Reg. verb.abortus num.14.*, *Laiman lib. 3.ſect. 5. tract. 3. part.3. c.4. num.9.*, *Auila part.7. diſp.6. ſect.2.dub.7.concl.2.* Probabilius arbitror,non obligari ex iuſtitia, quia inter Patrem,& filium formalitèr,vt tales non datur propria,& rigoroſa iuſtitia,cum in ijs, in quibus conſiderantur, vt tales, eadem perſona reputentur *l.fin. in fin.C.de impub.*, *& al. ſubſtit. c. contradicimus 35. q.3.* Ad perfectam iuſtitiam requiritur perfecta alteritas, vt eſt in confeſſo apud omnes; vnde Pater non tenetur ex iuſtitia,ſed tantum titulo pietatis,filios alere, educare &c. cuius veritatis ſignum eſt, quod,

1 Sententia aſſerens teneri parentes ad defenſionem filiorũ ex iuſtitia.

2 Probabilius non obligãtur ex iuſtitia

quod, ſi Pater in his, & ſimilibus deficiat, non teneatur aliquid compenſare, ad quod certè teneretur, ſi obligaretur ex iuſtitia. Hic tamen obiter aduerto, quod, quamuis negetur inter Patrem, & filium debitum ſecundum iuſtitiam ſimplicitèr, non tamen negatur debitum ſecundum naturalem virtutem, ſecundum quam ſtrictius tenetur Pater in ijs rebus, & actionibus, in quibus conſideratur, vt talis filio, quam cuilibet alteri.

3 Parentes non impedientis cum poſſint abortum fœtus, peccant contra naturalē pietatem.

Aſſertio I. Pater, & mater non impedientes cum poſſint, abortum peccant contra ius naturalis pietatis, non ſolum quatenus tenentur cuilibet ſubuenire in eius extremis neceſſitatibus, ſed etiam, quatenus ex ſpeciali iure eiuſdem pietatis obligantur. Eſt communis.

Ratio ex eo deducitur, quia ordo charitatis, & naturalis pietatis non ſolum obligat, & quidem ſub graui, ad ſubueniendum vnicuique in extrema neceſſitate conſtituto, ſed etiam eo magis, & fortiori iure erga eos, qui iure naturæ ſunt proximiores, quam erga remotiores, ſed quis non impediendo cum poſſit alterius damna in neceſſitate conſtituti quoad vitam peccat contra ordinem naturalem charitatis, & pietatis, ergo multo magis peccabit non impediendo damna proprij filij, cum poſſint, & hoc ratione ſtrictioris iuris, quo obligatur Pater erga filios. Confirmari poteſt ex ijs, quæ communiter docent peccare ſcilicet grauitèr maritum, qui congrediendo cum propria vxore prægnante non quidem ad effectum abortus, ſed ad captandam libidinem vehementer agitaretur in corpore, ſi inde abortus ſequeretur, prout docent *Floronus de caſ. reſeru. part. 2. caſu 5. nu. 9. verſ. ſexto locum habet, Diana part. 7. tract. 5. de abort. reſol. 30.*, ergo etiam peccabit ſciens abortum fætus procurari, & non impedit, cum poſſit impedire.

4 Quamuis grauiſſimè peccent, non contrahunt excommunicationē.

Aſſertio II. Pater, & Mater non impedientes, cum poſſint, abortum, quantumuis grauiſſimè peccent, non tamen incidunt in excommunicationem, & irregularitatem latam à Sixto V. Hanc magis videtur ſuſtinere *Diana part. 4. tract. 2. reſol. 8., & part. 7. tract. 5. de abortu reſol. 28.*, & ipſam ſuſtinet *Eminentiſſimus de Lugo de iuſt. tom. 1. diſp. 10. ſect. 11. n. 222., Turrianus de cenſ. lib. 9 diſp. 63. dub. 3., Hurtadus de irregul. diſp. 2. diff. c. 9. n. 34.*

Rationes pro aſſerto.

Probatur primò, quia quamuis, ſi non ordo iuſtitiæ, qui negatur, ordo ille pietatis naturalis parentis in filios efficiat quodamodo, quod moraliter ille effectus eiectionis ipſi Patri imputetur ad culpam per ea, quæ in præcedenti aſſertione probauimus, non conſtituit tamen propriè ipſum Patrem homicidam, nec propriè procurantem, & rigoroſè abortum, ergo non incurrit excommunicationem, nec irregularitatem comminatam contra procurantes abortum. Antecedens patet, quia procurare eſt ſtudioſè curare, quod importat actionē quandā poſitiuā, & influxū, quem non connotat non impedire. Confirmatur, quia pænæ, ſeù cēſuræ impoſitæ contra committentes aliquod delictum non compræhendunt conſulentes illud delictum, niſi hi exprimantur in lege pænali, & prohibitoria, ergo multo minùs compræhendent non impedientem, ſed in conſtit. Sixti V. non exprimuntur non impedientes, ergo &c.

Pænæ contra excercentes nō extenduntur ad non impedientes.

Probatur ſecundo, quia ideò Aduerſarij ponunt incurrere Patrem, & Matrem excommunicationem, & irregularitatem, quia putant onus tuendi filios parentibus incumbere non ex ſolo ordine pietatis, ſed etiam ex lege rigoroſæ iuſtitiæ, ſed hoc ex præmiſſis non ſubſiſtit, ergo &c.

Exponitur cuiuſdam Neoterici, ſententia volentis non impedire in hoc caſu eſſe procurare.

Neotericus quidam, cuius ſemper admiratus ſum ingenium, & veneratus doctrinam, fauens contrariæ opinioni aſſerit non impedientem, cum poſſet impedire, maximè ſi teneretur vel iure iuſtitiæ, vel titulo pietatis verè procurare; nam procurare eſt media adhibere ad aliquem finem; inter media autem numerat non ſolum poſitiua, ſed etiam negatiua, quæ ait ſufficere ad hoc, vt aliquis dicatur procurare; Quis enim audebit dicere, inquit ipſe, tirannos non procuraſſe mortem illorum martirum, quibus negabant alimenta neceſſaria ad vitæ conſeruationem? Addit multas leges tàm ciuiles, quàm canonicas, quibus deffinitur illum eſſe reum mali, quod ſequitur, quando potuit impedire, & noluit *l. liberorum, ff. de his qui not. infam. l. iubemus, §. œconomus, C. de ſacroſ. Eccleſ. l. adigere, ff. de iure patr. c. non inferenda, & c. qui poteſt 22. q. 3.*, vbi legis redditur ratio; non enim caret ſcrupulo ſocietatis occultę, qui manifeſto facinori deſinit obuiare. Sed pace tanti viri hæc ab ipſo, licet ingenioſè adducta non me remouent à mea opinione;

Eiuſdem opinio exploditur.

Non primum; nam procurare eſt verè concurrere, & cooperari; magis enim ex ipſa vi nominis eſt procurare, quam permittere, & merè negatiuè ſe habere; Qui autem non defendit, ſolum permittit, & ſolum negatiuè ſe habet, adeòq; &c. Media item negatiua ſunt in duplici differentia, alia, quæ quamuis in re nullam dicant poſitiuam operationem, ſed conſiſtant in abſtinentia ab operatione, tamen per actū poſitiuum, & quaſi coactiuum importantur, cuiuſmodi eſt negatio alimentorum, erga martires iuſſu tiranni, qui poſitiuè concur-

Digitized by Google

concurrit ad mortem per actum illum poſitiuum, quo denegat alimenta, vt pereant ex inedia; Alia ſunt negatiua ſimplicitèr, quatenus nec in ſe, nec per aliquem alium actum antecedentem influunt in effectum, ſed præciſè conſiſtunt in deſiſtentia ab operatione. Qui per media negatiua primò modo accepta dirigitur in finem verè procurat, non ſic qui per media negatiua ſecundo modo, vt conſideranti ſit notum; primus per media negatiua concurrit poſitiuè ad mortem; ſecundus per media negatiua concurrit ſolum permiſſiuè.

Soluitur ſecundum ipſius dictum. Ad id, quod ſubdit quoad leges ciuiles, & canonicas, dicendum eſt per huiuſmodi leges verè inferri eſſe reum mali iuxta primam noſtram aſſertionem, cum malum, quod ſequitur, ipſi imputetur ad culpam ex defectu, quod non impedierit; at non per hoc importatur, quod verè ſit auctor illius mali, & quod ſubiaceat pænis illatis contra auctores &c., cum ex vno capite non impedientes non cooperentur poſitiuè ad illud malum, & ex alio non exprimantur in lege pænali vtſupra.

Soluitur tertium. Ad id tandem, quod ſubditur pro ratione, & fundamento legum videlicet, quod non caret ſcrupulo ſocietatis occultæ, qui manifeſto facinori deſinit obuiare, dicendum eſt, ex hoc ſolum euinci in foro externo contra talem, qui cum necem facile poſſet impedire, neglexit, præſumptionem fortem eſſe conſenſiſſe, & conſpiraſſe in cædem, vt conſtat *ex c. ſicut dignum, §. illi etiam de homicidio, & c. quanta de ſent. excommun.*

PRÆNOTIO XVIII.

An, qui commiſit crimen abortus fætus animati ſecuto effectu, gaudeat immunitate Eccleſiæ, ſi ad illam confugiat.

SVMMARIVM.

Quidnam veniat propriè nomine actus proditorij. 1.

Per abortum fœtus animati non priuatur quis immunitate Eccleſiaſtica. 2.

Non eſt propriè ſimulata amicitia. 3.

Occidens dormientem non dicitur proditoriè occidere, niſi attraxerit per ſimulatam amicitiam. Ibid.

ORtum habet hæc difficultas ex ijs, quæ habet *Gregorius XIV. in ſua conſtit. edita die 28. menſis Maij 1591., quæ incipit cum alias nonnulli*, vbi §. 3. ſtatuit, quod Eccleſiæ immunitas non ſuffragetur ijs, qui proditoriè proximum ſuum occiderint, quo poſito in præſenti controuertitur, an verè nomine proditoris propriè veniat procurator abortus fætus animati? Pro quo.

Aduerte actum proditorium homicidij duo ſecundum ſe, (vt actus dicatur perfectus) importare induſtriam ſcilicet, & inſidias, vt habetur *in c. 1. de homicidio*, quæ vt docet *Suarez tom. 1. de Religione lib. 3. c. 11. n. 12.* non ſunt ſinonima, nec dicuntur ad conuertentiam ſaltem mutuò, & adæquatè; licet enim, qui occidit per inſidias, occidit ex induſtria, non tamen è contra; tunc autem interueniunt inſidię, quando quis aliud verbis, aliud in mente fouens interimit aliquem nihil tale præcauentem nulla præcauendi cauſa præcedente, ſeù quando quis doloſè circumuenit alium, & doloſè ſeducit, vt eum occidat. *Gloſa in c. clericus pr. q. 46.*, quæ contingunt, vel quando quis occiditur ſedens, vel comes in via, vel per venena, dummodo occiſus fuerit incautus, & per dolum; copulatiuè etenim ſunt accipienda illa verba per induſtriam, & per inſidias *Bartolus in l. 1., ff. de pactis*, quod fundatur in eo, quod, cum hæc lex ſit pænalis, & odioſa, debet cum reſtrictione, & non cum ampliatione ſumi. His ſuppoſitis ſit. I Quidnam veniat propriè nomine actus proditorij.

Aſſertio. Probabilius per abortum fætus animati non priuatur quis immunitate Eccleſiaſtica. *Bonacina de cenſur. in part. diſp. 2. q. 3. punct. 16. §. 8. n. 8., Diana part. 2. tract. pr. reſol. 72., Franciſcus Leo theſaur. for. Eccl. part. 1. c. 13.*, & alij magis communiter, quidquid ex aduerſo dixerint *Peregrin. de immun. Eccl. c. 3. n. 8., Farinacius in append. c. 8. n. 138.* 2 Per abortum fætus animati non priuatur quis immunitate Eccleſiaſtica.

Ratio eſt, quia, qui procurat abortum fætus etiam animati, non eſt verè, & propriè proditorius occiſor, ergo non incurrit huiuſmodi pænam priuationis immunitatis Eccleſiæ; pænæ etenim maximè Eccleſiaſticæ, vtpotè odioſæ, non incurruntur, niſi per actus delictorum verè in propria ſpecie conſummatos. Antecedens probatur, quia vera proditio non eſt, vbi non interueniunt inſidiæ, nec dolus; reſpectu autem procurantis abortum, nec dolus, nec inſidiæ ſunt; tum quia fætus non eſt capax, vt dolus committatur in ipſum, eo quod non eſt capax rationis; tum quia inſidiæ debent eſſe ſub ſpe ſimulatæ amicitiæ, ſub qua occiſus quodamodo decipiatur; decipi autem ſub hac ſpecie non poteſt fætus, cum non ſit capax cognoſcendi hanc ſimulationem; nec procurans directè abortionem, aliud habet in verbis quibus decipiat, aliud in corde, cum per remedia tam per actus internos, quàm per externos tendat ad illius 3 Non eſt propriè ſimulata amicitia.

Digitized by Google

illius internectionem.

Dices primò, quod, quamuis fætus ſit incapax, vt in ipſum committatur dolus, non ſit tamen incapax illum exercendi procurans, qui propterea non poteſt effugere pænas proditoriè fallentium, ſicuti non effugit, qui vel dormientem interficit, vel veneno occidit non cogitantem. Sed contra, quamuis in huiuſmodi actibus malitia maior dignoſcatur in procurante, quia tamen ipſos non exercet ſub ſimulatione amicitiæ, nec propriè inſidias parat, non eſt propriè proditorius homicida, nec pænas ſaltem ordinarias proditorum incurrit. Ad id, quod ſubditur de dormiente, vel occiſo per venenum, dicendum eſt, niſi fuerit per inſidias, & ſimulata amicitia tractus in locum, in quo dormit, vel veneno inficitur, rigoroſè actum proditorium, quantum ſpectat ad priuationem immunitatis Eccleſiæ, non exerceri, vt in ſpecie de dormiente docent communitèr DD., & de veneno infecto declarauit Clemens VIII. Archiepiſcopo Panormitano ſub die 6. Februarij 1597. Dixi *quantū pertinet ad immunitatem Eccleſiæ*; nam quoad alias pænas in iure ciuili puniuntur huiuſmodi actus, ac ſi eſſent verè proditorij.

Inſtantia propoſita, & diſſoluta.

Dices ſecundo, quis diceret non eſſe proditorem Patrem domi occidentem filium innocentem, quem tamen non traxit domum per inſidias, & dolum? Sed contra, quamuis in iure ciuili crimen hoc parentis æquipolleat homicidio proditorio, & pari pæna puniatur, cum etiam grauius videatur occidere infantes, qui ſibi præcauere non poſſunt, quam alios; Nihilominùs, cum tale crimen non ſit rigoroſè, & perfectè proditorium, vt ſupra, in iure canonico non ſumitur, vt ſufficiens ad tollendum priuilegium immunitatis, prout latius *Franciſcus Leo in theſaur. fori Eccleſiaſtici part. pr. c. 13. n. 25., & ſeqq.*, & quamuis videatur grauius delictum, non propterea extendendum eſt ad pænas proditoriorum homicidarum, cum deficiat in conditione ad hoc requiſita, prout ſupra.

Alia inſtātia propoſita, & ſoluta.

DISQVISITIONES I.

A prima ad octauam prænotionem incluſiuè.

§. I.

An, ad incurrendas pænas abortus fætus animati requiratur, vt ſit animatus anima rationali.

SVMMARIVM.

Proponitur facti ſeries in ſuis terminis. 1.
Exponitur nonnullorum opinio affirmatiuum fætum prius viuere vita plantæ, quam hominis. 2.
Reicitur hæc opinio. 3.
Quando fætus viuit vita plantæ eſt informatus anima rationali, & ſic qui procurat abortū ipſius incidit in pænas procurantium abortum fætus animati. 4.
Excluduntur rationes aſſerentium vitam vegetatiuam præcedere. 5.

Disquiſitio I. Contingit, quod fæmina poſt conceptionem nolens ſubiacere pænis abortentium ratione fætus animati pharmaca, vel aliud remediū ſumpſerit pro tempore, pro quo arbitrabatur fætum dumtaxat viuere vita vegetatiua, vel ſenſitiua, non rationali, aliquorum edocta conſilio, qui aſſerebant animam rationalem non accedere ad informādum fætum, niſi poſt vegetatiuam, & ſenſitiuam. Quæſitum hic fuit, an non obſtante quod arbitretur fætum ſolum viuere vita vegetatiua, vel ſenſitiua incurrat pænas omnes contra procurantes abortum fætus animati? 1

Senſus tituli expoſitus.

Oritur hæc difficultas ex ijs, quæ agitantur apud Philoſophos, an fætus humanus prius vitat vita vegetatiua, quatenus prius hac informatur, deindè ſenſitiua, & tandem rationali, an verò ſtatim informetur anima rationali, licet in actu ſecundo prius exerceat operationes vegetatiuæ, quatenus prius ſint diſpoſita organa pro huiuſmodi operationibus, deinde operationes ſenſitiuæ, tandem rationalis. *Ariſtoteles ſecundo de generat. animal. c. 3.*, aſſerit fætum prius viuere vita plantæ, deinde vita animalis, tandem vita hominis; ex quo plurimi occaſionem ſumpſerunt aſſerendi prius immitti embrioni animam vegetantem tantum, tum aliam merè ſenſitiuam, ac deniqua rationalem; atq; ita ſenſerunt *Gregorius in ſecundo diſt. 16. q. 2. art. 1. concl. 2. ad 6.*, *Co-* 2

An, verè fætus humanus prius viuat vita vegetatiua, quam rationali.

Opinio nonnullorum affirmatiua exponitur.

dronchus

Digitized by Google

dronchus lib. 1. *de Chriſt.*, *& tura med. rat. c.* 22., *Scaliger exercit.* 290. *n.* 2., *Toletus* 2. *de anima q.* 7., *Fonſeca* 7. *metaph. c.* 12. *q.* 1. *ſect.* 3. *ad primum*, *& alij plures apud Ruinaudum de ortu infant. c.* 10. *n.* 48. Nihilominùs iuxta mea principia in quæſtionibus de anima fœtus vnica tantum informatur anima rationali, quæ cum formaliter eminentèr contineat vegetatiuam, & ſenſitiuam per ſe ipſam exercet operationes eiuſdem vegetatiuæ, & ſenſitiuæ; neque neceſſe eſt tot multiplicare animas in eo-
3 Reiicitur hæc opinio.
dem viuente, cum pro operationibus omnium vna ſufficiat rationalis continens gradus vtriuſq; præcedentis; atq; ita ſentiunt *Gregorius Niſſenus lib. de homin. opif. c.* 29., *Hurtadus diſp.* 2. *de generatione ſect.* 8., quinimmò refert *Viguerius c.* 1. *Inſtit. §.* 2. *verſ. pr.* contrariam ſententiam ab Oxonienſi academia, & Archiepiſcopo Cantuarienſi fuiſſe damnatam, & alij referunt D. Auguſtinum pleno ore docuiſſe, fuiſſe manichæorum errorem conſtituere tres animas in homine.

Neque obſtat auctoritas Ariſtotelis loc. cit., nam ibi non vult, quod præceſſerit vita vegetatiua, tanquam diſtincta à rationali, ſed ſolummodo prius exerceantur operationes plantæ, quæ ſunt vegetatiuæ, deinde animalis, quæ ſunt ſenſitiuæ &c., quæ tamen eſſe poſſunt, & de facto ſunt ab vna, & eadem rationali. Quamobrem.

Reſpondetur auctoritati Ariſtotelis.

4 Viuit vita plantæ, ſimul, & rationali, ac proinde ipſius abortum procurans incurrit pœnas.

Reſpondeo ad incurrendas pœnas contra procurantes abortum fœtus animati ſufficere, quod fœtus conceptus viuat in actu ſecundo vita plantæ, ſeù vegetatiua. Ratio eſt, quia quamuis appareant ſolummodo operationes vegetatiuæ, huiuſmodi operationes tamen procedunt ab anima rationali informante, quam ſupponunt, ergo re vera anima rationalis tunc intelligitur creata, & informans, quamuis non elucescat, niſi in operationibus vegetatiuæ: Antecedens patet ex mox dictis; cum enim contra rationem, & auctoritatem non congruè aſtruantur in eodem homine tres animæ, debemus ex conſequenti aſſerere omnes operationes ab eadem anima prouenire.

Neque dicas, verum quidem eſſe non ſimul perſeuerare in eodem homine tres animas, prout optimè probant rationes, & auctoritates allegatæ, ſed per hoc non tollitur, quin debeat præceſsiſſe vegetatiua ad ſenſitiuam, cum ante ſenſationes præſuponatur nutritio, & ad intellectionem ſenſatio, licet poſtea ad aduentum ſenſitiuæ deſinat vegetatiua, & ad aduentum rationalis deſinat ſenſitiua. Contra enim eſt primo, nam ex communi ſententia admittentium has animas in homine, cum vegetatiua ordinetur ad ſenſitiuam, & hæc ad rationalem, vt diſpoſitiones, non video, cur vegetatiua corrumpi debeat ad aduentum ſenſitiuæ, & hæc ad aduentum rationalis; certè aliæ diſpoſitiones nō corrumpuntur per formam aduenientem, ad quam ſunt diſpoſitiones, quin potius per ipſam magis radicantur in ſubiecto. Secundo, quia hoc difficile poſſet ſaluari in miſterio incarnationis, in quo, cum in eodem inſtanti conceptionis verbum diuinum per hypoſtaticam vnionem terminauerit naturam humanam, non poteſt dici, quod ad aduentum ſenſitiuæ animæ receſſerit vegetatiua, & ad aduentum rationalis receſſerit ſenſitiua, cæteroqui, quod ſemel aſſumpſiſſet, dimiſiſſet, quod eſſet contra Apoſtolum.

5 Excluduntur rationes aſſerentium præcedere vitam vegetatiuam ad rationalem.

Cum igitur firmum ſit, quod omnes operationes etiam vegetatiuæ animæ proueniant ab anima rationali, manifeſtè colligitur, quod pro eo tempore, pro quo exercentur huiuſmodi operationes intelligatur anima creata, adeoque, quod in abortu interueniret iactura ipſius, & ſemper in limbo beatifica viſione careret, ex quo ſequitur, quod procurans talē abortum non effugiat pœnas comminatas cōtra fœtus animati internectorem; præcipuus enim finis Sixti V., & aliorum Pontificum fuit conſulere ſaluti animarum fœtus, vt ex præambulo Conſtitutionis eiuſdem Sixti V. manifeſtè apparet.

---

§. II.

Cur abortus fœtus adhuc inanimis dicatur homicidij feſtinatio.

SVMMARIVM.

Exponitur textus, ex quo ſumitur hæc dubitatio. 1.

Reiicitur nonnullorum opinio impingentium Tertulliano hunc errorem, quod anima à parentibus per traducem cum ſemine deriuetur in fœtum. 2.

Expenditur textus in c. ſi aliquis de homicidio. 3.

Senſus Tertulliani eſt, quod abortus ſit abiectio hominis in potentia. 4.

Diſquiſitio II. Tertullianus *c.* 9. *Apologotici* grauitèr inuehens contra Ethnicos hanc notam Chriſtianis impingentes, quod admitterent tanquam licitum infanticidium in hæc verba prorupit. *Nobis vero homicidio ſemel interdicto etiam conceptorum vtero, dum adhuc ſanguis in hominem dilabitur diſſoluere non licet. Homicidij* 1

1 Textus Tertulliani profertur.

Digitized by Google

micidij feſtinatio eſt prohibere naſci, nec refert natam quis eripiat animam, an naſcentem diſturbet. Homo eſt, & qui futurus eſt, & fructus omnis iam in ſemine eſt. Hic iam quæritur, cur hæc fætus inanimis abiectio dicatur *feſtinatio homicidij*; nec ambigendum eſt Tertullianum loqui de fætu etiam nondum animato, cum dicat, *& fructus omnis iam in ſemine eſt*.

Nonnulli voluerunt Tertullianum hanc fætus inanimis abiectionem appellaſſe homicidij feſtinationem, eo quod *lib. de anima c. 9., 19., 22., 27., et 36.* ſenſerit

2 **Error nõnullorum reijcitur volentiũ Tertullianum voluiſſe animam deriuari in fætum per traducem.**

animam hominis per traducem ad ſingulos deriuari, quaſi quod voluerit animam hominis, qui concipitur venire ad eum intra ſemen actu, & formalitèr, & propterea eam ſeminis abiectionem eſſe excuſionem rei animatæ, & per conſequens homicidij feſtinationem. Sed meritò ab hac nota vindicant *D. Auguſtinus Epiſt. 157., & Ioannes Brunellus repet. in prima decret. de homicid. p. 4. num. 3., & Rainaudus de ortu infantium c. 10. num. 35.*, dum aſſerunt Tertullianum tantum intellexiſſe animas eſſe ex traduce, quatenus veniat anima ad fætum vi ſubſtantiæ ex patre deciſæ, non quatenus anima actù ſit in ipſo ſemine.

Nec aliquam vim facit in fauorem impingentium notam illam Tertulliano aſſerenti animam hominis per traducem in ſingulos deriuari, quaſi quod actu, & formalitèr anima ſit in ſemine textus *in c. ſi aliquis de homicid.* ſupra allegatus, vbi ſic legitur. *Si aliquis cauſa explendæ libidinis,*

3 **Explicatur textus in c. ſi aliquis de homicidio.**

vel odij meditatione homini aut mulieri aliquid fecerit, vel ad potandum dederit, vt non poſſit generare, & concipere, vel naſci ſoboles, vt homicida teneatur, vbi, cum textus dicat haberi vt homicidam, qui impedit generationem, vtique excuſo ſemine certè ſupponit in eodem ſemine animam adeſſe. Non, inquam, vim aliquam facit, quia vt benè notat *Ioannes Neſelius lib. 3., Cathecismi c. 157.* ſenſus illius textus ſolummodo eſt, quod, qui talia perpatrat, accedat ad homicidam, vel idipſum alia ratione faciat, quod homicida facit, ſed ſecundum diuerſa, quia homicida vitam formalem, & actualem in fætu animato progreſſione prohibet, qui verò abijcit ſemen ante animationem, prohibet ſolum vitam potentialem, quod ad verum, & proprium homicidium non ſufficit. Quamobrem

Reſpondeo. Per Tertullianum illum abortum fætus inanimati dici feſtinationem homicidij in eo ſenſu, quo ſicuti embrio eſt homo in potentia, ita eius excluſio eſt hominis interemptio in potentia, ac proinde quaſi occiſio feſtinata. *Rainaudus de ortu infant. c. 10. num. 35., Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrim. c. 9. num. 76.*

Ratio talis ſenſus ex eo deſumitur; quia ex vna parte non eſt homicidium, vbi non eſt violenta ſeparatio animæ à corpore, quod informat; vnde *c. aliquando 32. q. 2.* 8. ex D. Auguſtino, à quo deſumpta ſunt hæc verba, habetur. *Non eſt homicida, qui abortum procurat, antequam anima ſit corpori infuſa*, & *c. Moiſes ead. cauſa, & quæſt.* expreſsè dicitur abortum fætus nondum animati non eſſe homicidium; ex alia parte cum materia ſit quoquo modo diſpoſita, & collata in ordine ad recipiendam animam, non poteſt, quin aliqua ratione eiuſdem abiectio ſit feſtinatio homicidij, non quod actu eſt, ſed quod debebat eſſe, ſeu in potentia, ſi materia illa non fuiſſet abiecta.

4 **Eſt hominis interemptio in potentia.**

Quamuis autem hæc feſtinatio homicidij, ſeu fætus adhuc inanimis abiectio propriè homicidium non ſit, eſt tamen per ſe maximè deteſtabilis, & ſi teſte eodem Tertulliano, non minus deteſtabile eſt natam eripere animam, quam naſcentem diſturbare, deteſtabile quoque videtur impedire, quando materia iam collata eſt ad finem generationis, ad quem à natura ipſa ordinetur, quominus ipſa anima procreetur.

Eſt maximè deteſtabilis.

---

§. III.

An in aliquo caſu abiectio fætus inanimis puniatur pæna mortis.

SVMMARIVM.

Facti ſeries exponitur. 1.
Mater pregnans punienda eſt pæna mortis, ſi accepto pretio abortum procurat, vt ſubſtituturus partui ſuccedat. 2.
Alius ab ipſa matre, qui accepto pretio hoc crimen patraret ad eundem finem, non punitur pæna mortis. 3.
Si mater hoc crimen patraret non ad eum finem, ſed ex odio mariti, non ſubiaceret illi pænæ. 4.

1 **Facti ſeries exponitur.**

DIſquiſitio III. Quamuis Sixtus V. iuxta prææallegata ſtatuerit, quod omnes ſiue procurantes abortum fætus animati, ſiue inanimis ſubiaceant omnibus pænis ſiue iure diuino, ſiue ciuili, ſiue canonico inflictis contra veros homicidas, inter quas eſt pæna mortis, prout habetur *in l. penult. C. ad leg. Cornel. de ſicar.*, *& l. ſi quis aliquid §. qui abortionis ff. de pænis*; Nihilominus Gregorius XIV. in ſua alle-

allegata Bulla huiuſmodi pænas contra procurantes abortum fætus inanimis reduxit ad terminos iuris communis, ſecundum quos contra huiuſmodi criminoſos non eſt inflicta pæna mortis, ſed vel exilij, vel ex conſuetudine iam recepta alia arbitraria. Modo iam quærimus, an in aliquo caſu particulari pæna mortis contra abortientes, vel procurantes abortum fętus inanimus intelligatur adhuc vigere?

Reſpondeo, vnum aſſignari caſum in iure, ſecundum quem mater prægnans, quæ procurat abortum fætus adhuc inanimis, ſubijcitur pænæ mortis, de quo loquitur *Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrimon. c. 9. num. 76. in fin.*, & tunc

2 Mater prægnans punitur pæna mortis, ſi accepto pretio abortũ faciat ad effectũ, vt ſubſtitutus partui ſuccedat.

eſt, quando mater ipſa prægnans pretium accipit, vt abortum fætus etiam inanimis efficiat ad effectum; vt ſubſtitutus partui relictus in caſu, quo non naſceretur, ſuccederet in bonis eius, quæ ita vxorem prægnantem reliquit aſſignato eo modo partui ſubſtituto. Hoc expreſsè habetur *in l. Cicero ff. de penis*; & iure quidem merito in ſic delinquentem hæc pæna ſtatuta eſt, ſiquidem in vno multa coincidunt crimina; primum feſtinationis homicidij; ſecundum ſeuitiæ matris in proprij ſinus pignus; tertium fraudationis mentis teſtatoris; quartum intruſionis eius in ſucceſſione, qui non debebat ſuccedere, quæ ſimul collecta grauiſſimam culpam grauiſſima pæna a iure punibilem conſtituunt; atque hanc pænam in hoc ſpeciali caſu agnouerunt etiam *Menochius de arbitr. caſ. 357. num. 12.*, *Theſaurus in deciſ. Pedem. 12. in fine*.

Nonnulla dubia excitata.

Circa præſentem caſum nõnulla emanant dubia, quæ mox profero, & diluo; Primum eſt, an, ſi non ipſa mater prægnans, ſed alius ab ipſa inſcia accepto pretio propinet eidem prægnanti pharmaca abortus ad effectum, vt abiecto fętu alter à teſtatore nominatus in caſu deficientiæ partus ſuccedat, ſit ſubijciendus pænæ mortis, ſicuti ſubijcitur eadem mater. Secundum, an, ſi eadem mater hoc præſtet, ſed non ad eum effectum, ſed ex odio mariti, ne ex ipſa filios habeat, adhuc incidat in pænam mortis?

In ordine ad primum dubium arbitrarer alterum ab ipſa vxore, qui hoc flagi-

3 Alius ab ipſa matre, qui hoc crimen patraret ad hunc finẽ ex hoc iure nõ punitur pæna mortis

tium patraret etiam in ordine ad eum finem, & effectum, ex hoc iure non ſubijci pænæ mortis. Rationem duplicem præſētis dicti deduco, alterã ex generali regula, ſecundum quam leges pænales, vtpotè odioſæ non ſunt extendendæ vltra caſus, & perſonas in iure expreſſos, ſeu expreſſas, ſed in illa *l. Cicero ff. de pænis* ſolum exprimitur mater prægnãs, quæ illud flagitium ex illo fine commiſit, ergo non eſt extendenda ad alias perſonas ab ipſa, quantumuis circa ipſam illud flagitium commiſerit. Secundam ex eo, quod grauius eſt flagitium commiſſum a matre in ordine ad propriam prolem, quam commiſſum ab altero, ſiquidem in matre nimiam ſapit impietatem illa crudelitas, quæ ex vi muneris materni tenetur beneficium prolis potius curare, quam maleficium in ipſam ſæuiendo moliri, ergo hæc pæna ex illo iure non eſt in alios refundenda, cum minus, quam mater ipſa delinquant.

In ordine ad ſecundum arbitror etiam matrem in ea hypotheſi illi pænæ mortis non ſubijciendam. *Menochius de arbitrar. d. caſu 357. num. 12.*, *Theſaurus loc. cit. Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrim. c. 9. num. 76. in fin.* Ratio eſt, quia vbi eadem non militat ratio, nec eadem militat diſpoſitio præcipuè in pænalibus, ſed in preſenti hypotheſi non militat ratio iuris *in d. l. Cicero ff. de pænis*, quæ eſt, ne contra voluntatem teſtatoris ſubſtituatur alter in ipſius bonis, niſi in caſu naturalis mortis ſętus exiſtentis in vtero matris, ergo &c.

4 Si mater hoc crimẽ patraret non ad eũ finem, ſed ex odio mariti nõ ſubiaceret ita illi pænæ.

§. IV.

An procurans abortum fætus animati fiat reus multiplicis homicidij ob periculum multos occidendi

SVMMARIVM.

Exponitur facti ſeries. 1.
Exponuntur multi caſus, in quibus eadem fæmina nedum duos, ſed longè plures fætus concepit. 2.
Fæmina, vel alius ab ipſa procurans abortum conſtituitur rea, vel reus multiplicis homicidij. 3.
Et hoc etiam, ſi vnus tantum fætus reperiatur in vtero. 4.

Diſquiſitio IV. Ex affectu nimiæ libidinis, vel fortè etiam meditatione odij erga maritum vel ipſa fæmina, quæ concepit, vel alius ab ipſa procurauit abortum fætus in vtero exiſtentis ignara, vel ignarus, an fætus in vtero exiſtens eſſet vnus, an multiplex. Certum eſt, quod mens procurantis eo tendit, vt perimat quidquid in ventre continetur. Hic iam quæritur, an ratione periculi, cui ſe exponit fætus plures perimendi, ſi fortè fuerint in vtero, conſtituatur reus multiplicis necis, an verò vnius dumtaxat propter communiter accidentia ſecundum,

1 Exponitur facti ſeries.

Digitized by Google

dum quæ fæmina vnum fætum concipit, & vnum parit.

Nec abs re excitatur hoc dubium, quandoquidem experientia pluries compertum fuit fæminas, nedum gemellos enixas fuiſſe, ſed etiam quandoque plures, & longè plures, & vt aliqua nedum doctrinæ, ſed etiam eruditionis gratia delibemus *ex Rainaudo de ortu infant. c. 10. n. 14.* caſus nonnullos multiplicis fætus referemus. Sic primò commemorat *ex Ludouico Bonatiolo in Eneade mulieb. c. 6.*, quod quædam fæmina duodecim fætus, altera duo de viginti, alia quatuor, & ſeptuaginta omnes efformatos abortu emiſerit, item altera centum, & quinquaginta omnes efformatos, & ſuis ſecundinis obuolutos, quos, cum arbitraretur eſſe lumbricos vocato medico, & diſruptis ſecundinis compertum eſſe fætus, quorum aliqui viuebant, & motu gaudebant. Sic ſecundo refert *ex Tertuliano lib. de anima c. 6. in fin.* Græcam quandam quinionem enixam filiorum, hoc eſt quinquies quaternos, vt explicat ibidem idem Tertulianus per textum *in l. antiqui, ff. ſi pars hæred. pet.* Alios plures caſus de multiplici ſimultanea prole in vtero matris exiſtente refert *Delechampius ad Plinium lib. 7. c. 3.* Ex quibus omnibus vides, cui periculo ſe exponat prægnans, vel alius ab ipſa procurans abortum. His ſuppoſitis

2 Exponuntur multi caſus, in quibus eadem fæmina plures fætus ſimul concepit.

Reſpondeo. Prægnantem ignaram, an plures, vel vnum dumtaxat fætum gerat in vtero, vel alium ab ipſa, cum ſimili ignorantia procurantem abortum conſtitui reum multiplicis homicidij *Rainaudus de ortu infant. c. 10. n. 14.* à quo non videtur diſſentiri *Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrim. c. 9. n. 71. verſ. addendum etiam ex Rainaudo.* Ratio ex eo deducitur, quia operans in dubio adſtringit ſe eodem ſcelere quo is, qui ex certa cognitione operatur ob deprauatam vtrobique voluntatem præcipuè, vbi illud dubium oritur ex rationabili fundamento, quod vim habeat in repetitis experientijs, & non ſit merè imaginarium, ſed operans ex certa cognitione, & multos occidens conſtituitur reus multiplicis homicidij ad numerum eorum, quos perimit, ergo etiam operans in dubio rationabili &c. Confirmatur, quia dans operam rei illicitæ, ſi ex illa actione mala conſequantur, eidem imputantur ad culpam, quia illa mala, quæ inde conſequi poterant, debuerat præuidere, & periculo illi obuiare, ergo propinans pharmaca ad abortum conſtuitur reus omnium necum, quæ patrari poterant quoad fætus, qui ineſſe poterant vtero materno, eo quia poterat, & debebat præuidere &c.

3 Conſtituitur reus multiplicis homicidij.

Rationes pro aſſerto.

Hic immediatè oritur difficultas, an multiplex illud homicidium quoad culpam ſit ſolummodo illi procuranti abortum imputandum, quando re vera in illa actione plures fætus in vtero exiſtentes interemit, an verò etiam, quando vnum dumtaxat, qui in vtero fuerat, interfecit. Sentio abſolutè quoad culpam imputandum etiam eſſe, quantumuis vnum dumtaxat fætum abiecerit. In hoc arbitror conſentire *eoſdem Rainaudum, & Boſſium* quamuis non ita expreſsè loquantur. Ratio ex eo deſumitur, quia quantum eſt de ſe ſic propinans, & procurans voluntariè ſe expoſuit periculo plures interficiendi, & peccatum quoad culpam deſumitur quoad affectum, & voluntarietatem operantis, licet quoad damna deſumatur ex affectu in opere patrato, & ſicuti, ſi affectum quis habuiſſet plures occidendi conſtitueretur quoad culpam reus multiplicis homicidij, quantumuis in effectu vnũ dumtaxat fuiſſet patratum, ita qui in dubio rationabili ſe expoſuit periculo plures occidendi, quantumuis vnum dumtaxat in effectu occiderit, quoad culpam reus erit multiplicis, quãdoquidem quantum fuit ex ſe ſponte ſe conſtituit in periculo plures occidendi, & voluntaria illa expoſitio illi periculo æquiualet in effectu voluntati expreſſæ, & formali plures occidendi.

4 Et hoc etiam ſi vnus tantum fœtus reperiatur in vtero.

Sed hic remanet difficultas in explicando, quot homicidiorum quoad culpam reus ſit conſtituendus ſic procurans, aut propinans, quando in effectu vnus dumtaxat fætus eſt interemptus? Cum non agatur de maiori damno in effectu, quam internectionis vnius arbitror conſtituendum eſſe, dumtaxat multiplicis homicidij in vago ex peruerſa voluntate ſaltem virtuali operantis, nec poſſe aſſignari determinatum numerum. Regularitèr tamen loquendo poteſt reſtringi ad duplex, cum vt plurimum non excedat fætus, qui concipitur, gemellum, & ſi quandoq; ex tali numero eſt exceſſus, eſt caſus inſolitus, & extraordinarius, quem regularitèr ſic procurans non præuidet, nec poteſt præuidere, & regularitèr reſpicimus ad ea, quæ vt plurimum contingunt, ad quorum normam menſuramus actiones, non verò ad ea, quæ vix, & non niſi rarò accidunt.

Eſt reus multiplicis homicidij in vago, vel duplicis.

Digitized by Google

§. V.

An committens abortum fætus animati non ſolum ſit homicida, ſed etiam ſacrilegus.

SVMMARIVM.

Vndè deducatur ratio dubitandi. 1.
Talis abortus non inuoluit in rigore malitiam ſacrilegij. 2.
Cur fætus quantumuis baptizatus non dicatur perſona Deo ſacra. 3.
Explicantur dicta SS.PP. 4.

DIſquiſitio V. Adeò execrabilis eſt virulentia abortus fætus animati vtpotè homicidij, quo innocens perimitur, vt Doctores magni nominis merito aſſerant in hac innocentis cæde violari ius naturæ, & Deum euerti poſſeſſione ſacratiſſima; Hinc in particulari Philo Hæbreus in Decalogum hæc expreſsè habet.
1 Origo talis dubitationis in DD. dictis. *Qui hominem occidit, appellatur homicida, ſed re vera eſt ſacrilegus, & quidē inſignis, quippè qui perpatrauit ſacrilegium maximum ſublata è mundo re pretioſiſſima, ſacratiſſimaque, quando nihil eſt Deo tam ſimile, quam hoc ſigillum pulcherimum expreſſum è matrice pulcherima ad exemplum ideæ rationalis effictum.* Quod ſi hæc verificantur in ordine ad homicidiū quomodocunq;, à fortiori verificari debent de fætu animato in vtero matris exiſtente, quo nullus poteſt eſſe magis innoxius quoad necis demeritum. Hinc eruitur ratio dubitandi, an eiuſdem internectio in vtero exiſtentis nedum inuoluat malitiam homicidij, ſed etiam impietatem ſacrilegij.

2 Non inuoluit in rigore malitiam ſacrilegij. Reſpondeo non inuoluere in rigore malitiam ſacrilegij, ſed ad ſummum per quandam accomodationē, & impropriam ſignificationem. In hanc arbitror omnes conſentire. Ratio ex eo deducitur, quia ſacrilegiū ex ipſa nominis ethimologia nihil aliud eſt quam violatio legis quoad res, & perſonas Deo ſacras, ſed fætus quātumuis animatus in vtero Matris exiſtenš nō eſt res, nec perſona Deo ſacra, ergo ipſius interemptio non eſt propriè, & in rigore ſacrilega. Confirmatur, quia quouſque fætus in vtero Matris perſeuerat, nō eſt affectus aliqua nota ſanctitatis, Fætus nō eſt in rigore res Deo ſacra. ſed potius à Deo auerſus propter maculam originalis peccati, ergo non eſt res ſacra, nec perſona talis. Hæc dixi ad vberiorem, non quia arbitrer, quod ſi fætus iam editus eſſet ſignaculo fidei per baptiſmum affectus habeatur pro perſona ſacra quantum ad effectum, vt ſi lædatur, ſacrilegium committatur, ſed quia, ſi baptizatus, & per baptiſmum ad eſſe ſupernaturale eleuatus non habetur pro perſona ſacra quantum ad hunc effectum, multò minus pro tali habendus ſit fætus in vtero Matris exiſtens, & nundum baptizatus.

Si autem hic ex occaſione inquiras, cur baptizatus, cum recipiat per baptiſmum ſignaculum fidei, & ordinetur ad eſſe ſuper naturale per gratiam, quam recipit, non dicatur perſona ſacra quoad præſentem effectum; perſona autem ſacris initiata per ſacrorum ordinum receptionem dicatur talis, & vtique in ordine ad iſtum effectum? Reſpondeo, hoc prouenire ex ſpeciali deputatione, qua ordinatus per ſpeciales ritus, ceremonias, & inunctiones 3 Fætus quamuis baptizatus, cur non dicatur perſona Deo ſacra. rebus ſacris addicitur, & ſeligitur ad ſpiritualia munera ab vniuerſo populo, quod non contingit in præciſè baptizato, cum per baptiſmum ſolummodo conſtituatur in populo Dei, & intra Eccleſiæ ipſius gremium, non tamen per aliquam ſpetialem deputationem, quod requiritur, vt dicatur propriè, & in rigore res, ſeu perſona ſacra.

Difficultas ſolummodo eſt in explicandis verbis Philonis, dum appellat homicidam *ſacrilegum, & quidem inſignem*; 4 Explicantur dicta SS.PP. interemptam *rem pretioſiſſimam, & ſacratiſſimam, & ſigillum pulcherimum expreſſum à matrice pulcherima ad exemplar Ideæ rationalis effictum*, quæ omnia certè indicant violationem rei ſacræ, ideòq; enorme ſacrilegium. Sed dicendum eſt Philonem loqui ex quadam Emphaſi ad indicandam grauitatem delicti, quod per quandam accomodationem aſſimilatur ſacrilegio, non tamen, quia propriè arbitretur eſſe ſacrilegium; & cum dicit perſonam interemptam eſſe rem *ſacratiſſimam*, hoc dicit propter ſimilitudinem, quam habet cum Deo, cuius repreſentat imaginem, non quia habeat ſpeciale ſignaculum, ratione cuius deputetur ad ſpecialia munera ſpiritualia, & conſtituatur in eſſe ſacro, ſecus quicunque, qui actum libidinoſum committeret, diceretur propriè committere ſacrilegium, quod nemò dicet, cum committi poſſit ſimplex fornicatio, vt diſtincta à ſacrilegio in genere luxuriæ. Requiritur igitur ad inducendum propriè ſacrilegium, vt lædatur res, ſeù perſona ſacra, quæ ſit ſpecialitèr deputata ad Dei cultum, & honorem, non quod quomodocunque ſit ſub Dei dominio, & quomodolibet ad ipſum ordinata.

§. VI.

Digitized by Google

§. VI.

An approbans abortum iam factum incidat in pœnas iam latas à Sixto V.

SVMMARIVM.

Exponitur facti ſeries. 1.
Aſſignantur varij modi approbationis. 2.
Si Amaſius approbauerit implicitè antecedentèr, quamuis ſolum explicitè ſubſequenter probabilius non euitat pœnam excommunicationis. 3.
Si approbauerit ſolummodo poſt factum, ipſam euitat, aliaſque pœnas. 4.
Ratihabitio in hoc non æquiualet mandato. 5.
Si Amaſius fuit præmonitus poſt molitionem, ſed ante executionem, & non impediuit, non incurrit pœnas. 6.
Approbans poſt factum, quamuis approbet, vt factum nomine proprio, non incurrit pœnas. 7.

1 *Exponitur facti ſeries.* DIſquiſitio VI. Caia concepta in vtero prole, eademq; fortè iam anima rationali informata ſperans, ſibiq; ſuadens, fore gratum Amaſio, cuius tamen mentem ignorabat, intra propria viſcera peremit fœtum, illumq; medijs pharmacis abiecit. Amaſius re cognita gauiſus eſt de illa actione, eamque concepto gaudio approbauit. Quæſitum hic fuit, an ſic approbando inciderit in omnes pœnas à Sixto V., alijſque Pontificibus inductas contra procurantes, conſulentes, mandantes, & ſuadentes abortum fœtus animati.

2 *Aſſignantur varij modi approbationis.* Vt clarius hac in re procedamus, varios modos approbationis æquum eſt aſſignare; primo poteſt eſſe talis approbatio antecedentèr ad factum implicitè, ſed explicitè tantum poſt factum, quatenus approbans prius indicauerit complacentiam, quam eſſet habiturus de illo abortu, ſi ſequeretur, non tamen eundem indixit, nec mouit ad eundem perpatrandum, & poſtea ſecuto effectu opus expreſsè commendauit. Secundo ſubſequentèr ſolummodo ad factum, quatenus habita notitia de effectu procurato, & ſecuto de illo manifeſtè gaudet, illudq; approbat. Tertio ſubſequentèr ad meditatam procurationem, ſed antecedẽtèr ad executionem illius, quatenus fuerat præmonitus de molitione illius abortus, & ante executionem potuit impedire, & non impediuit, qua ratione præſumitur approbare. Quarto ſubſequentèr quidem ad factum, ſed illud approbando tanquam factum proprio nomine. Secundum hæc omnia probationum genera dirimendus eſt præſens titulus.

Reſpondeo primo. Si Amaſius approbauerit iuxta primam acceptionem, hoc eſt antecedenter implicitè, & ſolum explicitè cõſequentèr, & re vera prægnans illa approbatione implicita præcedenti fuerit mota ad illud facinus, probabilius non euitat pœnam excommunicationis comminatam à Sixto V. Ita arbitror ſentire *Zambellum in repertorio morali verb. abortus num.* 1., *Nouarium in ſumma bullarum tom.* 2. *tit. de abortu num.* 24. Ratio ex eo deducitur, quia *Sixtus V. in ſua conſt. Effrenatum* §. 8. ſtatuit huiuſmodi excommunicationis pœnam contra quoſcunque, qui verbis, & ſignis iuuerint, aut conſuluerint tale facinus, ſed Amaſius indicando complacentiam, quam eſſet habiturus, ſi abortus committeretur, verè verbis, & ſignis iuuit ad tale facinus, quandoquidem iuſtè præſumi poteſt, quod prægnans, vt complaceret eidem, mota ſit moralitèr ad illum abortum procurandum, quem aliunde fortè non procuraſſet, ergo re vera contrahit excommunicationem &c. Confirmatur, quia complacentia exhibita à perſona bene affecta erga alteram, quæ eidem in ſuis votis complacere ſtudet de aliquo opere, eſt quodamodo incitamentum ad illud opus, ergo moralitèr influit in illud, adeoq; &c. 3 *Sic approbans niſi implicitè antecedẽter, & cõſequenter explicitè nõ euitat excõmunicationẽ.*

Neque dicas, indicare, quid quis optaret, non eſſe promouere ad illud, quod, ſi propterea ſequatur, eſt imputandum operanti, non illi, qui tale votum exhibuit; contra enim impugnaberis, quia, quantumuis illa exhibitio deſiderij ſine iuſſione, & ſuaſione non habeat ſecundum ſe rationem promotionis, prout tamen eſt inter perſonas mutuo bene affectas, & in re, in qua commune habent intereſſe, habet rationem incitamenti, & ſuaſionis. Hoc contigit in complacentia, quam ſuis ſubditis exhibuit Enricus Angliæ Rex de morte D. Thomæ Cantuarienſis Epiſcopi, quæ computata fuit pro iuſſione, & ſuaſione, adeoq; eidem fuit imputata ad culpam, & ſubijt ſententiam excommunicationis. *Inſtantia propoſita, & ſoluta.*

Reſpondeo ſecundo. Si Amaſius non antecedenter, ſed ſubſequenter ad opus conſummatum iuxta ſecundam acceptionem approbauerit illum abortum, non incurrit illam pœnam excommunicationis, nec alias pœnas, quamuis grauiter peccauerit. *Zambellus in repert. mor. verb. abortus num.* 1., *Nouarius in ſumma bullarum tom.* 2. *tit. de abortu num.* 24., *Mazuchellus de caſib. reſeruat. diſp.* 2. *c.* 3. *q.* 3. *num.* 40., *Floronus part.* 2. *caſ. de procur. abortum* 4 *Si approbauerit ſolũ poſt factum, euitat pœnas.*

num.14.verſic.tertio decimo excipitur, Diana part.7.tract.5.de abortu reſol. 14. Ratio ex eo deducitur, quia illa approbatio ſubſequens ad effectum nullo modo poteſt in illum effectum influere; ergo ratione eiuſdem non poteſt iuſtè, & rationabiliter Amaſius ſubijci excommunicationi, quæ imponitur contra operantes, & cooperantes illi effectui. Antecedens non patitur difficultatem, ſiquidem nemo concurrit ad poſitionem effectus, quando ante illius actionem effectus iam poſitus eſt.

Dices ratihabitionem, ſeu approbationem ſubſequentem æquiualere mandato, & retrotrahi *c.fin. de iure iur. in ſexto c.ratihabitionem* 10. *de reg. iur. in ſexto,*
5 In hoc ratihabitio non æquiualet mãdato. *Gailus lib.2.obſeru.47.in fin., Rota Genuenſis dec.92.nu.2., Alexander Trentacinque var. reſol.lib.2.tit.de Procur. reſol.9.num.* 1., & a ratihabitione ad mandatum valere argumentum *Garzias Maſtrillus ad deciſ.* 150. *num.* 18. Sed contra, quamuis hoc fortè verum ſit in foro exteriori, non ſic in foro interiori animæ; in foro, inquam, exteriori verum quandoque eſt, quando ſcilicet ratihabitio à iure acceptatur loco mandati, vt acceptari ſolet in ordine ad firmandos aliquos contractus, & in ordine ad incurrendas aliquas pænas; vnde ſi lex aliqua, ne detur occaſio ſcelerum ſub ſpe futuræ ratihabitionis in pænam ratihabitionis obligaret ratihabentem ad pænas impoſitas, conſurgeret obligatio talium pænarum non ex natura, & ex vi ratihabitionis præciſè, ſed ex diſpoſitione legis, & titulo pænarum, & præcipuè ob præſumptionem iuſſionis, ſeu mandati. In noſtro autem caſu nullibi reperitur talis lex obligans ratihabentem ad ſubeundas pænas contra procurantes abortum, & mandantes inflictas, adeoq; &c.

Quod autem ſic ſubſequenter approbans grauiter peccet, ex eo deducitur, Grauiter tamen peccaret. quod alibi dicebamus nempe, quod talis eſt delectatio, quale eſt obiectum, circa quod verſatur, ſed obiectum eſt per ſe malum, & peccaminoſum, cum ſit abiectio illius fætus, & per conſequens homicidium, ergo &c.

Reſpondeo tertio. Iuxta tertiam acceptionem, quando ſcilicet fuit præmo-
6 Si Amaſius fuit præmonitus poſt molitionem, ſed ante executionẽ, & nõ impediuit, non incurrit pænas. nitus poſt molitionem facinoris, ſed ante executionem eiuſdem, & potuit impedire, & non impediuit, grauitèr quidem peccaret Amaſius non impediẽdo, non tamen incurreret illas pænas. Conſonat cũ ijs, quæ ſupra dicebamus de Patre, & matre nõ impedientibus abortũ, cum potuerint impedire *ſub hoc eod.tit. Contractus XV. de Matrimon. VIII. Prænot. XVII. aſſert.* 2. eamq; ſuſtinent *Diana part.4. tract.2. reſol.* 8., *Emmenentiſſimus de Lugo de iuſt.tom.1.diſp.* 10. *ſect.* 11. *num.* 22., *Turrianus de cenſur. lib.* 9. *diſp.* 63. *dub.* 3., *Hurtadus de irregul. diſp.2.difficult.9.nu.32.* Vide, quæ ibi latè dicta ſunt; non enim vacat repetere.

Reſpondeo quarto. Amaſius nõ incurrit huiuſmodi pænas, quando approbat 7 Amaſius approbãs poſt factum, quãtumuis approbet, vt factum nomine proprio, non incurrit pænas. poſt factũ, quantumuis approbet vt factũ nomine proprio. Ratio ex eo deducitur, quia illa approbatio facta poſt factum cum expreſſione etiam, quod facta fuerit nomine approbantis, non efficit, quod operans motus fuerit ad patrandum tale factum ex motione, & influxu eiuſdem approbantis, quandoquidem antecedenter ad opus nec hic poſuit aliquid, quod potuerit mouere operantem, nec iſte habuit, quo ab illo moueretur, ergo, cum ipſe approbans nullo modo influxerit in illud opus, nullo etiam modo tenetur ad pænas. Confirmatur, quia cauſa finalis Pontificum, & legiſlatorum in conſtituendis huiuſmodi *pænis fuit* ad remouendos homines a talibus flagitijs, ne ſcilicet illa patrarent, vel illis cooperarentur vel per conſilium, vel per fauorem, vel alio quocunque modo, ſed qui poſt factum approbant tanquam patratum proprio nomine, nec illud perpatrant, nec illi cooperantur, cum ſit poſitum independenter ab illis, ergo &c.

---

§. VII.

An conſulens abortum fætus inanimis incidat in pænas procurantium abortum fætus animati, ſi fæmina ex interuallo vtatur conſilio.

SVMMARIVM.

Exponitur factum in ſuis terminis. 1.
Conſilium ex duplici motiuo poteſt procedere, & quali. 2.
Si motiuum conſilij æquè moueat ad fætus animati, ac inanimis eiectionem, non euitat conſulens pænam irregularitatis. 3.
Si motiuum ſit ſolum inductiuum ſecundum ſe ad eiectionem fætus inanimis, non incurrit conſulens irregularitatem. 4.
Probabilius conſulens ex quocunque motiuo non incurrit excommunicationem. 5.

DIſquiſitio VII. Drudus poſt conceptum Amaſiæ intendens effugere pænas comminatas contra procurantes 1 Expoſitio caſus in particulari. abortum fætus animati ante animationem eiuſdem efficaciter conſuluit eidem, vt immediatè, & nullo interpoſito interuallo ſumeret pharmaca, aliaque medicamenta, quæ indicauit ad eiciendum fæ-

tum

Digitized by Google

tum conceptum. Amaſia ex illo conſilio deliberans abortiri diſtulit ſumptionem ad aliquod tempus, pro quo fœtus animam recepit, & ſic ſecutus eſt abortus fœtus animati. Quæſitum hic fuit, an ipſe Drudus, qui illud conſilium præſtitit, inciderit in omnes pœnas comminatas contra procurantes abortum fœtus animati, an verò ſolummodo comminatas contra procurantes abortum fœtus inanimis?

Pro ſolutione aduerte primo conſiliũ poſſe procedere ex duplici motiuo; alterum, quod mouere poſſet ex ſe Amaſiam ad procurandum abortum, ſiue fœtus eſſet animatus, ſiue inanimis, quamuis conſulens conſulendo dixerit remedia eſſe adhibenda dumtaxat pro tempore, quo fœtus intelligebatur ſolum inanimis; huiuſmodi motiuum eſt tuitio vitæ, & famæ, quod ſecundum ſe aptum eſt mouere ad vtrumq; ſcilicet fœtus inanimis, & animati abortum; alterum, quod ſecundum ſe ordinatum eſt ad remedium pro tempore, pro quo fœtus nondum viuit, & non aliter, & ſi fœmina ipſo vtatur pro tempore, pro quo fœtus eſt animatus, hoc non præſtat influente conſilio, ſed dumtaxat dirigente propria negligentia, & fortè etiam malitia; huiuſmodi motiuum eſt minus malum, & maior facilitas conſequendi effectum, vt ſi conſulens dicat, procura abortum, quando fœtus eſt adhuc inanimis, quia ſic non incides in cenſuras reſeruatas, minus malum committes, & facilius aſſequeris effectum.

2 Conſiliũ ex duplici motiuo poteſt procedere, & quali.

Aduerte ſecundo, videri poſſe intercedere aliquod diſcrimen inter caſum reſeruatum, & irregularitatem fundatum in natura vtriuſq; vel in diſpoſitione iuris, adeout poſſit quandoq; irregularitas incurri, & non excommunicatio, ſeù caſus reſeruatus. Ratio huius diuerſitatis ex eo oritur, quod irregularitas quandoque vel non oritur ex delicto, vel ſi ex delicto, oritur per iuris diſpoſitionẽ etiam ſi delictũ non ſit ſecundum omnes circumſtantias completum, & integratum; caſus autem reſeruatus non incurritur niſi ex delicto, eoq; completo, & conſummato, vt ſuis locis videbimus; ſic vg. ex homicidio caſuali oritur irregularitas, ex quo non oritur caſus reſeruatus, niſi illud ſit intentum, & voluntarium; ſic verbis procurans accelerationem mortis reſpectu rei damnati ad extremum ſupplicium iuxta multorum ſententiam incurrit in irregularitatem, non tamen in caſum homicidij reſeruatum. His poſitis

Diſcrimẽ inter caſũ reſeruatũ, & irregularitatem.

Reſpondeo primo. Drudus ſic conſulens adducto motiuo æquè inducente ſecundum ſe ad abortum fœtus inanimis, ac animati, non euitat irregularitatem contra procurantes abortum fœtus animati inductam, ſi Amaſia ex illo conſilio abortum curet fœtus animati, qui ſequatur, ſecus ſi adducto motiuo, quod per ſe inducat dumtaxat ad abiectionem fœtus inanimis.

3 Si motiuũ conſilij æque inducat ad fœtus animati interitũ, ac inanimis, cõſulẽs non euitat irregularitatem.

Ratio pro prima parte ex eo deducitur, quia illud conſilium re vera, & propriè influxit moraliter in illud homicidium, ſeù abortum fœtus animati, ergo conſulens re vera incidit in irregularitatem contra procurantes abortum fœtus animati. Antecedens euincitur primo, quia conſilium non influit propriè per voluntatem perſeuerantem conſulentis, ſed propter motiuum vtilitatis, & commoditatis, quæ conſideratur in opere iniquo, quod fuit propoſitum, quæ eſt infamia vitanda, tuenda vita, & honor conſeruandus, ſed hoc motiuũ ęque ſufficiens eſt ad mouendum ad inanimis, ac inanimati fœtus eiectionem, & ex hoc verè mota fuit fœmina ad talem effectum procurandum, ergo illud conſilium re vera influxit &c.

Neque dicas conſulentem non intendiſſe effectum necis fœtus animati, cum ſolũ cõſuluerit inanimis internectionem; Contra enim eſt, & ſic probatur ſecundo idem antecedens, quia in conſilio non amplius attenditur voluntas conſulentis, ſed motiuum, quod mouet operantem, cuius veritatis ſignum euidens eſt, quod ſi conſulens ante operis executionem conſilium retractauit, & tamen ex motiuo in conſilio adducto conſultus operetur, opus imputetur conſulenti, quia elicitur ex ijs motiuis, quæ ipſe conſulens propoſuit *Eminentiſſimus de Lugo tom. 1. de iuſt. diſp. 19. ſect. 2. §. 2. n. 37., Molina diſp. 731., Leſſius lib. 2. de iuſt. c. 13. dub. 5., Vaſquez c. 9. de reſtit. §. 1. n. 10., & 11.*, & conſulens prius voluit ſaltem implicitè illum effectum in cauſa, nam præuidere debebat, vt poſtea non poſſet, etiam ſi vellet, repetere illa motiua, quibus animum Amaſiæ ad male operandum induxit; ex quo efficax, & clarius argumentum pro noſtra reſponſione deducitur ſic. Conſilium datum, & reuocatum ante operis executionem in cauſa eſt, vt opus exercitum re vera imputetur conſulenti ex motiuo, quod adhuc mouet operantem, ergo conſilium datum, etiam ſi non extendatur ad animati fœtus eiectionem, erit in cauſa, vt effectus imputetur conſulenti, cum procedat ex motiuo dato, vi cuius fœmina operata eſt. Hæc conſequentia tenet, quia conſilium datum ad aliquod tempus limitatum, & datum abſolutè, ſed reuocatum intra tempus executionis effectus eodem

Conſiliũ adhuc perſeuerat in motiuo.

prorſus

proſſus modo ſe habent, nam ſi conſilium reuocatum adhuc influit, quia durat motiuum, non eſt denegãdum influere etiam conſilium datum ad tempus limitatum, etiam ſi poſt illud tempus effectus ſequatur, cum motiuum duret, & operans ex illo motiuo agat.

Probatur tertio idem antecedens pro prima parte *ex c. fin. de homicid. in 6.* Qui mandat percuſſionem, ſi mandatarius excedat modum mandati, & occidat, mandans incurrit irregularitatem, quia per actionem illicitam dedit cauſam, ergo cum etiam conſulens, de quo in caſu, dederit cauſam illicitam, ſi Amaſia præter illius intentionem abortiatur fætu iam animato, ipſe conſulens erit irregularis; Neque dicas, textum adductum habere ſolum locum, quando mandans imponit percuſſionem modo, quo poſſit ſequi occiſio, puta, per inſtrumẽtum ferreum, ſcilicet enſẽ, vel per quid ſimile, & nõ aliter; Quis enim diceret, eum incurrere irregularitatem, qui ad redimendum honorem mandaret dari alapham inhonoranti, & mandatarius ipſum occideret? Contra enim eſt primo, quia quod lex non diſtinguit, nec nos diſtinguere debemus. Secundo in noſtro caſu motiuum adductum ad abortum, æque aptum eſt ad inducendum operantem ad fætum eijciendum ſiuè ſit inanimis, ſiuè animatus.

Alia probatio pro aſſertione

Dices, ſi quis conſuleret alteri, vt det alapham inimico ad reparandum honorem ex iniuria ab eodem illata deperditum; & ipſe eundem inimicum occideret, non incurreret irregularitatem, & tamen motiuum honoris reparandi æque mouere poteſt ad alapham, ac ad mortem inferendam, ergo etiam quantumuis motiuum præſtitum in conſilio de vitanda infamia, & conſeruanda vita æque militare poſſit pro fætus inanimis abiectione, ac animati interitu, non erit ſufficiens ad inducendam irregularitatem, ſi Amaſia excedens conſilium non abiecerit fætum inanimem, ſed animatum peremerit. Sed contra primo, quia non ita verum eſt, vt ſupponitur aſſumptum, prout deduci poteſt *ex d. c. fin. de homicid. in 6.* ſecundo, quia conſilium de abortu ſemper eſt ordinatum ad abiectionem fætus, & ſolum eſt ex conditione ſubiecti, quod fuerit fætus animatus, vel inanimis; vnde ex ſuppoſitione dilationis temporis, cum non poſſet alitèr haberi abiectio, niſi fætus animati, conſilium ex motiuo ſupponitur ad illam extendi; non ſic autem res ſe habet in conſilio de alapha danda, quod ſiuè in executione diferatur, ſiuè immediatè exequatur, poteſt ſiſtere in eadem alapha, & ſi vlterius extendatur, eſt ex iniquitate operantis, non ex motiuo conſulentis, cum poſſit reparari infamia ex iniuria collata æque per alapham ſiuè ante, ſiuè poſt datam; infamia autem ex iniqua grauidatione ſuppoſita dilatione ad tempus animationis fætus non poteſt tolli, niſi per abiectionem eiuſdem fætus animati, & hoc ex conditione ſubiecti.

Inſtantia propoſita, & diſſoluta.

Ratio pro ſecunda parte ex eo deſumitur, quia conſilium illud neque in voluntate conſulentis, neque in motiuo vim habet extra tempus fætus inanimis; non in voluntate conſulentis, cum hæc non ſit ad internectionem fætus animati; non in motiuo, quia hoc præciſè reſpicit tempus eiuſdem inanimis, cum ſit in ordine ad vitandas præciſè cenſuras contra procurantes abortum fætus animati, & ad maiorem facilitatem exitus pro illo tempore, ergo totus effectus abortus fætus animati erit imputandus incuriæ negligentiæ, & fortè etiam malitiæ eiuſdem prægnantis. Neque obeſſe poteſt textus præallegatus *in d. c. fin. de homicid. in 6.*, vbi mors ſecuta ex conſilio ſimplicis percuſſionis ità imputatur ad culpam conſulentis, vt dicatur contrahere conſulens irregularitatem, eo quia conſilium dederit de re illicita; Non, inquam obeſſe poteſt, quia mandatum de quo *in c. fin. de homicidio in 6.* verſabatur circa perſonam viuentem cuius necis ſaltem occaſionalitèr poterat eſſe cauſa illius percuſſionis mandatum, adeòque ius ipſum voluit ſic mandantem ratione illius occaſionis ſubiacere irregularitati; conſilium autem in noſtro caſu non verſabatur circa viuentem, ſed circa maſſam prorſus inanimem, cuius necis non poteſt eſſe, nec potuit eſſe occaſio, nec cauſa, cum reſtringeretur ad tempus animæ nondum acquiſitæ; Neque vrgeas aduerſus ea, quæ ſupra dicebantur, quod hac ratione neque conſulens contraheret irregularitatem, quando conſilium eſſet ex motiuo, quod æquè poſſet inducere ad abortum fætus inanimis, ac animati, vel inaniter adductum fuiſſe illum textum *in d. c. fin.* ad probandum, quod ſic conſulens contraheret irregularitatem, ſicuti contrahit, qui dedit mandatum percuſſionis, ex quo conſecuta eſt mors, cum etiam in caſu conſilij hoc non verſaretur circa viuentem, ſed circa maſſam inanimem; contra enim impugnaberis, quia diſpar omninò eſt ratio de vtroque conſilio, nam quando eſt ex motiuo, quod æquè poteſt inducere ad fætus animati interitum, quantumuis non moueat ex voluntate conſulentis, mouet tamen ex motiuo perſeuerante; quando verò eſt ex motiuo reſtricto ad tempus fætus inanimis, nec

4 Si motiuũ nõ ſit æqu mouẽs ad fætus animati interitum, ac ad eiectionẽ inanimis, ſed ad iſtam dumtaxat nõ incurrit irregularitatem.

Inſtantia propoſita, & plenè ſoluta.

mouet

mouet ex voluntate conſulentis, nec ex vi motiui adducti, ſed præcisè ex peruerſitate operantis, & ſic textus allegatus poteſt adaptari conſulenti iuxta primum ſenſum, quia in motiuo ipſius conſilium extenditur etiam ad viuentem, non ſic conſulenti iuxta ſecundum, cum nec in ſe, nec in motiuo ad viuentem extendatur.

5 Probabilius ſic cōſulens ex quocunq; motiuo non incurrit alias pœnas.

Reſpondeo ſecundo. Probabilius eſſe Drudum ſic conſulentem, quantumuis ex motiuo, quod æquè poſſet inducere ad fœtus animati internectionem, non contrahere caſum reſeruatum excommunicationis. Arbitror ab hac noſtra reſponſione non diſſentiri *Bordonum in conſil. Reg. tom. 1. reſol. 45. q. 3. n. 3., Nauarrum in man. c. 15. n. 14., Dianam part. 7. tract. 5. de abortu reſol. 20.*; dum aſſerunt ex abortu caſuali non incurri reſeruationem, quantumuis in eodem aliquam culpam agnoſcant in caſu alitèr cauſante. Ratio ex eo deducitur, quia caſus reſeruatus excommunicationis non incurritur, niſi per crimen ſedulo meditatum, & cum plena deliberatione elicitum ob regulam generalem, quod pœnalia ſint ſtrictè interpretanda, & non intelligenda, niſi de actu deliberatè conſummato, vnde etiam *Sixtus V. in ſua conſtit. Effrenatā* appoſuit particulā *ſcienter*; ſed qui conſuluit reſtrictiuè abortum fœtus inanimis non poteſt dici, quod ſedulo meditatus ſit internectionem fœtus animati, nec deliberatè ipſam voluerit, quin potius eidem obſtiterit volens præcisè eiectionem fœtus inanimis, & excludens necem fœtus animati. Confirmatur, quia conſulēdo dumtaxat abortum fœtus inanimis propriè non dicitur procurare abortum fœtus animati, nec vllo modo ipſum conſulit, ergo nec incidit in caſum reſeruatum. Antecedens patet, quia procurare eſt ſtudiosè curare, & intendere finem, & ad illum promouere per conſilia, ſed conſulendo inanimis eiectionem dumtaxat non ſtudiosè curatur nex animati, quin potius excluditur, ergo &c. Prima conſequentia probatur, quia caſus ex ſuperius dictis reſeruatus ob aliquod crimen non incurritur, niſi crimen illud reſpectu delinquentis fuerit cum plena deliberatione completum.

Rationes pro reſpōſione.

Diuerſa ratio de irregularitate, ac de caſu reſeruato.

Quod ſi dixeris, quod ſicut illud motiuum vtilitatis, quod reſultat ex conſilio eſt ſufficiens ad inducendum in conſulente irregularitatem, ità videatur ſufficiens ad inducendam reſeruationem excommunicationis, nam ratione illius motiui conſtituitur reus culpæ. Statim impugnaberis, quia quamuis reus culpæ conſtituatur, non tamen ſufficienter conſtituitur reus ad illam pœnam reſeruationis propter rationes ſuperius adductas, non etenim quæcunq; culpa eſt ſufficiens ad pœnam reſeruationis, ſed illa dumtaxat, quæ in rigore continetur in lege pœnali, & prohibente ſub tali pœna. Quod ſi vlterius inquiras, cur ſit ſufficiens ad pœnam irregularitatis, non ad pœnam reſeruationis, dicam hoc prouenire ex diſpoſitione iuris volentis irregularitatem incurri ex homicidio etiam occaſionalitèr cauſato, non autem pœnam reſeruatam excommunicationis, & quidem non incongrua ratione, quandoquidem irregularitas conſiſtit in priuatione iuris ad beneficium, vel ordines obtinendos, excommunicatio autem, potiſſimum ſi ſit reſeruata in priuatione iuris, quod actu poſſidetur, quod exigit conſummatam culpam.

---

§. VIII.

An interrogatus de remedijs abortiendi à fœmina prægnante, ſi remedium aliquod aptum referat, incidat in pœnas abortum procurantium.

SVMMARIVM.

Exponitur factum in ſuis terminis. 1.

Si peritus ex modo interrogandi, alijſque ſignis nouerit peti ad vſum propallando remedium contrahit irregularitatem. 2.

Non tamen ſi ex ſignis non nouerit, nec aduerterit. 3.

Si interrogatus illud remedium propallauerit bona fide non contrahit excommunicationem, bene tamen ſi mala fide. 4.

Diſquiſitio VIII. Ex Amaſio prægnans facta fuerat Catherina fœmina nubilis, vel vidua, cumque vtero intumeſcente anxia eſſet, nec crimen detegeretur, peritum quendam, quaſi aliud agens interrogauit de remedijs aptis ad abortiendum. Indicauit peritus remedium ad eum effectum opportunum, quo poſtea vſa eſt eadem Catherina, & effectum conſecuta eſt abortus. Quæſitum fuit, an peritus, qui tale remedium indicauit, inciderit in pœnas comminatas contra procurantes abortum fœtus animati, ſi re vera fœtus pro illo tempore fuerit animatus. 1

1 Facti expoſitio in particulari.

Plura circa præſentem titulū veniunt examinanda primo, an peritus aduerterit, vel aduertere potuerit ex modo interrogationis, alijsq; ſignis tunc concurrentibus, quod Catherina de illo remedio interrogauerit ad effectum ipſo in ſe ipſa vtendi.

Conſiderabilia circa factum.

Digitized by Google

vtendi. Secundo, an non aduertens ad grauiditatem interrogantis, nec ad alia ſigna, ex quibus dubitare potuerit, an interrogaretur pro cognitione in praxi reducenda, tanquam oſtentans peritiam ſuæ artis remedium illud indicauerit. Tertio quocunque ex his duobus modis propallet tale remedium, examinandus eſt titulus, vel in ordine ad pænam irregularitatis, vel in ordine ad alias pænas in iure comminatas contra procurantes abortum fætus animati.

2 Si peritus ex modo interrogandi, aliiſq; ſignis mouerit peri in ordine ad vſum, & remedium dederit, ſeu indicarit contrahit irregularitatem.

Reſpondeo primo. Si peritus ex modo interrogationis, aliiſq; ſignis tunc occurrentibus aduerterit fæminam interrogare de talibus cauſis abortiendi ad effectum vtendi, remedium illud propallauerit, probabilius non eximetur à pæna irregularitatis, ſecus, ſi non aduertens, nec ex ſignis cognoſcens ad eum effectum interrogari, propallauerit illud remedium tanquam ad oſtentationem ſuæ peritiæ. In hanc reſponſionem videtur in vniuerſum propendere ***Homobonus de Bonis de caſ. reſeru. part. 3. c. 4. ſect. 2. verſ. 2. non incidit***; nec diſſentiri arbitror ***Mazuchellum tract. de caſ. reſeruat. diſp. 2. c. 3. q. 1.*** Ratio primæ partis ex eo deſumitur, quia in tali circumſtantiarum hypotheſi manifeſtando tale remedium rationabilitèr cognoſcere potuit, & debuit, quod ordinandum erat ad fætus in vtero exiſtentis interitum, & non manifeſtando ille fætus interitus non fuiſſet ſecutus, ergo per talem manifeſtationem tanquam cooperator illius interitus erit irregularis reputandus; Neque obeſſe poteſt, ſi dicatur, quod, ſi ipſe tale remedium non manifeſtaſſet, manifeſtaſſent alij ab ipſo, adeoque non ſit ipſi talis manifeſtatio imputanda ad culpam, & multò minùs ad pænam; Non, inquam, obeſſe poteſt, quia, quod alij fuiſſent præſtituri, non tollit quin ipſe talem manifeſtationem præſtiterit, adeoq; non ſit ipſi talis manifeſtatio imputanda ad culpam, & ſicuti ex iis, quę docuimus *tom. de reſtit. ſub tit. de reſtit. 1. prænot. 12. ſect. p. n. 4.* non eximitur mandans à culpa, nec ab onere compenſationis in ordine ad ea, quæ mandauit ex eo, quod, ſi ipſe nō mandaſſet, non defuiſſent alij, qui tale mandatum dediſſent, quod etiam docent *Leſſius lib. 2. de iuſt., & iure c. 13. dub. 2. nu. 2. verſ. dico primo*, *Petrus à Nauarra lib. 3. de reſtit. c. 4. num. 47.*, & apud eundem Leſſium loc. cit. *Caietanus 2. 2. q. 62. art. 6.*, *Ioannes Medina C. de reſtit. q. 7.*, ita etiam ex eo præciſè, quod alius non manifeſtaſſet, non tollit quin ipſe manifeſtarit, adeoque, quod ſi talis manifeſtatio ſit ſecundum ſe culpabilis, non ſit eidem ad culpam imputanda. Neque vrgeas, quod ipſe peritus per talem manifeſtationem non intenderit illum effectum internectionis prolis, adeoq; hic non ſit illi imputandus, cum voluntas, & propuntum diſtinguunt maleficia *c. cum voluntate extra de ſent. excom.*, ergo ſi non fuerit voluntas nocendi, neq; illum effectum inferendi, maleficium illud non poterit ipſi imputari; contra enim impugnaberis, quia, quantumuis per illam manifeſtationem non intenderit formalitèr illum effectum, intendit tamen quaſi virtualitèr, & culpabilitèr, quatenus præuidere potuit, & debuit, quod ex illa manifeſtatione ſequi rationabilitèr poterat ille effectus, & nihilominus manifeſtauit contra debitum non manifeſtandi, quod ſatis eſt ad præſens noſtrum intentum.

Instantia propoſita, & diſſoluta.

Præuidere potuit, & debuit illum effectum.

3 Non tamen ſi ex ſignis non nouerit, nec aduerterit.

Ratio ſecundæ partis ex eo deducitur, quia non extante illa præſumptione ratione circumſtantiarum, quod fæmina interrogans, interrogaret ad effectum abortiendi, illa manifeſtatio remedij facta ab illo perito eſt veluti quædam doctrina ſpeculatiua, quam oſtentat ſe habere, quæque æquè legi poterat apud DD. in tali materia ſcribentes, quod certè nullam noxam inuoluit, & in hoc ſenſu verificantur, quod multa licitè dicantur in genere, quæ non licent in ſpecie *Gloſa in clement. 1. de priuil.*, *Homobonus de bonis de caſib. reſeruat. part. 3. c. 4. ſect. 2. verſ. 2. non incidit*. Quis autem diceret ſcribentes in tali materia, & remedium illud aſſignantes in irregularitatem incidere ex eo, quod quis eorum ſcripta voluntans tali remedio vteretur?

4 Si interrogatus propallauit bona fide non contrahit excommunicationē ſecus ſi mala.

Reſpondeo ſecundo. Peritum interrogatum de cauſis abortiendi, & aperientem remedium aliquod, quo fæmina ad abortum procurandum vteretur, non incidere in excommunicationem reſeruatam, ſi bona fide remedium illud aperuerit, ſecus, ſi mala fide aperiens ad effectū, vt fæmina ex illo abortiretur. *Mazuchellus de caſ. reſeru. diſp. 2. c. 3. q. 3.*, *Diana part. 7. tract. 5. de abortu reſol. 20.* Ratio primæ partis ex eo deſumitur, quia, vbi in aperitione illius remedij bona fides adfuit, defuit voluntas abortum procurandi, ergo non potuit eſſe incurſus in excommunicationem reſeruatam. Conſequentia probatur, quia non poteſt eſſe pæna procurantium abortum aduerſus eos, reſpectu quorum non adfuit voluntas crimen illud committendi.

Quod, ſi dixeris, quod, quamuis non fuerit voluntas formalis concurrendi ad tale crimen, adfuit tamen virtualis, & culpabilis, & quod præuidere potuit, & debuit, potuiſſe remedium illud adhiberi ad eum effectum, & nihilominus ab illa manife-

Digitized by Google

manifeſtatione non abſtinuit; Statim impugnaberis, quia, vbi ſupponitur bona fides, ſupponitur non eſſe aduertentia ad illos effectus, qui inde poſſent oriri, adeoque nec culpa. Deinde, quia, quantumuis in voluntario illo defectu præcognitionis interueniat culpa, ad incurrendam tamen pænam excommunicationis reſeruatæ non ſufficit quæcunque culpa, ſed talis requiritur, vt ex intentione, & voluntate operantis dirigatur ad illum effectum, cui annexa eſt talis excommunicatio, nec ſufficit ea, qua quis deficit in præcognoſcendis ijs, quæ poterat præcognoſcere; quia in tali defectu præcognitionis non conſiſtit procuratio, cum hæc ſit ſtudioſa curatio, & directio medij ad finem, quæ certè in hac hypotheſi non interuenit.

Vbi ſupponitur bona fides non ſupponitur culpa.

Ratio ſecundæ partis ex eo deducitur, quod habet *Sixtus V. in allegata ſua conſtitutione effrenatam*. Ibi. *Qui vel quæ, vel vti principales, vel vt ſocij, conſcijue ad tale facinus opem, conſilium, fauorem, potionem, aut medicamenta ſcienter dederint, aut etiam ſcribendo literas, vel apochas, vel alias verbis, aut ſignis iuuerint, aut conſuluerint*. Quis autem non videt opem, & fauorem præbere, qui ſciens, & præuidens ex cognitione, quam ipſe præſtabit, fæminam vſuram eſſe remedio ad finem abortus, talem notitiam, & cognitionem ſuppeditat? Quis ambigit eum verbis iuuare ad abortum, qui fæminæ ignoranti remedium, & de illo interroganti, remedium illud manifeſtat indicans ad eum effectum eſſe opportunum? Hoc voluit expreſsè *Mazuchellus d. tract. de caſib. reſeruatis diſputat. 2. c. 3. q. 3.*, dum excipit à reſeruatione cenſuræ remedium illud indicantem, quando indicat bona fide, ergo, ſi mala fide indicauerit ſciens certo fæminam vſuram tali remedio ad effectum abortus, non eximetur à tali reſeruatione ex generali regula, quod exceptio firmat regulam, & excluſio vnius ſit incluſio alterius.

Verè cooperatur illi effectui.

---

§. IX.

An prægnanti paratæ ſe ipſam occidere cum fætu licitum ſit ſuadere, vt fætum dumtaxat interimat.

SVMMARIVM.

Exponitur facti ſeries. 1.
Sententia negans parato maius malum committere licitum eſſe conſulere minus. 2.
Sententia affirmans expenditur cum ſuis rationibus. 3.
Sententia quædam media exponitur. 4.
Probabilius eſt licitum eſſe eidem conſulere abortum, quando alia via non poteſt auerti à ſui, & fœtus occiſione. 5.

Diſquiſitio IX. Ad euitandam infamiam, quæ ſibi contingere poterat ex prole, quam ex nefario concubitu conceperat, animo deliberato parata erat Caia ad ſe ipſam interimendam, à quo propoſito nullo modo poterat auerti. Antonius, qui diu inſudauerat, vt ipſam à tali voluntate auerteret, tandem conſuluit, vt quatenus diſpoſita ſit, & perſeueret in propoſito tale facinus committendi, quo ſe ipſam, & prolem interimeret, potius procuraret abortum, quo ſe liberaret à periculo illo infamiæ ſibi imminentis, & ſola proles periret, & ipſa ſalua euaderet. Quæſitum hic fuit, an Antonius per tale conſilium grauitèr peccauerit, & ſi effectus abortus fuerit ſecutus, inciderit in omnes pænas procurātium abortū fætus animati, ſi ille re vera gauderet anima?

1 **Expoſitio caſus in particulari.**

Hæc controuerſia, vt benè notat *Cardinalis de Lugo de iuſt. tom. pr. diſp. 19. ſect. 2. §. 2. n. 43.*, pendet ab illa, quæ communiter agitatur à Theologis in quæſtionibus de iuſt., & iure, an ſcilicet parato maius malum peragere licitum ſit conſulere minus, de qua quæſtione plura nos examinauimus *tom. de reſtit. ſub tit. de Reſtitut. 1. prænot. 12. ſect. 1. à nu. 13. ad plures ſequentes*, ad quæ vos remitto.

An liceat conſulere minus malum parato patrare maius.

Negant plurimi ſic diſpoſito ad maius malum licitum eſſe minus conſulere *Gabriel in 4. diſt. 15. q. 11. art. 3. dub. 14.*, *Caietanus 2. 2. q. 78. art. 4. not. 3. ad fin.*, *Coaruuias 4. decret. pr. part. c. 7. in princip. n. vlt. ad fin.*, *Valentia 2. 2. diſp. 5. q. 21. punct. 4. col. 4.*, *Angles Floribus 2. part. de reſtit. quandoquis teneatur ad reſtit. art. 1. dub. 4. diffic. 8.*, quod tamē intelligūt, quando tam maius, quā minùs eſt ab intrinſeco malum. Pluribus iuribus, & rationibus ad hoc mouentur; primò *ex c. ſuper eo de vſuris*, vbi dicitur, quod nec etiam ad redimendam vitam captiui licitum ſit vſuras committere; certum eſt, quod grauius ſit delictum, quam vſura. Secundò, quia peccat, qui facit minus malum ad euitandum in ſe, vel in alio maius; quis enim diceret non peccare, qui mentiretur ad euitādum vel in ſe, vel in alio periurium. Tertiò, quia non licet petere ab aliquo id, quod nequit licitè præſtari, ergo ſicuti efficiens minus malum, ad quod conſulitur, non euitat peccatum, illud minus malum peragendo, ita nec conſulens euitabit peccatum conſulendo, & inducendo illud minus malum, quamuis per illud ſtudeat euitare maius. Quartò, ſi liceret conſulere minus malum reſpectu eiuſdem

2 **Sententia negans parato maius malū committere licitū eſſe conſulere minus.**

Rationes pro hac ſententia.

Digitized by Google

perſonæ ad euitandum maius, liceret hoc idem reſpectu diuerſæ perſonæ, adeo vt, ſi vnus ſit diſpoſitus ad inferendum maius malum vni, poſſit alter conſulere, vt inferat minus malum alteri, quod non eſt dicendum per ea, quæ nos etiam alibi docuimus, nempè *eod. tom. de reſtit. ſub tit. de reſtit. 1. prænot. 12. ſect. 1. n. 14.* Ratio aſſumpti ex eo deducitur, quia motiuum, ob quod dici poteſt, quod reſpectu eiuſdem liceat minus malum conſulere ad euitandum maius, eſt quia non conſulitur malum abſolutè, ſed deuiatio à maiori malo, quæ vtique bona eſt, ſed hoc ſolum militat, quando conſulitur minus malum reſpectu diuerſæ perſonæ, vt per ſe patet, ergo &c. Ob has, & ſimiles rationes videtur etiam in particulari dicendum, quod non liceat conſulere abortum fætus quantumuis animati ad euitandam mortem matris ſimul cum fætu.

3 In hoc caſu particulari ſententia affirmatiua expènditur.

Affirmant in hac potiſſimum hypotheſi abortus ad euitandam mortem Matris, ſimul cum fætu *Mazuchellus tract. de caſ. reſeruat. diſp. 2. c. 3. q. 3. diffic. 1. n. 63., Diana part. 7. tract. 5. de abortu reſol. 39.*; & in genere poſſe conſuli minus malum ad euitandum maius *Cardinalis de Lugo de iuſt. tom. 1. diſp. 19. ſect. 2. §. 2. n. 43., Sanchez lib. 7. de matrim. diſp. 11. n. 15., Leſſius lib. 2. de iuſt., & iur. c. 13. dub. 3. num. 19., Petrus de Nauarra lib. 3. de reſtit. c. 4. n. 29., Sotus lib. 4. de iuſt. q. 7. art. 3. prope finem, & ego ipſe tom. de reſtit. ſub tit. de reſtit. 1. prænot. 12. ſect. 1. nu. 13.* Rationes plurimæ militant pro hac opinione. Prima eſt, quia conſulens iam efficaciter diſpoſitum ad aliquod maleficium perpatrandum, vt illud patret non obligatur ad aliquod damnum reparandum, prout docent *D. Thomas nu. 4. diſt. 15. q. 1. art. 3. ad tertium, D. Antoninus part. 2. c. 1. tit. 12.*, ergo a fortiori conſulens minus malum, quoad diſpoſitũ ad perpatrandum maius non tenebitur &c.

Rationes pro eadẽ ſententia.

Sed hæc ratio eo ſolum tendit, vt euincat conſulentem minus malum non teneatur ad aliquam reſtitutionem, ſeù reparationem damni, non autem, vt ſic conſulens euitet culpam in conſulendo. Secunda eſt, quia conſilium illud de minori malo reſpectu illius, qui iam diſpoſitus eſt ad maius, non eſt abſolutum, ſed ſaltem implicitè conditionatum ſcilicet, *ſi vnum ex his facturus es fac hoc minus, & non aliud grauius*, quod quidem honeſtum eſt, cum ex generali regula ex duobus malis minus ſit eligendum. Tertia, quia ſic conſulens potius prodeſt, quam obſit perſonæ, cui præbet conſilium, ergo, cum peccatum iniuſtitiæ ſaltem latè ſumptæ, de qua hic agitur, verſetur in ordine ad malum, quod inde poteſt conſequi perſonæ, cui præbetur conſilium, ſi per tale conſilium conſulens eidem non obeſt, quin potius prodeſt, nil mali committet. Quarta deducitur *ex D. Auguſtino lib. 2. de adult. coniug. c. 15.*, qui refetur *in c. ſi quod verius 33. q. 2.*, vbi ſic legitur *Si enim facturus eſt, quod non licet, iam faciat adulterium, & non faciat homicidium, vt viuente vxore ſua alteram ducat, & non humanum ſanguinem fundat*, quem textum licet alij diuerſimodè explicent, *Sanchez tamen d. l. 7. de matrimon. diſp. 11. nu. 15. verſ., & quamuis gloſa* in eo ſenſu explicat, vt importet, quod, quando ex firma diſpoſitione, & conſtanti animo operantis agendum eſt, quod non licet, poſſit licitè conſuli id, quod minus graue eſt.

Media via alij procedunt aſſerentes, quod liceat quidem conſulere minus malum ad euitandum maius, quando ille, cui præbetur conſilium, vtrumque malum decreuerat, ſecus vero, quando dumtaxat decreuerat de maiori malo. *Petrus de Nauarra lib. 3. de reſt. c. 4., vbi de iuſſione, & conſ. not. 4. in nona edit. num. 23., Carbonus de reſtit. q. 69. poſt tertiam concl.* Rationem ex eo deducunt, quia ſimpliciter per tale conſilium ad malum inducitur? Quid iam in hac opinionum varietate, præcipuè quoad terminos præſentis controuerſiæ concludendum?

4 Sententia quædam media exponitur.

Reſpondeo probabilius eſſe iuxta ſecundam opinionem in ea hypotheſi, qua mulier diſpoſita ad ſe ipſam occidendam non poſſit alio medio auerti à tali propoſito, licitum eſſe conſulere eidem potius abortum, quam ſui ipſius interitum. Ita DD. omnes præallegati pro eadem ſecunda opinione, & rationes pro eadem adductæ videntur præſentem reſponſionem concludenter euincere.

5 Probabilius eſt, quod, quando nequit aliter auerti, poſſit quis ei cõſulere abortum

Pro cuius clariori intelligentia, & aliquarum difficultatum, quæ ex aliorum ſententia poſſunt emergere diſcutione hæc aduertenda ſunt; primo, quod ex eo, quod prægnans deliberatè decreuerit, ſe ipſam interimere, in tali deliberatione, quantum eſt ex voto ipſius, veniat etiam deliberatio interemptionis fætus in ipſius vtero exiſtentis, non ſolum, quia regulariter perempta matre fætus in vtero exiſtens perit, ſed etiam, quia, cum votum conceperit occiſionis ſui ipſius ad tegendam infamiam, quæ inde poteſt conſequi, intendit fætum non propallare, ex quo illa infamia poteſt reſultare, & per conſequens mortem ipſius in vtero; ex quo eluditur in præſenti hypotheſi illorum opinio, qui ſtatuunt non licere minus malum conſulere ad euitandum maius, quando minus eſt de diuerſo obiecto, quia tunc diſpoſitus ad maius malum trahitur ad

Nonnulla notatu maximè digna circa hanc reſponſionem.

aliud

aliud malum, ad quod conſulens determinat; eluditur, inquam, quia, quantumuis conſilium ſit de diuerſo obiecto, tale tamen obiectum implicitè includitur in primo, ad quod conſultus iam erat diſpoſitus, quodque trahitur in neceſſariam conſequentiam; quando etenim ſe determinauit prægnans ad interficiendam ſe ipſam, vt infamiam tegeret, implicitè etiam determinauit internectionem fætus, ſine qua talem infamiam non poterat obuelare. Secundo non habere locum in hoc diſtinctionem nonnullorum aſſerentium, licitum quidem eſſe conſulere minus malum ad euitandum maius, quando illud minus eſt tantum malum, quia prohibitum, ſecus verò, quando eſt prohibitum, quia malum; non habet, inquam locum, quia quomodocunque illud minus malum ſumatur, ſiue prout eſt tale ex extrinſeca diſpoſitione, ſiue ab intrinſeco, illud minus malum non proponitur, nec conſulitur abſolutè, ſed dumtaxat conditionatè nempe, ſi firmiter in corde ſtatuiſti tale maleficium perpatrare, minus malum eſſet hoc, quod minus eſt, peragere, quod eſt potius remouere à malo, quam ad illud prouocare. Deinde exemplum adductum à D. Auguſtino loco, quo ſupra de adulterio, ac de homicidio, vtrumque eſt de obiecto ab intrinſeco malo, & tamen idem D. Auguſtinus conſulit in illo concurſu duorum malorum ab intrinſeco illud, quod minus eſt.

Fortior ratio huius noſtræ reſponſionis conſiſtet in aduerſantium obiectis in prima opinione propoſitis diſſoluendis. Ad primum igitur dicendum eſt *in d. c. ſuper eo de vſuris* tantum dici, quod non liceat vſuras committere etiam ad effectum redimendi captiuos à morte, quia teſte Apoſtolo non ſunt poſitiuè facienda mala, vt eueniant bona, non autem, quod in concurſu duorum malorum non liceat ſuadere minus ad euitandum maius malum, quod eſt id, de quo modo agitur. Ad ſecundum dicendum eſt, non licere quidem agere minus malum ad euitandum maius nec in ſe ipſo, nec in alio; non in ſe ipſo, quia in ipſius poteſtate eſt vitare vtrumq; vnde, ſi minus exercet, imputandum eſt ei ad culpam, quia voluntariè, & liberè id peragit, cum poſſet non peragere; non eſt autem in poteſtate conſulentis reſpectu eius, qui firmiter deliberauit de maiori malo perpatrando ipſum remouere ab vtroque, vnde in concurſu vtriuſq; mali ſolum dictat ex generali regula, quod ex duobus malis minus eſt eligendum. Ad tertium fateor non licere quidem ab altero petere, id, quod nequit licitè præſtare abſolutè, licere tamen petere conditionatè id, quod, quantumuis malum, minus eſt, quando ſcilicet iam executor determinatus eſt ad maius exequendum, quia tunc non eſt promouere, ſed potius remouere à malo. Ad quartum nego, quod reſpectu perſonæ determinatæ ad inferendum maius malum vni licitum ſit ipſi ſuadere, quod inferat minus malum alteri, ſi de hoc ſecundo perſona, quæ decreuit primo maius malum inferre, non cogitauerat. Vide, quæ latè de hoc dicta ſunt *tom. de reſtit. ſub tit. de reſtitut. 1. prænot. 12. ſect. 1. num. 14.*, non enim vacat ea repetere.

Soluuntur aduerſariorum obiecta.

---

§. X.

An fæmina, quæ poſt coitum mingit, vel digitis conatur ſemen expellere incidat in pænas procurantium abortum.

SVMMARIVM.

Titulus in terminis particularibus elucidatur. 1.
Ratio ſuadens propriè committi abortum. 2.
Et ſi contingat fæminam poſt coitum illis modis ſemen eicere, non propterea committit abortum, licet grauiſſimè peccet. 3.
Fæmina vt plurimum in illo conamine peccat ſolum intentione praua, non executione. 4.
Fæmina ſic procurans eiectionem ſeminis virilis non incurrit pænas procurantium abortum. 5.

Diſquiſitio X. Fæmina immediatè poſt congreſſum carnalem cum maſculo, ne grauida efficeretur, neue teneretur incommoda grauidationis, & partus ſufferre, conata fuit, vel ſtatim mingendo, vel digitorum opera ſemen virile receptum eicere. Hic plura examinanda propoſita ſunt. Primo, an dato, quod modis illis poſſet ſemen illud eicere diceretur abortum commiſiſſe. Secundo, an ſaltem grauiter peccauerit per illum conatum ad eiuſdem ſeminis emiſſionem. Tertio, an pænas contra procurantes abortum incurrerit? 1

Expenditur ſenſus tituli cũ nonnullis dubijs.

In ordine ad primum dubium excitatum circa præſentem titulum videtur prima fronte dicendum, quod fæmina mingendo ſtatim poſt coitum, & ſic ſemen proiciendo, vel etiam digitorum opera, committere propriè abortum, quia poſt coitum, & poſt ſemen emiſſum intra fæminæ eiuſdem vterum illud eicere eſt ſemen illud fruſtrare ſuo fine generationis, ad

Digitized by Google

ad quem ordinatum ℩,& hoc poſt occupationem ſuæ ſedis, & eiuſdem poſſeſſionem, quod etiam videtur ſenſiſſe *Floronus apud Dianam part.7.tract.5.de abortu reſol. 31.*, quod idem ſenſiſſe videtur *Sanchez lib.9.de debit. coniug. diſp.20.num.3.*, dum poſtquam in proximè præcedenti numero dixerat, quod fœmina ſumens potionem, qua prolis conceptioni obſtet per ſeminis concepti emiſſionem, grauitèr peccet,& abortum committat,ſubdit poſtea ſimilem culpam contrahere fœminam,quæ ſtatim poſt coitum mingit, vel ſe erigit, vel alio modo procurat ſeminis emiſſionem; Si enim,dum ſumit potionem ad eum effectum,abortum committit, & ſimilem culpam contrahit, dum vel mingendo, vel ſe erigendo ſemen receptum emittit, ergo ſimiliter committit crimen abortus. Sed re vera Sanchez loquitur ſolummodo de culpa læthali, in vtroque caſu contra naturam propter fruſtrationem ſeminis, non autem affirmat eſſe crimen abortus; vt legenti ſit manifeſtum.

Ratio ſuadens cōmitti propriè abortum.

3 Reſpondeo primo. Etiam ſi contingat fœminam per illos allegatos modos ſemen immediatè poſt coitum emittere, non tamen propriè committit abortum, licet grauitèr peccet contra naturam. *Bordonus in conſ.Regul. reſol.45.q.1.nu.1.*, *Diana part.7. tract.5. de abortu reſol. 31.* quoad illam partem, qua dicitur non committere propriè abortum; quoad illam verò, qua dicitur grauiſſimè peccare *Sanchez loc. cit.*, *Silueſter verb. debitum q.7.*, *Margarita Confeſſorum ſexto præcepto fol. 88.*, *Henriquez lib.11.de matrim.c.16. nu.8.*

Si illis modis ſemen eijciat non tamen propriè cōmittit abortum.

Ratio primæ partis ex eo deducitur, quia abortus ex ipſa cōmuni nominis acceptione nihil aliud importat, quā fœtus in vtero exiſtentis eiectionem,ſed quando primo ſemen virile in vtero fœminæ receptum eſt, non eſt propriè fœtus, cum hic importet aliqualem deorganizationem,licet imperfectam, ergo illius abiectio immediatè poſt coitum non eſt propriè abortus; Maior ex varijs acceptionibus DD. eiuſdem nominis abortus eluceſcit, nam aliqui accipiunt pro abiectione partus, vt ex ſacris literis *Num. 12.* alij pro fœtum abigere, vt *Columella lib.rei ruſt. 6.c.22.*, *Vulpianus in l.muliere ff.ad leg.corn. de ſicar.*, *Martinus in l. Diuus ff. de extraord. crimin.*, alij pro excuſione conceptus, vt *Conſil. Ancir anum c.22.*, quæ omnia non ſimplex ſemen important,ſed ſemen conceptum hoc eſt inceptum fieri fœtum, vel fœtum ipſum aliqualitèr informatum, ſeu deorganizatum. Neque dicas parum curandum eſſe de nomine, cum in ſubſtantia per illam ſeminis abiectionem habeatur quidquid iura requirunt ad crimen abortus, & quidquid circa illum intendunt prohibere; Quid enim aliud iura intendunt,niſi innuere crimen, quo poſtquam modo naturali ſemen ab homine deciſum receptum eſt in ſuam naturalem ſedem matricis fœminæ ad finem generationis ab eadem ſede intempeſtiuè eiicitur? Quid intendunt vetare in iuribus idem crimen prohibentibus,niſi,quod natura in illo ſemine iam in matricem fœminæ immiſſo ſuo fine non fruſtretur? quæ omnia habentur, quando etiam immediatè poſt coitum ſemen intra vas receptū abijcitur.Accedit,quod illud ſemen immediatè receptum intra vas fœminæ non diſtat à fœtu iam quoquo modo coagulato, niſi ſecundum magis, & minus; Contra enim impugnaberis, quia licet hæc omnia vera ſint quoad finem à natura ipſa,& à iuribus intentum; non tamen vera ſunt quoad ipſam ſubſtantiam abortus in ſua propria ſignificatione; ſeminis enim abiectio *ſecundum ſe, & in ſuis puris naturalibus* ſumpti non eſt propriè abortus, ſicuti non eſt abortus eiuſdem proiectio extra vas, dum maſculus cum fœmina congreditur; neque præciſè acquirit talem rationem abortus ex eo, quod ſit receptum in matrice fœminæ, nam per talem receptionem præciſè non recipit diuerſam qualitatem, nec diuerſam formam; Requiritur igitur, vt illius abiectio dicatur abortus, quod quoquo modo fuerit coagulatum, & diuerſimodè diſpoſitum per formam embrionis, vel per aliqualem deorganizationem; Ex quibus deducere poteris, quod iura quidem vetant talem ſeminis eiectionem, tanquam repugnantem iuri naturali, vtpotè quæ eandem naturam fruſtrat ſuo fine, non tanquam abortum propriè ſumptum.

Fœtus nō eſt, vbi ſemen coagulatum non eſt.

Inſtantiæ oppoſitæ diſſoluuntur.

Ratio ſecundæ partis ex eo deſumitur, quia per talem ſeminis iam in vtero recepti emiſſionem fruſtratur natura in illo ſemine fine proprio, ad quem illum ordinauerat per ea, quæ mox attingebam, ergo illa emiſſio, vtpotè contra ordinem naturalis diſpoſitionis erit grauiter, & læthaliter peccaminoſa. Exciperem tamen caſum,de quo in præcedentibus,quo fœmina eſſet per vim oppreſſa, ſi immediatè conaretur ſemen per vim receptum reiicere, prout etiam docent *Marchantius in reſol. pa. part.1.c.6.q.21.*, *Diana part. 7. tract.5.reſol. 31.*, *Rainaudus de ortu infant. c.10.num. 37.*, *Sanchez lib.2. de matrimon. diſp.22.num.17.*, propter eam rationem, quia ea ſeminis tunc primum recepti,nec adhuc quaſi pacificam poſſeſſionem nacti depulſio habet rationem iuſtæ defenſionis, eſtque cadentis iniuriæ repulſa.

Ratio, cur graue peccatum committatur.

Reſ-

4 **Fæmina, vt plurimum peccat ſolum in illo conamine intentione non executione.**

Reſpondeo ſecundo. Fæminam tunc primum conantem ad illam ſeminis emiſſionem poſt coitum, vt plurimum peccare ſolum ex peruerſitate intentionis, non ex operis executione *Mazuchellus de caſ. reſeru. diſp. 2. c. 3. difficult. 4. num. 24.*, *Diana d. part. 7. tract. 5. de abortu reſol. 31.*

Ratio peccati, vt plurimum deſumitur à voluntarietate.

Ratio primæ partis ex eo deſumitur, quia peccati ratio potiſſimum conſiſtit in voluntarietate operantis tendentis ſecundum ſe ad obiectum vel à natura, vel à iure diuino, vel humano prohibitum, nec à ratione peccaminoſi eximitur, ex eo quod effectus intentus nō ſequatur, ergo, cum fæmina illa prægnans, quantum eſt ex ſe, voluntate directa intendat illius ſeminis abiectionem, quæ ex obiecto eſt grauiter peccaminoſa, vtique grauiter peccabit grauitate, quam ſecum affert illud obiectum, ſi in ſe poneretur, ſiquidem quantum eſt ex affectu peccantis illud obiectum perindè eſt, ac ſi eſſet poſitum.

Receptū ſemen vix poteſt dimitti.

Ratio ſecundæ partis ex ijs deſumitur, quæ ſupra dicebamus, quod ſcilicet matrix fæminæ, poſtquam ſemen recepit, ita obſtringatur, vt ſemen receptum nequeat dimittere, cum nec cuſpis acus poſſit vterum ipſum ſic occluſum penetrare, prout docent *Rainaudus de ortu infant. c. 6. num. 13., & 14., & alij communiter*, ergo regularitèr ſaltem loquendo non poteſt conſiſtere in ipſa operis, idoſt abortus executione. Dixi *regularitèr*, quia, quandoque poteſt contingere, quod ex debilitate naturæ, vel ex alia cauſa ſeminis abiectio proueniat.

5 **Fæmina ſic procurans eiectionem ſeminis virilis nō incurrit pænas procurātiū abortum.**

Reſpondeo tertio. Fæmina immediatè poſt coitum mingendo, vel alio modo ſurgendo ſcilicet, vel digitorum opera curans immiſſi ſeminis virilis abiectionem non incurrit pænas comminatas contra procurantes abortum *Floronus de caſ. reſeru. vbi de abortu num.* 11. *§. 3. excipitur Mazuchellus de caſ. reſeru. diſp. 2. c. 3. diff. 4. num. 24.*, *Diana parte 7. tract. 5. de abort. reſol. 31.* Non difficilis probatio præſentis reſponſionis ſuppoſitis præcedentibus; quandoquidem vbi propriè non eſt crimen abortus, nec poteſt eſſe pæna aduerſus illud, ergo, cum in illa abiectione ſeminis immediatè poſt coitum, propriè non interueniat abortus, nec abijciens debet ſubdi pænis procurantium abortum; Neque dicas, quod in conſtit. Sixti V. non ſolum ſubduntur pænis contra procurantes abortum, qui fætum ipſum eiecerint, ſed etiam, qui effecerint, quominus fæmina concipiat; ſed re vera in hac hypotheſi fæmina poſt coitum eiciens ſemen efficit, ne concipiat, adeoq; &c. Contra enim impugnaberis, quia vt ſupra aſſerebam Gregorius XIV. quando fætus non eſt animatus, pænas omnes reduxit ad terminos iuris communis, ſecundum quos pęna abortientium non eſt impoſita contra fæminas ſtatim poſt coitum eicientes ſemen virile receptum.

---

§. XI.

An Monialis, quæ ex ſacrilego coitu concepit, pugnis ſe percutiens ad abortum præter pænas abortus incurrat etiam cenſuram, *ſi quis ſuadente*.

SVMMARIVM.

Status quæſtionis expoſitus. 1.
Pænas procurantium abortum incurrere certum eſt. 2.
Sententia aſſerens incurrere etiam cenſuram canonis ſi quis ſuadente. 3.
Sententia negans talem cenſuram incurrere cum ſuis rationibus. 4.
Probabilius talem cenſuram incurrit. 5.

1 **Sedes quæſtionis expoſita.**

Diſquiſitio XI. Libidinoſo ducta ſpiritu fæmina quædam Deo dicata per ſolemnem profeſſionem paſſa eſt carnaliter cognoſci à quodam Amaſio, à quo prolem cōcepit. Timens deinde infamiam ſibi imminentem, aliaſque graues pænas à iure iniunctas, ſi crimen illud detegeretur, fætum in vtero conceptum conata eſt opprimere, adeoque crebris, & repetitis pugnis ſe ipſam in ventre percuſſit, quo factum eſt, & vt proles interempta eſt, & eiecta. Quæſitum hic fuit, an eadem monialis, non ſolum inciderit in pænas contra procurantes abortum fætus animati, ſi verè ille fætus erat anima informatus, ſed etiam pænam excommunicationis latam in textu *ſi quis ſuadente*.

2 **Pænas procurantium abortum incurrere certū eſt.**

Pænas contra procurantes abortum incurriſſe certi iuris eſt, cum re vera violentèr cauſam directam dederit tali abortui, & in ea hydotheſi interueniant omnes conditiones requiſitæ à Sixto V., alijſque Pontificibus ad incurrendas illas pænas. Difficultas ſolummodo in præſenti eſt, quoad illam cenſuræ pænam *ſi quis ſuadente*; & quidem videtur dicendum illam incurrere, quandoquidem denegari non poteſt, quin illa percuſſio ſit violenta naturæ, quæ, cum ſit in determinato ſubiecto Deo ſacro, denegari non poteſt, quin ſit iniurioſa perſonæ Religioſæ, adeoq; &c. Nec hic valet præciſio illa metaphyſica, quam aliqui ſibi confingunt aſſerentes, quod tunc monialis non intendat ſibi, vt perſonæ Religioſæ

3 **Sententia aſſerens incurrere etiam cenſuram canonis, *ſi quis ſuadente*.**

vim

vim inferre, ſed naturæ præciſè, prout eſt affecta illa qualitate grauidationis. Non valet, inquam, quia hac ratione vnuſquiſque in percuſſione perſonæ Eccleſiaſticæ poſſet ita præſcindere, & euitare cenſuras aſſerens ſe non intendere iniuriā ſtatui Eccleſiaſtico, ſed naturæ in illa perſona, quam percutit. Nihilominus

4 Sententia negās talem cenſuram incurrere. Sentiunt Monialem ſic percutientem ventrem pugnis ad effectum abortiendi non incidere in cenſuram *Si quis ſuadente*, *Bellochius in praxi part. 2. q. 8. num. 108.*, *Capeauilla de caſ. reſeru. c. 9. q. 3.*, *Mazuchellus de caſ. reſeru. diſp. 2. c. 3. q. 3. diffic. 3. nu. 67.*, *Auila de cenſur. part. 2. c. 5. diſp. 3. dub. 12. concl. 2. verſ. 5.*, *Alphonſus de Leone de cenſur. recollect. 5 nu. 128.*, *Diana part. 7. tract. 5. de abortu reſol. 40.* Rationem ex eo deducunt, quia ad incurrendam huiuſmodi cenſuram requiritur, quod percuſſio ſit facta ex ira, quod videtur indicare illa particula *ſuadente Diabolo*; Monialis autem non percutit ſe ipſam in hac hypotheſi ex ira, ſed potius ex ſui amore, ne ſubiaceat illi infamiæ. Secundo ex eo, quod licet illa percuſſio ſit violenta naturæ, non tamen ſit iniurioſa ſtatui Eccleſiaſtico, nec violenta Religioſæ perſonæ, cum non intendat monialis ſibi iniuriam inferre, ſed fætui. Quid igitur in hoc concludendum?

5 Probabilius incurrit talem cenſurā. Reſpondeo probabilius eſſe Monialem ſe ipſam ſic percutientem ad effectū abortiendi incurrere in cenſuram, *ſi quis ſuadente*. Fateor, me nullum patronum huius meæ reſponſionis adinueniſſe ex ijs, quos legi; patrocinari tamen mihi cenſeo rationes, quas ſubdo. Prima ſit, quia clericus percutiens ſe ipſum non eximitur à tali cenſura, cum talis percuſſio ſit iniurioſa ſtatui clericali, cui iniuriæ ipſe clericus nequit cedere, quod enim in fauorem non determinatæ perſonæ, ſed ſtatus inductum eſt, nequit per determinatam perſonam renuntiari. *Nauarrus in man. c. 27. nu. 78.*, *Reginaldus lib. 1. num. 222.*, *Conimbus diſp. 14. nu. 170.*, *Suarez diſp. 22. ſect. 1. num. 59.*, *Sairus lib. 3. clauis c. 26. num. 20.*, *Bonacina in nouiſ. edit. de excommun. in part. extra bullam cæn. diſp. 2. q. 1. punct. 6. ſect. 2. prop. 3. num. 7.*, ergo etiam monialis ſe ipſam pugnis percutiens ad effectum abortus non eximitur à tali cenſura, cum ſit perſona Deo addicta per ſolemnem profeſſionem in Religione approbata.

Illa percuſſio cederet in iniuriam ſtatus.

Suaſio Diaboli poteſt eſſe ex quocunque motiuo prauo. Dices primo Monialem non efficere illam percuſſionem in ſe ipſam ex meditatione odij; nec ex ira, adeoque *non ſuadente diabolo*, ergo deficiente conditione requiſita ad incurrendam illam cenſuram, ipſam non incurret. Hoc eſt primum argumentum, in quo fundatur contraria opinio, vt ſupra. Sed contra, quia ſuaſio Diaboli ad illam percuſſionem non ſolum poteſt prouenire ex ira, ſed ex alio quocunque motiuo peruerſo, prout euenit in præſenti hypotheſi Diabolo excitante ad illam percuſſionem ex fine iniquo prolis perdendæ.

Dices ſecundo illam percuſſionem non eſſe iniurioſam ſtatui clericali, ſeu Eccleſiaſtico, cum Monialis non intendat ſibi iniuriam inferre, ſed fætui; & hoc eſt ſecundum argumentum partis oppoſitæ ſupra propoſitum. Sed contra, quia, quando in tendentia ad finem inuoluitur medium iniquum ex ſe, & ex obiecto, quod eſt iniurioſum ſtatui Eccleſiaſtico, ſeu perſonæ Religioſæ, in qua debet exerceri illud medium, per ſe conſtituit culpabilem operantem, & ſubdit pænis à iure impoſitis. Quis enim diceret, quod, ſi ipſe Amaſius, ex quo illa Monialis concepit eandem calcibus, vel pugnis impeteret, non ad effectum *ipſam lædendi*, ſed eiciendi fætum, quem concepit, non contrahere cenſuram illam, *ſi quis ſuadente*, & tamen finis vltimatus illius actionis eſſet prolem extrahere? Videndum eſt igitur, an in illa actione interueniat actus iniurioſus ſtatui, ſiue ſe habeat per modum finis, ſiue per modum medij, & ſi interuenerit, non erit, cur ſic operans non debeat ſubdi &c. In illa actione interuenit actus iniurioſus ſtatui.

Dices tertio volenti, & conſentienti non fit iniuria, ergo a fortiori non erit ad iniuriam imputanda operatio, quam quis volens in ſe ipſo exercet, adeoq; &c. Sed contra, quia, quamuis daremus, quod conſentienti non ſit iniurioſa actio ipſi vt tali, denegari tamen non poteſt, quin ſit iniurioſa ſtatui, ſeu ipſi, vt in tali ſtatu conſtituto, nec ipſe poteſt conſentire in damnum, & dedecus ſtatus, ratione cuius impoſita eſt illa cenſura, vt habetur *in c. contingit de ſent. excommun.* Non poteſt eſſe conſentiens in iniuriam ſtatus.

Secunda ratio ex eo poteſt deduci, quia clericus conſentiens, vt ab altero percutiatur, ſubijciendus eſt excommunicationi propter læſionem, quæ inde ſtatui clericali reſultat, prout habetur *in d. c. contingit de ſent. excommunicationis*, quæ, quamuis non ſit cenſura latæ ſententiæ, prout notant *Suarez diſp. 22. ſect. 1. num. 57.*, *& ſeqq.*, *Nauarrus in man. c. 27. num. 7.*, *Filliucius tract. 15. c. 1. q. 7. num. 33.* eſt tamen ſententiæ ferendæ; ipſe vero percutiens ex patientis conſenſu ſubijcitur cenſuræ latæ ſententiæ, *ſi quis ſuadente*, vt communiter ſcribentes docent *in d. c. contingit de ſententia excomm.*, & omnes mox allegati, & vlterius *Bonacina de excommun. in partic. diſp. 2. q. 1. punct. 6. ſect. 2. nu. 5.*, *& 6.* ergo ipſe percutiens ſe ipſum non ſolum Alia ratio reſponſionis.

ſu-

Digitized by Google

ſubiacebit excommunicationi ſententiæ ferendæ, tanquam conſentiens *in d. c. contingit*, ſed etiam latæ ſententiæ, vt executor, prout in *c. ſi quis ſuadente*, cum ipſe vtrumque munus exerceat, & conſentientis ſcilicet, & percutientis.

§. XII.

An maritus incidat in pænas abortus, ſi dum congreditur cum propria vxore prægnante ex magna corporis agitatione ſequatur fœtus interitus.

SVMMARIVM.

Senſus tituli expoſitus. 1.
Sententia aſſerens omnes pœnas incurrere. 2.
Si congreſſum habuerit eo animo, vt abortus ſequeretur ob illam agitationem ſecuto effectu incidit in omnes pœnas. 3.
Si congreſſum non ordinauerit ad illum effectum, ſed ad maiorem libidinem, non incurrit illas pœnas. 4.
Probabilius tamen non euitat irregularitatem. 5.

1 *Status quæſtionis elucidatus.* DIſquiſitio XII. Prægnans à marito facta fuerat Caia, eamq; grauiditatem ad longum tempus protraxerat feliciter. Contigit, vt durante ea grauidatione maritus ſtimulis carnis agitatus ſtatuerit cum eadem Caia coniuge ſua carnaliter congredi, & vt magis expleret libidinem in ipſo congreſſu vehementer in corpore ſe agitauit; ex qua agitatione conſecutus eſt fætus in vtero matris exiſtentis abortus. Quæſitum hic fuit, an maritus in illo congreſſu contraxerit culpam procurantium abortum, & in omnes pænas à iure impoſitas inciderit?

In præcedentibus plura diximus de congreſſu cum propria vxore prægnante, an ſcilicet licitus ſit, vbi etiam iuxta medicorum placitum notauimus, pro quonam tempore grauidationis maius ſit periculum abortus ex nouo congreſſu carnali. Modo ſupponimus, ex genere ſuo licitum eſſe talem congreſſum, illumque ex natura ſua non eſſe infallibiliter connexum cum fætus in vtero exiſtentis interitu, ſeu abortu; ſi etenim eſſet talis, procul dubio maritus congrediens non euaderet culpam, nec pænas abortus. Difficultas igitur eſt ſolummodo, an culpam, & pænas contrahat, ex eo quod in tali congreſſu ad maiorem captandam voluptatem, & explendam libidinem nimium agitetur in corpore, & ex illa agitatione conſequatur abortus.

Nonnulli apud *Dianam part. 7. tract. 5. de abortu reſol. 30.* affirmarunt maritum cum tali agitatione congredientem nedum in culpam abortus, ſed etiam in pænas omnes incidere, ea moti ratione, quia in probabili periculo eiuſdem abortus nedum non impediuit ſe retrahendo, ſed poſitiuè operando in illa maiori corporis agitatione ad illum effectum concurrit; vnde, ſi in iſtorum ſententia in illo periculo non adhibendo in congreſſu illo conuenientem cautionem in pænas illas incidit, à fortiori in illas incidere cenſendus eſt, quando modo quodam incongruo, & magis libidinoſo cum poſitiua agitatione concurrit. Nihilominus 2 *Sententia aſſerens in omnes pænas incidere.*

Ad plenius diſcutiendam præſentem difficultatem nonnulla hic aduertenda ſunt; primo, an maritus in illa nimia corporis agitatione, nimiaque libidine, quam ex illo congreſſu captare intendit, intenderit verè fætus illius interitum, & eiectionem, an verò præciſè intenderit explere libidinem, nulloq; modo intenderit, nec cogitauerit de illa eiectione, & interitu. Secundo, quacunq; intentione hoc præſtiterit, an quæſitum referatur in ordine ad pænam irregularitatis, an verò etiam ad caſum reſeruatum excommunicationis &c. *Conſiderabilia circa factū.*

Reſpondeo primo, ſi maritus congreſſum habuerit cum illa agitatione eo animo, & intentione, vt abortus ſequeretur, & fætus fuerit animatus, ſecuto inde illo effectu incidit verè in omnes pænas tàm irregularitatis, quàm cenſurarum reſeruatarum iniunctas contra procurantes abortum fætus animati. *Floronus de caſib. reſeru. part. 2. caſu 5. num. 9. verſ. ſexto locum habet*, *Diana part. 7. tract. 5. de abortu reſol. 30.* Ratio ex eo deducitur, quia ille congreſſus cum illa vehementi agitatione eſt modus ſecundum ſe aptus ad effectum illum abortus ponendum, & cum ſuperexcedat modum naturalem, & conſuetum congrediendi, vtique in illo periculo eſt illicitus, ergo, ſi ex intentione congredientis ordinetur ad illum abortus effectum, qui inde ſequatur, inducet nedum culpam eiuſdem abortus, ſed etiam pænas omnes contra procurantes abortum; non enim huiuſmodi ſunt alligatæ alicui ſpeciali modo, quo procuretur abortus, ſed cuicunq; modo, ex quo ex intentione operantis, & ex natura ipſius poſſit euenire. 3 *Si cōgreſſum habuerit cū illa agitatione eo animo, vt ſequeretur abortus, eo ſecuto incidit in omnes pænas.*

Reſpondeo ſecundo. Si maritus congreſſum illum non ordinauerit ad eiuſdem fætus abortum, ſed intenderit præciſè ratione maioris voluptatis captandæ, & libidinis explendæ probabilius

non

Digitized by Google

non incurrit excommunicationem reſeruatam, quantumuis ſecutus fuerit fætus animati abortus. *Floronus de caſ. reſeru. part. 2. caſ. 5. n. 9. verſ. ſexto locum habet, Diana part. 7. tract. 5. de abortu reſol. 30.*

4 Si congreſſum non ordinauerit ad illum effectum, ſed ad maiorem libidinem, non contrahit illas pœnas.

Ratio ex eo deducitur, quia ad incurrendas cenſuras ob crimen abortus requiritur deliberata intentio cum ordinatione mediorum ad talem finem; illatæ etenim ſunt huiuſmodi pœnæ contra procurantes; procurare autem eſt ſtudiosè curare, & quærere eligendo ad hunc finem ea, quæ ad eundem poſſunt conducere; ſed maritus ſic congrediens cum vxore propria prægnante quærit præcisè, quæ ſua ſunt, nempè actum illum cum libidine, nec vllo modo intendit fætus interitum, nec ſtudiosè curat, ergo &c.

Rationes pro reſponſione.

Neque dicas, quod licet non quærat explicitè, quærat tamen implicite exercendo actionem illicitam, ex qua rationabilitèr poteſt timeri ille effectus; illicitam, inquam, quia quantumuis inter coniuges in congreſſu carnali licita ſit libido etiam aliquo modo excedens, non eſt tamen licita extante illo periculo internectionis fœtus, quod periculum certè præuidere debuerant, & ſicuti non eximeretur à pœnis iuris, qui pharmaca ordinata ex genere ſuo ad fætus necem propinaret fæminæ prægnanti, quantumuis hoc expreſsè non intenderet, ita non eximi cenſendus eſt, qui cum vxore prægnante congrederetur cum illa corporis agitatione, quandòquidem ex genere ſuo illa agitatio conducit ad talem effectum, quantumuis expreſsè ipſum non intendat, non etenim curandum eſt de voluntate explicita, vbi voluntariè ponitur cauſa, ex qua certo moralitèr ſequatur ille effectus, qui propterea eſt voluntarius ſufficienter in cauſa;

Soluuntur nonnullæ inſtantiæ oppoſitæ.

Cōtra enim impugnaberis, quia ſic cōgrediendo nec dici poteſt, quòd quærat implicitè, cū nec neceſſario, nec infallibilitèr ex illa actione cōſequi debeat ille effectus, vndè ſe exponendo illi periculo peccat quidem, non tamen dici poteſt, quod contrahat pœnas, cum ad has incurrendas non ſufficiat qualiſcunque culpa in aliquo genere, ſed talis requiritur per conditiones, & qualitates, quæ compleant perfectè delictum in tali genere, prout ſtatuitur à iure imponente huiuſmodi pœnas, quod non interuenit in præſenti hypotheſi, cum non intendat maritus talem effectum, ſed præcisè vti iure ſuo; nec valet id, quod opponitur de propinante pharmaca ex genere ſuo conducentia ad interitum prolis, quandoquidem, cum hæc tendant directè ad illum effectum, qui infallibilitèr debet ſequi, parum referre debet, quòd aſſerat, quòd non intendat talem finem, dum ponit mediâ directè, & infallibilitèr conducentia ad ipſum; in præſenti autem illo accubitus cū illa agitatione ad captandam maiorē voluptatem ex excitata libidine, cum non ſit infallibilitèr connexus cum nece fætus, nec ipſe maritus intendat illum effectum non inducit talem culpam, quæ ſit ſufficiens ad pœnas illas ita arduas, cum deficiat conditio ſtudioſæ procurationis.

Reſpondeo tertiò. In illo caſu congreſſus coniugalis cum illa corporis agitatione ad captandam maiorem voluptatem cum vxore prægnante, quantumuis non ordinetur expreſsè ad fætus interitum, probabilius non euitat maritus irregularitatem, & hoc, non ex vi Conſtitutionis Sixtianæ, ſed ex vi *c. fin. de homicid. in ſexto*, vbi, qui iuſſerat alteri dari alapham, ſubditur pœnæ irregularitatis ob homicidium cauſatum à mandatario excedente fines mandati, & ibidem ſubditur ratio talis diſpoſitionis, quia ſcilicet per iuſſionem illicitam dedit cauſam, ergo etiam, cum in noſtra hypotheſi maritus in illo congreſſu cum illa corporis agitatione dederit cauſam, & vtique illicitam, cum illa agitatio in illo periculo abortus ſit peccaminoſa, non euitabit pœnam irregularitatis, ſi ex illa conſequetur effectus internectionis prolis animatæ.

5 Probabilius tamē nō euitat irregularitatem.

---

§. XIII.

An medicus, qui ordinauit Pharmacum tendens ad fætus interitum pro Caia prægnante, ſi ex incuria aromatarij datum fuit Semproniæ item grauidæ, in qua ſecutus eſt abortus, incidat in pœnas procurantium abortum.

SVMMARIVM.

Exponitur ſtatus diſquiſitionis. 1.
Tàm medicus, quàm aromatarius grauitèr peccarunt. 2.
Rationes ſuadentes etiam incurriße pœnas. 3.
Probabilius non inciderunt in pœnam reſeruatam excommunicationis. 4.
Sententia aßerens incidiſſe in irregularitatē. 5.
Sententia negans. 6.
Præfertur ſententia negatiua. 7.

1 Exponitur ſtatus diſquiſitionis.

Diſquiſitio XIII. Requiſitus Pantaleon Medicus à Caia fæmina prægnante ex actu fornicario, vt ſibi remedium

Digitized by Google

dium illud eſſet ad hunc effectum adhibendum ordinauit indicta iuſſione Aromatario, vt illud diſponeret, & traderet eidem Caiæ prægnanti. Ex errore idem Aromatarius, cum in mandatis haberet aliud remedium non quidem directè tendens ad abortum, ſed ad ſalutem eiuſdem diſponendi pro Sempronia item prægnāte remedium noxium ordinatum pro Caia propinauit Semproniæ, & remedium proficuum tradidit Caiæ; ex quo ſecutum eſt, vt Sempronia prægnans abortum fecerit. Quæſitum hic fuit, an vel Medicus, vel Aromatarius in illa hypotheſi erroris inciderint in pænas contra procurantes abortum?

2 Tam Medicus, quā Aromatarius peccauerunt grauitèr.

Non negauerim tam Medicum, quam Aromatarium in ea hypotheſi graue commiſiſſe delictum, illum in ordinando ſcienter illud remedium ad effectum abortus, iſtum in diſponendo, cum vterque voluntariè concurrerit ad actionem illam noxiam tendentem directè in innocentis perniciem, nec eximuntur à tali noxa ex eo, quod per accidens obuenerit interitus alterius fætus à meditato, quandoquidem denegari non poteſt, quin per illam ordinationem, & diſpoſitionem voluntariè intenderint necem illius fætus exiſtentis in vtero Caiæ, & ratio peccati potiſſimum deſumitur à voluntario, ſeu ab operantis intentione, quantumuis non ſequatur effectus; quin immò quoquo modo poteſt imputari eiſdem ad noxam interitus fætus Semproniæ reſpectu quidem Aromatarij eo quia debebat cauere, reſpectu verò medici eo quia per actionem illicitam fuit cauſa ſaltem occaſionalitèr illius necis.

3 Rationes ſuadentes etiam incurriſſe pænas.

Difficultas igitur ſolummodò eſt in ordine ad pænas; circa quas videtur dicendum illas incurrere, quandoquidem & intendit propriè necem fætus, & ad illum media opportuna ordinauit, & mors re vera ſecuta eſt; Nec obſtat, ſi afferatur, quod ad illam necem in indiuiduo non intenderit, ſed hæc per accidens ratione ipſius medici, vel aromatarij obuenerit, adeoq; non ſit illis imputanda ſaltem quoad pænas; Non obſtat, inquam, quia, cum mortem in illo remedio intenderint determinatè, parum referre poteſt quoad effectum huiuſmodi pænarum, quod, vel in vno, vel in altero euenerit. Nihilominus

4 Probabilius non inciderūt in pænam reſeruatā excōmunicationis.

Reſpondeo, probabilius eſſe non incidere in pænam reſeruatam excommunicationis *Diana part. 7. tract. 5. de abortu reſol. 10. verſ. vnde ex iſtis*; atq; hæc reſponſio conſonat cum ijs, quæ nos docuimus *tom. de reſtit. ſub tit. de reſt. 1. diſq. 117. §. 18. n. 5.* Ratio ex eo deducitur primò, quia, ſi quis animo deliberato intendat vnum occidere, & alium inopinato occidat, non ſubijcitur pænis ordinarijs homicidæ *Iulius Clar. lib. 5. ſent. §. homicidium n. 4. verſ. dicunt etiam aliqui, Placa lib. 1. de lict. c. 27. n. 1.* atq; hanc opinionem communem appellat *Alba conſ. 1. & 2. Menchacha controu. Illuſt. c. 98. poſt n. 32. Grammaticus conſ. 5.* qui etiam refert ita fuiſſe iudicatum *per Conſilium Neapolit. ſuper conſt. Regni fol. 14. n. 21.*, ergo etiam in præſenti caſu, cum Medicus, & Aromatarius intenderint abortum fætus Caiæ, & per errorem occiderint fætum Sempronij, non ſubiacebunt pænis ordinarijs abortus, ſed ad ſummum extraordinarijs, vt arbitrarijs Iudicum. Secundò, quia æquum omninò non eſt, vt eiſdem pænis puniatur, qui homicidium indeliberatè commiſit, ac ille, qui animo deliberato perpatrauit, vt ex communi ſcribentium ſententia docet *Cepola conſ. crim. 137. col. 1., Maranta in ſuo ſpeculo col. 26. poſt. n. 59.* ſed abortus fætus Semproniæ reſpectu Medici, & Aromatarij omninò fuit indeliberatus, cum illum nullo modo intenderint, ergo &c. Neq; obeſſe poſſunt ea, quæ ex aduerſo afferabantur, quod ſcilicet mortem determinatè in eo remedio intenderint, & parum referre poſſit, quod in vno, vel altero contigerit, dummodò re vera ex illo remedio ſecuta fuerit. Non, inquam, obeſſe poteſt, quia illa animi deliberatio in ordine ad hoc homicidium, vel in ordine ad hunc abortum non eſt ſufficiens ad conſtituendum abortum patratum deliberatum; nam, quod eſt deliberatum in ordine ad vnum, non intelligitur tale in ordine ad alterum, ad quod deliberans non reſpicit, vndè reſpectu ipſius remanet in puris terminis homicidij caſualis. Tertiò, quia animo deliberato intendens percutere laicum, ſi ex errore percutiat clericum, non incurrit pænam excommunicationis latæ aduerſus percuſſores clericorum, vt ex communi docent, *Didacus in rep. c. alma mater fol. 497. poſt n. 15. verſ. nonò ad eiuſdem, & in c. quamuis fol. 57. poſt. num. 3., Placa in d. c. 27. n. 18., Iulius Clarus lib. 5. ſent. §. fin. q. 77. n. 8.*, ergo etiam, qui intendit vnum occidere, & alterum inopinatè interficit, non contrahet pænas ordinarias homicidij deliberati.

Soluuntur rationes oppoſitæ.

Maior difficultas eſt in ordine ad pænam irregularitatis, & quidem ratio dubitandi ex eo conſurgit, quod ſupra dicebamus, quod in ordine ad ipſum non tanta deliberatio requiratur, quanta requiritur ad alias pænas, cum potiſſimum *in c. fin. de homicid. in 6.* ſupra allegato dicatur, quod ſi ex iuſſione alaphæ præ-

An ſaltē inciderint in irregularitatem.

 ciſè,

Digitized by Google

ciſè contingat mandatarium occidere illum, cui alapham debebat impingere excedendo fines mandati, mandans non euitet pænam irregularitatis ea ratione, quia dedit operam rei illicitæ, nec tamen ipſe mandans deliberatè intendit illud homicidium, ergò etiam cum in noſtra

5 Sententia negatiua.

hypoteſi Medicus, ſeu Aromatarius operam dederint rei illicitæ, & occaſionem illi abortui fætus Semproniæ, quantumuis illum deliberatè non fuerint meditati, non euitabunt pænam irregularitatis.

6 Sententia affirmatiua.

Ex alia parte, cum abortus ille fuerit reſpectu eorundem omninò caſualis, non videtur eiſdem imputandus etiam quoad hunc pænam irregularitatis; nec culpa, quæ interuenit in actu deliberato voluntatis reſpectu vnius, poteſt refundere culpam in actu reſpectu alterius, vt ſubire debeat notam irregularitatis. Quis enim diceret, quod, ſi ego meditatus fuerim mortem animo deliberato quoad Antonium, & indè ſine mea culpa contingat mors Franciſci, debeam ego ſubire pænam irregularitatis ex illa morte nec a me meditata, nec ordinata? Quid ergo in hoc concludendum?

7 Præfertur Sententia negatiua

Reſpondeo ſecundo, probabilius Medicum in hac erroris hypotheſi non incidere in irregularitatem. Ratio ex eo deducitur primò, quia ad talem abortum fætus Semproniæ, nec concurrerunt voluntariè in ſe, nec in cauſa proxima, cum talem effectum, nec conſiderauerint in ſe, nec præuidere potuerint, cum fuerit caſus omninò fortuitus, ergo, cum talis irregularitas iniuncta intelligatur ob delictum, in præſenti caſu non eſt intelligenda iniuncta, cum in ordine ad ipſum nulla pænitùs fuerit voluntarietas, nec in ſe, nec in cauſa proxima; quòd, ſi aliundè culpa interuenerit nempè meditatione deliberata abortus alterius, hæc non officit præſenti caſui, in ordine ad quem nulla fuit voluntarietas.

Rationes pro tali reſolutione.

Secundò ex ijs, quæ ſupra docuimus, quòd ſcilicet, ſi quis intendat percutere Laicum, & Clericum præter intentionem percutiat, non incidat in pænam excommunicationis *Si quis ſuadente*, eo, quia nullo modò illa intentio nocendi Laico influit in illam læſionem Clerici, reſpectu cuius fuit penitus inuoluntarius, ergo nec contrahit irregularitatem ex eo, quod præter intentionem ipſius ex caſu omninò inopinato pro vno alter fuerit commiſſus abortus, cum de illo nec cogitauerit, nec potuerit cogitare;

Nec obeſſe poſſunt ea; quæ ex aduerſo afferebantur ex textu *in c. fin. de homicid. in 6.* quandoquidem, cum illa iuſſio, ſeu mandatum fuerit in ordine ad eandem perſonam, vtique ex genere actionis habere poteſt aliquam connexionem cum homicidio, quatenus præuidere poterat, quod mandatarius poterat in ſtatu conſtitui, vt vel occideret, vel occideretur à perſona, cui ex mandato debebat alapham impingere; adeoq; mirum non eſt, quòd iura voluerint ipſum mandantem ex illo homicidio ſubiacere irregularitati; in noſtro autem hypotheſi abortus fætus Caiæ nullam habebat connexionem cum abortu fætus Semproniæ, quinimmò nec præuideri rationabilitèr potuit talis effectus, adeoq; &c.

Soluitur obiectum oppoſitum.

Tertiò, quia, ſi quis exerceret actionem aliundè iniquam, quæ nec ex ſe haberet connexionem cum homicidio, & ex illa occaſionalitèr, & præter intentionem operantis ipſius ex alterius incuria homicidiũ cõſequeretur, certè hoc quoad pænam irregularitatis non eſſet imputandam exercenti illam actionem, quandòquidem nec illa actio, nec intentio agentis refertur ad illud, ergo, etiam ſi Medicus ordinaret pharmacum ad abortum vnius, in quo conſiſtit actio iniqua, & ex incuria Aromatarij in altero nõ præmeditato à Medico ſecutus fuerit abortus, hic non erit imputandus eidem Medico, adeòut contrahat pænam irregularitatis, cum nec illa ordinatio, nec Medici intentio ad illum fuerit directa; vndè nec illa irregularitas contrahitur ex primo abortu præmeditato, eo quia ille non eſt ſecutus, nec ex ſecundo non præmeditato, quantumuis fuerit ſecutus, quia illa actio nec ex ſe, nec ex intentione Medici ordinatis fuit ad eum effectum ordinata, ſed merè fortuito accidit.

Alia ratio pro reſolutione.

§. XIV.

An ignorantia iuris, vel facti in abortu excuſet à pænis.

SVMMARIVM.

Facti ſeries expoſita. 1.
Sententia aſſerens ignorantiam iuris non excuſare. 2.
Nedum ignorantia facti, ſed etiam iuris excuſat in hac hypotheſi à pænis. 3.
Excipe, niſi ignorantia eſſet connexa cum ingenti temeritate. 4.
Soluuntur rationes oppoſitæ. 5.

Diſquiſitio XIV. Caius ignorans Semproniam eſſe prægnantem, vel quantumuis nouerit eſſe talem, ignorans contra procurantes abortum annexam 1

1 Factum exponitur in ſuis terminis.

eſſe

Digitized by Google

eſſe à iure pænam excommunicationis, irregularitatis, aliaſque, prout in facto, actionem aliquam cum eadem Sempronia prægnante exercuit, ex qua naturaliter, & quaſi infallibiliter poterat conſequi effectus abortus, prout de facto ſecutus eſt. Quæſitum hic fuit, an idem Caius ratione illius abortus contraxerit pænas à iure comminatas contra procurantes talem effectum.

2 **Sententia aſſerens ignorantiam iuris non excuſare.**

Conſiderata præcisè ignorantia iuris videtur non eximi à talibus pænis, quandòquidem talis ignorantia nunquam præſumitur *c. ignorantia de reg. iur. in 6.*, *Gailus lib. 2. obſeru. 48. n. 22.*, *Gabriel ſub tit. de reg. iur. concl. 7. nu. 1.*, *Pariſius conſ. 68. nu. 302.*, *& ſeqq. lib. 4.*, *Menochius de præſumpt. lib. 6. præſumpt. 23. n. 10.*, quòd non ſolum procedit in ignorantia iuris diuini, naturalis, & gentium *c. turbatur §. notandum 1. q. 4. l. 2. C. de in ius vocan.* ſed etiam in ignorantia iuris humani, ſiuè communis, ſiuè municipalis, *Gabriel ſub tit. de reg. iuris ſub d. concl. 7. nu. 12.*, *Sebaſtianus Medic. de caſibus fortuit. part. 1. q. 3. nu. 42. verſ. item ſtatuti ignorantia*, *Gailus d. obſeruat. 48. nu. 29.*, leges enim ſcire omnes debent, & lata culpa eſt iuris diſpoſitionem ignorare *l. leges ſacratiſſimæ C. de legibus*, *Socinus conſ. 108. nu. 12. verſ., & licet.* Nihilominus

3 **Nedum ignorantia facti, ſed etiam iuris excuſat à pænis.**

Reſpondeo in præſenti hypotheſi nedum ignorantiam facti, ſed etiam iuris excuſare delinquentem ab incurſu pænarum, *Trullench. in Decalog. tom. 1. lib. 1. c. 3. dub. 9. §. 5. nu. 21.*, *Mazuchellus tract. de caſ. reſeru. diſp. 1. q. 4. §. 10. num. 133.*, *Sanchez in ſumma tom. 1. lib. 2. c. 10. num. 38.*, *& de matrimon. lib. 9. diſp. 32. n. 36.*, *& 39.*, *Bonacina tom. 3. diſp. 2. q. 2. punct. 10. nu. 10.*, *Alphonſus de Leone de cenſuris recollect. 7. nu. 38.*, *Diana part. 7. tract. 5. de abortu reſol. 11.* Ratio ex eo deducitur, primò, quia *Sixtus V. in allegata ſua conſtit. In cap. Effrenatam* petit ad incurrendas pænas ſcienter fieri ea, quæ ibi prohibentur, ſed quando iura requirunt ad pænas aliquid ſcienter fieri, quæcunque ignorantia etiam affectata excuſat; tum quia, quando requiritur ſcientia, requiritur dolus, *Dominicus c. is qui §. is verò nu. 1. de ſent. excommun. in 6.*, *Sanchez de matrim. lib. 9. diſp. 32. nu. 36.*, & vbi exigitur dolus, non ſufficit culpa lata, nec ignorantia craſſa *l. ſed ea ſi lege §. ſcire ff. de petit. hæred. l. igitur verſ. & generaliter ff. de liberal. cauſ.*, *& l. ſi quis id, quod ad fin. verſ. doli mali ff. de iuriſd. om. iud.*, tum quia, quando textus ſeu canon non addit particulam *ſcienter* ad incurrendas pænas iuxta veriorem ſententiam requiritur ignorantia craſſa, ergo, quando illa additur, requiritur quid aliud vltra talem ignorantiam, quod aliud eſſe non poteſt, niſi dolus, ergo interueniente quacunq; ignorantia delinquens quoad pænas exexcuſatur. Secundò, quia pænæ latæ contra ſcienter facientes non ſunt extendendæ contra ignorantes etiam ignorantia vincibili, & affectata, cum pænæ ſint ſtrictiſſimè interpretandæ; Neque dicas, ignorantiam craſſam, & affectatam æquiualere ſcientiæ *arg. l. quod tu mihi ff. de reb. cred.* vbi dicitur idem eſſe ſcire, & debere ſcire; contra enim impugnaberis, quia, vt bene notat *Sanchez loc. cit.* hoc ad ſummum eſſet quoad peccatum, non quoad pænas contrahendas.

Rationes pro reſponſione.

4 **Excipe niſi ignorantia eſſet connexa cum ingenti temeritate.**

Limitarem tamen reſponſionem in caſu, quo ignorantia illa eſſet coniuncta cum ingenti temeritate, prout limitant *Trullench.*, *Mazuchellus*, *Sanchez*, *& Diana*, & ratio limitationis eſt, quia hæc ignorantia cum illa temeritate importat latiſſimam culpam, & dolo manifeſtè æquiparatur. Si autem hic inquiras, quandonam intelligatur hæc ignorantia cum ingenti temeritate, dicerem cum *Mazzuchello d. tract. de caſib. reſeru. diſp. 1. q. 4. §. 10. nu. 133.* tunc intelligi, quando quis haberet vehementem ſuſpitionem de iure prohibente, & ita diſpoſitus eſt, vt etiam ſi certò ſciret, nihilominus ageret perſeuerante illa vehementi ſuſpicione

5 **Soluuntur rationes oppoſitæ.**

Hinc ad rationes, quæ ex aduerſo afferabuntur, dicendum eſt primò in pluribus fallere illam regulam, quod ignorantia iuris nunquam præſumatur, vt latè proſequitur *Barboſa in tract. variar. axiom. 113.*, *& alij*. Secundò illam procedere dumtaxat pro foro externo, quod innititur præſumptionibus, in quo iura præſumunt pro ſcientia, non autem pro foro interno animæ in quo nudè veritas conſideratur, nec præſumptiones conſiderantur; Si igitur verè delinquens fuerit ignorans, non erit, cur huiuſmodi pænis ſubijciatur.

Hæc, quæ dicta ſunt, ſi verificantur, quoad ignorantiam iuris, quæ difficilius pręſumitur, à fortiori verificantur quoad ignorantiam facti, quæ frequentius præſumitur, & in dubio hæc ſemper præſumitur, niſi ſcientia probetur *l. verius ff. de probat. c. præſumitur 47. de reg. iur. in 6.*, *Maſcardus de probat. concl. 878.*, *Menochius de præſumpt. lib. 6. præſumpt. 23. num. 51.*, & latè proſequuntur alij licet cum varijs limit.

Digitized by Google

§. XV.

An ſubeat pænas abortus, qui prægnantem percutit, aut metum incutit, ex quibus abortus ſequitur.

SVMMARIVM.

Exponitur factum in ſuis terminis. 1.
Si percuſſio, aut metus fuerit talis, vt communiter cenſeatur conducere ad abortum, inducit propriè pænas, ſecus, ſi non fuerit talis. 2.
Sic tamen percutiens, & incutiens metum ſecuto effectu abortus non euitat pænam irregularitatis. 3.

1 Exponitur factū in ſuis terminis. Diſquiſitio XV. Non ignorans Caius Semproniam eſſe prægnantem eandem percuſſit, vel timorem grauem percuſſionis, vel grauis mali incuſſit. Vel illa percuſſione affecta, vel timore correpta abortum fætus in vtero exiſtentis paſſa eſt. Quæſitum hic fuit, an, ſi fætus fuerit animatus, Caius pænas omnes contra procurantes abortum fætus viuentis incurrerit?

Videtur hæc difficultas pendere à reſolutione illius dubij, an talis abortus ſit voluntarius, an vero merè caſualis; circa quod *Caietanus* 2. 2. *q. 64. art. 8. ad ſecundum* aſſerit, quod, ſi percuſſio fuerit talis, & item metus, vt non rarò, ſed frequentèr ex illis ſequatur abortus, hic cenſeatur voluntarius, non merè caſualis, quantumuis percutiens, aut metum illum incutiens non intenderit talem effectum. Ex aduerſo *Nauarrus in man. c. 15. nu. 14.* ſuſtinet eſſe merè caſualem, ſi illum effectum non intenderit. (Ratio dubitandi à quo ſumatur.)

2 Si percuſſio, & metus fuerint graues, vt cēſeantur inducere abortum, inducunt pænas. Reſpondeo primo, ſi percuſſio, aut metus incuſſus fuerit talis, vt ſecundum communem hominum ęſtimationem cēſeatur inducere ad abortum, ſic percutientem non euadere pænas contra procurantes abortum, ſi verò non fuerit talis, non inducere pænam ſaltem excommunicationis reſeruatæ. Conſentiunt *Diana part. 7. tract. 5. de abortu reſol. 20. verſ. non deſinam tamen, Caietanus* 2. 2. *q. 64. artic.* 8. *ad ſecundum*. Ratio primæ partis ex eo deſumitur, quia talis actio ex genere ſuo ſecundum communem conceptum conducit ad illum effectum, ergo illam actionem exercens non euitat pænas, quæ eidem actioni iniunguntur ex iuris diſpoſitione; Neque obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, quod ille effectus à percutiente non intendatur, adeoq;, cum non ſit reſpectu ipſius volitus, non poſſit ipſi imputari ad pænam; Non, inquam, obeſſe poteſt, quia parum referre poteſt, quod aſſerat, non intendiſſe illum effectum, dum media poſuit voluntariè, quæ ad illum effectum infallibilitèr conducunt ſecundum communem hominum conceptum; ſicuti parum referre poteſt, quod quis aſſerat, non intendiſſe pollutionem, dum poſuit media voluntariè ad illam infallibilitèr inducentia. Ratio ſecundæ partis ex eo poteſt deſumi, quia talis effectus nec ex intentione operantis, nec ex genere ſuo infallibilitèr connectitur cum illa actione, ergo, ſi illum operans non intenderit, ſed præciſè aliquam vltionem ſumere, non erit illi imputandus ſaltem quoad pænam grauem excommunicationis reſeruatæ, cum huiuſmodi pænæ tanquam odioſæ non incurrantur, niſi ob delictum conſummatum vel in ſe, vel in cauſa infallibili volitum; vnde poteſt dici, quod talis abortus reſpectu eiuſdē ſit caſualis. (Secus, ſi non fuerint tales.)

3 Sic tamē percutiētes, & incutientes metū non euitant irregularitatē. Reſpondeo ſecundo, quantumuis percuſſio, ſeu metus incuſſus fæminæ prægnanti non ſit talis, vt ſecundum communem hominum æſtimationem infallibilitèr inferat abortum, probabilius tamen ſic percutiens non euitat pænam irregularitatis. Conſonat cum ijs, quæ ſupra dicta ſunt *ex c. fin. de homicidio in ſexto*, ſi enim mandans impingi præciſè alapham non euitat pænam irregularitatis, ſi ex exceſſu mandatarij contingat in eo, cui alapham dari iuſſit, homicidium, quantumuis ipſum non intenderit, quin potius noluerit, nec euitare cenſendus eſt, ſi per ſe ipſum percutiat fæminam prægnantem, & ex illa percuſſione contigerit abortus fætus animati, quantumuis illum non intenderit, ſed præciſè vltionem alicuius iniuriæ; in hoc enim videtur par ratio, quinimmo fortior, quia in primo caſu contigit homicidium ex culpa mandatarij, in ſecundo verò ex culpa ipſius percutientis; Nec obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, quod in primo caſu contigit mors in eo, cui ipſe iuſſit impingi alapham; in ſecundo verò contigit in alio ab eo, quem percutiens intendit per illam percuſſionem offendere, nempè in fætu, qui eſt perſona omnino diſtincta à prægnante. Non, inquam, obeſſe poteſt, quia, quantumuis fætus ſit diſtincta perſona ab ipſa matre prægnante, non officit tamen noſtræ probationi, cum præuidere debuerit, quod, cum fætus exiſteret in vtero matris, potuerit ex illa percuſſione, & timore incuſſo vim pati, & perire. (Inſtantia propoſita, & ſoluta.)

§. XVI.

Digitized by Google

§. XVI.

An quilibet confeſſarius approbatus ab ordinario, quamuis ab eodem ſpecialitèr non deputatus ad caſum abortus poſſit ex vi Iubilęi ab excommunicatione abſoluere ob abortum fætus animati.

SVMMARIVM.

Caſus expoſitus in ſuis terminis. 1.
Fundamentum dubitationis. 2.
Ex vi Iubilæi quilibet confeſſarius ex approbatis poteſt abſoluere. 3.
Soluuntur rationes oppoſita. 4.

1 Caſus expoſitus in ſuis terminis.

DIſquiſitio XVI. Diximus in præcedentibus Sixtum V. contra procurantes abortum fætus animati irrogaſſe pænam excommunicationis latæ ſententiæ ſibi reſeruatæ, adeo vt delinquens non poſſet ab ea abſolui, niſi à ſe ipſo, vel ſuis ſucceſſoribus (excepto mortis articulo) nec etiam in Iubilæis, aut vigore Concil. Tridentini, prout latè in ipſius conſtitutione, de qua ſupra. Succeſſiuè Gregorium XIV. in hac parte moderatum fuiſſe huiuſmodi pænam excommunicationis latam à Sixto V. auferendo reſeruationem, eiuſque abſolutionem, remittendo cuilibet Presbytero, ſiue ſæculari, ſiue Regulari ex approbatis ab ordinario, & ſpecialitèr deputato ad hos caſus. Contigit, vt pro tempore Iubilæi delinquens in hoc genere acceſſerit ad ſimplicem confeſſarium approbatum quidem ab ordinario, ſed non ſpecialitèr deputatum ad hos caſus, qui vehementèr anceps erat, an vigore Iubilæi poſſet ipſum ab illa excõmunicatione abſoluere.

2 Fundamentum dubitationis.

Ratio dubitandi ab eo oriebatur, quod Sixtus V. ſtatuerat, quod ab hoc caſu nequiret delinquens abſolui, nec etiam vigore Iubilæi, nec ex conceſſione Concilij Trident., & licet Gregorius XIV. conceſſerit, quod poſſit abſolui à confeſſario ſpecialitèr deputato ad hos caſus, videtur, quod in ordine ad alios ſic deputatos nihil innouauerit, ſed diſpoſitionem Sixtianam reliquerit in ſuo robore; ac proindè quærebat, an in ea hypotheſi potuerit abſoluere, ſicuti de facto abſoluit.

Reſpondeo, vtique potuiſſe abſoluere ex vi eiuſdem Iubilæi *Ioannes Angelus Boſſius tract. de Iubilæo lect. 1. caſ. 6. nu. 1., & 2., Diana part. 7. tract. 5. de abortu reſol. 19., Rodriquez in bullam cruciatæ §. 9. num. 88., Gauantus in man. Epiſcop. verb. Abortus nu. 4., & verb. Abſolutio num. 36.* Ratio ex eo deducitur, quia ex eo, quod Gregorius XIV. abſolutionem remiſerit ſimplici confeſſario ab ordinario approbato, & ad hos caſus deputato abſtulit abſolutè reſeruationem, & abſolutionem remiſit ordinario cum hac reſtrictione, vt ſi per alium vellet abſoluere, ipſum ſpecialitèr deputaret; ſed caſus omnes Epiſcopis, ſeu ordinarijs reſeruati veniunt in facultate per Iubilæum conceſſa, niſi in bulla eiuſdem Iubilæi excipiantur, ergo non erit, cur confeſſarius ab ordinario approbatus non poſſit tunc abſoluere. Confirmatur, quia caſus Papales per Epichæiam Epiſcopis conceſſi ex diſpoſitione Concilij Tridentini, quando ſunt occulti, poſſunt in vigore Iubilæi à ſimplici confeſſario abſolui, vt eſt in confeſſo ferè apud omnes, ergo etiam poterit hic caſus abortus abſolui, cum per Pontificem fuerit ad eoſdem ordinarios deuolutus.

3 Ex vi Iubilæi quilibet confeſſarius ex approbatis poteſt abſoluere.

Nec obſtant ea, quæ ex aduerſo pro ratione dubitandi afferebantur; cum etenim abſolutè Pontifex caſum hunc remiſerit ordinario, & ita voluerit eidem eſſe reſeruatum, vt non poſſet ab alio abſolui, niſi fuerit ab ipſo ſpecialitèr ad hos caſus deputatus, vtique non eſt ſupponendum, quod illam reſeruationem (exceptis confeſſarijs ſpecialitèr deputatis) voluerit permanere in ſuo robore, prout conſtituta eſt à Sixto V., ſed quod reduxerit ad plenam poteſtatem Epiſcopi, ſeu ordinarij; vnde non extante priuilegio Iubilæi, certum eſt, quod non poſſit abſolui, niſi à ſic ſpecialitèr deputatis ab Epiſcopo; extante verò tempore Iubilæi, cum vnuſquiſque Sacerdos ex approbatis ab Epiſcopo gaudeat Pontificis auctoritate, quæ ſuperior eſt ad illam Epiſcopi, vtique ratione eiuſdem poterit ab huiuſmodi caſibus abſoluere.

4 Soluitur inſtantia oppoſita.

Minus obſtare poſſunt ea, quæ adducit *Lauorius de Iubilæo part. 2. c. 28. num. 23.*, nempè *Gregorium XIV. in ſua bulla edita pridiè Kalend. Iunij* 1591. *Incipient. Sedes Apoſtolica* ſtatuiſſe etiam virtute Iubilęi non poſſe ſimplicem confeſſarium ab his caſibus abſoluere, niſi in bulla priuilegij ſpecificentur: Minus, inquam, obſtare poſſunt, quia, vt bene notat *Ioannes Angelus Boſſius tract. de priuileg. Iubilæi ſect. 1. caſ. 6. n. 1., & 2.* prædicta Gregorij XIV. bulla procedit tantum, quãdo Epiſcopus alicui concedit generalitèr facultatem abſoluendi ab omnibus caſibus, & cenſuris ſibi reſeruatis, in qua conceſſione non venit ille caſus abortus, cum ad hoc requiratur ſpecialis deputatio, quod eſt conforme ijs, quæ ſupra dicebamus coherentèr

Soluitur alia obiectio.

herentèr

hærentèr ad conſtitutionem eiuſdem Gregorij XIV. moderatiuam Bullæ Sixti V. de confeſſario, qui poteſt ab hoc crimine, & cenſura abſoluere, cuius nomine diximus non venire eum, qui eſt generalitèr ad omnia Epiſcopalia deputatus.

---

§. XVII.

An ſuperiores Regulares poſſint habilitare ad officia ſuos ſubditos, qui procurarunt abortum fætus animati.

SVMMARIVM.

Exponitur facti ſeries. 1.
Prælatus regularis poteſt habilitare ſuos ſubditos, qui in hoc genere deliquerunt. 2.
Soluitur ratio oppoſitæ ſententiæ. 3.
Non requiritur ſpecialis diſpenſatio, ſed generalis ſufficit. 4.

Sēſus difficultatis expoſitus.

1 DIſquiſitio XVII. In eadem conſtitutione Sixti V. pluries repetita inter cæteras pænas contra procurātes abortū fætus animati hæc ſtatuta eſt, vt incurrant irregularitatē, vnde nec promoueri poſſunt, nec ſi iam promoti ſunt, poſſint miniſtrare, ſed eo ipſo omni priuilegio clericali, officio, & beneficio ſint priuati, quæ ſic vacatura reſeruentur diſpoſitioni Papæ, atque inhabiles in futurum fiant etiam, ſi delictum fuerit occultum. Hac pæna affici etiā Regulares in hoc genere delinquentes certum eſt apud omnes. De facto Regularis in hac materia abortus fætus animati deliquit; & iuxta diſpoſitionem Sixtianam priuatus eſt officio, quo gaudebat, & inhabilis redditur ad illud, ſeu alia impoſterum. Cum iam diu pænituerit delicti, & ſupponeretur emendatus anxie petebat à ſuis ſuperioribus habilitari ad Religionis officia, cui annuere peroptabant ijdem ſuperiores, ſed dubio premebantur, an poſſent legitimè; ideo quæſitum fuit, an eorum poteſtas extenderetur ad ipſum habilitandum.

Prælatus Regularis poteſt habilitare ſuos ſubditos, qui in hoc genere deliquerunt.

Reſpondeo vtique potuiſſe, & poſſe
2 Prælatos Regulares habilitare ſuos ſubditos, qui in hoc genere deliquerint *Villalobos in ſumma tom. 2. tract. 12. difficult. 14. nu. 7., Zambellus in repert. mor. verb. abortus nu. 3., Bordonus in conſ. regul. reſol. 13. q. 5. nu. 20., Diana part. 7. tract. 5. de abortu recol. 23.* Ratio ex eo deducitur, quia Sixtus V. in allegata ſua conſtit. hanc pænam ſibi non reſeruauit ſpecialiter, nec Regularium priuilegia excluſit, vt textum legenti ſit manifeſtum; ſed Generalibus conceſſum eſt priuilegium diſpenſandi cum ſuis ſubditis ſuper inhabilitate, quinimmò etiam alijs Prælatis Regularium *Pius V. Abbatibus, & Prælatis Congregationis Caſſinenſis anni 1571. Idibus Ianuarij, & Gregorius XIV. Clericis Regularibus miniſ. infirm. anno Domini 1591. vndecimo Kalend. Octobris*, ergo cum non fiat exceptio huius inhabilitatis propter abortum in Bulla Sixtiana, vtique ex vi ſuorum priuilegiorum poterunt Prælati Regulares ſuper illa inhabilitate diſpenſare.

Non valet ratio de irregularitate, & quare.

Nec obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, quod Sixtus V. irregularitatem hac de cauſa contractam ſibi ſpecialitèr reſeruauerit, cum derogatione cuiuſcunque priuilegij, etiam Iubilæi, & Concil. Trident., ergo hoc idem intelligendnm eſt de illa inhabilitate, vtpotè que conſequitur ad eandem irregularitatem, & eandem comitatur. Non, inquam, obeſſe poteſt, non propter illam rationem, qua aliqui aſſerunt Prælatos Regulares poſſe etiam diſpenſare ſuper illa irregularitate, cum contrarium ſupra docuerimus *ſub hoc eod. tit. de Matrim. VIII. prænot. 4. verſ. Dixi quantumuis crimen*, ſed quia Sixtus V. ſibi, ſuiſq; ſucceſſoribus reſeruauit dumtaxat irregularitatem, cum derogatione quorumcumque priuilegiorum, indultorum etiam Iubilæi, & Concilij Trident., ergo in ordine ad alias pænas, quas non ita ſpecialitèr Pontifex reſeruauit cum illa clauſula derogatoria, priuilegia intelliguntur in ſuo robore permanere, illa autem inhabilitas eſt alia pæna ab irregularitate; cum irregularitas ex natura ſua ſolum dicat, quod ipſa affectus non poſſit promoueri ad ordines, nec in illis miniſtrare, reliqua autē, ſi quæ ſunt annexa, nō ſunt ex genere eiuſdem irregularitatis ſecūdum ſe, ſed ex aliqua ſpeciali diſpoſitione, quæ certè inuoluit nouam pænam, quod vtique conſiderauit idem Sixtus V., dum vltra irregularitatem appoſuit diſtinctè etiam pænam inhabilitatis, quod fruſtraneè præſtitiſſet, ſi hæc in illa ex genere ſuo includeretur, ergo in ordine ad talem inhabilitatem ex vi ſuorū priuilegiorum poterunt Prælati Regulares cum ſuis ſubditis diſpenſare. Confirmatur, quia Sixtus V. in ordine ad ſic delinquentes appoſuit diſtinctè, & pænam irregularitatis, & pænam inhabilitatis ad omnia officia impoſterum obtinenda, & pænam excommunicationis latæ ſententiæ; in reſeruatione deindè ſibi ſolum excommunicationem, & irregularitatem reſeruat nulla facta mentione illius inhabilitatis, ergo illam non intelligitur ſibi reſeruaſſe; primo, quia ſi voluiſſet, expreſſiſſet, ſicuti, quia voluit reſeruationem

tionem excommunicationis, & irregularitatis vtramq; expreſſit; ſecundo, quia in pænalibus non facienda eſt extenſio vltrà expreſſa; tertio, quia poteſt auferri irregularitas ex hoc delicto manente inhabilitate, prout docent *Sanchez in Decalog. c.39. n. vlt., Diana part.7. tract.5. de abortu reſol.* 18. *in fin.*, dum aſſerunt, quod ſacra Pænitentiaria, dum diſpenſat in irregularitate ob hoc crimen, ſoleat relinquere inhabilitatem in ipſo diſpenſato.

3 Soluitur ratio oppoſitę ſententiæ.

Ad rationem, quæ ex aduerſo afferebatur, dicendum eſt, quod, quamuis hæc inhabilitas conſequatur ad irregularitatē, non conſequatur tamen ex natura eiuſdem, ſed ex ſpeciali legislatoris diſpoſitione, vnde, ſi per eundem legislatorem ſpecialitèr non reſeruetur, non venit ſub reſeruatione eiuſdem irregularitatis, cum ſit quid diſtinctum ab illa, & vt quid odioſum debet exprimi, vt dicatur comprehendi; nam ſicut, ſi non exprimeretur, non comprehenderetur ſub nomine irregularitatis, ita, ſi non exprimatur in reſeruatione cum irregularitate non intelligenda eſt cum illa reſeruari.

4 Non requiritur ſpecialis diſpenſatio, ſed generalis ſufficit.

Aliqua difficultas hic eſt, an ad tollendam hanc inhabilitatem requiratur ſpecialis diſpenſatio, quatenus Prælati debeant habere ſpecialem intentionem diſpenſandi cum tali perſona nominatim, & ipſe diſpenſandus expreſſam intentionem illam recipiendi, an verò ſufficiat generalis, qualis eſt illa, qua Prælati in viſitationis actu, & in capitulis generalibus cū omnibus congregatis ſolent diſpenſare, quantumuis non cogitent de aliqua perſona particulari, quæ ſit tali inhabilitate affecta, & ipſa perſona credat ſe tali diſpenſatione non indigere? Portellus apud *Dianam part.7. tract.5. de abortu reſol. 23., Zambellus in repert. mor. verb. Abortus n. 3.*, ſuſtinent non requiri ſpecialem diſpenſationem, ſed generalem ſufficere in actu viſitationis, & in commitijs generalibus, ſeu Prouincialibus, eo, quia eſt ſufficiens poteſtas, & ſufficiens applicatio, cum illa diſpenſatio omnes afficiat; atq; hanc opinionem tutam arbitror; Non enim hic agitur de abſolutione à peccato, quæ exigit ſpecialem dolorem in abſoluendo, & intentionem ſpecialem in abſoluente, ſed in remiſſione pænæ, quæ non exigit ſpecialem formam.

§. XVIII.

An conſulens, in dubio, quod prægnans mota fuerit ex vi conſilij ſui ad abortum, an verò ex ſe ipſa, cenſendus ſit incurriſſe pænas contra procurantes abortum.

SUMMARIUM.

Titulus exponitur in ſuis terminis. 1.

Si dubium fuerit vtrinque æquale præſumendum eſt contra conſulentem. 2.

Si probabilius ſit, quod fœmina ex ſe potius, quam ex conſilio mota fuerit, conſulens non contrahit pœnas. 3.

Dicto fœminæ aſſerenti ſe motam ex ſe ipſa ſtandum eſt, ſi ſit fide digna. 4.

Si conſulens ſolum mouerit ad modum, cum eſſet determinata ſubſtantia non incurrit pœnas. 5.

1 Titulus exponitur in ſuis terminis.

Diſquiſitio XVIII. Cum Caia prægnans ex actu fornicario maximo premeretur rubore, & anguſtijs animi angeretur ob periculum, ne ex ventris tumore crimen detegeretur plura animo volutabat, vt tali periculo obuiaret. Sempronius in hoc rerum diſcrimine eidem conſuluit, vt pharmaca ad abortum opportuna propinaret. Conſilium executa eſt Caia, & effectum abortus conſecuta. Dubietatem hinc nactus eſt Sempronius, an crimen illud abortus fuerit patratum ex ſuo conſilio, quaſi, quod ipſum fuerit cauſa moralis talis effectus, an verò fuerit patratum independentèr à tali conſilio ex ſola peruerſa voluntate fæminæ prægnantis, quaſi, quod hæc fuerit diſpoſita antecedentèr ad ipſius conſilium ad illud facinus; nam ſi re vera eadem prægnans ex ſe antecedentèr erat efficacitèr diſpoſita ad tale maleficium videretur Sempronius immunis ab illis pænis per ea, quæ latè docuimus *tom. de reſtitutione ſub tit. de reſtitut.* 1. *prænot.* 12. *ſect.* 1. *nu.* 2., nempè, quod ſi executor iam eſſet efficacitèr diſpoſitus ad maleficium perpatrandum antecedentèr ad mandatum, vel conſilium mandantis, vel conſulentis ipſe mandans, & conſulens non obligentur nec ex mandato, nec ex conſilio, prout etiam docent *D. Antoninus 2. part. c.1. tit.12. §.12., Siluester verb. Reſtitutio 3. q.6. §.3., D. Thomas in 4. diſt. 15. q.1. art.5. ad 3., Leſſius lib. 2. de iuſt., & iur. c.14. n.4.*, ob eam rationem, quia mandans, & conſulens in ea ſuppoſitione non intelliguntur in illud maleſi-

maleficium influxiſſe.

Difficultas igitur ſolúmodo eſt, quando adeſt dubium, an conſilium fuerit cauſa talis effectus, cum re vera mouerit ad illum, an verò non fuerit cauſa, cum prægnans iam eſſet diſpoſita ex ſe ipſa. Circa quam plura ſunt aduertenda; Primo, an interuenerint coniecturæ, quæ potius referant cauſam talis effectus in conſilium, quam in peruerſam voluntatē prægnantis, an potius è contra. Secundo, an in tali dubio fæmina, quæ executa eſt tale maleficium, fateatur ſe motam eſſe à ſeipſa, & non à conſilio Sempronij conſulentis; in quo caſu erit examinandum, an ſtandum ſit tali aſſertioni. Tertio, an quantumuis prægnans potuerit eſſe diſpoſita ad ſubſtantiam, anceps tamen fuerit quoad modum, an ſcilicet maleficium perpatraret per pharmaca, vel per aliud remedium, & ipſe conſulens mouerit quoad modum determinatum; & ſecundum has omnes animaduerſiones præſens titulus erit dirimendus.

Procedit quādo eſt dubium, an conſilium fuerit cauſa illius abortus.

2 Si dubiū ſit vtrinq; æquale, præſumendum eſt contra conſulentem.

Reſpondeo primo. Si dubium eſt vtrique æquale, an ſcilicet fuerit conſilium, quod mouerit, an verò voluntas peruerſa prægnantis, præſumendum eſt contra conſulentem, & propterea pænas incurriſſe *Sanchez in ſumma lib. 1. c. 10. nu. 44. propè finem Farinacius q. 129. n. 140., Sayrus lib. 7. clauis c. 3. n. 2., Diana part. 7. tract. 5. de abortu reſol. 26.* Ratio ex eo deducitur, quia de conſilio iam dato certò conſtat, quod fuit ſecundum ſe aptum mouere, de alia cauſa ſiuè ex peruerſitate coniugis, ſiue ex alio motiuo certò non conſtat, ergo in ordine ad cauſam motiuam talis effectus potius præſumendum pro conſilio, de quo certò conſtat, quam de alia cauſa, de qua certò non conſtat.

3 Exiſtente maiori probabilitate, quod fæmina ex ſe mota fuerit, non contrahit conſulens pænas.

Reſpondeo ſecundo. Concurrentibus circunſtantijs talibus, quæ efficacius trahāt ad credēdum, quod fæmina prægnans ex ſe mota fuerit ad illud maleficium, probabilius conſulens non incideret in pęnas abortus. *Farinacius loc. cit. nu. 129. cum alijs pluribus, quos ibi allegat Diana d. part. 7. tract. 5. reſol. 26.* Ratio eſt, quia, vbi quis legitimè credit ſe cauſam non fuiſſe alicuius maleficij, non tenetur ſubire pænas aduerſus idem impoſitas, ſed quando quis ex coniecturis efficacius trahentibus ad credendum maleficium illud ex alia cauſa proueniſſe, rationabilitèr poteſt credere illud à ſe ipſo, ſeu à ſuo conſilio non prouenſſe, ergo non tenetur pænas illas inflictas ſubire.

Reſpondeo tertio. Si fæmina prægnans executrix illius delicti fuerit fide digna, & circunſtantiæ concludentiores aliud non probent, aſſerat ſe aliundè motam fuiſſe ad illud maleficium, non à conſilio, conſulens probabilius eximitur à pænis; ſi verò non fuerit fide digna, nec tales circunſtantię concurrant, quæ probent aliundè motam fuiſſe ad illud facinus, ab eiſdem probabilius non eximitur. Prima pars eſt *Henriquez lib. 14. c. 16. n. 3., Sairi de cenſuris lib. 7. c. 3. n. 2., Sanchez lib. 1. c. 10. n. 44. in fin., Auilæ part. 7. diſp. 6. ſect. 2. dub. 3. concl. 5., Dianæ part. 7. tract. 5. reſol. 26., Fagundez in Decal. tom. 1. lib. 2. c. 10. nu. 16., & ſeqq.*. Secunda *Farinacij q. 129. num. 152.*, à quibus arbitror non diſſentiri DD. pro prima parte citati, dum ſolum excipiunt in caſu, quo executrix aſſerens ſe aliundè motam fuiſſe, ſit perſona fide digna.

4 Dicto fœminæ pro conſulēte ſtandum eſt, ſi ſit fide digna

Rationes pro reſponſione.

Ratio primæ partis ex eo deſumitur, quia perſona fide digna, alijs contrarium non euincentibus inducit rationabile fundamentum prudentis credulitatis, ergo, qui eiuſdem aſſertioni innititur aſſerentis ſe non perpatraſſe delictū ex ipſius conſilio, ſed ex alia cauſa, immunis erit ab omnibus pænis comminatis aduerſus eos, qui ex conſilio mouerunt, præcipuè, ſi aliundè veritas non poſſit innoteſcere.

Ratio ſecundæ partis ex eo deſumitur, quia, vbi coniecturæ militent pro oppoſito, & perſona aſſerens fidem non meretur, potius eſt præſumendum pro oppoſito, quam pro fauore conſulentis, cum aduerſus ipſum militet factum, nempè conſilium, de quo certò conſtat per ea, quæ dicebamus in prima reſponſione, ergo non eſt, cur debeat euitare pænas.

5 Si conſulēs ſolum mouerit ad modū, cū eſſet ſubſtantia determinata, non incurrit pænas.

Reſpondeo quarto. Si fæmina prægnans erat iam efficacitèr diſpoſita ad cauſandum in ſe ipſa abortum fætus animati, & conſilium ſolum mouerit ad determinatum modum abortiendi, probabilius eſt, conſulentem non teneri ad pænas contra abortum procurantes comminatas. Conſonat cum ijs, quæ nos docuimus *tom. de reſtitut. ſub tit. de Reſtit. 1. prænot. 12. ſect. 1. num. 3.*, & docent etiam *D. Thomas in 4. diſt. 15. q. 1. art. 3. ad 3. D. Antoninus part. 2. c. 1. tit. 12. §. 12.* Rationem ex eo deduco, quia ſicuti, quando conſilium ad nihil contulit, cum executor fuerit aliundè diſpoſitus ad illam actionem ad nil tenetur, ita quando contulit ſolummodo quoad modum, quatenus iam erat diſpoſitus quoad ſubſtantiam, conſulens non tenebitur, niſi ad ſummum quoad illum modum; cum autem ille modus non magis damnificet fętum, ac fuiſſet damnificatus per alium modum fortè exercitū ab ipſa vxore prægnante, ſi conſiliū illud non acceſſiſſet, vtique non videtur poſſe conferre ad inducendas pænas quoad ipſum conſulentem.

DIS-

Digitized by Google

DISQVISITIONES II.

In reliquas omnes de Matrimonio VIII. prænotiones.

§. I.

Præmittuntur nonnulla quoad nomen Cæſonis.

SVMMARIVM.

Cæſo vndè dicatur. 1.
Cæſar appellatus à cæſo matris vtero. 2.
Quinam fuerit, qui primo à cæſo Matris vtero dictus ſit Cæſar. 3.
Sectio vteri materni appellatur cæſarea. 4.

1 Cæſo vndè dicatur. DIſquiſitio I. Cum in præcedentibus inciderit ſermò de ſectione vteri materni ad extrahendum fætum in ipſo exiſtentem, quæ etiam ſectio appellatur cæſarea, & partus inde extractus *Cæſo* dicitur teſte *Rainaudo de ort. infant. c. 1. num. 11., & ſeqq.* nunc ad plenam talis extracti notitiam, & ad eruditionem legentium placet explicare, à quo talis ſectio dicta ſit cæſarea; & quidem apud antiquos magni nominis ſcriptores colligitur, talem denominationem indè deductam, quod primus, qui appellatus eſt *Cæſar*, è cæſo Matris vtero prodierit, à quo ſimul prodijt denominatio ſectionis cæſareę, prout placuit *Accurſio ad init. Inſtit., ff. rerum q. Plinio lib. 7. c. 9., Solino c. 4., ac Feſto verb. Cæſones, & paſſim Iuris peritis in proemio Inſtit.*, vndè emanauit talis nuncupatio in omnes imperatores, cum fortè ille, qui primo è ſectione Matris prodijt, & vocatus eſt Cæſar, fuerit Imperator inauguratus.

2 Cæſar à cæſo matris vtero.

3 Quinam fuerit, qui primo à cæſo matris vtero dictus ſit cæſar. Sed quinam fuerit ille, qui è cæſo Matris vtero primò vocatus eſt Cæſar, non vna mens eſt, nec concors voluntas inter ſcriptores. Alij dixerunt fuiſſe Iulium Cæſarem, vt præter præcitatos DD. ſenſiſſe videntur *D. Iſidorus lib. 3. Ethimol. Orig. c. 3., Cedrenus, Suidas, & Magnum Ethimologicum* apud *Rainaudum loc. cit.* Sed eoſdem refellunt *Beroaldus in annot. in Seruium §. 9., & Cuſpinianus init. Hiſtor. Cæſarum*, ſed meo videri inani fundamento; afferunt enim, quod Mater Cæſaris Iulij diu vixerit poſt eius ortum, cum eam amiſerit, cũ iam pugnaret in Gallijs. Sed quid indè inferunt? Numquid poſt ſectionem non potuit Mater incolumis diu viuere, tam protrahere? quandoquidem ſectio vteri materni non eſt neceſſario, nec infallibilitèr connexa cum ſubita morte matris diſſectæ, & plurimæ poſt talem ſectionem non paſſæ ſunt huius vitæ vſuram, vt pluribus exemplis, & experientijs comprobat idem *Rainaudus de ortu infantium c. 7. n. 4. 5., & ſeqq.*

Quidam afferunt fuiſſe Iulium Cæſarem.

Alij dixerunt primum, qui è cæſo Matris vtero dictus eſt Cæſar, fuiſſe Scipionem Africanum, ac inter cæteros ita ſenſiſſe videntur *Plinius lib. 7 c. 9.* Sed *Hermolaus Barbarus caſator in Plinium* in primis agnoſcit duos Scipiones Affricanos, alterum Seniorem, Iuniorem alterum. Deindè fatetur Scipionem ſeniorem fuiſſe quidem de cæſo matris vtero extractum, ſed negat eum fuiſſe primum, qui ita prodijt, & qui ab eo euentu nomen Cæſaris auſpicatus eſt, illudque in ſuam familiam tranſtulit, cum ille fuerit longè antiquior eodem Scipione ſeniore, vt ex antiquiſſima quadam tabula euincit.

Alij Scipionem Affricanũ.

Alij dixerunt eum fuiſſe Octauianum, & præcipuè *Accurſius* apud eundem *Rainaudum loc. cit., & Paulus Caſtrenſis in l. quod dicitur, ff. de lib., & poſth.* Sed merito reijciuntur iſti, quandoquidem nomen Cæſaris apud Imperatores multò ante vigebat, ac eſſet Octauianus, quare &c.

Alij Octauianum.

In hoc ferè communius, & accuratius conueniunt, quod nomen Cæſarum à Iulio in Reliquos Imperatores Romanos promanarit, vt ex multis iuribus docet *Briſſonus ff. de verb. ſignific. verb. Cæſar.* Non, quia ipſe fuerit primus, cum antè ipſum taliter fuerit appellatus Lucius Elius Verus, prout tradit Spartianus in Elij Veri vita illis verbis *Huic naturalis Pater fuit Lucius Elius Verus, qui ab Adriano adoptatus primus Cæſar eſt dictus.*

Quicunque tamen ille fuerit primus, qui Cæſaris noncupationem auſpicatus eſt, nonnulli afferunt non à cæſo matris vtero nomen illud nactum fuiſſe, ſed vel quia Elephantam in prælio occidit, qui lingua maurorum cæſus dicitur, vel quia cum magnis crinibus, ſeu cæſarie fuerit vtero parentis effuſus, vel quia oculis cæſijs, & vltra humanum morem viguerit; & quidem ad euincendum, quod ab Elephanto cęſo nomẽclaturam Cęſaris acceperit, proferunt nũmos antiquos, quorũ altera pars Elephantum anguem calcantem præferebat cum lemmate *Cæſar*, altera varia inſtrumenta, quibus fortè interemptus eſt elephas, indicabat. Sed merito hos confutat *Rainaudus loc. cit.* ad quem vos remitto.

Hæc eruditionis gratia attigiſſe ſufficiat. Cæterum nobis curandum non eſt, an ab vno, vel ab altero, vel ex vna cauſa,

Digitized by Google

4 *Sectio vteri materni appellatur Cæſarea.* vel ex alia hæc nuncupatio deſumpta ſit, cum ad Theologicolegalium quæſtionum deciſiones neutiquam hæc notitia poſſit deſeruire. Ex communi tamen loquendi modo retinenda eſt hęc locutio, qua ſęctio vteri Materni ad extrahendum fætum appelletur Cæſarea à cæſo Matris eiuſdem vtero, & licet videatur impropria hæc locutio, cum idem omnino importetur per ly *ſectio*, ac per ly *Cæſarea*, cum vtrumque ſciſionem appellet, nihilominus *Rainaudus de ortu infantium d. c. 1. num. 11. verſ. reſtat eximendus ſcrupulus* eam vindicat ab improprietate, quantumuis enim vtrumq; videatur idem ſignificare, ex communi tamen acceptione quid diuerſum ſaltem quoad modum vnum ab altero importat, cum per ly ſectio importetur quodamodo genus, cum ſit indifferens ad quamcunque ſectionem in quocunque genere; per ly verò Cæſarea, tanquam per diferentiam reſtringitur ad indicandam hanc ſpecialem cęſionem vteri materni, cum illa particula ita reſtrictiuè ab omnibus teneatur.

§. II.

An primus, qui in diſperatione partus naturalis experimentum fecit ſectionis, læthalitèr peccauerit.

SVMMARIVM.

Exponitur titulus in ſuis terminis. 1.
Rationes ſuadentes grauitèr peccaſſe. 2.
Peccauit, ſi temerè ſe expoſuit, ſecus, ſi cum maturo iudicio, & ſpe felicis exitus. 3.
Soluuntur rationes contrariæ. 4.

1 *Exponitur caſus particularis.* DIſquiſitio II. In tantum eximunt DD. à nota culpæ læthalis huiuſmodi cæſiones vteri materni in deſperatione partus naturalis, in quantum experientia docuit eaſdem non ſemper eſſe mortales; vnde Theologi, qui aſſerebant hanc ſectionem eſſe ab intrinſeco malam, procedebant ex falſo ſuppoſito, quo ſibi ſuadebant eandem neceſſario coniungi cum morte Matris, ſicque inferebant nunquam licere, cum non ſint facienda mala, vt eueniant bona. Suppoſito iam, quod experientia conſtet, non ſemper eſſe mortiferam, oritur difficultas, an prima vice, pro qua tale remedium fuit intentatum ad experimentum, ille, qui ad praxim reduxit ante experimentum, peccauerit læthalitèr.

Videtur prima fronte ſic primo experientem grauitèr deliquiſſe, cum nullo præcedente experimento vitam Matris prægnantis expoſuerit manifeſto periculo, maximè interueniente commmuni Theologorum conſenſu ſentientium talem ſectionem eſſe ab intrinſeco malam, ob indubitatam penes ipſos doctrinam, quod ſemper illa ſectio coniungenda eſſet cum Matris interitu; vnde non exſtante tali experimento Theologorum ſenſus debebat in plena ſua poſſeſſione vigere; vnde merito *Corduba lib. 3. quæſtionarij q. 5. §. 2.*, probatur *Azorius tom. 1. lib. 2. c. 19. q. 11.*, *Vaſquez pr. 2. diſp. 64. c. 4.*, *Sairus lib. 1. clauis c. 10. num. 6.*, *Caſtrus Palaus tract. de conſcient. diſp. 2. p. 9. n. 3.*, *Sanchez in Decal. lib. 1. c. 9. num. 38.* deteſtantur audaciam illorum Medicorũ, qui in ægrotis etiam deſperatis experimentum ſumunt remedij, cuius hactenus ignota vis fuerit, tentantes vtrum ægro ſit profuturum, vel obfuturum; Nec à tali noxa excuſari poteſt ille primus, qui tentauit tale experimentum ex eo, quod res proſperè euenerit, cum caſus fortuitus nequeat actionem manifeſtè prauam honeſtare. His tamen minimè obſtantibus *2 Rationes ſuadentes grauitèr peccaſſe.*

Reſpondeo, quod quamuis Medicus, ſeu Chirurgus, ſe temerè ſe expoſuerit illi experimento, vt præcisè probaret, an illud remedium ſectionis ſit profuturum, vel obfuturum, grauitèr peccauerit; ſi tamen conſiderata partium ſecandarum qualitate, & facta comparatione ad alias ſimiles ſectiones, quæ proſperè euenerint, prudenti iudicio arbitratus fuerit talem ſectionem potuiſſe fælicitèr ad votum euadere, probabilius eſt non peccaſſe. *Rainaudus de ortu infantium c. 8. à n. 12. ad finem, Ioãnes Angelus Boſſius tract. de effect. matrim. c. 9. n. 156.* Ratio multiplex huius aſſertionis, ſeu reſponſionis poteſt deduci, primo, quia, vbi non adeſt temeritas, ſed prudens ratio operandi maximè in tanto vitæ diſcrimine tã Matris prægnantis, quã fætus in vtero exiſtẽtis ipſa operatio non poteſt eſſe peccaminoſa, vtpotè elicita cũ prudenti dictamine. Secundo, quia negata honeſtate illius prioris experimẽti ſuppoſita prudenti credulitate efficaciæ eiuſdem ad ſalutem nulla haberetur, vel propè nulla artis medicæ peritia, nam quæ nunc extat, vniuerſa experimentis eſt parta, quibus periculum factum eſt quid prodeſſent, quidue nocerent; vndè merito *Areteus lib. 1. de morb. acuto curat. 2.* ſic habet *Omnium bonarum artium magiſtram eſſe experientiam; ipſam vero periculi faciendi rationem imperitiamq; timoris, & cautionis cauſam eſſe oportere.* Tertio, quia tantum abeſt, vt illi experimentum tale primo ponenti tribuendum ſit culpæ; quin potius laudi, & probro, cum nedum ipſi

3 Peccauit, ſi temerè ſe expoſuit, ſecus ſi maturo iudicio, & cum ſpe felicis exitus.

Rationes pro reſponſione.

Matri

Digitized by Google

Matri prægnanti, & fætui poſuerit probabilitèr ſalutem afferre, dum extremè periclitarentur, ſed vniuerſo orbi remedium in caſu tantæ neceſſitatis.

4 **Soluuntur rationes contrariæ.** Nec obeſſe poſſunt ea, quæ ex aduerſo afferebantur, quia licet nulla præcedente experientia operatus fuerit, operatus eſt tamen cum dictamine prudentis rationis in caſu tantæ releuantiæ; nec obeſt illud iudicium commune Theologorum arbitrantium illam ſectionem eſſe neceſſariò connexam cum morte Matris, quia potuit peritus Medicus, & Chirurgus; quibus potius in hoc genere credendum eſt, attenta qualitate partium ſecandarum, & ſectione ſimuli in alijs partibus non ita periculoſa, & diſpoſitione Matris prægnantis cognoſcere tale iudicium non inniti certo, & indubitato fundamento, adeòq; falli poſſe. Quod idem reſpondendum eſt quoad auctores allegatos condemnantes audaciam medicorum, qui in ordine ad ægrotantes etiam quacunque ſpe deſtitutos experimentum ſumunt remedij, cuius adhuc vis latet, dicẽdum quippè eſt hæc procedere, quando temere hoc attentant ad præcisè experimentum faciendũ, vtrum illud remedium profuturum ſit, vel obfuturum, ſecus quando hoc præſtant cum prudenti, & probabili iudicio, quod ſit profuturum attenta qualitate remedij, & complexione ægrotantis, vt in ſimilibus patet, cæterum vim haberet aduerſus condemnantes Medicos, qui prudenti ducti ratione ſimile experimentum intentarent improperium illud *Durandi in Prologo ad Magiſtrum*, nempè *inſipientiam beſtialem eſſe præcludentem viam inquiſitioni veritatis præſtantem ſciendi impedimentum, & violentèr opprimentem lumen rationis.*

---

§. III.

An modo Medici, & Chirurgi non modo poſſint, ſed etiam teneantur remedium ſectionis Cæſareæ periclitanti Matri præſtare.

SVMMARIVM.

Quæſitum exponitur. 1.
Si fuerint in tali periculo requiſiti, vtique tenentur talem operam præſtare. 2.
Si fuerint tantum deſtinati ad curam, tenentur illud remedium proponere. 3.
Etiam ſi non ſint deputati, tenentur illud remedium proponere. 4.
Reſpuente prægnante tale remedium ipſi eximuntur à quocunq; onere. 5.

Diſquiſitio III. Cum modo tot exemplis, & experientijs innotuerit periclitante Matre cum fætu in eius vtero exiſtente ſectionem Cæſaream fuiſſe proficuam, & Matrem ſimul cum fætu incolumem euaſiſſe, contigit, vt quædam fæmina pregnans in extremis laboraret; cumque de ipſius ſalute ageretur, actum fuit de ſectione Cæſarea. Medicum, ſeu Chirurgum poſſe licitè ad eandem deuenire ſtatutum eſt in præcedentibus. Modo quæritur, an teneantur operam ſuam in hoc præſtare? 1 **Explicatur ſenſus tituli.**

Hoc quæſitum ſecundum duplicem ſenſum poteſt examinari, vel ſcilicet, quatenus fuerint requiſiti ad operam talem præſtandam, vel etiam quatenus non fuerint requiſiti ad tale ſpeciale remedium, ſed præcisè ad curam prægnantis deputati; in quo etiam caſu remanet dubium, an ſaltem ſub onere grauis peccati teneantur tale remedium proponere, & ſuadere tanquam neceſſarium. **Duplex ſenſus tituli.**

Reſpondeo primo. Si fuerint in illo periculo requiſiti, vtique tenentur talem operam præſtare *Codronchus lib. pr. de Chriſtiana, & tuta med. rat. c. 33., Leſſius lib. 2. de iuſt., & iur. c. 31. dub. 7.*, & in his terminis *Rainaudus de ortu infant. c. 6. n. 22.* Colligitur ex ijs, quæ docet *D. Gregorius hom. 9. in Euang. ſub fin.*, nempè Deum vnicuique mandaſſe de proximo ſuo, vt in extrema neceſſitate laborantem teneatur quantum ſine ſui graui detrimento poteſt ſubleuare, nec poſſit eidem denegare ſubſidium; quę, ſi verificantur in abſtracto, & in genere, non video, cur in concreto in præſenti hypotheſi à fortiori verificari non debeant, in qua non modo eſt neceſſitas extrema corporea tum Matris, tum fætus, ſed etiam extrema ſpiritualis eiuſdem fætus, qui cæteroqui certò moralitèr periret ſine baptiſmo adeòque perpetuo priuatus viſione beatifica. 2 **Si fuerint in tali periculo requiſiti, tenẽtur talẽ operam præſtare.**

Hinc *Rainaudus de ortu infant. c. 6. n. 22. verſ. ex quo colligo* damnat grauis noxæ illos duos Chirurgos, de quibus loquitur *Rouſſetus ſect. 1. c. 6. narrat. 4.*, qui cũ eſſent rogati à quadam fæmina prægnante extremè laborante, vt ſectionem cæſaream in ſe ipſa adhiberent, quam alias ſibi, & fætui experta fuerat ſalutiferam, denegarunt illam ſecare, ex quo poſtea miserè accubuit ſimul cum fætu, quam mortem fortè non ſubijſſet, ſi ſectio in ipſa fuiſſet adhibita. Excuſatione tamen eos dignos arbitratur ibidem *idem Rainaudus*, ſi ab illa opera deſtiterint imperitiæ ſuæ conſcientia perterriti, cum nouerint ſe tanta arte non pollere, vt opus illud poſſent fælicitèr ad exitum perducere. **Damnatio Rainaudi contra duos Chirurgos.**

Hæc adeò vera ſunt, vt non ſolum teneantur

Tenentur etiam ſine mercede, ſi prægnās ſit inops.

neantur talem operam præſtare, quando ex ſuo opere poſſunt ſtipendium reportare, ſed etiam, quando fæmina prægnans, & periclitans ita opibus deſtituta eſt, vt nullam mercedem pro opere poſſit erogare; quandoquidem in extrema neceſſitate vnuſquiſq; tenetur alteri ſubuenire etiam ſine ſpe retributionis, cum in ea hypotheſi opus illud ſit ex alio titulo debitum.

3 Si fuerint tātum; ad curá deſtinati, tenētur illam ſectionem proponere.

Reſpondeo ſecundo. Quantumuis non fuerint rogati ad illud opus ſectionis cæſareæ præſtandum, ſi tamen fuerint deputati ad curam illius prægnantis periclitantis, tenentur remedium illud ſectionis proponere, ſeq; paratos ad illud exercendum exhibere. Conſonat cum ijs, quæ dicta ſunt in præcedenti reſponſione: Ratio ex eo deducitur, quia in extrema neceſſitate vnuſquiſq; tenetur alteri periclitanti ſuam operam exhibere, & præbere remedia, quæ apta ſunt ipſum ſubleuare ab extremis miſerijs, ergo Medicus, & Chirurgus, quantumuis non requiſitus ad tale opus ſectionis, ſi illud expediens nouerit ad leuamen, tenebitur illud exhibere, & operam ſuam præbere, & hoc potiſſimum, cum ſit deputatus ad illius curam; non enim ſolum ex vi officij ſui, ſed etiam ex vi deputationis tenetur ea proponere, quæ neceſſaria iudicat ad vitam & matris, & prolis conſeruandam.

Nonnulla dubia propoſita.

Quid verò dicendum ſit primo, ſi non fuerint ad talem curam deputati, nouerint tamen tale periculum mortis ſecuturæ in matre, & in prole, ſi illa ſectio non adhibeatur. Secundo quid ſentiendum, ſi fuerit quidem ad talem curam deputatus, & illud remedium tanquam neceſſarium exhibuerit, ſeu propoſuerit, ſed ipſa prægnans, & parentes eius nolint illud admittere? Ad primum dico, quod ex lege charitatis teneatur illud proponere, & ſe paratum exhibere ad ſuam operam præſtandam. Colligitur ex illo *Ioannis in ſua prima Epiſtola c. 3.*, vbi ſic, *Qui habuerit ſubſtantiam huius mundi, & viderit fratrem ſuum neceſſe habere, & clauſerit viſcera ſua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo*, & licet hic textus loquatur expreſsè de onere tribuendi bona temporalia extremè eiſdem indigenti intelligi tamen debet de onere habentis peritiam in aliqua arte, qui, ſi eandem negat applicare extremè laboranti, & extremè indigenti, intelligitur claudere viſcera ſua ab eo, & per conſequens charitas in eo non ineſt. Ad ſecundum dicendum eſt renuente ipſa prægnante, & parentibus eius tali ſectioni, poſtquam Chirurgus, & Medicus tale remedium propoſuerit, eoſdem eximi à quacunque noxa, ſi re-

4 Etiam ſi non ſint deputati, tenentur illud remedium ex charitate proponere.

medium illud ſectionis cæſareæ non applicuerit. Ratio ex eo deducitur, quia nemo tenetur beneficium conferre in inuitum, nec in hoc Medicus, aut Chirurgus habet vim coactiuam, ſed ſimplicitèr directiuam non quomodocunque, ſed tantum, ſi patiens voluerit; Neque, obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, quod ipſa mulier prægnans in tali periculo teneatur ſectionem illam cæſaream pati in ordine ad ſalutem æternam partus per ea, quæ ſupra commendauimus, ergo tenebitur Medicus, vel Chirurgus eidem vim inferre in ordine ad ſalutem æternam fætus in eius vtero exiſtentis; Non, inquam, obeſſe poteſt, quia, quantumuis ipſa prægnans teneatur ex prællegata regula charitatis in ordine ad illum effectum ſectionem illam pati; non propterea ipſe Medicus, vel Chirurgus illi vim inferre, cum non habeat vim coactiuam; ſicuti, ſi quis eſſet paratus ad grauem noxam Dei, non tenetur alter ipſi vim inferre, liceat teneatur ſuadere oppoſitum.

5 Reſpuente prægnante tale remedium eximuntur à quocunq; onere.

---

§. IV.

An ſectio Matris viuentis ipſam reddat inhabilem ad nouam conceptionem, aut ad naturalem partum.

SVMMARIVM.

In quo conſiſtat ratio difficultatis. 1.
Per ſectionem non redditur fæmina inepta ad generationem, & ad nouum partum. 2.
Varijs exemplis veritas demonſtratur. 3.
Soluuntur rationes oppoſitæ. 4.
Quamuis redderetur ad hos actus inepta, non propterea redderetur illicita ſectio. 5.
Soluitur ratio oppoſita. 6.

Diſquiſitio IV. Vxor quædam, dum grauitèr periclitaretur in vita, iudicio medicorum diſecta fuit in ordine ad extrahendum fætum, & peritia Chirurgi diſecantis, & partus fuit extractus, & ipſa prægnans euaſit incolumis. Quæſitum hic fuit, an ex illa ſectione reddita fuerit inepta ad nouam conceptionem, & ad nouum partum, cum præcipuè poſtea non conceperit? & ex ſuppoſitione, quod per ſectionem cæſaream prægnans reddatur inepta ad nouam conceptionem, an legitimè potuerit illud remedium adhiberi.

1 Exponitur in quo ſita ſit difficultas.

Quoad ſecundam hanc partem tituli potiſſima ratio dubitandi ex ijs conſurgit, quæ docuimus in præcedentibus, quod ſcilicet non liceat fæminæ præcipuè nuptæ propinare pharmaca ſterilitatis,

Fundamētum dubitationis quoad ſecundam partem.

tatis, cum hoc ſit contra ius naturale, & finem generationis. Si igitur per talem ſectionem inducitur impotentia in fæmina ad concipiendum, vtique non licebit, quia talis inductio impotentiæ eſt ab intrinſeco mala; atq; ita docent in ſpecie *Pareus lib.1. de hom.gener.c.38.*, *Ludouicus Guionius lib.5. de pulchrit.*, *& ſanct. corp. c. 25.*, *& Verandeus lib.2. de morb.mulier.c.7.*, & reddi ſaltem ineptam ad nouum partum naturalem aſſeruit *Rodericus à Caſtro lib.4. de morb.mul. c.3. in ſcolijs*; atque omnes ea mouentur ratione, quia venter matris conſolidatus in illa cicatrice per ſectionem inducta non eſt aptus nouæ dilatationi ad prolis geſtationem neceſſariæ. Nihilominus

2 **Per ſectionem non redditur fæmina inepta.**

Reſpondeo primo per illam ſectionem cæſaream non reddi fæminam diſſectam ineptam ad nouam prolis conceptionem, nec ad partum nouum naturalem *Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrimon. c.9. num.148., & num.157., Rainaudus de ort. infant. c.3. num.7., & c.5. num.9., Rouſettus tot. ſect.6., Duualius c.24.* Ad huius reſponſionis probationem multa congerunt exempla, & experientias, quibus factum eſt, vt plurimæ matres poſt ſectionem cæſaream, & de nouo conceperint, & fætum ad naturalem partum fælicitèr reduxerint. Nobis nonnulla ex illis, quæ referunt *Rainaudus, & Boſſius loc.cit.* ſufficiet inſinuare.

3 **Varijs exemplis reſponſio euincitur.**

Primum ſit illud, quod ſupra retulimus de illa fæmina prægnante, quæ, cum ſemel paſſa eſſet ſectionem cæſaream, denuo grauidata eſt, & fætum ferè reduxit ad partum, ſed cum tunc grauitèr laboraret, & rogaſſet binos Chirurgos, vt ſimilem in ſe ceſionem adhiberent, ex negato illo ſubſidio ſimul cum prole occubuit; vnde Chirurgi illi grauis noxæ fuerunt criminati. Huius meminit *Rouſettus ſect.1. c.5. narrat.3.* ſecundum ſit, de quo idem Rouſettus apud *Ioannem Angelum Boſſium tract. de effect. matrim. c. 9. num.152.*, de quadam muliere Oppidi Meſnilij in Gallijs, quæ, cum prægnans alio modo parere non poſſet, ſex vicibus fuit à Nicolao Guillato Chirurgo oppidario ſecta, & ſemper cum fætu viuo. Tertium ſit, de quo *Rainaudus de ortu infant. c.5. num.8. verſ. vijam ſibi Flexiæ*, de quadam muliere, quæ Flexiæ apud Andegauos ter cæſa eſt ſaluo, & incolumi fætu, hocque accepiſſe teſtatur à quodam Religioſo ſuæ ſocietatis, qui Chirurgum in ſæculo egerat, & rem eſſe extra dubium ſanctè confirmauit. Quartum ſit, de quo idem *Rainaudus*, de quadam muliere, quæ ſexcies ſecta eſt cum ſuo, & fætus commodo, quod habuiſſe teſtatur ex literis Domini Pellaire apud Maurianenſes Medici ad R.P. Amadeum à Portu D. Auguſtini ſtrictioris diſciplinæ alumnum. Alia penè innumera congerunt DD. ex quibus manifeſtè deducitur noſtra reſponſio, quod ſcilicet prægnans per ſectionem cæſaream non reddatur inepta nouæ conceptioni, nec partui.

4 **Soluuntur rationes oppoſitæ.**

Nec obeſſe poſſunt ea, quæ ex aduerſo afferebantur nempè, quod ex inflicto vulnere vterus ita in ea parte obſtruatur, vt non aptus ſit amplius dilatationi ad geſtationem prolis neceſſariæ, & quod dato etiam, quod adhuc poſſet concipere, non poſſet tamen ad lucem partum deducere, eo quia vterus in partu dilatari ſatis non poſſet, quia cicatrix denuò hiſceret, & vis vteri expultrix diſpergeretur. Non, inquam, obeſſe poſſunt, quia, vt benè notant *Rainaudus, & Boſſius loc. cit.* facta perfecta vteri conſolidatione, quæ non eſt difficilis, ille vterus eſt ex natura ſua facilè dilatabilis, vt conſtat ex triplici fætu in eodem vtero concepto, nec neceſſe eſt denuò hiſcere cicatricem, cum poſſit tanta inter partes prius diuiſas facta eſſe cohæſio, vt planè excludatur noua diſruptio.

5 **Quamuis redderetur inepta nō propterea redderetur illicita ſectio.**

Reſpondeo ſecundo, dato etiam, quod poſt ſectionem cæſaream mulier non poſſet de nouo concipere, vel fætum ad naturalem partum non poſſet perducere, non propterea ex hoc redderetur illicita illa ſectio *Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrim. c.9. n.157., Rainaudus de ortu infantium c.5. n.9. verſ. quamquam verò, & c.3. num.6.* Ratio multiplex huius aſſertionis poteſt deduci. Primo, quia ex ſupra dictis periclitante Matre prægnante, quando fætus nondum eſt animatus, licitum eſt adhibere remedia, quæ directè tendant ad ſalutem eiuſdem Matris, quamuis inde poſſit ſequi eiuſdem fætus abiectio, ergo etiam in præſenti hypotheſi eadem Matre periclitante licitum erit ad ipſius ſalutem adhibere remedium ſectionis, quantumuis indè poſſit ſequi impotentia ad poſteriores conceptus, & partus, cum tale remedium tendat directè ad ſalutem Matris periclitantis, & magis ſit abijcere fætum iam in vtero exiſtentem, quam fæminam reddi impotentem ad concipiendum.

Rationes pro reſponſione.

Secundo, quia per talem ſectionem nulla infertur iniuria proli poſtea concipiendæ, nam etiam, ſi non adhiberetur, non eſſet apta concipi, quandoquidem ſine illa Mater periret cum fætu in vtero exiſtente, & ſic impediretur ipſius conceptus, & cuiuſcunque alterius. Tertio, quia per illam ſectionem ad ſummum poſſet impediri partus naturalis, non autem ipſius conceptio, cum per illam ſe-

ctionem

Digitized by Google

ctionem non poſſint intelligi læſa organa apta, & requiſita ad talem conceptionem; hoc autem non videtur talem ſectionem reddere illicitam; ſicuti non eſt illicitus coitus, quem habet fæmina, quãtumuis ex prçcedentibus experientijs nouerit ſe non poſſe fætum reducere felicitèr ad lucem, & eidem poteſt ſuccurri per nouam ſectionem.

Ad rationem oppoſitam in principio adductam de inducente venena ſterilitatis, quod dictum fuit eſſe ab intrinſeco malũ, dico non facere ad rem preſentem, quandoquidem ibi inducta eſt ſterilitas ad effectum, vt ſemen alterius coniugis

6 ordinatum ex genere ſuo ad generationem fruſtraretur ſuo fine; hic autem inducta eſt ſectio, non ad illam impotentiam inducendam, ſed ad vitam Matris, & fætus in eiuſdem vtero exiſtentis ſeruandam, quod, ſi deinde ex illa contingat illa impotentia impoſterum concipiendi, hoc omnino per accidens eſt, & præter intentionem, nec imputanda culpæ, præcipuè, cum docuerimus *ſub hoc eodem tit. de matrim. 8. prænot. 11. aſſert. 3.*, quod quando fætus adhuc eſt inanimis, & remedium æquè ſit aptum ad ſanitatem Matris, ac eius fætus eiectionem, probabilius ſit, quod licitè Mater poſſit illud ſumere, prout etiam docent *Sanchez lib. 9. de deb. coniug. diſp. 20. nu. 18.*, *Trullench. in Decal. tom. 2. lib. 5. c. 1. dub. 4.*, *Diana part. 7. tract. 5. de abort. reſol. 36.*, ſi ergo, quando fætus eſt inanimis, adhuc poteſt Mater ſumere pharmacum æquè proficuum ipſi, & fætui noxium, cur non poterit etiam remedium ſectionis cæſareæ in ſe ipſa pati, quando tale remedium æquè poteſt eſſe ipſi proficuum, & proli non iam exiſtenti in ipſius vtero, ſed adhuc concipiendæ perniciosum? Certè potius maius malum eſt fætum iam exiſtentem eicere, quam impedire concipiendum.

Soluitur ratio oppoſita.

---

§. V.

An prægnantes ſaltus edentes, & illi, qui cum eis choreas ducunt grauitèr peccent, & ſi indè abortus ſequatur ipſi chorearum ſocij contrahant irregularitatem.

S V M M A R I V M.

An inter opera laborioſa comprahendantur ſaltus, & choreæ. 1.

Regularitèr non eximuntur prægnantes à noxa, quæ crebras choreas ducunt cum agitatione. 2.

Niſi ederent ſtatim poſt conceptum ſemen. 3.

Nec eximuntur à tali culpa, qui inducunt prægnantem ad ducendum choræas cum præuiſo periculo abortus. 4.

DIſquiſitio V. Certum eſt fæminas

1 prçgnantes teneri abſtinere ab actibus inordinatis, ex quibus rationabilitèr timeri poteſt fçtus in vtero exiſtẽtis abiectio, & etiam ab operibus importunis, quorũ nomine veniunt opera laborioſa, quæ attento robore, & complexione prægnantis poſſunt rationabilitèr in eadem cauſare abortionem. Hic iam quæritur, an inter huiuſmodi actus inordinatos, & importuna opera ſint computandi ſaltus, & choreæ? & ex occaſione ſimul inquiretur, an illi, qui cum eadem, vel eiſdem prægnantibus ſaltus, & choræas ducunt, ſi fortè inde contigerit eam, vel eas abortiri, contrahant irregularitatem.

Senſus difficultatis expoſitus.

Ex modo, & tempore chorearum dirimenda videtur controuerſia; ſi etenim choreæ graues ſint, & non cum magna agitatione, & ad modicum tempus cum moderamine arbitrarer abſolutè non inducere grauem noxam in prægnantibus ſic choræas ducentibus, cum hoc videatur pertinere ad congruas earum recreationes, nec regularitèr ſoleat eſſe connexum cum illo effectu abortus, qui propterea, ſi contigerit, cum ſit præter intentionem, & non cum cauſa non videtur eidem ad culpam ſaltem grauem imputandus; ſi verò fuerint cum agitatione, & ſaltibus tunc maior videtur eſſe ratio dubitandi, cum tunc maius videatur eſſe periculum abortionis, & proindè ſic

Conſideranda eſt qualitas chorearũ & ſaltuũ.

2 Reſpondeo, non eſſe de facili eximendas ſic prægnantes ab onere grauis peccati, quæ crebras, & numeroſas choræas ducunt cum agitatione ob periculum, in quod inijciunt ſe ipſas, & fætum. *D. Antoninus 2. part. tit. 17. c. 8. §. 1.*, *Nauarrus in man. c. 15. num. 14.*, *Silueſter verb. homicidium 2. num. 11.*, *Rainandus de ortu infant. c. 11. num. 9.*, *Fagundez in Decal. lib. 6. n. 33.*, *Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrim. c. 9. num. 240.* Rationem ex eo deduco, quia huiuſmodi ſaltus, & choreæ cõputantur inter opera importuna, prout computauit *Albertus Magnus lib. 9. de animalib. tract. 1. c. 11.*, *Nider in 5. præcept. Decal. c. 1. lit. F.* *Rainandus de ortu infant. c. 11. num. 9.*, *Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrim. loc. cit.* ex quibus experimento compertum eſt abortum prouenisſe, & exempla proferunt *Rainandus, & Boſſius loc. cit.*

Regularitèr prægnantes non eximuntur à culpa, quæ crebras choræas ducunt cum agitatione

Excipe tamen primo in caſu, quo fæmina ſimiles choræas, ac ſaltus ederet ſtatim, ſeu paulò poſt conceptum ſemen,

quia

quia tunc nec ratione ponderis, nec ratione alicuius alterius qualitatis poteſt eſſe tàm rationabile periculum abortionis, cum non poſſit eſſe cauſa aperitionis matricis, & effuſionis eiuſdem ſeminis.

3 *Niſi ederet ſtatim poſt conceptum ſemen.*

Reſpondeo ſecundo, non eximi à tali culpa, qui præuidens periculum abortus induceret prægnantem ad ſaltandum, & ſecum choræas ducendum, nec euadere irregularitatem, ſi inde abortus ſequatur. *Nauarrus in man. c. 15. num. 14., Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrim. c. 9. nu. 240.* Ratio primæ partis eſt, quia ſcientèr exponit illam prægnantem periculo abortus fætus animati, ſeu homicidij, ergo non eſt, cur non peccet grauitèr iuxta illud, *qui amat periculum, in illo peribit*. Ratio ſecundæ partis eſt, quia præuidens ex ſua actione imminere periculum homicidij, & in illud ſe conijciens non euitat irregularitatem, ſi homicidiũ illud ſequatur *Silueſter verb. homicidium 2. num. 11., Panormitanus c. ſicut ex literarum de homicid. num. 6., D. Antoninus 2. part. tit. 7. c. 8. §. 1., Nauarrus loc. cit.*, qui, quamuis de hoc expreſsè non loquatur, ex quo tamen excipit à pæna irregularitatis, quando fætus non eſt animatus, videtur implicitè ſentire contrarium, dum eſt animatus, dum præcipuè ſtatuit in ſic impellente ad choræas noxam læthalem. Excipit tamen ab hac pæna, ſicuti ego excipio etiam à graui culpa, *Ioannes Angelus Boſſius loc. cit.*, dum iocus eſt moderatus, & periculo carens, etiam ſi inde abortus ſequatur, prout notat *Fagundez in Decal. num. 35.*, cum talis iocus moderatus ex genere ſuo non inferat tale periculum. Conſultius tamen eſt, ſi & ipſa prægnans, & alij ipſam impellendo ab huiuſmodi choræis, & iocis præcaueant.

4 *Nec eximuntur à tali culpa, qui inducunt prægnantē, ad ſecum ducendas choræas cum periculo abortus.*

Quinimmo, nec ab irregularitate, ſecuto effectu.

---

§. VI.

An prægnans non præcauens ab iræ paſſione, alijq; ipſam excitantes peccent, & qualitèr in fætum conceptum.

SVMMARIVM.

Senſus diſquiſitionis expoſitus. 1.
Tenentur prægnantes præcauere à nimia ira paſſione ob periculum abortus. 2.
Peccant etiam, qui eaſdem prægnantes excitant ad grauem iram. 3.
An incidant in irregularitatem remiſſiue. 4.

Diſquiſitio VI. Non eſt dubium, quin inter inordinatos actus, & à recta ratione diſcordes connumeretur ira, quæ eo magis recrudeſcit, quo reperitur in fæmina; Controuerſia igitur in præſenti non eſt, an diſcordent à recta ratione fæmina, & alij, qui eandem ipſam excitant, quæ, ſeu qui iraſcitur, & excitant, quatenus hæc aduerſatur virtuti temperantiæ, ſeu pacis, ſed an diſcordēt etiam à recta ratione, quatenus aduerſetur virtuti iuſtitiæ, ſeu naturalis pietatis, quam tenetur habere erga prolem, quam in vtero concepit, ſcilicet quatenus eadem poſſit eidem obſiſtere inducendo ad abortum?

1 *Senſus diſquiſitionis exponitur.*

Per corporis intemperiem crebrò progigni in prægnantibus abortus teſtatum reliquit *Hippocrates lib. 1. de morb. mulieb.*, vbi varios enumerat caſus ex hac intēperie abortionis; Quod autem ex ira tales intemperies proueniant, ex eo facilè deducitur, quia pro varijs animæ affectionibus, & corpus variè commouetur, quæ potiſſimum locum habent in fæmina, quæ prona eſt ad iram, & facilis ad commotiones. Vnde meritò *Seneca lib. 1. de ira c. vlt.* vocat hanc paſſionem vitium muliebre. Quo ſuppoſito

Ex corporis intemperie gignuntur abortus.

Reſpondeo primo, teneri prægnantem ſub graui præcauere à nimia iræ paſſione, non ſolum, quia aduerſatur temperantiæ, ſed etiam naturali pietati, quam debet habere erga prolem, quam geſtat in vtero. *Rainaudus de ortu infant. c. 11. nu. 10., Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrim. c. 9. num. 242.* Non difficilis probatio præſentis reſponſionis ſuppoſitis præmiſſis, quia ex corporis intemperie non rarò proueniunt abortus; ex ira autem vehementi illa intemperies prouenit nemine refragante, quod potiſſimum prouenit in fæmina, quæ ex iuditij debilitate acrior exardeſcit in ira, vt meritò Euripides irato mari, ictui fluuij, & igni acerrimo illam comparauerit; & ſi hæc verificantur in genere quoad ſexum fæmineum, à fortiori verum habent in prægnante, quæ teſte *Aponenti c. 35. lib. 10. probl.* iracundior eſt, & procior ad iram, ergo non præcauendo, quantum poteſt, & eo amplius, quo magis ipſius natura imbecillis exigit, grauitèr peccabit, cum ſe exponat periculo abortiendi, & non ſolum, quia iraſcitur, ſed etiam, quia iraſcendo damnum parat proli in vtero exiſtenti.

2 *Tenentur prægnantes ſub graui præcauere à nimia iræ paſſione.*

Reſpondeo ſecundo. Non ſolum fæmina prægnans vehementèr iraſcens grauitèr peccat contra naturalem pietatem erga prolem, quam in vtero geſtat, ſed etiam alij, qui eidem præbent cauſas turgidorum affectuum, quantum in ipſis eſt. Conſentiunt *Rainaudus, & Ioannes Angelus Boſſius loc. cit.* Ratio ex eo deducitur, quod habetur in generali regula, quod,

3 *Peccant etiam, qui cauſam tribuunt prægnanti nimię iræ.*

quod, qui cauſam damni dat, damnum dediſſe videtur, ergo, qui dant cauſam iræ, ex qua rationabilitèr poteſt ſequi abortus fætus in vtero exiſtentis, quantum eſt ex ſe, intelliguntur eundem abortum procuraſſe voluntarietate ſaltem in cauſa. Confirmatur, quia non minus apta eſt vehemens ira excitata ad cauſandum abortum in prægnante, ac ſit aptus ad eundem effectum metus vehemens incuſſus eidem, ſed qui metum incutit in prægnantem, ex quo poſſit ſequi abortus, non eximitur à graui culpa per ea, quæ ſupra commendauimus, ergo neque ab ea eximi cenſendus eſt, qui in eadem grauem iram excitauit, a qua poſſet idem abortus prouenire.

4 An incidant in irregularitatem remiſſiuè. Hic immediatè oritur difficultas, an, qui ſic fæminam prægnantem ita incitauit ad iram; & ad turgidos affectus, vt ex illa, ſeu illis ſit ſecutus abortus in prægnante fætus animati, intelligatur inciſiſſe in pænam irregularitatis? Recole, quæ ſupra dicta ſunt de incutiente graui metu eidem fæminæ, ex qua ſecutus fuerit idem effectus, & hic cum proportione applica.

---

§. VII.

An infirmus in periculo mortis conſtitutus poſſit remedia illi profutura reſpuere remittens ſe diuinæ prouidentiæ.

SVMMARIVM.

Status diſquiſitionis expoſitus. 1.
Sententia aſſerens non teneri talia remedia adhibere. 2.
Tenentur talia remedia adhibere, ſi ſint ordinaria, & non difficilia. 3.
Opera medicinæ maximè à Deo commendata. 4.
Satiſfit rationibus oppoſitæ opinionis. 5.

Diſquiſitio VII. Præſcindendo à damno, quod inde proli poſſet prouenire, & conſiderata præciſè re in ordine ad matrem prægnantem dubium
1 Status diſquiſitionis exponitur. excitatur, an, ſi eadem prægnans ſit conſtituta in aperto vitæ diſcrimine, & medicorum iudicio poſſit incolumis euadere, ſi certa remedia ſumat, ſecùs ſit certò moralitèr peritura, teneatur eadem remedia ſumere, an verò poſſit reſpuere remittens ſe, ſuamq; ſalutem diuinæ prouidentiæ? Idem, quod quæritur de fæmina prægnante, poteſt proportionalitèr quæri de quocunq; alio in tali diſcrimine conſtituto; & quidem hic non loquimur de remedijs extraordinarijs præferentibus ſecundum ſe ingentes cruciatus, & dolores, quandoquidem de his fusè egimus in præcedentibus, ſed de ordinarijs, & conſuetis.

Rainaudus *de ortu infant. c. 6. num. 4.*, *Hoſtienſis in c. cum nos de homicid.*, *Silueſter verb. Medicus q. 7. dict. 3.*, *& ibi Angelus num. 10.*, *Armilla nu. 6.* videntur aſſerere, non teneri eadem remedia ſumere, ſed licitè poſſe ſe diuinæ prouidentiæ remittere; ad quod aſſerendum multis rationibus mouentur; primo, quia poteſt totam ſpem ſuam in Deum proicere, tanquam in auctorem vitæ, & mortis, & in illo ſolo fidere, tanquam in fonte, & origine cuiuſcunque bonitatis, & dolores ſufferre in exercitationem ſpei, & patientiæ in memoriam dolorum, & paſſionis Chriſti Domini, qui pro ipſa mortem ſuſtulit. Secundo, quia plures ex SS. Patribus hoc præſtiterunt reſpuentes talia remedia, vt de D. Fulgentio ſcribit *auctor vitæ ipſius c. 32.*, quod etiam approbatum fuiſſe miraculo refert D. Gregorius Niſſenus in ſorore ſua Macrina, & in quodam Monaſterio SS. Virginum viguiſſe morem non adhibendi ægris remedia habetur *in actis S. Euſraſiæ c. 6.* Tertio, quia plures ex SS. PP. exiſtimarunt id licere, & honeſtum eſſe, & morem hunc abſtinendi ab huiuſmodi remedijs mirificè commendarunt. *S. Macharius hom. 48.*, *D. Bernardus epiſt. 321. S. Ephrem tom. 1. tract. de fide, D. Chriſoſtom. hom. 14. in prima ad Thimot. ſub fin. part. mor. agens de ægris in cænobio.* Quarto, quia licitum, & honeſtum eſt votum de huiuſmodi abſtinentijs, vt contingit in Monachis Carthuſienſibus, qui in graui morbo conſtituti abſtinent a carnibus, quantumuis Medici declarant fore omnino neceſſarium ad ſalutem in eo diſcrimine eſum carnium, ergo &c. Nihilominus

Reſpondeo prægnantem, ſeu alium ægrotantem in graui vitæ diſcrimine conſtitutum non poſſe licitè abſtinere ab omnibus remedijs ordinarijs, & non difficilibus, quæ à Medicis reputantur neceſſaria ad ſalutem. *D. Thomas 2. 2. q. 97. art. 1. ad tertium. Nauarrus in manual. c. 11. n. 41.*, *Decianus lib. 9. tract. crimin. c. 1. n. 46.*, *Suarez de Relig. tom. 1. tract. 3. lib. 1. c. 2. n. 1.*, *Ioannes Vallerus de diff. verb. Obedientia diff. 3.*, *Sanchez in ſumma lib. 2. c. 34. n. 14.*, *Balthaſſar Gomez de poteſt. in ſe ipſum lib. 2. c. 7. n. 6.*, *Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrim. c. 9. n. 172.* Rationem ex eo deduco primo, quia homo non eſt Dominus ſuæ vitæ, ſed ſolummodo cuſtos à Deo conſtitutus per ea, quæ latè docui *tom.*

2 Sententia aſſerens non teneri talia remedia adhibere.

3 Tenentur talia remedia adhibere, ſi ſint ordinaria, & non difficilia.

de

de reſtit. ſub tit. de reſtit. 1. *Prænot.* 15. *ſect.* 1., ergo, quatenus Dominus non eſt, non poteſt pro libertate de ſua vita diſponere, nec illam periculo exponere, quatenus cuſtos eſt, tenetur omnibus modis cuſtodire, quantum poteſt, & ad ipſam conſeruandam omnia remedia ordinaria, & neceſſaria adhibere, cæteroqui deficeret à ſuo munere fidelis cuſtodis, ad quem ſpectat omni cura rem ſibi commiſſam conſeruare. Secundo, quia reſpuere omnia humana remedia, & ſe remittere in ordine ad corporalem ſalutem eſt Deum tentare, & velle modo extraordinario ſalutem, quam fortè poſſet acquirere medijs ordinarijs, & conſuetis à Deo ordinatis ope Medicorum, quod nimiam redolet præſumptionem; vndè meritò *D. Thomas* 2. 2. *q.* 97. *art.* 1. *ad* 3., conatur defendere D. Agatham eo, quod medicinam carnalem ſuo corpori nunquam exhibuerit aſſerens id ex ſpeciali Dei inſtinctu præſtitiſſe, cuius defenſionis nulla eſſet ratio, ſi liceret talia remedia indiferentèr reſpuere, & ſe diuinæ prouidentiæ generaliter remittere.

Homo nõ eſt Dominus ſuæ vitæ, ſed cuſtos.

Dices *ex Rainaudo loc. ſupra cit.* hoc non eſſe tentare Deum, nam infirmus huiuſmodi remedium reſpuens hoc præſtaret ad exercitationem ſpei in Deum, & ad reſignationem teſtandam, nec expectaret à Deo ſalutem per miraculum, quod eſſet Deum tentare, ſed Diuinæ prouidentiæ, & arbitrio committeret ſuam vitam. Sed contra, quia, cum Deus optimus maximus, vt author naturæ ordinauerit naturalia media, & cauſas ſecundas in ordine ad ſuos effectus de lege ordinaria conſequendos, non poteſt homo ex ſuæ voluntatis arbitrio declinare à tali ordine, & modo extraordinario, & à ſolo Deo dependente ſibi conſulere, quia hoc eſſet peruertere ea, quæ Deus ordinauit in ordine ad hoc effectus, & per conſequens Deum tentare, quod non conſiſtit ſolum in quærere ſalutem per miraculum, ſed etiam per modum extraordinarium; nec in arbitrio eſt ipſius periclitantis ſalutem ſuam negligere, cum ſuppetant media eandem reparandi, ſed tanquam cuſtos à Deo conſtitutus tenetur eandem curare; & ſicuti, ſi quis inſequeretur a fera, non poſſet vitam ſuam remittere diuinæ prouidentiæ, ſed tenetur fugere, ita, cum inſequitur a graui morbo, non poteſt ſe diuinæ prouidentiæ remittere, ſed per remedia neceſſaria tenetur ab eodem, quantum poteſt, fugere.

Soluitur inſtãtia à Rainaudo deducta.

Non modicum videntur conferre ad rem præſentem plura ſcripturæ loca, quibus Deus commendat opera medicinæ, & præcipit Medicos honorandos, nec reiciendos, vt Eccleſiaſtici *c.* 38. *Altiſſimus creauit de cælo medicinam, & vir prudens non abhorrebit illam*, vbi vides media ſaluberima à Deo inſtituta, & imprudentiam eorum, qui illa reſpuunt; ſi enim prudens, qui non abhorret, à contrario imprudens, qui abhorret, & reſpuit. Ruſus ibid. *Honora Medicum propter neceſſitatem, etenim illum creauit altiſſimus*, vbi vides in ordine ad ſalutem Deum Medicos ordinaſſe, ergo infirmus illorum ope tenetur vti in ordine ad neceſſaria ad propriam ſalutem, cum tanquam cuſtos teneatur illam, quantum poteſt, ſeruare, & non vtendo negligit modum ſalutis à Deo inſtitutum. Rurſus, *da locum Medico; etenim illum Dominus creauit, & non diſcedat à te, quia opera eius ſunt neceſſaria*, vbi habes mandatum non recedendi à Medico in ijs, quæ tibi ſunt neceſſaria ad ſalutem. Ex quibus in vniuerſum poteris deducere, infirmum periclitantem in remedijs ordinarijs, & conſuetis neceſſarijs ad propriam ſalutem teneri Medico obedire, non quia ille ſit ſuperior, ſed ratione propriæ vitæ cuſtodiendæ, in ordine ad quam Deus talia media ordinauit.

Opera medicinæ maximè à Deo commendata.

Neque dicas ea, quæ hic dicuntur, rectè quidem procedere, ſi ex illis remedijs certè moralitèr foret ſalus eiuſdem periclitantis, quia tunc illa non ſumere eſſet directè propriam ſalutem reſpuere contra ordinationem diuinam cuique inditam de conſeruanda propria vita; non autem, quando ex illis non poſſet habere certitudinem, quod ſalutem eidem ſint allatura; tunc etenim reſpuendo non directè reſpuit ſalutem, ſed tantum ſe remittit diuinæ prouidentiæ; contra enim impugnaberis, quia in primis hæc inſtantia ſiſtendo in rationibus naturalibus nullam vim habere poteſt, cum nunquam haberi poſſit certa notitia, quod illa remedia ſint pro futura ad ſalutem. Deindè, cum mors, & vita hominum ſit in manu Domini, & Deus conſtituerit Medicos ad remedia, quæ ipſe diſpoſuit, applicanda, non debet infirmus ea ſolummodo velle, quæ certò nouit ſibi profutura, ſed tenetur ſe remittere medijs, quæ iuxta exigentiam cauſarum ſecundarum Deus ipſe medio Medicorum conſtituit in ordine ad effectum ſalutis corporalis, nec ex eo, quod alitèr poſſit euenire, poteſt legitimè ea remedia reſpuere, cum ſint ad hoc ordinata, ſed debet diſpoſitioni diuinæ ſe remittere, vt quantum in ſe eſt, vitam cuſtodiat, quam Deus ipſe ipſi commendauit.

Soluitur alia inſtãtia.

Nunc obiectis aduerſantium reſpondendum. Ad primum iam patet ex ſupradictis; rectum quidem eſſe ſpem in Deum referre, & reſignationis oſtentationem 5

Satisfit rationibus oppoſitæ ſententiæ.

tionem præbere, non tamen ea omittere, quæ iuxta exigentiam cauſarum ſecundarum Deus conſtituit ad ſuæ vitæ cuſtodiam, cum hoc eſſet Deum tentare, & ſalutem quærere per media extraordinaria, ad quæ Deus non tenetur.

Ad ſecundum dicendum eſt, ea, quæ ex SS.PP. referuntur de ijs, qui non adhibuerunt remedia in proprijs infirmitatibus, vel prouenisse ex ſpeciali Dei inſtinctu, vel in ijs dumtaxat morbis, quæ periculum mortis non afferunt, licet dolorem cauſent, & hoc ad ſpiritualem profectum, puta ad carnem domandam, & ad compaciēdum doloribus Chriſti Domini, prout notant *Caietanus in 2.2. D.Thomæ q.97. art. 1., Nauarrus in man. c.11. nu.41., Balthaſſar Gomez de poteſt. in ſe ipſum lib.2. c.7. n.10., & alij.* Idem reſpondeas ad quartum, quoad auctoritates ex SS.PP. deſumptas.

Ad illud tandem, quod ſubditur de Monacis Carthuſienſibus, dicendum eſt, vel votum illud, ſi verè votum eſt, de non edendis carnibus, vel inſtitutum regulæ, vtpotè à SS., & prudentibus viris excogitatum iuxta prudentiæ regulas, & à ſummis Pontificibus approbatum rectè procedere, cum talis eſus non ſit talis, & talitèr neceſſarius, vt eius abſtinentia poſſit mortem ingerere, adeoq; &c.

---

§. VIII.

An quandoque licitum ſit medicinam corporalem reſpuere.

SVMMARIVM.

Enumerantur aliqui caſus, in quibus licitum eſt medicinam reſpuere. 1.

Licitum eſt, inflicto vulnere à tirano in teſtimonium fidei idem ſufferre in teſtificationem fidei. 2.

Quando experientia nouit remedium potius obfuturum, quam profuturum. 3.

Quando infirmitas non tendit ad mortem, & dolores conferunt ad ſtimulos ſedandos. 4.

Monaci Carthuſiani nullo voto tenentur ad carnium abſtinentiam. 5.

Inducta tamen eſt pæna contra non abſtinentes. 6.

Monaci Carthuſiani in neceſſitate ab extrinſeco tenentur carnes ſumere. 7.

Data neceſſitate ab intrinſeco ratione grauis infirmitatis poſſunt ſumere. 8.

Quid ſentiendum ſit, ſi Monacus votum emiſerit, de illa abſtinentia. 9.

Data etiam neceſſitate ab intrinſeco non tenentur carnes ſumere. 10.

Diſquiſitio VIII. Cum dictum fuerit in præcedenti diſquiſitione non poſſe grauitèr periclitantem reſpuere medicamenta, quæ ex Medicorum iudicio neceſſaria reputantur ad ſalutem corporalem, ſi illa ſint ordinaria, facilia, & communia; oritur hic difficultas, an in vllo vnquam caſu licitum ſit illa reſpuere?

Reſpondeo in nonnullis particularibus caſibus licitum eſſe eadem reſpuere. 1
Ita in vniuerſum *Sanchez in opuſ. mor. lib.5. c.1 dub.33. num. 8., Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrim. c.9. n.176., & ſeqq.* Singulos profero, & explodo.

Enumerātur aliqui caſus, in quibus licitū eſt medicinā reſpuere.

Primus eſt, quando quis ex inflicto vulnere à tirano in teſtimonium fidei renuit medicamenta ob gloriam Dei, & teſtificationem eiuſdem fidei, & ad oſtendendum ſe paſſionem illam ſpontè, & voluntariè pati *Caietanus 2.2. q. 97. art. 1., Nauarrus in manual. c. 11. n.41., Sanchez in opuſ. moral. lib.5. c.1. dub.33. nu.8., Balthaſſar Gomez de poteſt. in ſe ipſum lib.2. c.7. n.9., Ioannes Angelus Boſſius loc. cit.* Ratio ex eo deducitur, quia in concurſu neceſſitatis oſtendendi promptitudinem ſpontaneam occumbendi pro fide Chriſti, & oneris ſubueniendi ſibi ipſi quoad ſalutem corporalem præferenda eſt neceſſitas illius voluntariæ perpeſſionis in proteſtationem fidei oneri ſalutis corporalis; ſiquidem illa cedit in maiorem vtilitatem totius Chriſtianæ Reipublicę, cum vigor Chriſtianæ fidei exhibeatur, cui non poſſunt contraire omnes inſidiæ Diaboli, nec tirannorum crudelitates.

2 *Quando vulnus ſuffertur in teſtimoniū fidei.*

Secundus eſt, quando quis nouit ex experientijs præhabitis, naturam potius ex talibus remedijs viribus deſtitui, quam ſubſidium acquirere, & cum robore penitus ſe deſtitutum inueniat, iuſtè timeat, vt natura eo adhibito remedio impar ſit futuræ morbi violentiæ. *Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrimon. c.9. n. 177.,* & ratio indè deſumitur, quia in tantum iuxta Medicorum iudicium tenetur ſumere, in quantum eodem iudicio poſſunt ipſi prodeſſe, ſed in præſenti hypotheſi rationabilitèr nouit eſſe potius obfutura, ergo non tenetur eadem adhibere.

3 *Quando experientia nouit remediū potius ob futurum, quā profuturum.*

Tertius eſt, de quo aliquod ſupra innuebamus, quando ſcilicet ægritudo non tendit ad mortem, licet dolores plurimos ingerat, & hoc, ſi fiat ad magis carnem domandam, & ſedandas concupiſcentias, & ad compatiendum doloribus, & paſſioni Chriſti Domini, qua ratione refert Theodorus Epiſcopus Cypti in libro quem Phylotheam, ſiue SS. PP. Deum amantium inſcripſit c.26. de Sancto Monacho Simeone Stillita, qui habens in altero pede moleſtiſſimum vulcus nunquam

4 *Quando infirmitas nō tendit ad mortē, & dolores conferunt ad carnē domandam.*

quam tamen curari permiſit.

Hic longas intexunt quæſtiones DD., an teneamur vitam noſtram prolongare, cum poſſumus vtendo cibis delicatioribus, remedijs exquiſitis; an poſſimus licitè abſtinentijs, & corporis caſtigationibus vitam abbreuiare, & his ſimilia. Sed, quia hæc ad præſens inſtitutum non pertinent, ideo ad ſuum locum remitto. Interim, ſi quis ex profeſſo ambiat has quæſtiones diſcuſſas adinuenire, conſulat *Ioannem Angelum Boſſium tract. de effect. matrim. c. 9. à num. 180. vſq; ad num. 189. excluſiuè*.

Hic ſolum, ne aliquid indiſcuſſum plenè omittamus, quod ſemel attigimus, placet examinare ex profeſſo, an Monaci Chartuſienſes, quando medicorum iudicio in extrema neceſſitate ſalutis corporalis eſus carnium arbitratur neceſſarius, teneantur illum adhibere? Pro quo plura ſunt præmittenda; primo, quod tales Monaci nullo voto obligentur ad illam abſtinentiam, prout teſtatur *Petrus Sutor in hiſt. ſui ordin. lib. 1. tit. 3. c. 8.* ſecundo, nec inſtituta ordinis obligare ad talem abſtinentiam ſub peccato lęthali, quin immo, nec ſub veniali, vt ex eodem *Petro Sutore loc. cit.* teſtatur *Sanchez in opuſ. moral. lib. 5. c. 1. dub. 34. num. 2.* tertio talem abſtinentiam ab eſu carnium viguiſſe in eo ordine quaſi ab eiuſdem natalibus ſine vlla prorſus lege, poſtea de anno 1254. in quibuſdam comitijs generalibus ſtatutum emanaſſe de tali abſtinentia ſub graui pæna prius eiectionis ab ordine, poſtea ſub minori pæna priuationis perpetuæ officiorum Prioratus, Vicariatus, & Economatus, ſi in illis delinquens fuerit conſtitutus, & reſpectu aliorum non gaudentium talibus officijs perpetuæ inhabilitatis ad eadem, necnon carcerationis ad beneplacitum; Nullibi tamen reperitur, quod hæc ſtatuta fuerint inducta ſub obligatione alicuius culpæ, cum conſtitutiones ordinis ad talem culpam non obligent. His pro certa notitia ſuppoſitis in neceſſitate ab extrinſeco puta, quia alios cibos non habeat, quibus poſſit vitam conſeruare, tenetur eaſdem carnes ſumere, prout docent *Rodriquez in ſumma tom. 2. c. 94. num. 16., Azorius part. 3. lib. 2. c. 3. q. 14. in fin., Victoria relect. de temp. nu. 10. in fin., Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrim. c. 9. num. 190.* Ratio ex eo deducitur, quia onus conſeruandi vitam per nutritionem præualet cuicunque præcepto poſitiuo ſiue ſcripto, ſiue non ſcripto, ſeu conſuetudinario, & onus ſeruandi vitam per cibum eſt naturale, & ſtrictum; Si verò ſit in neceſſitate ab intrinſeco, nempè, quia eſt conſtitutus ratione grauis infirmitatis in graui neceſſitate, ſeu diſcrimine vitæ, & iudicio medicorum non poſſit graue illud vitæ diſcrimen effugere, niſi edendo carnes, tunc videtur hic caſus metaphiſicus, cum plures ex peritioribus Medicis aſſerant eſum carnium non eſſe, nec poſſe eſſe neceſſarium ad infirmos reparandos, & illorum vitam conſeruandam, vt inter cæteros teſtatur *Arnoldus à Villa Noua medicus*, & de hoc loquuntur *Ioannes Andraas in c. 2. de obſeru. ieiun., Anania in c. ſicut ex literarum de homicid.* Dato tamen caſu talis neceſſitatis arbitror, vtique poſſe vti talibus cibis *Victoria in relect. de temperant. num. 10., Ledeſma 2. 4. q. 17. art. 6.* Ratio eſt, quia, cum non extet votum, nec inſtitutum obliget ſub culpa, neceſſitas illa videtur cohoneſtare illam comeſtionem, nec poteſt dici reddi illicitam ratione ſcandali, quandoquidem in primis poteſt vitari ſcandalum ſecretò edendo. Deinde vbi conſtat ex doctrinis vulgatis eundem eſum in tali neceſſitate licitum, & honeſtum eſſe, ſcandalum, ſi quod inde eſſet, eſſet ſcandalum Phariſæorum. Nonnulli hoc dictum adeo extendunt, vt aſſerant etiam talem eſum licitum eſſe, quantumuis ægrotans in tali neceſſitate conſtitutus antecedenter votum emiſiſſet de tali abſtinentia perpetuò ſeruanda, prout videntur expreſsè ſentire *Victoria, & Ledeſma loc. cit.* Sed eos improbat *Sanchez in opuſ. mor. lib. 5. c. 1. dub. 34. num. 2.* Ego in hac hypotheſi diſtinguendum cenſeo, vel etenim præcisè ſic ægrotans emiſit votum de tali abſtinentia ſeruanda in illa extrema neceſſitate, vel de tali abſtinentia ſeruanda pro toto vitæ ſuæ tempore, quod etiam refertur ad tempus illius neceſſitatis, vel votum illud emiſit iuxta exigentiam regularum ſui ordinis, quod tamen falſum ſupponitur ex dictis in præcedentibus. Si iuxta primum sēſum votum illud emiſerit, iam illud ex ſe non tenet, cum nihil bonitatis præferat; ad quid enim votum illud poteſt deſeruire? Si iuxta ſecundum ſenſum, cum votum illud non cedat in bonum Religionis, vtique pro illa neceſſitate non obligare aſſerunt *Silueſter verb. votum 2. q. 13., Angelus eod. verb. votum 3. num. 21., Sanchez in opuſ. mor. lib. 5. c. 1. dub. 34. num. 6., & 10.* Si iuxta tertium ſenſum probabilius eſſet, quod obligaret etiam in tali neceſſitate, vt ſtatuunt *Sanchez loc. cit., Azorius part. 3. lib. 2. c. 3. q. 14. in fin., Fillucius tom. 2. tract. 29. c. 5. num. 80.*, & ratio eſt, quia illud votum cederet in bonum Religionis, quod certè præualere debet.

Difficultas potior, prout ad præſentem

5 Monaci Chartuſiani nullo voto tenentur ad carniū abſtinentiam.

6 Solum inducta fuit pæna cōtra non abſtinentes.

7 In neceſſitate ab extrinſeco tenentur carnes ſumere.

8 Data graui neceſſitate ab intrinſeco poſſunt carnes ſumere.

9 Quod ſētiendum ſit, ſi Monacus votum emiſerit de illa abſtinentia.

Digitized by Google

tem ſtatum pertinere poteſt, conſiſtit in eo, an in illa hypotheſi accedente medicorum iudicio teneatur illum carnium eſum adhibere, an verò poſſit licitè ab illo abſtinere? Arbitror etiam in hac hypotheſi non teneri carnes edere, ſed poſſe
10 Data neceſſitate ab intrinſeco non tenentur carnes ſumere. ſine culpa ab illis abſtinere. *Dionifius Carthuſianus in laud. ſui ord.*, *Vaſquez prima ſecundæ diſp.162 c.4.*, *Sairus lib.7. clauis c.9. num.30.*, *Fagundez in Decal.lib.5. c. 11. nu. 19.*, *Filliucius tom.2.tract.29.c.5. num. 80.*, *Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrim.c. 9.num. 193.* Non moueor ſolum illa ratione, qua vix poſſit eſſe caſus, quo eſus carnium poſſit eſſe neceſſarius ad recuperandam ſalutem, ſed quia illa abſtinentia etiam in illo caſu maximè cedit in bonum commune Religionis, & obſeruantiæ, quod certè commune bonum poteſt præualere bono particulari illius perſonæ priuatæ. Vide, quæ latè in hoc genere dilucidè tractat *Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrim.c.9. num.193.*

---

§. IX.

An extractus per ſectionem cæſaream gaudeat iure natorum in ordine ad ſucceſſiones.

SVMMARIVM.

Series diſquiſitionis expoſita. 1.
Rationes ſuadentes non gaudere iure natorum. 2.
Etiam caſones veniunt ad ſucceſſiones, & hæreditates &c. 3.
Intellige ſiue extracti fuerint ab vtero matris viuentis, ſiue mortua. 4.
Succedit cum alijs fratribus in quacunq; alia hæreditate ab inteſtato. 5.
Procedit in quacunq; alia materia etiam odioſa, & reſtringibili. 6.

Diſquiſitio IX. Condito ſuo vltimo teſtamento diſpoſuerat de rebus ſuis Antonius, vt poſt eius obitum titulo
1 Series diſquiſitionis expoſita. vel hæreditatis, vel legati deuenirent in filios natos, vel qui naſcentur ex Caia ipſius conſobrina, & Iacobo eius marito, ſeu quos pepererit Caia, Caia vel poſt aliquos editos filios adhuc ſuperſtites, vel nullis antecedentèr editis, dum prægnans eſſet ex primo fætu, conſtituta eſt in extremo vitæ diſcrimine, adeo vt nec ipſa, nec fætus poſſent euadere incolumes, niſi ſectio cæſarea adhiberetur. Adhibita fuit, & res fœlicitèr accidit, adeo vt & ipſa, & fætus ſalutem, & vitam nacti ſint, & puer baptizatus, & proſperè ſuperſtes. Mortuo Antonio teſtatore, qui in caſu, quo Caia non haberet natos ex illo matrimonio, vocauerat in hæredem tertium quãdam perſonam, orta fuit controuerſia, an puer ille ſic extractus ex cæſo matris vtero veniret cum cæteris fratribus in illa ſucceſſione, ſeu hæreditate, ſi alios præcedentèr natos ſuperſtites habuerit, vel ipſe totalitèr ſuccederet, ſi alios fratres non habuerit cum excluſione illius tertij vocati.

Ratio difficultatis ex eo conſurgit, quia diſpoſitio teſtamentaria reſpicit filios natos, & qui naſcẽtur ex Caia ipſius teſtatoris conſobrina; ſed filius ex ſecto vtero matris extractus non poteſt dici natus, nec quod mater ipſum pepererit, prout habetur *in l. anniculus admittitur §. vlt. ff. de verb. ſignif. Gloſa in l. etiam, & mulier ff. eod. Iaſon in l. quod dicitur ff. de lib., & poſth.* ex quibus, & alijs iuribus deducunt legatum relictum natis ex Caia, ſeu quos Caia pepererit, non deberi filio ex cæſo eiuſdem Caiæ vtero extracto *Baldus in l. Arethuſa in fin. ff. de ſtat. hom.*, *Angelus conſ.51.*, *Paulus Caſtrenſis in l. quod certatum ff. de poſth hæred. inſtit.* *Purpuratus lib.1. conſil. conſ.158.nu.4.*, *Curtius Iunior conſ. 329. num.6., & ſeqq. lib.3.* Accedit primo, quod extractus è cæſo matris vtero, ſiue illa fuerit viuens, ſiue mortua non poſſit dici natus, vt habetur *in l.13.§. ex omnibus ff. de publicean., & l.2. ff. de inoffic. teſtam.*, & docet *Briſſonius in l. 11. ff. de verb. ſignif. verb. nati liberi.* Accedit ſecundo, quod ſic extracti ex cæſo matris vtero habentur pro abortiuis, vt latè probat *Gutierez lib. 2. pract. qq. q.101. num.3.*, ex quibus omnibus videtur deduci cæſones nec per ſe, nec cum cæteris natis venire in tali hæreditate, ſeu legato. Nihilominus

Reſpondeo, quantum pertinet ad effectum iuris ad ſucceſſiones, hæreditates, & legata verè, & propriè venire etiam cæſones, ſeu extracti ex cæſo matris vtero. *Gulielmus Benedictus ad c. Raynutius verb., & ſoboles, quam geſtat in vtero num. 64. de teſtament.*, *Gutierez lib.2. pract. qq. q.101.*, *Tiraquel. ad l. ſi vnquam verb. ſuſceperit liberos num. 141., C. de reuoc. donat.*, *Alphonſus Carranza de partu c.6. ſect.1., hancq; communiſſimam, & veriſſimam appellant Raynaudus de ortu infant. c.14. num.3.*, *Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrim. c.9. num.233., vbi alios tum ex iuris peritis, tum ex Theologis citat.* Pluribus rationibus hoc poteſt euinci. Primo, quia ſic extractus ex cæſo matris vtero rumpit teſtamentum iam conditum, non minus, ac ſi eſſet naturalitèr editus *l. quod dicitur ff. de lib., & poſth. l. poſthumus ff. de inoff. teſtam.*, *Tiraquel ad d. l. ſi vnquam verb. ſuſceperit*

2 Rationes ſuadentes non gaudere iure natorum.

3 Etiam cæſones veniunt ad ſucceſſiones, & hæreditates.

Digitized by Google

perit liberos num. 141. *C. de reuoc. donat.*, ergo, quia illi debetur hæreditas, tanquam vero filio non obſtante, quod ſic fuerit extractus. Secundo, quia ſic eductus ab vtero matris per cæſionem cæſaream admittitur tanquam legitimus hæres eiuſdem matris per textum *in l.* 1. *ff. ad Senat. Conſul. Tertul.*, & per eundem textum ex communi DD. conſenſu *Rainaudus de ortu infant. c.* 14. *num.* 3., ergo etiam admitti debet ad ſucceſſiones, & hæreditates relictas filijs natis, & quos pepererit eadem mater. Tertio, quia emphytheuſis conceſſa alicui pro ſe, & ſuis liberis intelligitur etiam competere filio extracto ex vtero matris per ſectionem cæſaream *Iacobus Ardiz in ſua ſũma apud Tiraquel. loc. cit.* quem ſequitur *Baldus in l. vltima col. penult. verſ. vid. dubitari C. de ſuis, & legitim. per textum in d. l. quod dicitur ff. de lib., & poſth.*, ergo, quia quoad effectum ſucceſſionis perindè venit, ac ſi eſſet naturalitèr editus. Ratio fundamentalis horum omnium ex eo deducitur, quia parum curandum eſt de modo, quo fuit tractus ad lucem vbi conſtat, quod ex ipſius ſanguine in ipſius vtero ſit formatus, & eidem ſit principio vitæ coniunctus, ex quo iuxta definitionem generationis viuentium deducitur propria, & rigoroſa ratio geniti, & filij. Accedit manifeſta teſtatoris voluntas, quæ ad talem diſpoſitionem tracta eſt ex affectu erga prolem eiuſdem Caiæ, qui affectus non præſumi debet diminui, ex eo quod proles vel vno, vel altero modo ſit de ventre matris educta, cum, quomodocunque ad lucem veniat, ſemper ſit proles eiuſdem matris ex eius ſanguine procreata, in ipſius vtero geſtata, & aucta, quod eſt fundamentum talis affectus.

Rationes pro aſſertione latè aſſeruntur.

Iura reſpiciunt, à quo natus eſt, non quomodo natus.

4 Intellige, ſiue natus fuerit ab vtero matris viuẽtis, ſiue mortuæ.

Amplia primo aſſertionem, vt procedat, ſiue fætus per ſectionem cæſaream fuerit eductus ab vtero matris viuentis, ſiue eiuſdem iam mortuæ *Briſſonius d. l.* 11. *verb. nat. liberi ff. de verb. ſignif.*, *Rainaudus de ortu infantium* 8. *c.* 14 *nu.* 4., quia ſemper militat fundamentum diſpoſitionis teſtamentariæ, quod eſt affectus teſtatoris erga prolem Caiæ, cuius eſt æquè proles, ſiue fuerit edita ipſa viuente, ſiue eadem iam mortua.

5 Succedit cum fratribus in alia hæreditate ab inteſtato.

Amplia ſecundo, quod non ſolum in illa hæreditate ſic relicta filijs, qui naſcentur ex Caia, ſuccedat ille filius ſic ex ipſius vtero eductus, ſed etiam cum alijs filijs, ſi fuerint in quacunque hæreditate ab inteſtato, vel ipſe ſolus, ſi alij non fuerint, prout habetur *in l.* 1. *ff. ad Senat. Conſul. Tertul.*, & docent *Rainaudus de ortu inf. d. c.* 14. *num.* 3., *Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrim. c.* 9 *num.* 233., ſi quidem, ex quo habet prærogatiuam filij, vtique, & hæredis iuxta illud *Apoſt. ad Galat.* 4.

Amplia tertio ea, quæ hactenus dicta ſunt de iure filij ex cæſo matris vtero extracti ad ſucceſſionem procedere in quacunque materia, quantumuis odioſa, & reſtringibili *Paulus Caſtrenſis in l. quod dicitur ff. de lib., & poſt.*, *Albericus in l.* 1. *in fin. C. de poſth. hæred. inſtit.* Item in omni diſpoſitione loquente in poſthumo nato *Angelus conſ.* 51. *per textum in d. l. quod dicitur*. 6

6 Procedit in quacũque alia materia etiam odioſa.

Ex quibus omnibus habes, quid reſpondeas ad aduerſantium obiecta. Ad primum etenim dic, quod, quantumuis ſecundum rigorem locutionis dici non poſſit, quod fæmina illa filium pepererit, & quod ab illa natus ſit, ſecundum tamen ſubſtantiam, & realitatis effectum, vt loquitur *Baldus in l. vlt. col. penult. C. de ſuis, & legit.* habetur pro verè nato, cum ſit ex ſubſtantia eiuſdem matris formatus, & per conſequens eiuſdem filius, quod eſt, quod conſideratur in huiuſmodi iuribus ad ſuccedendum, nec teſtator præſumendus eſt, quod reſpexerit ad modum natiuitatis, ſed quomodocunq; naſceretur, illi voluit gratum facere, vnde habito effectu non eſt curandum de modo *l. mater C. de inſtit., & ſubſtit.*, & mens potius, quam verba in ſimilibus penſanda eſt. *l. cum virum C. de fide com.* Addit *Socinus conſ.* 197. *circa præmiſſam conſultationem col.* 1. *lib.* 2., quod reſpectu ſic extracti ex cæſo matris vtero verificetur conditio natiuitatis per textum *in d. l. quod dicitur*, quod admodum notandum eſſe aduertit *Tiraquel. ad d. l. ſi vnquam verb. ſuſceperit liberos num.* 141. *in fin. C. de reuoc. donat.*, quia conditio debet adimpleri in ſpecifica forma. Neque hic audiendos eſſe arbitror nonnullos, qui aſſerunt, quod in diſpoſitione paterna loquente de filio à propria vxore nato veniat etiam ſic extractus per ſectionem cæſaream, eo quia eiuſdem Patris cenſeatur par affectus erga vtrumque, non ſic in diſpoſitione extranei; Non, inquam, audiendi ſunt, quia, cum etiam ab extraneo inſtituti ſint filij nati, ſeu naſcituri ex eadem Caia, in eiuſdem diſpoſitione intelliguntur venire, & illi, qui ex illa diſecta extracti ſunt, cum ſint propriè eiuſdem filij, prout vltra præcitata iura euincunt textus *in l. negat ff. de mort. infe.*, & *in l.* 1. *§. ſi qua prægnans ff. ad Sen. Conſ. Tertul.*, vbi ſic extractus appellatur partus, & *in l. etiam ff. de verb. ſignif.*, vbi mulier, cum moreretur, dicitur habere filium, quæ exciſo vtero edere poſſit. Ad illud, quod ſubditur, quod ſcilicet filij ſic extracti dicantur abortiui, dicendum eſt tales dici lata ſignificatione, & per quandam analogiam,

Soluũtur aduerſantiũ obiecta.

Verificatur cõditio natiuitatis, & quomodo.

Digitized by Google

logiam, non propriè, & ſecundum proprium ſenſum, vt per ſe patet.

§. X.

An cæſo ex vtero matris extractus, ſi modicum viuat, excludat ſubſtitutum à ſucceſſione.

SVMMARIVM.

Exponitur factum in particulari. 1.
Fœtus viuus extractus conſiderato præciſè motiuo natiuitatis excludit vocatum. 2.
Ex motiuo non diutinæ vitæ non excluditur, ſed excludit vocatum. 3.
Soluuntur rationes oppoſitæ. 4.

1 **Factum expoſitū in ſuis terminis.**

DIſquiſitio X. Condidit Sempronius ſuum vltimum documentum, quo inſtituit hæredem ventrem prægnantem Caiæ, ſi filium maſculum pepererit; & ſi non pepererit maſculum, vel abortum fecerit, vocauit in hæredem Octauium. Contigit, vt eadem Caia prægnans conſtitueretur in graui vitæ diſcrimine, adeo vt medicorum iudicio mortem non poſſet effugere, niſi ſectionem cæſaream pateretur. Ipſam paſſa eſt, quo factum eſt, vt fœtus viuus ederetur, baptizaretur, & ad aliquod temporis viueret, puta ad vnum, vel duos dies, & poſtea occumberet. Excitata eſt hic controuerſia, an poſt mortem eiuſdem extracti in hæreditate Sempronij deberet ſuccedere Octauius ab eodem vocatus in caſu, quo Caia non pareret maſculum, an verò in tali hæreditate venirent illi, qui ab inteſtato ſuccedere deberent eidem extracto.

Conſiderationes circa factum.

Hæc controuerſia ſic excitata dirimenda eſt ſecundum diuerſas conſiderationes, vel etenim conſideratur res præciſè ratione partus, quatenus non poſſit dici fœtus ſic eductus partus naturalis, prout in præcedenti diſquiſitione, vel quatenus, cum modicum vixerit, habeatur pro non nato, quantum ad effectum excludendi alterum vocatum in caſu, qua mulier non pepererit. Rurſus vel conſiderari poteſt res attento præciſè iure communi, vel attentis iuribus municipalibus diuerſarum regionum, ſeu locorum.

2 **Conſiderato motiuo natiuitatis ſic extractus excludit alium vocatum.**

Reſpondeo primo, conſiderato præciſè motiuo natiuitatis, ſeu conditione eiuſdem infantis hic viuus extractus excludit alium vocatum à ſucceſſione, & hæreditate. Ita præter prægalegatos DD. *Altiatus in l. etiam 141., ff. de verb. ſignif., Mandoſius de ætat. min. c. 1. n. 23., Gutierez pract. lib. 2. q. 101., Brinonius in l. 11., ff. de verb. ſignif., Baldus conſ. 128. Ad intelligentiam paulo antè fin. lib. 1., Socinus conſ. 193. circa præmiſſam conſultationem col. 1. lib. 2.* Non immorandum in probatione præſentis reſponſionis, quandoquidem clarè liquet ex præcedenti diſquiſitione.

3 **Ex motiuo non diutinæ vitæ non excluditur, ſed excludit vocatum.**

Reſpondeo ſecundo. Ex motiuo non diutinæ vitæ eiuſdem extracti ex cæſo matris vtero non excluditur à ſucceſſione, & hæreditate, ſed excludit vocatum in caſu, quo vxor non pareret, ita vt poſt ipſius obitum non ſuccedat ipſe vocatus, ſed hæredes eiuſdem extracti defuncti ab inteſtato. Ab hac reſponſione non arbitror diſſentire *Raimaudum de ortu infant. c. 14. nu. 6.*, & quotquot ſuſtinent fœtum in vtero exiſtētem, poſtquam lucem attigit, rumpere teſtamentum *Tiraquel l. ſi vnquam verb. ſuſceperit liberos num. 146., C. de reuoc. donat., Iaſon in l. poſthumo C. de bonis poſſid. contra tabul., Paulus Caſtrenſis in l. cum poſthumus ff. de liber., & poſth., Franciſ. Aret. in l. venter col. 3. verſ. nec eſt inconueniens ff. de acquir. hæred., Baldus in auth. ex cauſa col. 2. verſ. quarto præmitte, C. de lib. præter.*

Rationes pro reſponſione.

Ratio ex eo deducitur primo, quia venter prægnans, cum primo deducitur ad lucem, rumpit teſtamentum in aliorum fauorem factum, ergo, cum fœtus primo ad lucem deuenerit, ſi inſtitutus fuerit hæres, ſeu bonorum ſucceſſor ex teſtamento, excludet quemcunq; vocatum, & hoc etiam, ſi poſt lucem acquiſitam paulo poſt perierit, quia in luce acquiſita perfectum ius ad illa bona acquiſiuit per ea, quæ habentur *in l. antiqui ff. ſi pars hæred. pet., & l. vtrum in princip. ff. de reb. dub.*, vbi dicitur, quod vterus ad partem hæreditatis non admittatur, donec in lucem prodierit, ergo, ſi in lucem prodierit eandem hæreditatem, ſeu partem conſequetur.

Dices, quod, quamuis lucem acquiſierit, quia tamen paulò poſt eandem acquiſitam occubuit, habeatur perindè ac ſi ipſam non acquiſierit *Ioannes Andreas, & Panormitanus in c. nam, & ego extra de verb. ſignif.* nam nō intelligitur fuiſſe, qui parū durauit *Gloſa in d. c. nam, & ego, Tiraquel in d. l. ſi vnquā verb. ſuſceperit liberos n. 167. C. de reuoc. donat.*, ad quod facit illud *Iob c. 10. Fuiſſem quaſi non eſſē de vtero tranſlatus ad tumulum.* Hanc inſtantiam multis iuribus, & rationibus corroborat *Tiraquel in d. l. ſi vnquam eodem verb. ſuſceperit filios à n. 161. ad 187.*, quem vos conſulite.

Sufficit, quod in momento conditio fuerit impleta.

Sed contra, quia ad excludendum alium vocatum ſufficit, quod conditio in momento temporis ſit impleta *Baldus, & Corn. in l. cum vxori C. quando dies legati ced.*, quod multis illuſtratur exemplis. Primo eo, qui, ſi fuerit inſtitutus hæres, ſi eius filia

lia nupſerit hæreditatem acquirit celebratis eiuſdem filiæ nuptijs, quamuis iſtæ immediatè fuerint diſſolutæ *l. ſi quis hæredem C. de inſtit., & ſubit.*; ex quo denuò DD. formant regulam, nempè ſatis eſſe conditionem caſualem, & mixtam ſemel fuiſſe impletam, licet non durauerit. Secundo in vxore, quæ ſi ex pacto debet lucrari dotem, ſi liberos ſuſceperit eandem lucratur, ſi verè illos ſuſceperit, quantumuis poſt ortum illi ſtatim perierint. *Cinus, Albericus, & Baldus in d. l. ſi hæredem C. de inſtit., & ſubſtit.*, vndè meritò idem *Baldus in l. precibus col. 2. in 3. oppoſ. C. de impub., & alijs ſubſtit.* fundat hoc aſſertum, quod in conditionibus accipimus principium primæ exiſtentiæ, & non curamus ſucceſſum eius. Tertio in ſubſtituto ſub conditione, ſi inſtitutus non habuerit liberos, quæ ſubſtitutio expirat natis ex inſtituto liberis, quamuis ſtatim iſti perierint *Oddus conſ. 21. Thema tale eſt teſtator habet fratrem, & conſ. 121. Thema tale eſt Dominus G. Ioannes Andræas in addit. ſpecul. tit. de teſtam. §. in primis ad fin., Cinus in auth. Sed & ſi quis in fin. C. de ſecundis nupt., Paulus Caſtrenſis in l. in ſubſtitutione ff. de vulg., & pupil.*

Varijs paritatibus hoc euincitur.

Dices ſecundo, ex præſumpta teſtatoris voluntate ſufficientèr colligi hæreditatem, ſeu legatum deferendum eſſe vocato ſub conditione, quod venter prægnans non deuenerit ad lucem, quãtumuis ille venter lucem acquiſierit, ſi poſtea immediatè fætus fuerit mortuus; nam ipſius mens fuit, vt hæreditas deueniret ad eundem vocatum, quotieſcunque deuenire non poſſet ad prolem in vtero exiſtentem, poſtquam prodierit, quod vtique verificatur in ordine ad hunc effectum in præſenti hypotheſi, nam in ordine ad hæreditatem habendam parum referre poteſt, quod ille fætus non reſpexerit lucem, vel quod reſpexerit, ſi ſtatim deperijt; vnde, ſi teſtator in hoc caſu fuiſſet interrogatus, rationabilitèr reſpondiſſet, quod eo eueniente vellet hæreditatem ſuam ad vocatum deuenire. *Tiraquel in præfat. d. l. ſi vnquam C. de reuoc. donat.* Ad magis corroborandam hanc inſtantiam non modicum conferre poteſt textus *in l. poſthumus præteritus in princip. ff. de inuſt. teſtam.*, vbi, ſi poſthumus præteritus viuo teſtatore deceſſit, licet iuris ſcrupoloſitate, nimiaque ſubtilitate teſtamentum ruptum videatur, poteſt tamen hæres ſcriptus bonorum poſſeſſionem ſecundum tabulas accipere, hæreditatemque obtinere, quem textum dicunt ſingularem *Alexander in l. poſthumo in 4. not. C. de bonis poſ. ſecundum tabulas, & ibi Iaſon in ſecundo not.* Sed contra, quia non

4 Soluitur inſtantia aduerſus reſponſionem.

eſt inquirenda præſumpta voluntas teſtatoris quoad vlteriorem effectũ in aliquo caſu contingente poſt adimplementum ipſius voluntatis, ſeu conditionis per eundem appoſitæ, ſed res remittenda ſecundum diſpoſitionem iuris; nam quando cauſa ſemel ſuum effectum ſortita eſt, ea poſtea ceſſante non ceſſat effectus ipſe per textum *in l. vlt. in princip. ff. de ſolut.*, quem textum pluribus iuribus accumulat *Tiraquel in ſuo tract. ceſſante cauſa in oct. limit.* Minus obeſſe poteſt allegatus textus *in l. poſthumus præteritus ff. de inuſt. teſtam.*, quandoquidem ille procedit tantum, quando venientes ab inteſtato ſunt inſtituti, vt ibi notat *Bartolus*, & colligitur ex eodem textu -Ibi- *Si bonorum poſſeſſio data fuerit ei, qui rem ab inteſtato auferre poſſit*, & notant etiam *Paulus Caſtrenſis in l. vxoris C. de poſth. hæred. inſtit., Raphael Fulgoſ. conſ. 59. punctus talis eſt ad fin., Alexander in l. 1. pater col. penult. C. de inſtit., & ſubſtit.*, immo verò tantum, cum filius teſtatoris, & inſtitutus *Baldus conſ. 128. ad intelligentiam poſt principium lib. 1.*

Vbi ius loquitur nõ eſt inquirenda præſumpta volũtas.

Dices tertio, quod, quantumuis intelligatur depurata conditio in illo filio ſic viuo extracto, nihilominus poſt eius obitum intelligatur hæreditas deuoluenda illi vocato, quandoquidem in eius defectu vocauit illam tertiam perſonam, ſeu illam ſubſtituit. Sed contra, quia talem perſonam non vocauit titulo ſubſtitutionis, quaſi, quod fideicommiſſum inſtituerit, vt in defectum illius quomodocunque iſte vocaretur; ſed primo inſtituit ventrem prægnantem, ſi reduceretur ad lucem, qua conditione non exiſtente intelligitur vocare primo tanquam inſtitutam illam perſonam, vnde purificata conditione exitus ad lucem illius fætus in vtero Caiæ exiſtentis ceſſat vocatio illius tertiæ perſonæ, quæ non intelligitur inſtituta niſi deficiente illa conditione.

Alia inſtantia proponitur, & diſſoluitur.

Reſpondeo tertio, attentis iuribus municipalibus aliquarum regionum, ſeu locorum, ſi fætus ſtatim, ac lucem viderit, moriatur, non gaudet priuilegijs natorũ, & habetur pro non nato, adeoq; non ſuccedit in hæreditate ſibi relicta *Mantica de coniect. vlt. volunt. lib. 11. tit. 6. n. 11., Giurba in conſuet. Meſſan. c. 8. gloſ. 2., & c. 1. gloſ. 4.*; Sic in Ciuitate Meſſanæ, ſi fætus ſtatim, ac eductus eſt ab vtero, moriatur, non acquirit hæreditatem, nec excludit alium vocatum. Sic apud Hiſpanos, ſi fætus eductus ab vtero matris non viuat vltra 24. horas, non gaudet priuilegijs natorum quoad hereditatem, & ſucceſſionẽ, prout teſtatur *Gutierez pract. qq. lib. 2. q. 101. nu. 5., & 6.*, & alibi longius vitæ tempus requiritur.

§. XI.

Digitized by Google

§. XI.

An venter prægnans excludat vocatum, ſi non protrahatur ad lucem.

SVMMARIVM.

Exponitur factum in particulari. 1.
Rationes ſuadentes excludere vocatum. 2.
Venter prægnans, antequam ad lucem deueniat, non excludit vocatum. 3.
Si non perfectè naſcatur, nec etiam excludit. 4.
Exploditur textus in c. quod dicitur ff. de lib., & poſth. 5.

1 **Expoſitio caſus in particulari.** DIſquiſitio XI. Inſtituit Franciſcus in ſuo vltimo teſtamento ſibi hæredes filios Caiæ, ſi quos habuerit, ſeu ex ipſa ex legitimo matrimonio fuerint procreati; ſin minus tertiam quandam perſonam in eodem teſtamento nominatam. Poſt conditum teſtamentum, & poſt mortem teſtatoris Caia ex marito prægnans conſtituta eſt, nec tamen fætum deduxit ad lucem. Hic quæſitum eſt, an venter præcisè prægnans eiuſdem Caiæ excludat illam tertiam perſonam à teſtatore vocatam.

Videtur abſolutè excludere, quia, qui in vtero eſt, perindè eſt, ac ſi eſſet in rebus humanis *l. qui in vtero ff. de ſtat. hom. l. intelligendus ff. de verb. ſignif.*, vbi dicitur extitiſſe pro tempore mortis teſtatoris, qui
2 **Rationes ſuadentes excludere vocatum.** in vtero relictus eſt, & *l. illud §. vlt., & ibi Gloſ., & Bartolus ff. de bon. poſſid. contra tabul.*, quod etiam euincitur ex textu *in l. inteſtato §. vtique ff. de ſuis, & legit. hæred.*, vbi dicitur, quod faciat partem ijs, qui ſunt pari gradu, & ventri prægnanti competit reſtitutio in integrum *l. etiam ei ff. de minor.*, ex quibus omnibus eruitur, quod venter prægnans quoad effectum ſucceſſionis habeatur pro nato. Nihilominus

3 **Venter prægnans, antequam ad lucem veniat, nõ excludit vocatum.** Reſpondeo ventrem prægnantem, antequam ad lucem deueniat, non haberi pro nato quoad effectum ſucceſſionis, adèoque non excludere alium vocatum. *Iaſon, & Phylip. Decius in l. poſthumo C. de bonis poſ. contra tabul., Baldus in auth. ex cauſa col. 2. verſ. 4. præmitte C. de liber. præt., Paulus Caſtrenſis in l. cum poſthumus ff. de lib. & poſth., Franciſ. Aret. in l. venter col. 3. verſ. nec eſt inconueniens ff. de acq. hæred., Tiraquel ad l. ſi vnquam verbo ſuſceperit liberos n. 146., & ſeqq. C. de reuoc. donat.* Expreſsè colligitur ex *l. 1. 2., & 3. C. de poſth. hæred. inſtit., & l. 3. in princip. verſ. ex his apparet ff. de iniuſt. teſtam.* Ad hoc etiam non modicum facit textus *in l. antiqui ff. ſi pars hæredit. petat.*, vbi dicitur, quod vterus prægnans ad partem hæreditatis non admittatur, donec in lucem prodierit, nec hæres eſſe poteſt, donec naſcatur *Baldus in l. cum quidam col. 1. poſt princip. C. de inſtit., & ſubſtit.*, nec huic debetur legitima *Baldus in l. 1. ſi pater C. de inſtit., & ſubſtit., & conſ. 39. teſtator col. 2. lib. 1.* **Rationes pro reſponſione.**

Nec obſtant, ea quæ ex aduerſo afferebantur; non primum, quia, quantumuis intelligatur eſſe in rebus humanis, nõ tamen hoc intelligitur quoad ius ſucceſſionis, prout euincunt allegata iura, non ſecundum, quia licet dicatur extitiſſe pro tempore mortis teſtatoris, quando in vtero relictus eſt, hoc intelligi debet quoad exiſtentiam ſimplicitèr, & quoad ius ſuccedendi, ſi ad lucem deuenerit, non quoad ius ſuccedendi pro tunc, quo exiſtit in vtero matris, & ſi perierit, antequam lucem aſpexerit; Non tertium, quia id etiam intelligitur, ſi ad lucem deuenerit non aliter, cæteroqui aduerſaretur textui *in d. l. antiqui ff. ſi pars hæred. pet.*

Quid verò dicendum ſit, ſi infans natus quidem ſit, ſed non totus, nec integer, ſed tantum ſecundum aliquam partem, puta ſecundum caput, vel brachium? Videtur prima fronte excludere alium vocatum, cum & hic rumpat teſtamentum per textum in *d. l. quod dicitur ff. de lib., & poſth.*, & euinci poteſt ex eo, quod ex cõmuniori Theologorum conſenſu aſſerẽtium dicitur, quod, ſi exierit tantum ſecundum caput, poſſit in eo baptizari. Nihilominus communior ſententia quoad hunc effectum ſucceſſionis aſſerit, non excludere vocatum, ſi integrè non naſcatur, ſed moriatur ante perfectum exitum. 4 **Si nõ perfectè naſcatur, nec etiam vocatũ excludit.** *Alciatus in l. qui mortui ff. de verb. ſignif., Bartolus, & Angelus in d. l. quod dicitur ff. de liber., & poſth., Fran. Aret. in l. 3. C. de poſth. hæred. inſtit., Tiraquel ad d. l. ſi vnquam verb. ſuſceperit liberos C. de reuoc. donat. nu.* 158. Expreſsè colligitur *ex d. l. 3. C. de poſth. hæred. inſtit.* vbi dicitur, *ſi viuus perfectè natus eſt*, ad hoc autem, vt quid in ſuò genere dicatur perfectum, requiritur, quod omnibus partibus ſit conſummatum, nec aliquid ipſi deſit.

Nec obeſt textus *in d. l. quod dicitur ff. de lib., & poſth.*, quia, vt benè notat *Tiraquel ad d. l. ſi vnquam num.* 160. ille non eſt intelligendus de infante, qui partim ſit natus, partim non natus, ſed de infante, cui deficiat aliqua pars, puta manus vel pes, atque ita intelligunt præfatum textum *Baldus, Angelus, Paulus Caſtrenſis, Alexander, & Iaſon*. Ad illud, quod ſubditur de baptiſmo dici non eſſe res menſurandas in ordine ad effectus ſpirituales gratiæ, 5 **Exploditur textus in l. quod dicitur ff. de lib., & poſth.**

Digitized by Google

tiæ, ac vitæ ſupernaturalis in ordine ad eaſdem quoad effectus ciuiles, quoad ſucceſſiones, & hæreditates; nam Deus Optimus Maximus, qui non adſtringitur anguſtijs humanarum legum, potuit, & voluit ſuæ miſericordiæ, & bonitatis theſauros profundere ad animarum ſalutem etiam in caſu, quo ſubiectum in aliqua parte principali, quomodocunque pateret, cum hoc deceret immenſæ ipſius miſericordiæ, quæ limites erga nos non patitur; quod non ita obſeruant leges humanæ in ordine ad ſucceſſiones ad res temporales, quæ certis limitibus reſtringuntur, & exigunt ſubiectum in determinato ſtatu, & conditione.

---

§. XII.

Quinam è gemellis cæſionibus habendus ſit pro primogenito.

SVMMARIVM.

Exponitur ſtatus diſquiſitionis. 1.
Si alter primus lucem aſpiceret, & hoc dignoſceretur, ille eſſet præferendus. 2.
Qui aſſerunt ſortitione dubium eſſe dirimendum. 3.
Alij, qui aſſerunt iura eſſe æqualitèr diuidenda. 4.
Alij rem dirimendam arbitrio Patris. 5.
Probabilius res dirimenda eſt ſortitione. 6.

DIſquiſitio XII. In quadam familia inſtituta erat primogenitura, ſeu ius primogenei, ratione cuius ei, qui primo naſceretur, competebant plura iura, & longè maiores reditus. Contigit, vt vxor primogeniti poſt initiatum matrimonium conciperet duos gemellos, cumque grauidatio protraheretur, nec fætus

1 **Exponitur titulus in ſuis terminis.**

poſſet effundere medicorum iudicio habita eſt neceſſaria ſectio cæſarea, quæ re vera adhibita eſt, & felicitèr iuxta vota contigit. Ex cæſo matris vtero duo gemelli maſculi extracti ſunt, qui baptizati, & ſuperſtites fuerunt. Dubitatum eſt poſtea, quinam ex illis gaudere deberet iuribus primogenij.

Non ambigerem aſſerere, quod, ſi quis è duobus prius lucem aſpiceret, & hoc ab adſtātibus dignoſceretur, ille eſſet præferendus; cum etenim ex præactis hæreditas, nec alia iura debeantur ventri prægnanti, niſi quatenus extrahatur ad lucem, per conſequens videtur aſſerendum,

2 **Qui primo lucem aſpicit, eſt præferendus.**

quod ille, qui prius luce gaudet, tali priuilegio debeat gaudere potiſſimum, cum præſumatur magis maturus. Sed difficultas conſiſtit, vter ex illis ſit primogenio donandus, quando non conſtat, quinam prius lucem reſpexerit. Qua in re.

Franciſcus *Aretinus ad l. ex duobus ff. de vulg., & pupil. ſubſtit.* in illo euentu incertitudinis primogenij prolis aſſerit dubiū dirimendum eſſe ſortitione, & fortunæ aleæ rem remittendam, cum alia certa regula in ea hypotheſi nequeat aſſignari, niſi quod ſors conferat, quod natura ipſa non deſignauit.

3 **Qui aſſerunt ſortitione dubium eſſe dirimendum.**

Tiraquel in opere *de iure primog. q. 17.* duodecim aſſignat dicendi modos, quibus DD. aſſerunt, quomodo poſſit præſens quæſtio dirimi, & inter cæteros illum approbat, qui aſſerit in ea hypotheſi æqualitèr iura diuidenda eſſe inter eoſdem gemellos cæſones.

4 **Alij, qui docent iura eſſe æqualitèr diuidēda.**

Alij ſtatuunt in prorſus pari talium infantium cauſa dirimendam eſſe controuerſiam arbitrio Patris, vt ille gaudeat iuribus, & prærogatiuis primogeniti, quem Pater deſignauerit; cum etenim vterque iure filiationis, & ſubiectionis intelligatur ſub poteſtate eiuſdem, vterque eius arbitrio in dubijs videtur remittendus, tanquam legitimo ſuperiori à natura ipſa conſtituto. Quid iam in hac dicendi varietate ſtatuendum?

5 **Alij rem dirimendam arbitrio Patris.**

Primus dicendi modus Aretini meo videri, videtur congruentior, quandoquidem inter vtrumque ſeruatur æqualitas iurium, & vterque conſtituitur in æquali ſpe, & periculo ſortem acquirendi, vel decidendi, nec reſpectu alicuius poteſt eſſe ratio conquirendi, quod à tali iure deciderit, hoc etenim ſorti tribuendum eſt, nō alicui hominum artificio, aut miniſterio;

6 **Probabilius res dirimenda eſt ſortitione.**

quod non contingeret, ſi primogenitus deſignaretur à patre; poſſet enim alter rationabilitèr conqueri, quod Pater æqualis affectionis, & pietatis paternæ leges non ſeruauerit, dum ſine potiori iure alterum voluit ſibi præferri, & licet loquendi modus Tiraquel, & aliorum aſſerentium in pari vtriuſque cauſa iura eſſe æqualitèr diuidenda, videatur præferre aliquam ſpeciem æquitatis conſiderando rem in ordine ad eoſdem gemellos, cum vterque conſtituatur æqualis in iure, ſicuti conſtitutus eſt æqualis in ortu, conſiderando tamen rem in ordine ad inſtitutorem primogenij non videtur ſeruari ipſius diſpoſitio, qui voluit iura in vnum dumtaxat deuenire, & non diuidi in plures; vnde in præſenti hypotheſi iura primogenij non ſolum diuiderentur inter eoſdem gemellos, ſed ſucceſſiuè inter eorundem primogenitos. Quamobrē,

Rationes pro hac deciſione

& vt ſeruetur mens inſtituentis primogenium, & ex hominum beneplacito in æquali iure vnus non præferatur alteri congruentior regula non videtur poſſe ſtatui, quam deciſionem ſorti remittere,

Digitized by Google

& hic modus regularitèr ſeruatur inter eos, qui habent æqualia iura, quando aliunde haberi non poteſt deciſio pro vna, vel altera parte. Si tamen magis arrideret modus ſtatuens iura æqualitèr diuidēda eſſe, dicite ad ea, quæ opponebantur, quod, quantumuis mens inſtitutoris primogenij fuerit, vt iura conſeruarentur in vno ex tali familia, qui verè eſſet primogenitus, hoc intelligendum ſit quoad curſum ordinarium, ſecūdum quem conſtat de primogenito. Cæterum in caſu hoc ſingulari, & extraordinario, ſi ipſe viueret, aliter diſponeret, & ſi interrogaretur quid in hac hypotheſi eſſet præſtandum in ordine ad habentes æqualia iura, poſſet rationabilitèr præſumi, quod bona illa æqualitèr diuideret.

§. XIII.

Quomodo diſponendum de regno, vbi iuxta præcedentem caſum non conſtaret de primogenito.

SVMMARIVM.

Status controuerſiæ expoſitus. 1.
Sententia adſtruens ius diuiſionis. 2.
Sententia conferens ad fortunæ aleam. 3.
Sententia conferens ius deciſionis ad Patrem, ſi viuat, vel ad populum, ſi non viuat. 4.
Præfertur hæc tertia ſententia. 5.

DIſquiſitio XIII. In Regno quodam monarchico, cuius poteſtas, & dominatus in vnico dumtaxat debet reſidere, contigit, vt Regina duplici, eodemq; gemello grauida fætu ante partum deduceretur ad euidens vitæ periculum; vnde iudicio medicorum ad beneficium pro-
1 Exponitur diſquiſitionis titulus.
lis, & matris ſalutem cæſa eſt, & duplex cæſo felicitèr ad lucem eductus. Cum non conſtaret, quinam ex illis prius lucem aſpexerit, controuerſum eſt, quinam ex illis deberet iuribus regni potiri? cum enim agatur de iure monarchico, cuius poteſtas in vno dumtaxat debet reſidere, & diuiſio regni confuſiones plures in populis, quorum alij vnum, alij alterum ſequerentur, ingereret, & monarchiæ euerſionem, non videtur congruè talis diuiſio inducenda.

2 Sententia adſtruens ius diuiſionis.
Hoc tamen non obſtante *Tiraquel de iure primog. q. 17., & Molina Iuriſperitus lib. 3. de Hiſpan. primog. c. 1. num. 22.* ſuſtinent in tali euentu deueniendum ad huiuſmodi diuiſionem, cum videatur par ratio Regni, ac primogenij alterius cuiuſcunque.

Alij fortunæ aleæ rem eſſe remittendam aſſerunt per illam ſortitionem, de qua ſupra, ex qua contingat, cuius debeat eſſe, & ille habendus ſit Regni ſucceſſor, ſupra quem ſors ceciderit iuxta ea, quæ nos commendauimus quoad alia iura primogeneorum; nec in hoc conſurgere poſſunt illa incommoda diuitiarum. 3 Sententia conferens ad fortunæ aleam.

Rainaudus *de ortu infant. c. 14. num. 8. in fine* aſſerit, quod, ſi Rex, à quo iura debent in alterum ex cæſionibus deſcendere, adhuc fuerit ſuperſtes, ad ipſum ſpectet alterutrum ex gemellis eligere, & deſignare in Regem, cum populus in ipſum iam tranſtulerit ius ſuum, quodcunque habere potuit circa regni adminiſtrationem; quod, ſi ille adhuc non fuerit ſuperſtes, ad populum ſpectet eligere, quem ipſe maluerit, & in hoc conſentiunt *Molina Theologus tract. 2. de iuſtitia diſp. 624., Carranza lib. de part. nat., & legit. c. 6. ſect. 1. num. 21.* 4 Sententia conferens ius deciſionis ad Patrem, ſi viuat, vel ad populum, ſi nō viuat.

Reſpondeo hanc tertiam opinionem videri inniti probabilioribus iuribus, & rationibus; quod, vt altius repetamus ſciendum eſt, poteſtatem, & regimen in Regibus, & principibus quoad primæua ſua iura deriuaſſe à populis, qui ſpontè ſe illis ſubmiſerunt cum certis conditionibus, qui propterea tranſtulerunt in eoſdem Reges, & principes iura regiminis, & adminiſtrationis Reipublicæ, quæ in ſe habebat; vnde deficiente eodem Principe, vel Regno ad eoſdem populos ſpectet alterum eligere, ſi ille legitimum hæredem non reliquerit, vel quid aliud in conſtitutione eiuſdem ex voluntate eorundem populorum, & conſenſu non fuerit ſtatutum; vnde cum aliud non fuerit ſtatutum, in caſu, quo non conſtet, quinam ex iure à populis conceſſo debeat in regno ſuccedere, ab eiſdem populis deciſio videtur expectanda, quod ſic euincitur; Vbi nullus eſt legitimus hæres, qui ex iure conceſſo debeat in regno ſuccedere, & aliud ſtatutum non eſt, ſpectat ad populos, tanquam habentes primæua iura eligere, quem maluerit, ergo etiam in controuerſia, quæ aliunde nequeat dirimi, quinam ex pluribus debeat ſuccedere ad eoſdem populos, tanquam habentes primæua iura debet ſpectare eandem dirimere eligendo, quem maluerit; hoc enim ius in ſimili controuerſia videtur ſibi reſeruaſſe. Non negauerim tamen, quod, ſi Rex fuerit adhuc ſuperſtes ex præſumpta eorundem populorum voluntate poſſet ex duobus alterum eligere, cum in ordine ad ſuos filios videatur idem populus iampridem in eum ſuum ius tranſtuliſſe, non quomodocunque, quia non poteſt ſecundogenitum eligere omiſſo primogenito, ſed quando non conſtat de eodem primogenito.
5 Præfertur hæc tertia ſententia.
Explicantur rationes reſponſionis.

CON-

CONTRACTVS XV.

De Matrimonio IX. hoc eſt de onere parentum erga prolem iam natam.

NEC ſolum ad parentes ſpectat prolem in vtero fouere, & ea præſtare, quæ ad eiuſdem felicem exitum poſſunt conferre, item ea omittere, quæ ad perniciem, antequam lucem reſpiciat, poſſunt conducere, ſed vlterius, poſtquam lucem naturalem nacta eſt, ſpectat dirigere, vt ne dum poſſit naturalitèr, ſed etiam piè, & honeſtè viuere; Hinc in ordine ad honeſtum, & morale viuendi genus tenentur primo mores in ſe ipſis componere, vt exempla præbeant bonorum operum, & exemplaritèr in ipſis efforment imaginem, quæ chriſtianum exhibeat hominem, & moribus omnibus informatum; ſecundo tenentur eam prolem vel per ſe, vel per interpoſitas perſonas pias inſtruere in catholicis dogmatibus, errantem corrigere, rectè operantem fouere, dirigere progredientem, & declinantem retrahere. In ordine ad naturalem vitam illud eſt ipſorum parentum onus, vt teneantur, & euitare, quæ inopinatò ipſis natis poſſint vitam perimere, ea peragere, quæ vitam poſſint protrahere; ad hoc ſpectat pia, & ſalutaria Eccleſiæ præcepta ſeruare, quæ prohibent infantes ante certam ætatem in eodem lecto cubantes admittere, & naturalis pietatis dictamina non abhorrere, quæ indicant eandem prolem congruis alimentis iuxta ſtatus exigentiam non deſtituendam. De his omnibus ſub præſenti titulo eſt feriò peragendum, vt tandem ea omnia perficiamus, quæ ad perfectam notitiam eorum, quæ ad ſtatus matrimonialis notitiam completam poſſunt conducere. Hæ quæſtiones non ſolum poſſunt vtilitèr prodeſſe ad politicum viuendi genus, ſed etiam ad moralem, & ciuilem æconomiam, quare eiſdem ſedulo incumbendum.

PRÆNOTIO I.

De obligatione parentum benè educandi filios.

SVMMARIVM.

Tenentur parentes ad honeſtam filiorum educationem ex vi naturalis pietatis. 1.

Vrgente periculo vitæ eorundem tenentur ſtatim ſub graui curare ipſorum baptiſmū. 2.

Etiam non vrgente tali periculo tenentur non diſferre diu. 3.

Concil. Prouin. Mediol. 1. *afficit excommunicatione parentes, qui vltra nouem dies differant filiorum baptiſmum.* 4.

In caſibus, in quibus licitum eſt diſferre extra caſum neceſſitatis, non congruit ſeparare ipſam ſubſtātiam baptiſmi à ceremonijs. 5.

Exiſtente altero parente fideli, altero fideli tenetur quamprimum fidelis curare baptiſmum filij. 6.

Tenentur parentes filios inſtruere in fide catholica, alijſq; neceſſarijs ad ſalutem. 7.

Requiritur explicita, & actualis fides miſteriorum, & articulorum fidei. 8.

Alia, in quibus tenentur parentes filios inſtruere. 9.

Spectat etiam ad curam parentum erudire filios in bonis moribus, & hortari ad obſeruantiam diuinorum mandatorum. 10.

Quomodo ſe gerere debeant parentes erga puellas. 11.

Tenentur abſtinere ab illis actionibus, quæ poſſunt filios auocare à recta via. 12.

Item non impedire filios ſine rationabili cauſa ab ingreſſu in Religionem. 13.

Prohibentes filias, ne velum ſuſcipiant, vel vota emittant in Religione, afficiuntur excommunicatione. 14.

Quotuplex ſit velum, & de quo intelligenda diſpoſitio. 15.

Hanc pœnam etiam probabilius incurrunt impedientes filias ab ingreſſu in Religionem, & ſuſceptione habitus. 16.

Non tamen, ſi impediant ab emittendo voto ſimplici Religionis. 17.

Intellige, ſi retraxerint ſine iuſta cauſa, & quali. 18.

Diſpoſitio Concilij afficit retrahentes ſolum fœminas, non maſculos. 19.

Diſpoſitio Concilij afficit non ſolum alios à parentibus retrahentes, ſed etiam ipſos parentes. 20.

Grauitèr peccant parentes compellentes filios, vel filias ad Religionem. 21.

Compellentes filios contrahunt excommunicationem latæ ſententiæ. Ibid.

Nomine coactionis venit vis, mina, metus grauium pœnarum. 22.

Non tamen metus purè reuerentialis. 23.

Incutientes leuem metum non contrahunt excommunicationem. 24.

Nec, qui incutiunt metum iuſtum, quantumuis grauem. 25.

Nec, qui inducunt per preces, & blanditias, niſi fuerint nimiæ, & importunæ, & coniuncta cum metu reuerentiali. 26.

Nec, qui inducunt ſub motiuo priuationis lucri, ſi fœmina non habeat ius ad tale lucrum. 27.

Non eximuntur tamen parentes à tali excommunicatione, ſi minitentur filiæ maledictionem. 28.

Nec, ſi induxerint per dolum, & fraudem dantem cauſam tali actioni. 29.

Ad incurrendam hanc excommunicationem requiritur, vt effectus ingreſſus fuerit ſecutus. 30.

Parentes contrahunt hanc excommunicationem, ſi compellant ad ingreſſum, ad finem habitus ſumendi. 31.

Sententia aſſerens, quod ſi parentes compellant impuberem ad ingreſſum cauſa educationis, non contrahant excommunicationem, ſecus, ſi compellant puberem. 32.

Alia aſſerens incurrere, ſi compellant ad ingreſſum animo, vt poſtea allecta ſuaſionibus monialium ſuſcipiat habitum, ſecus, ſi ſine tali animo, 33.

Sententia aliorum aſſerentium ſic compellentes incurrere talem pœnam, quamuis compellant animo indiferenti. 34.

Solum contrahunt, quando compellunt animo deliberato, vt poſtea habitum ſuſcipiat. 35.

Afficiuntur hac pœna etiam conſulentes, & opem præſtantes. 36.

Enumerantur alia, in quibus parentes tenentur erga filios. 37.

AMplam ſatis materiam ſub hoc vno, eodemque titulo examinandam aſſumimus, quam tamen maiori, quam poterimus, breuitate, perſtringemus. Non eſt dubium, quin parentes teneantur ad hanc honeſtam filiorum educationem in ijs, quæ ad fidem catholicā, Dei cultum, & bonos animi mores inducendos ſpectant; hoc autem onus non ſolum conſurgit ex naturæ dictamine, ſecundum quam natura, quæ dat eſſe, dat etiam ea, quæ pertinent ad complementum eiuſdem eſſe in eo genere, quod cōpetit tali eſſe, ſed etiam ex iure ſuperioritatis, quam habent parentes ad filios, ratione cuius tenentur ad eorum regimen ad normam ſummi, & vniuerſalis omnium parentis, qui ſingulis præeſt, & curam habet de omnibus; quin immo etiam titulo naturalis pietatis, ſecundum quam inclinantur magis ad eos, qui natura ſibi ſunt coniunctiores, & propinquiores. Hæc omnia inſinuant *Egidius Romanus de*

I
Onus benè educādi filios conſurgit ex naturali pietate.

regim.

regim. princip. lib. 2. p. 2., *Iauellus Œconomicæ Chriſtianæ tract. 3.*, *& 4.*, *Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrim. c. 10. nu. 3.*, *Homobonus de ſtatibus part. 2. c. 10.* Præcipua autem cura eorundem parentum in ordine ad eandem educationem eo debet collimare, vt filij ſacro baptiſmatis lauacro ab originali noxa abluantur,

2 prout docent *Henriquez lib. 2. c. 4. num. 3.*, *& c. 23. num. 1.*, *Suarez tom. 3. in 3. part. diſp. 31. ſect. 2.*, *Coninchus de ſacrament. q. 68. num. 3.*, *Bonacina de ſacram. diſp. 2. q. 2. p. 2. num. 6.*, *Caſtrus Palaus part. 4. tract. 19. p. 8. num. 8.*, & quidem indubitatum eſt, quod ſub graui teneantur ſtatim procurare, ſi immineat fætui iam edito manifeſtum vitæ periculum, quia tunc maximè vrget extrema eiuſdem neceſſitas illius ſubſidij ſpiritualis ad mortem æternam euitandam; Non extante vero tali periculo etiam ex graui Eccleſiæ præſcripto tenentur non diu differre tale lauacrum regenerationis, cum hoc præſeferat quendam Dei, Religioniſque con-

Tenentur curare filiorum baptiſmũ vrgente periculo ſtatim, ac illud vrget, & quidem ſub graui.

3 temptum, & maximè obſtet naturali pietati eorundem parentum in filios, cum diutius ſinant eos eſſe filios iræ, & indignationis diuinæ, nec conſtituant diuinæ conſortes naturæ, prout præter præcitatos DD. notant *Laiman lib. 5. tract. 2. c. 6. num. 8.*, *Villalobos part. 1 tract. 5. diffic. 12.* Quantum autem temporis requiratur ad inducendam in parentibus diù negligentèr differentibus tale lauacrum non vniformitèr ſtatuunt DD. Bonacina *de ſacramentis diſp. 2. q. 2. p. 2. num. 6.*, videtur aſſignare tempus ſex dierum, dum dicit poſſe differri ſecluſo mortis periculo ad duos, tres, vel quinque dies. Henriquez *d. lib. 2. c. 4. num. 3.* ſtatuit talem terminum vltra ad duodecimum diem. Caſtrus Palaus *part. 4. tract. 19. p. 8. num. 8.* extendit ad menſem, adeout, ſi ſine neceſſitate vlterius protrahatur vltra menſem, peccent læthalitèr parentes.

Etiam nõ vrgente tali periculo tenentur nõ differre diu.

4 Concilium Prouinciale Mediol. 1. *p. 2. fol. 34.* conſtituit pœnam excommunicationis aduerſus eos, qui non curant baptizari infantem ante nouem dies. Exiſtente tamen aliqua neceſſitate, puta expectandi patrinos, quãdo præcipuè filij magnatum ſunt baptizandi, poteſt diutius differri, iuxta *Caſtrũ Palaum, & Laiman loc. cit.* vltra menſem, non tamen vltra duos; iuxta alios ad tempus taxandum arbitrio prudentum. Monent tamen communitèr DD., quod ſine neceſſitate in hoc caſu non ſit domi conferendus baptiſmus ſine ſolemnitate, & poſtea ſupplendæ ceremoniæ in Eccleſia ſolemnitèr, & præcipuè ita ſentiunt *Laiman, & Caſtrus Palaus, & Armilla verb. baptiſmus num. 45.*, quia ceremoniæ ipſæ inſtitutæ ſunt, vt circa ſubſtantiam eiuſdem baptiſmi verſentur, ipſumque perficiant; nec eſt ſufficiens cauſa ſeparationis huiuſmodi cæremoniarum ab ipſa ſubſtantia baptiſmatis finis ille expectandi patrinos, vbi alia neceſſitas non vrget. 5

Conciliũ Mediol. Proui. 1. aſſignat nouem dies, vltra quos ſtatuit non poſſe differri ſub excommunicatione.

In caſibus, in quibus licitum eſt differre, nõ congruũ eſt prius baptizare, & poſtea ſupplere ceremonias.

Hæc adeo vera ſunt, vt non ſolum parentes, quando ambo ſunt catholici, teneantur quamprimum baptiſmum filiorum procurare, ſed etiam quando alter eſt fidelis, alter infidelis, tenetur etenim fidelis lauacrum regenerationis filio non differre, prout colligitur *ex c. Iudæi*, quod deſumptum eſt *ex Concil. Tolet. 4. c. 61.*, atq; hoc docent *Paſchalis de patria poteſt. p. 1. c. 7. num. 8.*, *Auguſtinus Barboſa collect. ad c. ex literis de conuerſ. infid. num. 2.*, *& collect. ad d. can. Iudei 28. q. 1. num. 7.*, *Coninch. de ſacram. q. 68. num. 82.* Intellige ſiue ſit Pater, qui ſit fidelis exiſtente matre in infidelitate, ſiue mater ſit fidelis exiſtente Patre infideli, & licet *in d. c. ex literis de conuerſ. infid.* dicatur ſolummodo, quod etiam matre infideli inuita proles ſit educanda apud Patrem nouitèr conuerſum ad fidem, vbi ſolum videtur conceſſa poteſtas Patri fideli baptizandi, ſeu curandi baptiſmum proprio filio matre infideli exiſtente, non è contra; nihilominus, cum in ordine ad ea, quæ pertinent ad ſalutem, parentes ſint pares, non ſolum onus incumbet Patri curandi talem baptiſmum filio, ſi ipſe fuerit fidelis manente matre in infidelitate, ſed etiam matri, ſi ipſa fuerit fidelis curandi talem baptiſmum manente Patre in infidelitate. 6

Altero ex parẽtibus infideli, altero fideli tenetur fidelis curare quãprimum baptiſmũ filij.

Huic curæ parentum curandi lauacrum regenerationis proprijs filijs alia ſuccedit erudiendi vel per ſe, vel per alias perſonas eoſdem filios in fide catholica, & in ijs, quæ ex neceſſitate ſalutis quilibet Chriſtianus credere, & ſcire tenetur *Marcus Antonius de Cames in microcoſmia p. 2. dialog. 8.*, *Egidius Romanus de regim. princip. lib. 2. part. 2. c. 5.*, *Iauellus Œconomicæ Chriſtianæ tract. 3. q. 12.*, *Homobonus de ſtatibus part. 2. c. 20.*, *Suarez tom. 3. in 3. part. diſp. 31. ſect. 2.*, & hoc de iure diuino, quod ſicuti obligat vnumquemque poſt ſufficientem promulgationem catholicæ veritatis ad credendum actualitèr, & explicitè miſterijs Trinitatis, & Incarnationis, & ijs omnibus, quæ in ſimbolo fidei continentur ſaltem ſecundum ipſorum ſubſtantiam, quod euincit conſtans Eccleſiæ praxis, quæ adultos non admittit ad baptiſmum niſi ſimboli articulis ſit inſtructus, eiſq; credat; ita obligat eos, qui alijs præ ſunt, ſeu quibus aliorum cura ab ipſo iure naturæ demandata eſt eoſdem ſic ſibi commendatos in talibus 7

Tenentur parentes vel per ſe, vel per alios filios inſtruere in fide catholica, alijſque neceſſarijs ad ſalutem.

miſte-

Digitized by Google

miſterijs,& articulis inſtruere; ex vi etenim paternitatis, ſeu ſuperioritatis non ſolum tenentur ad educationem temporalem, ſed etiam ad ſpiritualem. Neque hic audiendi ſunt *Roſella verb. fides n.1.*, & quidam canoniſtæ apud *Siluestrum eod. verb. q.3.* aſſerentes fidelibus rudibus ſufficere, ſi credant articulis, & miſterijs fidei implicitè, quatenus credant, quidquid credit Sancta Mater Eccleſia. Non, inquam, audiendi ſunt, quia, vt benè do-

8 Neceſſaria eſt actualis, & explicita fides miſteriorũ, & articulorum fidei.

cent *D. Thomas 2.2. q.2. art.5.*, *Sanchez lib.2. ſummæ c.3.*, *Azorius part.1. lib.8. c.6. q.2.*, *Laiman lib.2. tract.1. c.9.*, & alij communitèr neceſſaria eſt fides actualis, & explicitam etiam apud rudes, & plebeias perſonas miſteriorum, & articulorum fidei, cum ſpectet ad ſtatum, & profeſſionem fidelium ea cognoſcere, quæ principaliter ſpectant ad eandem fidem; nec ſolum ſpectat ad eoſdem fideles explicitè cognoſcere, & credere miſterijs, & articulis fidei, ſed etiam præcepta Decalogi, ſaramenta Euangelica, & orationem dominicam, & ſalutationem Angelicam cognoſcere, & ediſcere ſaltem ſecundum eorum ſubſtantiam, eo quod neceſſe eſt, vt quiſque nouerit ea, quæ ſunt ſui muneris, & ad quæ in baptiſmo ſe obligauit; in baptiſmo autem ſe obliga-

9 Alia, in quibus tenētur parentes filios inſtruere.

uit quiſque fidelis ad fidei confeſſionem, ad obſeruantiam diuinorum mandatorũ, & ad abrenuntiationem Satanæ, & omnibus pompis eius, quæ nequeunt ſeruari ſine cognitione prædictorum *Sanchez d. lib.2. ſummæ c.3.*, *Laiman d. lib.2. tract.1. c.9.* Cum igitur teneantur pueri hæc omnia nouiſſe, vtique tenentur parentes vel per ſe ipſos, vel per alios eoſdem ex vi naturalis pietatis inſtruere.

Succeſſiuè alia cura incumbit parentibus erudiendi filios in bonis moribus. *Vis*, inquit *D. Ioannes Chriſoſtomus hom. 12. in c.6. ad Epheſ. filium tuum eſſe morigerum? Ab initio illum educa in eruditione, & correptione Domini*. Ad hanc curam ſpectat primo inſtruere in amore, & timore Do-

10 Spectat etiam ad parentes erudire in bonis moribus, & hortari ad legis obſeruantiam.

mini, iuxta illud *D. Chriſoſtomi homil. 2. in Epiſt. ad Theſſal. Obſecro receptos à nutricibus liberos non anilibus fabulis aſſuefaciamus, ſed ex primæua mox ætate diſcant eſſe iudicium Dei; infigatur animis eorum eſſe ſupplicium, hic metus, ſi radices egerit, magna bona operabitur*. Secundo monere, & hortari ad obſeruantiam diuinorum mandatorum, iuxta illud pſalmi *diuerte à malo, & fac bonum*. Tertio inſtruere in ijs, quæ ſpectant ad Religionem ſcilicet ad reuerentiam debitam locis pijs, Sacerdotibus, ſacriſq; reliquijs ad venerationem, & vſum ſacramentorum. Quarto ad fugam omnium peccatorum; vnde optimè monet *Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrimon. c.10. num.33.*, quod parentes teneantur obſeruare inclinationes, & affectiones filiorum prauas, vt poſſint congruis admonitionibus, & ſalutaribus remedijs ad oppoſitas virtutes flectere; & cum adoleſcentes, vt plurimum proni ſint ad luxuriam, debent parentes eius turpitudinem per omnia mala, quæ ingerit animis, corporibuſque, vt illos à tali prauo opere deterreant oſtēdere; hinc ſuadere debent tēperantiam, abſtinentiam à nimia, & immoderata ſomnolentia, remouere à prauis, & improbis conſuetudinibus, corripere errantes, arguere à recto tramite declinantes, ac alia huiuſmodi, quæ omnia continentur ſub illo præcepto *Apoſtoli ad Epheſ. 6. Educate filios in diſciplina, & in correptione Domini*.

Specialius tamen incumbendum eſt parentibus ſedulæ puellarum, & virginum curæ, iuxta illud *Eccleſiaſt. 7. Filiæ* 11 Quomodo ſe gerere debeant parentes erga puellas.

tibi ſunt, ſerua corpus illarum, & non oſtendas faciem hilarem ad eas, ex quo *D. Hieronymus in Epiſt. ad Lætam de inſtitutione filiæ*, hæc habet. *Si ſolicita prouides, ne filia percutiatur à vipera; cur non eadem cura prouideas, ne feriatur à malleo vniuerſæ terræ? ne bibat de aureo calice Babilonis? ne egrediatur cum Dina, & velit videre filias regionis alienæ*; prona etenim eſt voluptatibus fæmina, & ſerpentium verſutijs facilius fallitur. Ad hanc curam ſpectat ſtudere, ne otio torpeſcant, vt congruis operibus implicentur, vt turpia verba nō audiant, neq; intelligat, cantica mundi ignorent, prout proſequitur *D. Hieronymus in illa Epiſt. ad Lætam*. Item curare ne à matris oculis diſcedat, neue vagetur per compita, vt ſint taciturnæ, & verecundæ pręſertim in conſpectu virorum, iuxta illud *Apoſtoli 1. ad Timoth. 2. Mulier in ſilentio diſcat cum omni ſubiectione*, & alia huiuſmodi, de quibus latè, & ad abundantiam *Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrim. c.10. à num. 53. vſq; ad 63.*

Hactenus plura attigimus, quæ tenentur præſtare parentes ad moralem, & honeſtam filiorum educationem; nunc non modica de ijs, à quibus in ordine ad eandem educationem tenentur abſtinere.

Sic primo ſub graui tenentur abſtinere ab actionibus, quibus reuocare intendant eoſdem filios ab obſeruantia diuinarum legum, vel Eccleſiaſticarum, & ab 12 Tenentur abſtinere ab illis actionibus, quæ poſſunt reuocare filios à recta via.

exercitio bonorum operum *Nauarrus in man. c.14. num.17.*, *Toletus lib.5. c.1. n.11.*, *Sairus lib.7. clauis c.7. num.1., & 2.*, *Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrim. c.10. num.66.*, in particulari grauitèr peccant retinendo ab vſu ſacramentorum, ab auditione ſacri, & concionum, & ſimilium;

Digitized by Google

lium; item, ſi impediunt ab executione votorum, ad quæ ipſi conſenſum præſtiterunt. Ratio horum omnium eſt, quia licet non omnia hæc opera ſint præcepta, ſed tantum cadant ſub conſilium, nihilominus ius habẽt ijdem filij, ne in illis à parentibus impediantur, quod ius violant parentes impediendo.

Secundo tenentur ſub graui ad non impediendos eoſdem filios ſine rationabili cauſa, ſed vi vel dolo ab ingreſſu in Religionem, & profeſſione in eadem emittenda *Suarez de cenſuris diſp. 23. ſect.*

13 *Item non impedire filios ab ingreſſu in Religionẽ.*

7. num. 10., *Sanchez in ſumma c. 4. nu. 15.*, *Filliucius tom. 1. tract. 14. c. 6. num. 90.*, *Bonacina de cenſuris in particulari diſp. 2. q. 2. punct. 3. num. 1.*, quia remouent à ſummo bono. In particulari contra parentes impedientes filias, ne velum ſacrum ſuſcipiant, neue votum emittãt ſine iuſta cauſa, iniuncta eſt pæna excommunicationis

14 *Impediẽtes filias, ne velum ſuſcipiãt, vel votũ emittant, afficiuntur excõmunicatione.*

in *Concil. Trident. c. 18. ſeſſ. 25.* Quid autem veniat nomine veli ſuſcipiendi, & voti emittendi? Aduertendum hic eſt *ſecundum Paludanum in 4. diſt. 38.* velum quintuplex eſſe; primum eſt profeſſionis, quod antiquitus dabatur fæminis profeſſis anno duodecimo completo iuxta textum *in c. puella 28. q. 2.*; hocque conceditur omnibus in Religione profeſſis, ſiue fuerint virgines, ſiue viduæ. Secundum, quod dicebatur velum conſecrationis, & profeſſis dabatur anno vigeſimo quinto completo per textum *in c. placuit 20. q. 1.*

15 *Quotuplex ſit velum, & de quo intelligenda diſpoſitio.*

Tertium, quod dicebatur ordinationis, in qua aliqua benedictio impertiebatur, ex qua munus profeſſa accipiebat incohandi horas in choro, & legendi homiliam; atque hoc non concedebatur, niſi anno quadrageſimo completo per textum *in c. Diaconiſſam 27. q. 1.* Quartum eſt prælationis, quod dabatur Abbatiſſis anno ipſarum ſexageſimo per textum *in c. iuuenculas 20. q. 1.*, ſed modo vſus inualuit, vt Abbatiſſa fieri poſſit anno trigeſimo ſuæ ætatis, nec datur velum, ſed tantum fit quædam benedictio. Quintum eſt continentiæ, & obſeruationis, atq; hoc eſt viduarum, licet etiam poſſit concedi virginibus, licet virginale dari non poſſit viduis per textum *in c. deuotis 20. q. 1.* Quibus pro notitia ſuppoſitis ad excitatum dubium dico nomine veli acquirendi, vel voti emittendi venire profeſſionem vel cum veli ſuſceptione, vel abſque eadem cum tribus votis ſubſtantialibus, vnde qui remouerent à tali profeſſione, vtique in illam excõmunicationem à Tridentino comminatam inciderent, prout notant *Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrimonij c. 10. num. 67.*, *Suarez diſp. 23. ſect. 6. num. 9.*, *Filliucius tract. 14. c. 6. q. 5. ad fin. num. 90.*, *Bonacina de cenſuris in particulari diſp. 2. q. 2. punct. 3. num. 2.*

Sed quid dicendum eſt, ſi parentes ſine iuſta cauſa remoueãt ab ingreſſu in Religionem, & ſuſceptione habitus? *Suarez d. diſp. 23. ſect. 6. num. 9.*, *Filliucius loc. cit.*, *Bonacina etiam ibidem* ſuſtinent etiam ſic impedientem ab ingreſſu, & à ſuſceptione habitus incidere in talem excommunicationem, eo quia impediendo talem ingreſſum, & ſuſceptionem habitus ex conſequenti etiam impedit profeſſionẽ, cum hæc emitti nequeat ſine ingreſſu, &

16 *Excommunicationem etiam incurrũt impedientes filias à ſuſceptione habitus, & ingreſſu in Religionem.*

ſine tali ſuſceptione. E contra *Sanchez in ſumma c. 4. num. 13.*, *Caſtrus Palaus part. 6. de cenſuris diſp. 3. p. 36. num. 9.*, exiſtimant comprehendi tantum in dicta conſtitutione, ſeu diſpoſitione Tridentini impedientes profeſſionem, nõ verò ingreſſum, ſeu ſuſceptionem habitus, cum Concil. loquatur dumtaxat de profeſſione, ſeu emiſſione votorum, &, cum verſemur in pænalibus, lex non eſt extendenda ad non expreſſa, &, vt ſoluant rationem Suarez, aſſerunt, quod illa diſpoſitio Tridentini ſupponat perſonam iam ingreſſam in monaſterio, & habitum ſuſcepiſſe; vnde intelligitur tantum, quando iam ingreſſam, tanquam nouitiam retrahit à votis, ſeu profeſſione emittenda? Non recederem tamen hac in re à ſententia prima Suarez, & Filliucij, quandoquidem Concilium loquitur indefinitè non diſtinguens, an fæmina iam fuerit, vel non fuerit ingreſſa, vnde nec nos diſtinguere debemus, ſed ſimplicitèr conſiderare, quod retrahendo ab ingreſſu retrahunt etiam à profeſſione, quod eſt illud, quod voluit prohibere Trident. ſub illa pæna excommunicationis.

Dices hac ratione etiam contraherent pænam excommunicationis, qui impedirent aliquam fęminam ab emittendo votum ſimplex Religionis, quod tamen non

17 *Non tamen, ſi impediãt ab emittendo voto ſimplici Religionis.*

admittunt nec *Suarez*, *nec Filliucius*, *nec Bonacina pro noſtra opinione citati*. Sed contra reſpondet *Bonacina loc. cit. num. 4.*, hoc non ſequi, quia illud impedimentum voti ſimplicis de profeſſione emittenda, vel de ſuſcipiendo habitu eſt nimis remotum ad eandem profeſſionem, adeoque non militat eadem ratio de ſic impediente illud votum ſimplex, ac de impediente ingreſſum, cum ingreſſus proximius accedat ad profeſſionem. Congruentius, & melius videtur reſpondere *Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrim. d. c. 10. nu. 67. propè medium* profeſſionem poſſe emitti abſque illo voto, non ſic abſque ingreſſu, adeoq; hunc eſſe cum illa connexum, non ſic votum illud.

Hæc tamen, quæ hactenus dicta ſunt, intel-

intelligenda videntur, ſi retraxerint à tali

18 Intellige, ſi retraxerint à Religione ſine iuſta cauſa, & qualis hæc ſit.

profeſſione ſine iuſta cauſa, quod etiam indicauit *idem Trident.d.c.18.ſeſſ.25.* Qualis autem cenſenda ſit iuſta cauſa? Nauarrus *in manual.c.12.num.45., Reginaldus lib.18.num.375., Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrimon. part.2. c. 1. §. 20.* plures enumerant. Nobis in præſenti ſufficiet aliquas aſſignare, ex quarum ſimilitudine poterunt aliæ deduci. Prima eſt, ſi parentes timeant infamiam eiectionis ob peruerſam indolem, aut ingenium peruicax filiæ. Secunda, ſi infirmitate corporis laboret. Tertia, ſi illius ope indigeant ad ſui ſuſtentationem.

Hic iam oritur difficultas, an diſpoſitio Concilij Tridentini loc. cit. ſolum afficiat impedientes, & retrahentes fæminas à profeſſione in Religione emittenda, an verò retrahentes etiam maſculos?

19 Diſpoſitio concilij afficit ſolum retrahentes fæminas, non maſculos.

Probabilius arbitror, quod, quamuis retrahentes maſculos ſine cauſa a profeſſione in Religione emittenda grauiſſimè peccent, non propterea tamen ſubdantur excommunicationi eiuſdem Trident., quandoquidem dumtaxat expreſsè loquitur de retractione fæminarum. Ibi: *Simili quoque anathemati ſubycit eos, qui Sanctarum Virginum, aut aliarum mulierum voluntatem vel accipiendi, vel voti emittendi quoquo modo ſine iuſta cauſa impedierint*; diſpoſitio autem pænalis lata contra impedientes fæminas non eſt extendenda contra impedientes maſculos, cum fæmininum non comprehendat maſculinum, quin potius maſculinum fæmininum: item, quia potior ratio militat pro fæminis, quam pro maſculis, cum illæ, vtpotè debilioris iudicij facilius decipiantur, & vtpotè timidiores minus reſiſtant. Hanc opinionem in ſimilibus terminis ſuſtinent Nauarrus *in manual. c. 14. num. 17., Sanchez in ſumma lib.4.c.4., Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrim. c. 10. num. 74. verſ. igitur dicta excommunicatio.*

Solum aliquid negotij videtur faceſcerè in præſenti id, quod aſſerit *Azorius part.1.lib.13.c.9.q.2.verſ. finem, & 2. part. lib.2. c.21. q.15.*, quod ſcilicet diſpoſitio

20 Diſpoſitio concilij afficit non ſolū alios à parentibus retrahentes, ſed etiam ipſos parētes.

Tridentini non videatur in illa pæna afficere parentes, ſed alios ab ipſis, ſi impedierint; cum ad ipſos parentes iure quodam naturali pertineat filiarum incolumitati ſtudere. Sed abſolutè tenendum eſt etiam parentes in tali Tridentini decreto comprehendi, quia loquitur generaliſſimè de quibuſcunque, & ſingulis perſonis, & latum eſt in fauorem Religionis, cui parentes potius, quam alij poſſunt obeſſe *Auguſt. Barboſa de poteſt. Epiſcop. alleg. 104., & collect. ad d. c. 18., Trident. Aſcanius Tamburinus de iur. Abbat. diſp.1. q.4., & diſp.2. q. 1., Portel in addit. ad dub. Reg. verb. monialis num. 5., Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrim. c. 10. num. 86.*

Ex diametro oppoſitè peccant grauitèr parentes, qui ſine iuſta cauſa compellunt filios, vel filias ad ingrediendum in Religionem, in eaque proficeri, cum eiſdem iniuſtè adimant libertatem à Deo conceſſam maximè in ordine ad grauo, & perpetuum iugum Religionis, & ex- 21

21 Grauitèr peccāt parentes cōpellentes filios, vel filias ad Religionē

perientia compertum eſt, ex tali ingreſſu inuoluntario non leuia damna tum ipſi ingreſſo, tum Religioni eidem emanaſſe. Specialitèr contra cogentes fæminas ad ingreſſum, & profeſſionem in Religione *Concil. Trident. d. ſeſſ. 25. c. 18.*, ſtatuit excommunicationem latæ ſententiæ. Circa quam diſpoſitionem plura contingunt in præſenti examinanda.

Compellentes filias contrahunt excommunicationē

Primum quid veniat nomine coactionis ad effectum incurrendi huiuſmodi pęnam excommunicationis. Secundum ad quid extendatur huiuſmodi coactio. Tertium, an *ſtatim, ac eſt illata* illa vis coactiua inferens incurrat illam excommunicationem, an verò requiratur executio illius, ad quod talis vis illata eſt. Quartum, an ſolum illam contrahant, qui vim illam conferunt, an verò, qui etiam auxilium, opem, & conſilium præſtant, aut etiam præſentiam.

In ordine ad primum dico nomine coactionis venire quamcunque vim, mi- 22

22 Nomine coactionis venit vis, minæ, metus pænarū grauium.

nas, metum pænarum grauium, & ſimilia, prout docent *Bonacina de excommun. in part. extra bullam cœnæ diſp.2. q.2. part.2. nu.2., Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrim. c. 10. nu. 87.*; hæc enim omnia tollunt plenam libertatem in ijs actionibus, quæ debent eſſe libera, & omninò voluntaria; an autem metus purè reuerentialis inducat hanc excommunicationis pænam? Negant communitèr DD. *Riccius in praxi fori Eccl. deciſ. 708., Portel in addit. ad dub. Reg. verb. Monialis num. 5., & ſeqq., Hieronymus Rodericus in conſ. qq. Reg. reſol. 101. nu. 80., Diana part. 2. tract. 15. reſol. 56.* Rationem ex eo deducunt, 23

23 Non tamē metus purè reuerentialis.

quia parentes quoad talem metum reuerentialem illum actiuè non incutiunt, ſed ipſæ fæminæ ex ſe ſumunt, nec aliquo modo interuenit coactio, cum parentes vim non impellant; atq; ex his

Infertur primo parentes incutientes 24

24 Incutientes leuem metū non cōtrahunt excommunicationē.

leuem metum non incurrere hanc pęnam excommunicationis, prout docent *Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrimon. c. 10. num. 90., Bonacina de centur. in part. diſp.2. q.2. p.2.*, & hoc, quia leuis timoris nulla habenda eſt ratio *l. nec timorem ff. quod metus cauſa*. Deindè pænalia intelligenda ſunt in omni rigore, nec extendenda,

Digitized by Google

denda, adeòq; non compræhendunt leuem timorem, ſed dumtaxat grauem, qui venit propriè nomine timoris ſine addito.

Infertur ſecundo, non incurrere hanc excommunicationem, qui per metum iuſtum, quantumuis grauem induceret fæminam ad ingreſſum in Religionem, vel profeſſionem in eadem *Sanchez in ſumma lib. 4. c. 4. nu. 5.*, *Portel in addit. ad dub. Reg. verb. Monialis num. 9.*, *Ioannes Angelus Boſſius tract. de contract. matrim. c. 12. num. 188., & ſeqq., & tract. de effect. matrim. c. 10. num. 90.*, & ratio eſt, quia tunc non adeſt iniurioſa coactio.

25 Nec, qui incutiunt metum iuſtum, quãtumuis grauem.

Infertur tertio, nec incurrere, qui precibus, & blanditijs induceret ad talem ingreſſum, vel profeſſionem, prout docent *Bonacina de cenſuris in part. diſp. 2. q. 2. punct. 2. num. 4.*, *Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrim. c. 10. nu. 88.*, *Sanchez in ſumma lib. 4. c. 4. num. 8.*, cum preces, & blanditiæ non tollant rationem voluntarij. Quod ſi ſupponas, quod preces fuerint nimiæ, & importunæ, & coniunctæ cum metu reuerentiali, tunc nonnulli apud *Ioannem Angelum Boſſium tract. de contract. matrim. c. 12. num. 115.* arbitrantur etiam nõ tollere rationem voluntarij, & propterea ſic blandientes, & hortantes non incurrere illam excommunicationis pænam; ſed congruentius ſentit *idem Ioannes Angelus Boſſius loc. cit. num. 118., & tract. de effect. matrim. c. 10. num. 188.*, & tollere rationem voluntarij, & inducere in ſic ſuadentibus pænam excommunicationis. Ratio autem ea videtur eſſe, quia hæc ſimul coniuncta ſpeciem quandam vis inferunt, grauemque metum continent.

26 Nec, qui inducunt per preces, & blãditias, niſi fuerint nimiæ, & importunæ.

Infertur quarto, nec incurrere talem excommunicationem, qui ſub motiuo priuationis lucri induceret fæminam ad ingreſſum, vel profeſſionem in Religione, ſi fæmina ipſa non habeat ius ad tale lucrum, vt ſi diceret *Niſi ingrediaris, retraham à te illud lucrum, quod in tui fauorem diſpoſueram*, *Suarez de cenſur. diſp. 23. ſect. 7. num. 6. ſub fin.*, *Sanchez in ſumma lib. 4. c. 4. nu. 6., & 7.*, *Bonacina de cenſur. in part. diſp. 2. q. 2. p. 2. num. 5.* Ratio eſt, quia per hoc non inferunt coactionem, nec iniuriam eidem fæminæ, cum ipſis ſit liberum relinquere, vel non relinquere.

27 Nec, qui inducunt ſub motiuo priuationis lucri, ſi fæmina non habeat ius ad tale lucrum.

Infertur quinto, probabilius non euitare parentes talem excommunicationẽ, ſi filiæ minitentur maledictionem, ſi non ingrediatur, vel profiteatur in Religione, quidquid ex aduerſo videatur dixiſſe *Sanchez in ſumma lib. 4. c. 4. num. 11.* Ratio eſt, quia talis maledictio præcipuè in fæmina imbecilli, & timida incutit grauem metum, cum ex genere ſuo inferat futuram perpetuam auerſionem parentum ab ipſa, & filij maximè timere ſoleãt maledictionem parentum ob mala, & grauia damna, quæ ſibi metuunt imminere.

28 Non eximuntur tamen parentes à tali excõmunicatione, ſi minitentur maledictionẽ.

Infertur ſexto, probabilius etiam non euitare parentes talem pænam, ſi per dolum, & fraudem dantem cauſam tali actioni induxerint filiam ad talem ingreſſum in Religionem, & profeſſionem in eadem, quidquid ex aduerſo dixerit *Sanchez loc. cit. num. 9.*, cui videtur aſſentiri *Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrimon. c. 10. num. 188.*, nam talis fraus, & dolus tollunt abſolutè rationem voluntarij, quod, ſi dixeris cum præcitatis DD., quod, quamuis tollat rationem voluntarij, non inferat tamen aliquam vim, quod abſolutè requiritur ad hanc pænam; cum decretum illud ſit pænale, & propterea non extendendum vltra expreſſa; in diſpoſitione autem non exprimitur dolus, ſed dumtaxat coactio; ſtatim reſpondebo in illo dolo quandam vim reperiri conſiſtentem in eo, quod ſub illa ſpecie doli, & fraudis veritatem cælat, & repreſentet id, quod non eſt pro eo, quod eſt, vel è contra, nec ſolum vis infertur apponendo conatum poſitiuè, ſed etiam negatiuè ſubtrahendo id, quod iuſtè non poterat ſubtrahi, cũ violentèr quodamodo trahatur voluntas ab illa apparentia obiecti propoſiti, vt exiſtentis, cum tamen non exiſteret; & quoad effectum ſibi correſpondent compellere ad aliquid agendum, ac inducere ad idem agendum ſubtrahendo media, quibus cognitis non induceretur, & proponendo falſa, quibus inducitur, & vtique iniuſtè, quod æquiualet violentiæ.

29 Nec ſi induxerint per dolũ, & fraudẽ dantem cauſam tali actioni.

Infertur ſeptimo, cogentem abſolutè fæminam ad ingrediendum, vel profitendum in Religione non incurrere hanc pænam excommunicationis, ſi effectus ingreſſus, vel profeſſionis non ſequatur *Sanchez in ſumma lib. 4. c. 4. nu. 18., & ſeqq.*, *Portel in addit. ad dub. reg. verb. Monialis num. 17.*, *Caſtrus Palaus p. 6. de cenſur. diſp. 3. p. 36. num. 8.*, *Bonacina de cenſur. in part. diſp. 2. q. 2. p. 2. num. 8.*, *Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrim. c. 10. num. 91.* Ratio eſt, quia pænæ maximè graues, cuiuſmodi eſt illa excommunicationis, regulariter non incurruntur ante effectum, niſi hoc exprimatur; Accedit, quod Concilium Trident. loc. cit. iniungit huiuſmodi pænam contra cogentes, & impedientes, non autem contra conantes cogere, & impedire, vt patet ex textu. Ex quibus etiam habes, quod conſulentes, fauorem, & opem præſtantes, qui etiam continentur ſub tali decreto, non contrahant hanc pænam, ſi effectus ingreſſus, & profeſſio-

30 Ad incurrendam hanc pænã requiritur, vt effectus ingreſſus fuerit ſecutus.

Digitized by Google

nis non ſequatur, quia abſoluto ab hac pœna principali, intelliguntur etiam abſoluti minus principales, & acceſſorij.

In ordine ad ſecundam difficultatem ſupra propoſitam certũ eſt primo, quod, ſi parentes, vel alij compellant fœminam

31 ad ingrediendum in Religionem, ſeu monaſterium, & ad ſumendum habitum, ſeu ſub fine habitum monachalem aſſumendi contrahant præfatam excommunicationem *Concil. Trident. d. ſeſſ. 25. c. 18.*, nec in hoc eſt ambigendum, cum idem Concilium tria diſtinctè ſub diſiunctione numeret, *ad ingrediendum* ſcilicet *vel ad habitum ſuſcipiendum, vel ad profeſſionem faciendam* in alternatiuis autem ſufficit vnam partem verificari; quod vtique habetur in præſenti, ſiue coegerit ad ingrediendum ſub fine ſtatus Monachalis, ſiue etiam ad habitum ſumendum, vt per ſe patet; certum eſt ſecundo, quod, ſi ſpontè ingreſſam coegerit inuitam ad profeſſionem emittendam propter eandem rationem incurrat.

Parentes incurrunt excommunicationem, ſi compellant ad ingreſſum ſub fine habitus ſumendi.

Difficultas igitur ſolũmodo eſt, an incurrat, ſi coegerit ad ingrediendũ præcisè

32 ſine animo, vt habitum Monachalem ſuſcipiat, ſed cauſa educationis, donec apta fiat matrimonio, vel cum animo indifferenti, vt vel tempore apto matrimonio iungatur vel Monaſterio addicatur, ſi talem ſtatum ipſa poſtea elegerit? Qua in difficultate nonnulli diſtingunt aſſerentes, quod, ſi parentes filiam impuberem coegerint Monaſterium ingredi cauſa educationis ad effectum, vt poſtea conuenienti tempore iungatur matrimonio, nullo modo contrahant excommunicationem Tridentini; ſi verò coegerint puberem ad talem ingreſſum, vtiq; contrahant *Barboſa de poteſt. Epiſcop. part. 3. alleg. 104. num. 5., Nauarrus conſ. 56. de ſent. excommun. in prima edit., & de Regul. in 2. edit. conſ. 6., Rainerius in catal. cenſur. c. 6. excommun. 63., Megala in 3. part. lib. 4. c. 6. num. 100., Zerola in prax. Epiſcop. part. 2. verb. Moniales q. 13., Diana part. 2. tract. 15. reſol. 56., & alij*. Rationem pro prima parte ex eo deſumunt, quia filiæ omnino impuberes in ordine ad earum educationem tenentur obedire parentibus, qui poſſunt eas offerre Monaſterio, vt ibidem perfectè educentur; pro ſecunda verò eam adducunt, quia Concilium Trid. in illis tribus, quæ ibi diſtinguit, ſub diſiunctione ponit coactionem ad ingrediendum, vt diſtinctam a coactione ad recipiendum habitum, vbi certè voluit prohibere vim ad ſimplicem ingreſſum, cum verba ſint proprie intelligenda, vbi non conſtat de contraria mente loquentis. Deinde illa coactio ad ingreſſum videtur quoquo modo inferre vim ad ſumendum habitum; cum fœminæ poſt ingreſſum magno afficiantur pudore in regrediendo.

Sententia aſſerens, quod, ſi compellat impuberem ad ingreſſum cauſa educationis, non contrahant excommunicationẽ, ſecus, ſi puberem.

Alij dixerunt cogentes fœminas ingredi Monaſterium incurrere talem excommunicationem, quando coactio illa ingreſſus efficeretur eo fine, & animo, vt 33
poſtea habitum Religionis ſuſciperet, vel allecta ſuaſionibus Monialium, vel alia ratione, ſecus quando illa coactio fieret nullo habito fine, nec reſpectu ad talem habitum ſuſcipiendum, vt docent *Rodericus in ſumma tom. 2. c. 8. num. 9., Portel in addit. ad dub. Reg. verb. Monialis num. 14., Sanchez in ſumma tom. 1. lib. 4. c. 4. num. 12.* Ratio iſtorum illa videtur eſſe, quia prima coactio videtur directè opponi menti Concilij, non ſic ſecunda.

Sententia aſſerens incurrere, ſi cõpellant animo, vt poſtea ſuſcipiat habitũ, ſecus, ſi ſine animo.

Alij dixerunt parentes cogentes filias ad ingreſſum in Monaſterium incurrere in excommunicationem, quantumuis 34
hoc præſtent animo indiferenti, vt poſtea ſtatum Religionis, vel matrimonij eligant; atq; ita ſentit *Caſtrus Palaus part. 6. de cenſuris diſp. 3. punct. 36. num. 8. verſ. hanc ſententiam*, eamq; rationem adducit, quia cogendo ad talem ingreſſum ſaltem in genere intendit cogere ad ſtatum Religionis, cum ſciat ex illo ingreſſu facilem patere aditum Monialibus ad illam nimijs precibus, & hortationibus inducendam ad habitum. Quid ergo in hac opinionum varietate ſentiendum?

Sententia aliorum ſubjectium tali pœnæ abſolutè ſic compellentes.

Dico, parentes, ſeu alios tunc tantum incurrere in illam excommunicationem 35
Tridentini, quando cogunt ad ingreſſum animo determinato, vt ingreſſa ibi inuita permaneat, & habitum ſuſcipiat. *Suarez de Religione tom. 3. lib. 3. c. 9. dubio 4.*, nec arbitror diſſentiri *Ioannem Angelum Boſſium tract. de effect. matrim. c. 10. num. 93.*, *Bonacinam de cenſur. in part. diſp. 2. q. 2. p. 2. num. 6.* Rationem ex eo deſumo, quia Concilium Tridentinum in ea diſpoſitione voluit ſolummodo conſulere libertati ſtatus Religioſi, ſed quando parentes cogunt ad talem ingreſſum ad eum effectum, vt ibi permaneat, & habitum aſſumat, libertati ſtatus Religionis officiunt, & vim inferunt, quam vim in ordine ad talem libertatem non videntur inferre, quando compellunt ſolum cauſa educationis, vt poſtea in matrimonium collocent, ergo &c. Nec hic admittendam arbitror illam diſtinctionem, quando fœmina eſt impubes, ac quando eſt pubes, quia, vbi non eſt ille animus, nec finis ad inducendum ad habitum ſuſcipiendum, non intelligitur aliqua vis illata libertati Religionis, & ex eo, quod fœmina ſit pubes, & per conſequens perfectio-

Solum incurrunt, quando compellunt animo deliberato, vt ingrediatur, & poſtea habitum ſuſcipiat.

Refelluntur aliorũ opiniones

ris

ris iudicij non videtur ita ſubiecta deceptionibus, & fraudibus, nec ſuaſionibus flectenda. Non negauerim tamen, eſſe vehementem præſumptionem, quod pubes fuerit inducta animo, vt ibi permaneat, & habitum aſſumat; ſed vbi talis animus non ſit, in foro conſcientiæ non erit locus cenſuræ. Minus admittendam eſſe arbitror doctrinam Caſtri Palai volentis parentes in talem excommunicationem incurrere, quando induxerunt animo indiferenti, vt vel ibi habitum ſuſcipiat, vel matrimonio iungatur; Minus, inquam, quia, cum parentes indiferentes ſint, vel ad ſtatum Religionis, vel ad ſtatum matrimonij; nec ſit in eiſdem intentio actualis, nec virtualis determinata ad habitum, vel ſtatum Religionis, non video, cur debeant ſubijci illi cenſuræ.

In ordine ad vltimam difficultatẽ abſolutè ſentiendum eſt, nedum cogentes ad
36 talem ingreſsũ cum illo animo, vel ad ſuſceptionem habitus, vel ad profeſsionem emittendam, ſed etiam conſulentes, opem, & auxilium præſtantes contrahere cẽſuram, vt expreſsè colligitur ex illo textu Concil. Trid., qui tamen non incurrunt, niſi in caſibus, in quibus incurrunt ipſi cogentes, & compellentes. *Nauarrus conſ. 56. de ſent. excõmun. in prima edit., & conſ. 6. de Reg. in ſecunda edit., Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrim. c. 10. nu. 96., & alij*. In hanc tamen cenſuram arbitror non incurrere eos, qui præſentes fuerint ingreſſui, vel ſuſceptioni habitus, vel profeſſioni puellæ coactæ, dummodo aliquem fauorem, opem, vel conſilium non conferant; Nec obeſſe poteſt, quod in eodem Concil. Trident. dicatur, quod eidem excommunicationi ſubſint, qui quoquo modo ſuam interponunt pręſentiam, vel conſenſum, vel auctoritatem, modo id fiat ſcientèr ab eo, qui nouit fæminam cogi ad illum ingreſſum; Non, inquam, obeſſe poteſt, quia Concilium intelligendum eſt, quando talis præſentia exhibetur animo auxiliandi, & fauendi illi violentiæ, non animo audiendi ſacrum, vel quid aliud peragendi, prout notant *Ioannes Angelus Boſſius loc. cit. num. 97., & Sanchez in ſumma tom. 1. lib. 4. c. 4. num. 21., Portel in addit. ad dub. Regul. verb. Moniales num. 17.* Ipſam tamen contrahunt Epiſcopi, Vicarij, Superiores, qui ſcientes inuitam trahi ad Monaſterium, vel ad ſuſcipiendum habitum, ſuam præſentiam exhiberent, & auctoritatem, non ſolum, quia ipſi tenentur impedire, ſed etiam, quia eorum præſentia, & auctoritas ſecundum omnem æſtimationem fouet, & fauet ingreſſui, vnde habentur pro cooperatoribus.

Afficiuntur hac excõmunicatione etiam cõſulentes, & opem præſtãtes.

Ab hac tamen excõmunicationis pœna excuſantur parentes cogentes fæminas ad ingreſſum in Monaſterium in caſibus à iure permiſſis, prout colligitur expreſsè ex eodem Concil. Trident. Quinam autem ſint caſus a iure permiſſi, enumerat *Ioannes Angelus Boſſius loc. cit. num. 98., & ſeqq.* Primus eſt, quando cogitur in pænam alicuius grauis delicti. Secundo, quando in cautionem pudicitiæ. Tertius, quando, quis coniux conſentit alterum in Religionem ingredi, ſciens ius diſponere ſic conſentientem debere ingredi in Religionẽ, & profeſſionem item emittere, & poſtquam conſenſum præſtiterit, maneat in ſæculo cum periculo incontinentiæ; hic etenim, ſi cogatur ab altero ingredi, & profiteri, iuſtè cogitur, & tunc cogens non contrahit excommunicationem. Hoc tamen aduertendum eſt, quod in primis duobus caſibus non poſſit fæmina cogi ad ſuſcipiendum habitum, vel ad profitendum, cum ſtatus Religionis debeat eſſe omnino liber, & periculo incontinentiæ, & pœnæ ſufficientèr conſulatur per ingreſſum in Monaſterium, & permanentiam in ipſo.

Non comprehenduntur tamen parẽtes, qui compellunt in caſibus à iure permiſſis.

Iam redeamus ad alia, à quibus ſub graui tenentur parentes abſtinere in or-
dine ad filios. Sic tenentur ſub graui abſq; 37
vrgenti cauſa non cogere filios, vel filias ad nubendum, nec impedire eoſdem, ne abſolutè contrahant, ſi velint, prout latè docet *Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrim. c. 10. num. 99., & in tract. de contract. matrim. c. 11. §. 1. 3. 6., & 8.*, eo quia in ijs filij ſint ſui omnino iuris, & talis coactio obſtat libertati matrimonij. Contendunt hic aliqui, an parentes cogentes filios à non contrahendo matrimonio contrahant excommunicationem *Concil. Trident. ſeſſ. 24. de reform. matrimonij c. 9.*, ſed abſolutè tenendum eſt, non contrahere, quia Concilium ſolum loquitur contra Dominos temporales, & Magiſtratus exteriorem iuriſdictionem habentes, vnde non eſt facienda extenſio.

Enumerãtur alia, in quibus parentes tenentur erga filios

PRÆNOTIO II.

Vbi, & apud quos educandi ſint filij præſertim impuberes.

SVMMARIVM.

Enumerantur varij ſtatus parentum, circa quos poteſt eſſe dubium. 1.

Primo triennio educanda eſt proles apud matrem. 2.

Intellige etiam quoad filios illegitimos. 3.

Excipe, quando ipſa eſſet egena, quia tunc onus incumbit Patri. 4.

Digitized by Google

Item, ſi eſſet infirma. 5.

Nec tunc, ſi eſſet diues, teneretur ſuis expenſis apud nutricem alere. 6.

Excipe etiam, ſi mater eſſet nobilis, & conſuetudo exigeret, vt apud nutricem aleretur. 7.

Elapſo illo triennio, nec diſſoluto matrimonio per diuortium proles educanda eſt apud Patrem. 8.

Niſi ſubiaceret ex peruerſitate Patris periculo inhoneſtè viuendi. 9.

Vel niſi Pater permaneret in infidelitate matre conuerſa ad fidem. 10.

Vel niſi ob ſæuitiam nimiam Patris filius periclitaretur. 11.

Vel niſi mortua matre tranſeunte Patre ad ſecunda vota ex odio Nouercæ immineret filio graue damnum. 12.

Facto ex iuſta cauſa diuortio, ſi Pater cauſam diuortij dederit, filij ſunt educandi apud matrem, ſi verò mater talem cauſam dederit, apud Patrem. 13.

Non ſolum, quando mater eſt noxia, & diues, & Pater innocens, & pauper filius eſt alendus apud matrem, ſed etiam quando Pater eſt noxius, & diues, & mater innocens, & inops, filius eſt alendus apud Patrem. 14.

Si mater noxia fuerit diues, & Pater innocens etiam diues, alenda eſt proles apud Patrem ſumptibus matris. 15.

Poſito diuortio mutuo conſenſu ſine culpa proles vltra primum triennium educanda eſt apud Patrem. 16.

Sententia aſſerens, quod, quando proles genita eſt ex matrimonio irrito ob impedimentum occultum non cognitum à contrahentibus, ſit alenda communibus expenſis cognita inualiditate. 17.

Probabilius eſt alenda apud Patrem, & expenſis eiuſdem. 18.

Facto diuortio ex cauſa vnius, qui fuerit fidelis altero in infidelitate remanente proles eſt alenda apud fidelem. 19.

Mortuo Patre filij regularitèr educandi ſunt apud eum, quem Pater elegerit, nullo autem electo ſunt alendi apud matrem, ſi vidua permanſerit. 20.

Excipe, ſi Pater elegerit perſonam ſuſpectam. 21.

Si mater in ſtatu viduitatis non permanſerit, filij alendi ſunt apud electum à Iudice. 22.

Probabilius Iudex non debet eligere matrem binnubam. 23.

Ex eo, quod mater ab inteſtato ſit ſucceſſura filio, non eſt ei deneganda educatio filij. 24.

Mortuo Patre, & matre regularitèr filij educandi ſunt apud auiam maternam excluſo etiam fratre. 25.

Limita in caſu, quo pupilli magis commodè, & vtiliter poſſent educari apud fratrem. 26.

Mortuis Patre, & matre in educatione filiorum cæteris paribus præferendus eſt alijs auus paternus. 27.

Limita, niſi auus paternus tranſierit ad ſecunda vota, & nouerca eſſet noxia filio. 28.

Filiæ illegitimæ mortuo Patre probabilius alendæ ſunt apud matrem emendatam. 29.

HÆC controuerſia in ordine ad varios ſtatus poteſt, & debet dirimi. Primo, quando adhuc ſuperſtes eſt Pater eorundem, & matrimonium quoad thorum, & habitationem non eſt diſſolutum. Secundo, quando matrimonium ipſum quoad talem habitationem per diuortium eſt diſſolutum; & tunc conſiderandū eſt, ex cuius culpa prouenerit illud diuortiū, ſeu ſeparatio. Tertio, quando iam Pater mortuus eſt, & non ſtatuit, apud quem filij ſuperſtites ſint educādi. Quarto, quando mortuo Patre adhuc mater eſt ſuperſtes, ſiue auus paternus fuerit ſuperſtes, ſiue non, & ſiue ipſa mater maneat in ſtatu viduitatis, ſiue tranſeat ad ſecunda vota. Quinto, quando vterque parens mortuus eſt, nec ſuperſtites ſunt aui, & alia huiuſmodi.

1 *Enumerātur varijs ſtatus parentum, in quibus poteſt eſſe dubium.*

Hoc vnum præmittendum eſt, quod eſt extra controuerſiam, ſcilicet Matrem intra primum triennium, & tempus ablactationis teneri apud ſe filium, vel filiam educare, nec poſſe cogi à marito ad infantem deferendum, prout docent communitèr DD. per textum in *l. penult. C. de patria poteſt. in c. fin. de conuerſ., & fid.*, *Azorius part. 2. lib. 2. c. 5. q. 8.*, *Leſſius de iuſt. lib. 2. c. 19. nu. 20.*, *Gloſa in l. alimenta verb. materna C. de negot. geſt.*, *Pontanus de aliment. c. 8.*, *Nauarrus in manual. c. 14. nu. 17.*, *Peregrin. de iure fiſci lib. 3. tit. 18. n. 62.*, & alij innumeri tàm ex Theologis, quàm ex iuris peritis, quos allegat, & ſequitur *Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrim. part. 2. de alimentorum oblig. c. 7. num. 316.*, quæ adeò vera ſunt, vt extendantur etiam quoad filios illegitimos *Coarruies de ſponſal. part. 2. c. 8. §. 6. num. 13.*, *Palæotus de nothis c. 48. num. 1.*, *Surdus de alimentis tit. 1. q. 14.*, *& tit. 7. q. 13.*, *Corduba à Lara in l. ſi quis è liberis §. ſi mater ff. de liber. agnoſ.*, & hoc onus reſpectu Matris educandi filios pro illo primo triennio fundatur in naturali pietate, & ordine naturæ, ſecundum quem tenetur filios proprio lacte nutrire; ex quo onere oritur etiam in eadem Matre ius aduerſus maritum, vt poſſit eodem inuito prolem ad illud triennium apud ſe enutrire. *Alexander in l. alimenta num. 4. C. de negot. geſt.*, *Grammaticus conſ. ciuil. 33.*, *Antonius Gabriel. commun. concl. lib. 6. tit. de alimentis concl. 1. n. 20.* Limitandum tamen eſt hoc onus reſpectu Matris, primo, quando ipſa eſt egena, & cogitur ſibi victum quærere proprijs laboribus, quia tunc tenetur Pater,

2 *Primo triennio educanda eſt proles apud matrem.*

3 *Intellige etiā quoad filios illegitimos.*

4 *Excipe, ſi ipſa mater eſſet egena.*

Digitized by Google

ter, etiam ſi filius fuerit illegitimus, cum proprijs expenſis, vel apud Matrem tribuendo ipſi congrua alimenta, vel alteri nutrici tradendo *Bartolus in d. l. ſi quis à liberis §. ſi Mater ff. de lib. agnoſ.*, *Baldus in l. alimenta n.2. C. de negot. geſt.*, ſecundo in hypotheſi, qua Mater eſſet debilis, & infirma, adeo ut abſq; periculo nequeat filium lactare, vel aliquo alio iuſto impedimento non poſſet proprio lacte filium nutrire. Sed in hoc inſurgit difficultas, an tunc, ſi Mater eſſet diues, teneretur proprijs impenſis eum apud nutricem alere, affirmant *Coarruias var. part. 1. c. 16. nu.*

5 Item ſi eſſet infirma.

10., *Peregrinus de iure fiſci lib. 3. tit. 18. nu. 62.*, *Leſſius de iuſt. lib. 2. c. 19. num. 20.*, eo quia pro illo tempore onus alendi filium eidem Matri incumbit, & ſicuti eadem Mater etiam Patre inuito poteſt velle alere filium apud ſe pro illo triennio per ea, quæ ſupradiximus, ita tenetur eodem nolente conferre impenſas in illo triennio pro nutritione eadem Mater impenſas pro illa erogare. Negant tamen *Ludouicus Molina de iuſt. tom. 1. diſp. 168. §. ſi*

6 Nec tunc, ſi eſſet diues, teneretur ſuis expenſis educare apud nutricem,

Mater lacte careat. *Azorius part. 2. lib. 2. c. 5. q. 8.*, *Laiman lib. 5. tract. 10. p. 3. c. 5. nu. 5.*, *Panormitanus in c. cum haberet de eo, qui duxit in matrim. num. 10.*, *Baldus in d. l. alimenta C. de negot. geſtis*, *Azor. in ſumma C. de patria poteſt.*, & alij innumeri apud *Ioannem Angelum Boſſium tract. de effect. matrim. 2. part. c. 7. num. 320.*, & quidem meo videri congruentèr hoc ſtatuunt, quia in tantum iura, & naturalis pietas ſtatuunt, vt Mater teneatur pro illo primo triennio educare filium, in quantum congruentiùs, & meliùs iuxta leges naturæ nutriatur, prout colligitur *ex c. fin. de conuerſ. in fid.*, ergo quatenus cum proprio lacte non poteſt nutrire, non tenebitur proprijs expenſis apud nutricem educare, quandoquidem obligatio videtur perſonalis in caſu, quo poſſit, & per conſequens, vbi non poteſt, refundit onus in patrem, ad quem ſpectat alere filios, vbicunq; mater ex legitima cauſa non tenetur. Tertio limitandum eſt in caſu, quo mater eſſet nobilis, & conſuetudo patriæ obtineret, quod filij nobilium alerentur apud nutrices; in quo etiam caſu eſſent apud eaſdem nutrices filij alendi expenſis Patris, ſi ipſe eſſet diues. *Corduba à Lar-*

7 Excipe etiam, ſi mater eſſet nobilis, & cõſuetudo exigeret, vt apud nutricem aleretur.

ra, ſi quis à liberis §. ſi mater ff. de lib. agnoſ. num. 8. in fin., *Neuizanus in Silua lib. 1. nu. 26.*, *Bartolus in tract. de alimentis num. 9.*, *Surdus de aliment. tit. 7. q. 13. num. 1.*, proptèr eam rationem, quia, quod honeſtè, & ſecundum decentiam proprij ſtatus in communi æſtimatione fieri non poteſt, habetur pro impoſſibili *l. Nepos proculo ff. de verb. ſignif.* Neque hic audiendus eſt *Tiraquel de nobilit. c. 20. num. 80.*, dum aſſerit ſolam nobilitatem, & conſuetudinem non deobligare matrem à lactando puero, cum nullum dedecus afferat matri, quantumuis nobili talis lactatio, nec conſuetudo poteſt aliquid prodeſſe, cum ſit praua, & irrationabilis, cum ſit contra ius naturale; conſuetudo autem contra ius naturale non valet *Gloſa in c. fin. de conſuet.*, *Coaruuias de ſponſal. part. 2. c. 8. §. 6. nu. 3.*, *Surdus de aliment. tit. 8. priuil. 56. nu. 25.*

Reijcitur in hoc opinio Tiraquel contrarium ſentientis.

Non, inquam, audiendus eſt, quia ſtante conſuetudine longæua; quando ius naturale non eſt ſtrictum, illud non ſeruans deobligatur à quacunque culpa *Auguſtinus Barboſa collect. ad c. fin. num. 4. de conſuetud.*, *Nauarrus conſ. 34. num. 4. de vſuris in nouis*, *Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrim. p. 2. c. 7. num. 314.*; vt euenit in præſenti hypotheſi, ſecundum quam regularitèr nobiles fæminæ proprios filios non oblactant, nec vllus eſt, qui grauis culpæ eas conſtituat obnoxias; & quamuis talis ablactatio ipſis dedecus non ingerat, inuoluit tamen quandam declinationem à conuenientia proprij ſtatus ſtante eadem conſuetudine. Hoc ergo ex communiori conſenſu ſuppoſito iam accedimus ad difficultates ſecundum illos ſtatus expoſitos enucleandas.

8 Elapſo illo triennio, nec ſoluto matrimonio per diuortium proles educãda eſt apud Patrem.

Aſſertio I. Elapſo illo triennio ablactationis, nec diſſoluto matrimonio quoad habitationem per diuortium proles educanda eſt apud Patrem. Ita teſtatur de communi *Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrim. c. 10. num. 107.*, *Seraphinus deciſ. 1194.*, *Molina de iuſt. tom. 1. diſp. 228.*

Expreſsè conſtat *ex l. deinde §. etiam, ſi maximè ff. de lib. exhib.*, atque huius aſſertionis, & iuris duplex eſt ratio, altera deducta ex iure naturali, altera à iure ciuili. Prima in eo conſiſtit, quod Pater tanquam cauſa principalis, & principium actiuum dedit eſſe filio, ergo tenetur illius curam habere, eumque regere, gubernare non ſolum quoad regimen ſpirituale, ſed etiam quoad corporale congrua alimenta tribuendo, & apud ſe conſeruando ex generali regula, ſecundum quam natura, quæ dat eſſe alicui rei, ſollicita eſt ad adhibenda media, per quæ res ipſa valeat in ſuo eſſe conſeruari. Secunda in eo, quod ſicuti filij conſtituuntur ſub poteſtate patris, ita ab eodem Patre, & penes ipſum ſunt educandi.

Rationes pro aſſerto.

9 Niſi ſubiaceret ex peruerſitate ipſius Patris periculo inhoneſtè viuendi.

Limita tamen primo hanc aſſertionem in hypotheſi, ſecundum quam, ſi filius educaretur penes patrem, ſubiaceret ex prauitate ipſius morali periculo peccandi, & inhoneſte viuendi, quod non ſolum colligitur *ex d. l. deinde §. etiam, ſi maximè ff. de lib. exhib.*, vbi ex peruerſitate

Digitized by Google

tate Patris in educatione filiorum impuberum præfertur mater, ſed etiam *ex l. fin. §. minores C. de ſent. paſ.*, vbi non obſtante patria poteſtate decernitur filijs impuberibus tutor, ſi Pater ad vitia pronus ſit.

Limita ſecundo, quando vxor conuerſa eſſet de infidelitate ad fidem manente marito in infidelitate; tunc etenim filij impuberes educandi eſſent penes vxorem conuerſam, nam annuente eadem matre poſſunt, & debent ijdem filij baptizari etiam inuito, & renuente Patre infideli.

10 Vel niſi Pater remaneret in infidelitate matre cōuerſa ad fidē.

Azorius part. 2. lib. 8. c. 25. q. 3., Rebellus de obligat. iuſt. p. 2. lib. 3. q. 20. num. 12., Coninchus de ſacram. q. 68. num. 82., Auguſtinus Barboſa collect. ad c. ex literis de conuerſ. infidel. num. 2., & collect. ad can. Iudæi 28. q. 1. num. 7. Expreſsè conſtat *ex d. c. Iudæi 28. q. 1., & ex d. c. ex literis de conuerſ. infid.*, ex quibus poſtea ſequitur, quod ijdem filij ſint apud ipſam conuersā educandi ob periculum, ne à Patre infideli, & peruicaci in infidelitate peruertantur, & remoueantur à fide. Hinc etiam deducitur, quod etiam vtroque parente permanente in infidelitate, ſi filius compos rationis conuerſus ſit ad fidem, & baptiſmum receperit, non ſit educandus apud parentes infideles, ſed apud alios fideles, quos Iudex Eccleſiaſticus elegerit, ob idem periculum ſubuerſionis, ſi educaretur apud eoſdem parentes *Nauarrus conſil. 4. de conuerſ. infid., Antonius Ricciulus de iure perſonarum lib. 2. c. 41. num. 1., & 2., Sanchez de matrimon. lib. 10. diſp. vlt. num. 3.*

11 Vel niſi ob ſæuitiam nimiam Patris filius periclitaretur.

Limita tertio in caſu, quo vita filij, ſi educaretur apud Patrem, periclitaretur ob nimiam ſæuitiam, & crudelitatem ipſius, tunc etenim educari deberet apud matrem, ſi ex iuſta cauſa ſit ſeparata à marito, vel apud aliam perſonam iudicio Iudicis, atq; in hoc caſu ipſe Pater teneretur alimenta eidem filio erogare, prout latè docet *Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrim. part. 2. c. 7. num. 688.* relatis ibidem innumeris DD., & allegatis iuribus.

12 Vel niſi mortua matre Pater tranſiret ad ſecunda vota, & odio Nouercæ timeretur filio graue damnū.

Limita quarto in caſu, quò Pater mortua vxore matre eiuſdem filij tranſiret ad ſecunda vota, & ex odio Nouercæ erga priuignum immineret eidem periculum vitę, vel grauis damni, prout expreſsè colligitur *ex l. 1. C. vbi pupilli educ. deb.*, & docet *Baldus conſ. 487. vol. 1., Surdus de alimen. tit. 4. q. 13. num. 30.*; tunc etenim filius educari debebit, apud quem Iudex prudenter decreuerit penſatis omnibus circunſtantijs, & ipſius etiam Iudicis munus erit inueſtigare, & cognoſcere, an legitima, necne ſit ſuſpicio illius periculi.

Aſſertio II. Facto ex iuſta cauſa diuortio inter coniuges, ſi Pater cauſam diuortij præſtiterit, filij educandi erunt apud matrem, ſi verò è contra mater talem cauſam præſtiterit, erunt filij educandi apud Patrem *Auguſtinus Barboſa collect. ad l. vnicam C. diuortio facto num. 1., & 2., Sanchez d. lib. 10. diſp. vlt. num. 2., Corduba à Lara in l. ſi quis à liberis §. ſi mater ff. de lib. agnoſ. nu. 11., Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrim. c. 10. num. 115.*

13 Facto diuortio filij ſunt educandi apud eū, qui non dedit cauſam diuortij.

Expreſsè colligitur *ex auth. ſi pater C. diuortio facto*, vbi ſic legitur *Si Pater cauſam diuortij præſtiterit, apud matrem ad ſecundas nuptias non venientem liberi nutriantur patris expenſis, ſi verò contra, tunc apud Patrem matris locupletis expenſis, niſi Pater minus idoneus ſit.* Idem habetur *in authentico, vt liceat matri, & auiæ §. illud collat. 8, tit. 18.* cuius hæc ſunt verba. *Et ſi quidem Pater occaſionem ſeparationis præbeat, & mater ad ſecundas non venerit nuptias, apud matrem nutriantur expenſas patre præbente, ſi verò per cauſam matris oſtendatur ſolutum matrimonium, tunc apud Patrem maneant filij, & alantur. Si autem contigerit Patrem minus idoneum eſſe, matrem verò locupletem apud eum pauperos filios manere, & ab ea nutriri iubemus.*

Iura pro aſſerto.

Circa hanc aſſertionem, & iura pro illa allegata nonnulla clara ſunt, nonnulla indigent diſcuſſione; clarum primo eſt filios eſſe educādos facto diuortio apud parentem innocentem, qui non præbuit cauſam diuortij, ſi fuerit idoneus. Secundo clarum eſt, quod, ſi mater, quantumuis quoad diuortij cauſam fuerit innocens, tranſierit ad ſecunda vota, filij non ſint apud eandem educandi. Tertio clarum eſt, quod, ſi Pater fuerit innocens, ſed non idoneus, & mater noxia, & locuples, ſint filij apud eandem matrem educandi expenſis eiuſdem matris.

Nonnulla corrolaria ex hac aſſertione.

Quæ indigent diſcuſſione ſunt primo, an ſicuti, quando mater eſt noxia, & locuples, & Pater innocens eſt pauper, filij ſunt educandi apud eandem matrem, & expenſis ipſius, ita etiam, quando Pater eſt noxius, & diues, & mater innocens, ſed pauper, filij ſint educandi apud Patrem, & expenſis eiuſdem. Secundo, quando ſeparatio ſecuta eſt ex culpa matris, in quò caſu dictum eſt prolem eſſe alendam, & educandam apud Patrem, ſi vterque fuerit diues, an apud eundem Patrem filij educandi ſint expenſis matris, quæ deliquit, an verò Patris etiam diuitis, & innocentis. Tertio, quando neutrius coniugis culpa diuortium factū eſt, ſed vtriuſque libero conſenſu facta ſeparatio, cuius expenſis, & apud quem proles ſit alenda. Quarto, quando conſtat matrimonium vtriuſq; bona fide initum eſſe inualidum,

Nonnulla dubia excitata.

&

Digitized by Google

& durante tali bona fide, proles concepta eſt, vel fortè nata apud quęnam ex putatis coniugibus ſit educanda.

In ordine ad primum *Sanchez d. lib. 10.*
14 *de matrimon. diſp. vlt. num. 3.* ſentit, quod ſicuti, quando Mater eſt noxia, & diues, & Pater innocens, & pauper, proles eſt educãda apud Matrem diuitem, & ipſius expenſis, ita quando Pater eſt noxius, & locuples, & Mater, quæ eſt innocens, eſt pauper, etiam apud eundem Patrem diuitem, & ipſius expenſis ſit alenda, quod deducit ex generali regula, qua dicitur, quod in correlatiuis diſpoſitum in vno, intelligatur, & in altero correlatiuo diſpoſitum. Contrarium expreſsè docet *Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrimonij c. 10. n. 115. in fine*; non ſolum, quia de primo caſu matris noxiæ, & locupletis exiſtente Patre non idoneo expreſsè diſpoſitum reperitur *in d. auth. vt liceat Matri §. illud* Ibi *Si autem contigerit Patrem minùs idoneum eſſe, Matrem vero locupletem apud eam pauperes filios manere, & nutriri iubemus*; de ſecundo autem Patris noxij, & locupletis exiſtente matre non idonea nihil diſpoſitum reperitur; Sed etiam, quia matri innocenti Pater nocens procul dubio debet præbere expenſas alimentorum, & educationis; non eſt autem ita certum, matrem noxiam debere Patri innocenti præſtare expenſas prolis apud eundem Patrem educandæ; vnde mirum non eſt, quod iura allegata afferant, quod, quando ex crimine Patris proles educanda eſt apud matrem, ipſe Pater diues teneatur alimenta pro educatione præbere, cum etiam tunc Pater teneatur Matri alimenta præbere; quando vero ex crimine Matris proles educanda eſt apud Patrem innocentem, ipſa Mater non teneatur proli apud eundem Patrem educandæ præbere eadem alimenta, cum nec teneatur eidem Patri alimenta præſtare. Quid ergo in hac controuerſia præſtandum? Arbitror, potiora eſſe iura Sanchez non ſolum proptèr rationem ab eo adductam, ſed etiam, quia, quando Mater eſt innocens, & pauper, non tenetur aliquid præbere pro educatione filij vltra triennium, cum ſpectet ad Patrem, quando ex impotentia non excuſatur, ipſum alere. Sed aduertendum hic eſt, non poſſe eſſe difficultatem quoad onera alimentorum, cum ex genere ſuo Pater teneatur erga prolem ad eadem alimenta ſubminiſtranda, quod à fortiori verificari debet, quando ipſe Pater eſt nocens, & cauſa diuortij, cæteroqui ex ſuo delicto commodum reportaret; Difficultas igitur eſt ſolummodo, quando ipſe eſt nocens, & diues, an teneatur filiũ apud Matrem alere expenſis ſuis, an verò poſſit ipſum apud ſe alere, & educare, in quo ſenſu à paritate ſecundum naturam correlatiuorum procedit *Sanchez loc. cit.*, aſſerens, quod ſicuti, quando Mater eſt noxia, & diues, & pater pauper tenetur apud ſe alere, ita etiam quando Pater eſt noxius, & locuples, & Mater innocens, & pauper, teneatur pater filium apud ſe alere, & ſicuti tunc Pater quando eſt innocens, & pauper non habet ius educandi filium apud ſe ipſum obligando vxorem noxiam ad ſubminiſtranda alimenta, ſeu expenſas pro alimentis, ita, quando Mater eſt innocens, & pauper, & pater diues, & innocens non habeat ius eadem Mater educandi filium apud ſe obligãdo Patrem ad expenſas alimentorum, quod verum exiſtimo attenta præcipuè diſpoſitione iuris, ſecundũ quam elapſo triennio proles eſt educanda apud Patrem, nec obeſt, quod Mater ſit delinquens, quia ex eo potius, quod ſit delinquens, priuatur iure educandi prolem apud ſe, quam acquirat; Nec ratio adducta à Boſſio in contrarium aliquid euincit, nec facit ad rem præſentem. Quid enim refert, quod Pater nocens, & diues teneatur conferre alimenta Matri innocenti, & pauperi, & non è contra Mater noxia, & diues Patri innocenti, & pauperi, (quod tamen ita verum non eſt, vt ſupponitur) adhoc, vt pater nocens, & diues non teneatur apud ſe prolem educare, cum Mater etiam noxia, & diues teneatur illam apud ſe educare? cum ex alio capite Patri potius pertineat educare apud ſe prolem, quam Matri.

Quando Pater eſt noxius, & diues, & mater innocens, & pauper filius eſt educandus apud Patrem.

Explicatur, in quo ſenſu ſumenda ſit opinio Sanchez.

Reijcitur opinio, & ratio Boſſij.

In ordine ad ſecundum dico, quod, ſi mater fuerit noxia, & cauſa diuortij, & diues, quantumuis etiam pater innocens fuerit diues, proles ſit alenda apud patrem ſumptibus matris locupletis *Gloſa in d. auth. ſi pater in fin. C. diuortio facto, & in d. auth. vt liceat Matri §. illud verb. alantur, & in l. alimenta verb. materna C. de negot. geſtis, & ibi Bartolus nu. 1., Caſtrenſis nu. 3., Gutierez qq. canon. c. 24. num. 29., Petrus Barboſa rub. ſolut. matrim. part. 2. nu. 53., Auguſtinus Barboſa collect. ad d. auth. ſi pater num. 7.* Potior ratio huius noſtræ opinionis conſiſtet in cõfutatione rationis contrariæ opinionis, quę in eo ſita eſt, quod, nec ex diſpoſitione iuris communis vniuerſalis, nec ex diſpoſitione *d. auth. ſi pater, nec d. auth. vt liceat matri*, incumbat onus Matri erogandi expenſas pro alimentis filij apud Patrem educandi; non ex diſpoſitione iuris communis vniuerſalis, quia in iure vniuerſali ſolum diſponitur, quod Mater teneatur educare filium intra primum triennium ablactationis, & non vltra 15

Si mater fuerit noxia, & diues, & Pater innocẽs etiam fuerit diues proles eſt alenda apud Patrem ſumptibus matris.

vltra

vltra exceptis nonnullis caſibus expreſſis *in l. Neſſennius ff. de negot. geſtis*, inter quos iſte caſus diuortij ſecuti ex culpa Matris non continetur. Non ex diſpoſitione *d. auth. ſi pater*, quandoquidem licet ibi legatur *Matris locupletis expenſis*, hoc additum eſt per Irnerium Doctorem priuatum, nullamq; habentem poteſtatẽ legis condendæ, qui propterea arguitur nimiæ licentiæ *à Valaſco conſult. 92. n. 11.*; Non ex diſpoſitione *d. auth. vt liceat Matri*, cum ibi ſolùmodo dicatur, quod, ſi mater fuerit noxia, & diues, & pater pauper, & innocẽs, teneatur mater ipſa prolẽ apud ſe alere proprijs expenſis, & quod, ſi ex culpa patris diuortium factum fuerit, teneatur apud matrem prolem ſuis ſumptibus educare, non autem dicitur, quod, ſi mater fuerit noxia, filij ſint alendi apud Patrem expenſis matris, quantumuis hæc fuerit locuples, ſed dicitur, quod *apud Patrem maneant filij, & alantur*. Dico igitur onus matris noxiæ, & diuitis erogandi expenſas pro alimẽtis filij educandi apud Patrem innocẽtem, quantumuis diuitem prouenire in penam delicti tum ex vi *d. auth. ſi pater*; tum ex *d. auth. vt liceat Matri*; ex illa quidem non ſolùm propter paritatẽ rationis patris, delinquentis, quam conſiderauit *Sanchez loc. cit.*, ſed etiam, quia in pari delicto æquum non eſt, vt alter pœnam ſubeat, alter ab illa eximatur; Neque obſtat, id, quod aſſerit *Salicetus l. alimenta nu. 3. C. de negot. geſtis*, nempè diſparem omnino eſſe rationem de Patre, ac de Matre delinquente, quandoquidem Pater etiam Matre non delinquente tenetur erogare expenſas educationis, non ſic autem Mater Patre non delinquente, adeoq; in hoc non currere paritatem, & per conſequens in hoc non habere locum illud argumẽtũ, quod diſpoſitu in vno relatiuo intelligatur etiam diſpoſitum in ſuo correlatiuo, quod iura ipſa conſiderarunt, dum expreſsè decreuerunt, quod Patre delinquente ad ipſum ſpectet onus alẽdi prolem apud Matrem, quod non decreuerunt delinquente Matre, quinimmò, cum hunc ſecundum caſum Matris delinquentis omiſſerint, videntur remiſiſſe diſpoſitionibus iuris ſecundum regulas communes, ſecundum quas Mater non tenetur alere prolem vltra primum triennium ablactationis, niſi in caſibus expreſſis in *d. l. Neſſennius C. de negot. geſtis*. Non, inquam, obſtat, quia aliud eſt loqui de onere educandi filios ſecundum ſe, aliud de eodem attento delicto, cum iura diuerſimodè etiam diſponant in ordine ad hoc onus ex hac diuerſa cauſa. Certè ex vi iuris communis antiqui onus educandi filios elapſo

Hoc onus Matris noxiæ, & diuitis alendi prolem apud Patrem item diuitem eſt in pœnam.

Proponitur inſtantia aduerſus probationem, & diſſoluitur.

primo triennio, ſi ſecundum ſe ſpectetur, pertinet ad Patrem, & tamen, ſi Mater deliquerit tribuendo cauſam culpabilem diuortij, ſi Pater non ſit idoneus, ſpectat ad eandem Matrem; vndè dicendum eſt, quod poſitò delicto non amplius attendenda ſit obligatio, quam coniuges habebant ante delictum, ſed inſpiciendum ſit ius nouum authenticorum, ſecundum quod ſtatuitur, quod celebrato diuortio in pœnam delicti proles à coniuge delinquente auferatur, & educetur pœnes alterum innocentem expenſis eiuſdem delinquentis ſiuè ad eas alias teneretur, ſiuè non. Hæc omnia claro exemplo deducto ex *eadem auth. ſi pater C. diuortio facto* poſſunt euinci. Certè ſecundum regulas iuris antiqui pro primo triennio ablactationis proles eſt educanda apud Matrem, & expenſis eiuſdem, prout ſupra commendauimus, & tamen, ſi Pater deliquerit tribuendo cauſam diuortij, etiam pro illo triennio eſt educanda expenſis eiuſdem Patris in pœnam delicti, quod euincitur *ex d. auth. ſi Pater*, vbi abſolutè dicitur, quod Pater delinquens tenetur ad expenſas educationis apud Matrem ſimplicitèr non diſtinguendo inter primum trienniũ, & alia tempora, ac proindè comprehendit omnia, ergo etiam, quantumuis ſecundum regulas iuris antiqui onus educandi filium vltra illud triennium ſpectet ad Patrem, ſi tamen Mater deliquerit tribuendo cauſam diuortij, ad illam ſpectabit onus tribuendi expenſas pro alimentis filij apud Patrem educandi, quia in hoc non attenduntur regulæ iuris diſponentes ſecundum ſe de onere alimentorum, ſed iura diſponentia ſuppoſito delicto.

Poſito delicto non amplius eſt attendẽda primæua obligatio.

Minùs officere poteſt noſtræ opinioni, quod iura Matre delinquente non expreſſerint hoc onus, vt ipſa teneatur erogare expenſas educationis, ſicuti expreſſerunt, quando Pater deliquit, adeoq;, quod caſus Matris delinquẽtis, tanquam omiſſus ſit referendus ad regulas iuris, & quod temere egerit Irnerius addendo textui illas particulas *Matris locupletis expenſis*. Minùs, inquam, poteſt officere, quandoquidem ex eo, quod expreſſerunt onus Patris delinquentis, ſufficientèr videntur incluſiſſe etiam onus Matris delinquentis, attenta natura correlatiuorum, ſecundum quam diſpoſitum in vno intelligitur etiam in altero diſpoſitum, cæteroqui vnus delinquens contraheret pœnam, à qua alter in eodem genere delinquens immunis haberetur, quod non videtur dicendũ, nec temeritatis damnãdus eſt Irnerius quãdoquidem ſolummodo expreſſit, quod implicitè cõtinebatur.

Proponitur alia inſtantia, & diſſoluitur.

In

Digitized by Google

16 **Poſito diuortio ſine culpa vtriuſque vltra primũ trienniũ, proles eſt educãda apud Patrem.**

In ordine ad tertiam, quando ſcilicet neutrius culpa ſeparatio ſecuta eſt, ſed mutuo conſenſu, vt vitam cælibem ducerent, dicendum eſt, ſiſtendum eſſe in diſpoſitione *l. vnica C. diuortio facto*, ſecundum quam, prout communitèr interpretantur ſcribentes, debet proles pro primo triennio educari à Matre, & vltra illud à Patre conformitèr *ad l. nec filium C. de patria poteſt. Speculator tit. Qui filij ſint legitimi §. vnico num. 26., Gofredus in ſumma tit. de conuerſ. infid. n. 5., Aſtenſis in ſumma part. 2. lib. 8. tit. 38. art. 3. q. 1., Sanchez lib. 10. de matrim. diſp. vlt. nu. 1., Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrim. c. 10. nu. 121.*; nec in hoc ius authenticorum aliquid innouat, ſicuti innouat, quando alter coniugum deliquit. Hæc, quæ diximus, quando neuter deliquit, proportionalitèr intelligenda ſunt, quando vterque deliquit, & fuit cauſa diuortij, vt, ſi vterque in hæreſim inciderit, vterque adulterium commiſerit, vel alter in hæreſim, alter in fornicationem incurrerint *Sanchez de matrim. lib. 10. diſp. 16., Ioannes Angelus Boſſius loc. cit.*, quia conſtituuntur in pari cauſa, ac propterea in ordine ad onus alimentorum non penſatis delictis, ita ſunt computandi, ac ſi non deliquerint.

17 **Ex matrimonio irrito ob impedimentum occultum proles genita communibus expenſis ſit alenda.**

In ordine ad quartam, probabilius eſſe putant, quod cognito impedimento dirimenti matrimonij bona fide vtriuſque initi proles communibus expenſis, tam Patris, quam Matris ſit alenda *Vitalinus in tract. de clauſulis tit., an poſſint renunc. alim. num. 6. caſ. 3., Surdus de aliment. tit. 1. q. 14. nu. 8., & tit. 7. q. 13. num. 19., Sanchez de matrim. lib. 10. diſp. vlt. num. 11., Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrimon. part. 2. c. 7. num. 325.* Nec incongrua ratione hoc decernere videntur, quãdoquidem æquum non eſt, vt filij ex matrimonio inualido, ſed bona fide celebrato geniti, & nati perſeuerante eadem bona fide, eodemq; diſſoluto propter impedimentum dirimens ſint vni potius, quam alteri oneroſiores; ad quod multum conferre videtur textus *in c. 2., qui filij ſint legitimi*, qui licet non videatur euincere, quod æqualitèr filij pro tali tempore concepti, vel nati ſint ab eiſdem parentibus alendi, cum ſolummodo dicat ab vtroque eſſe educandos, ſeu alendos, nihilominus ex fundamento rationis mox adductæ videtur ſecundum onus æquale vtriuſq; intelligendus. Sed neſcio, qua conſequentia hoc docuerint *Sanchez, & fortè etiam Boſſius*, dum ille *lib. 8. de matrimon. ſub tit. de diſpenſationibus diſp. 34. n. 46.* docuit filium natum ex matrimonio inualido bona fide vnius coniugis inito eſſe verè legitimum ex parte vtriuſque parentis, iuraque omnia legitimæ prolis ſortiri per textum *in c. ex tenore, & c. cum inter c. peruenit. Qui filij ſint legitimi Acoſta c. ſi pater prima part. verb. vxorem num. 2. de teſtamentis in ſexto, Matienzo lib. 5. recopil. tit. 1. rubr. gloſa prima num. 116.*, quæ, ſi verificantur, quando ex ſola bona fide vnius matrimonium erat initum, à fortiori debent verificari, quando matrimonium illud bona vtriuſq; coniugis fide conſtabat; Si ergo omnibus iuribus legitimorum gaudent tales filij, cur non erunt iure legitimorum nutriendi, & educandi? Hanc ſecundam opinionem tutiorem exiſtimo, adeout tales filij ad normam legitimorum ſint primo triennio ablactationis apud matrem nutriendi expenſis ipſius, quo elapſo ſint alendi apud Patrem eiuſdem expẽſis, ita tamen, vt gaudeat fructibus, & intereſſe dotis etiam in ordine ad talem educationem. Huic noſtræ opinioni potius fauet ille textus pro contraria parte allegatus *in c. ſecundo, qui filij ſint legitimi*, cum enim in eodem dicatur, quod ſint alendi communibus Patris, & matris expenſis, hoc intelligendum eſt ſeruata proportione, adeout Pater teneatur ex ſuis bonis illos alere, & ſimul mater ex bonis ſcilicet dotalibus, quæ contulit ad onera matrimonij ſuſtinenda, qua ratione etiam filij legitimi ſimplicitèr aluntur.

18 **Probabilius elapſo primo triennio eſt alẽda apud Patrem, & expenſis eiuſdẽ.**

19 **Facto diuortio ex cauſa vnius qui fuerit fidelis, altero remanente in infidelitate proles eſt alenda apud fidelem.**

Hoc vnum pro complemento eorum, quæ habentur ſub hac aſſertione aduertendum eſt, quod, ſi coniux, qui dedit cauſam diuortij fuerit fidelis, & alter, qui in hoc genere eſt innocens, fuerit infidelis, tunc filius ſit educandus apud fidelem, quantumuis fuerit noxius in cauſa diuortij. *Angelus verb. filius num. 22., & ibi Siluester q. 21. num. 24., Sanchez de matrimon. lib. 10. num. 4.* Hoc inductum eſt in fauorem fidei, ne filius apud infidelem degens verbis, vel exemplis infidelis peruertatur a fide. Sed, an tunc filij ſint alendi apud fidelem expenſis proprijs, ſi ipſe cauſam dederit diuortij per fornicationem, affirmatiuè reſpondendum exiſtimo *ex d. auth. ſi Pater C. diuortio facto, & auth. vt liceat matre §. illud collat. 8.*, non enim infidelitas alterius, quando de nouo non accedit, ſed præceſſit matrimonium, poteſt obeſſe, nec ius tribuit ad obligandum ad eadem alimenta.

20 **Mortuo Patre filij alẽdi ſunt apud eũ, quem ipſe elegerit, ſecus apud matrem.**

Aſſertio III. Mortuo Patre filij regularitèr educandi ſunt apud eum, quem ipſe Pater elegerit; ſi autem nullum elegerit, regularitèr ſunt educandi apud matrem ſuperſtitem, ſi in ſtatu viduitatis permanſerit. Quoad primam partem cõſentiunt *Seraphinus deciſ. 1357. num. 5., Menochius de arbitr. caſ. 168., & conſ. 61. num. 12.*

num. 12., *Surdus de aliment. tit.* 4. *q.* 13. *n.* 2., *Molina de iuſt. tract.* 2. *diſp.* 224. *verſ. quando teſtator*. Quoad ſecundum præter præcitatos DD. pro prima *Fontanella de pact. nuptial. clauſ.* 5. *gloſ.* 8. *part.* 11. *num.* 16., *Auguſt. Barboſa collect. ad l.* 1. *C. vbi pupilli educ. deb.*, *Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrim. c.* 10. *num.* 124., *& alij magis communitèr*.

Prima pars liquet ex textu *in l.* 1. *§. ſi omnes verſ. apud eam educetur ff. de ventre inſpiciendo*, & hoc in eo fundatur, quod ſicuti Pater poteſt legem præſcribere rebus ſuis etiam poſt mortem, ita etiam filijs ſuis, qui ſunt ſub patria ipſius poteſtate, præcipuè, quando ſunt in pupillari ætate, & cum Pater ſemper melius præſumatur cæteris proſpicere vtilitati filiorum per textum *in l. nec in ea ff. de adult.*, vtique lex ab eodem ſtatuta quoad educationem filiorum ſeruanda eſt.

Dixi *regularitèr*, nam, ſi Pater elegiſſet ad tutelam, & educationem filiorum perſonam ſuſpectam, de cuius fidelitate rationabilitèr timeri poſſet, ne filijs in Religione, moribus, vita, & rebus officeret, poſſet Iudex alium ad tale officium eligere per textum *in l.* 1. *ff. vbi pupil. educ. deb.*, *& l. Quintus Mutius verſ. itaque hæc ff. de ant. leg.*, *Menochius de arbitr. c.* 168. *n.* 5., *Fontanella de pact. clauſ.* 5. *gloſ.* 8. *part.* 11. *num.* 17., *Molina de iuſt. tract.* 2. *diſp.* 224. *verſ. quando teſtator*; in ijs etenim, quæ ad ſolam auctoritatem teſtatoris pertinent, Iudex ſtatuere poteſt contrarium, ſi perſpexerit id magis expedire per textum *in d. l. Quintus Mutius ff. de annuis leg.*

21 Excipe, ſi Pater elegerit perſonã ſuſpectam.

Secunda pars liquet *ex d. l.* 1. *C. vbi pupilli educ. deb.*, quod ius in ea ratione naturali fundatur, quia nullibi congruentius videtur educari poſſe proles, quam apud matrem, cum amor parentum omnes ſuperet, & ſemper mater magis erga prolem cenſenda eſt prouida, quam alius quicunque.

Dixi, *ſi in ſtatu viduitatis permanſerit*; ſi enim ad ſecunda vota poſt mortem primi mariti tranſierit, filij prioris matrimonij non ſunt apud ipſam educandi, ſed penes aliam perſonam, quam Iudex elegerit per ea, quæ docuimus *tom.* 7. *de matrimon. ſub tit. Contractu XV. de matrim.* 4. *prænot.* 6. *num.* 1., & docent etiam *Fontanella de pact. nupt. clauſ.* 5. *Gloſ.* 8. *p.* 11. *num.* 8., *Sanchez de matrim. lib.* 7. *diſp.* 88. *num.* 4., *Ioannes Angelus Boſſius de matrim. contract. c.* 11. *nu.* 268. per textum *in auth. vt ſine prohibitione verſ. propterea igitur coll.* 7., *& l. fin.*, *& auth. Sacramentum C. quando mulier tutelæ offic.*, qui licet textus loquantur ſolum de tutela, à fortiori tamen procedunt de educatione; tota etenim ratio, ob quam

22 Si mater in ſtatu viduitatis non permanſerit, filij ſunt alendi apud eũ, quem Iudex elegerit.

Mater binnuba excluditur à tutela, eſt propter præſumptionem, ne alijs nuptijs diſtracta negligat filiorum præcedentis matrimonij curam, eorumque bona in commodum poſterioris matrimonij cum illorum iactura diſperdat; hæc autem ratio à fortiori militat quoad educationem eorundem filiorum primi matrimonij, prout rectè cõſiderarunt *Gloſa in l.* 1. *verb. vitricum C. vbi pupil. educ. deb.*, *Craueta conſ.* 190. *num.* 7., *Surdus de aliment. tit.* 4. *q.* 13. *num.* 17. Aliqua difficultas circa hoc eſt, an iura abſolutè excluſerint matrem binnubam, adeout non liceat Iudici ipſam eligere, an verò reddant ipſam ſolummodo valdè ſuſpectam, ita tamen, vt Iudex concurrentibus circunſtantijs bonitatis tum ipſius, tum vitrici penſatis omnibus poſſit eam in tali educatione firmare. Vtique congruentius foret, ſi ſemper mater binnuba excluderetur ab hac filiorũ primi matrimonij educatione propter rationes ſuperius adductas, & in praxi ſuprema Tribunalia in caſuum contingentia ita decreuerunt, vt præcipuè de Senatu Cathalaniæ refert *Fontanella de pact. nupt. clauſ.* 5. *gloſ.* 8. *part.* 11. *num.* 16., cuius Senatus ibi plurimas allegat deciſiones, vnde *Guido Papa deciſ.* 539. *num.* 2. aſſerit, quod Iudex non debet ſequi voluntatem Patris defuncti, qui iuſſiſſet pupillum educari ſemper debere apud matrem etiam ſecundo nubentem. Non immoror vlterius in hac difficultate, quandoquidem de ea egi *tom.* 7. *ſub tit. Contractus XV. de Matrim. IV. Prænot. VI. nu.* 9., vbi dixi matrem binnubam ipſo iure priuari tali educatione. Vide, quæ ibi dicta ſunt.

23 Probabilius Iudex non debet eligere matrem binnubã.

Dixi *regularitèr*, quod attuli, ad indicandum primo, quod, ſi mater vidua fuerit vilis, turpis, impudica, & improba, non ſit ei conferenda educatio filiorum, ſed alteri perſonæ idoneæ *Menochius de arbitrar. caſ.* 168. *num.* 5., *Surdus de alim. tit.* 4. *q.* 13. *num.* 21., *Gutierez de tutel. part.* 2. *c.* 8. *num.* 9., *&* 10. ſecundo, ſi mater vidua ex alia cauſa ſit ſuſpecta, quatenus filio aut filiæ immaturum, & impar matrimonium procurauerit *Menochius d. caſ.* 168. *num.* 6., *Craueta conſ.* 18., *Surdus d. q.* 13. *num.* 23., vel quatenus meditetur alias nuptias cum iactura bonorum filij, & cum detrimento educationis.

Hic iam oritur alia difficultas, an etiã ſit limitãda præfata aſſertio ex eo præcisè, quod mater ſit ſucceſſura filio, vel filiæ, ſit excludẽda ab educatione eiuſdem filij, vel filię. Videtur ex textu *in d. l.* 1. *C. vbi pupil. educ. deb.* affirmãdũ, vbi ab educatione pupilli excluditur ille, qui eidem ab inteſtato eſt ſucceſſurus, & hoc ob eam rationem,

Digitized by Google

tionem, quod ſuſpicari poſſit, quod in
ordine ad ſucceſſionem ſit inſidiaturus
eiuſdem vitæ. Nihilominus in caſu ma-
tris hoc arbitror non ſubſiſtere, ac proin-
de ob hoc caput non eſſe excludendam
24 *Menochius d. caſ. 168. num. 18., Trentacin-*
que reſol. var. lib. 2. tit. de minor. reſol. 7. num.
14., Auguſtinus Barboſa collect. ad d. l. 1. nu.
3. in fin. C. vbi pupil. educ. deb., hocq; vide-
tur expreſsè colligi *ex d. l. 1. C. eod.*, & ra-
tio ex eo deducitur, quia iura merito pre-
ſumunt in parentibus ingentem amorem,
qui alium quemcunque excedit; vbi au-
tem ſupponitur ingens amor, non poteſt
eſſe præſumptio inſidiarum, nec vitæ ma-
chinationis; ex quibus colligitur reſpon-
ſio ad præcit. *l. 1. C. vbi pupil. educ. deb.*,
quæ loquitur in alijs quibuſcunque à pa-
rentibus, in quibus talis amor non ſuppo-
nitur, & poteſt eſſe præſumptio de illis
inſidijs. Ad hoc plurimum conferre poſ-
ſunt ea, quæ tradit *Fontauella de pact. nupt.*
clauſ. 5. gloſ. 8. part. 11. num. 15., vbi aſſerit,
quod in Cathalonia, cum mater non ſuc-
cedat filijs impuberibus, ſed proximiores
ex parte patris, prout tradit etiam in
terminis *Vincentius de Franchis deciſ. 330.*
num. 3., hæc non amittat educationem
eorundem filiorum, quamuis tranſeat ad
ſecunda vota, cum non poſſit eſſe ſuſpi-
cio rationalis de machinatione in vita
filiorum ad effectum ſuccedendi; quod
tamen verum crediderim in ea parte, qua
dicit non priuandam educatione filiorum
ex eo, quod ſit vocata ad illis ſuccedendum; non tamen in ea parte, qua dicit,
etiam ſi tranſeat ad ſecundas nuptias;
nam fundamentum, ob quod iura pri-
uant vxorem ſecundo nubentem iure
educationis filiorum non eſt præciſè
propter præſumptas inſidias aduerſus
filios ad effectum ſuccedendi, ſed propter
timorem non vtilis, & honeſtæ educatio-
nis, ne mulier ſecundis nuptijs abſtracta
eorumdem filiorum negligat curam; vel
propter metum, ne quamuis ipſa propter
filiorum amorem, eiſdem non machi-
nentur, machinetur tamen contra ipſos
vitricus.

Ex eo, quod mater ſit ſucceſſura filio ab inteſtato non eſt ei deneganda educatio filij.

Ratio à Fontanella adducta approbatur.

Aſſertio IV. Mortuo Patre, & matre
regularitèr educandi ſunt pupilli apud
25 auiam maternam, & proauiam excluſo
etiam fratre eorundem pupillorum adul-
to. *Seraphinus deciſ. 1357. num. 1., & 2.,*
Menochius de arbitrar. Iud. caſ. 168. num. 4.,
Surdus de aliment. tit. 4. q. 13. num. 24., &
ſeqq., Auguſt. Barboſa collect. ad l. 1. nu. 14.
C. vbi pupil. educ. deb., Ioannes Angelus Boſ-
ſius tract. de effect. matrim. c. 10. num. 125.

Mortuis Patre, & matre filij educandi ſunt apud auiã maternam excluſo etiam fratre.

Expreſsè colligitur *ex d. l. 1. C. vbi pupil.*
educari debeant; & ratio fundatur in affen-
tione eiuſdem auiæ, & proauiæ erga
pupillos, cum non minus ſupponatur eos
diligere, ac mater, quinimmo magis, cum
ardentius amor deſcendat in Nepotes.
Item, quia auia, & proauia ſuccedunt lo-
co parentum, & commune parentum no-
mine comprehenduntur *Bartolus in l. 3. §.*
affinitatis num. 3., & ibi Baldus ff. de poſtul.

Non negauerim tamen, quod, quando
pupilli magis commodè, magiſq; vtilitèr
apud fratrem adultum, & auunculum
poſſent educari, hi vtique eſſent præfe-
rendi *Caualcanus de tutore num. 307., Sur-* 26
dus de alimentis tit. 4. q. 13. num. 29., & 33.
hæc etenim educationis materia multum
arbitraria eſt, adeout ex cauſa liceat
quandoque non ſequi voluntatem defun-
cti *Menochius de arbitrar. Iud. caſ. 168.*, &
ita pluries deciſum fuiſſe in Senatu Ca-
thaloniæ refert *Fontauella de pact. nuptial.*
clauſula 5. gloſ. 8. part. 11. num. 17. allegatis
ibid. caſ. in particulari; vnde, ſi conſtet
de maiori vtilitate, & commoditate non
video, cur ita non ſit iudicandum, maxi-
mè cum non videatur congruentèr fra-
ter adultus cogendus ad alimenta extra
domum.

Limita in caſu, quo pupilli magis cõmodè, & vtiliter poſſint educari apud fratrem.

Aſſertio V. In concurſu Aui paterni
mortuo Patre, & matre cæteris paribus 27
in educatione filiorum præferendus eſt
Auus paternus. *Petrus Barboſa l. 1. part. 4.*
nu. 123. verſ. vlt. loc. ff. ſolut. matrim., Fon-
tanella de pact. nupt. clauſ. 5. gloſa 3. nu. 10.,
Didacus Spino. in ſpecul. teſtam. gloſ. 11. de-
legat relic. pro dot. num. 38., hancque arbi-
tror communiſſimam *Silueſter verb. filij q.*
21. verſ. mater tamen Megala part. 2. lib. 2.
c. 23. q. 1. num. 23. in fin.

Mortuo Patre, & matre eſt alijs præferendus auus paternus.

Rationem ex eo deduco primo, quia
in concurſu Aui paterni, & matris mor-
tuo Patre in ordine ad onus tribuendi
alimenta filijs prius tenetur Auus pater-
nus, quam mater, prout docent præter
præcitatos DD. in aſſertione *Paulus Ca-*
ſtrenſis in l. Neſennius ff. de negot. geſt., &
conſ. 86. num. 3. vol. 1., Corduba à Lara in l. ſi
quis à liberis §. ſi mater num. 37., & ſeqq. ff.
de liber. agnoſcen., Stephanus Gratianus di-
ſcept. for. tom. 2. c. 159. num. 14., cum ipſi
filij iure patriæ poteſtatis ſint ſubiecti
auo paterno *l. liberorum ff. de adoptionibus,*
& §. 1 inſtit. quib. mod. ius patr. pot. ſoluitur,
ergo apud eundem auum ſunt educandi,
tum quia, cum gaudeat patria poteſtate
in filios ad eandem exercendam debet
filios apud ſe habere, tum quia valde in-
congruum foret, quod ipſe teneretur ex-
penſas educationis extra ſuam domum
facere.

Rationes pro aſſerto.

Secundo, ex eo, quod, ſi filij mortuo
Patre acquirerent bona aduentitia, vel ti-
tulo hæreditatis, vel alio quocunque ti-
tulo vſumfructum taliũ bonorum acqui-

Vſusfructus bonorum aduētitiorum pertineret ad auum paternum.

rerent auo paterno ratione patriæ poteſtatis *l. cum oportet l. fin. in princip. C. de bonis, quæ lib. inſtit. per quas perſ. nobis acq. in princip.*, ergo æquum eſt, vt ſicuti ipſe gaudet commodo cum excluſione matris, etiam ſubſit incommodo eoſdem filios alendi, & apud ſe educandi.

Auus cōſeruatur in Nepote.

Tertio, quia viuēte patre filij ſunt apud eundem educandi cum in eodem ſupponatur amor, qui ſuperat omnem effectū, ratione cuius aptior non poteſt præſumi educatio, ſed in auo æqualis ſupponitur amor, quia fortè intenſior, cum amor ipſe deſcendat, ergo &c. Confirmatur, quia in patre ſupponitur ingens amor erga filium, quia pater ipſe in eodem conſeruatur, ſed etiam auus conſeruatur in nepote, per textum *in l. liberorum 220. ff. de verb. ſignif.*, ergo &c.

Appellatione Patris venit etiā auus paternus.

Quarto, quia appellatione filij venit etiam nepos *d. l. liberorum ff. de verb. ſignific.* ſicuti appellatione patris veniunt omnes aſcendentes, per ſexum virilem *Angelus verb. alimenta nu 1., Silueſter verb. eodem n. 2., & verb. filij qu. 21. verſ. Mater tamen*, ergo filij ipſi ſunt educandi apud auum paternum, potiſſimum, cum alia onera ipſi incumbant, & amor patris in ipſo à natura inditus cognoſcatur.

28 Limitatio ad ſupradicta.

Dixi, *cæteris paribus*; nam, ſi auus paternus ad ſecunda vota tranſierit, & Nouercam magnam ſuperinduxerit, tunc certè filij videntur educandi apud matrem, prout conſiderauit *Seraphinus decis. 1194., Tiraquel. de leg. connub. l. 9. n. 196., Surdus de aliment. tit. 1. q. 40. n. 2., Paſchalis de patria poteſt. c. 3. n. 86.*, tunc etenim, ob odium præſumptum Nouercæ magnæ debet potius filius impubes apud matrem educari, & auus tenetur eidem alimenta ſubminiſtrare, *l. 2. C. vbi pupil. educ. deb., Baldus conſ. 487. vol. 1., Surdus de alim. tit. 4. q. 13. num. 30.*, quod præcipuè odium, & ſuſpicio machinationis Nouercæ magnæ poteſt præſumi, ſi auus mortuo filio in bonis eiuſdem conſiderabilibus deberet ſuccedere. Quid verò dicendum ſit, ſi tam auus paternus, quam mater tranſirent ad ſecunda vota? Tunc aſſererem partes Iudicis prudentis fore ex circumſtantijs perſonarum iudicare, & decernere, an in vtroque ſit ſuſpicionis locus, an in altero tantum, & in fauorem eius adiudicare, in quo nulla eſt rationabilis ſuſpicio; Congruentius tamen foret, quod vtroque excluſo arbitrio eiuſdem Iudicis alia perſona idonea, & non ſuſpecta eligeretur ad talem educationem, prout definiuit in contingentia facti *Rota Romana apud Seraphinum d. decis. 1194.* cuius meminit *Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrim. c. 10. nu. 133.*

29 Filiæ illegitimæ mortuo Patre cōgruentius ſunt alendæ apud matrem, ſi fuerit emendata.

Aſſertio VI. Filiæ illegitimæ congruentius educandæ ſunt apud matrem, ſi ad bonam frugem ſe reduxerit, quam apud hæredes patris grauatos illas alere, ſi nullum ſit periculum malæ educationis. In hanc aſſertionem propendent *Annæus Robertus rer. iudicat. lib. 1. c. 9. per totū, Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrim. c. 10. n. 138.*

Deducitur ex generali regula *in d. l. 1. C. vbi pupilli educ. debeant.*, vbi dicitur, quod nulli magis mortuo patre, quam matri filiorum cura conueniat, cum ob affectum maternum cæteros omnes affectus vincentem maior cura, & ſolertior educatio adhibenda cenſeatur.

PRÆNOTIO III.

De culpa, & pænis parentum tenentium infantes recentèr natos in lecto, in quo ipſi cubant.

SVMMARIVM.

Peccant lethalitèr mater, & nutrix tenentes pueros in lecto noctu, in quo ipſa cubant ſine debita cautela, & etiam ſi ſuffocatio non ſequatur. 1.

Aſſignantur plures cauſæ excuſantes à tali culpa. 2.

Probabilius Pater, & nutritius cubantes in eodem lecto, in quo vxor, & nutrix tenent puerum, non contrahunt ratione ſui illam culpam. 3.

In Diæceſibus, in quibus lata eſt reſeruatio contra tenentes pueros ſine cautela hac intelligitur ſecuto effectu, niſi aliud exprimat. 4.

Excommunicatio non afficit tenentes pro modico tempore. 5.

INter cæteras obligationes, quas habet parentes erga prolem iam natam hæc eſt, vt eum præſeruare ſtudeant à quocunque infortunio, quod eidem poteſt contingere, & multò magis cauere, ne ipſi aliquid præſtent, ex quo ſubſit periculum eandem interimendi; ſicuti enim quando venter adhuc prægnans eſt, tenentur abſtinere ab actionibus, cæteroqui licitis, quando ex illis præuideri poteſt periculum abortus fætus in eodem ventre exiſtentis, ita quando iam venter enixus eſt, & fætum edidit cauere debent ab omni eo, quod eiuſdem fætus interitū poteſt inducere. Hinc ſpecialitèr ſollicitudinem omnem præſtare debent, ne eum per ſuffocationem interimant, & ea omnia vitent, ex quibus eadem ſuffocatio poſſit prouenire. Ad hoc ſpectat, ne eandem, in lecto, vbi ipſi cubant, teneant,

Ad parentes ſpectat filios præſeruare à quocunq; infortunio.

Digitized by Google

neant, ne ſopore correpti perimant, dum minus cogitant; experientia etenim compertum eſt, infantes crebrò, & in dies ex hac parentum non adhibita cautela interemptos; cui periculo occurrere volentes ſolertes Eccleſiarum paſtores ſub grauibus pænis vel reſeruationis, vel excommunicationis hanc puerorum tentionem parentibus interdixerunt, quod, & præſtitit Concilium Prouinciale Mediol. 5. tit. quæ ad matrim., dum excommunicationis pænam contra ſic tenentes infantes ſine debita cautione impoſuit.

Articuli examinādi circa præſentē titulum.

Hic iam diſputandum remanet primo, an tenentes puerum in lecto ſine cautela peccent læthalitèr, etiam ſi non ſequatur ſuffocatio. Secundo, an aliqua cauſa excuſare poſſit à tali culpa. Tertio, an eadem culpa afficiantur ſolùm mater vel nutrix, ſi teneant in lecto, an verò etiam Pater, & nutritius. Quarto, an reſeruatio, vbi poſita eſt, æquè afficiat matrem, ac Patrem tenentes puerum in lecto, in quo cubant. Quinto, an pæna excommunicationis afficiat ſic tenentes, quantumuis teneant ad modicum tempus.

1 Peccant læthalitèr matres, & nutrices tenentes pueros in lecto ſine debita cautela.

Aſſertio I. Peccant læthalitèr mater, ſeu nutrix, quæ ſine debita cautela infantem tenellum tenent in lecto noctu, in quo ipſæ cubant, ſiue ſequatur ſuffocatio, ſiue non *Nauarrus in man. c. 15. num. 14.* Nec diſſentire videtur *Bonacina tom. 2. de legibus in genere, & in particul. diſp. 1. q. 1. punct. 7. §. 4. num. 19.*, dum aſſerit ſic tenentes etiam ad breue tempus quadrantis contrahere excommunicationem. Colligitur *arg. c. ſicut conſuluiſti 2. q. 5., & c. fin. de his, qui filios occidunt*.

Ratio deducitur primo, quia lex naturalis non ſolum obligat ad fugiendum malum, ſed etiam quamcunque ſpeciem, & periculum mali iuxta illud Eccleſiaſtici, *qui amat periculum, in illo peribit*, ſed experientia in pluribus, eiſque frequentibus caſibus compertum eſt in tali tentione puerorum recentèr natorum in lecto periculum magnum ineſſe interitus eorundem, qui, ſi contingat, non poteſt dici caſualis, & merè fortuitus, ergo illa tentio ſine debita cautela eſt moralitèr peccaminoſa.

Secundo, quia leges ſaltem Epiſcopales prohibent talem tentionem ſub graui pæna reſeruationis, vel excommunicationis, ergo, quia in eadem ſine debita cautela grauem culpam cognoſcunt; non enim poſſent iuſtè grauem pænam imponere pro leui culpa.

2 Cauſæ excuſātes à culpa.

Aſſertio II. Excuſantur à tali culpa in pluribus, quæ nunc ſubdo.

Impotentia.

Excuſantur primo ratione impotentiæ, ſi alium locum non habeant, vbi poſſint puerum reponere, dummodo cautelas adhibeant, quas adhibere poſſunt. Ratio eſt, quia neceſſitas, quæ fundatur in illa impotentia, præponderat iuri prohibenti talem detentionem, & cum adhibeantur cautelæ, quæ poſſunt adhiberi, periculum illud, quantum poſſibile eſt, euertitur, vnde, ſi ſuffocatio ſequatur, erit merè caſualis, nec volita in ſe, nec in cauſa. Quænam autem cautelæ ſint adhibendæ, communitèr aſſerunt, ſufficere, ſi inter eandem matrem, & puerum ceruical, vel quid ſimile interponatur, ſi cubile ſit amplum, & puerum longè à ſe ponant *Panormitanus in d. c. fin. de his, qui fil. occid., Caietanus 2. 2. q. 64. art. 8., Nauarrus in man. c. 15. num. 13.*

Ceſſatio periculi.

Excuſantur ſecundo, ſi non ſit tale periculum veriſimile, quod contingeret, ſi ipſa mater, vel nutrix compertum haberet ex ſucceſſiua experientia, quod dormiens nunquam locum ſoleat mutare, immo vbi ſemel ſe collocat, ibidem ſoleat perſiſtere, & ſemper ſe inuenire, DD. omnes præallegati pro prima cauſa excuſante; & ratio ex eo deducitur, quia tota ratio prohibitionis conſiſtit in illo periculo, ergo, vbi illud ceſſat, non erit ratio prohibens, nec inducens grauem noxam.

Modicitas temporis.

Excuſantur tertio, ſi ad modicum tempus detineant, & donec vigilias cuſtodiant, ne puer eiulet, vt conſiderauit *Bonacina tom. 2. de legibus in gener., & in part. diſp. 1. q. 1. punct. 7. § 4. num. 19.*, propter eandem rationem, quia in illa modica detentione ceſſat periculum ſuffocationis.

Detentio diurna.

Excuſantur quarto, ſi non noctu, ſed per diem, quo tempore regularitèr dormire non aſſolent, detineant, & etiam tunc, ſi præter conſuetum dormierit, & dormiendo puerum oppreſſerit. *Panormitanus in d. c. fin. de his, qui fil. occid.*, & ratio eſt, quia tunc ceſſat periculum, & ſi ſuffocatio contigerit, eſt caſus omnino fortuitus, & præter intentionem, nec volitus in ſe, nec in cauſa.

3 Probabilius Pater, & nutritius cubantes cū vxore, & nutrice tenētibus puerum in lecto ratione ſui non cōtrahunt illam culpam.

Aſſertio III. Probabilius eſt, quod Pater, ſeu nutritius cubans in eodem lecto cum vxore, vel nutrice tenentibus infantem tenellum non contrahant ratione ſui talem noxam læthalem. Dixi *ratione ſui* non enim negauerim, quod quoquo modo peccent non prohibendo vxori, cum commodè poſſint, talem tentionem; cum etenim ipſe ſit caput vxoris, & familiæ, ad ipſum ſpectat vxorem corrigere, & obuiare cuicunque damno, quod inde poſſit contingere, & ſic non impediendo deficit contra proprium munus, adeoq; non eſt, cur non peccat.

Ratio

Digitized by Google

Ratio aſſertionis ex eo deducitur, quia reſpectu Patris, vel nutritij non adeſt illud periculum, quod adeſt reſpectu vxoris, & nutricis, cum ipſi propriè non ſint tenentes, nec in ſinu, ſicuti efficiunt matres, & nutrices, ſolent fouere, vnde reſpectu ipſorum, ſi oppreſſio contingeret, haberetur pro caſuali.

4 Referuatio intelligenda eſt ſecuto effectu.

Aſſertio IV. In Diæceſibus, in quibus poſita eſt reſeruatio tenentium pueros in lecto ſine cautela, non contrahunt eandem matres, & nutrices, niſi effectus fuerit ſecutus, dummodo tamen non fuerit dictum *etiam effectu non ſecuto*, nec Patres, nec nutritij, niſi ſpecialitèr exprimantur.

Ratio primæ partis deducitur ex communi regula, qua dicitur, quod in diſpoſitionibus pænalibus ſemper facienda ſit interpretatio, quod non obligent, *niſi ſequatur effectus*, cum pænæ ſint ſtrictè interpretandæ, nec habent locum, vbi delictum non fuerit in effectu conſummatum, ergo, ſi effectus ſuffocationis non fuerit poſitus, non intelligetur locum habere illa reſeruatio. Dixi *niſi fuerit dictum etiam effectu non ſecuto*; quia, cum, etiam ſi non ſequatur effectus, talis tentio ſine cautela ſit peccaminoſa, vt ſupra dicebamus, vtique poteſt eſſe obiectum reſeruationis, & cum talis tentio experientia ipſa docente ſit noxia, vtique congruentèr poteſt pro ipſa ſimplicitèr ſtatui eadem reſeruatio, quæ per cõſequens, ſi fuerit poſita, non eſt, cur non obliget, cum ſit ſufficiens poteſtas in imponente, & intentio imponendi, & cauſa ſufficiens impoſitionis.

Intellige niſi fuerit dictum effectu etiã nõ ſecuto

Ratio ſecundæ partis ex eo deducitur, quia ex ſuperius dictis nec Pater, nec nutritius ex genere ſuo grauitèr peccant, ergo nec incurrere debent illam pænam reſeruationis, quæ non intelligitur, niſi vbi eſt graue delictum; Quod, ſi dixeris, quod grauitèr peccant non impediendo illam tentionem, cum ex proprio officio teneantur impedire; ſtatim dicam, quod, cum illa pæna afficiat ſolum tenentes, non ſit extendenda ad non impedientes, niſi exprimantur, & ſicuti pæna lata contra exequentes non afficit conſulentes, niſi exprimantur, ita lata contra tenentes non intelligitur contra non impedientes, niſi exprimantur & ipſi in diſpoſitione.

Intellige etiã quoad Patrẽ, & nutritium.

5 Excommunicatio non afficit tenẽtes pro modico tempore.

Aſſertio V. Excommunicatio lata in Concil. Prouinc. Mediolani, de quo ſupra non intelligitur afficere nutrices, ſi ad modicum tempus pueros in lecto teneant non adhibitis congruis cautelis *Bonacina tom. 2. de legib. in gen., & in part. diſp. 1. q. 1. punct. 7. §. 4 num. 19.*

Ratio ex eo deducitur, quia pro illo modico tempore non præſumitur illud periculum ſuffocationis, quod iura in illis diſpoſitionibus pænalibus intendunt euertere. Sed quantum debeat eſſe illud modicum temporis *Bonacina loc. cit.* reſtringit ad tempus quadrantis horę, quod ego ad vlterius protraherem, ſi tenens moralem haberet certitudinem, quod diutius eſſet vigilatura.

PRÆNOTIO IV.

An, & quo iure parentes teneantur alere filios legitimos, & illegitimos, & ad quodnam tempus.

SVMMARIVM.

Pater ex vi naturalis pietatis ſtrictè obligantis tenetur alere filios etiam præciſo iure poſitiuo. 1.

Etiam filij eodem iure tenentur alere parentes indigentes. 2.

Statuta non poſſunt auferre ius legitimæ debita de iure naturæ. 3.

Nec iura ciuilia. 4.

Etiam Pater tenetur præſtare alimenta filijs illegitimis, & ſpurijs. 5.

Tenetur etiam alere filios egreſſos limites pueritiæ, ſi aliunde non habeant. 6.

Non tamen tenetur Pater, ſi aliunde filij poſſint honeſtè viuere. 7.

Si filius per artem, vel laborem proprio ſtatui non incongruum poſſit victum ſibi quærere, Pater eximitur ab onere ipſum alendi. 8.

Si filius non poſſit totalitèr acquirere, tenetur Pater ad complementum. 9.

In dubio, an ſufficiant, necne, arbitrio prudentis ſtandum eſt. 10.

QVamuis titulus comprehendat vtrumque parentem, placet eundem præciſè examinare in ordine ad Patrem; nam de matre agemus in ſubſequẽtibus. Patrem autẽ teneri de iure ciuili ad contribuenda filijs alimenta, ſi excipias triennium ablactationis, manifeſtè apparet *ex l. ſi quis à liberis ff. de agnoſ. lib., & l. 3. & 4. C. de alen. lib.*, & in hoc conueniunt omnes, tàm Theologi, quàm Canoniſtæ, & iuris ciuilis interpretes, qui etiam docent eodem iure teneri filios pręſtare alimenta parentibus, vbi eiſdem indigerent, & pręcipuè *Molina tract. 2. de iuſt. diſp. 228. §. quintus effectus. Surdus tract. de aliment. tract. 1. q. 1., Paſchalis de patria poteſt. part. 1. c. 3. num. 1.*

Difficultates, quæ in ordine ad Patrem ſub hoc titulo continentur, in eo conſiſtunt, primo, an lege etiam naturali Pater teneatur alere filios, quæ lex ſit coactiua, & obligans, an verò tantum ſit incli-

Articuli examinandi circa præſentẽ titulum.

Digitized by Google

inclinans, & naturalitèr propendens, & inſtinctum præbens. Secundo, an hac lege teneatur Pater non ſolum in ordine ad filios legitimos, & naturales, ſed etiam illegitimos, & ſpurios. Tertio, an onus Patris ad alendos filios ſiue legitimos, ſiue illegitimos reſtringatur ſolummodo ad tempus pueritiæ, an verò extendatur vltra pubertatem. Quarto, an tale onus vigeat dumtaxat, quando filij non habent aliunde, quo alantur, an verò etiam, ſi ſint diuites, vel potentes ex ſe ſibi quærendi victum, & alimenta.

I Pater tenetur alere filios ex vi naturalis pietatis.

Aſſertio I. Pater ex vi naturalis pietatis propriè, & ſtrictè obligantis tenetur alere filios, ſeu congrua alimenta ipſis præſtare etiam ſecluſa quacunque lege poſitiua *D. Thomas 2.2.q. vlt. art. 6. in corpore, Silueſter verb. filij q. 4. verſ. 2. generalitèr, Molina de iuſt. tom. 1. diſp.* 168. *in princip., & tom. 3. diſp. 578. num. 6. per totum, & præſertim verſ. quartum. Vaſquez opuſc. de teſtam. c. 5. §. 7. dub. 9. in princip., Megala in ſumma part. 2. lib. 2. c. 8. q. 2. num. 2., & c. 23. q. 1. num. 3., & 4., Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrim. part. 2. c. 1. num. 6., & omnes ferè Summiſtæ, & Theologi.*

Rationes pro aſſertio.

Ratio ex eo deducitur, quia ipſa natura, quæ ſe communicat in generatione prolis, quodammodo per ſui diffuſionem compellit ad ipſius conſeruationem, nam licet parentes, per quos natura ſe communicat in illa prolis generatione, liberi eſſent ad illam procreandam, poſtquam tamen liberè procrearunt, non videntur amplius eſſe liberi ad illius conſeruationem procurandam, quam rationem videtur conſideraſſe *D. Thomas 2. 2. q. vlt. art. 6. in corpore*, dum ex eo, quod parentes ſint principium, & cauſa filiorum, infert abſolutè, & per ſe onus in eiſdem parentibus eoſdem filios alendi, & illorum curam habendi; Nec poteſt dici, quod parentum ad alendos filios ſit ſolummodo quidam inſtinctus naturæ, non autem vis coactiua, & obligans ſub graui culpa; Non, inquam, dici poteſt, quia, cum talis inſtinctus ſit rationalis, vtpotè qui eſt in homine pollente ratione, vtique eſt cum dictamine prudentis rationis, & proptorea conſtituit ius naturale, quæ ratio vtique dictat onus illud conferendi alimenta filijs eſſe conforme naturæ rationali, & omiſſionem illorum eſſe eidem naturæ difformem, quod ſufficit ad inducendum onus ſub graui. Deinde, cum ille inſtinctus ſit ad conſeruationem ſui ipſius in proprio filio, vtique eſt cum maiori naturæ conamine, & ſicuti lege naturali tenetur ad ſe ipſum conſeruandum, ita lege ſimili, ſeu quaſi accedente ad ipſam tenetur ad filium, qui eſt pars ſui ipſius, conſeruandum.

Et vtique tale ius naturę eſt ſtrictè obligans.

Secundo ratio deducitur ex eo, quod tale onus alendi filios procedit ex quarto Decalogi præcepto de honorandis parentibus, prout docent *D. Hieronymus in Matthei c. 15., D. Thomas 2. 2. q. 122. art. 5., & in tertio ſentent. diſt. 15. q. 1. art. 2., Rota Romana deciſ. 62. num. 5. part. 5. diuerſ. apud Paulum Rubeum, & vniuerſalitèr Summiſtæ, & Theologi*, quod præceptum vtique naturale eſt; & licet hoc præceptum videatur præciſè obligare filios quoad obſequia præſtanda parentibus; nihilominus ſub hoc comprehenditur etiam præceptum de obſequio per parentes præſtando filijs in ordine ad illorum conſeruationem per neceſſaria alimenta, quod obſequium, ideo non eſt expreſſum, quia vt benè notant *Alexander de Ales 3. part. q. 33. memb. 3. art. 1., D. Antoninus prima part. tit. 14. c. 4. §. 5.* natura ipſa ſatis indicat parentes debere filijs obſequium, & beneficium præſtare ob amorem ipſis ingenitum, qui potius deſcendit, quam aſcendat; Hac ratione ius diuinum non expreſſit in Decalogo præceptum de amore ſui, quia hoc eſt inditum ab ipſa natura.

Hoc ius fundatur in quarto præcepto decalogi.

2 Etiã filij eodem iure tenentur alere parentes indigẽtes.

Aſſertio II. Etiam filij ex vi naturalis pietatis tenentur alimenta præſtare Patribus indigentibus. In hanc conſentiunt omnes DD. præcitati pro prima aſſertione *Graſſius part. 1. deciſ. aur. lib. 2. c. 58., Toletus lib. 5. c. 1. nu. 11., Nauarrus in man. c. 14. num. 17., & ſeqq., Homobonus de ſtatibus c. 20., Ioannes Valerius de diff. inter vtrumq; for. verb. alimenta diff. 1. num. 2., Sairus lib. 7. clau. c. 7., Reginaldus in praxi lib. 20. à num. 29., Bonacina de præceptis diſp. 7. q. vnica p. 6. §. 1., Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrim. part. 2. c. 1. num. 6.*

Fortior ratio pro hoc aſſerto.

In fortioribus terminis videtur hæc aſſertio deduci à probatione præcedentis, quandoquidem reſpectu filiorum erga parentes indigentes non ſolum militat ratio naturalis pietatis, ſed etiam titulus debitæ gratitudinis, quę naturalitèr obligat, cum parentes non recipiant beneficium à filijs, ſicuti filij recipiunt à parentibus, & quoad generationem, & quoad educationem, & gubernationem. Nihilominus præſcindendo etiam ab hoc titulo gratitudinis.

Hoc etiã præceptũ fundatur in quarto præcepto decalogi.

Probatur ratione eadem deducta pro ſecunda probatione præcedentis aſſertionis, quia præceptum reſpectu filiorum alendi parentes fundatur in quarto præcepto decalogi eoſdem parentes honorandi; non etenim tale præceptum conſiſtit in obſequijs exterioris reuerentiæ exhibendis ſolummodo, ſed multo magis eiſdem contribuendi, quæ neceſſaria ſunt ad eorum honeſtam conſeruationem, prout

Digitized by Google

prout notant *Reginaldus lib. 20. num.3.*, *Megala 2. part. lib.2. c. 1. in initio*, *Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrimon. part.2. c.1. num. 7.*

Hoc onus nõ eſt per ſe, ſed tãtum per accidens.

Hoc tamen aduertendum hic eſt ex *D. Thomam 2. 2. q. vlt. art. 6. in corpore*, hoc eſſe diſcrimen inter onus parentum ad alendos filios, & onus filiorum ad alendos parentes, quod, cum parentes ſint per ſe principium, & cauſa filiorum, illis per ſe, & abſolutè incumbit onus eoſdem filios alendi; iſtis verò tantum incumbit illud onus per accidens, ſcilicet ratione neceſſitatis alicuius, in qua ſint conſtituti.

Aduerſus ea, quæ dicta ſunt in vtraque aſſertione, nonnulla militant obiecta, quę mox profero, & diluo. Primum eſt, quod per ſtatutum poteſt etiam auferri in totum legitima filijs, etiam ſi non habeant aliundè, ergo etiam poterunt auferri alimenta, cum legitima ſuccedat loco alimentorum per vulgatiſſima iura, ergo legitima, & onus alimentorum non ſunt debita iure naturali cogente, & obligante, ſed ad ſummum inclinante, & propendente, & dependentèr ab eodem inſtincto, & inclinatione per legem poſitiuam, & ciuilem, cæteroqui ſtatutum non poſſet tale ius demere. Hoc argumento plu-

3 rimi vtuntur apud *Mangilium de imput. q. 51. nu.37.*, *Ludouicum Molinam de primog. lib.2. c.1. num. 15.*, *Merlinum de legit. lib. 3. tit.1. q.1. num.8.* Sed non me terret hoc argumentum, quandoquidem aduertendum eſt legitimam ſecundum diuerſam conſiderationem, & eſſe de iure naturali debitam, & de iure ciuili; de iure naturali quoad ſubſtantiam, & abſolutè; de iure ciuili quoad quantitatem; ſtatuto igitur poteſt caueri, quod auferatur quoad quantitatem de iure ciuili inductam, non quoad ſubſtantiam.

Statuta non poſſunt auferre ius legitimæ debitæ de iure naturæ.

Secundum obiectum ex eo ſumitur,

4 quod, ſi alimẽta eſſent à iure naturæ obligante, & vim legis inducente debita, nulla lege ciuili obligatio eorundem præſtandorum poſſet tolli, quod tamen falſum videtur, cum dentur multæ cauſæ excuſantes a præſtatione eorundem. Sed nec hoc obiectum aliquid negotij mihi faceſcit, quandoquidem, ſi quæ iura poſitiua eximunt à præſtatione alimentorum, vel intelligenda ſunt quoad exceſſum inductum ab eodem iure ciuili, vel quatenus excedunt neceſſariam vitæ ſuſtentationem.

Nec iura ciuilia.

Tertium obiectum ex eo deſumitur, quod alimenta a Patre debita filijs non petuntur iure actionis, ſed ſolum officio Iudicis, ergo, quia nulla præcedit obligatio ea præſtandi; ſiquidem in tantum conceditur actio, in quantum eſt obligatio, quæ eſt mater eiuſdem actionis, & ſic deficiente obligatione deficit quoque actio; quod, ſi dicatur communitèr dici Patrem obligari naturali iure, hoc intelligendum eſt non de naturali obligatione, ſed de naturali ratione, hoc eſt æquitate. Sed huic etiam argumento facilè poſſumus occurrere aſſerendo, quod iura actionum concedantur dumtaxat ex cõuentionibus, ſeu quaſi conuentionibus, maleficijs, ſeu quaſi maleficijs *§. namque agit inſtit. de act.*, per hoc tamen non tollitur, quin dentur aliæ obligatione naturales, pro quibus, quantumuis non dentur actiones, detur tamen officium Iudicis.

Eſt obligatio naturalis.

Aſſertio III. Non ſolum filijs legitimis, & naturalibus Pater naturali iure 5
tenetur pręſtare alimenta, ſed etiam illegitimis, & ſpurijs indigentibus. *Tiraquel in l. ſi vnquam verb. donatione largitus num. 288. C. de reuoc. donat.*, *Marta de iuriſdict. part.4. caſ. 162. num. 2.*, *Gratianus diſcept. forenſ. c.567. num.26.*, *Surdus de aliment. tit. 1. q. 10. num.6.*, *Ioannes Nicolaus Lucadorus tract. de illegit. cleric., & Regul. c.15. n. 1. 6., & ſeqq.* Ex Theologis *Graſſius part.1. deciſ. aur. lib.1. c. 58.*, *Sairus lib.7. clar. c.7.*, *Homobonus de ſtatib. c.20. num.1.*, *Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrim. part. 2. c. 1 num.16.*, *Vaſquez opuſc. de teſtam. c.5. §.7. dub.9. in princip.*, *Megala part.2. lib. 2. c.8. q.2., & c.24. q.1.*

Etiã filijs illegitimis, & ſpurijs Pater tenetur præſtare alimenta.

Ratio ex eo deducitur, quia ratio fundamentalis, ob quam in præcedentibus aſſertionibus probauimus per Patrem exhibenda eſſe alimenta filijs legitimis, conſiſtit in naturali pietate, ſed hæc naturalis pietas æquè eſt in patre naturali, & illegitimo, ac in naturali, & legitimo in ordine ad filios, quod multis rationibus latè probat *Tiraquel in d. l. ſi vnquam verb. donatione largitus nu.288., & ſeqq. C. de reuoc. donat.*, & primo, quia affectio parentum in filios conſideratur inſpecto iure naturali non ciuili per textum *in l. bos accuſare §. in omnibus ff. de accuſ.*; natura autem non facit differentiam inter filios naturales legitimos, ac inter illegitimos *§. ſi quis verò non habens in auth. quib. mod. nat. effic. legitimi*, & *§. ſi quis vero filios in auth. quib. mod. nat. effic. ſui l. adoptiuus §. ſeruiles verſ. vnde nec vulgo ff. de ritu nupt.*, *Baldus in c. quæ in Eccleſiarum col. vlt. extra de conſtit.* Secundo, quia ius naturale, quod concedit poſſe quem ſeipſum defendere, concedit æquè poſſe defendere filium naturalem ſiue legitimum, ſiue illegitimum *Baldus in l. 1. col. 5. verſ. expedita eſt C. vnde vi*, qui etiam addit rationem, quia ſcilicet natura communis eſt, per textum *in l. bos accuſare §. in omni-*

Rationes ſuadentes aſſertum.

bus

Iura æquè afficiunt occidentem Patrem, ac filium illegitimum.

bus ff. de accuſ. Tertio, quia æquè diceretur parricida, qui occideret patrem, ac filium naturalem, & æquè puniretur *Bartolus, & recentiores in l. parentes ff. de in ius vocan., Baldus in l. ius ciuile verſ., & illa faciunt ff. de iuſt., & iur.* Quarto, quia pietas, quæ propria eſt parentum erga filios, dicitur etiam de filijs naturalibus tantum, per textum *in l. vxorem §. codicillis ff. de leg. 3.*, ex qua oritur, quod ſicuti filius legitimus, & naturalis non poteſt in ius vocare patrem ſine venia, ita nec poſſit eundem Patrem in tale ius ſine venia vocare filius illegitimus, & naturalis, cum vna omnibus ſit ſeruanda reuerentia *l. parentes ff. de in ius vocan.* Ex quibus omnibus efficacitèr inferunt, non licere patri alimenta denegare filijs illegitimis *Baldus conſ. 457. ad euidentiam col. 2. verſ. præterea ſicut Patri lib. 5., Immola in l. ex facto §. ſi quis rogatus, & ibi decent ff. ad Senat. Conſult. Trebel.*

Neque ijs, quæ hactenus dicta ſunt, poteſt obeſſe obiectum, quod affert *Garzias de expenſis c. 11. à nu. 6. ad 25.*, quod quidem alimenta ſint debita iure naturæ filijs ex legitima, & matrimoniali coniunctione procreatis, non verò filijs ex fornicaria coniunctione genitis, eo, quod illi ſunt procreati ſecundum naturam, iſti verò quodamodo contra naturam. Non, inquam, obeſſe poteſt, quia licet illa procreatio extra matrimonium ſit quodamodo contra naturæ ordinem, quia fornicatio eſt iure naturali vetita, denegari tamen non poteſt, quin proles ſic procreata ſit genita, & filia eiuſdē Patris fornicantis, & quod Pater ſit verè principiū, & cauſa eiuſdem prolis, vt optimè notat *D. Thomas 2. 2. q. 101. art. 2., & cum eo communitèr Theologi*, cui propterea à natura inditum eſt, vt eandem ad perfectionem perducat, ſicuti ſingulæ res ſuos effectus ſedulo curant ad perfectum eſſe perducere; vndè merito *Baldus conſ. 456. nu. 10.* aſſerit, quod, dum ius ciuile *in auth. ea complexus C. de inceſt. nupt.*, ſtatuit à Patre filijs ſpurijs non eſſe alimenta tribuenda, contra naturalem diſpoſitionem proceſſerit, nam, dum voluit conſulere caſtitati, naturalem pietatem deſtruxit; & vlterius idem *Baldus conſil. 457. nu. 9.*, comparat Patrem denegantem alimenta filio ſpurio Patri eundem ſpurium interficiēti *arg. l. neceſſe ff. de agnoſ. liber.*

Etiam in ordine ad filium illegitimū Pater eſt per ſe principiū.

Aſſertio IV. Probabilius eſt iure naturali ſtricto, ſeu obligante ſub graui teneri parentes alere etiam filios egreſſos limites pueritiæ, ſi illi ſint diuites, & filij alimenta aliunde habere non poſſint, niſi mendicando, vel artem viliſſimā exercendo, quam non niſi cum difficultate, cum dedecore, & erubeſcentia proprij ſtatus poſſint exercere. *Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrim. part. 2. c. 1. nu. 23., & ferè omnes Summiſtæ, Theologi, & iuris interpretes*, dum Patrem ſolum eximunt ab onere præſtandi alimenta filijs, quando iſti operibus ſuis commodè, & honeſtè victum ſibi quærere poſſunt; eſt tamen aſſertio contra *Vaſquium lib. 2. de ſucceſſ. creat. §. 20. n. 310.* à quo nòn longè diſcrepant *Azorius part. 2. lib. 2. c. 4. q. 1., & alij*, dum aſſerunt, quod, ſi filij ſint adulti, & poſſint per ſe ipſos, vel ſe ſuſtentare, vel aliunde per alios ſibi quærere victum, non teneantur parentes illis alimenta præſtare; nam, dum abſolutè loquuntur, non diſtinguendo de modo ſiue honeſto, ſiue inhoneſto, ſiue mendicando, ſiue alio modo quærendo, videntur etiam aſſerere, quod non teneantur, ſi poſſint ſibi aliunde ſubuenire etiam mendicando, vel artem viliſſimam exercendo.

6

Etiam Pater tenetur alere filios egreſſos limites pueritiæ, ſi aliunde non habeant.

Nec filij tenentur emendicare, & turpem vitā ducere.

Ratio aſſertionis ex eo deſumi poſſe videtur, quod pietati paternæ videatur diſſonum, quod, dum parentes lautè viuunt, filij, qui ſunt pars ipſorum oſtiatim mendicent, & dum ipſi pingues in otio tepeſcunt, illi indignam artem, & proprio ipſorum, & parentum ſtatui indecoram exerceant, ergo parentes in hac hypotheſi tenentur filijs, quantumuis egreſſis limites pueritiæ alimenta præbere, ne ita indecorè, & inhoneſtè teneantur viuere. Hac eadem ratione euincitur, quod filij diuites teneantur alimenta præbere parentibus indigentibus, quantumuis iſti poſſint, aliunde ſibi victum quærere, ſiue mendicando, ſiue artem viliſſimam exercendo.

Hoc congruit pietati paternæ.

Multa aduerſus hanc aſſertionem congerit argumenta *Vaſquius loc. cit.*, quorum primū deducitur *ex can. ius naturale diſt. 1.*, vbi ſolummodo puerorum educatio imponitur parentibus quoad onus, & nomine puerorum veniunt ſolummodo pupilli vſq; ad annum quarto decimum, quod idem deducit *ex l. fin. §. vbi autem pueriles ætas C. de bonis, quæ lib. & ex l. 1. §. ius naturale ff. de iuſt., & iur.*, vbi parentibus ſolummodo imponitur educatio; educari autem ſolummodo dicuntur pueri. Sed facilè ſoluitur hoc argumētum, ſi dicatur, quod ly *puerorum*, idem ſonet, ac liberorum, prout notat *Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrimon. part. 2. c. 1. num. 24.*, & per ly educatio veniat præciſè onus præſtandi alimenta, & corporalia, & ſpiritualia neceſſaria, quod onus poteſt extendi, quotieſcunque filij ſunt in neceſſitate illa habendi, & etiam quando filij ſunt adulti, prout optimè notat *Rota Rom. deciſ. 62. num. 27. part. 5. diuerſ. apud Rubeum*; Cæterum, ſi in verborum rigo-

Nomine puerorū veniunt liberi.

Digitized by Google

re ſiſtendum eſſet, parentibus onus alendi filios reſtringeretur ad ſeptenium, cum pueritia vltra non extendatur.

Secundum argumentum ex eo deſumitur, quod Pater, ſi plura lucra acquiſierit, poſtquam filius ad eam ætatem deuenit, qua poſſet victum ſibi quærere, poſſet obijcere eidem filio, vt ſimilitèr ſibi lucra quærat ad victum, ſicuti ipſe quæſiuit, ergo non tenetur alimenta poſt illam ætatem illi adminiſtrare. Sed etiam facilè eluditur hoc obiectum, ſi dicatur aſſertionem tantum procedere, quando filius non poſſet victum ſibi quærere, niſi mendicando, vel artem viliſſimam exercendo, cum ad alia eſſet ineptus; tunc etenim iniuſtiſſimè Pater hæc illi obijceret.

Soluitur argumentum aduerſans.

Alia omnia argumenta, quæ affert idem Vaſquius, poſſunt ſimilibus reſponſionibus eludi, dicendo vel ea procedere, quando commodè, & honeſtè poteſt filius aliunde ſibi victum quærere, vel quando parentes ſunt in ea egeſtate, qua non poſſint ſibi, & filijs ſimul conſulere.

7 Non tamē tenetur Pater, ſi aliunde poſſint filij honeſtè viuere

Aſſertio V. Si filij aliunde habeant, quo ſufficientèr ſe poſſint alere, vel aliqua arte polleant, qua honeſtè iuxta conditionem proprij ſtatus ſine dedecore poſſint ſibi victum quærere, non tenentur parentes iure naturali illis alimenta præſtare. *Nauarrus in manual. c. 14. num. 17. verſ. diximus, Molina de iuſt. tom. 1. diſp. 160. §. alimenta, & diſp. 228. §. quintus effectus, Rebellus part. 2. lib. 5. q. 18. num. 7., Reginaldus lib. 10. c. 30., Bonacina de præcept. diſp. 6. q. vnica p. 6. §. 1. num. 3.* Ex Iuriſtis *Bartolus in l. ſi quis à liberis §. ſed ſi filius ff. de agnoſ. lib., Antonius Theſaurus deciſ. 211. nu. 14., Petrus Barboſa in l. 1. p. 4. num. 62., & ſeqq. ff. ſolut. matrim., Carpanus ad Stat. Mediol. c. 317. num. 48., Surdus de aliment. tit. 1. q. 78. num. 32.*, & alij plures, quos congerit, & ſequitur *Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrim. part. 2. c. 1. num. 27.*

Ratio ex eo deſumitur, quia alimenta ex ſuperius dictis non debentur filijs iure actionis, ſed ex officio Iudicis, & hoc ea ratione, ne poſtquam producti ſunt, fame, & inedia pereant, vel turpem, miſeriam, & indecoram vitā contra conditionē proprij, vel parentū ſtatus teneantur tranſigere, ſed quando aliunde habent, vel commodè, & honeſtè habere poſſunt, quo alimenta acquirant, nec poteſt eſſe officium Iudicis, nec eſt motiuum neceſſitatis, quod vrgeat, in quo fundatur naturale ius, & pietas, ergo &c.

Ceſſat in hac hypotheſi officium Iudicis.

Circa hanc aſſertionem pleraque contingunt dubitari, & primo, an, ſi filius non habeat bona, vel reditus, habeat tamen induſtriam, qua victum ſufficientem ſibi poſſit acquirere, eximatur Pater ab onere ei alimenta præſtandi? Negat *Ioannes Nicolaus Luſidorus de illegit. Cleric. c. 22. num. 8., & ſeqq.*, eo quia illa induſtria nimium labilis eſt, & fragilis, quod videtur etiam conſideraſſe *Rota Rom. in Bononienſi alimentorum 1604. coram Iuſto, & deciſ. 224. num. 5. part. 2. in recent. Farinacij, & deciſ. 92. num. 13. part. 3. diuerſ. apud Rubeum, & deciſ. 194. num. 68. part. 7. diuerſorum apud eundem Rubeum*, dum dixit in materia alimentorum à Patre filijs debitorum non attendi laborem, & induſtriam perſonæ propter fragilitatem potentiæ, quæ variatur ex tempore. *Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrim. part. 2. c. 1. num. 27.* diſtinguit in hoc caſu; vel enim filius habet artem certam, & honeſtam, cuius exercitio continuato poſſit victum ſibi acquirere, & iuxta hunc ſenſum arbitratur patrem eximi ab onere iuris naturalis præſtandi illi alimenta propter rationes in aſſertione à nobis adductas; vel non habet certam artem, ſed ſolummodo impendit operas, & laborem inſeruiendo alteri, militando, conſulendo, &c., & tunc ſentit Patrem non eximi à tali onere, eo quia facilè huiuſmodi operæ, & labor poſſunt labi, & iuxta hunc ſenſum intelligit Rotam Romanā in allegatis deciſionibus. Ego autem non attenta Boſſij diſtinctione dico abſolutè, quod Pater eximatur à tali onere præſtandi alimenta filio, ſiue hic per artem tantum acquirat, quantum eſt neceſſarium ad vitæ ſuſtentationē, ſiue illud acquirat alteri inſeruiendo, ſi non ſit contra decentiam proprij ſtatus, militando, conſulendo, & procuram exercendo, & ſolum teneri quoad complementum alimentorum, quando ſiue ex arte, ſiue ex alijs operibus non tantum acquireret, quantum ſufficeret ad eadem alimenta, vel pro tempore, pro quo vel ex defectu conducentium, vel ex imbecillitate naturæ, vel ex alijs impedimentis non poteſt huiuſmodi operas, & laborem impendere. Ratio vniuerſalitèr ex eo deducitur, quia ius naturæ non obligat, niſi quatenus filij, ſi alimenta non ſumerent à parentibus, fame perirent, vel tenerentur contra conditionem proprij ſtatus oſtiatim mēdicare, vel artem viliſſimam exercere; tenentur enim ſolum parentes titulo naturalis pietatis, vnde optimè notat *Vaſquius lib. 2. de ſucceſ. creat. §. 20. num. 311., & ſeq.* hæc obligatio naturalis parentum ſiue ſit pietatis, ſiue iuſtitiæ non eſt abſoluta, ſed conditionalis, & ſubſidiaria, ſi ſcilicet filij egeant, & non habeant aliunde, ergo, ſi aliunde habeant, non tenebuntur parentes ſubminiſtrare, quia ceſſante cauſa obligationis ceſſare debet,

Dubium excitatū.

8 Si filius poſſit per artem, vel laborem victum ſibi quærere, Pater eximitur ab onere ipſum alendi.

Obligatio parentum eſt conditionalis.

Digitized by Google

debet, & ipſa obligatio. Nec requiritur, quod habeant, quo ali poſſint in ſolis redditibus, ſed ſufficit, quod habeant, ſeu habere poſſint ex honeſta arte, cum ipſa habeatur tanquam bonum patrimoniũ, ſeu ex laboribus congruis, & à proprio ſtatu non diſſonis. Nec arridet id, quod aſſerit *Boſſius loc. cit.*, quod ſcilicet non eximantur parentes ab onere præſtandi alimenta, ſi filius polleat arte, qua commodè ſibi victum poſſit acquirere, ſecus, ſi polleat doctrina, vt ſi ſit aduocatus, qua poſſit conſulere, ſeu cauſas defendere eo, quod lucrum ex tali doctrina ab alterius voluntate dependeat; Non, inquam, arridet, eo quia non minus dependet ab alterius voluntate exercitiũ artis, ac exercitium doctrinæ in ordine ad lucrum acquirendum; vnde in ordine ad eximendum Patrem ab onere præſtandi alimenta filijs attendendum eſt, an tantum lucri acquiratur ſiue ab exercitio artis, ſiue ab exercitio doctrinæ, quantum ſufficit, ne filij egeant neceſſarijs ad vitam conſeruandam. Ad deciſiones Rotæ Romanæ ſupra allegatas dicendum eſt, eas procedere, quando re vera ex illo exercitio ſiue artis, ſiue doctrinæ non acquiritur, quantum ſufficiat ad neceſſaria vitæ, & pro tempore, quo ceſſant lucra ex illa arte, ſeu doctrina.

Soluitur ratio contraria Boſſij.

Secundo contingit dubitare, an, ſi filij habeant bona, quorum reditus non ſufficiant ad eorundem ſuſtentationem, teneatur Pater alimenta eiſdem præſtare ſaltem ad complementum, quatenus ſcilicet ſimul cum illis modicis reditibus integrent ſummam, qua poſſint viuere? Videtur dicendum, quod Pater ad nihil teneatur, cum filijs poſſit dicere, quod vendant proprietatem bonorum, & ex eorum pretio ſe alant; in hoc etenim etiam caſu verificatur, quod habeant, quo poſſint ſe alere, & propterea ceſſat obligatio in Patre illis alimenta prǽſtandi. Nihilominus abſolutè ſentiendum eſt, Patrem teneri complementum alimentorum filijs præſtare. Ratio ex eo deſumitur, quia quis non dicitur habere, qui aliter habere non poteſt, quam ex venditione bonorum *Baldus in l. fin. §. ipſum autem in princip. C. de bon. quæ lib.*, *Aretin. in l. alimenta C. de negot. geſt.*, *Corduba à Lara in l. ſi quis à liberis §. ſed, ſi filius nu. 22.*, *& 33. ff. de liber. agnoſ.*, *Surdus de aliment. tit. 4. q. 9. num.* 10. Hoc noſtrum dictum videtur efficaciter colligi ex textu *in l. qui bonis ff. de ceſſ. bon.*, vbi cum dicatur, quod illi, qui cedit bonis, tantum relinqui debeat, quantum ſufficit, ne egeat, dicitur etiam, quod inſpici debeat, quantum redigi poſſit ex fructibus, non quantum ex proprietate.

9
Si filius non poſſit in totum victum ſibi acquirere ex bonis ſuis, tenetur Pater ad cõplementum.

Verum tamen eſt, quod, ſi ex venditione bonorum, & ex implicatione pretij in alijs bonis magis fructiferis, ex quibus tot fructus percipi poſſent, quot ſufficerent ad congrua alimenta, teneretur filius ea vendere, & ſic implicare, vt poſſet abſq; moleſtia Patris ſe alere, qui Pater propterea eximeretur ab onere præſtandi eidem filio ſupplementum alimentorum *Corduba à Lara in d. l. ſi quis à liberis §. ſed, ſi filius num. 25.*, *& ſeqq. ff. de lib. agnoſ.*, *Megala part. 2. lib. 2. c. 259. nu. 77.*, *Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrim. part. 2. c. 1. num. 29.* Hac eadem ratione euincitur, quod is, qui ceſſit bonis, cuique competit ex diſpoſitione iuris priuilegium tantum retinendi, ne egeat, ſi retinuerit proprietatem, ex qua ſufficientèr ali non poſſit, poſſit per creditores compelli ad eiuſdem venditionem, ſi ex pretio ipſius poſſit emi alia proprietas, ex qua tot reditus percipi poſſint, ex quibus poſſit ſufficientèr ali. Dixi *complementum alimentorum*; non enim aſſererem, quod ad integra alimenta teneatur; tota etenim ratio, ob quam Pater tenetur filios alere, eſt, ne fame, & inedia pereant, vnde, ſi aliter habeant, quo alantur, non tenetur, ergo, ſi habeant, quo partialitèr ali poſſint, non totalitèr, tenebitur ad partem, quam non habent, non ad partem, quam habent.

Si ex venditione illorum bonorum poſſit tantum acquirere, quantum poſſit viuere, Pater ad nihil tenetur.

Tertio dubitari contingit, ſi filius aliunde habeat, quo poſſit ſe alere, & dubitetur, an ſufficientèr habeat, quomodo in controuerſia ſufficientiæ, vel non ſufficientiæ inter Patrem, & filium adiudicandum ſit? Sentio rem remittendam eſſe vel prudentis viri, vel Iudicis arbitrio *Baldus in l. 1. §. ſed ſcimus C. de lat. libert. col.*, *Lupus in c. per veſtras in ſecundo not. §. 23. num. 9.*, *Surdus de aliment. tit. 7. q. 6. nu. 21.*, *& q. 9. num. 9.*, quod clarè videtur euincere textus *in d. l. ſi quis à liberis §. ſed ſi filius ff. de lib. agnoſ.*, nec incongrua ratione hoc decernitur, quandoquidem in ſimilibus certior regula aſſignabilis non eſt, quam dictamen prudentis viri, ſeu Iudicis. Diuerſimodè autem prudens hic vir, ſeu Iudex adiudicare debet attento iure naturæ, ac attento iure ciuili, ſiquidem primo attento adiudicanda ſunt ſimplicitèr neceſſaria naturæ; attento verò ſecundo etiam neceſſaria perſonæ, vt infra latè videbimus.

10
In dubio, an bona ſufficiant, nec ne, arbitrio prudentis dirimenda res eſt.

PRÆNOTIO V.

An mater elapſo primo triennio teneatur æquè primo cum Patre alere filios, ſeu filias.

SVMMARIVM.

Articuli examinandi circa præſentem titulum. 1.
Mater vltra primum triennium non tenetur æquè primo cum Patre filijs conferre alimenta. 2.
Aſſignantur rationes, propter quas per prius teneatur Pater. 3.
Non ſolum ex vi iuris poſitiui tenetur per prius Pater, ſed etiam ex vi iuris naturalis. 4.
Sententia aſſerens in ordine ad filios ſpurios æquè primo teneri vtrumq; parentem. 5.
Sententia aſſerens etiam in ordine ad ipſos per prius teneri Patrem. 6.
Præfertur hæc ſecunda ſententia. 7.
Patre diuite non præſtante alimenta filijs, ſi mater præſtiterit, poteſt ea repetere. 8.
Etiam ſi nullam proteſtationem præmiſſerit. 9.
Si contulerit ſupra proprium ſtatum, & Patris non poteſt repetere exceſſum. 10.
Si contulerit moderatè aliquid arbitrio Iudicis detrahendum eſt. 11.
Si filij fuerint diuites, & mater eiſdem contulerit alimenta ſine proteſtatione non poteſt repetere. 12.
Sententia aſſerens non præſumi animum donandi, quando expenſæ ſunt magnæ. 13.
Contraria ſententia exponitur. 14.
Si mater fuerit pauper, & filij diuites, non ſupponitur illa donare. 15.
Quando tàm mater, quàm filij ſunt diuites, præſumitur mater donaſſe. 16.
Soluuntur rationes oppoſitæ ſententiæ. 17.
Si mater pro tempore, quo adminiſtrauit bona filiorum eiſdem ex ſuo contulerit alimenta, probabilius poteſt illorum æſtimationem repetere. 18.
Si mater ſit debitrix filiorum conferens eiſdem alimenta non præſumitur ea donare. 19.
Nec, ſi expreſſè, vel tacitè præmiſſerit proteſtationem. 20.
Non valente Patre, nec eius aſcendentibus alimenta præſtare filijs tenetur mater in ſubſidium. 21.

CVM dixerimus Patrem teneri ad alimenta præſtanda filijs vltra primum triennium ablactationis eo, quod ſit principium, & cauſa eorundem filiorum, vtique videtur æquè primo ex hoc capite competere hoc onus etiam matri, cum & ipſa ſit principium, & cauſa eorundem filiorum, & non ſolum paſſiue, vt contendunt multi ex Thomiſtis, alijſque Philoſophis, ſed etiam actiuè, vt nos docuimus in quæſtionibus de ortu, & interitu cum communiori medicorum ſententia. Nihilominus, quia communis DD. fert ſententia, quod Pater, ſi ſit potens, & diues, teneatur vltra primum triennium ablactationis præbere filijs alimenta, ideo remanet hic inquirendum, cur potius Patri, quam matri ius hoc onus impoſuerit, cum vterque ad filiorum generationem concurrat actiuè. Secundo, an, ſi Patre ſuperſtite, & diuite mater ex ſuis bonis extradotalibus alimenta præſtiterit filijs, eo quod Pater non conferebat, poſſit illorum æſtimationem à Patre repetere? Tertio, an, ſi defuncto Patre, & nullo alio ſuperſtite, qui teneatur filijs alimenta præſtare, cum tamen filij aliunde habeant, puta ex bonis patrimonialibus, quo poſſint ſe alere, ipſa mater ex ſuis bonis illis contulerit alimenta, poſſit illorum æſtimationem ab ipſis filijs repetere. Quarto, an mater in defectum Patris teneatur in ſubſidium alere filios, & filias dotare.

1 Articuli examinandi circa præſentem titulum.

Aſſertio I. Mater vltra primum triennium ablactationis non tenetur æquè primo cum Patre filijs conferre alimenta *Bartolus, Baldus, Cinus, & alij ſcribentes in l. alimenta C. de negot. geſt., Paleotus de nothis c. 48., Molina de primog. lib. 2. c. 15. nu. 2., Valaſcus conſult. 92. n. 7., Peregrinus de iure fiſc. lib. 3. tit. 18. nu. 60., Stephanus Gratianus diſcept. forenſ. tom. 5. c. 959. n. 14., & ſeqq. Surdus de aliment. tit. 1. q. 14. nu. 9.*

2 Vltra primũ triennium mater non tenetur æquè primo cum Patre conferre alimenta filijs.

Expreſsè deducitur ex *l. ſi quis à liberis §. vtrum autem tantum ff. de lib. agnoſ.*, vbi primo loco pater, & eius aſcendentes per lineam virilem coguntur alere liberos, & poſtea in eorum defectum mater, & eius aſcendentes.

Si autem inquiras, cur hoc onus per prius inditum ſit Patri, & non niſi per poſterius Matri, & ſolummodo in ſubſidium; tunc multas rationes aſſignat *Paleotus de nothis c. 48. nu. 5.*, quarum prima eſt, quia licet tam pater, quàm mater concurrant actiuè ad generationem filiorum, nihilominus in eodem genere principalius concurrit pater. Secunda, quia ipſe Pater eſt caput familiæ, ad quem propterea ſpectat ipſam gubernare, dirigere, & conſeruare. Tertia, quia ex conditione perſonæ ad Patrem ſpectat lucra acquirere, ad Matrem conſeruare. Quarta, quia filij agnationem ſumunt à Patre, non a Matre. Adderem aliam rationem, quia natura ipſa quodamodo diſtribuit onera in ordine ad parentes, vt mater teneatur ſuſtinere onus fouendi, & ferendi fætum per nouem menſes, ablactandi per trien-

3 Aſſignantur rationes propter quas per prius teneatur Pater.

Digitized by Google

triennium,pater vero teneatur alia onera ſubminiſtrandi, ſcilicet alimenta vltra illud tempus ſubire.

Circa hanc aſſertionem, & ea, quæ circa ipſam dicta ſunt,nonnullæ conſurgunt rationes dubitandi, quas profero, & diluo. Prima eſt, an proueniat ſolummodo ex diſpoſitione iuris ciuilis, quod

4 *Et hoc nō ſolum ex vi iuris poſitiui, ſed etiam naturalis.*

primo loco teneatur Pater alere filios, & filias, & mater non niſi ſubſidiariè, an vero etiam ex diſpoſitione iuris naturalis? videtur prima fronte dicendum prouenire ſolummodo ex diſpoſitione iuris ciuilis, quandoquidem naturalis pietas in vtroque parente videtur æquè primo vigere; cum vtriuſq; amor æquè primo propendeat,& deſcendat in liberos, adeoque æquè primo ipſos obligat. Nihilominus prouenire etiam arbitror ex diſpoſitione iuris naturalis,quia ipſa ratio naturalis dictat, quod, qui potiora iura habet, prius, & principalius onera ſuſtineat, & qui principalis conſtitutus eſt ab ipſa natura per prius obligatur. Ad hoc plurimum faciunt rationes, quas mox adduximus ad euincendum, cur iura ſtatuerint, vt prius Pater teneatur,& mater non niſi in ſubſidium,quæ rationes etiam euincunt pro iure naturali. Nec aliquid euincit ratio pro contraria opinione adducta, quamuis enim illa naturalis pietas ſit æquè primo indita vtrique parenti, in ordine tamen ad effectus alimentorum limitatur ad normam conditionis, & exigentiam perſonarum.

Secunda ratio dubitandi conſiſtit in eo, an etiam in ordine ad filios ſpurios per prius teneatur Pater ad alimenta, & per poſterius, & in ſubſidium Mater, an vero vterque æquè primo. Excitat hanc rationem dubitandi textus *in c. cum haberet de eo,qui duxit in matrim.*,vbi ſic legitur

5 *Sententia aſſerens in ordine ad filios ſpurios æquè primo teneri vtrumque parētem.*

vterq; liberis ſuis, ſecundùm quod eis ſuppetunt facultates neceſſaria ſubminiſtret,vbi per ly *liberis ſuis*, notat *Ioannes Angelus Boſſius tract.de effect. matrimon. part.2.c.6. n.272. in princip.*, non poſſe venire filios legitimos, cum ibi loquatur textus de viro,qui non niſi ex muliere adultera filios ſuſceperat; vndè *Panormitanus in d.c. cum haberet de eo, qui duxit in matrim. num. 9., & ibi Ancharanus, & Prepoſitus, Ioannes Lupus in c. perverſus not. 3. §. 23. num. 12. Corduba à Lara in l. ſi quis à liberis §. idem reſcripſit num. 33., & in §. ſi mater ff. de lib. agnoſ., Antonius Gabriel commun. concl. lib.6. tit. de alimentis concl.1.nu.4.*,& ex Theologis, *Silueſter verb. filij n.4. verſ. quintum, Laiman Theol. mor. lib.5.tract.10.part.3.c.5.nu.5., & alij* docent æquè primo in ordine ad filios ſpurios competere vtrique parenti onus eoſdem alendi. Rationem non ſolum deducunt ex eodem textu *in c. cum haberet de eo, qui duxit in matrimon.*, ſed etiam, quia ſpurij non ſunt de agnatione patris,ſecundum *Bartolum in l. tutelas ff. de cap. diminut.*, neque illis pater ſuccedit, ſed etiam mater ab inteſtato *§. fin. Inſtit. ad Tertgl.*; vndè quoad ſpurios ſolum attenditur inſtinctus naturæ, ſecundum quem filij ſpurij non minùs obligantur matri, ac patri. Addit *Antonius Merenda tom.3. controverſ. iuris lib.13.c.1.nu.6.*,de iure ciuili filios ſpurios non eſſe alendos à patre,ſed à matre, per textum *in §. ſi quis ſanè non habens auth. quibus modis naturales effic. legit.*, vndè, quando Pontifex in illo *c.cum haberet de eo, qui duxit in matrimon.*, dixit, quod vterque parens teneatur alimenta tribuere ſuis liberis, aſſerit idem Merenda, quod idem Pontifex habuit reſpectum ad filios tàm legitimos, quàm illegitimos illius viri, & facta partitione voluit, quod legitimi eſſent alendi a Patre, illegitimi vero,& nati ex adulterio à Matre, & ſic dixit, quod vterque liberis ſuis teneatur alimenta præſtare. Contrarium tamen teſte *Ioanne Angelo Boſſio d. tract. de effect. matrimon. part. 2. c. 6. num. 274.*, 6

Sententia aſſerens per prius teneri Patrem.

communius ſuſtinent DD. tàm Theologi,quàm Canoniſtæ,& iuris ciuilis interpretes, quod per prius, & principalitèr Pater teneatur ſpurijs alimenta præbere, & non niſi per poſterius, & in ſubſidium Mater *Coaruuias de ſponſal. part. 2. c. 8. §.6. nu.13. in fin., Paleotus de nothis c.48, Peregrinus de iure fiſci lib.3. tit. 18. num. 59., Molina de iuſt. tom. 1. diſp. 168., Ioannes Nicolaus Lucidorus de illegit. Cleric. c. 17. nu. 4.* Rationem deducunt ex regula generali, ſecundum quam Pater generalitèr tenetur alere filios nulla facta diſtinctione inter legitimos, & illegitimos *l. Neſennius ff. de negot. geſt. l. alimenta C. eod. l. ſi quis à liberis §. ſi mater ff. de lib. agnoſ.*, maximè, cum hoc videatur clarius exprimi quoad illegitimos naturales *auth. licet C. de naturalibus, §. ſi quis ſanè auth. quibus modis naturales effic. legit., & §. penult. iuncta gloſ. verb. legitimos auth. quibus modis natural. effic. ſui.* Addunt pro probatione ſuæ opinionis, quod licet in iure ciuili decernatur, quod pater non teneatur alere filios ſpurios, ius tamē Canonicum *in d. c. cum haberet de eo, qui duxit in matrim.*, correxerit d. ius ciuile, adeo vt ſtatuerit, quod in ordine ad alimenta filijs ſpurijs præſtāda æquè teneantur pater, & mater, & licet talis textus *in d. c. cum haberet*, dicat, quod vterque parens teneatur ſuis liberis alimenta 7

Præfertur hæc ſecunda ſententia.

præſtare, intelligendum ſit ordine ſucceſſiuo, non æquè primo. Quid ergo in hac controverſia ſentiendum eſt? Arbitror probabiliorem eſſe hanc ſecundam opinionem

nionem

nionem propter rationes pro ea adductas, & propter cõmuniorem DD. conſenſum; Nec obeſſe poſſunt ea, quæ pro contraria opinione afferebatur, quod ſcilicet ſpurij non ſint de agnatione patris, & quod mater eidem ſuccedat ab inteſtato, & quod ipſi non ſint ſub patris poteſtate; Non, inquam, obeſſe poſſunt; non primum, quia, vt benè notant *Iaſon l. fin. nu. 13. C. de verb. ſignific., Paleotus de nothis c. 48. nu. 3.*, titulus agnationis non poteſt conferre ad onus præbendi alimenta, vel ad ius non præbendi, ſed titulus naturalis pietatis, qui æquè militat in ordine ad ſpurios, ac in ordine ad legitimos; non ſecundum, quia, ſi attenderetur ſolum ius ſuccedendi ab inteſtato ſola mater teneretur ſpurios alere, cum ad ipſam ſpectet ſolummodo lucrum ſucceſſionis. Deindè, ſi filij legitimi decederent viuentibus Patre, & Matre, Mater non veniret æquè cum Patre ad eorum ſucceſſionem, quia non tenetur illos alere, niſi in ſubſidium, quod eſt contra *auth. defuncti C. ad Tertul.*. Tandem, quia hac ratione nec Pater, nec Mater tenerentur alere filios adulterinos ex inceſtu cõceptos, quia neuter eorum poteſt eiſdem ſuccedere, prout docent *Paleotus de nothis c. 48. num. 4., Surdus de aliment. tit. 1. q. 13. n. 15.*; Minùs officere poteſt inſtinctus ille naturalis, nam hac ratione filij etiam legitimi æquè eſſet alendi à Patre, ac à Matre, cum talis inſtinctus æquè in vtroque reperiatur.

Soluuntur rationes oppoſitæ.

Aſſertio II. Superſtite Patre, eoque diuite, nec præſtante filijs alimenta, ſi Mater ea contulerit poteſt iuſtè eorum æſtimationem ab eodem Patre repetere, quantumuis nullam præuiam proteſtationem præſtiterit *Bartolus in l. ſi quis à liberis, §. ſi mater ff. de lib. agnoſ., Peregrinus de iure fiſci lib. 3. tit. 18. num. 60., Corduba à Lara in d. l. ſi quis à liberis, §. ſi mater n. 8. ff. de lib. agnoſ., Pontanus de aliment. c. 8., Valaſcus conſult. 92. num. 7., Stephanus Gratianus diſcept. forenſ. part. 5. c. 959. n. 15., Surdus de aliment. tit. 16. q. 8. num. 1.*

8 Patre diuite non præſtante alimenta filijs, ſi mater præſtiterit poteſt ea à Patre repetere.

Colligitur expreſsè *ex d. l. ſi quis à liberis, §. ſi mater ff. de lib. agnoſ., & ex l. alimenta C. de negot. geſt., & ex l. Neſennius ff. eod.*, nec incongrua ratione aſſertio, & huiuſmodi iura innituntur, quandoquidè mater ipſa non tenetur huiuſmodi alimenta præſtare, quando pater potens eſt ea præbere, & ſi præſtat, non præſumitur præſtare animo donandi, ſed affectu conſulendi eiſdem filijs, ne fame pereant, dum Pater negligit ea præſtare, ſicne rectè gerit negotium, ad quod Pater tenetur, ergo non eſt, eur Pater non teneatur expenſas pro eiſdem alimentis à Matre præſtitis retribuere.

Dixi *quantumuis nullam præuiam proteſtationem præſtiterit de eiſdem expenſis alimentorum recipiendis*, quia, vt aſſerebam in ea hypotheſi Mater ſupponitur eadem alimenta præſtitiſſe non animo donandi, ſed animo ea repetendi, cum præſtiterit ex eo, quod Pater negligens fuerit in eiſdem præſtandis.

9 Etiam, ſi nullam præuiam proteſtationem emiſerit.

Hic ſolum oritur difficultas, an ſi mater eadem præſtiterit alimenta ob negligentiam, vel abſentiā Patris poſſit eadem ex integro repetere, an vero cum aliqua moderatione? Conſiderandum hic eſt, an alimenta moderatè tribuerit, an verò excedentèr ad ſtatum eorundē filiorum, & Patris. Rurſus, ſi contulerit moderatè iuxta conditionem proprij ſtatus, & patris, & filiorum conſiderandus eſt etiam affectus maternus erga filios, quibus contulit alimenta. Quibus ſic conſideratis, dico primo, quod, ſi contulerit ſuper excedentèr ad proprium, & filiorum, & Patris ſtatum non poſſit exceſſum illum repetere. In hoc arbitror omnes conſentire; in hoc etenim caſu præſumitur, quod exceſſum cõtulerit animo donandi, & non præcisè ſupplendi defectum alterius in filiorum neceſſitate, cum exceſſerit exigentiam neceſſitatis, quinimmò etiam congruentiæ, vnde non poteſt dici quoad eundem exceſſum, quod benè geſſerit negotium patris, & propterea ipſa agente ad repetitionem poterit Pater excipere de exceſſu.

10 Si contulerit ſupra proprium ſtatum, & Patris nõ poteſt repetere exceſſum.

Dico ſecundo, quod, ſi contulerit moderatè ex quadam æquitate arbitrio Iudicis ſit aliquid detrahendum conſiderato affectu materno, quod videtur colligi ex *l. ſi quis à liberis, §. ſi mater ff. de lib. agnoſc.*, ex quo textu, vt refert *Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrim. part. 2. c. 7. num. 330.* D. Marcus Antoniæ Mantuanæ in hæc verba reſcripſit *Sed hæc quantum alimentorum nomine, quibus neceſſario filiæ ſuæ exhibuiſti, à patre eius præſtari oportere Iudices exiſtimabunt, nec impetrare debes ea, quæ exigente materno affectu in filiam tuam erogatum eſſet, etiam ſi à patre ſuo educaretur*. Monet etiā idem *Ioannes Angelus Boſſius ibid.*, quod mater in repetitione eorundem alimentorum non debet exigere aliquod intereſſe nec ob moram, nec ob laborem, nec ob quid ſimile, ſed tantum id, quod effectualitèr ſoluit.

11 Si contulerit moderatè aliquid arbitrio Iudicis detrahendum eſt.

Aſſertio III. Mortuo Patre, nec alijs extantibus, qui de iure teneantur filios alere, ſi ipſi filij habeant bona, ex quibus poſſint viuere, & mater eiſdem contulerit ex ſuis bonis eiſdem alimenta nulla præmiſſa proteſtatione repetendi, probabilius eadem alimenta, ſeu æſtimationem ipſorum non poteſt repetere. *Pontanus de*

12 Mortuo Patre, ſi filij fuerint diuites, & mater eiſdē contulerit alimenta nõ poteſt eadem repetere niſi proteſtata fuerit.

Digitized by Google

de alimentis c.8. nu.6., Surdus de alimentis tit. 16. q.8. num.41., & 81., Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrimon. part. 2. c.7. num. 331.

Expreſsè colligitur *ex l. 1., & 2. l. alimenta C. de negot. geſtis l. Neſennius ff. eod.*, & ratio huiuſmodi iurium, & aſſertionis in eo conſiſtit, quod, cum præſtiterit nulla exigēte neceſſitate, cum filij eſſent diuites, & haberent, quo alerentur, nec vllam proteſtationem emiſerit de illis repetendis, præſumitur præſtitiſſe animo liberali ex affectu materno ex naturali charitate, & pietate, ergo non poteſt eſſe locus repetitioni; nec obſtant ea, quæ in præcedenti aſſertione dicta ſunt, ſiquidem diſpar omnino eſt ratio, nam in primo caſu negligente, vel nolente patre præſtare alimenta vrgebat neceſſitas ea conferendi, ne filij fame, & inedia perirent, vel indecoram vitam degerent; vnde naturalis pietas eandem quidem Matrem duxit ad contribuenda illa alimenta, at non eſt præſumptio, quod ex naturali pietate contulerit animo donandi, & nō repetendi, cum præcisè præſtiterit ad ſubueniendum neceſſitati, nec contuliſſet, ſi pater à ſuo debito non defeciſſet; in ſecundo autem caſu nulla vrgente neceſſitate præſtitit, cum filij haberent, quo alerentur, vnde iuſtè præſumitur, quod contulerit ex naturali pietate, & charitate, adeoq; ſine animo repetendi.

Rationes pro aſſerto.

Circa præſentem aſſertionem duo cōſurgunt dubia nunc diſcutienda. Primum eſt, an ea, quæ dicta ſunt, procedant dumtaxat, quando modicam ſummam contulit in alimentis filiorum, an verò etiam, quando ingentem, & egregiam, conſiderabilemque. Secundum, an intelligenda ſunt, quando mater non adminiſtrauit bona filiorum, an verò etiam, quando eadem adminiſtrauit?

Nonnulla dubia excitata.

13 Sententia aſſerens non eſſe animum donandi, quando expenſæ ſunt conſiderabiles.

In ordine ad primum maximum diſſidium inuenio inter DD., dum alij, inter quos *Paulus de Caſtro in l. duobus §. fin. ff. de negot. geſt., Alexander in l. alimenta nu. 8. in fin. C. eod., Corduba à Lara in l. ſi quis à liberis §. idem reſcripſit num. 106. ff. de lib. agnoſ., Garzias de expenſis c.4. num.24. Menochius de arbitr. caſ. 88. num. 21., Mantica de tacit., & ambig. tit. 12. num. 17., Surdus de alimentis tit. 6. q. 8. à num. 27. ad 37.* ſuſtinent non eſſe præſumptionem donationis, quando expenſæ factæ in alimentis ſunt egregiæ, & in quantitate conſiderabili. Alij verò è contra ſuſtinent etiam, ſi fuerint magnæ, & conſiderabiles, præſumi pro animo donandi, & non repetendi, adeoq; non eſſe locum repetitioni, niſi facta fuerit præuia proteſtatio; atque ita ſentiunt *Gloſa in l. ſi quis à liberis §. ſi mater verb. materno affectu ff. de liber. agnoſ.; Vitalianus in tract. clauſul. tit. an poſſit renuntiari ius alim. col. 11., Baldus Nouellus de dotibus part. 6. priuil. 3. num. 5., Molina de iuſt. tom. 2. diſp. 555. num. 10. §. quando autem filij Azorius part. 2. lib. 2. c. 5. q. 10.*

14 Contraria ſententia exponitur

Fundamenta prioris ſententię aſſerentis eſſe locum repetitioni, quando expenſæ ſunt egregiæ, & conſiderabiles in eo conſiſtunt primo, quia donationes non facilè præſumuntur *l. cum de indebito ff. de probat.*, quinimmò regularitèr non præſumuntur *l. campanus ff. de operis libert.* Secundo, quia, quando expenſæ non conſiſtunt in modico, ſed in egregia ſumma, concurrunt duæ præſumptiones efficaces ſibi adinuicem contrariæ; altera pro animo donandi fundata in coniunctione ſanguinis, & affectione; altera pro negatione talis animi donandi fundata in magnitudine expēſarum, quæ excludit præſumptionem donationis; contrariæ autem præſumptiones mutuo ſe elidunt per textum *in l. Diuus ff. de in integ. reſtit.* Tertio, quia inter ſanguine coniunctos modica expenſa præſumitur facta liberali animo, & non cum intentione repetendi, vt videre eſt in expenſis modicis factis a marito circa res vxoris *l. omnino ff. de expenſis in reb. dot. fact.*, & expenſa ingens repetitur, quando aliunde non conſtat de donatione, ſeu animo donandi; ſic communitèr docent DD., quod veſtes pretioſæ, quas maritus contulit vxori conſtante matrimonio eodem diſſoluto per mortem mariti ſint reſtituendæ hæredibus eiuſdem, non autem veſtes quotidianæ, & ordinarię, quia iſtæ ſupponuntur traditæ cum animo donandi, non ſic illæ, cum ſint valde pretioſæ, prout nos docuimus *tom. 5. ſub tit. Contractus XV. de ſponſal. 3. Prænot. 13. num. 3.*

Exponuntur fundamenta prioris ſententię.

Fundamēta poſterioris opinionis ſupponentis pro animo donandi, quantumuis expenſæ eſſent egregiæ, & in notabili quantitate fundantur in eo, primo, quia, quando aliæ circunſtantiæ non concurrunt indicantes animum repetendi, in dubio præſumitur pro naturali pietate, & affectu materno, adeoq; pro animo donandi per textum *in d. l. Neſennius ff. de neg. geſt., & in l. 1. l. alimenta, & l. ſi paterno affectu C. eodem.* Secundo, quia maior præſumitur affectio matris erga perſonam filij, quam erga eius bona, ratione cuius maioris affectionis agnoſcunt DD. tàm Theologi, quàm Iuris interpretes magnum diſcrimen inter expenſas factas à matre pro alimentis filij, & factas circa bona eiuſdem; ſed talo diſcrimen non intercederet, ſi mater poſſet repetere expenſas factas in alimentis, quę ſint ma-

Exponuntur fundamenta poſterioris.

gnæ,

Digitized by Google

gnæ, & conſiderabiles, & non poſſet repetere modicas, quandoquidem etiam expenſæ factæ in bonis filiorum non poſſunt à matre repeti, ſi ſint modicæ, poſſunt autem, ſi ſint ingentes, ergo &c. Sentiendum igitur videtur, quod ratione maioris affectus materni, & naturalis pietatis circa perſonam filiorum, ac circa bona eorundem mater non poſsit repetere expenſas pro alimentis, quamuis magnas, & conſiderabiles, vt ſaluetur tale diſcrimen cognitum ab omnibus.

Quid ergo in hac controuerſia concludendum? Suppono in primis, quod filij fuerint diuites, & mater non fuerit pauper; nam, ſi mater eſſet pauper, tunc non incongruè ſentiunt *Salicetus in d. l. alimenta num. 2. C. de reb. geſt.*, *Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrim. part. 2. c. 16. nu. 909.*, *Corneus conſ. 28. in fin. vol. 4.*, *Stephanus Gratianus diſcept. forenſ. tom. 2. c. 374. num. 17.*, *Cancerius var. part. 1. c. 16. num. 31. verſ. nuper ſucceſſit*, quod mater poſſet repetere expenſas magnas factas in filiorum alimentis, quandoquidem non eſt præſumendum, quod cum ſui inopia voluerit filiorum patrimonium, vel bona conſeruare, ſeu augere. Ad hoc plurimum facit id, in quo aſſerit *Cancerius loc. ſupra cit.* ſe conſuluiſſe nempè in fauorem Patris pro repetitione æſtimationis alimentorum, quæ præſtitit nurui poſt mortem filij eo, quod nurus habebat, quo commodè poſſit ſibi, & familiæ conſulere, cum Pater filij defuncti eſſet pauper. Caſus hic erat. Receſſerat filius a Patre de conſenſu eiuſdem Patris, & viuebat cum vxore ſua gaudens ampla dote, quam vxor eidem attulerat, & ex eadem vxore genuerat filium. Cum benè idem filius ſeparatus à Patre non gereret negotia ſua, Pater ad ſe ipſum reuocauit, eundemq; cum nuru & filio, & famula educauit ſuis ſumptibus; Mortuo deinde eodem filio per plurimos annos Pater ſuis ſumptibus alimenta præſtitit nurui cum eius filio, & ſibi nepote; & poſtea repetebat expenſas factas in alimentis eiuſdem nurus, & filij. Conſuluit in hac hypotheſi idem *Cancerius loc. cit.*, quod Pater iuſtam haberet cauſam repetitionis alimentorum, eo quod ipſe eſſet pauper, & nurus haberet amplam dotem, & reditus, quibus poſſet ſe ipſum, & filium commodè alere. Difficultas igitur potiſſimum eſt, quando tam mater, quàm filius ſunt diuites, & mater contulit alimenta filio nulla præuia proteſtatione animi repetendi expenſas in eiſdem alimentis factas. Equius præſumerem pro animo donandi, adeoq; non eſſe locum repetitioni, prout ſentiunt DD. omnes pro ſecunda

15 **Si mater fuerit pauper, & filij diuites non præſumitur donare.**

Rationes pro aſſerto.

Euincitur etiam exemplo.

opinione allegati; & pro hac militat ratio affectionis maternæ, & naturalis pietatis inditæ parentibus. Neque obſtant argumenta pro prima opinione adducta; Non primum, quia licet donationes regulariter non præſumantur, fallit tamen, vbi agitur inter proximos ſanguine coniunctos, & præcipuè, ſi ſit in ordine ad proximè deſcendentes, in ordine ad quos natura ipſa impellente ſupponitur talis affectio, quæ omnes alios affectus ſuperat; Non ſecundum, quia licet concurrant duæ præſumptiones oppoſitæ, præſumptio tamen ſanguinis, & naturalis affectionis præualet, & propterea mutuo non eliduntur; Non tertium, propter rationem ſecundam adductam in ſecunda ratione ſecundæ opinionis, quam nos adduximus, & ſuſtinemus; aliud enim eſt loqui de expenſis factis circa bona, ac de expenſis factis circa perſonam, eo quia efficacior eſt affectio circa perſonam, ac circa bona, & textus allegatus *in d. l. omnino ff. de expenſ. in reb. dot. fact.* procedit tantum quoad bona; nec aliquid negotij infert id, quod dictum fuit de veſtibus pretioſis, & quotidianis collatis vxori; nam ratio diuerſitatis deſumitur ex eo, quod pretioſas veſtes ſupponitur maritus contuliſſe præcisè ad pompam, quotidianas verò ad neceſſitatem, vnde illas contuliſſe non eſt præſumendus cum animo donandi, iſtas verò ſic; atque ita loquuntur *Bartolus in l. ſi vſusfructus n. vnico ff. ad leg. falcid.*, *& in l. penult. §. ſeruis vxoris num. 3. ff. ſol. matrim.*, *Alexander de Neuo c. fin. num. 22. de donat. inter vir, & vxor*, *Menochius de arbitr. lib. 3. cent. 3. caſ. 218. num. 2.*, *Iulius Clarus lib. 4. recept. §. donatio q. 10. verſ. ſucceſſiuè quæro*, *Maſcardus de probat. concl. 564. num. 4.*; hæc autem ratio non militat in collatione alimentorum, quæ non ſupponuntur tradita ad pompam, nec amplius remanent.

In ordine ad ſecundum abſolutè aſſerendum exiſtimo, quod, ſi mater pro tempore, pro quo adminiſtrauit bona filiorum, eiſdem alimenta ex ſuo ſubminiſtrauit, non præſumatur animo donandi contuliſſe, ac proinde poſſit iuſtè eorum æſtimationem repetere. *Bartolus in l. Neſennius num. 5. ff. de negot. geſt.*, *& ibi Baldus num. 3.*, *Fulgoſius num. 4.*, *Paulus de Caſtro num. 3.*, *Mantica de tacit., & ambig. lib. 13. tit. 12. num. 13.*, *Surdus de aliment. tit. 6. q. 8. num. 47., & ſeqq.*, *Menochius de præſumpt. lib. 6. præſumpt. 71. num. 3.*, *Cancerius var. reſol. part. 1. c. 16. num. 3.*, *Ioannes Garzias de expenſis c. 4. num. 25.*, *Stephanus Gratianus diſcept. for. tom. 2. c. 374. num. 17.*, *Rota Romana in vna Romani compromiſſi 4. Maij*

15.

16 **Quando tàm mater, quàm filij ſunt diuites, præſumitur mater donaſſe.**

17 **Soluuntur rationes oppoſitæ ſententiæ.**

18 **Si mater pro tempore adminiſtrationis bonorum filiorum contulerit ex ſuo alimenta, poteſt eorũ æſtimationem repetere.**

Digitized by Google

1582. *verſ. quarto, quia in præſtandis coram Cardinali Seraphino*. Ratio in vniuerſum ex eo poteſt deſumi, quia licet inter matrem, & filium militare videatur ratio naturalis pietatis, & præſumptio pro eadem, ceſſat tamen, quando concurrit alia potentior, & efficacior præſumptio, prout euenit in præſenti hypotheſi, ſecundum quam, cum adminiſtret bona filiorum, ſupponitur eos alimentare ex bonis proprijs ipſorum, & cum, vt talis cogi poſſit ad eadem alimenta ſubminiſtranda, non ſupponitur donare *arg. l. donari ff. de donat., & l. donari ff. de reg. iuris*, in quibus textibus dicitur, quod tunc aliquid videatur donari, quando nullo cogente iure ſoluitur.

Limita primo aſſertionem, quando mater, quæ confert alimenta filijs, eſſet

19 Mater debitrix filiorum conferens eiſdem alimenta non præſumitur donare.

eorum ex iuſto titulo debitrix *Ruinus conſ. 223. num. 2. vol. 1., Surdus de alimentis tit. 6. q. 8. num. 63., Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrim. part. 2. c. 16. num. 926.* Ratio eſt, quia tunc, quando aliquid alteri ſoluit, vel confert, ſupponitur ſoluere, & conferre ob duriorem cauſam, & ſic datum à debitore ſupponitur datum in cauſam debiti, & compenſationem eiuſdem *l. ſi cum dotem §. ſi pater ff. ſolut. matrim., Bartolus in l. triticum num. 4. ff. de verb. oblig.*

Limita ſecundo in caſu, quo non ſolum expreſsè proteſtatio fuiſſet per matrem anticipatè, vel in ipſo actu colla-

20 Nec, ſi expreſsè, vel tacitè præmiſerit proteſtationẽ.

tionis alimentorum præmiſſa *l. Neſennius ff. de negot. geſt. l. ſi paterno C. eod.*, ſed etiam tacitè, puta, ſi ante eorum traditionem, vel in ipſo actu traditionis ſcripſerit in ſuo libro rationum partitas eorundem alimentorum per textum *in l. Neſennius ff. de neg. geſt.* Dixi *vel antecedentèr, vel in ipſo actu traditionis*, nam, ſi ſubſequentèr ex interuallo ſcripſerit poſt actum perfectum, non videtur poſſe prodeſſe, quandoquidem iam in præſumptione ius eſt quæſitum filijs, quod nequit per ſubſequentem declarationem tolli, & licet dicatur, quod declaratio ſemper poſſit fieri, & retrotrahatur ad tempus diſpoſitionis, hoc tamen fallit, quando talis declaratio cederet in damnum alterius, qui ius iam acquiſiuit *Tiraquel in l. ſi vnquam verb. libertis num. 15. C. de reuoc. donat., Rolandus à Valle conſ. 46. num. 38. vol. 2.*

21 In defectum Patris, & aſcendẽtium tenetur mater in ſubſidium.

Aſſertio IV. Si Pater, alijq; eius aſcẽdentes nequeant filios alere, tenetur mater in ſubſidium filijs alimenta præſtare. *Bartolus in auth. res quæ nu. 4. C. communia de legat., & in tract. de aliment. num. 13., Molina de primog. lib. 2. c. 15. num. 5., Padilla in d. auth. res quæ num. 60., Corduba à Lara in l. ſi quis à liberis §. ſi mater num. 10., & 14. ff. de lib. agnoſ., Valaſcus conſult. 92. num. 9., Surdus de aliment. tit. 1. q. 14. nu. 9.* Ex Theologis *Azorius part. 2. lib. 2. c. 3. q. 8., Leſſius de iuſt. lib. 2. c. 19. num. 20., Laiman lib. 5. tract. 10. part. 3. c. 5. num. 5., Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrim. part. 2. c. 7. num. 332.*

Ratio ex eo deducitur, quod ſupra dicebamus *ex l. ſi quis à liberis §. vtrum autem tantum ff. de lib. agnoſ.*, & ex eo, quod ipſa non ſit caput familiæ, ſicuti vir, & ad generationem ipſam licet concurrat actiuè, concurrit tamen minus principalitèr.

PRÆNOTIO VI.

Comparando aſcendentes Patris, & matris tùm ad inuicem, tùm ad ipſum Patrem, & matrem, cui prius incumbat onus alendi filios, & filias.

SVMMARIVM.

Variæ comparationes explicantur. 1.

Auus paternus, cæteriq; aſcendentes tenentur per prius alere nepotes, ſi eos habeant in ſua poteſtate, ſecus, ſi non habeant. 2.

Defuncto Patre, vel impotente per prius tenetur auus Paternus comparatiuè ad matrem. 3.

Intellige non ſolum quoad nepotes legitimos, ſed etiam quoad illegitimos ex filio legitimo, & quoad legitimos ex filio illegitimo, & quoad ſpurios ex filio ſpurio. 4.

Per prius tenetur auus paternus, & eius aſcendentes comparatiuè ad auum maternum. 5.

In concurſu aui materni diuitis cum matre diuite per prius tenetur mater. 6.

Intellige ſiue in ordine ad filios legitimos, ſiue illegitimos. 7.

Spurij ſunt in duplici differentia, & quanã. 8.

Coitus coniugati cum ſoluta non eſt iure ciuili punibilis. 9.

Auus paternus, & maternus in defectum Patris, & matris tenentur ordine ſucceſſiuo ad alimenta nepotum ſpuriorum non ex coitu punibili genitorum. 10.

Etiam ad alimenta ſpuriorum ex damnato coitu genitorum ſtante æquitate canonica. 11.

Mortuo Patre, vel auo relictoq; hærede extraneo ad iſtum ſpectat onus alẽdi filios. 12.

Hæredes Patris tenentur per prius alere filios eiuſdem. 13.

Etiam ſi filij habeant alios parentes propinquos, qui teneantur in ſubſidium. 14.

Explicatur textus in l. non quemadmodum ff. de lib. agnoſ. 15.

Hæredes Patris tenentur etiam alere filios illegitimos, & ſpurios. 16.

In concurſu matris diuitis reſpectu filij, & filij eiuſdem filij tenetur per prius filius. 17.

In defectum lineæ virilis tenentur hæredes lineæ fœmineæ. 18.

PLurimæ quæſtiones veniunt ſub hoc titulo examinandæ in ordine ad diuerſas comparationes, quæ fieri poſſunt
1 in hoc genere, & primo comparando auum Paternum in ordine ad Nepotem, vel neptem cum Patre eorundem, qui eſt filius eiuſdem Aui, inquiri poteſt, an ipſe Auus per prius teneatur alere eoſdem Nepotes, & neptes, ſiue Pater ad huc ſit conſtitutus ſub poteſtate eiuſdem aui, ſiue non, & hoc quæſitum extendi poteſt ſiue ad nepotes legitimos, ſiue illegitimos; Secundo comparando Auum paternum ad matrem ſuperſtitem defuncto ipſius marito, qui erat Pater eorundem filiorum nepotum eiuſdem aui paterni, an per prius teneatur idem auus paternus ad alimenta nepotum, an verò eadem mater; Tertio comparando auum paternum, ſeu aſcendentes per lineam virilem defuncto Patre, & matre ad auum maternum, ſeu aſcendentes per lineam fæmineam, an per prius teneantur auus paternus, & aſcendentes ex linea virili, an verò auus maternus, & aſcendentes per lineam fæmineam loquendo de Nepotibus ſiue legitimis, ſiue illegitimis; Quarto in ſuppoſitione, qua auus paternus, ſeu aſcendentes per lineam virilem per prius teneantur comparatiuè ad matrem, an ipſo, ſeu ipſis defunctis teneantur per prius eiuſdem, ſeu eorundem hæredes, an verò hoc onus immediatè tranſeat ad matrē.

Variæ comparationes explicantur.

Procedunt primo ea, quę hic ſunt examinanda ex ſuppoſitione, quod filij, ſeu nepotes ſint pauperes, & indigentes, nam ſtando in iure naturæ, ſi ſint diuites, vel aliunde habeant, ſeu commodè habere poſſint, quo viuere poſſint, ſicuti non obligant Patrem ad eiſdem conferenda alimenta, ita nullo minus obligare poſſe videntur alios ab ipſo Patre. Secundo procedunt ex ſuppoſitione, quod tam auus paternus, quàm alij, ad quos ſit comparatio, ſint diuites; ſi enim Pater v. g. eſſet inops, indubitatum eſt, quod vel auus, vel mater diuites tenerentur filios alere. Procedunt tertio non ſolum in ordine ad alimenta præſtanda, ſed etiam ad dotem filiæ, ſeu nepti conferendam.

Suppoſitiones, ſecundum quas procedit titulus.

Aſſertio I. Auus paternus, cæterique aſcendentes per lineam rectam maſculinam non tenentur per prius alere nepotes, ſeu neptes, ſi eoſdem non habeant ſub ſua poteſtate, & Pater ſit diues, ſecus verò, ſi eoſdem habeant ſub ſua poteſtate.

Ita quoad primam partem conſentiunt *Petrus Barboſa l. 1. p. 4. num. 112. verſ. ſecundo vrget ff. ſolut. matrim.*, *Socinus Iunior in d. l. 1 num. 92.*, *Bartolus in l. penult. ff. de lib. agnoſcendis, & in l. nam quemadmodum ff. eod.*, *Ioannes Lupi in c. per veſtras not. 3. §. 24. de donat. inter vir, & vxor.* *Pontanus de alimentis c. 11. nu. 12.*, *Peregrinus de iure fiſci lib. 3. tit. 18. num. 64.*, *Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrimonij part. 2. c. 7. num. 292.* Quoad ſecundam conſentiunt idem *Petrus Barboſa, & Socinus Iunior loc. cit.* aduerſus alios omnes præallegatos pro prima parte. 2

Auus paternus, cæterique aſcendentes tenentur per prius alere nepotes, ſi eos habeant ſub ſua poteſtate, ſecus, ſi non habeant.

Ratio primæ partis ex ijs deſumitur, quæ ſupra dicebamus *ſub hoc eod. tit. de matrim. 9. prænot. 4. aſſert. 1.* nempè, quia Pater eſt per ſe principium, & cauſa immediata filij, vnde titulo pietatis naturalis tenetur eundem alere; conſonantius autem congruit pietati, & charitati naturali, vt Pater, quando poteſt, alat filios, quam quod eoſdem alat Auus, *cum iure* ſanguinis magis pater accedat ad filium, quam auus paternus, cæteriq; aſcendentes per lineam virilem, prout benè notant *Alexander in l. alimenta in fin. C. de negot. geſtis*, *Boerius conſ. 107.*, ergo in concurſu Patris, & aui paterni, quando ambo ſunt potentes, & diuites, per prius tenebitur Pater ad alimenta filijs præſtanda.

Magis ad filium accedit Pater, quam auus.

Ratio ſecundæ partis ex eo deſumitur primo, quia iura præcipuè *in l. penult. ff. de lib. agnoſ.* agnoſcunt diſcrimen inter deſcendentes per lineam virilem, ac per lineam fæmineam, quod diſcrimen non intercederet, ſi Auus paternus per prius non teneretur alere nepotes, ſeu neptes, quando ſunt ſub ipſius poteſtate. Hoc autem aſſumptum ſic euincitur. Auus maternus tenetur alere nepotes, ſeu neptes, quando eorum, ſeu earum Pater eſt inops, nec poteſt illos, ſeu illas alere per ea, quæ docet *Petrus Barboſa d. l. 1. p. 4. num. 112. verſ. 2. vrget ff. ſolut. matrim.*, ergò, cum ad quid magis teneatur auus paternus etiam, quando filius eſt diues, nepotes tamen ſunt ſub ipſius aui poteſtate, tenebitur illos alere. Scio, quod poſſunt reſpondere aduerſarij, quod diſcrimen inter auum paternum, & maternum, quod iura cognoſcunt, conſiſtat in eo, quod per prius tenetur auus paternus comparatiuè ad auum maternum, non in eo, quod auus paternus, quando ipſius filius, & Pater nepotum eſt diues, teneatur eoſdem nepotes alere, quantumuis ſint ſub ipſius poteſtate. Sed facilè huic ſubterfugio poſſum occurrere aſſerens, quod, quantumuis verum ſit, quod in concurſu prius teneatur auus paternus, quam

Rationes ſuadentes per prius teneri auum paternum quando nepotes habet in ſua poteſtate.

Digitized by Google

quam maternus, nihilominus indubitabile ſit, quod præſcindendo à prioritate, & poſterioritate maius onus incumbat auo paterno, quam materno, ſicut maius onus incumbit patri, quam matri; quod onus in alio congruentius non poteſt cõſiſtere, quam, quod auus paternus teneatur alere nepotes, ſeu neptes, quando ſunt ſub ipſius poteſtate.

Bona aduentitia Patris reſpectu aui ſunt quoad vſumfructum apud eũdẽ auum,

Secundo ratio ex eo deſumitur, quia, quando Pater filius aui eſt ſub poteſtate eiuſdem, omnia bona aduentitia, & profectitia eiuſdem pertinent ad eundem auum quoad vſumfructum, & adminiſtrationem ex generali regula bonorum aduentitiorum per ea, quæ alibi fusè docuimus, ergo onus alendi eundem filium, & filios eiuſdem, quatenus ſunt ſub poteſtate aui, pertinere debet ad eundem auum, vt ſicut ex conditione proprij ſtatus gaudere debet iure talis vſusfructus, & adminiſtrationis, ita ſubire debeat onera alimentorum;

Duplex ratio concurrit ad obligandum auũ, & quænam.

Tertio ex eo deducitur, quia, quando nepotes, ſeu neptes ſunt ſub poteſtate aui, reſpectu eiuſdem aui duplex ratio obligans concurrit, altera naturalis pietatis ratione ſanguinis, altera ratione poteſtatis, ſub qua conſtituti ſunt ijdem nepotes, ſeu neptes, ergo in concurſu cum Patre ipſe auus, vtpotè fortiori vinculo obſtrictus tenebitur nepotes, ſeu neptes alere; Neque dicas cum *Ioanne Angelo Boſſio tract. de effect. matrimon. part. 2. c. 7. num. 292.* rationem patriæ poteſtatis ad nihil conferre in ordine ad onera alimentorum, ad quæ ſolum attenditur ius ſanguinis, & coniunctionis corporalis, & propterea in auo non eſſe attendendum duplex illud vinculum, de quo in probatione; Contra enim impugnaberis, quia dato etiam, quod patria poteſtas ſecundum ſe non conferrat ad illud onus alimentorum, prout tamèn coniungitur cum iure ſanguinis, reddit fortius onus reſpectu eiuſdem aui, & propterea &c.

3

Defuncto Patre, vel impotente onus alendi filios per prius incumbit auo paterno.

Aſſertio II. Defuncto Patre, ſeu eodem impotente ad alendos filios per prius onus eoſdem nutriendi, ſeu alimenta eiſdem tradendi ſpectat ad auum paternũ, cæteroſq; aſcendentes ex linea virili comparatiuè ad matrem *Ioſeph Roccafull. in praxi, quid agendum part. 3. lib. 2. num. 44., Megala part. 2. lib. 2. c. 23. q. 1. nu. 23. in fine, Laiman lib. 5. tract. 10. part. 3. cap. 5. num. 7., Silueſter verb. alimenta num. 2., & verb. filij q. 21., Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrim. part. 2. c. 7. num. 295.* Ex Iuriſtis *Ruinus conſ. 94. num. 9., & ſeq. vol. 5., Corduba à Lara in d. l. ſi quis à liberis §. ſi mater num. 37., & ſeqq. ff. de lib. agnoſ., Stephanus Gratianus tom. 2. c. 259. num. 14.*

Colligitur expreſsè *ex l. penult. ff. de lib. agnoſcend.*, & vlterius ratione probatur, quia, ſicuti Pater propagatur in filio, & in eodem conſeruatur, ita & auus propagatur, & conſeruatur in Nepotibus; vnde naturalis pietas in vtroque deriuatur; ſicuti igitur ratione talis naturalis pietatis tenetur per prius filios Pater alere comparatiuè ad matrem, ita & per prius comparatiuè ad eandem tenetur auus paternus, cuius eſt pars idem Pater. Vlterius diſpoſitione iurium ciuilium comprobatur aſſertio, quia eadem iura vltra primum triennium non obligant matrẽ ad alendos filios, niſi quando iſti aliunde non habent, quo alantur, ſeu ali poſſint, ſed quando habent auum paternum diuitem, ſeu aſcendentes per virilem lineam non poſſunt dici, quod nõ habeant aliunde, quo alantur, ſeu poſſint ali, ſiquidem eadem iura poſitiua Auum, cæteroſq; aſcendentes ad hoc obligant, ergo &c. Tandem, quia, ſi neptis habeat, & auum paternum diuitem, & etiam matrem diuitem, prius eſt cogendus idem Auus ad eandem dotandam, quam mater *Petrus Barboſa d. l. 1. num. 123. ff. ſol. matrim., Corduba à Lara in d. l. ſi quis à liberis §. ſi mater num. 3. ff. de lib. agnoſ., Stephanus Gratianus diſcept. for. tom. 2. c. 259. à num. 12. ad 21.* per textum *in l. dedit dotem ff. de col., & l. fin. C. de dot. promiſ.*, ergo etiam &c.

Rationes pro aſſertione.

Neque obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, quod mater filio decedenti ſuccedat excluſo auo paterno per textum *in auth. defuncto C. ad Tertul.*, nec item, ſi dicatur, quod onus alendi filios deſcendat ex æquitate naturali fundata in ſanguinis coniunctione; magis autem, & immediatiùs mater coniungitur filio, quã auus paternus; Non, inquam, obeſſe poteſt; non primũ, quia onus alendi filios, ſeu dotandi filias nihil habet commune cum iure ſuccedendi, quod multis elucet exemplis; primo, quia Pater, & mater æquè ſuccedunt filio, & tamen per prius obligatur Pater ad ipſum alendum. Secundo, quia mater, & frater ſuccedunt æquis portionibus filio, & tamen per prius tenetur mater comparatiuè ad fratrem ad eundem filiũ alendum. Hæc omnia colligo *ex Stephano Gratiano diſcept. for. tom. 2. c. 259. num. 21.*; Non ſecundum, quia licet mater immediatius attingat ſubſtantiam filij, quam auus paternus, nihilominus auus paternus ex immediata coniunctione, quam habet cum filio, qui eſt Pater nepotis, quique principalius ſe habet in ordine ad eiuſdem Nepotis generationem, videtur principalius attingere, adeoq; &c. Accedit, quod idem Nepos eſt de linea Aui, & de ipſius agnatione, non matris.

Onus alẽdi filios nihil habet commune cũ iure ſuccedendi.

4 *Intellige non ſolũ quoad nepotes legitimos, ſed etiam quoad illegitimos quomodocunq;*

Aſſertio III. Auus paternus, & cæteri aſcendentes tenentur etiam per prius cõferre comparatiuè ad matrem alimenta non ſolum Nepotibus illegitimis ex filio legitimo procreatis, ſed etiam nepotibus legitimis ex filio ſpurio progenitis, & etiam ſpurijs ex eodem ſpurio. Ita quoad primã partem *Ludouicus Molina de iuſt. to. 1. diſp. 168. §. non ſolum parentes*, *Azorius part. 2. lib. 2. c. 4. q. vlt.*, *Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrim. part. 2. c. 7. num. 283.* Ex Iuriſtis *Nicolaus de Vbaldis in tract. de ſucceſ. ab inteſtato part. 1. in quarta ſpecie liberorum*, *Coaruuias de ſponſalib. part. 2. c. 8. §. 6. num. 16.*, *Carpanus ad Statut. Mediol. 313. num. 15.*, *Socinus conſ. 161. nu. 9.* Quoad ſecundam *Rolandus à Valle conſ. 54. num. 62. lib. 2.*, *Vincentius de Franchis deciſ. 283. num. 15.*, *Petrus Barboſa ad d. l. 1. part. 4. num. 71. ff. ſolut. matrim.*, *Gaſpar Antonius Theſaurus qq. for. lib. 9. q. 25. num. 9.*, *Auguſtinus Barboſa collect. ad c. cum haberet num. 8. de eo, qui duxit in matrim.* Quoad tertiam *Gama deciſ. 11. num. 8.*, *Ioannes Nicolaus Lucidorus de illegit. cleric. c. 17. nu. 18.*, *Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrim. part. 2. c. 7. num. 286. in fin.*

Prima pars ex eo liquet, quia, quantumuis per iura ciuilia onus alendi filios ſpurios, & illegitimos pertineat ad matrem per textum *in §. ſi quis ſanè auth. quib. mod. natur. efficiantur legitimi*, attenta tamen æquitate canonica, ſeu diſpoſitione iuris canonici *in c. cum haberet de eo, qui duxit in matrim.* onus talium alimentorũ per prius pertinet ad Patrem per ea, quæ latè ſupra docuimus *ſub hoc eodem titulo de matrimon. 9. pranot. 4. aſſert. 3.*, ergo deficiente Patre, vel eo reddito impotente tenebitur ad eadem alimenta auus paternus, cæterique aſcendentes per lineam rectam. Conſequentia probatur primo paritate, quia, ſicuti iuxta diſpoſitionem iuris ciuilis, ſecundum quam obligatur mater ad alendos filios ſpurios deficiente matre, vel ea reddita impotente, onus eoſdem alendi transfunditur in aſcendentes eiuſdem matris, ita, cum ex diſpoſitione iuris canonici obligetur per prius Pater ad eoſdem ſpurios alendos, eodem deficiente, vel reddito impotẽte onus transfundetur in auum paternum, cæteroſq; aſcendentes ex parte Patris. Secundo, quia Pater etiam in ordine ad filios ſpurios tenetur titulo naturalis pietatis fundatæ in iure ſanguinis, ſed hæc eadem ratio militat deficiente Patre in auo paterno, ergo &c.

Æquitas canonica refundit onus in Patrem.

Dices nepotes ſpurios regularitèr potius eſſe exoſos auis paternis, cæteriſq; aſcendentibus ex parte Patris, quam gratos, & propterea non fundare reſpectu eiuſdem aui, & aſcendentium titulum naturalis inſtinctus, propenſionis, & affectionis, ac proinde non transfundere onus ipſos alendi in dictum Auum &c. Sed contra primò, quia hac ratione iuxta diſpoſitionem iuris ciuilis deficiente matre, vel reddita impotente non tenerentur eius aſcendentes ad filios eiuſdem matris ſpurios alendos, cum etiam eiſdem aſcendentibus exoſi nepotes ſpurij præſumantur, ſicque proles illa ſine alimentis maneret. Secundo, quia hac ratione, quandoq; etiam aui paterni deficiente Patre eximerentur ab onere alendi nepotes legitimos, puta, ſi Pater contra aui paterni, cæterorumq; aſcendentium vxorem duxiſſet, quia tunc illud matrimonium eſſet eiſdem exoſum, & per conſequens etiam filij ex eo procedentes. Tertio, quia iura reſpiciunt ius ſanguinis, & id, quod ex eodem naturalitèr prouenit, non id, quod ex voluntate coniunctorum in ſanguine poteſt prouenire; ex iure autem ſanguinis ex natura ſua prouenit illa naturalis inclinatio, & pietas, adeoq; &c.

Proponitur inſtãtia cõtraria, & diſſoluuntur.

Secunda pars ex eiſdem ferè rationibus liquet, & vlterius ſic euincitur, quia videtur maior ratio vrgere pro alimentis præſtandis nepoti legitimo ex filio ſpurio, quam nepoti ſpurio ex filio legitimo, ſiquidem non ita ſunt exoſi legibus filij legitimi ex ſpurio, ſicuti filij ſpurij ex legitimo, & in caſu, de quo loquimur, ceſſat ratio, per quam iura ciuilia eximunt auum ab onere præſtandi alimenta Nepotibus illegitimis, quæ ratio eſt, vt Pater adulter puniatur in filio, ergo &c.

Rationes pro ſecũda parte.

Tertia pars ex eo liquet, quod etiam ſpurij nepotes ex filio ſpurio veniunt nomine liberorum, & ſicuti ex iure canonico onus ipſos alendi transfunditur in Patrem, ita eo deficiente, vel impotente transfunditur in auum paternum, qui eodem pietatis naturalis titulo tenetur.

Rationes pro tertia

Aſſertio IV. Comparando auum, & aſcendentes ex parte Patris ad auum maternum, eiuſque aſcendentes deficiente Patre, & Matre per prius tenetur auus paternus, eiuſque aſcendentes ad alendum nepotes ſiue legitimos, ſiue illegitimos, & non niſi per poſterius auus maternus, eiuſque aſcendentes. *Bartolus in l. non quemadmodum ff. de lib. agnoſ.*, *Boerius conſ. 17. num. 4.*, *Coaruuias de ſponſal. part. 2. c. 8. §. 6. num. 16.*, *Molfeſius ad conſuet. Neapol. tom. 1. p. 5. q. 11. num. 14.*, *Mareſcot. var. lib. 2. c. 8. num. 37.*, *Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrimon. part. 2. c. 7. nu. 336.* 5

Per prius tenetur auus paternus, & aſcendentes ex parte ipſius comparatiuè ad auum maternum, & eius aſcendentes.

Prima pars expreſsè colligitur *ex d. l. ſi quis à liberis §. vtrum autem, & l. non quemadmodum ff. de lib. agnoſ.*, & in fortioribus terminis deducitur ex ijs, quæ ſupradicta ſunt;

Digitized by Google

ſunt; ſi etenim in concurſu aui paterni, & matris tenetur per prius auus paternus alere nepotes, & mater non niſi per poſterius, & in ſubſidium, in fortioribus terminis in concurſu aui paterni, & materni deficiente Patre, & Matre tenebitur auus paternus Nepotes alere.

Hic alia ex occaſione oritur difficultas, an ſcilicet, ſicuti in concurſu aui paterni diuitis cum matre diuite tenetur auus paternus alere filios, ita in concurſu aui materni diuitis cum matre item diuite teneatur auus maternus per prius ad alimenta nepotibus præſtanda? Aſſerendum eſt per prius non teneri auum maternum, & aſcendentes ex linea fæminea alere Nepotes, ſed matrem, ſi iſta ſit diues, & habeat, quo eoſdem poſſit alere. Deducitur ex paritate eorum, quæ dicta ſunt in præcedentibus de auo paterno comparatiuè ad Patrem, maximè, cum Nepotes in ordine ad auum maternum non ſint de ipſius agnatione.

6 **In concurſu aui materni diuitis cũ matre diuite per prius tenetur mater.**

Dixi *ſiue legitimos, ſiue illegitimos*, prout docent *Tiraquel in d.l.ſi vnquam verb. ſuſceperit liberos num.63. C. de reuoc. donat.*, *Moleſinus ad conſuet. Neapol. tom.1. part.5. q.11.*, *Mareſcotus var. lib.2. c.83. num. 39.*, *Gloſa in l. ſi quis à liberis §. item D. Pius ff. de lib. agnoſ.* hos etenim etiam tenetur in defectum Patris per prius alere auus paternus, cæteriq; aſcendentes, & etiam in defectũ matris, & aſcendentium ex linea virili auus maternus, & auia *per d.l. ſi quis à liberis d.§. item Diuus Pius*; nam, ſicuti deficiente Patre, eiuſque aſcendentibus tenetur, ſi poteſt, filios illegitimos alere, ita, ſi non poteſt, transfundit onus ipſos alendi in auum maternum, cæteroſque ipſius aſcendentes &c. Hic ſolum oritur difficultas, an auus Paternus, & maternus ſeruato ordine ſucceſſiuo non ſolum teneantur alere nepotes illegitimos, ſed etiam ſpurios ex damnato, & punibili coitu genitos, & natos. Ratio dubitandi ex eo conſurgit, quod iura ciuilia diſponunt ſpurijs ex damnato coitu natis non deberi per parentes alimenta, vt apertè colligitur *ex auth. in complexu C. de incertis nupt.*, *& ex auth. quibus mod. natur. effic. ſui*; pro cuius notitia aduertendum eſt, ſpurios eſſe quodamodo in duplici differentia, alios, qui nati ſunt ex damnato coitu a iure ciuili, & punibili, cuiuſmodi eſt inceſtus, ſeu coitus cum conſanguinea, vel affine, concubitus ſacrilegus cum moniali profeſſo, vel Religioſo, item profeſſo, ſeu cum exiſtente in ſacris, coitus cum vxore, ſponſa, & concubina alterius, ſtuprum cum virgine aut vidua honeſtæ conditionis, reſpectu cuius tamen non eſt propriè ſtuprum, ſed violenta fornicatio, concubinatus Dominæ cum proprio ſeruo; hi etenim omnes ſunt à iure ciuili prohibiti ſub grauibus pęnis, prout latè tradunt *Hotomanus in ſuis varijs diſp. diſput. de ſpurijs*, *Surdus de aliment. tit. 1. q. 10. num. 34.*, *Theſaurus qq. forenſ. lib.1. q.22. num. 14.*; Alios, qui procreantur ex coitu damnato, quidem à iure diuino, & canonico, tanquam grauitèr peccaminoſo, non autem iure ciuili, & non punibili aliqua pœna temporali; vnde filij ex iſto nati dicuntur ſpurij ſimplicitèr; talis eſt coitus ſoluti cum ſoluta, vel cum vidua non honeſtæ conditionis, congreſſus cum ancilla, & quacunque alia vili fæmina, ſiue etiam cum meretrice publica, quæ, ſi fuerit coniugata, & conſentiente marito fuerit ab altero fornicariè cognita, non conſtituit coitum iure ciuili punibilem, iuxta *Theſaurum qq. forenſ. lib. 1. q. 22. num. 20.*, *Ioannem Lupi de illegit. tom.1. §.5. num.146.*, ſi verò fornicata fuerit marito diſſentiente, & contradicente conſtituit coitum de iure punibilem *Farinacius in praxi crimin. tit. de delict. carnis q.141 nu. 87.*, & de communi teſtatur *Ioannes Lupi loc. cit. num.145.*, quidquid ex aduerſo alij dixerint ſentientes, quod quando eſt publica meretrix, quãtumuis ſit coniugata, eximatur à pœnis iuris. Quid verò ſentiendum ſit de coitu coniugati cum ſoluta, an ſcilicet ſit à iure punibilis, an nõ controuertunt DD. Iaſon *conſ. 39. col.2. in princip. lib.3.*, *Ancharanus conſ.335.*, *Menochius conſ.60. num. 11. lib. 1.*, *Alba conſ. 37. quamuis multa per tot.* ſuſtinent eſſe coitum damnatum, & punibilem, quod etiam ſentire videntur *Bartolus in l. fin. ff. de his quib. vt indigent*, *Baldus conſ.457. nu.7. lib.5.*, *Socinus Iun. conſ.48. num.8. cum ſeqq. l.4.*, dum dicunt, quod natus ex coniugato, & ſoluta non ſuccedit matri, nec hæc illi poſſit relinquere, ſed admittatur ad ſummum ad quantitatem alimentorum. Ex aduerſo alij ſentiunt coniugati cum ſoluta non eſſe coitum damnatum à iure ciuili, nec punibilem *Caſtrenſis conſ. 34. ſuper primo dub. col.3. verſ. in cauſa, quæ vertitur nu.1 lib.3.*, *Salicetus in l.1. oppoſ.4. C. de adulter.*, *& in l. ſi qua Illuſtris C. ad oreſician.*, *Paleotus de Nothis, & ſpur. q.42.*, *& alij innumeri*, quos citat, & ſequitur *Stephanus Gratianus diſcept. for. lib.1. c. 35. num. 26.* Alij media via procedunt, & vtramque præcedentem opinionem, quæ videtur oppoſita, cõciliant, dum aſſerunt primum habere locum in coitu, quem coniugatus habet, ſeu habuit cum concubina, ſeu cum fæmina ſoluta, quam domi retinet quaſi concubinam, & loco concubinæ, cum illam teneat contra prohibitionem per textum *in l.1. C. de concub.*,

7 **Intellige ſiue in ordine ad filios legitimos, ſiue illegitimos.**

8 **Spurij ſũt in duplici differentia, & quanam.**

Exponuntur ſpurij ex coitu punibili.

Exponuntur ſpurij ex coitu non punibili.

cub.; *Caccialupus in l. ſi quo illuſtris col.* 1. *num.* 4. *verſ. item adde*, *quod pluralitas C. ad orifician.*; Secundam verò opinionem habere locum in coniugato cum ſoluta, quam non habet loco concubinæ, quàm accidentalitèr extra domum cognouit.

9 Coitus coniugati cum ſoluta non eſt punibilis &c.

Hac in DD. varietate probabilius ſentio ſiſtendo in iure ciuili, quod, quamuis coitus coniugatæ cum ſoluto ſit damnatus, & à iure punibilis, non tamen ſit damnatus, & punibilis congreſſus coniugati cum ſoluta. Rationem ex eo deduco, quia ex vna parte maior honeſtas requiritur in muliere, quam in viro *Boſſius in tit. de coitu damnat. num.* 45., vbi alios plures allegat, & maior iniuria fit marito per vxorem fornicatam, quam vxori per virum adulterantem, cum per ipſam non violetur torus vxoris, nec ſubſtituatur proles incerta *Angelus de malefic. in verb. cb. bas adulterato verſ. quos accuſet*, *Marſilius in l. patre vel matre num.* 9. *ff. de quæſt.*, ex altera parte ſolum dicitur coitus damnatus, quando eidem aliqua pæna temporalis imponitur *Bartolus in l. fin. num.* 4. *ff. de his quib.*, *vt indig.*, *Iulius Clarus in §. fornicatio verſ. frequentèr*, *Coaruuias de ſponſ. part.* 2. *c.* 8. *§.* 5. *num.* 15. *in fin.*, nulla autem pæna temporalis imponitur, quando coniugatus cognoſcit ſolutam *l.* 1. *vbi Salicetum C. ad leg. Iul. de adult. l. inter liberos §. lex Iulia ff. eod.*; Nec obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, quod huiuſmodi coitus poſſit accuſari quoad ſtuprum, licet nō quoad adulterium *Gozzad. conſ.* 21. *col.* 5. *verſ. octauo, quod iſte num.* 24. *poſt Odofredum in l.* 1. *C. de concub.*, *Angelus in l.* 1. *in fin. C. de adult.*; Non, inquam, obeſſe poteſt, quia hæc ad ſummum procedere poſſunt, quando in illo coitu intercedunt qualitates veri ſtupri, puta, quod virgo violetur, vel vidua bonæ famæ, & honeſtæ conditionis.

Iam ad principalem difficultatem propoſitam, an ſcilicet auus paternus, ac maternus ordine illo ſucceſſiuo in defectum Patris, & Matris teneantur alere prolem ſpuriam reſpondendum eſt. Dico igitur, quod nulla ſit difficultas, quod ſit per eoſdem tali ordine alenda, quando orta eſt ex coitu non damnato, & de iure non punibili ſtante etiam diſpoſitione

10 Auus paternus, & maternus ordine ſucceſſiuo tenentur ad alimēta ſpuriorum ex coitu non damnato genitorū.

iuris ciuilis, prout notat *Baldus in d. auth. ex complexu C. de incert. nupt.*, *Antonius Gomez in l.* 9. *Tauri nu.* 37., *Palæotus de noth.*, *& ſpurijs c.* 40., *Coaruuias de ſponſ. part.* 2. *c.* 8. *§.* 6. *num.* 6.; hoc videtur colligi ex d. textu *in auth. ex complexu*, vbi ſic legitur *Ex complexu nefario aut inceſtu, ſeu damnato liberi, nec naturales ſunt nominandi omnis paternæ ſubſtantiæ beneficio indigni, vt non alantur à Patre*, ergo, ſi non fuerint ex coitu damnato progeniti, non erunt priuandi alimentis, cum verſemur in pænalibus, & odioſis, quæ non ſunt extendenda vltra expreſſa. Quoad ſpurios verò ex damnato coitu progenitos ſtante æquitate canonica, ſeu diſpoſitione iuris canonici ſentio etiam eſſe alendos ab auo paterno, & materno ordine ſucceſſiuo in defectum Patris, & Matris *Coaruuias de ſponſal. part.* 2. *c.* 8. *§.* 6. *nu.* 16., *Molfeſius ad conſuet. Neapol. tom.* 1. *part.* 5. *q.* 11. *nu.* 15., *Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrim. part.* 2. *c.* 7. *num.* 340., *& alij plures apud ipſum.* 11

11 Et etiam ad alimenta ſpuriorum ex damnato coitu genitorum ſtante æquitate canonica.

Probatur autem aſſertum, quia de iure canonico in defectum Patris tenetur mater alere filios etiam ſpurios ex damnato, & punibili coitu natos, ergo etiam in defectum matris, & aſcendentium ex linea virili tenebitur auus maternus, eiuſque aſcendentes. Conſequentia hæc probatur, quia eadem æquitas, & ratio naturalis, quæ in hac hypotheſi compellit matrem ad præſtanda alimenta filio ſpurio, compellit etiam ipſius aſcendentes in defectum ipſius ad eadem ſubminiſtranda; nam ſicuti, quando ius ciuile compellit matrem ad ſubminiſtranda alimenta filio illegitimo, compellitur in eius defectum auus maternus, ita, quando ius naturale, & canonicum eandem matrem compellunt ad eadem tradenda, compelli cenſendi ſunt ipſius aſcendentes in ipſius aliorumq; ad quos iure pietatis ſpectat, defectum.

Rationes pro prima parte reſponſionis.

Secunda pars aſſertionis, quod ſcilicet auus maternus, & auia materna in defectum Patris, & Matris, & aſcendentium ex linea virili teneantur alere nepotē, & neptē ſiue legitimos, ſiue illegitimos colligitur ex textu *in l. ſi quis à liberis §. vtrum autem, & l. non quemadmod. ff. de liber. agnoſ.* ipſamq; ſuſtinent ex Theologis *Molina de iuſt. tom.* 1. *diſp.* 168. *§. in defectum Patris, & diſp.* 228. *§. ſecundum eſt Azorius part.* 2. *lib.* 2. *c.* 4. *q.* 8. *verſ. præterea*, *Bonacina tom.* 2. *diſp.* 2. *p.* 6. *§.* 1. *num.* 3., *Villalobos tom.* 2. *tract.* 41. *difficult.* 8., *Trullench. in Decalogum lib.* 4. *c.* 1. *dub.* 3. *num.* 23., *Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrimon. part.* 2. *c.* 7. *num.* 338. ex Iuriſtis *Bartolus in d. l. non quemadmodum ff. de lib. agnoſ.*, *Boerius conſ.* 17. *num.* 14., *Pontanus de aliment. c.* 11 *num.* 12., *Carpanus ad Statut. Mediol. c.* 113. *n.* 4. *& ſeqq.*, *Tiraquel in l. ſi vnquam verb. ſuſceperit liberos num.* 63. *C. de reuoc. donat.*, *Padilla in auth. res quæ num.* 38., *& ſeqq. C. communia de legat.*, *Vallerus de diff. inter vtrumque for. verb. alimenta diff.* 6.; & quidem congrua ratione hoc videtur decerni, quandoquidem, ſicuti nomine Patris venit auus paternus, ita nomine matris venit auus maternus, & Auia, & ſicuti ceſſante Patre officium paternum transfunditur

Rationes pro ſecunda.

Digitized by Google

funditur in Auum, cæteroſque aſcendentes per lineam virilem, ita ceſſante matre officium eiuſdem transfundi debet in auum, & auiam maternam.

12 Mortuo Patre, vel auo paterno relictoq; hærede extraneo onus alẽdi filios tranſit directè in hæredem.

Aſſertio V. Mortuo Patre, vel Auo paterno relictis bonis hęredi extraneo onus alendi filios tranſit directè, & abſolutè in hæredes eiuſdem Patris, vel Aui. Ita ex Theologis *Molina de iuſt. tom. 1. diſp. 168. §. obſerua, Rebellus de oblig. iuſt. part. 1. lib. 5. q. 4. num. 13., Bonacina tom. 2. diſp. 6. q. vnica p. 6. §. 1. num. 7., Reginaldus lib. 20. nu. 40. verſ. ſexto, Azorius part. 2. lib. 2. c. 5. q. 5., Trullench. in Decalog. lib. 4. c. 1. dub. 3. n. 20., Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrim. part. 2. c. 7. nu. 351.* Ex Iuriſtis *Cinus in l. alimenta in fin. C. de negot. geſt., Alexander in l. mulier §. cum proponeretur nu. 4. in fine ff. ad Trebell., Baldus in auth. licet n. 2. C. de natural. lib., Theſaurus deciſ. 211. nu. 1., Peregrinus de iure fiſci lib. 3. tit. 18. num. 68. in fin., Fontanella de pact. nupt. tom. 2. clauſ. 5. gloſ. 1. p. 1. num. 118., Stephanus Gratianus diſcept. for. tom. 2. c. 366. num. 7., & tom. 3. c. 562. num. 37., & ſeqq., Rolandus à Valle conſ. 54. num. 65., & ſeqq. vol. 2.*

Antequam procedamus ad probationem præſentis aſſertionis aduertendum eſt primo videri aſſertionem omninò de caſu, ſeu ſubiecto non ſupponente, quandoquidem ſupponitur Pater ante mortem habuiſſe bona, quæ reliquit in hæreditatem extraneo, de quibus ſaltem legitima debebatur filio, vel fortè ex iure municipali tota hæreditas, niſi ſe indignum reddidiſſet per ſufficientem cauſam exhæredationis; ſecundo non videri habere locum eandem aſſertionem in caſu, quo idem filius haberet aliunde, quo ſe aleret, vel poſſet acquirere alimenta; ſi etenim aliunde haberet, iam ceſſaret in hæredibus onus ipſum alendi, ſicuti ceſſaret in Patre, vel auo paterno. Tertio aſſertionem locum habere ſeruato ordine ſucceſſiuo, adeo vt ex ſuppoſitione, qua huiuſmodi hæredes teneantur alimenta præſtare per prius teneantur hæredes Patris, quando Pater per prius viuens tenebatur, & non niſi per poſterius hæredes aui, quando iſti non tenebātur niſi in ſubſidium Patris, & ſic ſucceſſiuè. Quarto procedere aſſertionem *abſolutè, & directè*, non merè conditionatè, ſi ſcilicet non habeat alios ſanguine coniunctos, à quibus eſſet alendus. Facta igitur ſuppoſitione; quod filius aliunde non habeat, nec ex legitima, (quod tamen vix capi poteſt) quo filius ſe poſſet alere.

Variæ ſuppoſitiones ſecundum quas procedit aſſertio.

Probatur primo aſſertio *ex l. Si quis à liberis §. item reſcriptum ff. de lib. agnoſ.*, vbi non ſolum filij obligantur ad alendos parentes inopes, ſed etiam eorundem filiorum hæredes, ergo pari paſſu non ſolum Pater, & Auus ordine illo ſucceſſiuo tenentur filios, & nepotes pauperes alere, ſed etiam eiuſdem Patris, & Aui hæredes, cum in ordine ad alimenta videatur in vtriſque par ratio, quin immo fortior in parentibus, eorumque hęredibus, quam in filijs, eorumque item hæredibus reſpectu parentum, cum ex genere ſuo amor, & naturalis pietas potius deſcendat; Neq; arbitrandum eſt, hoc onus reſpectu filiorum, ſeu Patris alendi reſpectiuè Patrē, vel filios inopes eſſe merè perſonale, adeoque non transfundi in eorum hæredes; pro alimentis etenim nulla datur hypotheca filio in bonis Patris, nec è contra, *Coaruuias in epit. de ſponſal. part. 2. §. 6. c. 8. num. 14. verſ. non tamen tranſit hoc onus, Romanus conſ. 5. in re praeſenti in fin. nu. 28., Corduba in l. ſi quis à liberis §. idem reſcripſit n. 82. ff. de lib. agnoſ.*, quinimmo, nec pro legitima, nec eius ſupplemento, *Decius conſ. 234. in caſu magnifici Domini generalis col. vlt. in princip. verſ. ex qua datur intelligi num. 6., Rota Romana coram Cardinal. Lancelloto in vna Romana Salaiani interd. 3. Iulij 1600. Cardinalis Mantica de tacit., & ambig. lib. 11. tit. 13. num. 1. vſq; ad num. 80.*; Non, inquam arbitrandum eſt, quia ad ſummum ius filij petentis alimenta eſt perſonale, non autem onus ex parte Patris, ſeu Aui, qui tenetur alere; prout benè notat *Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrim. part. 2. c. 7. num. 354.*; vnde illud ad ſummum non transfertur in hæredes filij, iſtud autem rectè transfertur; nec obſtant ea, quæ dicebantur, quod ſcilicet pro alimentis non detur hypotheca, ſicuti neque pro legitima, adeoque, quod ſolum Pater obligetur perſonalitèr; non obſtant, inquam, nam hoc, quod eſt obligari perſonalitèr ſtat duplicitèr, primo, quatenus importet, quod per prius obligetur perſona ex ſe, & per poſterius res eiuſdem, qua ratione contra diſtinguuntur onera perſonalia à realibus, & hypothecarijs; ſecundo, quatenus importet, quod ſolum reſtringatur debitum in perſona debitoris, & non transfundatur in alios; onus, quod eſt in Patre, & auo paterno alendi filios eſt perſonale iuxta primum ſenſum, non iuxta ſecundum.

Prima probatio aſſertionis.

Onus in Patre alẽdi filios non eſt perſonale

Nec aduerſus ea, quæ dicta ſunt in hac probatione obſtare poſſunt, quæ dicuntur in d. textu *in l. ſi quis à liberis §. item reſcriptum ff. de lib. agnoſ.* nempè, quod hęredes filij non poſſint cogi ad alimenta præſtanda Patri, niſi hic fuerit in extrema neceſſitate. Ibi *Idem reſcriptum eſt hæredes filij ad ea præſtanda, quæ viuus filius ex officio pietatis ſuæ dabat, inuitos cogi non oppor-*

Soluitur obiectum oppoſitũ.

Digitized by Google

opportere, niſi in ſummam egeſtatem Pater deductus ſit, quod etiam conſideraſſe videtur *Bartolus in d. l. ſi quis à liberis §. item reſcriptum ff. de lib. agnoſ. num. 2., Socinus conſ. 134. num. 34. vol. 1., Ruinus in l. 1. ff. ſolut. matrimon. num. 173., & conſ. 94. nu. 7. vol. 5., Surdus de alimentis tit. 1. q. 24.* Cum igitur ex ſupra allegatis filius viuens teneatur alere parentem inopem, etiam ſi ſumma non laboret egeſtate; & eius hæredes non teneantur alimenta eidem præſtare, niſi fuerit in ſumma egeſtate, directè videtur deduci, quod onus alendi Patrem, quod erat in filio, antequam ſuccumberet, non transferatur poſt eiuſdem filij mortem in ipſius hæredes; Non, inquam, obſtare poſſunt, quia, vt benè notant *Ruinus conſ. 134. num. 33. lib. 1., Petrus Barboſa in l. 1. part. 1. num. 9. circa fin. ff. ſolut. matrim.* per ly *ſummam egeſtatem*, non intelligenda eſt ſumma neceſſitas ſimplicitèr, ſed neceſſitas attenta qualitate perſonæ Patris alendi, prout etiam declarauit *Vlpianus in d. l. ſi quis à liberis §. ſed ſi filius ff. de lib. agnoſ.* Deinde, vt benè notat *Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrimon. part. 2. c. 7. num. 352.* illa dictio *ſummam neceſſitatem*, regulanda eſt ad normam eorum, quæ dicta ſunt *in d. l. ſi quis à liberis* nempè *hæredes filij ad ea præſtanda, quæ viuus filius ex officio pietatis ſuæ dabat*; vbi aduerte, quod per ly *ex officio pietatis ſuæ* duo poſſint conſiderari, & ea ſcilicet, quæ filius ex officio pietatis præſtabat neceſſaria, ad quæ ſcilicet ex debito naturæ, ſeu naturalis pietatis tenebatur iuxta textum *in can. ſi quis reliquerit d. 30.*, & ea, quæ filius ex naturali affectione liberalitèr conferebat; vnde dici poteſt, & quidem merito, quod ad hæredes filij non tranſeat onus conferendi ea, quæ filius viuens ex naturali pietate liberalitèr conferabat; ſecus verò quoad ea, quæ filius ex iure ſanguinis tenebatur conferre; dum verò dicitur, quod hæredes filij non poſſint compelli, niſi quando Pater ad ſummam neceſſitatem, ſeu egeſtatem reductus eſt, hoc intelligendum eſt in eo ſenſu, vt hęredes filij quoad ea, quæ filius viuens liberalitèr conferebat, non teneantur, niſi quatenus Pater ad ſummam neceſſitatem eorum deuenerit, quaſi ea, quæ voluntariè præſtabantur, nunc propter egeſtatem ſuperuenientem ſint ex neceſſitate præſtanda.

Secunda probatio aſſertionis.

Probatur ſecundo aſſertio *ex auth. licet C. de natur. lib.* vbi ſic legitur *Huiuſmodi autem naturales filios paſci boni viri arbitrio neceſſe eſt, ſiue legitimè extant, & ſuccedunt, ſiue coniuge viua quilibet alij ſint hæredes*, & *ex §. ſi quis igitur habens filios auth. Quib. modis natur. effic. ſui*, vbi etiam ſic legitur. *Paſci verò naturales à legitimis ſancimus, vt decet eos ſecundum ſubſtantiæ menſuram à bono viro arbitratam.* Qui textus, cum obligant hæredes Patris ad filios naturales alendos, obligare cenſendi ſunt à fortiori ad alendos legitimos.

Obligatio alendi filios non ſolum afficit perſonã Patris, ſed etiã eius bona.

Probatur tertio, quia obligatio, quam habent parētes alendi filios, ſeu nepotes, non ſolum eſt perſonalis, ſed etiam realis, & non ſolum afficit perſonam, ſed bona eiuſdem *Cinus in l. alimenta in fin. C. de negot. geſt., Vincentius de Franchis deciſ. 178. num. 6., Merlinus de legitim. lib. 5. tit. 3. q. 6. num. 13., Petrus Barboſa l. 1. p. 1. num. 6. in fin., & num. 9. in princip. ff. ſolut. matrim.* ex Theologis *Azorius part. 2. lib. 2. c. 3. q. 7., Villalobos part. 2. tract. 41. difficult. 6. nu. 14., Bonacina tom. 2. diſp. 6. q. vnica p. 6. § 1. num. 7., Trullench. in Decal. lib. 4. c. 1. dub. 3. num. 20.*, ergo deficiente perſona obligata remanent eiuſdem bona obligata, quæ propterea, ſi tranſeant in hæredem, tranſeunt cum illo onere alendi filios defuncti, quia quis moriendo non potuit eximere bona propria ab illo onere, cui iure naturali erant obnoxia *arg. auth. res quæ C. communia delegat.* Neque hic audiendi ſunt *Giurba deciſ. 5. num. 46., Megala part. 2. lib. 2. c. 1. q. 4. num. 21.*, dum aſſerunt, quod, ſi hoc verum eſſet, non ſolum hæres teneretur alere filium, ſed etiam quilibet particularis ſucceſſor, & emptor bonorum Patris; Non, inquam, audiendi ſunt, quia particularis ſucceſſor, & emptor non rapræſentant perſonam patris, ſicuti rapræſentat hæres bonorum, præcipuè cum ille acquiſierit bona titulo oneroſo, iſte verò titulo merè lucratiuo.

Ex quibus poteris deducere primo, quod, ſicuti Pater, & auus paternus tenentur per prius alimenta præſtare filijs, 13
ita eorum hæredes tenentur ijs parentibus defunctis per prius eos alere, quandoquidem bona eorundem parentum remanent obnoxia tali oneri, & licet propriè non remaneant hypothecata pro tali onere, remanent tamen obligata in perſona Patris, & ſucceſſoris vniuerſalis, ſicuti pro cæteris oneribus, quæ ſint ſimul realia, & perſonalia, & ſicuti ex bonis relictis per hæreditatem non ſolum ſunt ſoluenda debita teſtatoris hypothecaria, ſed etiam realia ſimul, & perſonalia, ita &c.

Hæredes Patris tenētur per prius alere filios eiuſdem.

Secundo deducere poteris, quod, quantumuis filij habeant alios parentes diuites, a quibus de iure in ſubſidium eſſent alendi, non propterea eximantur à iure conſequendi ab hæredibus Patris, & Aui, qui per prius tenebantur, eadem alimenta; cum enim ratione ſucceſſionis in omnibus bonis patris defuncti hæres rappræ- 14

Etiam ſi filij habeãt alios parentes propinquos qui tenentur in ſubſidium.

ſentet

ſentet perſonam eiuſdem Patris, & ſubeat omnia onera tàm realia ſimplicitèr, quàm realia, & perſonalia ſimul, vtique ipſe ex perſona eiuſdem Patris defuncti tenetur primo loco præſtare alimenta, cum hæc computentur inter onera realia, & perſonalia Patris.

Neque obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, quod onus Patris, & Aui alendi filios, & Nepotes reſpectiuè proueniat à iure ſanguinis, & titulo naturalis pietatis per ea, quæ ſupra commendauimus, hæc non poſſint tranſire in hæredem extraneum, ſed pereant ſimul cum Patre, & Auo. Hoc argumento vtuntur *Sardus de alimentis tit.1 q.24.num.9., & q.104.num.8., & q.105.num.3., Theſaurus qq. forenſ. q.4. lib.2. q.47.num.21. in fin.* Non, inquam, obeſſe poteſt, quia licet ius ſanguinis, & titulus naturalis pietatis non tranſeat in hæredem Patris, ſeu Aui extraneum, tranſit tamen titulo ſucceſſionis onus alendi filios, ſeu Nepotes eiuſdem Patris, & Aui reſpectiuè; nam hæres tenetur ſoluere omnia onera realia, & perſonalia ſimul defuncti, ex quocunq; titulo proueniant; atque in his ferè terminis reſpondet *Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrim. part.2.c.7. num. 362.*

Hæres tenetur ſoluere onera realia defuncti.

Nec item obeſſe poteſt textus *in l. non quemadmodum ff. de lib. agnoſ.*, vbi dicitur, quod filius filię ſit alendus per auum maternum, quando Pater non ſupereſt, ergo eo defuncto onus alendi filios non tranſit in hæredes eiuſdem, ſed in auum maternum. Hoc argumento vtuntur *Bartolus in d. l. ſi quis à liberis §. item reſcriptum nu.2. ff. de lib. agnoſ., Ruinus in l. 1. ff. ſolut. matrim. num.173., & conſ.94. num.7. vol.5., Boerius conſ.17.num.14., & conſ.186., Antonius Merenda controuer. iur. tom.3. lib. 13. c.3. per totum, & tom.1 lib.5. c.28. nu.10., & ſeqq.* Non, inquam, obeſſe poteſt, quia, dum dicitur in d. textu, ſi Pater non ſupereſt, hoc intelligendum eſt, quando nō ſupereſt nec in ſe ipſo realiter, nec in alio rapræſentatiuè; in hac autem hypotheſi licet non ſuperſit realitèr, ſupereſt tamen rapræſentatiuè in ipſius hærede, quatenus hic rappræſentat ſuum inſtitutorem quoad omnia onera realia, & perſonalia ſimul; atque hæc interpræetatio, vel alia ſimilis neceſſariò admittenda eſt ad euitandam contrarietatem iurium.

15 **Explicatur textus in l. non quemadmodum ff. de lib. agnoſ.**

16 Hæc, quæ hactenus dicta ſunt, procedunt non ſolum quoad alimenta præſtanda filijs, & Nepotibus legitimis, & naturalibus, ſed etiam illegitimis, & ſpurijs *Corduba à Lara in d. l. ſi quis à liberis §. idem reſcriptum num.79., & ſeqq., & in §. non tantum num. 56. ff. de lib. agnoſ., Iacob. Cancerius var. reſol. tom. 3. c.21. num. 223., Fontanella de pact. nupt. tom. 2. clauſula 5. gloſ.1. p.1. num.118., & alij magis communitèr.* Hoc ſatis euincunt iura *in d. l. ſi quis à liberis §. idem reſcriptum, & l. qui filium C. vbi pupil. educ. deb.*, & ad hoc plurimum faciunt ea, quæ ſupra docuimus, ſcilicet Patrem ipſum, & auum paternum teneri alere filios illegitimos, & ſpurios iure ſanguinis, & titulo naturalis pietatis, & propterea hæredes iiſdem defunctis ex vi vniuerſalis ſucceſſionis, & repræſentationis ipſorum quoad onera realia, & perſonalia ſimul tenentur eadem alimenta ſubminiſtrare.

Hæredes Patris tenentur etiam alere filios illegitimos, & ſpurios.

Hic ſolum oritur difficultas, an, ſicuti hæredes Patris tenentur abſolutè alere filios, quantumuis iſti habeant alios coniunctos ſanguine diuites, qui teneantur in ſubſidium, ita hæredes filij teneantur alere Patrem inopem, quantumuis hic habeat matrem, vel fratres diuites, qui poſſint ipſum commodè alere? Si Pater habeat ſuum Patrem diuitem, indubitatum cenſeo, non teneri hæredes filij eundem alere; quia in concurſu Patris diuitis ad alendum filium inopem, cum filio eiuſdem filij inopis tenetur per prius Pater, (ſi excipias extremam neceſſitatem, de qua re infra) *D. Thomas 2.2. q.26. art.9. Valentia 2. 2. diſp.3. q.4. p.5. verſ. octauo ſequitur, Suarez de frater. charit. diſp.9. ſect.4. num.6., Filliucius part.2. tract.28. c.2. n.49., Caſtrus Palaus tom. 1. tract. 6. diſp. 1. punct. 10. num. 14., & ſeqq., Ouiedus de charitat. controuerſ.8. punct.5. num. 107.*, quandoquidem in Patre reſpectu filij inopis cōcurrit vltra titulum naturalis pietatis, quæ regularitèr deſcendit, etiam obligatio officij, & curæ paternæ; vnde ait Apoſtolus 2. ad Corinth. 12. *Non debent filij theſaurizare parentibus, ſed parentes filijs.* Loquēdo verò comparatiuè ad matrem, quatenus ſcilicet, ſi Pater habeat ſuam matrem diuitem, & ipſe ſit inops, exigat per prius ali ab hæredibus filij defuncti, an verò à matre diuite, tota difficultas in eo reſtringintur, an in concurſu matris diuitis, & filij diuitis per prius teneatur mater ad alendum filium, an verò filius iſtius ad alendum Patrem ſuum, qui eſt filius illius matris diuitis? Probabilius ſentio filium diuitem per prius teneri alere ſuum Patrem inopem, & non niſi ordine ſucceſſiuo teneri matrem, ac proindè per prius teneri hæredes filij ad tribuenda alimenta Patri ipſius, & non niſi per poſterius matrem eiuſdem *Immola in l. Titia cum teſtamento §. imperator ad fin. ff. de legat.2., Franciſcus Marcus deciſ. 324. nu. 4. p.1., Vincentius de Franchis deciſ.559. nu. 7., Petrus Barboſa l.1. part.4. num.9., & 10. ff. ſolut. matrimon., Azorius part.2. lib.2. c.3.*

17 **Exiſtente matre diuite reſpectu filij pauperis, & item filio eiuſdē filij diuite per prius tenetur filius diues.**

q.7., Villalobos part.2.tract.41.diffic.6.n.14. Ratio ex ijs deducitur, quæ ſupra dicebantur, quia æqualis eſt obligatio filij ad alendum Patrem obligationi Patris ad alendum filium, ſed defuncto Patre per prius obligantur ipſius hæredes ad alendos filios etiam comparatiuè ad matrem,& ad quoſcunque alios,ergo defuncto filio per prius tenebuntur eiuſdem hæredes ad alendum Patrem etiam relatiuè ad matrem eiuſdem; Neque obeſſe poteſt,ſi aſſeratur, quod,cum matre vltra titulũ naturalis pietatis concurrat etiam officium maternæ prouidentiæ;Non,inquam, obeſſe poteſt; quia ad matrem propriè non pertinet prouidere filijs,niſi in caſu deficientiæ Patris, & aui paterni per ea,quæ ſupra dicebamus,vnde perſeuerante Patre vel in ſe ipſo, vel in perſona rapræſentante non eſt, cur teneatur mater.

18 Deficiente Patre, & omnibus ex linea virili, nec exiſtentibus eorum hæredibus tenentur hæredes matris, vel aui materni alere filios.

Aſſertio VI. Deficiente Patre, & auo paterno, cæteriſque per lineam virilem aſcendentibus,nec extantibus eorum hæredibus, & deficiente quoque matre, & auo materno, eiuſque aſcendentibus relictis poſt ſe hæredibus onus alendi filios tranſit in hæredes matris, vel aui materni. *Baldus conſ.258., Panormitanus conſ. 115., Scaccalupus in l. ſi qua illuſtris nu.91. C.ad orific., Petrus Barboſa in l.1. part.4. nu. 127.ff.ſol. matrim., Rebellus de oblig. iuſt. part.2.lib.5.q.4. num.11., Fagundez in Decal.lib.4.c.16.num.45.*

Ratio ex ſuperius dictis deducitur, quia deficientibus Patre, & auo paterno, cæteriſque ex parte ipſorum aſcendentibus onus alendi filios tranſit ad matrem,& auum maternum, eorumq; aſcẽdentes,ergo prioribus deficientibus, nulliſque bonis, nec hæredibus relictis onus alendi filios transfundetur in poſteriorum hæredes,ſi poſteriores ipſi deficerent relictis eiſdem hæredibus. Conſequentia probatur, quia onus teſtatorum, ſi fuerit reale,vel reale ſimul, & perſonale, tranſfunditur in hæredes; ex ſuperius autem probatis onus alendi filios, ſeu nepotes computatur inter bona realia, & perſonalia ſimul.

PRÆNOTIO VII.

Siſtendo in præfatis comparationibus cui per prius incumbat onus dotandi filias, ſeu neptes.

SVMMARIVM.

Status controuerſiæ exponitur. 1.
Sententia aſſerens, quod, qui tenentur alere, non teneantur dotare. 2.
In Patre, & auo paterno regulariter valet argumentum de alimentis ad dotem. 3.
Etiam tenentur dotare filias illegitimas, & ſpurias. 4.
Etiam filiam emancipatam. 5.
Onus etiam dotandi prouenit à iure ſanguinis. 6.
Tenetur etiam Pater conferre dotem excedentem alimenta, quando aliter filia nubere nequit. 7.
Non tamen iterum tenetur conferre, quando dos ſemel data conſtante matrimonio deperdita eſt. 8.
Secus, ſi ageretur de nouo matrimonio contrahendo. 9.
Etiam frater in ſubſidium ſorori inopi tenetur iterum dotem conferre pro nouo matrimonio. 10.
In ſubſidium Patris, & aui paterni tenetur frater ſororem inopem dotare. 11.
Intellige etiam quoad ſororem ex vno tantum latere coniunctam. 12.
Etiam ſi ſoror ſit tantum coniuncta ex latere matris. 13.
Etiam ſi eſſet iuſtè à Patre exhæredata. 14.
Etiam ſoror diues tenetur fratrem inopem alere. 15.
Etiam frater diues tenetur ſororem ſpuriam ex eodem ventre dotare. 16.
Etiam ſororem ſpuriam ex eodem tantum Patre. 17.
In ſubſidium Patris, & aui paterni tenetur mater diues filias inopes dotare. 18.
Deficiente Patre, & matre, auo paterno, eiuſq; aſcendentibus ad auum, & auiam maternam ſpectat dotare neptes. 19.
Intellige etiam quoad neptes illegitimas, & ſpurias. 20.
In concurſu aui materni, & fratris diuitum per prius tenetur auus maternus. 21.
Seruandus eſt ordo in hæredibus, qui ſeruatur in principalibus. 22.

QVamuis communiter conſentiant DD. valere affirmatiuè argumentum à dote ad alimenta,adeout valeat,tenetur dotare,ergo tenetur alere,negatiuè tamen aſſerunt non valere; non enim poteſt dici. Non tenetur dotare,ergo, nec tenetur alere *Euerardus loc.de dote ad alim., Surdus de aliment.tit.9.q.1.num.8., & q.14. num.14., Facchinaus lib.11.c.40. in fin., Montier deciſ.16.num.16., Ioannes Angelus Boſſius tract.de effect. matrimon. part.2. c.8. num.499., & 583.* Sed, an valeat viceuerſa affirmatiuè; tenetur alere, ergo tenetur dotare id eſt,quod in præſenti controuertendum occurrit; ſi enim valet affirmatiuè argumentum ab alimentis ad dotem, vtique in omni caſu, quo iuxta præcedentia prædicti tenentur alimenta præſtare, tenebuntur etiam dotem filiabus 1 Status cõtrouerſiæ exponitur.

Digitized by Google

bus, ſeu neptis exhibere. Hic igitur examinandus eſt titulus, an in omni caſu, quo prædicti, vel principalitèr, ſeu per prius, vel per poſterius, & in ſubſidium tenentur alimenta præſtare, teneantur etiam filiabus, ſeu neptis dotem conſtituere.

Videtur ex genere ſuo abſolutè negandum, quia, vt benè notant *Facchinaeus lib. 11. c. 40. in fine*, *Surdus de alimentis tit. 9. q. 1. num. 8., & q. 14. num. 14.*, *Montier deciſ. 16. num. 16.* diuerſa eſt ratio quoad alimenta, ac quoad dotem, cum alimentorum cauſa vrgentior ſit, ex quo ſine eis quis viuere non poſſit, at ſine dote poſſit, modo tamen alimenta ſubminiſtrentur; deinde eſt oneroſior dos, cum ſit ſimul, & vno cumulo conferenda, alimenta autem non niſi dietim vel menſtruatim, vel annuatim, adeoq; &c. Vt clarius, & diſtinctius procedamus per ſingulos ex enumeratis in præcedenti prænotione diſſeremus per diſtinctas aſſertiones.

2 **Sententia aſſerens, quod, qui tenentur alere, non tenentur dotare.**

Aſſertio I. Regularitèr loquendo in Patre, & auo paterno valet argumentum ab alimentis ad dotem, vt ſi tenentur alimenta præſtare filiabus, & neptis, teneantur etiam eaſdem dotare. Eſt communis apud DD. eamque ſpecialitèr ſuſtinent *Rebellus de obligat. iuſt. part. 2. lib. 5. q. 4. num. 6.*, *Fragoſus de Regim. Chriſtianæ Reipub. part. 3. diſp. 5. num. 4., & 12.*, *Bonacina de præcept. Decal. diſp. 6. §. 1. num. 1.*, *Franciſcus Molinus de ritu nupt. lib. 3. q. 65. num. 56.*, *Ioannes Angelus Boſſius tract. de dote c. 4. §. 1. num. 2.*, qui etiam aſſerit procul dubio ſentire omnes Theologos, & Iuriſperitos, qui ſuſtinent teneri Patrem alimenta filijs præſtare. Hoc onus eſt de iure naturæ, & ex pietate paterna.

3 **Pater, & auus paternus tenetur alere, & dotare.**

Ratio ex eo deducitur, quia ipſi iuri naturæ conſonum eſt, vt Pater, qui per ſe eſt principium, & cauſa principalis filiorum, ſeu filiarum, ſicuti tenetur eoſdem conſeruare, & per congrua alimenta ad ſtatum perfectum perducere, ita teneatur filiabus præcipuè conſulere, ne quoad honeſtum eſſe, & moralem vitam deficiant ob periculum imminens incontinentiæ, & pudicitiæ, & honoris perdendi, cum ſine dote, & matrimonio mulieres plerumque turpiſſimo vitæ inſtituto ſe proſtituant, ergo de iure naturæ tenetur dotem filiabus conſtituere, ne innuptæ remaneant, & expoſitæ illi periculo &c. Hac eadem ratione, qua infertur obligatio in Patre dotandi filias, infertur etiam obligatio in auo paterno dotandi neptes ſaltem in ſubſidium Patris, cum naturalis pietas in eodem etiam æquè vigeat, & ipſe quoque veniat appellatione Patris.

Rationes pro aſſerto.

Amplia primo, vt aſſertio non ſolum procedat ſeruata proportione, & ordine quoad filias legitimas, & naturales, & neptes etiam tales, ſed etiam in ordine ad illegitimas, & ſpurias *Bartolus in auth. ex complexu C. de inceſt. nupt.*, *Petrus Barboſa ad l. 1. part. 4. num. 65. ff. ſolut. matrim.*, *Rolandus conſ. 74. num. 40. vol. 1.*, *Coaruuias de ſponſal. part. 2. c. 8. §. 6. num. 11.*, *Mareſcotus var. lib. 2. c. 83. num. 34.*, *Mantica de tacit., & ambig. lib. 13. tit. 37. num. 16.*, *Paſcalis de patria poteſt. part. 2. c. 3. num. 37.*, *Ioannes Nicolaus Lucidorus de illegit. cleric. c. 15.*, *Rota Romana apud Seraphinum deciſ. 58.*, quod videtur concludentèr colligi *ex d. c. cum haberet de eo, qui duxit in matrim.*, vbi filijs ſpurijs decernitur, quod ſint præſtanda omnia neceſſaria; inter quæ in ordine ad filiam continetur dos per textum *in l. 1. ff. ſolut. matrim., & auth. res quæ C. communia de legat.*, cum ſine dote non poſſit nubere, & manens innupta ſubijciatur periculo turpiſſimæ, & inhoneſtæ vitæ per ea, quæ notant *Bartolus in d. auth. ex complexu C. de inceſt. nupt.*, *& Paleotus de noth. c. 49. num. 3.* Neque hic audiendi ſunt *Alexander in l. 1. num. 18. ff. ſolut. matrim.*, *Campeggius de dote part. 1. q. 17. ad finem*, *Fagundez in Decal. lib. 4. c. 1. num. 7.*, dum dicunt, quod quidem teneatur Pater alere filiam ſpuriam *ex d. c. cum haberet* non autem dotare, cum non ſemper valeat argumentum ab alimentis ad dotem propter rationes, quas nos inſinuauimus in principio præſentis tituli; Non, inquam, audiendi ſunt, quia cum ſupponatur neceſſitas dotis ad vitandam vitam turpem, ſeu inhoneſtam, ſeu periculum eiuſdem, vtique dos ipſa continetur in diſpoſitione iuris in illo *c. cum haberet de eo, qui duxit in matrim.* ſimul cum alimentis, cum ibidem præcipiatur omnia neceſſaria eſſe contribuenda, & ſic quoad hoc videtur optimè habere locum argumentum ab alimentis ad dotem; nec obſtat illa maior incommoditas in Patre quoad dotem comparatiuè ad alimenta, quia vt benè notat *Petrus Barboſa in d. l. 1. part. 4. num. 65. ff. ſolut. matrimonio* illa maior incommoditas toleratur in ordine ad euitandum maius damnum.

4 **Etiam tenetur dotare filias illegitimas, & ſpurias.**

Inſtantia oppoſita, & ſoluta.

Amplia ſecundo, vt Pater teneatur etiam dotare filiam emancipatam, prout probat *Ioannes Angelus Boſſius tract. de dote c. 4. §. 1. num. 4.*, quia etiam quoad hanc militat ratio naturalis pietatis, cum Pater ſit principium, & cauſa eiuſdem; Neque obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, quod ceſſante patria poteſtate ceſſat neceſſitas dotandi, quæ ab illa deſcendit *l. fin. C. de dot. promiſ. Gloſa in l. cum poſt §. gener. verb. placuit ff. de iur. dot.*, *Aſcanius de patria poteſt.*

5 **Etiam filiam emācipatam.**

Digitized by Google

teſt.effectu 11. *in princip.*, & licet aliqui inter quos *Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect.matrimonij part.2.c.9.num.629. in fin.* excipiant in caſu, quãdo Pater ex delicto amiſit patriam poteſtatẽ, firmant tamen regulam, quando ceſſat patria poteſtas non ex cauſa delicti; Non, inquam, obeſſe poteſt, quia per ea, quæ alibi docuimus, ſicuti onus alendi filios, & filias non prouenit à patria poteſtate, ſed à iure ſanguinis, & naturalis pietatis, ita onus filias dotandi ab eodem iure ſanguinis, & pa-

6 Onus etiã dotandi prouenit à iure ſanguinis.

ternæ affectionis prouenire cenſendum eſt; vnde ad textum *in d. l. fin. C. de dot. promiſ.*, & ad DD. præcitatos dicendum eſt hunc textum non obſtare noſtræ aſſertioni, quinpotius illam firmare, prout notant *Hotomanus diſp. de dotibus pag. 92.*, *Rogerius de dote q.2.num.17.*, *Mantica de tacit.,& ambig. conuent.lib.12.tit.19.num.11.,& ſeqq.*, *Menochius de præſumpt.lib.3. præſumpt.15.num.11.*, *Auguſtinus Barboſa ad l. fin.num.3.C.de dot. promiſ.* Quod etiam latè inſinuauit *Fontanella de pact. nuptial. lib.2.clauſ.5.gloſ.1.part.1.num.37.*, vbi *ex d. l. fin. C. de dotis promiſ.* ſtatuit obligationem dotandi filias non oriri ex patria poteſtate, ſed filios, & filias emancipatos, ſeu emancipatas teneri Patrem dote, vel donatione propter nuptias ornare titulo affectionis naturalis *l. qui liberas ff. de ritu nupt., & l. fin. C. de dotis promiſ., & l. dedit dotem ff. de collat.bon.*, titulus autem affectionis naturalis perſeuerat ſtante etiam emancipatione *Faber in §. in teſtibus inſtit. de teſtament.* Ex eo autem, quod æquè Pater teneatur dotem conferre filiabus ſiue exiſtentibus ſub patria poteſtate, ſiue emancipatis, non ſequitur, quod nulla

Diſcrimẽ inter filias emancipatas, & nõ emãcipatas.

differentia interueniat inter vtraſque; nam vt benè notat *Fontanella loc. cit. n.38.* diſcrimen in eo intercedit, quod in ordine ad emancipatas æquè tenetur conferre dotem; ſicut non emancipatis, in ordine verò ad eas nuptui tradendas non æquè obligatur Pater nam, ſi fuerint ſub patria poteſtate, tenetur Pater eaſdem in matrimonium collocare, nam, cum ius ciuile eiſdem filiabus ſub patria poteſtate exiſtentibus interdixerit ſine Patris conſenſu nuptias contrahere per textum *in l. ſecundum ff. de ritu nupt., & l. ſi vt proponis C. de nuptijs* congruum etiam fuit, vt onus imponeret eidem Patri collocandi in matrimonium eaſdem filias, ne videretur earum matrimonio, ſeu libertati eiuſdem obſtare, dum cogeret ipſas filias ad ſibi quærendum maritum; ſi verò fuerint emancipatæ, hæc ratio præſumpti impedimenti ad contrahendum non militat, cum lex eiſdem non prohibuerit contrahere ſine conſenſu parentum, adeoque nulla eſt obligatio reſpectu Patris eas nuptui tradendi.

Amplia tertio, vt non ſolum teneatur Pater conſtituere dotem filiæ iuxta menſuram alimentorum, ſed etiam ſuperexcedentem ad eadem alimenta, quando alias ſine illa dote excedenti non poſſet nubere *Rolandus conſ.85.num.13.vol.3.*, *Francus deciſ.283.num.24.*, *Ioannes Nicolaus Lucidorus de illegit.cleric.c.22.num.27.*, *Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect.matrim. part. 2.c.6.num.209., & tract. de dote c.4.nu.3.* Ratio ex eo deducitur, quia naturalis pietas, ratione cuius Pater tenetur erogare dotem filiabus, exigit abſolutè, vt tantum conferat, quantum ſatis ſit, ne filia ſubiaceat periculo incontinentiæ, & turpis, & inhoneſtæ vitæ, cui ſubeſſet, ſi non nuberet, ergo ad obuiandum tali periculo tenetur Pater tantum conferre, quantum poſſint nubere non obſtante, quod dos ſuperexcederet quantitatem alimentorũ.

7 Tenetur etiam Pater cõferre dotem excedentem alimenta, quando aliter nubere non poteſt.

Dixi *regulariter loquendo*; non enim negauerim, quod, ſi Pater ſemel contulerit dotem filiæ pro matrimonio, & eodem conſtante vel caſu, vel ſine culpa eiuſdem filiæ dos ipſa perierit, non teneatur eodem matrimonio perſeuerante amplius eandem præſtare *Ruinus conſ.121.num.8. lib.5.*, *Petrus Barboſa ad l.1. part.4.nu.141. ff. ſolut.matrim.*, *Rebellus de oblig. iuſt. part. 2.lib.5.q.4. num.21. per textum in l. Pater filiæ 71. ff. de euiction.*, nec incongrua eſt ratio huius limitationis, quandoquidem in hac hypotheſi non ſubeſſet nupta periculo incontinentiæ, & turpis, & inhoneſtæ vitæ. Dixi *perſeuerante matrimonio*; nam, ſi hoc diſſolutum eſſet per mortem mariti, & ageretur de nouo matrimonio contrahendo, nec dos eſſet, eo quod eſſet caſu, & ſine culpa eiuſdem filiæ deperdita, tunc æquius arbitrarer fore de nouo dotem filiæ inopi à Patre conferendam *Tiraquel in l. boues §. hoc ſermone limit.9. n.4. c.14. ff. de verb. ſignif.*, *Fontanella de pact. nupt.clauſula 5. lib.2. gloſ.1.nu.72., & 73.*, *Giurba deciſ.5.num.39.*, *Menochius de arbit. caſ.182.num.57.*, hancq; æquiorem arbitratur *Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect.matrim. part.2.c.8.num. 561.*, *Bartolus in l. ſi ſocius pro filia verſ.2. nota ff. pro ſocio, & ibi Baldus.* Ratio ex eo deſumitur, quia etiam in hac hypotheſi militat ratio illa naturalis pietatis, quæ non extinguitur ex eo, quod dos ſemel tradita fuerit inopinato, & ſine culpa extincta, & adhuc filia illa, ſi cum congrua dote non nuberet, ſubeſſet illi periculo incontinentiæ. Hæc adeo vera ſunt, vt per plurimos DD., nec incongruè extendantur mortuo Patre ad fratrem eiuſdem filiæ, prout extendunt *Alexander in l. ſi cum dotem §.1. num.7.*,

8 Non tamen tenetur iterũ conferre dotem, quando matrimonio conſtante dos eſt deperdita.

9 Secus, ſi ageretur de nouo matrimonio contrahendo.

Digitized by Google

num.7.,& 8. relatus à Tiraquello in l. ſi boues §. hoc ſermone limit.9.num.14.,& 14. ff. de verb.ſignif., Cæpola in d. §. hoc ſermone num. 5., Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect.matrim. part.2.c. 8. num.561. Accedit, quod, quando quis ex diſpoſitione iuris naturalis, & poſitiui communis eſt ad aliquid obligatus, non intelligitur tantum obligatus pro prima vice per textum *in l. veluti §. hæc vox ff. de edendo, Tiraquel in d. l. ſi boues §. hoc ſermone limit. 9. nu. 4. ff. de verb. ſignif., Petrus Barboſa in d. l. 1. part. 4. num. 140. ff. ſolut. matrim., Fontanella de pactis nupt. lib. 2. clauſula 5. gloſ. 1. p. 1. num. 69.*, ſed ex præactis Pater de iure naturæ, & communi tenetur dotare filiã inopem, ergo non pro prima tantum vice, ſed etiam pro ſecunda, & vlteriori, ſi prima dos ſine culpa, ſed caſu perierit.

10 **Etiam frater mortuo patre, tenetur dotem ſorori inopi iterũ conferre.**

Aſſertio II. In ſubſidium Patris, & aui paterni tenetur etiam frater diues nedum alere, ſed etiam dotare ſororem inopem *Azorius part. 2. lib. 1. c. 40. q. 1. 2., & 4., Fagundez in Decalogum lib. 4. c. 16. per totum, & præſertim num. 13., Megala part. 2. lib. 2. c. 33. num. 1., Bonacina de præcept. tom. 2. diſp. 6. q. vnica punct. 8. num. 12., Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrim. part. 2. c. 8. num. 505., & num. 553.* Procedit aſſertio nedum, ſi frater conſideretur vt hæres Patris, qua ratione infra dicemus teneri, ſicuti teneretur quilibet alius hæres extraneus, quinimmo à fortiori, ſed etiam ſi conſideretur formalitèr, vt frater, & hoc etiam de iure naturæ ratione coniunctionis ſanguinis ſtrictè obligãtis.

11 **In ſubſidium patris, & aui paterni, tenetur frater diues ſororem inopem dotare.**

Ratio ex eo deducitur, quia deficientibus aſcendentibus, & deſcendentibus, qui poſſent alere, & dotare filiam inopem, ſeu reſpectiuè matrem titulus naturalis pietatis, & ius ipſum naturæ afficiunt fratrem diuitem in ordine ad ſororem inopem, cum deſcendant ab ipſa natura, nec illa arcta ſanguinis coniunctio patitur, vt frater ſinat ſororem ob famem ſubiacere periculo mortis, & ob defectum dotis ſubeſſe periculo incontinentiæ, & turpis, & inhoneſtæ vitæ, ergo frater diues tenetur in defectũ &c. nedum ſubminiſtrare alimenta, ſed etiã congruam dotẽ. Nec obeſſe poteſt, ſi afferatur, quod in fratre diuite in ordine ad ſororem pauperem non militet illa ratio officij paterni, & in eo ceſſat ea charitatis ſanguinis ratio, quæ viget in parentibus; Non, inquã, obeſſe poteſt, quia licet per ſe primo officij paterni munus non vigeat in fratre reſpectu ſororis, viget tamen ſecundario, & per poſterius deficiẽtibus alijs coniunctis ſiue aſcendentibus, ſiue deſcendentibus, qui valeant ſubuenire, & licet non vigeat tanta pietatis ratio, quanta in parentibus, non propterea ceſſat quæcunque ratio; vnde ex eo, quod talis, ac tanta non vigeat, ſicuti in parentibus, ſequitur, quod non teneantur per prius, ſed dumtaxat per poſterius.

Rationes pro aſſerto.

Inſtantia propoſita, & ſoluta.

Amplia aſſertionem primo, vt non procedat ſolum in ordine ad ſororem ex vtroque parente coniunctam, ſed etiam ex vno latere tantum ſcilicet ex parte patris *Baldus conſ. 303. n. 3., Cinus in l. 1. C. de liber. alendis, Corduba à Lara in d. l. ſi quis à liberis §. idem reſcripſit ff. de lib. agnoſ., Ioãnes Angelus Boſſius tract. de effect. matrim. part. 2. c. 8. nu. 495.*, qui alios plures, tàm ex iuriſtis, quàm ex Theologis allegat. Ratio ex eo deducitur, quia ex quo coniuncti ſunt ex parte patris, qui eſt principalis in generatione, cuique ratione principalioris muneris tribuitur onus per prius alendi filios dicuntur propriè ſortiri iura ſanguinis, & ab eodem ſanguine deſcendere; ex qua coniunctione in ſanguine oritur ille titulus naturalis pietatis, ergo non eſt, cur ex eodem titulo frater diues nõ teneatur ſororem pauperem ſibi tantum ex latere Patris coniunctam alere, & dotare. Ob hanc eandem rationem iura ſtatuerunt, vt procedentes ex ſolo Patris latere contraherent iura cognationis, ſanguinis, & familiæ, & vt ad inuicem ſibi ſuccederent ab inteſtato. Sed an hoc idem dicendum ſit ſi ſoror inops eſſet tantum coniuncta eidem fratri diuiti ex parte matris, quatenus vterque procederet ab eadem matre, ſed alter ab vno Patre, altera ab alio? non ita facilè deciſu eſt, nam iſti non intelliguntur eſſe de eadem agnatione, & filij conditionem Patris ſequuntur, à quo dignitas in filios deſcendit *Baldus in l. fius in fin. C. de ſeru. fugit.*; Nihilominus ex quo nos ſparſim in præcedentibus docuimus non ſolum Patrem actiuè concurrere ad generationem filiorum, ſed etiam matrem non incongruè ſpectato iure naturæ aſſerere poſſumus, & debemus, quod etiam frater coniunctus tantum ex parte matris, ſi ſit diues, teneatur in ſubſidium & alere ſororem inopem, quæ aliundè non habet, quo alatur, & etiam dotare; nam denegari non poteſt, quin vterque ſit pars eiuſdem matris, & in ſanguine eiuſdem communicent; ex qua communicatione conſurgunt iura ſanguinis, & naturalis pietatis. Non negauerim tamen, quod huiuſmodi frater ex parte matris dumtaxat teneatur ſolum ordine ſucceſſiuo remotiori præſtare huiuſmodi munera, adeo vt ſi eadem ſoror inops haberet fratrem ex parte patris diuitem, teneretur hic primo eandem alere, & dotare, cum hic eſſet magis coniunctus ex parte principa-

12 **Intellige etiã quoad ſororẽ ex vno tantum latere ſcilicet patris coniunctã**

13 **Etiam ſi ſoror ſit tantũ coniuncta ex latere matris.**

cipa-

cipalioris, ex parte ſcilicet Patris, & vterque eſſet de eadem agnatione, & familia.

Amplia ſecundo, vt procedat, quantumuis ſoror pauper eſſet iuſtè à Patre

14 Etiam ſi ſoror eſſet iuſtè à patre exhæredata.

exhæredata *Rebellus de oblig. iuſt. part. 2. lib. 5. q. 4. num. 17., Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrim. part. 2. c. 8. nu. 557.* Ex Iuriſtis *Baldus Nouellus de dote part. 6. priuileg. 19. verſ. item ſi Pater filium, Ioannes Lupus in c. per veſtras not. 3. §. 24. nu. 4. de donat. inter virum, & vxor., Guillelmus in c. Rainutius verb. dotem n. 71. de teſtamentis.* Ratio ex eo deducitur, quia onus, quod nos, & iura tribuunt fratri diuiti alendi ſororem inopem, non tribuitur eidem, vt hæredi Patris, ſed formalitèr, vt fratri, adeoque non iure hæreditario, ſed iure

Tenetur, vt frater, non vt hæres patris.

ſanguinis, & naturalis pietatis, ſed hoc ius ſanguinis, & naturalis pietatis non extinguitur ex eo, quod ſoror quantumuis iuſtè fuerit à patre exhæredata, ergo &c. Neque hic audiendi ſunt *Petrus Barboſa ad d. l. 1. par. 4. n. 135. ff. ſolut. matrim., & Fagundez in Decalogum l. 4. c. 16. nu. 16.*, dicentes, quod, cum Pater ob iniuriam ſibi à filia irrogatam liberetur ab onere eandem dotandi, eadem ratione intelligendi ſint liberati eiuſdem filij, qui ſunt fratres eiuſdem filiç exhæredatæ, cum iniuria irrogata Patri intelligatur etiam

Inſtantia propoſita, & diſſoluta.

filijs, & toti familiæ irrogata, per textum *in l. Cornelia ff. de iniurijs.* Non, inquam, audiendi ſunt, quia vt notat *Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrim. part. 2. c. 8. nu. 520.*, hæc ad ſummum procedunt quoad ea, quæ decernuntur à iuribus ciuilibus, non quoad ea, quæ proueniunt à iure naturæ, quod per illam iniuriam non extinguitur.

Amplia tertio, vt procedat in ordine ad alimenta de ſorore diuite in ordine ad Fratrem pauperem, adeo vt eadem ſoror

15 Etiā ſoror diues, tenetur fratrem inopem alere

in ſubſidium teneatur eidem fratri eadem alimenta ſuppeditare, quando deficientibus aſcendentibus, & deſcendentibus, alijſque proximioribus non habet aliundè, quo poſſit viuere *Paulus de Caſtro conſ. 435. n. 4. lib. 1., Petrus Barboſa ad d. l. 1. part. 4. n. 133. in fin. ff. ſolut. matrim., Fagundez in Decolog. lib. 4. c. 16. num. 14., Rebellus de oblig. iuſt. part. 2. lib. 5. q. 4. nu. 18.*, pro qua ampliatione eadem ratio naturalis pietatis, & iuris ſanguinis militare videtur, cum ſoror, & frater in eodem ſanguine reſpectu parentum communicent.

Amplia quarto, vt frater diues teneatur etiam alere, & dotare ſororem ſpuriam ex eodem ventre, ſeu ex eadem matre, qua ipſe procreatus eſt, progenitam *Coaruuias de ſponſalib. part. 2. c. 8. §. 5. n. 19., Socinus Senior in l. 1. ff. ſolut. matrimon., Megala part. 2. inſtruct. lib. 2. c. 33. num. 3., Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrim. part. 2. c. 8. n. 513.* Ratio ampliationis ex eo deducitur, quia in hoc etiam

16 Frater diues, tenetur ſororem etiam ſpuriam ex eodem ventre dotare.

caſu militat ratio naturalis pietatis, & iuris ſanguinis, & dependentèr ab hac pietate, & iure leges ciuiles ſtatuerunt, vt ad inuicem ab inteſtato ſibi ſuccedant, per textum *in §. fin. Inſtit. de ſucceſſ. cogn. in l. ſi ſpurius, & l. 2. ff. vnde cognati.* Sed an hoc idem dicendum ſit quoad ſororem ſpuriam non ex eodem ventre, ſed ex eodem Patre negarunt aliqui non ſolum quoad dotem, ſed etiam quoad alimenta apud *Ioannem Angelum Boſſium tract. de effect. matrim. part. 2. c. 8. n. 515.* Ea moti ratione, quia non retinent ſpurij ex eodem Patre, ex diuerſa tamen matre, nec iura cognationis, nec propriè fratres vocari poſſunt §. *fin. auth. Quib. mod. natur. effic. ſui, & auth. ex complexu C. de Inceſt. nupt.*, nec ad inuicem ſibi ſuccedunt, vt pluribus allegatis ſentit *Gaſpar Antonius Theſaurus qq. for. lib. 1. q. 22. nu. 23., & ſeqq.* Nihilominus probabilius ſentiendum eſt etiam teneri fratrem diuitem alere ſororem ſpuriam, quantumuis non ex eodem ventre, ſed ex eodem Patre ſit nata *Azorius part. 2. inſtit. mor. lib. 2. c. 40. q. 7., Fagundez in Decal. lib. 4. c. 17. nu. 6., Trullench. in Decalogum lib. 4. c. 1. dub. 9. nu. 2., Surdus de aliment. tit. 1. q. 25. n. 33.* Ratio etiam ex

17 Etiam ſororem ſpuriam ex eodem tantum patre.

prædictis deducitur, quia fortior ratio naturalis pietatis, & iuris ſanguinis militat pro alendis, & dotandis filiabus, ſeu ſororibus ſpurijs ex eodem Patre, quam iiſdem ex eadem matre, ſiquidem magis principalitèr communicant in coniunctione ſanguinis ex parte patris, quam matris. Cum pater magis principalitèr concurrat ad ipſorum ſpuriorum generationem, ergo, ſi ratione ſanguinis, iuris naturæ, & naturalis pietatis tenentur ad alendas, & dotandas ſorores ſpurias ex eodem ventre, tenebuntur etiam alere, & dotare ſpurias ex eodem Patre licet ex diuerſa matre; Neque obeſſe poſſunt ea, quæ pro contraria ſententia afferebantur, quod ſcilicet quando ſunt ex diuerſa matre, nec iura cognationis retineant, nec propriè poſſint dici fratres; non, inquam, obeſſe poſſunt, quia hæc procedunt ad ſummum de iure ciuili; ſecundum quod, cum ſint ex diuerſa matre, præſumunt iura, quod non ſint ex eodem Patre, adeoq; nec participent de iure cognationis, nec ſibi ad inuicem ſuccedant. Cæterum ſtante æquitate naturali, cum re vera participent de eodem ſanguine, & verè ſint fratres, non eſt &c.

Aſſertio III. In ſubſidium Patris, & Aui paterni, tenetur mater filias inopes

dotare

Digitized by Google

dotare *Pontanus de alimentis c. 8. num. 5., Corduba à Lara in d. l. ſi quis à liberis §. ſi mater num. 14. ff. de lib. agnoſ., Surdus de aliment. tit. 1. q. 14. num. 13., Molſeſius ad conſuet. Neapol. tom. 1. part. 5. q. 11., Bartolus in auth. res quæ num. 4. C. communia de legat., Campeggius de dote part. 1. q. 22., Gratianus diſcept. for. tom. 1. c. 50. num. 12., & tom. 2. c. 259. nu. 16., Fontanella de pact. nupt. lib. 2. clauſ. 5. gloſ. 3. num. 10.* Ex Theologis *Fragoſus de regim. Chriſtianæ Reipub. part. 3. diſp. 5. §. 3. num. 38., Villalobos in ſumma part. 2. tract. 26. dſ. 4. num. 1., Caſtrus Palaus de iuſt. diſp. 9. punct. 5. §. 2. num. 41.*

18 In ſubſidium Patris, & aui paterni tenetur mater diues filias inopes dotare.

Ratio ex eo deducitur, quia mater eſt per ſe cauſa, & principium filiarum, licet minus principalitèr in ordine ad Patrem, ergo deficiente Patre, eiuſque aſcendentibus ipſa tenebitur nedum ad alimenta præſtanda filiabus, ſed etiam congruam dotem, qua poſſint nubere, ne innuptæ ſubiaceant periculo incontinentiæ, præcipuè cum etiam in matre militet illud ius naturæ, de quo ſupra, & titulus naturalis pietatis, ratione cuius non eſt, cur in ſubſidium non teneatur alere, & dotare.

Difficultas aliqua ſolummodo eſt, an, ſi filia deficiente Patre, & auo paterno, cæteriſq; ex parte eiuſdem Patris aſcendentibus habeat fratrem ſibi vtrinque coniunctum diuitem, & matrem ſimul diuitem teneatur per prius eandem filiam dotare frater diues, an verò mater? Tres opiniones circa hoc dubium inuenio apud DD., & præcipuè apud *Socinum Iuniorem in l. 1. num. 200. verſ. ſed vltra alias moneo pulchram quæſtionem ff. ſol. matrimonio*. Prima docet, quod ſit in optione eiuſdem filiæ ſororiſq; inopis dotem petere ab altero eorum, quem maluerit. Secunda, quod dos ſit contribuenda à matre. Tertia, quod tàm mater, quàm frater teneantur dotem conferre non quidem in ſolidum, ſed pro rata, atque idem Socinus huic tertiæ opinioni adhæret. Mihi tamen magis arridet ſecunda aſſerens per prius teneri matrem, quam etiam ſuſtinent *Petrus Barboſa in l. 1. part. 4. nu. 137. ff. ſolut. matrim., Coſta de remed. ſubſid. rem. 69. num. 6., Marta de ſucceſſionibus part. 4. q. 18. art. 6. num. 42., & ſeqq.* Deducitur ex *l. ſi quis à liberis ff. de lib. agnoſc.*, vbi per prius obligantur Pater, & eius aſcendentes, per poſterius mater, & eius etiam aſcendentes, deinde &c. Nec incongrua ratione hoc decernitur, primo, quia filia directè à matre deſcendit, fratri autem ſolum eſt collateralis. Secundo, quia mater eſt proximior ſanguine filiæ, quam ſit eius frater. Tertio, quia ad eum pertinet principalius dotare, cui ſpectat onus maritandi per textum *in l. cum multa C. de donat. ante nuptias*; ad matrem autem principalius ſpectat tradere nuptui filiam, quam ad fratrem maritare ſororem.

In cōcurſu matris, & fratris diuitum per prius tenetur mater alere filiam inopem, & dotare.

Aſſertio IV. Ad auum, & auiam maternam ſpectat dotare neptes deficientibus Patre, Matre, auo paterno, eiuſque aſcendentibus *Baldus in l. neque mater in princip. C. de iure dotium, Ripa in l. 1. num. 81. ff. ſolut. matrim., Baldus Nouellus de dote part. 6. priuil. 6. num. 3., Coſta de remed. ſubſidiar. remed. 65., Menochius de præſumpt. lib. 4. præſumpt. 189. num. 36., & ſeqq., Redian. in promptuar. tit. 23. de dotibus num. 5., Molſeſius ad conſuet. Neapol. part. 6. q. 4. num. 12.* 19

Deficientibus Patre, & matre, & aſcendentibus Patris ſpectat ad auum, & auiam maternam dotare neptes.

Ratio ex eo deducitur primo, quia mater deficientibus Patre, auoque paterno, cæteriſque aſcendentibus ex linea virili tenetur dotare filiam inopem, nec aliunde habentem, quo poſſit nubere per ea, quæ ſupra commendauimus, ergo deficiente etiam eadem matre, vel non valente filias dotare tenebitur in ipſius ſubſidium eaſdem dotare auus, & auia materna ſeruato ordine ſucceſſiuo, quandoquidem in defectum matris, quando ipſa, cæteroqui obligaretur, tenentur eiuſdem proximiores per lineam aſcendentē.

Rationes pro aſſertio.

Secundo, quia, ſicuti in genere, & materia alimentorum appellatione Patris veniunt auus paternus, cæterique ipſius aſcendentes per ſuperius allegata, & probata, ita in eodem genere appellatione matris veniunt auus maternus, & auia item materna, cæteriq; aſcendentes ex ipſius linea, ergo ſicuti in defectum Patris tenentur dotare neptes auus paternus, cæteriq; ipſius aſcendentes, ita in defectum matris, quando ex linea paterna omnes deficiunt, vel inhabiles ſunt tenebitur auus maternus, cæterique ipſius aſcendentes.

Tertio, quia ex ſuperius allegatis, & probatis in defectum Patris, Matris, aui paterni, cæterorumque aſcendentium ex linea virili tenetur auus maternus, & auia alere neptes, ergo etiam tenebitur eaſdem dotare.

Hæc omnia amplianda ſunt, vt procedant non ſolum in ordine ad neptes legitimas, & naturales, ſed etiam in ordine ad illegitimas, quinimmo, & ſpurias, per ea, quæ probat *Ioannes Angelus Boſſius tract. de dote c. 5. num. 40., & ſeqq.*, & nos probauimus in præcedentibus, dum de onere alimentorum. 20.

Intellige etiam quoad neptes illegitimas, & ſpurias.

Difficultas hic aliqua ſolummodo eſſe poteſt, an deficientibus quibuſcunque aſcendentibus per lineam virilem, & item matre, & exiſtente auo materno cum fratre eiuſdem dotandæ, & vtroque

diuite

diuite per prius teneatur dotare neptem auus maternus, an verò frater ſororem? Non eſt dubitandum, quod, ſi frater diues fuerit hæres Patris, adeoq; titulo hæreditatis, vel ſucceſſionis habuerit bona per prius ipſe teneatur conferre dotem ſorori, prout infra latius explicabimus. Difficultas igitur ſolummodo eſt conſiderando eundem fratrem ſub qualitate præciſè fratris, & iure ſanguinis, & quidem, ſi attendamus textum *in d. l. ſi quis à liberis ff. de liber. agnoſ.* videtur in hac hypotheſi per prius teneri auum maternum, ſiquidem ibidem dicitur, quod per prius teneatur Pater, auus paternus, cæterique aſcendentes per lineam virilem, per poſterius mater, auus maternus, cæterique aſcendentes ex parte ipſius, & propter

21 An côcurſu aui materni, & fratris diuitum per prius tenetur auus maternus.

hunc textum in præcedentibus docuimus, quod per prius teneatur mater comparatiuè ad fratrem, & ſicuti ob eandem rationem diximus, quod comparatiuè ad matrem teneatur per prius auus paternus, quia Pater per prius tenetur ad ipſam matrem, & auus per prius tenetur ad onera Patris, ita hic dicendum eſt, quod cum per prius teneatur mater comparatiuè ad fratrem in ſubſidiũ ipſius matris, teneatur etiam per prius ipſius Pater, qui eſt auus neptis inopis dotandæ. Ad hoc etiam videtur conferre illud, quod ſupra dicebamus, quod ſcilicet ſicuti nomine Patris in hac materia veniunt auus, cęterique aſcendentes ex parte ipſius ita nomine matris veniant auus maternus, cæteriq; aſcendentes ex linea fæminea. Ex alia parte videtur proximior frater cum ſorore, quam ſint aſcendentes ex parte matris. Nihilominus non recedendum eſt à ſententia aſſerente per prius teneri auũ maternum, quod concludentèr euincunt rationes mox adductæ, quam etiam docet *Ioannes Angelus Boſſius tract. de dote c. 5. num. 48., & tract. de effect. matrim. part. 2. c. 7. num. 332., & ſeqq.*

Aſſertio V. Iuxta ordinem ſucceſſiuum mox allegatum, & etiam ſupra, dum de

22 Seruandus eſt ordo in hæredibus, qui ſe tenetur in principalibus.

ordine, quo præſtanda ſunt alimenta, tenentur per prius ad dotandas filias hæredes illorum, qui per prius tenebantur, adeout per prius teneantur hæredes Patris, ſucceſſiue hæredes Aui paterni, deinde hæredes Matris, & ſic de cæteris. Conſentiunt in hanc aſſertionem communiter. *Abbas conſ. 115. in princip. lib. 2., Mareſcotus var. lib. 2. c. 83. n. 38., Molſeſius ad conſuetud. Neap. q. 4. num. 16., & latè Ioannes Angelus Boſſius tract. de dote c. 6. ferè per totum.*

Non diu immorandum in probatione præſentis aſſertionis, quandoquidem ſatis ſuperque liquet ex præcedentibus; bona etenim illa, cuiuſcunque illa ſint, tranſeunt cum onere, quæ habebant, cum principalis exiſteret.

PRÆNOTIO VIII.

Quænam veniant nomine alimentorum?

SVMMARIVM.

Alimenta generalitèr ſumpta in triplici genere. 1.
Quænam veniant nomine neceſſariorum ad vitam ſimplicitèr. 2.
Quænam tantum ſunt neceſſaria moraliter. 3.
Venit etiam habitatio. 4.
Etiam expenſæ pro medicinis, & medicis. 5.
Enumerantur, quæ congruunt ſtatui, & conditioni perſonæ. 6.
Veniunt etiam ea, quæ neceſſaria ſunt ad conſequenda omnia prædicta. 7.

SVB generali acceptione alimentorum non veniunt ſolum illa, quæ pertinent ad cibum, & potum, quamuis, ſi preſſius, & ſtrictè ſumantur, hæc ſolummodo comprehendantur, alimenta etenim ex ipſa nominis ethimologia denominationē accipiunt à verbo *alere*, quod idem ſignificat, ac nutrire, nutritio autem fit per cibos, ac potus. Sub generali, inquam, acceptione non ſolum veniunt iſta, ſed quæcunque alia, quæ vel ad vitam ſimplicitèr, vel ad congruam ipſius ſuſtentationem ſunt quoquo modo neceſſaria deducta ratione ab ipſa neceſſitate, quia ſcilicet quoquo modo ſunt neceſſaria, ſicut ſunt neceſſaria eadem alimenta.

Generalis acceptio alimentorum.

Ad triplex genus poſſunt hæc reduci; alia etenim poſſunt eſſe neceſſaria ſimplicitèr ad vitam, ſine quibus hæc conſeruari nequit; alia ſecundum quid, vel neceſſaria tantum moralitèr, ſine quibus conſeruari quidem poteſt vita, ſed non niſi cum maxima difficultate, & anguſtijs; alia tandem ſolum congrua, & conuenientia conſiderata qualitate, & conditione perſonarum, nam reſpectu certi generis perſonarum poſſunt eſſe conuenientia, non reſpectu alterius generis.

1 Alimenta generalitèr ſumpta in triplici genere.

Ad primum genus reducuntur cibus, & potus tanquam principalius analogatum, prout habetur *in l. legatis, & l. vltima ff. de alimentis, vel cibarijs legat. l. quos nos verb. viuere ff. de verb. ſignif.*; nomine autem cibi veniunt panes, carnes, & alia edulia pro qualitate, & conditione perſonarum *Menochius de præſumpt. lib. 4. præſumpt. 152. num. 13., & ſeqq., Surdus de alimentis tit. 4. q. 8.*, nomine vero potus veniunt vinum, ceruiſia, & alia potionis genera, & etiam aqua, vbi eſt venalis, per

2 Quænam veniant nomine neceſſariorum ad vitam ſimplicitèr.

textum

Digitized by Google

textum *in l. 1., & l. mala §. quidem libertis ff. de alimentis, & cib.*, & licet aliqui aſſerant, quod in legatis nomine alimentorum non veniat potus; ſecundum tamen communem conſenſum ſub generali eorum acceptione abſolutè venit *Corduba à Lara in d. l. ſi quis à liberis §. non tantum ff. de lib. agnoſ., Decius in l. 1. ff. de aliment.*, cum potus etiam ſit neceſſarius ad vitæ ſuſtentationem. Aduerte tamen, quod non quicunque cibi, vel quicunque potus ſint ſimplicitèr ad vitam neceſſarij, cum crebrò conferant ad voluptatem, & qui reſpectu vnius generis perſonarum ſunt neceſſarij, reſpectu alterius generis poſſunt eſſe voluptuoſi; alij etenim ſunt cibi ruſticorũ, alij nobilium *Menochius de præſumpt. lib. 4. præſumpt. 157. num. 16.*; vndè iſti ſecundum diuerſas cõſiderationes poſſunt referri ad primum genus, quatenus ſunt ſimplicitèr neceſſarij ad vitam, ad ſecundum, quatenus ſunt in tali qualitate, & quantitate, vt ſine illis poſſit quidem vita conſeruari, ſed cum incommodis; Ad tertium, quatenus conferunt ad voluptuoſam vitam.

Secundo ad idem caput reducuntur veſtes, & veſtitus *l. veſtis in princip. ff. de aur., & arg. leg.* Horum nomine non

3 **Quænam tantum ſint neceſſaria moralitèr.**

ſolum veniunt ea, quæ ad corporis tegumentum inſeruiunt ſiue ſit lanea, ſiue linea, ſiue ſerica, ſiue alterius, vel pretioſioris, vel deterioris conditionis, & valoris, ſed etiam ea, quæ ad accubandum ſunt deſtinata, vt culcitræ, lectus, & ſimilia, prout notat *Gloſa in d. l. veſtis ff. de aur., & arg. legat., Simon de Pretis de interpret. vlt. vol. lib. 4. interpret. 1. dub. 11. num. 46., Menochius de præſumpt. lib. 4. præſumpt. 157. nu. 18., Surdus de aliment. tit. 4. q. 2. nu. 8.*, & quoad veſtes comprehenduntur ſubuculæ *Bellonus conſ. 30. nu. 11. vol. 2.* capitis tegumentum *Surdus de aliment. tit. 4. q. 2. nu. 9.*, item calceamenta, cum etiam hæc ſint pedum veſtes *Martha de ſucceſſionibus part. 4. q. 18. art. 7. n. 8., Rota Romana deciſ. 421. num. 4. part. 4. diuerſ. apud Farinacium in nouiter nouiſſimis, Rolandus à Valle conſ. 22. nu. 5.*; Quoad lectum vero non ſolum veniunt ſtrata eiuſdem ſiue plumea, ſiue lanea, ſed etiam tegumenta eiuſdem, & omnia ornamenta, quæ lecto accedunt *Surdus de aliment. d. tit. 4. q. 2. n. 5., Bartolus in l. liberorum §. fin. ff. de leg. 3.*; vndè, qui alteri legaret omnia alimenta ſub generali ratione ſub legato prædicta omnia venirent *Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrim. part. 2. c. 2. nu. 58.*, qui tamen aſſerit, quod in materia odioſa, puta, dum ageretur de remittendis alimentis nomine eorundem non veniunt veſtes, & habitatio, per textum *in l. cum*

Enumerãtur omnia ſpecialitèr.

his §. qui tranſigit ff. de tranſact., Bartolus in l. legatis ff. de aliment. leg., Menochius de arbitrar. caſ. 170. num. 27. Hæc etiam omnia ſecundum diuerſas cõſiderationes, & ſecundum diuerſas perſonarum conditiones, & qualitates poſſunt reduci ad illa tria genera, vt per ſe patet.

Tertio ad idem reduci poteſt habitatio, prout colligit. *Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrim. part. 2. c. 2. num. 46.*, per textum *in l. legatis, & l. vlt. ff. de alimentis vel cibar. legat.*; nomine autem habitationis regularitèr veniunt etiam vtenſilia, quæ maſſaritias appellant, prout notant *Simon de Pretis de interpret. vlt. vol. lib. 4. interpretatione 1. dub. 11. nu. 41., Menochius de præſumpt. lib. 4. præſumpt. 157. nu. 23.*, hocque ſpecialitèr arbitror euenire, quando alicui ex diſpoſitione iuris dabantur generalitèr alimenta, nam ſine habitatione non poteſt viuere, & ſine talibus vtenſilibus non poteſt habitare *arg. l. Lubeo §. 1. ff. de ſuppelect. legat.* Sed an legata habitatione intelligantur etiam legata vtenſilia? Negat *Surdus de aliment. tit. 4. q. 4. nu. 3.*, cum aliud ſit habitatio, aliud ſuppellex, quod colligitur ex eo, quod in iure habentur diuerſi tituli, alter *de habitatione* legata, alter *de ſuppellect. leg.*, vndè ex vno nequit alterum inferri *arg. l. Papinianus ff. de minor.*, ſed an hoc verum ſit alibi videbimus. Etiam hæc habitatio ſecundum diuerſas conſiderationes, & perſonarum conditiones poteſt reduci ad illa tria genera ſupra aſſignata.

4 **Venit etiam habitatio.**

Quarto reducitur ad idem genus expenſa pro medicinis, & Medicis ſtante infirmitate alimentarij, cum ſine eiſdem præſumatur vix viuere poſſe *l. quos nos §. viuere ff. de verb. ſignificat., Bartolus in l. legatis ff. de aliment. l. libertis 2. §. 1. ff. eod., Miſinger. pract. cent. 3. obſer. 12., Martha de ſucceſ. part. 4. q. 18. art. 7. num. 8.*

5 **Etiam expenſæ pro medicinis, & Medicis.**

Ad ſecundum genus reducuntur prædicta omnia, prout ſunt ſupra meram neceſſitatem ad vitam conſeruandam, talia tamen ſunt, vt ſine ipſis non niſi cum grauibus incommodis, & difficultatibus poſſit vita conſeruari; Item reſpectu perſonæ alicuius dignitatis, & ſtatus, equi, ſeruitores, & ſimilia, prout notant *Simon de Pretis de interpret. vlt. volunt. lib. 4. interpret. 1. dub. 11. num. 59., Menochius de præſumpt. lib. 4. præſumpt. 157. num. 28., Fagundez in Decalog. lib. 4. c. 21. num. 8., & c. 24. num. 2., & ſeqq.* Item expenſæ ad addiſcendas artes honeſtas, & diſciplinas iuxta conditionem alimentarij *l. qui filium ff. ubi pupil. educ. debeat, & l. cum plures §. cura tutor ff. de adminiſt., & peric. tut., & l. vlt. C. de aliment. pupil. præſtand., Menochius de præ-*

Alia enumerantur.

Digitized by Google

ſumpt. lib.4. præſumpt.191. num.12. in fin., Ioannes Nicolaus Lucidorus de illegit. Cleric. c.15. num.15.

Ad tertium genus reducuntur omnia item præcedentia in illa qualitate, & quãtitate, quæ congruunt ſtatui, & conditioni perſonę, quamuis excedant neceſſitatem ſimplicem, & moralem ad vitam conſeruandam. Secundo ea omnia, quæ ſtatui poſſunt conuenire, puta reſpectu equitis congruæ recreationes, venationes, & ſimilia *Fagundez in Decalog. lib.4. c.21. num.8., & c.24. num.2., Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrim. part.2. c.2. num.61. in fin.* Tertio etiam impenſæ pro funere, ſi alimentarius moriatur *Molina de iuſt. tom.1. diſp.168. §.alimenta*; & licet aliqui quoad expenſas funeris contradicant eo, quod iſtæ non deſeruiant pro alimentis, ſeu ad vitam corporalem conſeruandam; nihilominus idem Molina aſſerit, quod, quamuis propriè alimentorum nomine non veniant, computentur tamen lato modo inter alimenta, cum ſint neceſſariæ ad conuenientem corporis alimentarij defuncti curam.

6 Enumerantur, quę congruũt ſtatui, & conditioni perſonæ.

Hoc vnum pro complemento eorum, quæ ſub hoc titulo continentur, aduertendum exiſtimo, quod in quocunque ex tribus aſſignatis generibus res aliquæ neceſſariæ ſunt, & computantur pro alimentis, intelligantur etiam neceſſaria, & pro alimentis ea, quæ ſunt neceſſaria ad illa conſequenda; ſic in indiuiduo docent *Simon de Pretis de interpret. vlt. vol. interpret.1. lib.4. dub.11. num.42., Menochius de præſumpt. lib.4. præſumpt.157. num.17., Molfeſius ad conſuetud. Neap. part.5. q.1. num.9., Surdus de aliment. tit.4. q.3. num.4.*, quod, quando pro alimentis, ſeu titulo alimentorum tribuendum eſt vinum, contribuenda etiam ſint vaſa, quibus continetur per textum *in l.3., & l.2. vino legato ff. de tritico, vino, vel oleo legato*; ſic alij docent, quod, ſi ſint debita alimenta quoad cibos, debeãtur etiam vaſa ad coquinam, & mẽſam neceſſaria *Simon de Pretis de interpret. vlt. vol. lib.4. interpret.1. dub.11. nu.41., & alij arg. l. Labeo §.1. ff. de ſuppel. leg.*, ex quibus non incongruè poteris deducere alios ſimiles caſus.

7 Veniunt etiam ea, quæ neceſſaria ſunt ad conſequenda neceſſaria.

PRÆNOTIO IX.

In quanam quantitate inſpecto præciſè iure naturæ teneantur parentes filijs præſtare alimenta.

SVMMARIVM.

Sententia aſſerens teneri ſolum ad neceſſaria vitæ ſimplicitèr. 1.

Sententia aſſerens teneri præſtare alimenta iuxta decentiam ſtatus. 2.

Sententia aſſerens ita teneri præſtare, vt extrahat non ſolum ab extrema, ſed etiam à graui neceſſitate. 3.

Pater ex vi naturalis pietatis tenetur conferre alimenta filijs, quantum opus eſt ad extrahendos eoſdem à neceſſitate graui reſpiciente bona natura. 4.

Intellige etiam quoad filios ſpurios. 5.

Ex vi naturalis charitatis præciſè inclinantis tenetur alere, quantum ſufficit ad tollendam neceſſitatem grauẽ quomodocunque. 6.

Qui tenentur ſolum in ſubſidium, tenentur tantum ad neceſſitatem extremam, & grauem ſtrictam. 7.

Soluuntur rationes oppoſitæ. 8.

SEnſus difficultatis in eo pręcipuè conſiſtit, an parentes, qui de iure naturę tenentur filijs alimenta, aliaque neceſſaria ad vitæ ſuſtentationem præſtare, teneantur inſpecto præciſè ordine naturæ eadem præbere in ea præciſa quantitate, quæ neceſſaria ſint ad vitæ conſeruationem, an verò in ea quantitate, quæ conueniat decentiæ ſtatui, & ad conſeruandam decorem perſonæ; atque hæc difficultas attento eodem naturæ ordine examinanda eſt non ſolum in ordine ad filios legitimos, & naturales, ſed etiam in ordine ad illegitimos, & ſpurios.

Senſus difficultatis exponitur.

Ex prædictis certum eſt, quod eatenus de iure naturæ parentes tenentur alimenta filijs præſtare, quatenus aliunde non habent, quo valeant ſuſtentari, ex quo naturalis pietas dictat, quod parentes in ea neceſſitate teneantur eiſdem ſubuenire; vnde inferunt communitèr DD. in hac materia ſcribentes, quod, ſi filij aliunde habeant, quo poſſint viuere, ceſſet in parentibus onus ipſos alendi. Qualis autem, & quanta debeat eſſe filiorum indigentia, quæ inducat in parentibus illam obligationem naturalem id eſt pręcipuè, quod in præſenti controuertitur.

Qualis indigentia filiorum requiratur.

Molina tom.1. de iuſt. diſp.168. verſ. quartam partem in initio tenere videtur de iure naturæ ſtricto Patrem debere ſolum filijs ea alimenta præſtare, ſine quibus vitam amitterent, quæque ſunt ſimplicitèr neceſſaria vitæ, ne fame, aut frigore pereant, quod etiam affirmare videntur *Coaruuias de ſponſal. part.2. c.8. §.9. num.1., Azorius part.2. lib.2. c.4. q.7. verſ. an verò ſine Reginald. l.20. num.38. in fin., Laiman lib.5. tract.10. part.3. c.5. num.8., Filliucius tom.2. tract.28. part.2. c.2. num.30., Vaſquez opuſc. de teſtam. c.3. §.7. dub.9. in princip.*, qui omnes inſpecto iure præciſè naturali nullam differentiam agnoſcunt in tali parentum onere quoad filios legitimos,

1 Sententia aſſerens teneri ſolũ ad neceſſaria vitæ ſimplicitèr.

&

Digitized by Google

& quoad illegitimos, & ſpurios, qui tamen aſſerunt ſpurijs eſſe tantum debita alimenta neceſſaria ad vitam ſimplicitèr.

Alter Molina Iuriſta *de primogen. lib. 2. c. 1. num. 23.* videtur aſſerere Patrem obligatione naturali teneri præſtare alimenta filijs iuxta decentiam proprij ſtatus non ſolum ſimplicitèr neceſſaria ad vitam, dum dicit, quod talia alimenta tenetur præſtare vt ſint competentia, vt honeſtè alantur, vbi per ly *honeſtè* importatur, quid aliud ſupra ea, quæ ſimplicitèr neceſſaria ſunt ad vitam. Huius opinionis duplicem arbitror eſſe rationem, licet non inueniam apud eundem Molinam. Prima eſt, quia ex ipſo iure naturali ad quid amplius videtur obligari Pater erga filios, ac obligatur quilibet extraneus in ordine ad ſuum proximum, ſed quilibet extraneus tenetur erga proximum ſuum in extrema neceſſitate conſtitutū, ſeu indigentem neceſſarijs ad vitam ſimplicitèr conſeruandam, ergo Pater in ordine ad filios tenebitur non ſolum quoad neceſſaria ſimplicitèr ad vitam, ſed etiam quoad conuenientia ad vitam honeſtè ducendam iuxta conditionem proprij ſtatus. Altera ratio eſt, quia indignum omnino videtur ſtatui paterno, vt dum Pater opibus abundat, & lautè viuit, ipſius filij ex inopia emendicent, & vitam vilem, & indecorem ducant; nec hoc conſonare poteſt cum pietate paterna.

2 Sententia aſſerens teneri alimēta præſtare iuxta decentiam ſtatus.

Alij inter quos *D. Thomas 2. 2. q. 32. art. 5., & 6.* aſſerunt Patrem ita teneri alere filios, vt non ſolum illos extrahat ab extrema neceſſitate, ſed etiam à graui, qui propterea videntur velle, quod non ſolum teneatur conferre ſimplicitèr neceſſaria ad vitam, ſed etiam ea, quæ neceſſaria ſunt, ne tranſigant vitam laborioſam, incommodis grauibus plenam &c. Rationem ex eo deducunt, quia æquale eſt onus, quod habent filij ad alendos parentes, quantum eſt ex vi naturę, ad illud, quod habent Patres alendi filios inopes, & indigentes; ſed filij tenentur ſubuenire parentibus non ſolum quando ſunt in extrema neceſſitate, ſed etiam quando in graui reperiuntur, quandoquidem exiſtentibus parentibus in graui neceſſitate præciſè non eſt licitum filijs, quando poſſunt eiſdem ſubuenire, tranſire ad Religionem, & ſi tranſierint, nec tamen adhuc ſunt profeſſi, tenentur egredi *Nauarrus in ſumma c. 14. nu. 14., Toletus lib. 5. c. 1. num. 6., Caietanus 2. 2. q. 189. art. 6., Valentia 2. 2. diſp. 7. q. 1. p. 2., Bonacina de præcept. Decal. diſp. 6. q. vnica punct. 5. nu. 4., Villalobos part. 2. tract. 35. diff. 7.*, ergo etiam parentes tenentur prouidere filijs, vt a graui neceſſitate extrahantur, quando in illa ſunt conſtituti. Quid igitur hac in re concludendum?

3 Sententia aſſerens teneri ita præſtare, vt nō ſolum extrahat ab extrema, ſed etiam à graui neceſſitate.

Aduertendum primo iuxta primarium ius naturæ nullam eſſe diſtinctionem inter filios legitimos, & illegitimos; vnde, ſi quæ eſt diſtinctio, inducta eſt tantum per humanas leges, vt probat *Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrim. part. 2. c. 1. num. 17.*; natura ſiquidem omnibus filijs communis eſt per textum *in l. hos accuſare §. omnibus ff. de accuſ.*, nec facit inter ipſos differentiam, ſed omnes æquales producit omnes ingenuos, vnde *Baldus in c. quæ Eccleſiarum de conſtit.* dixit, quod filijs illegitimis communis eſt amor, & natura; ex quibus poteſt congruè deduci, quod ſicuti filij illegitimi tenentur exhibere eandem reuerentiam, eundemque honorem parentibus, cum naturalitèr ab illis procedunt, & natura eoſdem fecit æquales cum legitimis, ita & parentes, quantum eſt ex vi iuris naturalis, teneantur eiſdem æqualitèr prouidere. *Palæotus de nothis c. 48. num. 3., Rota Romana in vna Romana alimentorum 5. Iunij 1613. coram Mazanedo, & in alia Roman. aliment. 29. Nouembris 1613. coram Pamphilio.*

Iuxta ius naturæ nulla eſt diſtinctio inter filios legitimos, & illegitimos.

Aduertendum ſecundo neceſſitatem grauem (præſcindendo ab extrema, in qua, ſi fuerint filij conſtituti, non eſt dubium, quod Pater ex vi iuris naturalis teneatur illis conſulere) duplicem quodammodo eſſe; alteram, quæ reſpicit bona, quæ natura voluit omnibus conuenire, puta ad ſeruandam libertatem, bonam æſtimationem, quam vnuſquiſque naturalitèr habere ſolet; alteram, quæ reſpicit bona, quæ natura per ſe non omnibus hominibus participauit, puta ſtatum nobilitatis, aliquam dignitatem, & alia huiuſmodi. His poſitis ſit.

Neceſſitas grauis duplex, & qualis.

Aſſertio I. Pater ex vi naturalis pietatis non ſolum tenetur præſtare filijs alimenta ad euitandam in eiſdem neceſſitatem extremam, ſed etiam ad euitandam grauem, quæ ſcilicet reſpicit bona, quæ natura ipſa fecit omnibus communia; hocque non ſolum in ordine ad filios legitimos, ſed etiam in ordine ad illegitimos, quinimmo etiam, & ſpurios. In hanc propendent quotquot ſuſtinent parentes obligari ad præſtanda alimenta filijs non ſolum ea, quibus liberentur ab extrema neceſſitate, ſed etiam ea, quibus extrahantur a graui, licet ipſi non diſtinguant inter illas duas neceſſitates, de quibus nos loquimur, nam, ſi ita ſentiunt de graui neceſſitate ſine vlla prorſus diſtinctione, certè à fortiori ita ſentire debent de illa neceſſitate, quæ reſpicit bona, quę natura fecit omnibus cōmunia, cum hęc ex genere ſuo ſit grauior, & conſiderabilior.

4 Tenetur præſtare alimenta, vt extrahat à neceſſitate graui reſpiciente bona naturæ.

Digitized by Google

lior. Hi ſunt *Azorius part. 1 lib. 12. c. 1. q. 8.*, *Sairus lib. 7. clauis c. 6. num. 3. verſ. cæterum*, *Sanchez in ſumma lib. 4. c. 20.*, *Suarez tom. 3. de Religione lib. 5. c. 5. num. 11.*, *Megala 2. part. inſtruct. lib. 2. c. 1. q. 3. num. 10.*, *Fagundez in Decal. lib. 4. c. 2. num. 15.*, dum ſtatuunt, quod filius exiſtentibus parentibus in graui neceſſitate ſolummodo non poſſit in Religionem ingredi, ſed teneatur conſulere parentibus indigentibus, quod idem aſſerunt de parentibus, qui non poſſunt ingredi, quando filij ſunt in graui neceſſitate conſtituti, & indigent ipſorum ſubſidio.

5 Intellige etiam quoad filios ſpurios.

Rationes pro prima parte aſſerti.

Ratio primæ partis quoad neceſſitatem extremam facilè deducitur ex præcedentibus, in quibus dictum eſt parentes teneri de iure naturæ ſubuenire filijs indigentibus; ſed hoc congruentius nequit intelligi, quam cum filij ſunt in extrema neceſſitate conſtituti, ergo tunc parentes tenētur eiſdem ſubuenire ad eoſdem à tali neceſſitate extrahendos.

Rationes pro ſecunda parte eiuſdem.

Ratio ſecundæ partis ex eo deducitur, quia natura ipſa nedum inclinat, ſed quodamodo compellit parentes ad ſeruanda in filijs ea, quæ ſunt bona propria eiuſdem naturæ, quæque ex ipſa natura oriuntur, ſiquidem bona fortunæ ſunt hominibus conceſſa ad conſeruanda bona eiuſdem naturæ, & vbi eſt neceſſitas conſeruandi talia bona manent communia bona temporalia, ergo parentes in tali neceſſitate graui reſpiciente bona naturæ, ſeu quæ natura fecit omnibus communia, tenentur filijs ſubminiſtrare ea, quibus talibus bonis poſſint conſulere. Neq; obeſſe poteſt, ſi afferatur, quod dicta in vtraque parte huius aſſertionis proueniant ex ratione vniuerſalis charitatis, ſecundum quam vnuſquiſque proximo tenetur conſulere in his neceſſitatibus extrema ſcilicet, & graui ſecundum hunc ſenſum exiſtentibus, adeoque, quod Pater ratione naturalis pietatis teneatur ad quid magis, nempe ad præbenda alimenta, ad ſubueniendum cuicunque neceſſitati, & ad decentiam ſtatus; Non, inquā, obeſſe poteſt, quia dato, quod quicunque in illa extrema neceſſitate, & fortè etiam graui teneatur proximo conſulere, non tamen tollitur, quin Pater ratione fortioris vinculi naturalis pietatis teneatur primo loco ad ſubueniendum filijs, quod ſatis eſt ad inferendam, & adimplendam obligationem paternam, quæ in hoc non eſt extendenda vltra neceſſitatem extremam, & grauem, ſed in eo explicanda, quod fortius, ſtrictius, & principalius obliget.

Aſſertio II. Pater ex vi naturalis pietatis ſtrictè obligantis ad quid amplius non tenetur; ex vi tamen naturalis charitatis præciſè inclinantis tenetur etiam ad ſubueniendum in neceſſitate graui quomodocunque *Molina Theologus* apud *Ioannem Angelum Boſſium tract. de effect. matrim. part. 2. c. 1. num. 15. prop. fin.*, *Couarruuias de ſponſal. part. 2. c. 8. §. 6.*, *Vaſquez opuſ. de teſtament. c. 5. §. 7.*, *Azorius part. 2. lib. 2. c. 4. q. 7. verſ. an verò*, *Filliucius tom. 2. tract. 28. part. 2. c. 2. num. 30.*, *Reginaldus lib. 20. num. 38. in fin.*, *Laiman lib. 5. tract. 10. part. 3. c. 5. num. 8.*, *Gama deciſ. 225.*, *Petrus Barboſa ad l. 1. p. 4. num. 60. in fin. ff. ſolut. matrim.*, atq; ita communitèr ſentire Iuriſperitos teſtatur *Ioannes Angelus Boſſius loc. quo ſupra*.

6 Ex vi naturalis charitatis præciſè inclinantis tenetur ſublenare etiā à neceſſitate graui ordinaria.

Rationes pro prima parte aſſerti.

Ratio primæ partis ex eo deſumitur, quia natura in tantum cogit parentes ad præſtanda alimenta filijs, in quantum eiſdem indigent ad conſeruanda bona naturæ eiſdem ab eadem communicata, ſed ex eo præciſè, quod præbeant alimenta ad euitandam extremam neceſſitatem, & grauem iuxta ſenſum expoſitum tantum præſtant, quantum opus eſt ad ſeruanda bona naturæ ab eadem filijs communicata, ergo ad quid aliud, quantum eſt ex vi eiuſdem naturæ, non tenentur; nam omne id, quod eſt extra neceſſitatem extremam, & grauem iuxta ſenſum explicatum non pertinet, nec reſpicit bona naturæ, ſed vel ſtatum perſonæ, vel bona exteriora. Confirmatur, quia, ſi præſcindamus à iuribus poſitiuis, & ius naturæ præciſè attendamus, ſi Pater conferret neceſſaria vitæ conſeruandę, & ijs bonis, quæ natura omnibus fecit communia, nullus eſt, qui eundem Patrem grauis noxæ damnaret, ergo natura ipſa non obligat parentes ad conferenda alimenta filijs ſupra id, quod exigit neceſſitas vitæ conſeruandæ, & eorum, quæ pertinent ad bona eiuſdem naturæ.

Rationes pro ſecūda parte.

Ratio ſecundæ partis ex eo deſumitur, quia, cum Pater propagetur in filio, & filius ipſe ſit aliquid Patris, ipſa natura videtur inclinare, & allicere Patrem ad communicanda bona filijs, quibus ipſe gaudet, & vt reſultet decentia Patris in filio, ergo ex inſtinctu eiuſdem naturæ quodamodo mouetur, & allicitur ad cōferenda alimenta filio, quibus non ſolum conſeruetur in eſſe, ſed etiam in eſſe honeſto iuxta decentiam, & conuenientiam Patris. Confirmatur primo, quia maximè indecens videtur, quod, dum Pater lautè, & opipare viuit, filius indigeat, & indecore, & miſerè vitam ducat, ergo cum natura ipſa inter pares amet æqualitatem, vtique inclinat ad tot alimenta filijs conferenda, quantum ſufficiant ad honeſtè vitam tranſigendam. Confirmatur ſecundo.

Digitized by Google

do, quia iura ciuilia, de quibus infra, quæ ſtatuunt alimenta à parentibus eſſe eroganda filijs iuxta decentiam ſtatus paterni, fundantur in naturali æquitate, ergo naturalis æquitas exigit, vt conferantur alimenta iuxta decentiam ſtatus.

Aſſertio III. Illi, qui in defectum Patris ex iure naturali tenentur alimenta præſtare filijs eiuſdem, non tenentur, niſi ad alimenta, quæ ſufficiant ad euitandam neceſſitatem extremam, & grauem iuxta ſenſum expoſitum, quantum eſt ex iure naturæ. In hanc propendere ex neceſſitate debent, quotquot ſuſtinent Patrem, qui primo loco, & principalitèr tenetur, non teneri, niſi ad eadem.

7 Qui tenẽtur in ſubſidium, nõ tenentur ex vi naturæ niſi ad neceſſitatem extremã, & grauẽ ſtrictam.

Ratio ex eo deducitur, quia æquum non eſt, vt acceſſorius alteri ſubeat maiora onera, ac ſubeat ille, qui eſt principalis, & cui eſt acceſſorius, ergo, cum Pater, qui principalis eſt, cuique alij ſunt acceſſorij, non teneatur, niſi ad ea alimenta, de quibus in præcedentibus, nec niſi ad eadem tenebuntur alij, qui in ipſius ſubſidium tenentur. Confirmatur, quia in alios, qui ſolum tenentur in ſubſidium Patris transfunditur ſolum onus, quod viget in Patre, cum quoad hoc in illius locum ſuccedant, ergo ad quid amplius non tenentur ſeruato ordine ſucceſſionis, ac teneatur Pater.

Hæc, quæ dicta ſunt in ordine ad obligationem parentum quoad illam neceſſitatem extremam, & grauem iuxta ſenſum expoſitum, æquè intelligenda ſunt de filijs legitimis, ac de illegitimis, quinimmo, & ſpurijs, cum enim attento ordine naturæ nulla inter eoſdem ſit differentia pariformitèr quoad omnes phyloſophandum eſt per ea, quæ prænotauimus.

Ex quibus facilè erit reſpondere ad argumenta, quæ ſupra attulimus in fauorem opinionis Molinæ Iuriſtæ; ea etenim vel procedunt ſolummodo inſpecto iure naturæ inclinantis, & allicientis, non cogentis, & obligantis, vel ſolummodo inferunt, quod fortiori iure naturalis ſcilicet pietatis obligentur parentes ad ſubueniendum filijs in extrema, vel graui neceſſitate iuxta ſenſum expoſitum conſtitutis, quam quilibet extraneus obligetur ad ſubueniendum proximo in eadem neceſſitate paritèr exiſtente; ſiquidem in primis fortior eſt obligatio paternæ, ac naturalis pietatis, quam ſit onus generalis charitatis. Deinde Pater primo loco, & principalius obligatur in ordine ad filium, cæteri verò ſolum, quando alij non exiſtunt, qui ſubueniant &c.

8 Soluũtur rationes oppoſitæ.

Ad illud, quod dicitur de ingreſſuro in Religionem, qui tenetur differre, vt ſubueniat parentibus in graui etiam neceſſitate conſtitutis, dicendum eſt, hoc prouenire ex pia Eccleſiæ diſpoſitione innixæ illi naturali pietati inclinanti, & promouenti. Deinde, ſi velimus præcisè conſiderare ius naturale præſcindendo etiam à quacunque diſpoſitione poſitiua, dicendum eſt hoc ius naturale impedire ingreſſum in Religionem non ob illam parentum grauem neceſſitatem præcisè, ſed ob periculum, ne illa tranſeat in extremam, adeo vt parentes deſtituantur quocunque ſubſidio.

PRÆNOTIO X.

Quænam alimenta, & quibuſnam filijs inſpecto iure ciuili ſint per parentes eroganda loquendo pro nunc præcisè de legitimis.

SVMMARIVM.

Articuli examinandi circa præſentem titulum. 1.
Inſpecto iure ciuili filij ſunt alendi à parentibus iuxta decentiam ſtatus. 2.
Alij, qui tenentur ſolum in ſubſidium, tenentur etiam iuxta decentiam ſtatus, ſed cum aliqua limitatione. 3.
In taxatione huiuſmodi alimentorum attendenda eſt etiam conſuetudo regionis. 4.
In controuerſia lis dirimenda eſt per Iudicẽ. 5.
Dimminutis, vel auctis facultatibus paternis augenda, vel diminuenda ſunt alimenta filijs. 6.
Limitatio ad prædicta. 7.
Pater tenetur etiam ad alimenta vxoris filij, quam duxit ipſo conſentiente. 8.
Etiam ſi filius duxerit vxorem inuito Patre, ſi non habeat, quo ipſam alat. 9.
Pater ſecundum eam quantitatem, qua tenetur alere filium illegitimum, tenetur etiam alere ipſius vxorem. 10.
Pater non tenetur alere nurum indignam ſecundum decentiam ſtatus, ſed tantum iuxta neceſſitatem naturæ. 11.
Pater in nonnullis caſibus non tenetur alere filios iuxta decentiam ſtatus. 12.
Filijs etiam emancipatis tenetur præſtare alimenta iuxta decentiam ſtatus. 13.
Etiam filijs bannitis. 14.
Non tamen quoad decentiam ſtatus, ſed iuxta indigentiam naturæ. 15.
Etiam filio excommunicato. 16.
Pertinaci ex ſua culpa in excommunicatione tantum iuxta indigentiam naturæ. 17.
Filio hæretico pertinaci in hæreſi tenetur Pater tantum quoad neceſſaria naturæ. 18.
Pater poteſt filio damnato iuſtè, vt fame pereat licitè conferre alimenta, non tamen tenetur. 19.

Pater

Digitized by Google

Pater infidelis tenetur alere filium conuerſum ad fidem in ea quantitate, qua tenebatur ante conuerſionem. 20.

Pater tenetur alere filium iuſtè eiectum è Religione, ſecus à fuerit iniuſtè eiectus. 21.

Pater adoptans tenetur per prius alere filium adoptiuum, 22.

IVra ciuilia non eodem modo procedunt in ordine ad filios legitimos, ac in ordine ad illegitimos, & ſpurios; vnde conſiderandum eſt, quid in vtriſque decernant. Sub præſenti autem titulo ſolummodo agemus de filijs legitimis, ſubſequenti de illegitimis, & ſpurijs.

Plures hic veniunt difficultates, quarum prima eſt, an ius ciuile obliget parentes ad conferenda alimenta filijs iuxta dignitatem propriæ perſonæ. Secunda, quomodo taxanda ſint huiuſmodi alimenta. Tertia, an conferenda ſint iuxta ſtatum Patris, quando filij nati ſunt, an verò iuxta incrementum, vel decrementum, ſi contigerit Patrem ijſdem natis creſcere vel decreſcere in diuitijs, vel dignitate. Quarta, an Pater non ſolum teneatur conferre filijs iuxta dignitatem proprij ſtatus alimenta, ſed etiam vxoribus filiorum, ſeu nuribus, & hoc ſiue illas duxerint de conſenſu eiuſdem Patris, ſiue eodem diſſentiente, ſiue ipſe Pater habuerit apud ſe dotem vxorum eorundem filiorum, ſiue illam non habuerit. Quinta, an teneatur conferre filijs emancipatis bannitis, deportatis, ſententia Iudicis damnatis, vt inedia pereant, excommunicatis, hæreticis perſiſtentibus in pertinatia, Religionis profeſſis è monaſterio expulſis. Sexta, an etiam filijs adoptiuis.

1 Articuli examinādi circa præſentē titulum.

Aſſertio I. Inſpecto iure ciuili per parentes ſunt filijs alimenta eroganda non præcisè, quatenus ſufficiant ad vitam, & bona naturæ conſeruanda, ſed quantum ſufficiat ad decentiam ſtatus, & conditionis eorundem parentum, & filiorum. Conſentiunt communitèr ex Theologis *Vaſquez in opuſc. de teſtam. c. 3. §. 7. dub. 9., Azorius part. 2. lib. 2. nu. 4. q. 19., Sanchez in conſil. moral. lib. 4. c. 3. dub. 34., Megala part. 2. lib. 2. c. 2. q. 2., Fagundez in Decal. lib. 4. c. 17. nu. 21., Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrim. part. 2. c. 3. nu. 70.* Ex Iuriſtis *Tiraquel de nobilitate c. 20. num. 143., Martha dè ſucceſſionibus part. 4. q. 18. art. 7. num. 14., Stephanus Gratianus diſcept. for. tom. 1. c. 112. nu. 1., Salgado in labirint. c. 24. nu. 13., & ſeqq. & alij innumeri, quos refert idem Ioannes Angelus Boſſius loc. cit.*

2 Inſpecto iure ciuili filij ſunt alendi à parētibus iuxta decentiam ſtatus.

Expreſsè colligitur ex *l. ſi cui ff. de ann. leg. l. mala l. penult. ff. de aliment. & cib. leg. l. tutor in princip. ff. de adminiſt. tut. l. 1. §. mulier ff. de ventre inſpic. l. ſed ea, ſi quid §. ſufficientèr ff. de vſufruct. l. ſi inſtituta §. de inofficioſo ff. de inoffic. teſt.*, & quidem congrua ratione hæc omnia iura procedunt, quandoquidem, vt ſupra dictum eſt, indecorum omninò videtur, quod dum Pater lautè, & abundè viuit, ipſius filij mendicam vitam ducant.

Iura conuincentia aſſertum.

Hic ſolum oritur difficultas, an non ſolum Pater, qui principalitèr tenetur ad alimenta filiorum teneatur eadem conferre iuxta exigentiam proprij ſtatus, & conditionis, an vero etiam alij, qui ſolum obligantur in ſubſidium, teneantur etiam ad eadem iuxta talem exigentiam, an vero ſolummodo iuxta neceſſitatem meram alimentandi? In ordine ad Auum paternum non renuerem teneri iuxta exigentiam ſtatus, & conditionis, quandoquidem ipſe reputatur, vt pater, & ad ipſum etiam ſpectat conſeruare ſplendorem familiæ. Quoad alios *Rota Romana deciſ. 581. nu. 2. part. 1. in recent. Farinacij*, ſuſtinet teneri dumtaxat ad eadem alimenta iuxta neceſſitatem naturæ, non quoad conditionem perſonæ, & innititur præcisè auctoritati *Baldi in l. ſi maritus ff. ſolut. matrim., Cordubæ in l. ſi quis à liberis §. ſed ſi filius nu. 66. ff. de lib. agnoſ., Rolandi de lucro dotis q. 94. nu. 3.* Sed contrarium arbitror, probabilius teneri ſcilicet iuxta conditionem perſonæ, cum aliqua tamen limitatione. Ratio ex eo deducitur, quia non tenentur ſolummodo cauſa miſerationis, ſed iure ſanguinis, ad quod reſpexerunt iura ciuilia, dum ſtatuerunt eroganda eſſe alimenta iuxta decentiam ſtatus, & conuenientiam perſonæ; atq; hanc opinionem ſuſtinēt *Baldus conſ. 103. nu. 3., Surdus de aliment. tit. 1. q. 25. nu. 13., & ſeqq. Azorius part. 2. lib. 2. c. 10. q. 1., Megala part. 2. inſtruct. lib. 2. c. 31. num. 1. Fagundez in Decal. lib. 4. c. 16. nu. 1., & 2. Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrim. part. 2. c. 3. nu. 32. in fine*, qui etiam reſpondet Rotæ innixæ auctoritati præcitatorum Doctorum aſſerens eoſdem loqui dumtaxat in alimentis, quæ debentur miſerationis cauſa. Dixi *cum aliqua tamen limitatione*, nam non renuerem concedere, non ita pinguia præſtanda eſſe ex neceſſitate a ſubſidiarijs alimenta, ſicuti ſunt præſtanda a Patre, & cæteris principalioribus, puta Auo Paterno, & aſcendentibus ipſius.

3 Etiā alij qui tenentur tātum in ſubſidium, ſed cum limitatione.

Quænam ſit hæc limitatio.

Aſſertio II. In taxatione huiuſmodi alimentorum attendenda eſt, non ſolum dignitas perſonarum, & facultatum copia, ſed etiam conſuetudo regionis, & ætas alimentarij, & in controuerſia de ſufficientia, vel inſufficientia ipſorum taxatio remittitur Iudicis arbitrio. Ita quoad

4 In taxatione huiuſmodi alimentorum attēdenda etiam eſt conſuetudo regionis.

Digitized by Google

quoad dignitatem perſonarum, & facultatum copiam *Ancharanus conſ. 383. ad finem, Bartolus de alimentis verſ. quæro legata alicui, Simon de Pretis de interpret. vlt. volunt. lib. 4. interp. 1. dub. 11. nu. 58., Fachinaus contr. iuris lib. 6. c. 34.* Quoad conſuetudinem regionis omnes, qui ſupra, & vlterius *Mareſcotus var. reſol. lib. 2. c. 83. nu. 12., Menoch. de arbit. caſ. 169. num. 3. Megala part. 2. lib. 2. c. 2. q. 2.* Quoad ætatem alimentarij *Gloſa in c. cum vnus, & in l. alimenta §. Baſilica liberta ff. de alim. leg., Gozadinus conſ. 95. nu. 4., Simon de Pretis de interp. vlt. volunt. lib. 4. interpret. 1. dub. 11. n. 8., Auguſt. Barboſa collect. ad l. ſi Patrem nu. 2. C. de alendis lib.* Quoad arbitrium Iudicis *Baldus in l. voluntatis C. de fideicom., Angelus conſ. 357., Ioannes Igneus in repet. l. neceſſarios §. non alias num. 146. ff. ſolut. matrim., Stephanus Gratianus diſcept. for. c. 112. num. 17., Salgado in labirint. credit. c. 24. num. 13.*

Probatur in vniuerſum, quoad illas omnes qualitates, quia ex quo iura ſtatuerunt alimenta conferenda eſſe iuxta decentiam ſtatus, & perſonarum non poteſt congruentius eorum quantitas taxari, quam conſiderando dignitatem perſonarum; non enim eodem modo accipienda eſt hæc quantitas pro perſona nobili, ac pro perſona vili, non pro equite, ac pro mercatore, non pro præpotente opibus, ac diuitijs, ac pro paupere quantumuis nobili; nec iuxta eandem pompam, & ſplendorem viuitur in vna regione, ac in alia etiam inter perſonas æqualis conditionis, ergo in tali taxatione hæc omnia attendenda ſunt, vt rationabilitèr fiat.

Specialitèr quoad conſiderationem habendam de ætate alimentarij habetur *in l. 3. ff. vbi pupil. educ. deb. l. cum vnus l. alimenta §. Baſilicæ liberta ff. de alimentis legatis*, non enim eadem alimenta debentur pro paruulo, ac pro adulto, ſed ſemper præſtanda maiora iuxta incrementum ætatis ad certum tempus.

Quod vero in cõtrouerſia ſuper huiuſmodi quantitate, & qualitate alimentorum lis dirimenda ſit per arbitrium Iudicis expreſsè colligitur *ex l. 2., & 3. ff. vbi pupil. educ. deb. l. 2. C. de aliment. pupil. præſtandis, & l. fin. C. de ordin. cognit.* Hoc autem arbitrium debet eſſe rationabile inſpectis prædictis omnibus; non enim debet eſſe preciſè ad beneplacitum eiuſdem Iudicis, cum debeat eſſe regulatum à iure *Rota Romana deciſ. 179. num. 1., deciſ. 235. nu. 1., & deciſ. 247. nu. 1., apud Farinacium part. 1. recent., & deciſ. 587. nu. 1. apud eundem part. 2. recent., & apud Paciſicum poſt tract. de Salmiano interdicto deciſ.* 5

In controuerſia lis dirimenda eſt per Iudicem.

11. nu. 3. Hoc tamen aduertendum eſt, quod, ſi plena non haberetur pro tunc notitia de redditibus Patris, poſſet idem Iudex pro interim arbitrari de certa quantitate ſibi benè viſa, cum clauſula ſine præiudicio iurium vtriuſque partis *Rota Roman. in vna Romana alimentorum 10. Martij 1599. coram orano.*

Aſſertio III. Facta ſemel taxatione alimentorum vel per Iudicem, vel per ipſas partes inter ſe; ſi contigerit facultates patris vel decreſcere, vel augeri, poterit Pater de alimentis diminuere iuxta decrementum, & tenebitur augere iuxta incrementum. *Rota Romana deciſ. 745. apud Seraphinum, & deciſ. 31. ſecunda part. recent. Farinacij, Stephanus Gratianus diſcept. for. c. 613. nu. 18. ad 21., & n. 23., & 24., Aldobrandinus conſ. 31. num. 9., Simon de Pretis de interpret. vltim. volunt. lib. 4. interpret. 1. dub. 11. num. 69., Corneus conſ. 95. n. 4., Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrim. part. 2. c. 3. num. 77.* 6

Dimminutis, vel auctis facultatibus paternis ſunt diminuenda, & augenda alimenta filijs.

Expreſsè colligitur ex textu *in l. 3. in fin. ff. vbi pupil. educ. debeat*; nec incongrua ratione hæc decernuntur, quandoquidem ex quo iura ſtatuunt deberi per parentes filijs alimenta iuxta decentiam ſtatus, non eſt, cur commenſurari non debeant eidem ſtatui, vndè, ſi decreuerit, non eſt, cur non debeant diminui, ſi creuerit, non eſt, cur non debeant augeri; nec obeſſe poteſt illa prior taxatio facta per Iudicem, vel ex partium conuentione, cui ipſi filij conſenſerint; quia, vt benè notat *Stephanus Gratianus d. c. 613. num. 20.*, nec Iudex, nec conſenſus filiorum poteſt eiſdem præiudicare, qui non poſſunt illis renuntiare, quamuis etiam pactum fuiſſet iuratum *Aimon conſ. 116. nu. 2., & conſ. 189. nu. 3.*, nam idem conſenſus ſemper debet intelligi rebus in eodem ſtatu permanentibus per textum *in l. quod ſeruus ff. de condict. ob cauſam*, & ſemper ſunt attendenda tempora, & conditiones perſonarum, quibus alimenta debentur *Aldobrandinus conſ. 31. n. 9. tom. 1., Gozadinus conſ. 95. nu. 4. poſt medium verſ. item ſunt augenda, Floranus in l. ſedet, ſi quid §. mancipiorum ff. de vſufruct.*

Rationes pro aſſerto.

Hinc in particulari docent primo, quod, ſi fuerint taxata alimenta in determinata pecunia, & pretium rerum, puta ciborum, aliarumq; rerum fuerit adauctum, augenda quoque ſit taxatio *Rota Romana deciſ. 745. apud Seraphinum, & deciſ. 31. ſecunda part. recent. Farinacij, quæ etiã eſt apud Manticam deciſ. 331.*, ſecundo, quod, ſi aucta fuerit dignitas familiæ etiã proportionalitèr ſint augenda alimenta *Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrim. part. 2. c. 3. num. 77.*, vndè ſequitur, quod

Illationes ex eodem aſſerto.

Digitized by Google

quod, ſi Pater prius vilis, & pauper poſtea fiat diues, & ad aliquam dignitatem perueniat, augere etiam debeat alimenta filijs per textum *in d. l. 3. in fin. ff. vbi pupil. educ. debeat, Angelus conſ. 357. nu. 9., Franciſcus Mareſcotus annot. ad c. 3., Tiraquel in l. ſi vnquam in præfat. num. 167. C. de reuoc. donat.*

Limitanda tamen ſunt prædicta in caſu, quo alimenta non deberentur iure naturæ, vel indeterminatè ex diſpoſitione iuris, ſed ex diſpoſitione libera, & determinata teſtatoris; ſi etenim teſtator dixerit, volo, vt hæredes mei conferant Titio ſingulis annis decem modios tritici, quatuor vtres vini, vel tantum pecuniæ quãtitatem; tunc etenim aucta dignitate, &

7 Limitatio ad prædicta.

familia eius, cui ita debentur illa alimenta, non debent augeri illa legata, cum ſolum vim habeant in ipſa voluntate teſtatoris, qui ex quo in tali quantitate taxauit, non videtur voluiſſe illud augmentum *Stephanus Gratianus d. c. 613. num. 21., & ſeqq., Simon de Pretis de interp. vlt. volunt. lib. 4. interpret. 1. dub. 11. num* 45. Hoc idem contingeret, quando quis ius habens ad certam ſummam conueniret cum eo, aduerſus quem habet illud ius, vt tribuat quot annis pro alimentis determinatam quantitatem frumenti, & vini, & ipſe cedat illi iuri, quod habebat aduerſus ipſum; tunc etenim aucta etiam dignitate, & familia alimentarij non eſſet de iure augenda illa quantitas conuenta, vt docet cum mox allegatis DD. *Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrimonij part. 2. c. 3. num. 78.*

Aſſertio IV. Pater tenetur iuxta decentiam proprij ſtatus non ſolum ali-

8 Tenetur etiam ad alimenta vxoris filij.

menta præſtare filio, ſed etiam ipſius vxori, quam duxit ſine dote Patre ipſo conſentiente *Bonacina de precept. diſp. 6. q. vnica punct. 6. §. 1. num. 2. in fin., Megala part. 2. lib. 2. c. 23. q. 1. num. 67., Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrimon. part. 2. c. 4. num. 95.* Ex Iuriſtis *Bartolus tract. de aliment. num. 16., Coaruuias de ſponſal. part. 2. c. 8. §. 6. num. 5. in fin., Crottus in l. ſi conſtante num. 160. ff. ſolut. matrim., Menochius de arbitrar. caſ. 348. num. 14., Surdus de aliment. tit. 1. q. 38. num. 2.*

Ratio ex eo deducitur primo, quia ex quo Pater conſenſit, vt filius vxorem illam duceret ſine dote, cum aliunde ipſe

Rationes pro aſſerto.

filius non haberet, quo ipſam aleret, videtur conſenſiſſe in onus non ſolum alendi filium, ad quod tenetur de iure naturę, ſed etiam alendi vxorem ipſius *Caſtrenſis in l. ſi cum dotem §. tranſgrediamur ff. ſolut. matrimon., Surdus de aliment. tit. 1. q. 38. nu. 11., Riccius in collect. deciſ. p. 6. collect. 2436. verſ. non hic, Mangillus de imput. q. 27. n. 10.,* ergo in hac hypotheſi vtique tenetur nedum filium, ſed etiam vxorem ipſius alere.

Secundo, quia filius, & vxor ipſius ex vi matrimonij conſũmati intelligãtur eſſe vna caro, ſeu duo in carne vna iuxta illud Geneſis *Adhærebit vir vxori ſuæ, & erunt duo in carne vna*, ergo ſicuti Pater ex iure naturalis pietatis, & de iure ciuili tenetur filium alere iuxta decentiam proprij ſtatus, tenebitur etiam alere vxorem ipſius; Neque dicas hoc argumentum nimium probare; probat enim etiam, quod non ſolum Pater teneatur alere vxorem filij, quando ipſam duxit de conſenſu ipſius

Inſtantia aduerſus probationem aſſerti, eiuſque ſolutio.

Patris, ſed etiam, quando duxit ipſo Patre contradicente, quinimmo ipſe Pater teneretur alere meretricem ipſius filij, quia filius ſe copulando eidem vnum corpus cum ipſa efficitur iuxta illud *Apoſtoli ad Corinth. 6.* -Ibi- *An neſcitis quoniam, qui adhæret meretrici vnum corpus efficitur*; contra enim impugnaberis, quia non ita certum eſt, vt ſupponitur *in inſtantia*, quod Pater non teneatur alere nurum, ſeu vxorem filij, quam duxit ipſo contradicente ſine dote, prout latè docet *Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrim. part. 2. c. 4. num* 97., de qua re nos infra vberrime in ſequenti aſſertione. Ad illud, quod ſubditur de meretrice dicendum eſt, quod licet filius per copulationem cum ipſa factus ſit cum eadem vnũ corpus, quia tamen illa copulatio non eſt in indiuiduam vitæ vnitatẽ, & potius cõtra, quam iuxta diſpoſitionem iuris, ideo iura eidem non ſanxerunt alimenta à patre filij præſtanda.

Aſſertio V. Non obſtante, quod filius inuito Patre vxorem duxerit indotatam Pater tenetur cum filio eandem alere, ſi 9

filius aliunde non habeat, quo ſe ipſum, & illam alere poſſit *Ruinus conſ. 144. num. 18. lib. 5. Gloſ. in c. admonere 33. q. 2., Surdus de aliment. tit. 1. q. 38. num. 15., Crottus in d. l. ſi conſtante num. 160. ff. ſolut. matrim.* Ex Theologis *Ioannes Angelus Boſſius loc. cit., Sanchez lib. 4. de matrim. diſp. 26. num. 21., Megala lib. 2. part. 2. c. 23. q. 1. n. 67., & ſeqq.*

Etiam ſi filius vxorem duxerit indotatam inuito Patre.

Ratio ex eo deſumitur primo, quia in omni caſu, quo Pater tenetur alimenta præſtare filio, tenetur etiam præſtare nurui, ſeu vxori eiuſdem filij, quamuis ductæ ipſo Patre contradicente, cum hæc

Ratio prima pro aſſerto.

etiam loco filiæ habeatur *Cinus in l. vbi adhuc q. 16. num. 4. C. de iure dotium, Menochius de arbitrar. caſ. 348. num. 13., Surdus de alimentis tit. 1. q. 38. num. 5., Ruinus d. conſ. 144. num. 8. Gloſa in c. admonere verbo patrem 33. q. 2., Barbatius in c. 2. num. 46. de for. compet.*, ſed non obſtante, quod filius duxerit vxorem inuito Patre, Pater ipſe

com-

Digitized by Google

compellitur ad alimenta præſtanda filio; non enim in hoc ceſſat ius ſanguinis, & naturalis pietatis, ad quod, ſeu quam reſpexerunt iura ciuilia in decernendo illo onere alimentorum iuxta decentiam ſtatus, & conuenientiam perſonæ, ergo &c.

Secundo, quia Patre indigente alimentis iuxta decentiam proprij ſtatus filius tenetur eidem alimenta præſtare, vt eſt in confeſſo apud omnes, quantumuis Pater ipſe ſit contemptor legis *Surdus de alimentis tit. 1. q. 11., Ioannes Angelus Boſſius tractatu de effect. matrim. part. 2. c. 4. nu. 97.*, ergo etiam filio non habenti, vnde ſe poſſit alere, tenebitur Pater eidem alimenta præſtare iuxta exigentiam proprij ſtatus, quantumuis filius ipſe deliquerit quodamodo aduerſus Patrem nubendo contra ipſius voluntatem, cum Pater, & filius ſibi ſint correlatiui, ergo etiam tenebitur præſtare alimenta nurui, ſeu vxori filij, cum Pater ipſe teneatur onera filiorum præbere *l. ſi quis à liberis §. non tantum ff. de lib. agnoſ.*

Ratio ſecunda pro eodē.

Hic duplex oritur difficultas. Prima eſt, an ea, quæ dicta ſunt in hac aſſertione, ſint præciſè intelligenda quoad vxorem filij legitimi ductam contradicente Patre, an verò etiam de vxore filij illegitimi. Secunda, an, ſi filius contradicente Patre duxerit vxorem indignam, teneatur idem Pater eidem alimenta præſtare?

Duplex dubium excitatū.

Ad primam aſſero, quod Pater ſecundum eam quantitatem alimentorum, quam tenetur præſtare filio illegitimo, teneatur etiam ipſius vxori, quantumuis ductæ contra ipſius voluntatem erogare *Ioanns Nicolaus Lucidorus de illegit. clericorum c. 22., num. 15., Ioannes Angelus Boſſius loc. cit., Palaotus de nothis c. 47. num. 7.*, Rationem deſumo *ex d. c. cum haberet de eo, qui duxit in matrim.*, vbi ex diſpoſitione iuris canonici dicitur, quod Pater teneatur filijs etiam illegitimis præſtare alimenta, & omnia neceſſaria ſubminiſtrare, inter quæ enumerari oportet etiam alimenta vxoris, vt in terminis docent *Coaruuias de ſponſalib. part. 2. c. 8. §. 6. nu. 5., Peregrinus de iure fiſci lib. 3. tit. 18. num. 63., Boſſius, qui ſupra.*

10 Pater ſecundum eam quātitatem, qua tenetur filio illegitimo dare alimenta, tenetur etiā dare ipſius vxori

Ad ſecundam arbitror teneri quidem eandem nurum, quamuis indignam alere, quantum ſpectat ad neceſſitatem naturæ, non quantum ad decentiam ſtatus. Ratio primæ partis eſt, quia attento iure naturæ nurus illa computatur, vt filia eiuſdem Patris, & propriè facta eſt vna caro cum filio eiuſdem Patris, vnde non eſt, cur, quantum pertinet ad idem ius naturæ, non teneatur Pater eandem alere. Ratio ſecundæ partis ex eo deducitur, quia in multorum ſententia filius inuito Patre ducens vxorem ignominioſam, & indignam poteſt exhæredari inſpecto iure ciuili eo quod hoc redundet in ignominiam eiuſdem Patris, & totius familiæ *Gloſa in l. ſi filiam C. de inoffic. teſtam., & in c. de raptoribus 36. q. 1. in verb. excuſata, Vaſquius de ſucceſſ. creat. lib. 1. §. 10. repet. ad l. quoniam in prioribus num. 610., Ioannes Vallerus verb. matrimonium difficult. 1. n. 1., Menochius de præſumpt. lib. 4. præſumpt. 189. nu. 54., Franciſcus Molinus de ritu nupt. lib. 2. diff. 7. num. 38.*, quod tamen, an verum ſit, alibi iudicabimus, ergo ſaltem eidem legitimè poterit alimenta minuere, & conferre præciſè neceſſaria, vt, ſi indecorè voluit nubere contra voluntatem Patris, etiam miserè, & indecore viuat; quod, ſi hoc præſtare poteſt in ordine ad filium, non video, cur idem non poſſit peragere in ordine ad nurum ignominioſam, & indignam; & licet DD. præallegati loquantur ſolummodo de filia nubente contra voluntatem Patris, & ducente virum indignum; extendunt tamen etiam ad filium contra voluntatem Patris ducentem vxorem indignam, & ignominioſam *Caſtrenſis, Baldus, & Vaſquius apud Ioannem Angelum Boſſium tract. de contract. matrim. c. 11. num. 160.* Arbitrarer tamen ex quadam æquitate, quod non poſſit Socer alimenta nurui ignominioſæ, & indignæ ita diminuere, vt reducat ad merè neceſſaria vitæ, ſed attenuare habita ratione indignitatis, prout notat *Sanchez de matrim. lib. 4. diſp. 16. num. 20., & ſeqq.*

11 Pater non tenetur alere nurum indignam ſecundum decentiā ſtatus, ſed tātum ſecundum neceſſitatem naturæ.

Aſſertio VI. Quantumuis Pater regulariter teneatur iuxta decentiam proprij ſtatus inſpecto iure ciuili filijs legitimis præſtare alimenta per præallegata iura, & rationes, in nonnullis tamen caſibus eximitur à tali obligatione.

12 In nonnullis caſibus Pater non tenetur alere filios iuxta decentiā ſtatus.

Non poteſt clarius explicari hæc aſſertio, quam referendo plures caſus, in quibus poteſt eſſe dubium, an teneatur, vel non teneatur, & ſtatuendo, quid in illis ſit dicendum.

Dubium primum eſt, an teneatur ſolummodo talia alimenta præſtare filijs, & filiabus ſub patria poteſtate exiſtentibus, an verò etiam emancipatis? Aſſerendum eſt abſolutè etiam emancipatis, ſi ſint inopes teneri alimenta præbere *Azorius part. 2. lib. 2. c. 4. in princip., Surdus de alimentis tit. 1. q. 1. num. 20., & ſeqq., & q. 17. num. 6., Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrim. part. 2. c. 5. num. 106. in fin.*, qui aſſerit hoc eſſe certum, & indubitatum. Expreſsè deducitur *ex l. ſi quis à liberis §. ſed vtrum ff. de lib. agnoſ.*; & ratio quidem hoc euincit, quandoquidem alimenta non debentur filijs per parentes ra-

13 Etiam filijs emācipatis tenetur præſtare alimenta iuxta decentiam ſtatus.

Digitized by Google

ratione patriæ poteſtatis, ſed iure ſanguinis, & naturalis pietatis, quod non diſſoluitur per emancipationem, per textum *in l. iura ſanguinis ff. de reg. iuris, §. & ij q., & §. ſeq. Inſtit. de hæredit. quæ ab inteſt. defer.* Ex quibus etiam deducere poteris, quod etiam Pater teneatur alere filiam nuptam viro pauperi non habenti, vnde ipſam alat, hoc tamen intellige ſaltem in ſubſidium, vt notat *Ioannes Angelus Boſſius d. c. 5. num. 152.*

Dubium ſecundum, an teneatur etiam filio bannito alimenta præſtare? Quidquid dixerint

14 **Etiam filijs bannitis.**

Baldus in c. 1. de pace tenenda, & eius violatoribus in princip. num. 7., & ibidem Aſſlictius not 2. num. 22. aſſerendum eſt Patrem regularitèr teneri ad eidem alimenta præſtanda *Bartolus in l. ſi conſtante in princip. ff. ſolut. matrim., Surdus de aliment. tit. 1. q. 3. num. 4., Trullench. in Decalogum lib. 4. c. 1. dub. 3. num. 10., Filliucius tom. 2. tract. 23. part. 2. c. 3. num. 29., Bonacina de præcept. diſp. 6. q. vnica punct. 6. §. 1. num. 2.* Ratio eſt, quia per bannum, & proſcriptionem filij non extinguuntur iura ſanguinis. Hic ſolum oritur difficultas, an in hac hypotheſi teneatur ſolummodo ad alimenta ſecundum diſpoſitionem naturalis pietatis, hoc eſt, quantum eſt neceſſarium ad vitæ conſeruationem ſimplicitèr, an verò etiam ſecundum diſpoſitionem iuris ciuilis, hoc eſt, quantum ſpectat ad decentiam ſtatus? Ratio dubitandi in eo conſiſtit, quod videtur indignus fauoribus iuris ciuilis, qui contra iura ciuilia enormitèr deliquit, & banniti, licet non amittant ea beneficia, quæ à iure naturali procedunt, amittunt tamen ea, quæ a iure ciuili deſcendunt

15 **Non tamẽ quoad decentiam ſtatus, ſed tantum iuxta indigentiam naturæ.**

Bartolus in l. ſi quis a liberis §. ſed vtrum ff. de lib. agnoſcend., Surdus de alimentis tit. 1. q. 17. num. 18., Megala part. 2. lib. 2. c. 2. q. 2. num. 5. Propter hanc rationem arbitror, non teneri niſi ſecundum diſpoſitionem naturalis pietatis, hoc eſt ad eam tantum quantitatem, quæ ſufficiat ad neceſſaria vitæ *Azorius part. 2. lib. 2. c. 4. q. 6., Corduba à Lara in d. l. ſi quis à liberis §. ſed ſi filius nu. 72. verb. hæc alimenta ff. de lib. agnoſ., Surdus de aliment. tit. 4. q. 18. num. 58.* Loquendo igitur de alimentis iure naturæ debitis debentur etiam per Patrem filijs bannitis, quantumuis ſtatuto cautum ſit, ne præbeantur, quia iura ciuilia, & municipalia derogare nequeunt iuri naturæ, & ſanguinis. Dixi *Regularitèr*, quia, ſi filius bannitus eſſet publicus hoſtis, & rebellis patriæ, & contra eandem rueret, tunc pater eidem non teneretur alimenta præſtare, quia bonum patriæ, & amor erga eandem debet præualere amori erga filiũ, & bono eiuſdem, & plus patriæ debemus, quam parentibus *l. minime, & l. veluti ff. de inſt., & iur.* Hac eadem ratione Pater tenetur alimenta præſtare filio deportato, & damnato ad metalla ſecundum ſcilicet neceſſaria ad vitæ ſuſtentationem ſimplicitèr *Bartolus loc. ſupra cit., Surdus de aliment. tit. 1. q. 17. num. 22.* per textum *in l. 15. cui ff. de aliment., & l. ſunt quidam ff. de pænis.*

Dubium tertium, an teneatur filio excommunicato, & hæretico perſiſtenti in pertinatia præſtare alimenta? In ordine ad primum dicendũ eſt, vtique teneri

16 **Etiam filio excõmunicato.**

Ioãnes Angelus Boſſius tract. de effect. matrim. part. 2. c. 5. n. 119., Megala part. 2. lib. 2. c. 2. q. 2. nu. 15., Surdus de aliment. tit. 1. q. 19. nu. 13., Pontanus de alimentis c. 2. num. 14., non enim excommunicatio eximit à debitis obſequijs à iure naturali debitis filio; Sed an teneatur eadem præſtare ſecundum decentiam ſtatus, & perſonæ, an verò iuxta neceſſitatem naturæ præcisè? Arbitror, ſi ſua culpa perſeueret pertinacitèr in excommunicatione, cum poſſet ab illa abſolui, non teneri Patrem ad illum alẽdum, niſi iuxta neceſſitatem naturæ; ſi verò ſine ſua culpa, teneri ad alimẽta iuxta decentiam, & conuenientiam ſtatus.

17 **Pertinaci ex ſua culpa in excommunicatione tantum iuxta indigentiam naturæ.**

Azorius part. 2. lib. 3. c. 4. q. 8., Trullench. in Decal. lib. 4. c. 1. dub. 3. nu. 10., Ioannes Angelus Boſſius loc. cit. Ratio primæ partis eſt, quia præſtando pinguiora alimenta filio pertinaci in excommunicatione eidem tribuitur anſa perſeuerandi in eadem, ſubtrahendo verò alimenta ſubtrahitur etiam anſa talis perſeuerantiæ. Ratio verò ſecundæ partis ex eo deducitur, quod habetur *in c. inter alia de ſent. excommunicationis*, vbi dicitur, quod per ſuperuenientem ſententiam excommunicationis non liberetur pater à debito obſequio, ad quod antea tenebatur; nec ipſa ſententia excommunicationis priuat bonis, & iuribus, quibus etiam excommunicatus gaudebat ante eandem excommunicationem. In ordine ad ſecundum ſentio Patrem catholicum teneri præbere alimenta filio pertinaci in hæreſi, quantum ſpectat ad neceſſitatem naturæ, nõ quantum ad decentiam perſonæ, ſeu ſtatus *Fagundez in Decal. lib. 4. c. 2. num. 6., Azorius part. 2. lib. 2. c. 4. q. 10., Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrim. part. 2. c. 5. n. 123.*

18 **Filio hæretico pertinaci in hæreſi tenetur tantum quoad neceſſaria naturæ.**

Rationem ex eo deduco, quia non ceſſant iura ſanguinis, & naturalis pietatis ex eo, quod filius per hæreſim deliquerit, & in eadem fuerit contumax, & ſicuti ſpectato ſolummodo ordine, ſeu iure naturalis charitatis non ſunt etiam ab extraneo deneganda alimenta extremè indigenti, cum poſſit ſubeſſe ſpes, quod, quandoque conuertatur, ita à fortiori ſpectato iure ſir-

Digitized by Google

firmiori naturalis pietatis filio etiam hæretico tenebitur Pater ſubminiſtrare alimenta neceſſaria ad vitæ ſuſtentationem ſimplicitèr; Nec obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, quod filius pertinax in hæreſi poſſit à Patre iuſtè exhæredari §. *cauſas verſ. ſi quis de prædictis parentibus orthodoxus auth. vt cum de appellatione cognoſcitur*, ergo etiam poterit priuari alimentis, quia ex quibus cauſis filius poteſt exhæredari etiam poteſt priuari alimentis. Accedit alia ratio, quod filius ob crimen læſæ maieſtatis humanæ poteſt priuari alimentis, ergo à fortiori ob crimen læſæ maieſtatis diuinæ; Non, inquam, obeſſe poteſt, quia, vt benè notant *Molina de primog. lib. 2. c. 6.*, *& alter Molina Theologus tom. 1. de iuſt. diſp. 168. in fin., & diſp. 176. §. ex ſeqq. verſ. ex quibus*, *& tom. 3. diſp. 616. num. 13.* prædicta procedunt etiam quoad exhæredationem tantum in ordine ad ea, quæ non ſunt vitæ ſimplicitèr neceſſaria, non quoad ea, quę ita ſunt neceſſaria. Ad illud, quod ſubditur in primis dico non eſſe ita certum, quod ob crimen maieſtatis creatæ debeat priuari etiam alimentis ad vitam neceſſarijs, vt ſupponitur, cum adhuc vigeat titulus pietatis paternæ, & naturalis. Deinde dato etiam illo aſſumpto deneganda eſt conſequentia de priuatione talium alimentorum quoad læſionem maieſtatis diuinæ, cum potior pæna ſumenda ſit quoad damnationem æternam. Exciperem tamen in caſu, quo filius hæreticus eſſet falſorum dogmatum diſſeminator, & niteretur alios ad infidelitatem perducere, quia tunc eſſet hoſtis actualis Eccleſiæ; vnde ſicuti ex dictis præcedentèr poſſunt iuſtè denegari alimenta etiam neceſſaria filio bannito, quando eſſet perduellis patriæ, & in ipſam inueheret, ita poſſunt denegari hæretico, qui in Eccleſiam actu irrueret per falſorum dogmatum diſſeminationem, & per attractionem aliorum à fide.

Soluuntur nonnullæ rationes oppoſitæ.

19 **Pater poteſt licitè præſtare alimenta filio iuſtè damnato, vt fame pereat, nô tamen tenetur.**

Dubium quartum, an teneatur alimenta præſtare filio iuſta Iudicis ſententiâ damnato, vt fame pereat, & an ſaltem poſſit licitè illa præbere? Reſpondeo vtique licitè poſſe, quamuis non teneatur *Bonacina de præcept. diſp. 6. q. vnica punct. 6. §. 1. num. 2.*, *Trullench. in Decalog. lib. 4. c. 1. dub. 3. num. 11. in fin.*, *Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrim. part. 2. c. 5. n. 118.* Ratio primæ partis eſt, quia, ſi excipias iuſtitiæ miniſtros, nô adeſt aduerſus alios præceptum, quod ipſos obliget ad non ſubminiſtrandum alimenta ſic damnato, & ſicuti ipſe damnatus, ſi alimenta offerrentur, poſſet iuſtè ſumere, ita alius ab ipſo maximè, ſi ſit ſanguine coniunctus, ſicuti eſt Pater, poteſt iuſtè offerre compellente ſic naturali pietate. Ratio ſecundæ partis ex eo poteſt deduci, quia ſic damnatus non tenetur alimenta illa ſumere, cum poſſit velle parere ſententiæ, illiuſque pænam ſubire, ergo nec tenetur Pater offerre. Hanc ſententiam ſic in vniuerſum præter præcitatos DD. ſuſtinent *Valentia 2. 2. tom. 3. diſp. 3. q. 8. punct. 1.*, *Bannes 2. 2. q. 69. art. 4.*, *Filliucius tract. 28. c. 2. q. 5. num. 24.*, *Clauis Regia lib. 12. c. 18. num. 30.*, *Azorius part. 2. lib. 2. c. 3. q. 2.*

Rationes pro reſponſione.

20 **Pater infidelis tenetur alere filium cõuerſum ad fidem ſicuti antea tenebatur**

Dubium quintum, an Pater infidelis teneatur alere filium nouitèr conuerſum ad fidem, & in qua quantitate alimentorum? Reſpondendum eſt teneri, & quidem in ea quantitate, qua tenebatur ante conuerſionem filij ad fidem. *Antonius Ricualus de iure perſon. lib. 2. c. 29. nu. 16.*, *Aſcanius Clemens de patria poteſt. effect. 7. in fine*, *Auguſtinus Barboſa collect. ad decretales, ac c. Iudæi 2. num. 4. de Iudæis, & Saracenis*. Colligitur *ex l. cognouimus §. ſed ne videamur C. de hæret., & ex d. c. Iudæi de Iudæis, & Saracen.*

21 **Pater tenetur alere filium Monachû eiectum iuſtè à Religione, aliter ſecus, ſi iniuſtè fuerit eiectus.**

Dubium ſextum, an Pater teneatur alimenta præſtare filio Monacho poſt profeſſionem dimiſſo a Monaſterio? Cum diſtinctione reſpondendû eſt; vel etenim fuit iniuſtè eiectus, vel iuſtè; ſi iniuſtè, tenetur Monaſterium eidem alimenta ſubminiſtrare *Gloſa in c. vnicum verb. languidis de infant., & languidè expoſitis*, *Tiraquel de retract. conſang. §. 10. gloſ. vnica num. 14.*, *Surdus de aliment. tit. 7. q. 33. num. 6.* Si iuſtè Pater tenetur eidem alimenta ſubminiſtrare *Azorius part. 2. lib. 2. c. 4. q. 9.*, *Filliucius tom. 2. tract. 23. p. 2. c. 3. num. 35.* Ratio primæ partis ex eo deducitur, quia per talem iniuſtam eiectionem non amittit eiectus iura Monaſterij, nec deſinit eſſe filius eiuſdem, ergo non eſt, cur Monaſterium ipſum non teneatur eundem profeſſum alere; iniuſta etenim eiectio perindè eſt, ac ſi non eſſet eiectio; Ratio ſecundæ partis ex eo deſumitur, quia, ex quo iuſtè eiectus eſt, deſinit eſſe filius Monaſterij, nec Monaſterium intelligitur ſe obligaſſe ad alimenta eidem præſtanda niſi pro tempore, pro quo eidem inſeruiret; ex quo autem iuſtè, & legitimè eiectus eſt, nec inſeruit, nec ius habet eidem deſeruiendi, & propterea non habet ius alimenta exigendi, ergo in eo caſu, ſi aliunde non habeat, quo poſſit viuere, tenebitur Pater eidem alimenta ſubminiſtrare; non etenim ex eo, quod factus fuerit Monachus, & ſubinde ob ipſius culpam eiectus è Monaſterio deſinit eſſe eidem Patri filius, nec titulus deficit naturalis pietatis. Sed hic etiam remanet dubitandam, an Pater in ea hypotheſi teneatur ſolum-

Digitized by Google

modo, quantum ſufficit ad neceſſitatem naturæ, an verò etiam, quantum deſideratur ad decentiam, & conuenientiam ſtatus? Probabilius crederem non teneri niſi ad neceſſaria naturæ *Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrim. c. 5. num. 140. part. 2.*, quia ex quo culpa ſua eiectus eſt, non videtur habere maius ius, quam ad eadem neceſſaria, maximè cum iuſtè eiectus induat quandam ſpeciem infamiæ.

Aſſertio VII. Pater adoptans tenetur per prius filium adoptiuum alere comparatiuè ad Patrem naturalem *Speculator tit. qui filij ſint legitimi num. 19., & ibidem Ioannes Andræas in addit., Surdus de aliment. tit. 1. q. 2. num. 6. ad fin., Molſeſius ad conſuet. Neapol. part. 5. q. 11. num. 3., Barbatia in repet. c. Raynaldus de teſtam.*, hancque opinionem probabiliorem exiſtimat *Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrim. part. 2. c. 5. num. 151.*

22 Pater adoptans tenetur per prius filium adoptatū alere.

Rationem ex eo deduco, quia ex quo adoptans aliquem, quantumuis extraneum ſibi elegit in filium abſolutè ſe obligat ad eundem tractandum, vt filiū, adeoque etiam ad congruè, & decentèr alendum per textum *in d. l. ſi quis à liberis §. ſi vel parens ff. de lib. agnoſ.*, vnde ſequitur, quod filij adoptiui ſuccedant ab inteſtato in bonis adoptantis *§. ſed hodie inſtit. de adopt. §. ſed ea omnia inſtit. de hæred. quæ ab inteſt. deferṫ., & l. penult. §. ſed ne articulum C. de adopt.*; Neque obeſſe poteſt, ſi afferatur, quod ex eo, quod ſuccedant filij adoptiui adoptanti ab inteſtato nō ſequatur, quod teneatur eoſdem adoptans alere, quia frater ſuccedit fratri ab inteſtato, & tamen per prius tenetur mater eundem alere; Non, inquam, obeſſe poteſt, quia non ideo nos dicimus, quod adoptiuus debeat ali ab adoptante, quia ille huic ſuccedat ab inteſtato, ſed ideo, quia adoptans ſpontè in ſe aſſumpſit onus tractandi adoptiuum, vt filium; ex quo poſtea ſubſequitur, quod idem adoptiuus eidem ſuccedat ab inteſtato.

Aduerſus ea, quæ dicta ſunt in hac aſſertione, obijcit primo *Fachinæus controuerſ. iuris lib. 12. c. 60.* textum *in l. penult. C. de adopt.*, vbi videtur expreſsè dici filium extraneum adoptiuum per adoptionem aliud non conſequi, niſi, vt poſſit Patri adoptanti ab inteſtato ſuccedere -Ibi- *Omnia igitur maneant integra iura, ſiue ad inofficioſi querelam, ſiue ad alias omnes ſucceſſiones, ſiue ab inteſtato, ſiue ex teſtamento, quod liberis deferantur, vt & ipſe poſſit prodeſſe Patri naturali, & ab eo naturalia debita percipere*; ex quibus eruitur, quod alimenta debeat percipere à patre naturali, cum hic de iure naturali teneatur. Sed huic argumento optimè reſpondet *Surdus de aliment. tit. primo q. 2. nu. 7.* Patrem naturalem de iure naturæ teneri alimenta præbere filijs, quando aliunde non habent, quo poſſint viuere; adoptiuus autem habet aliunde, nempe à Patre adoptante, quo poſſit ali, adeoque &c.

Soluitur primum obiectum aduerſás.

Obijcit ſecundo, quia poſita adhuc adoptione iura Patris naturalis remanent immutata, ergo, & onera, ſeu, quod idem eſt non ſolum iura actiua, ſed etiam paſſiua, quod videtur colligi *ex d. l. penult. §. ſed ne articulum C. de adopt.* -Ibi- *In hoc tantummodo prodeſſe ei volumus adoptionem, vt non ſucceſſione ab inteſtato Patris extranei adoptiui defraudetur, ſed habeat acceſſionem fortunæ ex patris voluntate naturalis ſibi acquiſita*, ex quibus Fachineus colligit remanere penes Patrem naturalem integra omnia iura tàm actiua, quàm paſſiua. Sed facilè etiam huic argumento poſſumus reſpondere aſſerentes, hunc textum quoad hoc nihil euincere quoad iura paſſiua; nullum enim verbum in eodem hoc indicat; quinimmo alibi conſtat hæc iura paſſiua in Patre naturali non remanere; non enim ipſe tenetur filijs naturalibus legitimam relinquere, vt docent *Surdus de aliment. d. tit. 1. q. 2., Merlinus de legitima lib. 1. tit. 2. q. 2. num. 16.* Alia ad hanc rem pertinentia vide apud *Ioannem Angelum Boſſium tract. de effect. matrim. part. 2. c. 5. à num. 142. vſque ad num. 152. excluſiuè.*

Soluitur etiam ſecundum.

PRÆNOTIO XI.

Quænam, & quanta alimenta inſpecto iure ciuili teneatur Pater præſtare filijs illegitimis, & ſpurijs.

SVMMARIVM.

Quinam dicantur filij naturales ſecundum ius antiquum, & quinam ſecundum nouum. 1.
Quinam hodiè habeantur pro ſpurijs. 2.
Attenta qualitate illegitimitatis Pater tenetur filijs alimenta præſtare non ſolum neceſſaria vitæ, ſed etiam congrua ſtatui. 3.
Habita vncia, quam filius naturalis, & illegitimus poteſt habere ex teſtamento, non poteſt vlterius exigere alimenta, dummodo illa vncia ſit ſufficiens ad eadem. 4.
Idem intellige, ſi non extantibus legitimis habuerit duas vncias. 5.
De iure ciuili ſpurijs ex damnato coitu genitis negantur alimenta, non ſic de iure canonico. 6.
De iure canonico debentur ſpurijs alimenta ſecundum facultates patrimonij, & dignitatem ſtatus. 7.
Pater poteſt donare ſpurio ex cauſa alimentorum,

Digitized by Google

torum, quantum capit verum debitum eorundem. 8.

Si donet ſupra debitum alimentorum, non tenet donatio quoad exceſſum. 9.

Excipe niſi donatio eſſet facta cauſa meritorum. 10.

Pater tenetur dotare filiam ſpuriam vſq; ad quantitatem alimentorum. 11.

SIcuti iura ſecernunt filios illegitimos, & naturales à ſpurijs, ita & nos, vt ordinatim procedamus, ſecernere debemus in huius prænotionis ſerie agentes prius de onere parentum quoad illegitimos, & naturales, ſubinde quoad ſpurios ex damnato coitu procreatos. Pro quo

Aduerte primo, ſecundum iura antiqua non fuiſſe propriè filios naturales, niſi qui procedebant ex concubina, muliere ſcilicet, quæ in ſchemate vxoris aſ-

1 Quinam dicantur propriè filij naturales ſecundum iura antiqua.

ſociabatur, prout latè docuerunt *Ioannes Angelus Boſſius tom.* 1. *var. mor. tit.* 1. §. 43. *nu.* 1537., *Surdus de alimentis tit.* 1. *q.* 9., & 10. Ad hoc autem, vt mulier illa diceretur ad hunc effectum propriè concubina, plures habere debebat conditiones, & qualitates, ſcilicet, vt eſſet vnica, ſoluta, impar, publicè domi retenta, & vt vxor, non vt ancilla, quod non fuerit virgo, aut vidua honeſtæ conditionis, & quod præceſſerit proteſtatio, quod vellet eam habere in concubinatu. Hodie tamen

Et quinā ſecundum iura moderna.

vſus inualuit, vt habeatur tanquam filius naturalis, & ſit capax ſucceſſionis quicunque procreatus eſt, & natus ex ſoluto, & ſoluta pro tempore conceptionis, & natiuitatis, pro quo inter ipſos eſſe poterat verum matrimonium, dummodo tamen fæmina non fuerit virgo, aut vidua honeſtæ conditionis.

Aduerte ſecundo, hodie haberi pro ſpurio quemcunq; natum ex illis, inter quos tempore conceptionis, & natiuitatis non poterat eſſe matrimonium, vel procrea-

2 Quinam hodie habeantur pro ſpurijs.

tum coitu tali, qui a iure ciuili ſit damnatus, & punibilis per ea, quæ in præcedentibus prænotauimus; huiuſmodi ſunt omnes progeniti ex adulterio, ex inceſtu, ex moniali profeſſa, vel Religioſo profeſſo, aut promoto ad ſacros ordines, ex concubitu cum virgine, aut vidua honeſtæ conditionis *Surdus de aliment. tit.* 1. *q.* 10. *nu.* 32., *Auguſt. Barboſa collect. ad auth., ex complexu num.* 18. *C. de inceſt. nupt.*

Hic iam in ordine ad filios illegitimos, ſed naturales controuertendum remanet primo, an Pater illis teneatur præſtare

Articuli examinādi circa illegitimos naturales.

alimenta, & an ſolum ad ſatisfaciendum neceſſitati naturæ, an verò etiam ad conſulendum dignitati ſtatus. Secundo, an, ſi filius naturalis habuerit vnciam a Patre, quam ſolum extātibus filijs legitimis illi relinquere poterat in teſtamento, poſſit adhuc exigere alimenta. Tertio, an, ſi in teſtamento illa vncia fuerit relicta filio naturali, & illa non ſufficiat ad congrua alimenta, poſſit ipſe naturalis ab hæredibus Patris exigere complementum alimentorum. Quarto, an, ſi filius naturalis nullis extantibus legitimis duas habuerit vncias, poſſit præter eaſdem ab hæredibus Patris exigere alimenta.

In ordine ad ſpurios, & natos ex coitu damnato inquirendum remanet, primo,

Articuli examinādi circa ſpurios.

an per ius ciuile illis denegentur alimenta, & an hoc ius ciuile ſit correctum per ius canonicum. Secundo, an Pater filio ſpurio poſſit donare, & relinquere ex cauſa alimentorum, & an teneatur dotare filiam ſpuriam vſq; ad quantitatem alimentorum. Tertio, an Pater ſtante diſpoſitione iuris canonici teneatur præſtare alimenta filijs ſpurijs tantum quoad neceſſitatem naturæ, an verò etiam quoad decentiam ſtatus, & conditionis.

Aſſertio I. Pater filijs illegitimis, & naturalibus tenetur præſtare alimenta,

3 Illegitimis naturalibus, tenetur Pater præſtare neceſſaria vitæ, & cōgrua ſtatui.

& non ſolum neceſſaria vitæ ſimpliciter, ſed etiam congrua ſtatui, & dignitati attenta tamen qualitate illegitimitatis. Ita quoad primam partem *Aſcanius de patria poteſt. c.* 9. *nu.* 36., *Coaruuias de ſponſ. part.* 2. *c.* 18. §. 6. *n.* 6., *Petrus Barboſa in l.* 1. *part.* 4. *nu.* 60. *ff. ſol. matrim.*, *Auguſtin. Barboſa collect. ad auth. licet num.* 7., & 8. *C. de nat. lib.*, *Pallaotus de nothis c.* 38. *num.* 4. *in fin.* Quoad ſecundam *vterque Barboſa loc. cit.*, *Stephanus Gratianus diſcept. for. tom.* 1. *c.* 112., & *tom.* 4. *c.* 613. *per totum*, & *præcipuè num.* 8., *Caluinus de æquitate c.* 73. *n.* 23., *Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrim. part.* 2. *c.* 6. *num.* 162.

Prima pars liquet ex textu *in auth. licet C. de nat. lib.*, vbi dicitur *huiuſmodi enim*

Rationes pro prima parte.

naturales filios paſci boni viri arbitrio neceſſe eſt; atque hæc diſpoſitio, quantumuis antiquitus attingeret ſolos naturales ex concubina iuxta conditiones expoſitas in principio huius prænotionis, ex quo tamen hodie pro naturalibus habentur, quotquot naſcuntur ex ſoluto, & ſoluta, inter quos pro tempore conceptionis, & natiuitatis poterat eſſe matrimonium illos etiam attingit *Menochius conſ.* 60. *nu.* 6., *Coaruuias de ſponſal. part.* 2. *c.* 8. §. 6. *n.* 6., *Surdus de aliment. tit.* 1. *q.* 9. *num.* 1. Ex eo autem, quod *in d. auth. licet* dicatur *neceſſe eſt*, compellitur Pater ad eadem alimenta tribuenda, adeo vt, nec poſſit teſtamento prohibere, vt non conferantur *Baldus in l. quod pauper num.* 18. *C. de Epiſc.*, & *Cleric.*, *Aſcanius tract. de patria poteſt. c.* 5. *nu.* 36., *Auguſtinus Barboſa collect. ad d. auth. licet C. de natis lib.*, quinimmò, nec ſtatuto po-

teſt

Digitized by Google

teſt caueri, & prohiberi eorum præſtatio *Altiatus conſ.* 18. *num.* 8. *lib.* 9.

Rationes pro ſecunda.

Secunda pars ex eo deducitur, quia incongruum omnino videtur, vt eodem modo debeantur alimenta illegitimo naturali nobili, quo tribuuntur naturali plebeio, & vili; vnde licet ius naturale per ſuperius allegata, & probata obliget ſolum ad neceſſaria naturæ, iura tamen humana reſpiciunt etiam conditionem perſonæ, prout rectè conſiderarunt *Molinus de Hiſpan. primog. lib.* 2. *c.* 15. *num.* 55., *Peregrinus de iure Fiſci tit.* 17. *lib.* 3. *nu.* 72. *verſ. contra tamen*, *Immola in l. Neſennius* 41. *§. vlt. ad fin. verſ. nam dubium eſt de re iud.*, *Altiatus in l. Nepos Proculo* 125. *in fin. de verb. ſignif.*; vndè merito *Hoſtienſis in c. cum haberet de eo, qui duxit in matrim.*, *& ibi Abbas col.* 2. *ad fin. verſ. vltimo tenebis perpetuo*, *Anchar anus col.* 1. *ad medium num.* 4. *not.* 7., dicunt alimenta etiam conſtituenda eſſe ſpurijs ſecundum facultates patrimonij, & *Felinus in c. cum omnes col.* 18. *de conſtit.*, *Menochius de arbitrar. caſ.* 159. *num.* 5., *Aimon conſ.* 189. *nu.* 11., *Lambertinus de iure patronat. q.* 3. *lib.* 3. *art.* 11. *fol.* 17., *Tiraquel de nobilit. c.* 20. *num.* 143., dicunt ſpectandam eſſe etiam dignitatem, & qualitatem perſonarum; Nec obeſſe poteſt, quod *in d. auth. licet C. de natis lib.* remittatur taxatio arbitrio boni viri; Non, inquam, obeſſe poteſt, quia bonus vir in tali taxatione conſiderare debet facultates illius, qui eadem alimenta tenetur præſtare, nam iuxta vires patrimonij, & redditūum, qui ex illo percipiuntur, debet filius tàm naturalis ali, quàm quicunque alius alimentarius per textum *in l.* 2. *ff. vbi pupil. educ. debeant l.* 3. *in princip. verſ. modum eod. tit.*, *Bartolus in l. penul. ff. de aliment., & cib. leg.*, *Alexander conſ.* 100. *in fin. lib.* 1. Quinimmò per boni viri arbitrium intelligitur etiam Iudicis mandatum *l. continuus §. cum ita ff. de verb. oblig. l. hoc autem §. rectè ex quib. cauſ. in poſſeſ. eat.*, *Gloſa in l. penult. in verb. arbitratu ff. de procur.*

Dixi *attenta tamen qualitate illegitimitatis*; non enim congruum eſt, vt eadem alimenta præſtentur filijs illegitimis, quantumuis naturalibus, quę præſtantur legitimis, prout docent *Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrimon. part.* 2. *c.* 6. *num.* 163., *Panormitanus conſ.* 115. *vol.* 2., *Palæotus de nothis c.* 50. *num.* 1., nam in conſtituendis alimentis, & dote non ſolum attendenda eſt qualitas patrimonij, & dignitatis, ſed etiam qualitas natalium per textum *in c. conſideranda diſt.* 86.

Attendenda eſt qualitas natalium.

Aſſertio II. Si filius naturalis, & illegitimus habuerit à Patre vnciam, quam ſolummodo poteſt habere ex teſtamento extantibus filijs legitimis non poteſt vlterius exigere alimenta, niſi vncia illa non fuerit ſufficiens ad congruitatem eorum alimentorum. Ita quoad primam partem *Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrim. part.* 2. *c.* 6. *nu.* 165., *& Palæotus de nothis c.* 38. *num.* 4., *Surdus de aliment. tit.* 7. *q.* 10. *num.* 4. *apud eundem Boſſium*. Quoad ſecundum *Surdus loc. cit. num.* 18., *& ſeqq.* 4

Si filius illegitimus, & naturales habuerit à patre vnciam, quam ſolū poteſt habere ex teſtamento extantibus filijs legitimis, non poteſt vlterius exigere alimenta.

Ratio primæ partis ex eo deſumitur, quia filio illegitimo, quantumuis naturali non debentur à Patre alimenta, quando aliunde habere poteſt, vel habet, quo viuat per ea, quæ ſupra commendauimus, ſed ex eo, quod habuerit vnciam, quam Pater poteſt eidem relinquere ex teſtamēto habuit, quo poſſet ſe alere, ergo &c.

Ratio ſecundæ partis ex eo deſumitur, quia filius habet ius ex dictis in pręcedentibus ad cōgrua alimenta, non ad alimēta præcisè requiſita ad neceſſitatem naturę, ergo non obſtante, quod habuerit à Patre illam vnciam, ſi hæc non ſit ſufficiens ad congrua alimenta, poterit exigere, quantum ſufficit ad illorum congruitatem; Nec arbitrandum eſt, quod ex eo, quod filius naturalis acceptarit illam vnciam, ceſſerit iuri ſuo ad conſequenda congrua alimenta. Non, inquam, arbitrandum, primo, quia gratis omnino ſupponitur illa renuntiatio per illam acceptationem, non enim ſupponi debet acceptaſſe pro omni, & toto eo, quod ipſi poteſt competere, ſed tantum pro rata. Secundo, quia etiam expreſsè non poteſt renuntiare iuri alimentorum *Bartolus in l. ſi quis à liberis §. ſi parens ff. de lib. agnoſ.*, ergo, nec tacitè præſumitur renuntiaſſe.

Inſtantia expoſita, & ſoluta.

Aſſertio III. Si filius illegitimus, & naturalis nullis exiſtentibus filijs legitimis habuerit à Patre duas vncias, quas ab eodem habere poterat in ea hypotheſi ex teſtamento, non poteſt idem filius vltra illas exigere alimenta, niſi illæ vnciæ non ſufficiant ad congrua alimenta *Surdus de aliment. tit.* 1. *q.* 11. *nu.* 4., *Palæotus de nothis c.* 38. *nu.* 7., *& c.* 13. *nu.* 2. hancque opinionem valdè probabilem appellat *Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrim. part.* 2. *c.* 6. *nu.* 170. 5

Idem intellige, ſi non extātibus legitimis habuerit duas vncias.

Pro notitia aduerte in iure præſcriptum eſſe, quod filius naturalis, ſi extent alij filij legitimi eiuſdem Patris, poſſit Pater eidem relinquere in teſtamento vnciam dumtaxat vnicam, prout habetur *in §. ne igitur auth. quibus modis nat. effic. ſui*; ſi verò nulli alij filij legitimi extiterint, poſſint ab inteſtato naturales ſuccedere in duabus vncijs, prout habetur *in d. auth. licet C. de nat. lib.*, *& ex §. conſideremus circa medium de triente, & ſemiſſe.* Dixi, *ab inteſtato*; nam ex teſtamento

nullis

Digitized by Google

Quomodo filij naturales poſſint ſuccedere, ſiue exiſtentibus legitimis, ſiue non exiſtentibus.

nullis exiſtentibus legitimis, nec aſcendentibus Patris poſſunt ſuccedere in tota hæreditate; ſi verò extent aſcendentes Patris teſtatoris poſſunt ex teſtamento eiuſdem capere totam hęreditatē dempta legitima debita aſcendentibus. Status igitur pręſentis aſſertionis ſtat in eo, quod vel Pater ſolummodo eiſdem reliquerit duas vncias, ſeu quia extant alij filij legitimi, ſeu quia quantumuis non extent, Pater in teſtamento ſolum illis reliquit illas duas vncias, quod vtique potuit præſtare, vel ijdem naturales in illis duabus vncijs ſucceſſerint ex teſtamento, & ex ſuppoſitione, quod illæ duæ vnciæ fuerint traditæ eiſdem naturalibus quæritur, an vltra illas poſſit exigere alimenta? & ex ſuppoſitione, quod non poſſit alimenta exigere, poſſit tamen exigere complementum alimentorum, quando illæ duæ vnciæ non ſufficiunt ad congruitatem ipſorum: & pro prima parte ſtat concluſio negatiua, pro ſecunda ſtat affirmatiua.

Rationes pro prima parte aſſertionis.

Probatur igitur prima pars. Quando filius naturalis, & illegitimus extantibus filijs legitimis habuit vnciam à iure præſcriptam, non poteſt vlterius exigere alimenta per ea, quæ probauimus in præcedenti aſſertione, & hoc ea ratione, quia per illam vnciam habet, quo poſſit ſe alere, ergo etiam quando filius naturalis, & illegitimus non exiſtentibus filijs legitimis habuit duas vncias, vel illis etiam non exiſtentibus in duabus vncijs ab inteſtato ſucceſſit, vel ex teſtamento Patris illas tantum habuit, cum reliquum hæreditatis alteri expreſsè reliquerit, non poterit vlterius exigere alimenta, cum in illis duabus vncijs tantum habeat, quātum poſſit commode, & congruè ſe alere. Confirmatur, quia illæ duæ onciæ ſuccedunt loco alimentorum, ergo illis habitis non poterit quid aliud exigere pro alimentis.

Rationes pro ſecunda.

Secunda item pars liquet ex ijs, quæ dicta ſunt pro ſecunda parte præcedentis aſſertionis.

Primū argumētum aduerſans diſſolutū.

Neque aduerſus primam partem præſentis aſſertionis, obeſſe poteſt, textus in *d. §. ſi conſideremus, & in §. diſcretis auth. quibus modis nat. effic. ſui*, vbi textus loquitur copulatiuè & de alimentis, & de duabus vncijs - Ibi - *& nutrimentum damus ei, & inteſtato morientibus parentibus duas vncias*; propoſitio autem copulatiua importat nexum vtriuſq; copulati *l. ſi hæredes plures ff. de condit. inſtit.* Non, inquam, obeſſe poteſt, quia illa diſpoſitio intelligi debet pro diuerſis temporibus, adeo vt viuente Patre filius naturalis, & illegitimus debeat habere alimenta; ipſo verò, mortuo duas vncias, quod videtur colligi ex eodem textu, dum dicit, *& inteſtato morientibus*, quæ particulæ cum addantur in ordine ad duas vncias vtique videntur ſecernere diſpoſitionem quoad ipſas à diſpoſitione quoad alimenta.

Secundū argumentum aduerſans diſſolutum.

Neque, obeſſe poteſt, ſecundo, ſi dicatur diuerſam eſſe rationem de filio naturali, & illegitimo extantibus legitimis quoad vnam vnicam, in quo caſu decernitur in præcedenti aſſertione, quod vltra illam vnciam non poſſit exigare alimenta, ac ſint de filio illegitimo, & naturali non extantibus alijs filijs legitimis quoad illas duas vncias, quia vbi extant filij legitimi durius agendum eſt cum naturalibus, & illegitimis, vbi verò legitimi non extant, mitius, ac proindè aliquid magis erogandum eſt illis; Non, inquam, obeſſe poteſt, quia ex quo non extant filij legitimi iura in eo mitius conſuluerunt illegitimis, & naturalibus, quod eiſdem decreuerunt duas vncias ex teſtamento, & ſucceſſionem ex aſſe ab inteſtato; non autem voluerunt in eo mitius conſulere, quod vltra illas duas vncias exigere poſſent etiam alimenta, cum illæ duæ vnciæ ſuccedant loco alimentorum.

6 *De iure ciuili ſpurijs ex coitu damnato genitis negantur alimenta non ſic de iure canonico.*

Aſſertio IV. De iure ciuili filijs ſpurijs ex coitu damnato à iure procreatis denegantur alimenta, non tamen ſimplicitèr neceſſaria ad vitam conſeruandam; non ſic tamen de iure canonico. Dixi *ſpurijs ex coitu damnato à iure, & punibili procreatis*, pro quo recole, quæ ſupra dicta ſunt *ſub hoc eod. tit. de matrim. 9. prænot. 6. aſſert. 4. verſ. dixi ſiue legitimos, ſiue illegitimos*, vbi aſſignauimus, quinam ſint ſpurij ex coitu punibili, & à iure damnato procreati, & quinam non ſit tales, & intellige aſſertionem quoad ſpurios primo modo acceptos. Ita quoad primam partem *Baldus in auth. ex complexu C. de inceſt. nupt., Palæotus de nothis c. 40., Peregrinus de iure fiſci lib. 3. tit. 18. num. 57., Coaruuias de ſponſ. part. 2. c. 8. §. 6. num. 6., Boerius conſ. 165. num. 20.* Quoad ſecundam, quod ſcilicet non denegentur ſimpliciter neceſſaria, quando aliunde non poteſt ea acquirere *Molina de iuſt. tom. 1. diſp. 168. in princip., Coaruuias de ſponſal. part. 2. c. 8. §. 6. nu. 8., Fagundez in Decal. lib. 4. c. 17. num. 6. in fin.*, & communitèr Theologi contra nonnullos iuris peritos. Quoad tertiam ex Theologis *Molina de iuſt. tom. 1. diſp. 168., Vaſquez opuſc. de teſtament. c. 3. nu. 7. dub. 9.* Ex Canoniſtis, & Iuriſtis *Panormitanus in c. cum haberet de eo, qui duxit in matrim., Molina de primogen. lib. 2. c. 15. num. 42., Corduba à Lara in l. ſi quis à liberis §. idem reſcripſit num. 13. ff. de lib. agnoſ.*, & alij innumeri, quos allegat, & ſequitur *Ioannes*

An-

Angelus Boſſius tract. de effect. matrim. part. 2. c. 6. num. 186.

Prima pars liquet expreſsè *ex d. auth. ex complexu C. de inceſt. nupt.*, vbi ſic legitur *Ex complexu nefario, ſeu inceſtu, ſeu damnato liberi, nec naturales ſunt nominandi, omnis paterna ſubſtantia indigni beneficio, vt non alantur à Patre*, quod idem habetur *in §. fin. in auth. quib. mod. nat. effic. ſui*, vbi ſic legitur *Omnes, qui ex congreſſibus aut nefarijs, aut inceſtis, aut damnatis proceſſerint, ille neque naturalis nominatur, neque alendus eſt à parentibus*. Ex quo vtroq; textu duo ſunt colligenda; primum interdici alimenta, ſeu denegari ſpurijs; ſecundum, quod talis denegatio afficit ſolum ſpurios ex damnato coitu procreatos, quod expreſſis verbis ex illis textibus deducitur, & cū hic verſemur in pænalibus, non eſt facienda extenſio ad non expreſſa, & non damnata.

Iura, & rationes pro aſſerto.

Secunda pars ex eo etiam deducitur, quia, ſi iura ciuilia denegarent etiam alimenta vitæ ſimplicitèr neceſſaria aduerſarentur iuri naturali. Confirmatur, quia alimenta iure naturæ ſtrictò debita nulla lege, ſtatuto, aut conſuetudine poſſunt tolli *Coaruuias de ſponſ. part. 2. c. 8. §. 6. n. 3., Lucidorus de illegit. Cleric. c. 15. num. 7.* Neque dicas, vel denegationem huiuſmodi alimentorum etiam quoad vitæ neceſſitatem tendere in commune Reipublicæ bonum, vt ſcilicet à tam nefario coitu, & deteſtabili homines cohibeantur, vel merito eſſe inductam, quia, cum nec de iure ciuili, nec canonico habeantur pro naturalibus non debent gaudere naturæ priuilegio; Contra enim impugnaberis, quia ex vno capite hæc pæna non afficeret delinquentes, ſed prolem innocentem, vnde non eſt, cur ex illa retrahi poſſunt à tam nefando crimine; ex alio capite, quamuis iura denegent talia alimenta ſpurijs, non tamen prohibent parentibus, ne illa poſſint ex libertate conferre, quomodo ergo ex hoc poſſunt retrahi a delinquendo? cum ſolum eximantur ab onere filios ſpurios alendi, non coguntur alimenta omittere. Ad illud, quod ſubditur, quidquid ſit, quod nec de iure ciuili, nec canonico dicantur naturales denegari non poteſt, quin ſint tales de iure naturæ, cum per veram, & realem originem deſcendant ex illis parentibus, vnde non eſt, cur gaudere non debeant priuilegio naturæ.

Non tamen ſimplicitèr ad vitam neceſſaria.

Tertia pars expreſsè liquet ex allegato ſæpius textu *in illo c. cum haberet de eo, qui duxit in matrimonium*, quem textum latè in pluribus caſibus examinauimus in præcedentibus, vnde non eſt, cur immoremur.

Ius canonicum corrigit ciuile.

Difficultas aliqua ſolummodo in eo conſiſtit, an ius canonicum obliget ſolummodo Patrem in ordine ad ſpurios quoad alimenta ſimplicitèr vitæ neceſſaria, an verò etiam vltra? Si etenim ſolummodo obliget quoad neceſſaria ſimplicitèr vitæ, iam non corrigit ius ciuile, cum hoc etiam per ſupradicta obliget ad eadē neceſſaria; ſi verò vlterius, dicatur; ad quænam? Sentiendum eſt obligare ad alimenta eiſdem ſpurijs præſtanda ſecundum facultates patrimonij, & dignitatem perſonarum *Sanchez in conſ. mor. lib. 4. c. 3. dub. 34., Leſſius de iuſt. lib. 2. c. 19. num. 67., Cardinalis de Lugo de iuſt. & iur. tom. 2. diſp. 24. nu. 123., Diana part. 1. tract. 2. reſol. 85., & part. 5. tract. 3. reſol. 131.*, & alij innumeri tum ex Theologis, quam ex Iuriſtis quos allegat, & ſequitur *Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrim. part. 2. c. 6. nu. 259.* Expreſsè colligo *ex d. c. cum haberet de eo, qui duxit in matrim.*, dum ibidem dicitur *ſecundum facultates eorum*, quod important taxanda eſſe alimenta habita ratione diuitiarum, & conditionis perſonarum; Neque audiendus eſt hic Petrus Barboſa aſſerens illum textum eſſe inductum dumtaxat in beneficium, & fauorem parentum, quatenus non teneantur ſpurios alere, niſi quatenus poſſunt, & ſaluis ſibi neceſſarijs conſuetis, adeout non teneantur alimenta propria coarctare pro alimentis filiorum; Non inquam, audiendus eſt, quia manifeſtè apparet Pontificem ibidem voluiſſe fauere filijs ſpurijs, non parentibus, cum in iure certum ſit parentes in alendis etiam filijs legitimis non teneri niſi ad id, quod facere poſſunt demptis ijs, quæ in ſuos vſus oportet impendere. Confirmari poteſt hoc noſtrum aſſertum ex eo, quod ius canonicum concedit aliquid filijs ſpurijs ſupra id, quod concedunt iura ciuilia *in d. auth. ex complexu de inceſt. nupt.*, ſed iura ciuilia non denegant ſpurijs alimenta vitæ ſimplicitèr neceſſaria per ea, quæ ſupra probauimus, ergo ius canonicum eiſdem cōcedit vltra neceſſaria ſimplicitèr.

7 De iure canonico debentur ſpurijs alimenta ſecundum facultates patrimonij.

Obſtant tamen aliqui non ſolum aduerſus ea, quæ hic dicuntur in reſolutione huius difficultatis, ſed etiam aduerſus probationem tertiæ probationis, ſeu tertiæ partis aſſerentes Pontificem in textu illo *c. cum haberet* non loqui de filijs ſpurijs adulterinis hoc eſt natis viuente prima vxore, ſed de filijs natis poſt obitum eiuſdem vxoris. Caſus hic erat. Maritus viuente vxore polluerat quandam mulierem pellicem, deinde eadem vxore mortua per decennium cum eadem muliere cohabitauit, & ex illa genuit decem filios, & deinde Summo Pontifici ſupplicauit pro diſpenſatione, vt poſſet cum

illa

Digitized by Google

illa matrimonium legitimum contrahere allegando pro cauſa facilioris diſpenſationis cohabitationem illam decennalem, & procreationem decem filiorum, ergo, cum illi filij nati fuerint ex illa muliere poſt mortem vxoris, non veniunt propriè nomine filiorum adulterinorum, adeoq; Pontifex in illa diſpoſitione non locutus eſt de ſpurijs ex coitu damnato procreatis. Sed conſideratis rectè omnibus facilè hoc obiectum poteſt diſſolui aſſerendo, quod, quantumuis aliqui ex prædictis decem filijs fuerint ex illa Pellice procreati poſt mortem vxoris, probabiliſſimum tamen ſit, quod aliqui fuerint geniti eadem adhuc viuente, & tamen Pontifex ibidem ſtatuit, quod omnibus alimenta æquè eſſent præſtãda. Quod autem probabiliſſimum ſit, quod aliqui fuerint geniti viuente adhuc vxore ex eo colligitur primo ex acri exprobratione Pontificis verſus eundem ſupplicantem, quod adhuc viuente vxore diu cohabitauerit cum illa pellice, quam polluerat. An probabile eſt, quod pro tanto tempore cohabitationis eandem iterum, atque iterum non cognouerit, & filios non genuerit? Secundo, quia poſt mortem vxoris vterque ſcilicet tàm maritus, quàm illa mulier fornicaria erat ſenio confectus. An probabile eſt, quod pro illo tempore ſenectutis decem filios genuerint, & nullum ex his pro tempore vegetantis ætatis, cum pro vtroque tempore cohabitauerint?

Explicatur textus in c. cum haberet de eo, qui duxit in matrim.

8

Pater poteſt donare ſpurio, quantum capit debitum alimentorũ.

Aſſertio V. Pater poteſt donare, & relinquere ſpurio ex cauſa alimentorum, quantum capit verum debitum alimentorum, & donatio, vel legatum ſuſtinetur in vtroque foro *Bartolus in auth. ex complexu C. de inceſt. nupt.*, *Rolandus de lucro dotis q. 94. num. 2.*, *Palaotus de nothis c. 45. n. 8.*, *Mantic. de tacit., & ambig. lib. 13. tit. 37. nu. 26.*, *Petrus Barboſa in l. 1. part. 4. num. 65. ff. ſolut. matrim.*, & alij innumeri ex iuris peritis, quos citat *Mantic. loc. cit.*

Ratio ex eo deducitur, quia poteſt, & tenetur filio etiam ſpurio præſtare alimenta ex ſupra probatis, ergo etiam poteſt donare, & relinquere ex cauſa eorundem, quantum capit debitum ipſorum alimentorum. Sed, an ſubſiſtat hæc donatio, ſeu legatum, ſi aliunde filius ſpurius poſſit habere, vel ex proprijs laboribus, vel ex arte, vel aliqua alia ratione, quo poſſit ſibi conſulere, & de alimentis prouidere; Sentiendum eſt negatiuè *Paſchalis de patria poteſt. part. 2. c. 3. num. 34., & ſeqq.*, *Molinæ de primog. part. 2. c. 15. nu. 47.*, *Petrus Barboſa l. 1. part. 4. num. 62. ff. ſolut. matrim.*, *Theſaurus deciſ. 211. num. 3., & 13.* Ratio ex ijs deducitur, quia alimenta ipſa non debentur, quotieſcunque de illis poteſt ſpurius aliunde ſibi prouidere, ergo legatum factum ex cauſa alimentorum non poteſt ſubſiſtere, ſi aliunde is, qui alendus eſt, habeat, quo poſſit ſe alere, ergo, ſi polleat arte aliqua, & viribus, quibus poſſit acquirere, ceſſabit ratio obligans Patrem, vel eius hæredes ad ipſi contribuenda alimenta, adeoque neque ſubſiſtet legatum factum cauſa alimentorum.

Rationes pro aſſertione.

Dices, in præcedentibus innuimus, quod per iura poſitiua ciuilia deobligetur quidem Pater ab onere præſtandi alimenta filijs ſpurijs, non tamen tollatur eidem facultas eadem conferendi, ſi velit, quantumuis ipſe ſpurius poſſit aliunde propria induſtria, & viribus ſibi acquirere, ergo ex vi eorundem iurium, quantumuis deobligetur ab onere relinquendi legatum ex cauſa alimentorum, poterit nihilominus ex liberali cauſa illud relinquere. Sed contra, quod viuens aliquid præſtet pro alimentis non obſtante, quod ſibi poſſit acquirere eadem ex propria induſtria, & laboribus toleratur quodamodo ex cauſa miſerationis; at quod relinquat vel donet ex cauſa mortis, nõ ita toleratur, cum ſupponatur factum animo compenſandi debitum alimentorum, quod, cum in hac hypotheſi non ſubſiſtat, nec tribuit fundamentum ſubſiſtentiæ eidem legato, & donationi.

Inſtantia propoſita, & diſſoluta.

9

Si donet ſupra debitum alimentorũ, non ſuſtinetur donatio quoad exceſſum.

Aduertendum tamen hic eſt in caſu, quo ſpurius non habeat aliunde, quo poſſit viuere, ſeu ſibi acquirere alimenta, ſi Pater vel titulo legati, vel titulo donationis relinquat ſupra id, quod exigunt alimenta, non ſuſtineatur legatum, nec donatio quoad exceſſum *Bartolus in l. fin. num. 7. ff. de his quibus, vt indignis Baldus in l. eam, quam num. 41. C. de fideicom.*, *Palæotus de noth. c. 45. num. 8.*, *Gaſpar Antonius Theſaurus qq. forenſ. lib. 1. q. 15. num. 1.*, *Peregrinus de iure fiſci lib. 3. tit. 18. num. 71.* Ratio ex eo deducitur, quia, ſi Pater leget, vel donet cauſa mortis aliquid ſpurio, quod non ſit cauſa alimentorum legatum, & donatio non ſuſtinentur, ergo, etiam ſi leget, vel donet ſupra id, quod exigunt alimenta legatum ipſum, & donatio non ſuſtinebitur quoad exceſſum, cum quoad illum non poſſit cadere in cauſam alimentorum debitorum.

10

Excipe, niſi donatio eſſet facta cauſa meritorum.

Aduertendum ſecundo, quod ſi legatum, ſeu donatio cauſa mortis excedat cauſam alimentorum, & in legato, ſeu donatione facta fuerit mentio meritorum filij ſpurij ſuſtineri poſſit eadem donatio, & legatum etiam quoad exceſſum *Tiraquel in l. ſi vnquam verbo donatione largitus num. 22. C. de reuoc. donat.*, *Sanchez in conſ.*

moral.lib.4.c.3. dub.38. Ratio ex eo deducitur, quia talis donatio non eſſet ſimplex donatio, ſed remuneratio, ſeu donatio remuneratoria propter merita, & inter eos, inter quos eſt prohibita à iure donatio, non eſt prohibita remuneratio propter merita, ſi de iſtis conſtet *Tiraquel loc. cit.n.20., Sanchez de matrimon.lib.6.diſp.6.*, & nos etiam alibi docuimus, ergo &c. Cauendum tamen eſt, ne remuneratio excedat merita, nam tunc quoad exceſſum irrita haberetur.

II Aſſertio VI. Pater tenetur, & cogi poteſt dotare filiam ſpuriam, vſque ad quantitatem alimentorum *Bartolus in auth. ex complexu C. ex inceſt. nupt., Coarruuias de ſponſal. part.2.c.8.§.6.nu.11., Mantica de tacit., & ambig.lib.13.tit.37.nu.16., Auguſtinus Barboſa collect. ad c.cum haberet num.10.de eo, qui duxit in matrim.*, & alij innumeri ex iuris peritis, quos citat, & ſequitur *Ioannes Angelus Boſſius tract.de effect. matrim.part.2.c.6.num.202.*

Pater tenetur dotare filiã ſpuriam, vſque ad quantitatem alimentorũ.

Non difficilis probatio præſentis aſſertionis ſuppoſito textu *in d.c.cum haberet de eo, qui duxit in matrim.*, vbi præcipitur etiam filijs ſpurijs nedum alimenta; ſed etiam omnia neceſſaria per Patrem eſſe tribuenda; inter neceſſaria autẽ filię ſpurię numeratur dos, cum ſine dote ſubiaceret manifeſto periculo turpitèr, & luxurioſè viuendi, cum indotata innupta remaneret; quæ adeo vera ſunt, vt crederem etiam, quod, ſi non poſſet nubere niſi cum dote quoquo modo excedente alimenta, teneretur Pater dotem illam excedentem tradere, vt euitetur maius malum, cum maior neceſſitas incumbat Patri dotandi filiam ſpuriam propter periculum pudicitiæ, & honoris. Neque hic audiendi ſunt nonnulli, inter quos *Fagundez in Decal.lib.4.c.1. num.7.* aſſerentes Patrem non poſſe compelli ad conferendam filiæ ſpuriæ dotem, quantumuis teneatur ad alimenta ea ducti ratione, quod non valeat argumentum ab alimentis ad dotem, cum alimenta dietim præſtentur, dos autem vnica enumeratione; Non, inquam, audiendi ſunt, quia, cum vrgeat neceſſitas, ſeu militet eadem, ſeu fortior ratio conferendi dotem, ac conferendi alimenta, non eſt curandum de illo maiori incommodo vnicæ numerationis, vt conſulatur illi periculo pudicitiæ, & incontinentiæ.

Rationes pro aſſerto.

PRÆNOTIO XII.

An alimenta debeantur filijs officio Iudicis, an iure actionis.

SVMMARIVM.

Diſcrimen inter officium Iudicis, & ius actionis. 1.

Regularitèr alimenta debentur à Patre filijs legitimis, & è contra officio Iudicis. 2.

Cur debeantur tantum officio Iudicis non iure actionis. 3.

Excipe, quando debentur loco legitimæ. 4.

Item, quando debentur titulo legati. 5.

Item, quando debentur ex conuentione. 6.

Etiam, quando debentur ab alijs in ſubſidium Patris, debentur tantum Iudicis officio. 7.

Intellige ſiue debeantur filijs legitimis, ſiue illegitimis, & etiam ſpurijs. 8.

HOC diſcrimen agnoſcunt DD. inter officium Iudicis, & *ius actionis*, quod ea, quæ exiguntur, ſeu exigi poſſunt officio Iudicis ſint tantum debita ſubſidiaria, ſeu in ſubſidium, non directè, & abſolutè; ea verò, quæ exiguntur per viam actionis, ſint abſolutè, & directè debita; prima debentur ſolummodo vrgente neceſſitate, qua præterita non poſſunt repeti; ſecunda verò debentur ſemper, & ad eadem repetenda datur actio, quamuis ſint præterita. Hæc diſcrimina agnoſcunt *DD. ſcribentes in l. de alimentis C. de tranſact., Vincentius de Franchis deciſ. 605., Surdus de alimentis tit. primo q.32. num.40., Stephanus Gratianus tom.1. diſcept. for.c.60. num.20., Auguſtinus Barboſa collect. ad d.l. de alimentis C. de tranſact.*

I Diſcrimẽ inter officium Iudicis, & ius actionis.

Hic iam controuertitur, an alimenta filijs debeantur à Patre officio Iudicis dumtaxat, an verò iure actionis, & quod dicitur de onere parentum erga filios, an idem dicendum ſit de onere filiorum erga parentes. Secundo, an idem intelligendum ſit de onere aui paterni erga nepotes deficiente Patre, & de onere matris deficiente Patre, & Auo Paterno, & de onere fratris erga fratrem &c. Tertio, an intelligendum ſit non ſolum in ordine ad filios legitimos, & naturales, an verò etiam in ordine ad illegitimos, & ſpurios.

Articuli examinandi circa titulum.

2 Aſſertio I. Alimenta regularitèr loquendo debentur à Patre filijs legitimis, & naturalibus, & è contra à filijs Patri officio Iudicis. Ita ex Thologis *Molina de iuſt.tom.3.diſp.616. num.9., Ioannes Angelus Boſſius tract.de effect.matrim.part.2.c.14. num.853.* Ex Iuriſtis *Bartolus in l. ſi quis à liberis in princip. ff. de lib. agnoſ., Padilla in auth.res quæ num.74. C.communia de legatis, Lu-*

Alimenta ſunt à Patre præſtanda filijs, & è contra officio Iudicis.

Digitized by Google

Ludouicus Molina de primog.lib.2.c.15.n.70.

Apertè conſtat *ex d. l. ſi quis à liberis §. vtrum ff. de lib. agnoſ., & ex l. 2., & 3. C. de alendis lib.;* Si autem inquiratur ratio, cur potius debeantur huiuſmodi alimenta officio Iudicis, quam iure actionis? tunc multi multa dicunt. Alciatus *reſponſione 33.* ſentit non dari ad hunc effectum ius actionis, quia nulla lis poteſt eſſe inter Patrem, & filium, alij quod inter eoſdem nulla detur actio ciuilis; cum nec lis, nec actio ciuilis detur, niſi inter perſonas diſtinctas; Pater autem, & filius cẽſentur vna perſona per textum *in l. fin. C. de impub., Menochius de arbitrar. caſ. 132. n. 2., & de præſumpt. lib. 3. q. 29. num. 3.* Alij dicunt, inter quos *Bartolus in l. frater à fratre num. 12. ff. de condit. indeb.*, quod tantum concedatur officium Iudicis eo, quia antiquitus alimenta erant tantum debita manu regia, ſeu tantum quantum Pater poterat propria auctoritate exigere a filio per textum *in l. ſerui, & filij nuntio ff. de furt.*, officium autem Iudicis modo ſucceſſit manui regiæ. Alij inter quos *Baldus in l. dominus num. 6. ff. quod cum eo*, aſſerit concedi tantum inter Patrem, & filium in ordine ad alimenta officium Iudicis, quia inter Patrem, & filium naſcitur ſolum obligatio naturalis, cuius finis eſt ſatisfactio, non ciuilis, cuius finis eſt iudicium. Alij inter quos *Surdus de alimentis tit. 3. q. 1. num. 11., & ſeqq.* 3 Cur debeantur tantum officio Iudicis, non iure actionis. aſſerunt nullum ius actionis inter Patrem, & filium in ordine ad alimenta concedi, quia nullus inter ipſos contractus, vel quaſi contractus, nullum maleficium, ſeu quaſi maleficium interuenit. Alij tandem, inter quos *Vulpianus in d. l. ſi quis à liberis §. vtrum ff. de lib. agnoſ., Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrim. part. 2. c. 14. num. 154. verſ. quapropter veriorem* arbitrantur ideo concedi ſolum officium Iudicis, quia huiuſmodi alimenta dantur ſolummodo in ſubſidium, ſi aliter filij illa habere nequeunt; vnde ad Iudicem ſpectat conſiderare, an petens alimenta verè ſit filius, an conſanguineus alia ratione, an ſint alij magis ipſi coniuncti, quę nam ſint facultates, quæue dignitas eius, qui erogare debet, & illius, cui ſunt eroganda, & propterea in ea hypotheſi ſolum officium Iudicis conceditur. In tanta opinionum varietate hanc poſtremam arbitror veriſimiliorem attento præciſè eo, quod hæc alimenta non debentur niſi vrgente neceſſitate, quatenus aliunde nõ habeantur, nec haberi poſſint per ea, quę notat *Bartolus in l. ſi quis à liberis §. ſed ſi filius ff. de lib. agnoſcend., & in l. 1. in fin. C. de mend. valid. lib. 10., Abbas in c. 2. de conuerſ. infid. col. 2. num. 5., Stephanus Gratianus diſcept. for. tom. 1. c. 60. n. 20.*, & ſic ceſſante ea neceſſitate, ceſſat quoq; obligatio, ac propterea ſpectat ad Iudicẽ ſuper ea neceſſitate cognoſcere, & decidere. Adderẽ, quod vbi agitur, de naturali pietate, remedia iuris ciuilis nõ ſũt adhibẽda.

Dixi *regularitèr loquendo*; nam dantur aliqui caſus, in quibus peti poſſunt iure, ſeu per viam actionis. Primus eſt, quando 4 Excipe; quando debentur loco legitimæ. reſpectu legitimæ debentur, & in legitimæ locum ſuccedunt, prout docent *Molina Iuriſta de primogenitis lib. 2. c. 15. nu. 6., & 70., Molina Theologus diſp. 616. num. 9. tom. 3. de iuſt., Surdus de aliment. tit. 3. q. 1. num. 19.* Ratio ea eſt, quia pro legitima datur conditio ex lege *l. ſcimus l. omnimodo C. de inoffic. teſt., Merlinus de legit. lib. 5. tit. 4. q. 5. num. 1.*, quæ conditio ex lege propriè eſt actio legalis, ergo etiam pro alimentis ratione eiuſdem legitimæ danda erit actio propriè ſumpta, cum ſubrogatum 5 Item, quã do titulo legati. induat rationem eius, cui ſubrogatur *l. ſi eum §. qui in variarum ff. ſi quis caut.* Secundus eſt, quando debentur titulo legati, tunc enim poteſt agi ex teſtamento *Ludouicus Molina de primog. lib. 2. c. 15. num. 6. Alter Molina Theologus tom. 3. de iuſt. diſp. 616. num. 3.* 6 Item, quã do debentur ex cõuentione. Tertius caſus eſt, quando debentur ex conuentione; tunc etenim iura concedunt actionem. Quartus caſus eſt, quando ex ſtatuto deferente feudum, & totam hereditatem primogenito alimenta per eundem ſunt præſtanda ſecundogenitis tunc etenim peti poſſunt iure actionis *Tiraquel de primog. q. 75. num. 4., Molſeſius ad conſuet. Neapol. part. 5. q. 4. nu. 23.*, & hoc ob eam rationem, quia alimenta ſuccedunt loco legitimæ.

Aſſertio II. Quæ dicta ſunt de alimentis per patrem debitis filijs, & per filios 7 Etiã, quæ debentur ab alijs in ſubſidiũ, debentur tantum officio Iudicis. debitis Patri, quod ſcilicet ſolum peti poſſint officio Iudicis, intelligenda etiam ſunt de alimentis præſtandis ab alijs in ſubſidium Patris iuxta ordinem ſucceſſiuum, de quo locuti fuimus in præcedentibus *Surdus de alimentis tit. 3. q. 1. à nu. 24. ad 28., Vterque Molina loc. ſupra cit., & alij magis communitèr.*

Videtur concludentèr deduci ex dictis in præcedentibus, quandoquidem per eoſdem ſolum debentur in ſubſidium duplicitèr, primo, quatenus non habeant Patrem, qui poſſit illos alere; ſecundo, quatenus aliundè non habeant, nec poſſint acquirere, & inter eoſdem militat etiam ius ſanguinis, & naturalis coniunctionis, ergo ſicuti per Patrem filijs alimenta ſolum debentur officio Iudicis, ita eiſdem ſolo Iudicis officio debebuntur per alios ſanguine coniunctos; atq; hoc etiam videtur colligi ex *d. l. ſi quis à liberis §. vtrum ff. de lib. agnoſ.*

Digitized by Google

8 Intelligẽ ſiue debeantur filijs legitimis, ſiue illegitimis, & ſpurijs.

Aſſertio III. Prædicta omnia intelligenda ſunt non ſolum in ordine ad alimenta præſtanda filijs legitimis, & naturalibus, ſed etiam quoad præſtanda illegitimis, quin etiam ſpurijs, quatenus ſcilicet debeantur ſolo Iudicis officio. *Vincentius de Franchis deciſ. 605. num. 8., Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrim. part. 2. c. 14. num. 858.*

Non video pro hac aſſertione diuerſam rationem ab illa, quæ militat in duabus præcedentibus; quoad ſpurios etenim etiam ſolum debentur alimenta in ſubſidium, & quoad ipſos etiam militat ius ſanguinis, & naturalis pietatis. Addunt alij aliam etiam rationem, quam ſibi pro regula ſtatuunt, nempè, quod quotieſcunque alimenta debentur alicui ex diſpoſitione iuris cõmunis, debeantur ſolum ex officio Iudicis; atq; iſti ſunt *Neapolitanus in conſuet. Neapol. verſ. quod autem in verb. pro alimentis num. 34., Rofredus Beneuentanus tit. de offic. Iudicis, quo petuntur alimenta nu. 9. verſ. item quæritur*; ſed ſpurijs debentur alimenta de iure communi per textum *in d. c. cum haberet de eo, qui duxit in matrim.*, ergo &c. Sed, an hæc ratio vim habeat, ipſi videant.

PRÆNOTIO XIII.

An in controuerſia ſuper alimentis inter Patrem, & filium poſſint iſti compelli ad compromittendum.

SVMMARIVM.

Exponitur conſtitutio dominij Mediolanẽſis. 1.
Si controuerſia fuerit ſuper alimenta præterita, probabilius eſt, quod poſſint compelli ad compromittendum. 2.
Secus, ſi controuerſia fuerit ſuper alimenta futura. 3.
Super alimentis futuris non eſt libera facultas tranſigendi ſine auctoritate prætoris. 4.
Soluuntur nonnulla aduerſantium obiecta. 5.
Explicatur textus in l. cũ hi ff. de tranſact. 6.

1 Exponitur cõſtitutio dominij Mediolanenſis.

IN conſtitutionibus dominij Mediolanenſis *lib. 2. ſub tit. de arbitris, & arbitratoribus in princip.*, ſic reperitur diſpoſitum. *Si fuerit cauſa, lis, quæſtio, controuerſia, vel diſcordia inter aſcendentem, & deſcendentem, vel inter Agnatos, vel cognatos affinitate præſenti, vel præterita teneatur, ac debeat quilibet Iuſdicens aditus per aliquam partium eaſdem partes cogere ad compromittendum in amicum, ſeu amicos communes communitèr eligendos*. Hic iam oritur controuerſia, an hæc diſpoſitio locum habeat inter Patrem, & filium in cauſa alimentorum.

Hæc autem cõtrouerſia inter Patrem, & filium vel poteſt eſſe circa alimenta præterita, vel futura, quod optimè notandum eſt, nam in ordine ad ipſa poteſt eſſe diuerſa ratio, diuerſumque iudicium, nam in ordine ad præterita non eſt ratio ita compellens, & exigens ita promptam executionem, ſicuti poteſt eſſe in ordine ad futura, quæ talia ſunt, vt poſſint exigere celeram executionem. Duplex ſenſus cõtrouerſiæ.

2 Super alimenta præterita poſſunt cogi ad compromittendũ.

Aſſertio I. Si controuerſia fuerit ſuper alimenta præterita, probabilius eſt, quod poſſint compelli ad compromiſſum. Ita videntur ſentire *Ioannes Baptiſta Saminiatus controu. 81., Blanchus de comprom. q. 4. ſub tit. de quib. cauſ. poſſit comprom. fieri nu. 19., Surdus de aliment. tit. 8. priuil. 61. num. 33., Caſtillus de aliment. c. 70. per tot., Vrceolus de tranſact. q. 49. num. 1.*, dum excipiunt ſolum quoad alimenta futura.

Hoc expreſsè videtur deduci ex textu *in l. de aliment. 8. C. de tranſact.*, vbi fit diſtinctio inter alimenta præterita, & futura, & quoad prçterita dicitur, quod libera ſit cuique facultas tranſigendi, prout notat *Saminiatus loc. cit. n. 26.* Atque quoad hæc arbitror abſolutè habere locum diſpoſitionem *Conſtit. dom. Mediol. d. lib. 2. ſub tit. de arbitris, & arbitrat.*, cum etenim, quoad hæc non militent rationes neceſſariæ, & celeris executionis, ſicuti militant pro futuris, ideo relinquunt talem diſpoſitionem in ſuo robore.

3 Secus, ſi controuerſia fuerit ſuper alimenta futura.

Aſſertio II. Si controuerſia fuerit ſuper alimenta futura inter Patrẽ, & filium non poſſunt compelli ad compromittendum ſuper ipſis. *Carena reſol. for. reſol. 49. num. 11., Nouarius ad pragm. Regn. tit. de arbitris coll. 2. ſub num. 4., Mel. in addit. ad Caſtillum de aliment. c. 70. ſub num. 5. verſ. veruntamen, Saminiatus controu. 81. nu. 8., & ſeqq. Albertus de Roſ. in l. cum ij ante nu. 1. ff. de tranſact., & ibi Altiatus nu. 2., Corduba à Lara in l. ſi quis à liberis §. parens nu. 50. ff. de lib. agnoſ., Colerius de aliment. lib. 2. c. 8. n. 59., Borellus de comprom. §. 2. gloſ. 1. n. 308.*, atque ita reſoluiſſe Senatum, & Sacrum Concil. Neapol. referunt *Nouarius ad pragm. regn. tit. de arbitris collect. 2. ſub nu. 4., Saminiatus loc. cit. nu. 8.*

Rationes, & iura pro aſſertio.

Ratio ex eo deducitur, primo, quia cauſa pro alimentis futuris eſt executiua, & omnino priuilegiata, tam ratione ordinis, & temporis, quam ratione etiam probationum *l. 1. §. Iulianus, & l. ſi quis à liberis §. ſi vel parens ff. de lib. agnoſc., Caſtillus ſub tit. de alimentis c. 4. nu. 1., Bartolus in l. de alimentis num. 2. C. de tranſact.*, & eſt celerimæ expeditionis, nec dilationem patitur, cum interim filij de vento viuere nequeant *Borellus conſ. 71. n. 37. per textum in l. 2. ff. de re iudic., Giurba deciſ. 4. num. 45. verſ. ſed alimenta, Surdus de aliment. tit. 8. priuil. 11., & priuil. 70.*, ſed in cauſis executiuis

Digitized by Google

tiuis compromiſſum non admittitur *Baldus in l. 1. in princip. ff. de tranſact., Alexander conſ. 82. num. 4. lib. 1., Maſtrillus deciſ. 270. num. 49.*

4 **Super alimentis futuris non poteſt tranſigi ſine auctoritate prætoris.**

Secundo, quia ſuper alimentis futuris non eſt libera facultas tranſigendi ſine auctoritate Prætoris, nec alimentarius poteſt cogi ad tranſigendum per textum *in l. de alimentis C. de tranſact., Caſtillus de aliment. c. 70. per totum, Vrceolus de tranſact. q. 49. num. 1.*, ergo, nec eſt libera facultas ſuper eiſdem compromittendi, nec poterit cogi ad compromiſſum, cũ pari paſſu procedant tranſactio, & compromiſſum, & quę obſtant tranſactioni, obſtant quoq; compromiſſo *Surdus de aliment. tit. 8. priuil. 61. ſub num. 30. verſ. & hæc opinio, Molina de Hiſpanis primog. lib. 4. c. 9. num. 1., Valenzuolla conſ. 11. num. 30., Peregrinus de fideicom. art. 52. nu. 72., Valeronus de tranſact. tit. 3. q. 4. nu. 36.*

Inſtantia Saminiati eiuſque ſolutio.

Non multum fidit huic rationi *Saminiatus d. controuerſ. 81. nu. 28.*, eo, quia textus *in d. l. de alimentis 8. C. de tranſact.* loquatur ſolummodo *de aliment. relict. per vlt. voluntatem*, quod videtur declarari per textum *in l. cum ij in princip. verſ. hac oratio ff. de tranſact.*, non autem de alimentis ab vltima voluntate non dependentibus, quamuis futuris, in ordine ad quæ, nihil videtur poſſe obſtare, quominus poſſint tranſigi *Surdus de alimentis tit. 8. priuil. 56. nu. 87., Caſtillus ſub eod. tit. c. 70. nu. 6., & ſeqq. Antonellus de temp. legit. lib. 2. c. 58. nu. 17., Merlinus de pignor. lib. 2. tit. 1. q. 24. nu. 12.* Sed non video rationem, propter quam non poſſit tranſigi ſuper alimentis relictis per vltimam voluntatem teſtatoris, poſſit autem tranſigi ſuper alimentis debitis ex cauſa naturalis pietatis, & iuris ſanguinis.

5 **Soluuntur nonnulla aduerſantium obiecta.**

Dices primo, rationem in eo conſiſtere, quod in ordine ad alimenta relicta per vltimam voluntatē duplex militat ratio, altera fauoris alimentorum, altera fauore vltimæ voluntatis, quæ vtraq; ratio ſimul iuncta obligat ad non tranſigendum, quoad alimenta vero non per vltimam voluntatem, ſed iure ſanguinis debita non militat illa ratio vltimæ voluntatis; atq; hanc diuerſitatē rationis videtur aſſignare *Corduba à Lara in l. ſi quis à liberis §. parens nu. 78. ff. de liber. agnoſc.* Sed contra, quia, quantumuis in ſecundo caſu non videatur militare ratio vltimæ voluntatis, militat tamen ratio naturalis pietatis, quæ nedum æquiualet illi vltimæ voluntatis priuilegio, ſed longè præponderat, & magis huic, nempè naturali pietati, in qua viget cauſa pia, conferendum eſt, quam illi.

Dices ſecundo, non permitti tranſactionem in alimentis relictis per vltimam voluntatem, non ſic debitis ex titulo naturalis pietatis independenter ab illa, quia in illorum acquiſitione alimentarius non multum impendit laboris, & ſollicitudinis, adeoque poteſt eſſe præſumptio, quod nec valdè ſollicitus ſit in illorum conſeruatione, adeoq; iura ſtatuerunt, quod ſuper illis non poſſit tranſigere, atq; hanc rationem videtur cogitaſſe *Bartolus in tract. de alimentis nu. 35., & ſeqq.* Sed contra quis non videt hanc eandem rationem militare, quoad alimenta debita iure ſanguinis, & titulo naturalis pietatis? Quinimmò cum natura ſollicita ſit, ne filij indigentes deſtituantur debitis auxilijs, ad quæ præſtanda parentes obligauit, ſollicita quoque præſumenda eſt, ne ipſorum incuria eiſdem priuentur, vndè iura poſitiua conformitèr ad ipſum ius naturæ cenſenda ſunt in iſtis fortius vitaſſe tranſactionem, quam iu alimentis debitis ex vi vltimæ voluntatis.

Soluitur alla inſtantia.

Quamobrem ad textum *in d. l. cum hi verſ. hac oratio ff. de tranſact.*, vbi ſic dicitur. *Planè de alimentis, quæ non mortis cauſa donata ſunt licebit, & ſine prætore authore tranſigere*, dicendum eſt illum procedere comparatiuè ad alimenta debita ex pacto, vel contractu, non autem comparatiuè ad alimenta debita iure ſanguinis, & naturalis pietatis. 6

Explicatur textus in l. cum hi ff. de tranſact.

Pro complemento eorum, quæ ſub præſenti titulo dicuntur, congruentem aliquam rationem addunt etiam DD. ſitam in eo, quod huiuſmodi cauſa alimentorum de futuro filijs præſtandorum debet eſſe ex genere ſuo ſummaria, & currētibus etiam diebus feriatis in honorem Dei debeat tractari *ad textum in l. 2. ff. de ferijs, Caualos comm. cont. com. q. 760. p. 3. per tot., Surdus de aliment. tit. 8. priuil. 2. à num. 7., Caſtillus de aliment. c. 2. num. 20.*, conſequenter minori ſpacio apud Iudicem ordinarium terminari poteſt, quam pænes arbitros; vndè præſumendum eſt, quod hæc cauſa alimentorum inter Patrem, & filium non comprehendatur in diſpoſitione *Conſtit. Mediol. ſub tit. de arbitris, & arbitrat. in principio*, de quibus ſupra.

PRÆNOTIO XIV.

An alimenta præterita poſſint repeti?

SVMMARIVM.

Varij ſenſus tituli propoſiti. 1.

Filius non poteſt repetere alimenta præterita à Patre, quando eadem acquiſiuit mendicando, vel titulo non oneroſo. 2.

Si filius ſibi conſuluerit contrahendo debitum pater

Digitized by Google

Pater tenetur illud ſoluere. 3.

Actio ad conſequendam ſolutionem illius debiti aduerſus Patrem non ſolum competit creditori, ſed etiam filio. 4.

Si filius contraxerit debitum, dum Pater eſſet impotens, & hic poſtea deuenerit ad pinguiorem fortunam, an hic teneatur illud ſoluere ſententia affirmatiua. 5.

Sententia negatiua præfertur. 6.

Pater, ſi renuat alere filium, cum ſit potens, & alter apud ſe alat poteſt hic, & filius alimenta exigere à Patre. 7.

Renuente Patre, cum poſſit, alere filium poteſt hic alimenta omiſſa repetere à die petitionis. 8.

1 Varij ſenſus tituli propoſiti.

SVB multiplici ſenſu poteſt examinari præſens titulus. Primo, quatenus vel ex incuria, vel quia inopia laborabat non contulit filio alimenta, & interim idem filius vel mendicando, vel aliqua ſua induſtria alimenta ad vitam ſibi acquiſiuit, in qua hypotheſi remanet inquirendum, an, ſi poſtea Pater deuenerit ad pinguiorem fortunam, teneatur alimenta non præſtita pro tempore inopiæ, ſeu eorum æſtimationem filio conferre. Secundo, quatenus ipſe Pater pro aliquo tempore filio alimenta non contulit vel ex propria prauitate, vel indigentia, & interim filius, ne famè periret, ſibi conſuluit per mutuationes, in quo ſenſu etiam examinandum occurrit, an ſi ex prauitate præſtiterit, teneatur poſtea mutuum à filio contractum pro alimentis reſtituere, & ſi ex inopia; ſi poſtea factus fuerit potens, teneatur item reddere. Tertio, quatenus nolente Patre filio conferre alimenta, alter extraneus apud ſe eundem filium aluerit, an pater teneatur eidem extraneo compenſare expenſas eorundem alimentorum. Quarto, an, ſi dum Pater renuit alimenta filio conferre, alter, qui in ſubſidium Patris tenetur, filium apud ſe aluerit, poſſit hic compenſationem à Patre exigere. Quinto, quatenus Pater renuerit alimenta conferre, an, ſi filius ſuper illa litem mouerit à die litis intentatæ poſſit illa repetere, ſi non fuerint collata.

2 Si pater non contulerit alimenta filio, & filius interim mendicando quæſierit nō poteſt hic à patre repetere.

Aſſertio I. Si Pater alimenta non contulerit filio ex quacunq; cauſa, & interim filius ſibi conſuluerit, ſiue mendicando, ſiue alio modo non oneroſo, non poteſt ab eodem Patre pro illo tempore præterito alimenta, ſeu eorum æſtimationem repetere. *Alexander in l. de alimentis in princip. C. de tranſact., Stephanus Gratianus diſcept. for. tom. 1. c. 60. num. 19., & 20., Fontanella de pactis nupt. clauſ. 5. p. 1. num. 100., & clauſ. 6. gloſ. 2. p. 3. nu. 35., Azorius part. 2. lib. 2. c. 4. q. 16., Bonacina de precept. Decal. diſp. 6. q. vnica punct. 6. num. 12., Megala part. 2. lib. 2. c. 23. q. 1. nu. 26.*

Ratio eſt, quia eatenus tenetur Pater conferre alimenta filio, quatenus idem filius ijſdem indiget, nec ad ſibi ſuccurrendum aliundè habere poteſt, ſed in ordine ad alimenta præterita, nec indiget; cum ceſſet neceſſitas, ſeu eadem tranſacta ſit, ergo in ordine ad tempus præteritum non tenetur Pater conferre illa, nec illorum æſtimationem; atque hæc locum habent non ſolum in foro interiori animæ, ſed etiam in foro exteriori, quidquid ex aduerſo dixerint quoad forum externum *Azorius d. part. 2. lib. 2. c. 4. q. 16., Bonacina de præcept. Decalog. diſp. 6. q. vnica punct. 6. nu. 12.* volentes filios in eodem foro externo officio Iudicis præteritorum alimentorum æſtimationem à Patre poſſe repetere; nam non ſolum ius naturæ, ſed etiam iura poſitiua, ciuilia hoc onus tantum imponunt Patribus, quando neceſſitas reſpectu filiorum vrget, prout conſtat *ex d. l. ſi quis à liberis §. ſed, & ſi filius ff. de lib. agnoſc.* Rationes pro aſſerto.

Dixi *ex quacunque cauſa non contulerit*, ſiue ſcilicet ex incuria, & prauitate, ſiue ex inopia. Quod, ſi ſupponas, quod Pater omiſerit alimenta pro aliquo tempore ex eo, quod pro illo ex inopia non poterat conferre, & poſtea deuenerit ad pinguiorem fortunam, & inquiras, an tunc filio petenti teneatur omiſſorum alimentorum æſtimationem conferre; etiam reſpondendum eſt negatiuè propter eandem rationem, quia pro tempore ſuperuenientis pinguioris fortunæ ceſſat neceſſitas, & ſicuti, quando eſt diues, & omittit ex incuria, non tenetur tranſacta neceſſitate pro tempore præterito præſtare, ita nec tenetur præſtare, quando factus eſt diues tranſacta eadem neceſſiate conferre. *Aſcanius de patria poteſt. effectu 17. num. 24.* Ex quacunque cauſa non cōtulerit.

3 Si filius ſibi conſuluerit contrahēdo debitū Pater tenetur illud ſoluere.

Aſſertio II. Si Pater pro aliquo tempore alimenta filio non contulerit, & filius ad ſibi ſubueniendum pro illo tempore, cum aliunde non haberet, quo ſibi conſuleret, contraxerit debitum per mutuum Pater ipſe tenetur ſoluere illud debitum, ſeu mutuum reſtituere *Bartolus in l. libertis quos §. manumiſſis num. 3. ff. de aliment., & cib. leg., Merenda controu. iur. tom. 4. lib. 22. c. 29. num. 3., Fontanella clauſ. 6. gloſ. 2. part. 3. num. 37., Stephanus Gratianus diſcept. for. c. 60. num. 21., Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrim. part. 2. c. 15. num. 882.*

Ratio ex eo deducitur, quia damnum illud, ſeu contractio mutui contigit culpa debitoris moroſi, ob quam moram debet creditor præſeruari indemnis à debito

bito

Ratio prima pro aſſerto.

bito eius occaſione facto, ergo danda erit ei actio pro eo, quod ſua intereſt *Bartolus in d. l. libertis §. 1. num. 3. ff. de aliment.*, *& cib. legatis*, *Alexander conſ. 48. viſo ſtatuto col. 1. poſt medium verſ.*, *& virum iſta nu. 2. lib. 3.*, *Caſtrenſis in l. diuortio col. 2. in fin. nu. 6. verſ. item in quantum dicit ff. ſolut. matrim.*; Neque obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, quod creditor mutui facti filio familias non habeat ius repetendi idem mutuum nec à filio, cui mutuauit, nec à Patre ipſius per textum *in l. 1.*, *& ſeqq. ff. & C. ad Macedonianum*, *& Inſtit. quod cum eo, qui in aliena eſt poteſtate §. penult.*, vt latè docuimus *tom. 1. ſub tit. Contractibus 3. de mutuo, & vſur. prænot. 4. num. 5.*; Non, inquam, obeſſe poteſt, quia illa diſpoſitio Senatus Conſultus Macedoniani ceſſat in mutuo facto ob cauſas neceſſarias, propter quas Pater ex naturali pietate tenetur, prout euincitur *ex l. Macedoniani C. ad Senat. Conſult. Maced.*, & nos docuimus *loc. cit. n. 13.*

Ratio deducitur ſecundo, quia licet non perſeueret amplius neceſſitas alimẽtorum quoad ipſa formalitèr in ordine ad tempus præteritum, quando tamen pro ipſis contractum eſt debitum, perſeuerat neceſſitas in eodem debito, cum hoc ſubſtituatur in iure loco eorundem alimentorum, ergo ad ſatisfaciendum eidem debito contracto pro alimentis idem Pater, qui ex titulo naturalis pietatis tenetur ad alimenta, tenebitur ad idem debitum contractum pro illis. Confirmatur, quia in ordine ad hunc effectum repetitionis alimentorum non ſolum dicuntur futura ea, quæ decurrunt à die latæ ſententiæ ſuper alimentis, ſed etiam, quæ decurrunt à die petitionis eorundem, ſeu motæ litis ſuper eiſdem *Petrus Barboſa ad l. 2. part. 1. num. 32.*, *& 33. ff. ſol. matrim.*, *Decius in l. de alimentis num. 6. C. de tranſact.*, *Lancellotus de attentatis 2. part. c. 12. limit. 24.*, *Fontanella de pact. nupt. clauſ. 6. gloſ. 2. p. 3. num. 43. ad 51.*, *Stephanus Gratianus diſcept. forenſ. c. 53. num. 11.*, ergo etiam haberi debent pro decurrendis illa, intuitu quorum acceptum fuit mutuum, cum in hac hypotheſi acceptio eiuſdem interpellet pro homine.

Ratio ſecunda pro eodem.

Hic oritur difficultas, an actio pro repetitione illorum alimentorum præteritorum aduerſus Patrem competat ſolummodo ei, qui filio mutuauit, an etiam eidem filio? *Corduba à Lara in l. ſi quis à liberis in princip. ff. de lib. agnoſ.*, *Surdus de aliment. tit. 5. q. 1. num. 52.*, *Stephanus Gratianus diſcept. for. c. 60. num. 22.*, *& ſeqq.* voluerunt actionem ad repetitionem alimentorum præteritorum aduerſus Patrem ſolum competere mutuanti per textum *in l. fin. ff. de in rem verſo*. Congruentius videntur aſſerere vtrique tàm ſcilicet filio, quàm mutuanti hanc actionem repetitionis competere *Stephanus Gratianus diſcept. for. tom. 1. c. 60. num. 26.*, *Fontanella de pact. nupt. clauſ. 6. gloſ. 2. part. 3. num. 40.* Ratio primæ partis, quod ſcilicet hæc actio competat mutuatori, ex eo deducitur, quia ſic mutuans optimè geſſit negotium eius, qui ex titulo naturalis pietatis tenebatur præſtare alimenta filio, & illud, quod expendit in neceſſitatem alimentarij, ſupponitur verſum in vtilitatem eius, qui debebat eadem alimenta conferre, ſed cuilibet negotiorum actori datur actio aduerſus eum, in cuius commodum negotium ceſſit *l. ſi me, & Titium ff. ſi cert. pet. Gloſa in l. his ſolis ff. de condit. indeb.*, ergo &c. Ratio ſecundæ partis ex eo deducitur, quia ex quo debitor alimentorum fuit poſt interpellationem in mora, fuit in cauſa, vt alimentarius contraheret illud debitum, ergo ad præſeruandum eundem alimentarium indemnem ab illo debito competet actio eidem alimentario conſequendi ea, quæ ſua intersunt, ne illud contraxerit, adeoque &c.

4 Actio ad conſequẽdum illud creditum à Patre nõ ſolum cõpetit creditori, ſed etiam filio.

Si autem hic inquiras, an, ſi Pater omiſerit pro aliquo tempore alimenta præſtare filio, cum pro illo eſſet impotens, & filius interim ad ſibi ſubueniendũ contraxerit debitum, & poſtea idem Pater deuenerit ad pinguiorem fortunam teneatur ſatisfacere illi debito, ſeu ſoluere mutuum acceptum à filio? Affirmant aliqui, inter quos *Aſcanius Clemens in tract. de patr. poteſt. effectu 17. num. 24.* ea fortè moti ratione, quod, ſi quis premátur debito, quod ob inopiam, & neceſſitatem grauem non poſſit ſoluere, quamuis eximatur ab onere ſolutionis illius pro tempore talis neceſſitatis, non eximatur tamen abſolutè, ſed, ſi deuenerit ad pinguiorem fortunam teneatur illi ſatisfacere, ergo etiam, cum ex iure naturalis pietatis Pater premátur debito alendi filiũ, quamuis non teneatur illud perſoluere pro tempore, quo premitur inopia, ſi tamen peruenerit ad ſtatum pinguiorem, tenebitur debito illi ſatisfacere, ſeu mutuo contracto à filio ad ſibi ſubueniendum de alimentis, cum illud acceperit in ſupplementum debiti naturalis Patris. His tamen non obſtantibus probabilius cenſeo in hac hypotheſi Patrem, quantumuis deuenerit ad pinguiorem fortunam, non teneri ſatisfacere illi debito mutui contracti per filium ad ſibi ſubueniendum de alimentis. *Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrim. part. 2. c. 15. nu. 884.*, *Surdus de aliment. tit. 5. q. 1. à num. 60. ad 66.* Ratio ex eo deducitur, quia pro illo tem-

5 An, ſi filius contraxerit debitum, dum Pater erat impotens, teneatur Pater, ſi ad pinguiorem fortunam venerit, illud ſoluere ſententia affirmatiua.

6 Sententia negatiua pręfertur.

Digitized by Google

tempore, quo Pater premebatur inopia, non tenebatur alere filium per ea, quæ ſparſim probauimus in præcedētibus, ergo debitum illud nō eſt contractū intuitu Patris, ergo, nec Pater tenetur illud ſoluere; Neque dicas, quod pro illo tempore inopiæ paternæ non intelligatur debitum reſpectu ipſius ad alendum filium eſſe extinctum, ſed ſopitum, cum hoc naſcatur in ipſo Patre cum ipſa natura, & iure paternitatis, ac proindè ceſſante inopia, & impotentia in eodem per pinguiorem fortunam reuiuiſcere, cui propterea incumbit onus ſatisfaciendi; Contra enim impugnaberis; quia eatenus onus alendi filios intelligitur in eſſe in Patre, in quantum Pater eſt potens eadem præſtare, vndè non extante potentia, nec extare poteſt illud onus, & propterea pro tempore impotentiæ nullà aderat obligatio in Patre, & per conſequens, nec illud debitum; obligatio autem nondum nata pro tempore neceſſitatis, non poteſt exurgere eadem neceſſitate tranſacta loquendo pro tempore, pro quo non vrget eadem neceſſitas; & ſicuti obligatio ſemel extincta non poteſt tractu temporis conualoſcere per vulgatiſſima iura, & præcipuè per *textum in l. eius qui §. fin. ff. de iure Fiſci*, ita obligatio, nondum nata non poteſt naſci tranſacto tempore, pro quo neceſſitas vigebat.

Rationes pro hac ſententia.

Ad rationem, quæ ex aduerſo afferebatur, dicendum eſt non currere paritatem, quandoquidem in caſu aſſumpti, ſeu antecedentis obligatio ratione debiti iam erat formata, ſeu perfectè nata in perſona debitoris, quæ propterea pro tempore inopiæ ſolum ſopita remanſit, & ſic ceſſante tali inopia reuiuiſcit; in caſu autem conſequentiæ, de hoc hic loquimur, obligatio nec fuit nata, nec formata, adeoq; non eſt mirum, quod ceſſante inopia in patre per pinguiorem fortunam non reuiuiſcat. Ad illud, quod dicebatur in inſtantia præcedenti, quod debitum in Patre alendi filium originalitèr in eodem naſcatur cū ipſo iure paternitatis, adeoque, quod propter inopiam eiuſdem patris ſolum ſopitū remaneat, & reuiuiſcat ceſſante eadem inopia paterna, dicendum eſt, quod ad ſummum illa obligatio radicalitèr, & originalitèr oriatur in ipſo Patre cum iure paternitatis, quatenus, ſi potens eſt, teneatur filios alere; non autem formalitèr, & in effectu, cum hoc pacto ſolum vim habeat extante potentia in ipſo Patre; ad onus autem contrahendum non ſufficit illa originalitas, ſed vlterius requiritur ipſum actualitèr poſſe, ac proindè.

Soluuntur rationes oppoſitæ.

Aſſertio III. Renuente Patre alimenta præſtare filio, cum eſſet potens ad eadem eroganda, ſi alter interim eundem filium apud ſe ſuis ſumptibus aluerit, poteſt nedum ipſe, qui ſic aluit, ſed etiam idem filius alitus repetere ab eodem patre æſtimationem eorundem alimentorum. Arbitror in hoc conuenire, quotquot ſuſtinent præcedentem aſſertionem.

7

Alter ſi alat filiū renuente Patre diuite, poſſunt ab eodem Patre alimēta repeti.

Ratio ex eo deducitur, quia parum referre poteſt, quod quis extraneus mutuauerit filio pecuniam ad ſibi ſubueniendum de alimentis in caſu neceſſitatis eorundem, ac immediatè contulerit eadem alimenta, ſed quando contulit mutuum, in ordine ad eadem alimenta conceditur actio nedum reſpectu eiuſdem mutuantis, ſed etiam reſpectu filij mutuarij ad repetendum idem mutuum à Patre per ea, quæ ſupra probauimus, ergo, quando contulit eadem alimenta, etiam concedenda erit actio reſpectu vtriuſq; ad repetendam æſtimationem ipſorum. Limitanda tamen eſt hæc aſſertio in caſu, quo ille, *qui contulit talia* alimenta *filio, contulerit* animo donandi, & non repetendi, quod tamen non ita facile præſumendum eſt.

Ex ijs etiam deducere poteris pro eo, quod quarto loco propoſitum eſt, vt examinaretur, quod ſcilicet, ſi Pater fuerit potens, & renuerit alimenta præſtare filio, & interim alter, qui in ſubſidium dumtaxat ipſius Patris tenetur apud ſe eundem filium ſuis ſumptibus aluerit, poſſit eoſdem ſumptus à Patre repetere. Ratio ex eo deducitur, quia ipſe non habet onus, niſi quatenus Pater, alijque proximiores ſanguine non poſſint, ergo exiſtente Patre, qui poſſit alere & renuat, ſi ipſe aluerit ſuis ſumptibus, poterit ab eodem Patre ſumptus in alimentis filij factos repetere. Conſequentia non videtur pati difficultatem, quandoquidem ipſi in illo hypotheſi non incumbit illud onus, in ordine ad quod computatur, vt extraneus.

Illatio ex prædictis deducitur

Aſſertio IV. Renuente Patre alere filium cū poſſit, poteſt idem filius alimenta omiſſa repetere à die petitionis *Vincentius de Francis deciſ. 605. n. 6., & 9. in fine, Pontanus de alimentis c. 12., Surdus de aliment. tit. 8. priuileg. 60. num. 16., Stephanus Gratianus diſcept. for. tom. 1. c. 53. num. 11., Fontanella de pact. nupt. clauſ. 6. gloſ. 2. part. 3. n. 43., & ſeqq. Lancellotus de attent. 2. part. c. 1. limit. 24.* 8

Pater diues renuēs alimenta præſtare filio inopi poteſt cogi ad eadē præſtanda à die petitionis.

Ratio ex eo deducitur, quia huiuſmodi alimenta à die petitionis, ſeu motæ litis non habentur, vt præterita, ſed ex tunc pro futuris; ipſa etenim interpellatio, ſeu petitio conſtituit terminum præteriti, & ponit principium futuris alimentis, ſed

in

Digitized by Google

Rationes pro aſſerto, in ordine ad alimenta futura conceditur officium Iudicis, ergo &c. Accedit, quod, ſi ſolummodo poſſent repeti alimenta præterita à die latæ ſententiæ, ſeu taxationis eorundem alimentorum debitor eorundem commodum ex ſuo dolo poſſet reportare, ſiquidem ſuis cauillationibus poſſet diu ſententiam protrahere, & ſic alimentarium eludere, ſeque in poſſeſſione non præſtandi alimenta per illud tempus manutenere, quod certè videtur contra naturalis iuris diſpoſitionem, & contra finem iurium ciuiliun, ergo.

Hæc adeò vera videntur, vt apertè aſſerat *Fontanella de pact. nupt. tom. 2. clauſ. 6. gloſ. 2. part. 3. num. 46.*, non ſolum in omnibus Senatibus, in quibus hanc cauſam vidit agitatam, ita deciſum fuiſſe, ſed etiam in ipſa Rota Romana, quæ eſt omnium exemplar, & magiſtra, vt apud *Emilium Varallum deciſ. 18. num. 20., cum alys ſequent. vſq. ad 24. pr. parte, Farinacium in 2. vol. ſuarum deciſ. 262., & plenius habetur in pr. part. diuerſarum Rot. Rom. deciſ. deciſ. 764. num. 5.*

Solutiones obiectorum. Nec obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, quod à die petitionis, ſeu motæ litis alimentarius aliundè habuerit, quo potuerit viuere, & quidem non ex cauſa oneroſa ſcilicet ex debito contracto, ſed ex cauſa liberali, puta piarum eleemoſinarum, ſeu donationum, adeoque non poſſit agere ad alimenta pro illo tempore aduerſus Patrem, cum tantum in hoc teneatur, quando filius aliundè habere non poſſit. Non, inquam, obeſſe poteſt, quia, vt benè notat *Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrim. part. 2 c. 15. num. 888.*, per ipſam petitionem, ſeu interpellationem conſtituitur debitor moroſus, & in vera mora *arg. l. ſi ex legati cauſa 23. ff. de verb. oblig.*, adeoque ex tunc oritur debitum rigoroſum, quod propterea non poteſt diſſolui, quod per alium ex cauſa pietatis, ſeu caritatis fuerit aliquid pro alimentis erogatum.

Ex quibus omnibus poteris deducere, quod ſicuti pro alimentis pro tempore futuro debitis non datur appellatio quoad ſuſpenſiuum *l. fin. ff. de appel. recip. l. ſecunda de re indic.*, Illatio ex prædictis. *Bartolus in l. mala in fin. ff. de aliment., & cib. legat., Natta conſ. 409. nu. 5. lib. 2., Surdus de aliment. tit. 8. priuil. 60. nu. 5.*, ita nec datur appellatio contra declaratoriam alimentorum debitorum à die motæ litis, quia etiam iſta ex ſupra dictis iudicantur, vt futura *Rota Rom. deciſ. 24. apud Verallum.*

DISQVISITIONES I.

A prima ad ſeptimam prænotionem incluſiuè.

§. I.

An parentes exponentes ſuos filios legitimos, ſiue illegitimos ad Hoſpitale, vel ad ianuam Eccleſiæ, peccent, & an quandoq; excuſentur à culpa.

SVMMARIVM.

Exponitur grauitas delicti exponentium filios. 1.
Duplex ſenſus difficultatis. 2.
Non peccant parentes exponentes filios etiam legitimos ex neceſſitate. 3.
Si parentes poſtea fiant potentes tenentur eos reuocare. 4.
Nec tenentur compenſationem facere loco pio. 5.
Non peccant etiam exponentes filios illegitimos ad tegendum proprium crimen, & periculum mortis. 6.
Probabilius tenentur compenſare expenſas factas ab Hoſpitali. 7.
Etiam expenſæ ſunt compenſandæ pro educatione. 8.

Diſquiſitio I. Praua adeo conſuetudo irrepſit in regionibus præcipuè Italiæ, vt parentes deponentes naturalem, & paternam pietatem erga proprios filios, ne illorum curam teneatur gerere, illos exponunt clam, vel in publicis Hoſpitalibus, vel ad ianuam alicuius Eccleſiæ, vel domus alicuius determinatæ perſonæ, parricidæ potius, quam eorundem Patres appellandi. Hoc ex genere ſuo enorme crimen eſſe nullus eſt, qui non videat. In ſe ipſos crudelitatem exercent, dum in proprium ſanguinem deſæuiunt. Violant iura naturæ, dum inſitam ab eadem pietatem exuunt, & belluis immaniores in propria furunt viſcera, & incertæ alienæ committunt pietati, dum à propria extrahunt. Adeo exoſum eſt iuribus hoc crimen, vt in ipſum multis, iiſq; grauioribus pænis inuehant, de quibus latè in ſubſequentibus, quæ indicant in tali expoſitione grauiſſimam noxam, quod latè in terminis tradunt *Menochius de arbitrar. caſ. 396. nu. 1., Auguſtinus Barboſa ad c. vnicum num. 2. de infant. expoſitis*, conformitèr ad textum *in l. necare ff. de lib.* 1 Grauitas delicti quoad exponentes filios.

Digitized by Google

agnoſ., vbi ſic legitur *Necare videtur non tantum is, qui partum præfocat, ſed & is, qui abijcit, & alimoniam denegat, & is, qui publicis locis miſericordiæ cauſa ædificatis, quam ipſe non habet, exponit*. Conſtat iam igitur de grauitate, & enormitate huius delicti ex genere ſuo, in quo non eſt, cur amplius immoremur.

Difficultas eſt ſolummodo, an parentes ex aliqua graui cauſa ſic exponentes excuſari poſſint a culpa, quod in duplici caſu examinabimus. Vnus erit in ordine ad filios etiam legitimos, quando parentes non habent, quo ipſos poſſint alere; Alter in ordine ad illegitimos, & ſpurios, quando licet habeant, quo poſſint ipſos alere, dum tamen penes ſe alerent, ſubeſſent infamiæ, vel mortis periculo, cum detegeretur crimen adulterij.

2 Duplex ſenſus difficultatis.

Reſpondeo primo. Eximuntur à culpa parentes exponentes proprios filios, quãtumuis legitimos in hoſpitali ad id deputato, vel ad ianuam alicuius Eccleſiæ, vel domus priuatæ, quando ſunt ita pauperes, vt non poſſint eos alere, nec ſperent ſe habituros, quo alant ſeruatis tamen debitis cautionibus, ne proles interim frigore, vel fame pereat. *Turrecremata in c. ſi expoſitus diſt.* 87. *DD. communitèr in c. vnico de infant. expoſ.*, *Menochius de arbitrar. c.* 396. Ex Theologis *Caietanus in ſumma verb. adulterium in fin.*, *Henriquez lib.* 11. *c.* 19. *num.* 3. *in textu, & Gloſa*, *Molina de iuſt. tom.* 4. *tract.* 3. *diſp.* 703., *Leſſius de iuſt. lib.* 2. *c.* 19. *num.* 69., *Bonacina de præcept. Decal. diſp.* 6 *q. vnica p.* 6. *§.* 1. *num.* 6. Non difficilis eſt probatio præſentis reſponſionis, quãdoquidem parentes non tenentur conſulere proprijs filijs, niſi in quantum, & eo modo, quo poſſunt, ſed quando eoſdem non poſſunt alere proprijs facultatibus, cum ipſis careant, nec aliunde poſſunt habere, quo alant, exponendo filios eiſdẽ conſulunt eo modo, quo poſſunt, exponendo eoſdem publicæ pietati non irrationabilitèr ſperantes ipſos inde alendos, ergo excuſantur a quacunque culpa, cum potius curent, quam negligant eorum curam; nec arbitrandum eſt eos peccare, dum implorato iudicis officio non petunt ali apud alios coniunctos ſanguine propinquiores, qui ex ſuperius dictis tenentur in ſubſidium; non, inquam arbitrandum, quandoquidem in primis ſupponimus, quod non poſſint aliunde habere, quo alant, deinde ſupponitur preſſa, & præſentanea neceſſitas alendi, ita vt non vacet immorari in illa petitione.

3 Non peccant exponentes ex neceſſitate.

Rationes pro reſponſione.

Hinc oritur difficultas, an, ſi poſtea parentes deuenerint ad pinguiorem fortunam, teneantur eoſdem filios ſic expoſitos apud ſe reuocare, & interim teneantur Hoſpitali, vel loco pio, in quo fuerunt expoſiti, ſoluere ſumptus factos in eorundem alimentis, & educatione, vel compenſare expenſas perſonæ, apud quam fuerunt aliti, & educati. In ordine ad primum abſolutè aſſerendum eſt teneri apud ſe reuocare, illoſque poſtea ſuis ſumptibus alere iuxta proprias facultates, & ſtatum adauctum, nec in hoc aliquem habere arbitror contradictorem. Ratio ex eo deducitur, quia ius ſanguinis, & naturalis pietatis, cum ſit inditum ab ipſa natura, ſemper viget, ſemperque clamat pro ipſis filijs, & in tantum parentes eximuntur ab onere ipſos alendi, & apud ſe educandi, in quantum defectu facultatum, & ratione neceſſitatis, qua premuntur, non poſſunt, ergo, ſi per pinguiorem fortunam cõſtituantur in ſtatu, quo poſſint ſemper clamante eadem naturali pietate tenebuntur alere, & apud ſe educare eoſdem reuocando, niſi fortè velint ſuppeditare expenſas, quibus commodè, & congruentius apud alios alantur, cum ipſi ob aliquas circunſtantias non poſſint. In ordine ad ſecundum abſolutè aſſero non teneri vel hoſpitali, vel perſonæ priuatæ compenſare ſumptus factos in eorundem filiorum alimentis, & educatione pro tempore, pro quo parentes non poterant alere. Conſonat cum ijs, quæ ſupra diximus. Ratio ex eo deducitur, quia pro illo tempore egeſtatis parentum non vigebat in eiſdem onus filios alendi, nec tunc in eiſdem parentibus ortum eſt debitum, ergo non eſt, cur poſtea, ſi deuenerint ad pinguiorem fortunam, teneantur illud extinguere, quia debitum, quod ortum non habuit, non indiget extinctione.

4 Si parentes ſint potentes, tenentur eoſdem expoſitos reuocare.

5 Nec tenetur compenſationem facere loco pio.

Reſpondeo ſecundo. Excuſantur etiam parentes a graui noxa exponentes filios illegitimos, & ſpurios, vel ad hoſpitale, vel ad ianuas Eccleſiæ ſic exigente neceſſitate ad tegendum crimen adulterij, ad vitandam infamiam, vel periculum mortis inde imminentis. *Clarus in pract. crim. §. fin. q.* 83. *num.* 7., *Menochius de arbitrar. caſ.* 396. *num.* 6., *Armilla verb. adulterium num.* 8., *Laiman lib.* 3. *tract.* 3. *part.* 3. *c.* 14. *num.* 4., *Villalobos part.* 2. *tract.* 41. *diffic.* 7. *nu.* 11., *Trullench in Decal. lib.* 4. *c.* 1. *dub.* 3. *num.* 25. Ratio ex eo deducitur, quia concurrente illo periculo infamiæ, ſeu honoris amittendi, & vitæ perdendæ ceſſat illud motiuum impietatis, quo parentes dicuntur deſæuire in proprium ſanguinem, ſeu in propria viſcera, cum regularitèr prudentes ad tuendam proprium honorem, & famam ſe ipſos exponant periculis, infortunijs, & egeſtatibus, cum honor ſit æſtimabilior quibuſcunque diui-

6 Nec etiã peccant exponendo illegitimos ad celandã infamiã, & vitandum periculum mortis.

Digitized by Google

diuitijs, & facultatibus; Nec obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, quod in tali expoſitione maximum inferatur dedecus expoſito innocenti, quod videtur præualere infamiæ parentum, qui ex quo deliquerunt, debent ſibi imputare illud periculum infamiæ non refundere in dedecus innocentis; Non, inquam, obeſſe poteſt, quia in eodem bonorum genere ordo charitatis exigit, vt quis prius ſibi cõſulat, quam alijs, quando vtrinq; non poteſt conſulere, ſicque parentes poſſunt præferre propriam famam alterius decori; nec officit, quod ipſi per proprium delictum cauſam dederint propriæ infamiæ; Non officit, inquam, quia, quamuis ratione delicti ius ad famam amiſerint quoad Deum, non tamen amiſerunt in ordine ad homines. Accedit, quod cum illa proles ſit illegitima, & fortè etiam ſpuria non habet ius, vt ipſius decus ſeruetur cum tanto parentum detrimento.

An teneatur compenſare, diuerſæ ſententiæ.

Hic immediatè oritur difficultas, an ſi parentes adulteri, ſeu fornicarij ad tegendum proprium delictum, & vitandam infamiam, ſeu periculum mortis expoſuerint ſuos filios illegitimos, & ſpurios vel ad hoſpitale, vel ad ianuas Eccleſiæ, teneantur eidem Hoſpitali, ſeu Eccleſiæ compenſare alimentorum expenſas pro prole factas? Nonnulli arbitrantur abſolutè non eſſe de rigore iuſtitiæ tales expenſas compenſandas Hoſpitali, ſed ad ſummum ex quadam æquitate *Henriquez lib. 11. de matrimon. c. 19. in gloſ. nu. 3.*, qui ea ratione mouetur, quia huiuſmodi hoſpitalia ad eum effectum inſtituta ſunt ad accipiendos huiuſmodi infantes expoſitos, ne à parentibus abiecti pereant, vel etiam ab eiſdem parentibus ad vitandam infamiam enecentur. Alij inter quos *Leſſius lib. 2. de iuſt., & iur. c. 19. num. 69.* arbitrantur parentes, quantumuis diuites non teneri ad huiuſmodi alimentorum compenſationem hoſpitali, niſi quatenus conſtat huiuſmodi hoſpitale eſſe dumtaxat inſtitutum pro ſolis pauperibus alendis. Alij, inter quos *Laiman Theol. mor. lib. 3. tract. 3. part. 3. c. 14. num. 4. verſ. dico 3.*, ſentiunt non teneri ad talem compenſationem, ſi hoſpitale ſit diues, ſecus, ſi fuerit pauper propter eam rationem, quia, quando eſt diues præſumitur inſtitutum indiferenter pro omnibus expoſitis ob cauſam iuſtam ſine obligatione compenſationis; quando verò pauper non præſumitur, niſi pro pauperibus inſtitutum. Alij inter quos *Fragoſus de Repub. Chriſt. part. 3. diſp. 2. nu. 123.*, ſentiunt expenſas alimentorum eſſe compenſandas de rigore iuſtitiæ, ſi hoſpitale erectum tantum ſit pro pauperibus alendis, ſecus ſi pro expoſitis. Quid igitur in tanta ſententiarum varietate concludendum? Probabilius ſentio parentes diuites teneri abſolutè compenſationem facere Hoſpitali pro expenſis factis in alimentis, & educatione filij expoſiti. *Nauarrus in man. c. 16. num. 48.*, *Azorius lib. 2. c. 26. q. 1. verſ. finem*, *Rebellus de obligat. iuſt. part. 1. lib. 3. q. 10. num. 8.*, *Ioſeph Rocuſſul in praxi, quid agendum part. 3. lib. 2. num. 43.*, & de communi teſtatur *Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrim. part. 2. c. 9. nu. 607.* Ratio ex eo deducitur primo, quia parentes per prius, & principalius obligantur ad alendos proprios filios, quantumuis illegitimos, & ſpurios, nec eximuntur à tali onere, niſi quatenus ſint impotentes, ergo, ſi deficiant ab adimplendo tali onere, & hoſpitale pro eiſdem hoc munus adimpleat, habebit ius ad repetendas expenſas, quas in adimplendo munere illorum inſumpſit, cum in hoc geſſerit negotium eorundem parentum, & ſicuti alij, qui tenentur ſolummodo in ſubſidium Patris, ſi pater ex ſua incuria, & non ex impotentia defecerit, ſi filios aluerint, poſſunt aduerſus Patrem agere ad repetitionem expenſarum, ita ſi hoſpitale in ſubſidium eorundem parentum diuitum expenſas fecerit in alendis eorum filijs, poterit ab eiſdem parentibus expenſas inſumptas repetere, cum non excuſentur ratione impotentiæ, nec periculi infamiæ, cum per illam ſolutionem, ſeu compenſationem expenſarum non ſit periculum, cũ poſſit ſecreto fieri, & ſub cautela.

7 Probabilius tenētur compenſare expenſas factas ab hoſpitali.

Rationes pro hoc aſſerto.

Ratio ex eo deducitur ſecundo, quia non eſt præſumendum, quod inſtitutores hoſpitalis voluerint conſulere vtilitati delinquentium, licet voluerint conſulere periculo eorundem infamiæ, ergo, quantumuis inſtituerint ad recipiendos filios expoſitos nulla facta mentione diuitum, ſeu pauperum, hoc intelligendum eſt, quantum ad effectum diuites eximendi ab infamia, non quantum ad effectum eoſdem eximendi ab onere compenſationis, quandoquidem, vt mox dicebam non ſupponendi ſunt voluiſſe conſulere fauori, & vtilitati delinquentium. Confirmatur primo, quia ſi parentes in hac hypoteſi non tenerentur contribuere expenſas Hoſpitali, tribueretur delinquentibus anſa delinquendi, cum eximerentur ab onere alendi filios, quos ex adulterio ſuſceperunt; & ex vno capite euitarent infamiam, & ex alio commodum independentèr ab illius periculo reportarent non alendi propriam prolem, ergo &c. Confirmatur ſecundo, quia præſumendum eſt, quod huiuſmodi hoſpitalia fuerint inſtituta in fauorem pauperum, & ſi etiã

Hoſpitale non conſulit vtilitati delinquẽtium.

Digitized by Google

in fauorem expoſitorum diuitum, hoc dumtaxat ad euitandam infamiam, non ad euitanda incommoda alimentorum.

Non ſolum autem hæc compenſatio facienda eſt quoad expenſas pro alimentis, ſed etiam pro congrua educatione, vt ſi ab eodem Hoſpitali factæ ſint expenſæ pro inſtruendis iiſdem filijs in aliqua arte, & diſciplina, vt notant *Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrim. part. 2. c. 9. nu. 607. verſ. ad quam reſtitutionem*, *Azorius Inſtit. mor. part. 2. lib. 2. c. 4. q. 7.*, cum hoc ſpectaſſet ad curam eorundem parentum, & in hoc Hoſpitale benè geſſit negotium eorundem.

8 Etiam expēsæ ſunt compenſandæ pro congrua educatione.

Hæc tamen compenſatio quoad quantitatem limitanda eſt in caſu, quo idem filius expoſitus peruenerit ad debitam ætatem, & ſuis operibus, & induſtria hoſpitali aliquid acquiſierit, tunc etenim tantum in compenſatione detrahendum eſt, quantum acquiſiuit *Fagundez in Decal. lib. 4. c. 1. num. 5.*, quia damnum, quod paſſum eſt Hoſpitale in illius alimentis, intelligitur compenſatum per illud lucrum acquiſitum.

---

§. II.

An Patre impotente compenſare Hoſpitali expenſas alimentorum teneantur illas compenſare alij, qui tenentur in ſubſidium Patris.

SVMMARIVM.

Facti ſeries exponitur. 1.
Mater in ſubſidium Patris, ſi ipſa fuerit diues tenetur Hoſpitali compenſare expenſas. 2.
Sententia aſſerens, quod, ſi Pater fuerit diues non teneatur Mater compenſare expenſas primi trienij. 3.
Probabilius tenetur eas compenſare. 4.
Nec Patre, nec Matre valentibus compenſare tenentur alij, qui tenentur in ſubſidium ordine ſucceſſiuo. 5.

Diſquiſitio II. Dictum eſt in præcedenti paragrapho, quod, ſi Pater, & Mater exponentes filios illegitimos, ſeu ſpurios in Hoſpitali ad tegendum crimen adulterij, & ad euitandam infamiã, ſi ſint diuites, teneantur eidem Hoſpitali compenſare expenſas alimentorum factas pro eiſdem filijs. Modo ſupponimus, quod Pater ſit impotens ad illius compenſationem, & mater ſit potens, & ſic inquirimus, primo, an ipſa mater teneatur in compenſationem pro talibus expenſis retribuere. Secundo ex ſuppoſitione, quod mater adhuc ſit impotens teneantur alij ſanguine coniuncti iuxta ordinem ſucceſſiuum, de quo ſupra locuti ſumus.

1 Factum exponitur in ſuis terminis.

Reſpondeo primo, vtique Matrem in ſubſidium Patris impotentis teneri compenſare expenſas, ſi ipſa ſit diues, factas ab Hoſpitali in educatione filiorum ſuorum expoſitorum *Laiman Theologia mor. lib. 3. tract. 3. part. 3. c. 14. num. 4.*, *Molina de iuſt. tom. 2. diſp. 703. num. 4.*, *Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrim. part. 2. c. 9. num. 607. verſ. ad quam reſtitutionem.* Ratio ex eo deducitur, quia ex ſupradictis mater in defectum Patris tenetur filijs, quantumuis ſpurijs ſubminiſtrare alimenta, ergo, & tenetur compenſare expenſas ab Hoſpitali factas in eorundem filiorum alimentis, quandoquidem hoc alendo filios ipſius benè geſſit negotium eiuſdem matris, & id præſtitit, quod præſtare debebat eadem mater.

2 Mater in ſubſidium Patris tenetur cõpenſare expenſas.

Hic oritur difficultas, an, quantumuis Pater fuerit diues, eadem mater teneretur per ſe, & principalitèr compenſare Hoſpitali expenſas ab eodem factas pro primo triennio ablactationis, cum ipſa ex ſuperius dictis pro illo triennio teneatur alere? Ratio dubitandi ex eo prouenit, quia ipſa quidem tenetur pro illo tempore alere filios, quantumuis ſpurios, quotieſcumque commodè, & decentèr poteſt; in hac autem hypotheſi non videtur hoc poſſe præſtare decentèr, cum ablactare per ſe ipſam inferret graue dedecus, promeret delictum adulterij, & infamiam ingereret, adeoque, cum eximatur ab onere alendi, videtur etiam eximi ab onere compenſandi; vnde ſicuti, ſi mater eſſet diues, & ob aliquod iuſtum impedimentum non poſſet proprio lacte nutrire, non teneretur proprijs expenſis curare, vt alerentur filij pro illo triennio, ſed tale onus refunderet in Patrem, prout docent *Molina de iuſt. tom. 1. diſp. 168. §. ſi mater lacte careat*, *Mezala part. 2. c. 23. q. 1. nu. 10.*, *Laiman lib. 5. tract. 10. part. 3. c. 5. num. 5.*, *Panormitanus in c. cum haberet num. 10. de eo, qui duxit in matrim.*, *Azor. in ſumma C. de patria poteſt.*, ita ſi ſit diues, & ratione infamiæ imminentis excuſatur à nutriendo proprio lacte, excuſabitur etiam à curando proprijs impenſis, vt alerentur per alium, nempe per Hoſpitale, adeoque non ipſa, ſed Pater tenebitur eidem Hoſpitali expenſas factas compenſare. Nihilominus in hac hypotheſi arbitrarer non eximi matrem ab onere compenſandi æſtimationem illorum alimentorum pro illo triennio ablactationis. Ratio ex eo deducitur, quia mater in præſenti caſu eximitur ab onere per ſe ipſam lactandi filium

3 Sententia aſſerens, quod, ſi Pater fuerit diues, nõ teneatur mater compenſare expẽſas primi triennij.

4 Probabilius tenetur eas compenſare.

Digitized by Google

filium ex fine, cui ipſa per ſuam culpam cauſam dedit, non ex aliqua impotentia intrinſeca, ergo, ne ex ſua culpa commodum reportet, tenebitur damna, ſeu expenſas quas hoſpitale fecit compenſare. Antecedens patet, quia in tantum in hac hypotheſi eximitur, in quantum per ſe ipſam ablactando ſubeſſet periculo infamiæ; huic autem periculo ipſa culpabilitèr cauſam dedit fornicando; neque obſtant ea, quæ ex aduerſo afferebantur; nam, quidquid ſit de eo, quod dicitur nempè, quod, ſi mater diues non poſſit ob aliquod iuſtum impedimentum proprio lacte nutrire, non teneatur proprijs expenſis curare, vt apud alios pro illo triennio proles alatur, quod certè negant *Peregrinus de iure fiſci lib. 3. tit. 18. num. 62.*, *Coaruuias var. part. 1. c. 16. num. 10.*, *Leſſius de iuſt. lib. 2. c. 19. num. 20.*, adhuc manifeſta apparet diſparitas, nam in primo caſu ipſa mater per ſuam culpam cauſam non dedit illi impedimento, prout præſtitit in caſu, de quo hic loquimur, & licet æquè Pater, ac Mater cauſam præſtiterit culpabilem, nihilominus, quia ipſa mater ex ſe pro illo triennio tenetur, ipſa ſpecialius debet tale onus ſubire.

Reſpondeo ſecundo. Nec Patre, nec Matre valentibus talem compenſationem ponere probabilius eſt alios, qui in
5 ſubſidium tenentur teneri ſeruato ordine ſucceſſiuo expenſas Hoſpitali factas in expoſitorum alimentis compenſare. Ratio ex ſuperius dictis deducitur, quia de iure nedum naturali, ſed etiam ciuili ſeruato illo ordine ipſi tenentur alimenta eiſdem filijs præſtare, ergo, ſi non præſtent, & alij, puta Hoſpitale pro ipſis præſtet, tenebuntur compenſare. Verum tamen eſt, cum filij tanquam illegitimi, ſeu ſpurij intelligantur clam expoſiti ad vitandam infamiam, ſeu mortis periculum, ne præſumantur eorum conſanguinei, qui in ſubſidium obligantur, conſcij illius expoſitionis, adeoque regularitèr eximuntur ab illo onere compenſationis.

Impotentibus Patre, & Matre compenſare probabilius tenentur alij ordine ſucceſſiuo,

---

§. III.

An, ſi filius fuerit expoſitus ad ianuam alterius, poſſit hic tutò ad alterius ianuam exponere.

SVMMARIVM.

Facti ſeries expoſita. 1.
Si tranſtulit ad ianuas Hoſpitalis non peccauit. 2.
Debet cauere ne fame vel frigore pereat. 3.
Si perſona, ad cuius ianuam expoſitus eſt infans, iuſtè timere poteſt de infamia, poteſt ad alterius domus ianuam deferre. 4.
Quamuis non ſit periculum infamiæ, ſi non habeat ſuperflua naturæ poteſt deferre. 5.
Non peccat deferens ad alienam domum, vbi nouerit promptè alendum. 6.

DIſquiſitio III. Parentes vel ad tegendum crimen adulterij, vel ad vitandam infamiam, ſeu periculum mortis, prolem ſpuriam expoſuerunt ad ianuam cuiuſdam determinatæ perſonæ, vel quia 1
in illo loco Hoſpitale non eſſet, quod expoſitos exciperet, vel quia quantumuis ibidem hoſpitale adeſſet, periculum ſuberat, quod, ſi illuc deferretur, detegerentur ipſi exponentes cum illo periculo infamiæ. Perſona illa, ad cuius ianuam, illa proles fuerat expoſita, indè ſubtraxit, & ad ianuam alterius, vel fortè etiam Eccleſiæ, vel eiuſdem Hoſpitalis collocauit. Quæſitum hic fuit, an perſona illa, quæ prolem ad propriam ianuam expoſitam tranſtulit ad ianuam alterius, vel Eccleſiæ, vel Hoſpitalis grauitèr peccauerit?

In quo ſenſu procedat titulus.

Reſpondeo primo. Si tranſtulit ad Ianuas Hoſpitalis, vel alterius loci pij pueris expoſitis alendis deputati non peccauit. *Sanchez lib. 1. conſil. mor. c. 5. dub. 5. n. 74., & 75.*, *Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrim. part. 2. c. 9. nu. 610.* Ratio ex eo deducitur, quia nec peccauit contra naturalem pietatem, nec contra iuſtitiam, nec contra generalem charitatem, non contra primum, quia inter illam perſonam, & expoſitū non viget ius ſanguinis, ex quo oritur illa naturalis pietas; non contra ſecundum, quia ex nullo iuſtitiæ onere perſona illa tenetur alere filium alterius, nec iniuſtitiam commiſit aduerſus locum pium, quia hic inſtitutus eſt ad illum effectum, & hic non alia onera ſubit, niſi ad quæ tenetur; non contra tertium, quia generalis charitas non obligat, niſi quoad exiſtentem in extrema neceſſitate; expoſitus autem ille non ſupponitur in extrema neceſſitate, cum hoſpitale ſtatim ſuccurrat. Aduertendum tamen eſt, quod debeat iſta perſona, quæ à propria domo ad hoſpitale transfert, cauere, ne interim fame, vel frigore pereat, ſi in promptu habeat, quo poſſit cauere; ad hoc enim tenetur ex titulo generalis charitatis.

2 *Si tranſtulit ad ianuas hoſpitalis nō peccauit.*

3 *Debet cauere ne fame, vel frigore pereat.*

Reſpondeo ſecundo. Si perſona ad cuius domus ianuam infans expoſitus eſt, obnoxia ſit periculo infamiæ ex eiuſdem receptione poteſt licitè ad alterius ianuā deferre, ſi probabilitèr credat perſonam, ad cuius domum defertur, in promptu ha-

Digitized by Google

habere, quæ poſſit eidem infanti ſuccurrere. *Sanchez loc. quo ſupra num. 77.*, & *Ioannes Angelus Boſſius loc. item cit. nu. 612.*

4 **Si iuſtè timere poteſt de periculo infamię, poteſt ad alterius ianuam deferre.**

Hoc contingeret in caſu, quo perſona, ad cuius ianuam per parentes eſſet illa proles expoſita, eſſet ſacerdos, virgo, vel vidua honeſtæ conditionis, & vitæ, de quibus poſſet ingeri ſuſpicio, quod proles illa eſſet ab eiſdem genita. Ratio ex eo deducitur, quia ius propriæ famæ, & honoris præualere debet illi incommodo, quod fortè alter patietur in recipiendo illo infante, ergo non eſt, cur ad eandem famam, & honorem non poſſit filium ad propriam ianuam expoſitum, ad alienam domum deferre, cum per illam delationem non cogat dominum domus ad recipiendam illam prolem, & ſi ille non recipiat, probabilitèr poſſit ſperare alium eſſe recepturum. Confirmatur, quia ipſi parentes, qui cęteroqui tenentur ex naturali pietate ad alendam prolem, in ordine ad tegendum proprium delictum, & ad vitandam infamiam poſſunt eandem prolem exponere ſeruatis debitis cautelis per ea, quæ ſupra diximus, ergo à fortiori hoc poterit extraneus, in ordine ad vitandam ſuſpicionem infamiæ, quæ de eo oriri poſſet, & rationabilitèr timeretur.

Rationes pro hoc aſſerto.

Confirmatur, quia lex charitatis, quæ ad ſummum vigere poteſt in hac hypotheſi, non obligat cum tanto periculo propriæ famæ ad recipiendum expoſitũ, ergo poterit ille, ad cuius ianuam delatus eſt, dimittere, & in alium locum deferre; Neque dicas, quod quantumuis in ordine ad hunc effectum non teneatur recipere, ſed poſſit dimittere, non poſſit tamen ad alienam domum defferre, nam non recipiendo, & dimittendo ſe eximit ab illo onere alendi, & à periculo infamiæ, quod vtique licitum eſt, deferendo verò ad alienam domum, alterum ſine cauſa aggrauat, quod iniuſtum eſt; contra enim impugnaberis, primo, quia in ordine ad tuitionem propriæ famæ, & honoris, ſicuti poteſt mater deferre ad alienam domum, in quo caſu non conſideratur grauamen domini, ſeu habitatoris eiuſdem domus comparatiuè ad periculum infamiæ, ita in ordine ad eandem famam tuendam non erit, cur extraneus, ad cuius domum illa proles expoſita eſt, non poſſit ad alienam ianuam deferre, nec erit hic conſiderandum illud grauamen &c. Secundo, quia per illam delationem ad ianuam domus alterius, non infert extraneus vim aliquam domino, ſeu habitatori domus, ad quam defert, ſed præciſè prolem illum exponit illius pietati, vel alterius, quem probabilitèr credere poteſt recepturum.

Reſpondeo tertio. Quantumuis nulla poſſet eſſe ſuſpicio infamiæ, vel periculum dedecoris domino, ſeu habitatori domus, ad cuius ianuam expoſitus eſt infans, ſi hic non haberet ſuperflua naturæ ſibi, & ſuis poſſet ad alienam domum, vel ad ianuam loci pij deferre. Conſentiunt *Sanchez, & Boſſius loc. cit. ille num. 73., iſte n. 611.* Ratio ex eo deducitur, quia nemo tenetur alteri conſulere ex bonis, quę ſibi, ſuiſque neceſſaria ſunt ad naturam, quando eidem alteri aliunde poteſt ſubueniri, ſed per expoſitionem ad ianuam alterius, vel loci pij rationabilitèr poteſt ſperari, quod ex pietate fidelium eidem expoſito ſubuenietur, ergo &c. Quod, ſi ſupponas, tunc infantem laborare neceſſitate extrema, & verſari in periculo mortis proximæ, niſi tunc eidem immediatè ſubueniatur; tunc etiam docent præfati DD., quod hoc non obſtante poſſet ad alienam domum deferre, & experiri de aliorum charitate; nam quoad *neceſſaria naturæ* ſibi, & ſuis nemo tenetur alijs conſulere, quantumuis extremè indigentibus, quod, quantumuis verum eſſe poſſit, non video tamen, quomodo huic caſui poſſit eſſe in praxi adaptabile, cum vix poſſit contingere, quod pati poſſit graue præiudicium in neceſſarijs, quo de naturam per ſuſtentationem infantis ad modicum tempus. Quamobrem dico, quod, cum in infante illa extrema neceſſitas non poſſit ad longum tempus perſeuerare, & conſulere illi neceſſitati non poſſit graue præiudicium inferre, ex lege charitatis teneatur illi neceſſitati conſulere, & deinde prolem illam poſſit exponere aliorum pietati, vel ad ianuam alterius, vel alicuius loci pij.

5 **Quamuis non ſit periculum infamiæ, ſi nō habeat ſuperflua naturæ poteſt deferre.**

Reſpondeo quarto. Si ille, ad cuius ianuam expoſitus eſt infans, nouerit alium in promptu eſſe ad eum alendum non peccaret grauitèr ad ipſius domus ianuam illum deferens. Conſentiunt *Boſſius, & Sanchez ſupra allegati.* Ratio ex eo deducitur, quia non peccat contra iuſtitiam, nec contra charitatem, nec aduerſus ipſum infantem, nec aduerſus illum, cuius domui exponit, non contra iuſtitiam, quia quoad infantem nullo iuſtitiæ onere premitur, quoad illum, cuius domui exponit nec ipſum cogit, nec compellit, ſed eius pietati exponit; Non contra charitatem aduerſus infantem, quia lex charitatis non obligat ad ſubueniendum alteri niſi ſit in extrema, vel ſaltem graui neceſſitate conſtitutus, in qua non intelligitur ille infans, cum expoſitus probabilitèr ab alio ſubuenietur, & excipietur; Nec etiam aduerſus eum, ad cuius domum transfert, quandoquidem per illam

6 **Non peccat, ſi deferat ad alienam domum, ſi nouerit promptè ibi alendum.**

Digitized by Google

lam translationem ipſum non obligat ad recipiendum, ſed exponit eius pietati, ſi velit recipere, quod, ſi ipſe fortaſſis nolit, poteſt eſſe moralitèr certus, quod alij excipient, & ſubuenient illi expoſito; dummodo proſpiciat, & prouideat, ne interim moriatur.

---

§. IV.

De pænis exponentium infantes abſq; iuſta cauſa.

SVMMARIVM.

Pater, Patronus, & Dominus exponentes filios ſeruos, & liberos amittunt patriam poteſtatem, & ſeruitutem. 1.
Procedit etiam de matre. 2.
Etiam ſi exponerent ad Hoſpitale. 3.
Nonnullæ limitationes. Ibid.
Si Pater ex interuallo ſic expoſitum agnoſcat recuperat patriam poteſtatem. 4.
Æquiparantur parricidis. 5.
Hanc pænam incurrunt ipſo iure. 6.
Incidunt in hanc pænam etiam, qui impiè denegant alimenta. 7.
Etiam ſi denegant alimenta ſanis. 8.
Suſceptor regularitèr non accedit in bonis expoſiti. 9.
Sic exponentes priuatur iure ſucceſſionis ad bona expoſitorum. 10.
Nec Pater exponens acquirit vſumfructum in bonis aduentitijs expoſiti. 11.

DIſquiſitio IV. Regularitèr loquendo inter eos, qui crebrius infantes exponunt, ſunt Pater, Patronus, & Dominus, qui exuti pietatis viſceribus publicæ pietati exponunt filios libertos, & ſeruos. Æquiſſimum eſt, vt qui ita enormitèr ſine iuſta cauſa delinquunt, grauibus, ijſque atrocioribus pænis afficiantur. Quamobrem in præſenti inquirimus quænam ſint pænæ, quæ à iure contra huiuſmodi delinquentes infliguntur.

1 *Amittunt patriam poteſtatem, & ſeruitutem.* Prima pæna in ordine ad Patrem, Patronum, & Dominos exponentes filios, & ſeruos, & libertos, eſt amiſſio patriæ poteſtatis, & ſeruitutis, prout docent *Baldus in l. 2. C. de infant. exp., Cardin. Palæotus de noth., & ſpurijs c. 63. num. 6., Menochius de arbit. caſ. 396. num. 11.* Hocque expreſsè colligitur *ex l. 2. 4. C. de infant. expoſ., & ex auth. de infant. expoſ. §. qui itaque*, & clauis ex diſpoſitione iuris canonici *in c. vnico de infant. expoſ.*, vbi expreſsè ſic legitur *Siue à Patre, ſiue ab alio ſciente ipſo, aut ratum habente (relegato pietatis officio) infans expoſitus exiſtit, hoc ipſo à poteſtate patria fiat liberatus, nam, & hoc caſu in ingenuitatem libertus, & ſeruus in libertatem recipitur, quod, & de prædictis cuiuſcunque ætatis languidis, ſi expoſiti fuerint, vel ſi alicui eorum alimenta impiè denegari contigerit, eſt dicendum; ſanè, qui hos ſuſcipiunt non poſſunt propter hoc in eorum perſonis ius aliquod vindicare.*

Singula verba, quæ in hac diſpoſitione iuris canonici continentur ordinatim explodo, nam continent deciſiones controuerſiarum ſcitu digniſſimas. Dicitur, *ſi à Patre vel ab alio ſciente ipſo, aut ratum habente infans expoſitus exiſtat*; ſub quibus particulis duo veniant; primum, quod ad incurrendam hanc pænam non eſt neceſſe, quod Pater ipſe per ſe ipſum exponat, vel mandatum det exponendi, cum ſufficiat, quod ipſe ſciat, & non impediat, vel, poſtquam ſciuerit, ratam habeat talem expoſitionem. Ibi *ſciente ipſo, aut ratum habente*. Sed, an hæc diſpoſitio reſtringatur ſolummodo ad Patrem exponentem, vel ſcientem exponi, & non impedientem, ſeu ratum habentem, an verò etiam extendatur ad matrem ſimilia agentem, ſeu permittentem? Ex vi talis diſpoſitionis non videtur extendi, quandoquidem pænalia reſtringenda ſunt ad verborum normam, quibus concipiuntur ex vulgatiſſimis iuribus; huiuſmodi autem pæna ſolum concipitur in perſona Patris, adeoque ad matrem non videtur amplianda. 2 *Procedit etiã, quo- ad Matrē.*
Nihilominus, & ad matrem hanc diſpoſitionem extendi cenſendum eſt, quod videntur conſideraſſe *Barboſa in rubric. extra de infant., & languid. verſ. expoſiti filij, Ioannes Baptiſta Sanminiatus controu. 73. nu. 18., & ſeqq.*, vbi genitores ita exponentes filios appellat ſanguinolentos, & loquitur indeterentèr de vtroque parente exponente, nec reſtringit ad ſolum Patrem, hocque videtur colligere *ex l. ſancimus in princip. ff. de infant. expoſ.*, vbi expoſiti reputantur etiam nati ex legitimo matrimonio a Patre, aut Matre abiecti, & extra domum poſiti; Nec incongrua ratione hoc ſtatuitur, quandoquidem æquè in proprium ſanguinem ſæuit mater, ac Pater; Nec obſtant, quæ ex aduerſo afferebantur, quia ibidem ſolummodo fit mentio de Patre, quia ad Patrem primo loco incumbit cura filiorum, & patria poteſtas in ipſo ſpecialitèr conſideratur; cæterum, cum idem delictum intercedat in matre exponente, non eſt, cur eadem pæna non debeat interuenire, nec requiritur expreſſio, vbi in lege ipſa exprimitur ratio prohibitionis ſub pæna; vbi autem exprimitur ratio, ob quam pæna illata eſt, fit extenſio ad ea, in quibus militat eadem ratio. Deinde licet *in d. c. vnico de infant. expoſ.* *Soluitur inſtantia oppoſita.*

Digitized by Google

poſ. ſolum fiat mentio de Patre; in alijs tamen iuribus fit extenſio ad quoſcunq; exponentes, vt *in l. 4. C. de infant. expoſ.* Secundum, quod venit ſub eiſdem particulis, eſt, quod in tali diſpoſitione veniat expoſitio infantis, qui talis dicitur vſque quo peruenerit ad ſeptimum annum incluſiuè *Menochius de arbitr. caſ. 57. nu. 27., & ſeqq., & de præſumpt. lib. 4. præſumpt. 47. num. 3., Azorius Inſtit. mor. part. 2. lib. 2. c. 26. q. 2. verſ. quæſtio eſt, Sanchez in conſ. mor. lib. 1. c. 5. dub. 4. num. 2.*

Duæ difficultates expoſitæ.

Circa has particulas duo præcipuè inſurgunt dubia, quorum primum eſt, an Pater in hanc eandem pænam incidat, ſi infantem non in vijs publicis, aut in Eccleſia, aut alio loco exponat, ſed in Hoſpitali ad hoc deputato, vt in eodem alatur. Secundum, an Pater poſſit ex interuallo agnoſcere expoſitum pro filio, & an tunc reaſſumat ius patriæ poteſtatis.

In ordine ad primum nonnulli videntur arbitrari Patrem non amittere ius patriæ poteſtatis per expoſitionem filij in Hoſpitali, vt alatur ſentientes ſufficere ei

3 Etiam ſi exponerent ad hoſpitale.

ad euitandam hanc pænam, qui tenetur alere, ſi procurat alendo alimenta quocunque modo *Gloſa in l. necare ff. de lib. agnoſ.*, quod appellat mirabile *Ioannes de Anan. in c. 1. col. 3. ad med. verſ. colligit etiam 14. de infant. expoſ.* Sed, quamuis in aliquo caſu hoc verum eſſe poſſit, non tamen eſt abſolutè verum, vt notat *Stephanus Gratianus diſcept. for. tom. 2. c. 267. nu. 7.* Nam, ſi fuerit perſona honeſta, nobilis, & conſiderabilis conditionis non videretur eximi ab hac pæna, cum regularitèr magnum dedecus ſit filio eiuſdem educari, & ali in Hoſpitali inter viliſſimas perſonas. Quod, ſi ſupponas aut infantem expoſitum viliſſimum eſſe, aut Patrem non habere, quo ipſum alat, aut Hoſpitale tale eſſe, vt non dedeceat perſonas, & nobiles in eodem ali, tunc certè Pater eximeretur à tali pæna, cum non deſæuiat in infantem, ſed potius eidem conſulat *Rebuffus priuil. ſchol. 54. num. 3.*, vbi allegat *Boerium in addit. ad Benedict. de Plumb. in l. Caſij Caij de fideicom. libert., Ioãnes de Anan. in c. 1. num. 14. poſt Bald. in l. vnica §. ſed ſcimus ad med. num. 2. C. de lat. libert. col.* Verum tamen eſt, quod Pater, qui expoſuit in his caſibus, ſi ſit diues, teneatur compenſare expenſas ipſi Hoſpitali *arg. l. 1. C. de infant. expoſ.*

Nonnullæ limitationes.

4 Si pater ex interuallo agnoſcat, recuperat patriam poteſtatem.

In ordine ad ſecundum dicendum eſt Patrem ex interuallo poſſe ſic expoſitum agnoſcere, & per talem agnitionem recuperare iura patriæ poteſtatis, & filiationis *Iacob. de Aret. in l. vxorem 29. de manum. teſt.* per textum *in l. etiam matris 16., & ibi gloſ. in verb. probari ff. de probat., Iaſon in l. neque profeſſio col. 1. in fin. verſ. aduerte etiam, quod vbi poſthumus num. 3. ad fin. C. de teſtam., Stephanus Gratianus diſcept. for. tom. 2. c. 266. num. 27.* Ratio eſt, quia, quantumuis per illam expoſitionem poſſeſſio patriæ poteſtatis intelligatur turbata, nihilominus per illam agnitionem intelligitur recuperata.

Dicitur per parenteſim *relegato pietatis officio*, quandoquidem denegari non poteſt, quin feritatem belluinam præſeferant, qui tàm inhumanè erga ſuam prolem ſe gerunt; vnde meritò *à Ioanne à Capiſtr. in ſpecul. conſc. num. 297. tom. 1. fol. 305.* æquiparantur homicidis, ab alijs parricidæ, ab alijs innocentum perditores, ab alijs ſanguinolenti appellantur; hic inferunt, quod, ſi filius fuerit à Patre expoſitus, nec ab eodem agnitus, & hic Patrem ipſum interficeret, non eſſet in ipſo conſiderandus reatus parricidij cum per illam expoſitionem amiſerit iura filiationis *Petrus Sanct. ſing. 2. ſit ſcis, quod in præcedenti num. 9., Platus in epit. delict. c. 22. num. 27. in fine verſ. alius ſubijcitur caſus, Decianus lib. 9. c. 8., & num. 9. c. 11., Farinacius q. 120. num. 164., Carrerius in §. homicidium num. 143., Menochius de arbitrar. in addit. ad c. 358. num. 39.*, nam indignus videtur factus muneribus, & honoribus paternitatis, qui in tali expoſitione viſcera paternæ pietatis in expoſitum exuit.

5 Æquiparãtur parricidis.

Dicitur *hoc ipſo à poteſtate patria fiat liberatus*, circa quas particulas ſuboritur immediatè difficultas, an Pater ipſo iure abſque alia declaratione ſubeat hanc pænam priuationis iuris filiationis, & patriæ poteſtatis, & rationem dubitandi ingerunt illæ particulæ *hoc ipſo*, & *fiat liberatus*, nam primæ important incurſum pænæ ipſo iure, vt per *gloſam verb. ipſo iure in clement. vlt. de præbend., Tiraquel in l. ſi vnquam verb. reuertatur num. 118. C. de reuoc. donat., Moneta de diſtribut. quotid. part. 3. q. 7. nu. 35., Cenedo poſt lib. pract., & canon. quæſt. ſing. 59. nu. 8.*, ex aduerſo ſecundæ particulæ, nempè *fiat liberatus*, videntur importare actionem aliquam, media qua conſtituatur liber, adeoque factum Iudicis. Sentiendum eſt ipſo iure, abſque alio Iudicis facto patrem hanc pænam ſubire *Surdus de aliment. tit. 8. priuil. 64. n. 7., Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrim. part. 2. c. 9. n. 619.*, hocque ſufficientèr iudicat illa particula *hoc ipſo*, quæ ex genere ſuo importat latam ſententiam, & incurſum ipſo iure, & facto per mox allegata, nec obſtat ſubſequens particula *fiat*, quandoquidem idem ſonat, ac *ſit*, quinimmo pro ly *fiat*, alij legunt *fuit*, quæ particula præteriti temporis importat, quod eo ipſo, quo infans fuit

6 Hanc pœnã incurrunt ipſo iure ante Iudicis ſententiã.

expo-

Digitized by Google

expoſitus fuerit etiam liberatus à patria poteſtate. Addi etiam poteſt, quod, quantumuis ad incurrendam pænam pro facto negatiuo prærequiratur monitio, ſeu interpellatio per ea, quæ notāt *Tiraquel in l. ſi vnquam verb. reuertatur num. 68. C. de reuoc. donat.*, *Surdus de aliment. tit. 8. priuil. 64. num. 8.*; ad incurrendam tamen pro facto poſitiuo, cuiuſmodi eſt illa expoſitio, talis monitio non prærequiratur, ſi pæna ſit appoſita cum clauſula, *hoc ipſo, ipſo iure, ipſo facto*.

Dicitur *nam, & hoc caſu in ingenuitatem libertus, & ſeruus in libertatem recipitur*, per quas particulas licet incidentèr appoſitas inducitur pæna amiſſionis iuris in Domino, & Patrono quoad libertos, & ſeruos, quod expreſſius, & directè habetur *in l. 1., 3., & 4. C. de infant. expoſ.*, *& in auth. de infant. expoſ. §. qui itaque*, atque idem docent *Baldus in l. 2. C. de infant. expoſ.*, *Palaotus de nothis, & ſpurijs c. 63. num. 6.*, *Menochius de arbitr. caſ. 396. num. 11.*

Libertus tranſit in ingenuitatem.

Dicitur, *quod, & de prædictis cuiuſcunq; ætatis languidis, ſi expoſiti fuerunt, eſt dicendum*. Circa quas particulas oritur ratio dubitandi quinam veniant nomine languidi quoad hunc effectum, vt exponentes priuentur iure poteſtatis, ſeu dominij quoad illos. Arbitror illos venire, qui non aliqua momentanea infirmitate laborant, ſed qui perpetuo morbo detinentur, & impotentes ſunt ad quamcunque rem gerendam per textū *in l. morbus 113. ff. de verb. ſignif.*, *Auguſtinus Barboſa collect. ad c. vnicum in princip. verſ. languidi de infant. expoſ.*, *Rebuffus in d. l. morbus ff. de verb. ſignif.*, *Gomez in reg. de infirm. q. 28.*, & iſti enim pro abiectis habentur, & inferunt grauem immanitatem in exponentes.

Dicitur, *vel ſi alicui eorum alimenta impiè denegari contigerit*, vbi habes huiuſmodi pænam incurrere non ſolum, qui exponunt prædictos, ſed etiam ſine cauſa, & impiè eiſdem denegant alimenta. Sed hic immediatè ſuboritur difficultas, an in hac hypotheſi, qua dicuntur priuari ob alimenta impiè denegata, requiratur, quod ad talem alimentorum negationem præceſſerit interpellatio? Ex prædictis videtur dicendum, quod non requiratur talis interpellatio ad incurrendam hanc pænam, quandoquidem ſub eodem ſermone, & ſub eadem forma concipitur pæna cōtra exponentes, ac contra impiè negantes alimenta. Ibi. *Quod, & de prædictis cuiuſcunque ætatis languidis, ſi expoſiti fuerint, vel ſi alicui eorum alimenta impiè denegari contigerit*; antecedentèr autem dictum fuit *hoc ipſo*, cum autem nunc dicatur *Quod, & de prædictis*, vtique refertur ad præcedentia, & induit eorum qualitatem, quaſi dicat, quod dictum eſt de præcedenti idem dicendum eſt de hoc, quod modo diſponitur, & ſic ſtat ampliatiuè retinendo omnes qualitates eorundem præcedentium.

7 **Incurrunt in hanc pænam, etiam, qui impiè denegant alimenta.**

Nihilominus *Surdus de aliment. tit. 8. priuileg. 64. num. 8.*, à quo non videtur diſſentiri *Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrim. part. 2. c. 9. num. 619. in fine*, ſuſtinet ad incurrendam hanc pænam quoad negationem impiam alimentorum prærequiri interpellationem, quod videntur deducere ex textu *in l. alimenta ff. de lib. agnoſ.*, vbi ſupponitur petitionem liberti præceſſiſſe. Si autem inquiratur, cur non requiratur hæc præuia interpellatio, dum infans exponitur; requiratur autem, dum eidem denegantur alimenta; reſpondet idem Surdus hoc prouenire, quia, quando pæna imponitur pro facto negatiuo ſemper prærequiritur monitio, ſeu petitio, ſecus autem, quando imponitur pro facto poſitiuo addita particula *hoc ipſo, ipſo facto, ipſo iure*.

Hic alia ſuboritur difficultas, an, cum in eodem textu dicatur *Quod, & de prædictis cuiuſcunque ætatis languidis, vel alicui eorum alimenta impiè denegari contigerit*, hoc intelligendum ſit taxatiuè, ſeu reſtrictiuè, quando Pater, Patronus, Dominus impiè denegant alimenta filijs, libertis, & ſeruis adultis languidis, an verò etiam, quando eiſdem ſanis denegant, dum tamen eiſdem alimentis indigent, nec aliunde habeant, quo alantur? Negant intelligendum eſſe, quando negant huiuſmodi alimenta ſanis *Panormitanus in d. c. vnico de infant. expoſit.*, *Surdus de aliment. tit. 8. priuil. 64. nu. 4., & ſeqq.*, *Azorius 2. part. lib. 2. c. 26. q. 1. verſ. ſed quæſtio*, *Sanchez conſil. mor. lib. 1. c. 5. dub. 4. num. 3.* propter duplicem rationem; primo, quia diuerſa eſt ratio de adultis ſanis, quantumuis egentibus, ac de infantibus, ſeu adultis languidis, cum iſti nihil poſſint per ſe ipſos, illi autem poſſunt ſaltem ad Iudicem confugere, illiuſque officium interpellare. Secundo, quia pænæ non ſunt extendendæ vltra diſpoſitionem pænalem expreſſam; non exprimuntur autem in lege adulti ſani, quin immo, ex quo fit expreſſio, & incluſio ſolum languidorum videntur non languidi adulti ab illa diſpoſitione excluſi. Alij affirmant extendi etiam ad adultos ſanos, qui tamen indigent alimentis *Gloſa in l. nec filium C. de patr. poteſt.*, *& in d. c. vnicum de infant. expoſ. in verb. languidis*, *& ibi Gofredus, & Butius*, *Corduba à Lara in d. l. ſi quis à liberis §. ſi quis ex ijs nu. 10. ff. de lib. agnoſc.*, *Coſta in l. ſi ex cautione verb. ſeu doli C. de non num. pecun.* Ratio huius opinionis ex eo deſumitur, quia Pater, aut Dominus negans impiè alimenta filio,

Sententia aſſerens denegantes alimēta ſeruis ſanis non incidere in hanc pænam.

Digitized by Google

filio, ſeu ſeruo, quantumuis adultis, indigentibus tamen, videtur habere eoſdem pro derelictis, ergo perdit omne ius, quod in eo habet per textum *in l. fin. ff. pro derelicto*, ad quod etiam facere videtur textus *in l. 2. C. de infant. expoſ.*, vbi dicitur. *Nec ſuum quis dicere poterit, quem pereuntem contempſit*. Deinde eadem ratio militat quoad hunc effectum quoad alimenta denegata adultis languidis, ac quoad denegata adultis ſanis, ſed indigentibus, quandoquidem, & iſtis impiè, & contra ius ſanguinis alimenta denegantur. Hanc ſecundam opinionem tutiorem exiſtimo; vnde ad rationes contrarias dicendum eſt, & quidem quoad primam, quod, quãtumuis adultus ſanus poſſit ad Iudicem confugere, & implorare ipſius officium, adhuc tamen denegari non poſſit, quin impiè eadem alimenta ipſi fuerint denegata, quod eſt ratio, propter quam iura induxerunt illam pænam amiſſionis; ad ſecundum dicendum eſt, quod ideo languidi fuerunt expreſſi, quia ipſi ſupponuntur eſſe indigentes, quia ſibi non poſſunt acquirere. Cæterum cum etiam ſupponantur tales, & ſani, cum non habeant, quo poſſint ſe alere. Ideo &c.

8 *Contraria ſententia præfertur.*

Dicitur tandem, *ſanè, qui hos ſuſcipiunt non poſſunt propter hoc in eorum perſonis ius aliquod vendicare*. Dicitur *in eorum perſonis*; non enim negauerim, quod, ſi ſuſceptores ſuſceperint ſic expoſitos, ſeu priuatos alimentis non animo donandi, & aluerint, poſſint in hypotheſi, qua exponentes, ſeu negantes repetere vellent, repetere expenſas factas in alimentis, & educatione.

Suſceptores poſſint repetere alimenta.

Circa has particulas inſurgit ratio dubitandi, an ſuſceptores expoſitorum acquirant ius, vt in bonis ipſorum ſuccedant ab inteſtato? Non dubitandum eſt, quod ipſi expoſiti poſſint ad libitum de ſuis bonis in quemcunque voluerint diſponere per textum *in l. ſancimus C. de infantibus expoſitis*, vbi dicitur, quod *expoſiti ſibi acquirant, & in poteſtatem ſuam, vel in extraneos hæredes omnia, quæ habuerint, quomodo voluerint, tranſmittant nulla macula ſeruitutis, vel adſcriptitiæ, aut colonariæ conditionis imbuti*. Sed, an ſuſceptores ipſi, quando ſuſcepti nihil de ſuis bonis diſpoſuerunt, ſuccedant in eiſdem bonis ab inteſtato; Negant, & quidem non incongruè communitèr DD., hocque expreſsè colligitur *ex l. nutritoribus C. communia de ſucceſſ.*, quod ingenuè etiam fatetur *Ioannes Baptiſta Saminiatus controu. 73. num. 3., & 6.*, quamuis poſtea *num. 8.* aſſerat hoc fallere, quando non ſolum aluit expoſitum, ſed a Patre derelictum recepit pietate, & arte inſtructum reddidit, & omnia paterna officia erga ipſum exhibuit, & quem per naturam filium non habuit, ſibi quodamodo conſtituit per adoptionem; 9
vnde in caſu tunc contingente inter Hoſpitale Miſericordiæ Lucenſis Ciuitatis, quod aluerat filiam expoſitam, & Confraternitatem Sanctiſſimi Crucifixi eiuſdem Ciuitatis inſtitutam hæredem ab eadem filia expoſita de bonis, quæ ſua arte, & induſtria acquiſierat, conſuluit iuxta ſtatutum eiuſdem Ciuitatis *c. 23. lib. 2.* diſponens, quod vbi mulier nunquam fuit recepta, nec exiſtentibus ſibi fratribus, vel ſororibus, vel fratrum filijs, aut filiabus non poſſit diſponere niſi de medietate ſuorum bonorum, aliam verò habeant, qui ab inteſtato ſucceſſuri fuiſſent, & cum illa filia non haberet, qui aliunde poſſent ab inteſtato ſuccedere, dixit, quod Hoſpitale, quod illam ſuſcepit, & aluit, debeat ab inteſtato in illa medietate ſuccedere, & ſic victoriam in iudicio reportauit; Ex quibus omnibus conijcitur, quod ſenſerit, quod *Hoſpitale, vel alium* expoſitorum ſuſceptorem ab inteſtato eiſdem expoſitis ſuccedere debeat. Circa hanc conſultationem Saminiati, & ſententiam ab eodem reportatam plura conſidero primo, quod locum non habeat, vbi expoſitus haberet alios conſanguineos à Patre, qui ex diſpoſitione iuris eidem ſuccederent ab inteſtato, quod rectè conſiderauit idem *Saminiatus loc. cit. nu. 8.* Secundo, quod ibi filia fuerit habita pro derelicta à parentibus. Tertio, quod Hoſpitale ipſam nedum ſuſceperit, aluerit, ſed etiam vicem Patris ſuſtinuerit, & paterna officia exercuerit erga ipſam. Sed quidquid ſit de hoc ſpeciali caſu, de quo loquitur Saminiatus, arbitror abſolutè ſuſceptorem non habere iura ſuccedendi ab inteſtato ei, quem ſuſcepit, qua præcisè ſuſceptor eſt; iuxta quem ſenſum procedit textus *in d. l. nutritoribus C. communia de ſucceſſion.* Cæterum, ſi munera Patris geſſerit, & paterna officia exercuerit, aſſentiendum arbitror eidem Saminiato, prout eidem etiam aſſentiuntur *Peregrinus de iure Fiſci lib. 5. tit. 3. in rub. de bonis vacantibus num. 16.*, *Farinacius prima part. fragment. verb. fiſcus num. 134.*, *Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrim. part. 2. c. 9. num. 642.*; æquum enim eſt, quod ſicuti officia paterna erga ſic expoſitum exercuit, ita & eius iura quodamodo acquirat. Deinde nequit obſtare, quod idem expoſitus non teneatur relinquere ſuo ſuſceptori, ſeu educatori legitimam, ſiue ſit priuatus, ſiue Eccleſia, Monaſterium, ſeu Hoſpitale, prout habet *Baldus in l. ſancimus num. 1. C. de infant. expoſ.*, ergo nec idem ſuſceptor poteſt ab inteſtato eidem expoſito ſuccedere; Nequit,

Regulariter ſuſceptor expoſiti nō ſuccedit ab inteſtato bonis ipſius.

Rationes pro noſtra opinione.

Digitized by Google

quit, inquam, obſtare, quandoquidem, vt benè notat *Saminiatus controu.* 73. *cit. nu.* 15., argumentum à ſucceſſione ad legitimam procedit negatiuè, hoc eſt non ſuccedit ab inteſtato, ergo nec ei debetur legitima, non verò affirmatiuè, hoc eſt, ſuccedit ab inteſtato, ergo ei debetur legitima *Grinet. deciſ. Dolan.* 88 *num.* 13., cum legitima ſolum debeatur aſcendentibus, & deſcendentibus, & fratri, quando turpis perſona eſt inſtituta *l.* 1. *l. nam, & ſi parentibus ff. de inoffic. teſtament. l. fratres, & l. ſi fratris C. eodem, Merlinus de legitima lib.* 1. *tit.* 2. *q.* 13., *& ſeqq.*

10 Exponentes priuantur iure ſucceſſionis in bonis expoſitorum.

Secunda pæna eſt, quod ipſi exponentes priuantur iure ſucceſſionis ad bona ipſorum expoſitorum, ſi quæ habuerint, quod videtur indubitatum ſuppoſuiſſe *Saminiatus d. controuerſ.* 73. *nu.* 18., *& ſeqq.*, dum non obſtante, quod filia, de qua ibi agebatur, erat ex legitimo matrimonio procreato, ſtatuit quod non expoſitores, ſed Hoſpitale ſuſceptor eidem ſuccederet ab inteſtato; non enim æquitas poſtulat, vt qui partem ſanguinis internectioni proſtituerunt *Barboſa rub. de infant., & languid. verſ. expoſiti filij*, & filios expoſitos necare dicuntur *l. necare ff. de lib. agnoſ. Gloſa in l.* 2. *in verb. animaduerſioni C. de infant. expoſ.* eiſdem in bonis, quę habuerint, ſuccedere debeant.

Tertia pæna eſt arbitraria, hoc eſt imponenda Iudicis arbitrio, prout latè probant *Menochius de arbitrarijs caſ.* 396., *& Ioannes Angelus Boſſius tract. de effectibus matrimonij part.* 2. *c.* 9. *num.* 622., hocque videtur expreſsè colligi *ex l.* 2. *C. de infant. expoſ.* - Ibi - *Animaduerſioni, quæ conſtituta eſt, ſubiacebit*, vbi Gloſa explicat per pænam extraordinariam hoc eſt Iudicis arbitrio, quod etiam colligitur *ex l. nec filium C. de patria poteſt.*, vbi *gloſa in verb. pæna* interpretatur *Iudicis arbitrio*.

11 Nec pater exponens acquirit vſumfructum in bonis aduentitijs expoſiti.

Quarta pæna eſt, quod Pater exponens filium, vel filiam non acquirit quoad vſufructum bona aduentitia, quæ fortè acquiruntur filio, vel filiæ expoſitis, quod eſt indubitatum apud omnes, quia fundamentum talis vſusfructus eſt patria poteſtas, quæ ex ſupra probatis per illam expoſitionem ceſſat in Patre exponente. Sed, an amittat etiam vſumfructum bonorum aduentitiorum eiuſdem filij, ſeu filiæ expoſitæ, quæ, ſeu quem vſumfructum ante expoſitionem, & amiſſionem patriæ poteſtatis acquiſierat, an vero illum vſumfructum retinere poſſit ipſius vita durante, diſſidium eſt apud DD. Aliqui, quos refert *Sanchez in ſumma lib.* 7. *c.* 13. *num.* 68., arbitrantur ceſſante patria poteſtate per illam expoſitionem, ceſſare etiam in patre vſumfructum bonorum aduentitiorum filij, quia patria poteſtas eſt fundamentum vſusfructus quoad talia bona. Alij tamen communius negant ceſſare talem vſumfructum, ſed perſeuerare in patre, vſq; ad ipſius obitum, quia licet patria poteſtas requiratur ad acquiſitionem in ipſius origine, non requiritur tamen poſt legitimam acquiſitionem in continuatione, & perſeuerantia *Baldus in l.* 3. *C. de vſufructu, Vaſquius de ſucceſ. progr. lib.* 1. §. 1. *nu.* 28., *& ſeqq. Paſchalis de patr. poteſt. c.* 3. *nu.* 34., *&* 35. Adeo exoſum eſt naturæ, & iuribus hoc crimen, vt crederem, quod, ſi ipſo iure non priuetur, ſit tamen per Iudicis in pænam tantæ prauitatis priuandus.

---

§. V.

An Pater, qui expoſuit, teneatur hæredem relinquere expoſitum, & ſi ipſum prætereat, poſſit hic rumpere teſtamentum.

SVMMARIVM.

Exponitur ſenſus diſquiſitionis. 1.
Teſtamentum Patris, in quo præterijt filium expoſitum, eſt nullum. 2.
Filius præteritus, ſi poſtea cognoſcatur, rumpit teſtamentum. 3.
Pater exponens filiam quamuis amittat patriam poteſtatem non eximitur tamen ab onere ipſam congruè dotandi. 4.

DIſquiſitio V. Immani impietate expoſitionis propriæ prolis commiſſa, eademque prole perſeuerante nequitia nullatenus agnita Titius Pater, & expoſitor condidit ſuum vltimum teſtamentum, in quo vocauit ſibi hæredem quandam perſonam extraneam eadem prole omnino præterita. Hic inſurgit ratio dubitandi, an pater potuerit illud teſtamentum validè condere, & an proles præterita poſſit tale teſtamentum rumpere; & hic etiam ex occaſione inquiretur, an ſi Pater expoſuerit filiam, quantumuis erga ipſam amiſerit patriam poteſtatem, teneatur illam congruè dotare? 1 Facti ſeries expoſita.

Reſpondeo primo, Titium Patrem non potuiſſe condere illud teſtamentum in præiuditium filij expoſiti *Stephanus Gratianus diſcept. for. tom.* 2. *c.* 267. *n.* 12., *& ſeqq.*, & in hoc arbitror omnes conſentire. Ratio ex eo deducitur, quia ſic expoſiti ſunt capaces ſucceſſionum *Paleotus de noth., & ſpur. c.* 63. *nu.* 3., 7., *Menochius de præſumpt. lib.* 6. *q.* 54. *n.* 20., *Barboſa de offic., & poteſt. Epiſc. alleg.* 51. *n.* 15., *& in* 2 Teſtamentum illud eſſet nullum.

Digitized by Google

in repet. rubr. ad c. vnicum de infant., & languid. verſ. verum Doctores, Paſchalis de patr. poteſt. c.6. ſub n.10. verſ., & ideo eos; nec vllum eſt ius vetans eos ſuccedere, quandoquidem iura priuantia Patrem exponentem patria poteſtate ſunt in pænam eiuſdem Patris, quæ non poteſt afficere eoſdem expoſitos innocentes, ſi ſint progeniti ex legitimo matrimonio, & aliundè non interdicantur ſuccedere, ergo non eſt, cur non poſſint in paternis bonis ſuccedere, ergo, ſi Pater exponens in aliorum fauorem teſtamẽtum condiderit, hoc in præiuditium eiuſdem filij expoſiti non poterit ſuſtineri.

Expoſitus non eſt incapax ſucceſſionis.

Neque dicas, quod talis expoſitus habeatur pro vulgo quæſito, nam non ſolum tales dicuntur vulgo concepti, ſed etiam illi, qui licet nati ex legitimo matrimonio à Patre, aut Matre fuerunt in Hoſpitale dimiſſi veluti abiecti, & extra domum poſiti. *l. ſancimus in princip. C. de infant. expoſ., Auguſtinus Barboſa in rubr. extra de infant., & languid. in verſ. expoſiti filij in fin.*; vulgo autem concepti, & nati non ſuccedunt. Contra enim impugnaberis, quia quamuis ante agnitionem habeatur, ſeu haberi poſſit pro vulgo concepto, non impeditur tamen, quin poſſit agnoſci à Patre pro filio; ſecuta autem agnitione cenſetur pro filio legitimo, & ipſius hærede *Baldus in l. ſi qua illuſtris nu. 3. ad fin. verſ. nec per matrimonium, nec per Principem C. ad orphic.*, Ex eo autem, quod Pater ipſum nouerit, vt filium, non potuit ipſum omittere, & priuare hæreditate, & alium ſibi hæredem vocare; Quod, ſi ex ſua prauitate tale teſtamentum in prçiuditium filij expoſiti condiderit, impiè quidem condidit, & inaniter ſecundum ſe, ſed in foro externo ſuſtineretur quidem ex defectu cognitionis, quod ille expoſitus eſſet filius teſtatoris, ſed, ſi poſtea cognoſceretur rumperet tale teſtamentum, vt nunc ſubdo.

Soluitur inſtantia oppoſita.

Reſpondeo ſecundo. Filius expoſitus præteritus à Patre in ſuo teſtamento, ſi
3 cognoſcatur poſtea filius eiuſdem rumpit teſtamentum *Stephanus Gratianus diſcept. for. tom. 2. c.267. nu. 12.* Ratio ex eo deducitur, quia licet nonniſi poſt mortem patris cognoſcatur, vt filius eiuſdem, attamen habita tali cognitione dicitur conſtitutus in poſſeſſione filiationis *Menochius de præſumpt. lib. 6. præſumpt. 53. nu. 13., & de arbitrar. caſu 89. n.77., Palæotus de noth., & ſpur. c.12. in fin., Angelus in l. liberorum in princip. ff. de his, qui not. inf., Alexander conſ.90. in cauſa, & lite col. 2. in fin. verſ. nec refert. ſi dicatur num. 5. lib. 6., Barboſa in rubr. ff. ſolut. matrim. part. 1. nu. 22. in fin. verſ. & hanc in prædictis terminis*; filius autem acquiſita poſſeſſione filiationis rumpit teſtamentũ Patris in aliorum fauorem conditũ ex vulgatiſſimis iuribus.

Filius expoſitus à patre præteritus, ſi poſtea cognoſcatur rumpit teſtamentũ.

Reſpondeo tertio. Pater, quamuis per expoſitionem filiæ amiſerit patriam poteſtatem erga ipſam, non propterea eximitur ab onere ipſam dotandi *Surdus de aliment. tit.6. q.18. num.19. vſq. ad 52., Stephanus Gratianus diſcept. for. tom. 2. c. 267. n.35., & ſeqq. Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrim. part. 2. c.9. n. 629.* Ratio eſt, quia, quamuis dicatur, quod onus dotandi filias deſcendat à patria poteſtate, & quod hac ceſſante ceſſet quoque tale onus per textum *in l. fin. C. de dot. promiſ., Gloſa in l. cum poſt §. gener. in verb. placuit de iur. dot.*, hoc tamen intelligendum eſt, quando patria poteſtas amittitur, tam quoad ea, quæ proficua ſunt eidem amittenti, quam quoad ea, quæ ipſi ſunt noxia per textum *in l. actione §. item, qui ſocietatem ff. pro ſocio*, ſed per expoſitionem filiæ pater amittit quidem patriam poteſtatem quoad ea, quæ ſibi ſunt vtilia, non quoad ea, quæ ſibi ſunt noxia, cæteroqui delictum cederet in ipſius fauorem, & pçna eſſet cauſa præmij, quod multis exemplis ad hanc rem facientibus comprobat *Surdus loc. cit.*, ergo, quantumuis amittat ea, quæ ſibi vtilia ſunt, non amittit tamen onus filiam ſic expoſitam dotandi.

4 Pater exponens filiã quamuis amittat patriã poteſtatẽ, non eximitur ab onere ipſam dotandi.

---

§. VI.

An Prælatus Monaſterij, ad cuius ianuã expoſitus eſt infans, teneatur expenſis Monaſterij illum alere.

SVMMARIVM.

Sententia aſſerens pertinere ad Monaſterium illum alere, ſi habeat ſufficientes redditus. 1.

Sententia aſſerens abſolutè pertinere ad Monaſterium, eo quia ibi eſt expoſitus. 2.

Sententia aſſerens pertinere ad Principem, vel ad Communitatem. 3.

Nullo modo pertinet ad Monaſterium, vel ad prælatum, niſi in caſu extremæ neceſſitatis. 4.

DIſquiſitio VI. In quadam Ciuitate, ſeu Oppido non aderat Hoſpitale ad recipiendos filios expoſitos deſtinatum. Ibi ad ianuam Monaſterij expoſitus eſt infans, cumque res ad Prælatum eiuſdem eſſet delata, angebatur, an expenſis Monaſterij teneretur alere, cum alius non adeſſet locus, vbi poſſet educari, & ſic inquirebat quid iuris?

Alij dixerunt, quod ſi Monaſterium habe-

Digitized by Google

1 Prima ſententia aſſerens pertinere ad Monaſterium, ſi habeat ſufficientes redditus.

haberet ſufficientes facultates, teneretur Prælatus eiuſdem expenſis curare, vt aleretur *Panormitanus in c. vnic. n. 3. de infant. expoſit.*, *Iacobus de S. Georgio in l. hæres abſens §. ſi quis tutelam nu. 42. ff. de iuditijs*, *Sola in conſtit. Pedemont. ſuper decret. de capt. debit. pro cauſ. ciuil. gloſ. vnica 3. part. num. 2.* Sed huiuſmodi DD. loquuntur in longè diuerſis terminis; dicunt etenim ſolummodo, quod, vbi non eſt locus ad expoſitos recipiendos deſtinatus, onus alendi pertineat ad Eccleſiam, ſeu ad ipſius Rectorem, ſi facultatibus polleat ad id ſufficientibus, non quod velint, quod quia ibi expoſitus eſt, ibi debeat educari expenſis ipſius, ſed quia arbitrantur expenſis Eccleſiæ, vbicunque filij exponuntur, eſſe alendos, & nomine Eccleſiæ videntur potius intelligere matricem, quam aliam exemptam.

2 Sententia aſſerens abſolutè pertinere ad Monaſterium.

Alij dixerunt abſolutè eſſe filium, ibi, expoſitum alendum per Prælatum Monaſterij expenſis Monaſterij non ea ratione, quia Monaſterium eſt, ſed ea, quia ille, ad cuius ianuam infans expoſitus eſt, poteſt per Iudicem compelli ad eum educandum, & inter cæteros ſic loquitur *Sanchez conſ. mor. lib. 1. c. 5. dub. 5. nu. 72.*, quod, ſi hæc verificantur in ordine ad quamcunque perſonam priuatam, ad cuius ianuam expoſitus eſt infans, non videt, cur verificari non debeat in ordine ad Monaſterium, cuius redditus non ſolum videntur ad Monachorum ſuſtentationem deſtinati, ſed ad alia pietatis opera.

3 Sententia aſſerens pertinere ad Principem, vel Communitatem.

Alij dixerunt onus alendi talem filium expoſitum ad ianuam Monaſterij non ſpectare ad idem Monaſterium, ſed vel ad Principem, qui, ſicuti ſuccedit in bonis vacantibus per textum *in l. 1. C. de bon. vacant.*, & ſuccederet etiam iſtis, qui non habent conſanguineos cognitos, ita ſuccedere debet in onere ipſos alendi *arg. l. pro tutela, & l. ſecundum naturam ff. de reg. iur.* vel ad communitatem, quatenus ex redditibus, vel collectis communibus debeant ſuſtentari, & ali, atque ita docent *Molina de iuſt., & iure tom. 1. diſp. 168. verſ. finem*, *Auguſtin. Barboſa collect. ad c. vnicum num. 5. de infant. expoſ.*, *Molfeſius ad conſuetud. Neapol. tom. 1. part. 5. q. 11. num. 26., & ſeqq.* hoc etenim videtur pertinere ad bonum publicum. In particulari in caſu expoſito.

Reſpondeo. Non pertinere ad Monaſterium, nec ad Prælatum eiuſdem ſumptibus Monaſterij alere talem expoſitum ad ianuam ipſius, niſi in caſu extremæ neceſſitatis, quo ſcilicet periclitaretur ipſius vita *Henriquez lib. 11. c. 19. num. 3. in textu, & Gloſa, Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrim. part. 2. c. 9. num. 601.* Ratio ex eo deducitur, quia æquum non eſt, vt determinata perſona, vel locus aliquis priuatus in aliqua communitate, puta oppidi, vel ciuitatis ſubeat onera alicuius delinquentis, quæque exigunt publicam pietatem, cum ad bonum eiuſdem communitatis ſpectet, ne ciues ipſius fame, vel defectu aliorum neceſſariorum ad vitam pereant, ergo onus illud eſt refundendum in publicum, quatenus ſicuti cætera onera communia, quæ vergunt in bonum totius, ſuſtinentur à publico, vel per publicas collectas ad ratam ab omnibus factas, vel per communes redditus eiuſdem communitatis, ita & hoc onus ſimili ferè ratione ſuſtineatur à publico.

4 Nullo modo pertinet ad Monaſterium, nec ad Prælatum, niſi in caſu extremæ neceſſitatis.

Dixi *niſi in caſu extremæ neceſſitatis, quo ſcilicet periclitaretur ipſius vita*; quia in hac hypotheſi regula generalis charitatis obligat vnumquemque ad alteri ſubueniendum taliter periclitanti; hoc contingeret, ſi tunc infanti immineret periculum mortis, tunc etenim, quouſq; tale periculum perſeueraret, teneretur Prælatus, ſeu Monaſterium curare, vt eidem conſuleretur de nutrimento, alijſque ad vitam neceſſarijs; prout rectè notarunt in ſimilibus *Sanchez conſil. moral. lib. 1. c. 5. dub. 5. num. 72.*, & in ſpecie *Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrim. part. 2. c. 9. num. 601.* Cæterum, nec expediens eſt, quod ceſſante tali periculo Prælatus, ſeu Monaſterium ſuſciperet talem expoſitum alendum, tum quia hoc remoueret, & diſtraheret à melioribus occupationibus, tum quia ingereret aliquam ſuſpicionem alicuius mali &c.

§. VII.

An per patrem pinguiora ſint alimenta præſtanda primogenito, quam cæteris fratribus.

SVMMARIVM.

Status diſquiſitionis expoſitus. 1.
Sententia aſſerens deberi primogenito alimenta duplicata. 2.
Sententia aſſerens deberi pinguiora, quando ius habet ad maiorem bonorum partem. 3.
Filij æqualitèr ſunt alendi non attento iure primogeniti. 4.

1 In quo conſiſtat difficultas

Diſquiſitio VII. Æquitas videtur omnino poſtulare, vt inter filios ex eodem matrimonio progenitos quoad alimenta, & alia ſeruetur æqualitas per textum *in l. ſi maior in fin. C. commun. diuid.*,

Surdus

Surdus de aliment.tit.4.q.18.num.21., nec congruè Pater poteſt meliorare quoad huiuſmodi alimenta conditionem vnius ſupra conditionem aliorum, nam hoc eſſet cauſa rixarum, & radix diſſidiorum. Ex quo tamen primogenitus præſefert ex ipſo naturę dictamine rationem quandam præeminentiæ, & primo loco inter cæteros fratres ſedeat, occaſionem dedit controuertendi, an ratione talis præeminentiæ poſſent eidem pinguiora alimenta ſupra cæteros præſtari.

2 Sententia afferens deberi duplicata.

Gloſa *in c. quam periculoſum verbo primatus 7.q.1., Molſeſius in conſuetud. Neapolit.tom.1. part.5.q.6. num.7.*, & alij plures apud *Tiraquellum de primog. in præfat. num. 12.,& ſeqq., & apud Surdum de aliment.tit. 4.q.18.num.25.* ſuſtinent deberi primogenito pinguiora alimenta,& vtique duplicata.

3 Sententia afferens deberi pinguiora, quando habet ius ad maiorem bonorũ partem.

Surdus *loc.cit.d.num.25.* limitat, vt dictum gloſæ, & præcitatorum procedat dumtaxat, quando primogenitus vel ex ſtatuto,vel ex conſuetudine,vel ex diſpoſitione maiorum in maiori parte bonorum deberet ſuccedere, ſecus quandò dumtaxat deberet in æquali parte cum fratribus ſuccedere, rationemque ex eo deducit, quia, quando ex aliqua diſpoſitione in maiori parte bonorum ſucceſſurus eſt, iam quodamodo etiam viuente Patre in ſpe radicata,& formata,ſi non in re ipſa eſt dominus illius maioris quantitatis, vnde mirum non eſt, quod poſſit in maioribus alimentis ius habere, ac habeant cæteri fratres, qui non habent ius niſi quoad partes proportionatas. His tamen minimè obſtantibus, quoad vſque Pater vixerit.

4 Debentur æqualitèr, non obſtante iure primogeniti.

Reſpondeo filios æqualitèr alendos eſſe, nec ex eo, quod alius ſit primogenitus, cui poſt mortem Patris debeantur longè maiora bona,vel ex ſtatuto,vel ex conſuetudine,vel ex diſpoſitione maiorũ poteſt eodem Patre viuente exigere pinguiora alimenta. Neminem vidi, qui hanc reſponſionem ſuſtineat in his terminis. Nihilominus ſic euincitur Pater tenetur alere filios ſecundũ dignitatẽ, & facultates ſuas conſiderata filiorum conditione,& habita numeri ratione per textum *in l. ſi cui ff. de annuis legat.* Ibi- *ex dignitate perſonæ*, item *ex l. cum plures ff. de adminiſt. tutor.* Ibi- *Sed pro facultate patrimonij, pro dignitate natalium*. Item *ex l. 1. C. vbi pupil. educari deb.* Ibi- *Inſpecta perſonarum qualitate, & coniunctione*, & ex alijs pluribus concordantibus iuribus, quæ omnia reſonant in eundem ſenſum, ſed viuente Patre filij omnes ſunt eiuſdem coniunctionis, & qualitatis comparatiuè ad eundem Patrem, ergo non eſt, cur eodem modo, & æqualitèr non ſint alendi iuxta allegatum textum *in l. ſi maior in fin. C. commun. diuidendo*; Neque obſtat, ſi dicatur, quod primogenitus ſit ſupra conditionem aliorum fratrum, ſiquidem ſtante ſtatuto, conſuetudine, vel maiorum diſpoſitione ius habeat radicatum ad maiora bona ſupra cæteros fratres;

Satisfit rationi cõtrariæ ſententiæ.

Non, inquam, obſtat, quia quouſque pater vixerit, omnia illa bona, quæ poſt mortem ipſius deuenire debent in primogenitum ſunt inter facultates eiuſdem Patris,& inter ipſius bona computanda; cum igitur omnes filios iuxta facultates, & dignitatem propriam ex allegatis iuribus Pater teneatur indiferenter, & indiſcriminatim alere, vtique non poteſt compelli ad pinguiora alimenta præſtanda primogenito,cuius præeminentia in eo dumtaxat conſiſtere debet, quod viuente Patre primo loco ſedere debeat, eodemque mortuo debeat in pinguioribus bonis ſuccedere; nec ius illud radicatum ad ſucceſſionem maiorum bonorum ad aliud conferre poteſt,niſi,quod in illis bonis poſt mortem patris debeat ſuccedere; cæterum viuente Patre nullum ius ad illa habet, & de redditibus ipſius poteſt Pater pro libertate diſponere, quinimmo,& de ipſis bonis,quoad ſubſtantiã, niſi fuerint vel titulo maioratus, vel ratione fideicommiſſi vinculata.

Euincitur noſtra opinio paritate.

Confirmari poteſt primo, quia, ſi Pater non habeat alia bona præter ſubiecta fideicommiſſo tenetur ex redditibus eorundẽ alere filios,quantumuis poſt mortem ipſius talia bona debeant ſecũdum diſpoſitionem inſtitutoris talis fideicommiſſi in alios tranſire,quandoquidẽ durãte ipſius vita dicitur habere plenũ, & verũ dominium, licet reſolutioni ſuppoſitum *Molina de Hiſpanis primog. c.19.num.4.,& ſeqq. lib.1., Peregrinus de fideicom. art.4.num.6., Rota Romana deciſ. 200. num. 13. part. 5. recentiorum, Eminentiſſimus de Luca de feudis diſcurſ. 89. nu. 18.*, ex bonis autem, quorum Pater gaudet pleno dominio,tenetur indiferenter filios alere.

Alia ratione oſtẽditur.

Confirmari poteſt ſecundo,quia frater inſtitutus primogenitus, ſeu maior ex facultate Principis, conceſſa Patri tenetur in foro conſcientiæ, & etiam exteriori cæteris ſuis fratribus conferre alimenta non ſolum ſimplicitèr neceſſaria,ſed etiam decentia ſtatui, & dignitati eorundem habita ratione quantitatis paterni patrimonij *Mangillus de imputat. q.76.nu. 8., Corduba à Lara in l. ſi quis à liberis §. ſi mater nu. 55., & ſeqq. ff. de lib. agnoſ., Molina de primog. lib. 2. c. 1. num. 14., cum pluribus ſeqq. Alter Molina Theologus tom.3. diſp.578. nu.6. verſ. quartam vero partem*, ergo a fortiori Pater, non ob-

Digitized by Google

obſtante, quod primogenitus poſt eius mortem debeat ſuccedere in maiori bonorum parte, non tenebitur viuens eidem maiora alimenta ſubminiſtrare, ſed omnibus æqualitèr habita ratione quantitatis ſui patrimonij, ſeu bonorum, quorum gaudet dominio.

Non damnarem tamen grauis culpæ Patrem, ſi aliqua præ cæteris filijs conferret primogenito ad oſtendendã ipſius præeminentiam, dummodo nõ ſint valdè conſiderabilia; hoc enim communis praxis obtinuit, & qualitas conditionis iſtud videtur exigere.

§. VIII.

An Pater teneatur alimenta præſtare filio nolenti cum Patre cohabitare.

SVMMARIVM.

Exponitur diſquiſitio in ſuis terminis. 1.
Rationes ſuadentes adhuc teneri Patrem alimenta conferre. 2.
Si ſine legitima cauſa nolit cohabitare, Pater non tenetur eidem alimenta conferre. 3.
Soluuntur rationes oppoſitæ. 4.
Si ex legitima cauſa nolit cohabitare, Pater tenetur eidem alimenta conferre. 5.

1 Exponitur factũ in particulari.

DIſquiſitio VIII. Titius filius Caij abſque vlla legitima cauſa è domo paterna exiuit, & quantumuis paternè monitus ad redeundum, nunquam tamen voluit reditui acquieſcere, ſed ſeparatim viuere, & interim petebat à Patre ſibi alimenta congrua iuxta dignitatem, & facultates paternas præſtari, aduerſus quem excipiebat Pater, quod non teneatur eidem alimenta præſtare, niſi in caſu, quo aliundè non poſſet habere per ſuperius à nobis allegata; in hypotheſi autem, de qua hic loquimur, poteſt habere redeundo ad paternam habitationem, & alia his ſimilia. Quæſitum hic fuit quid iuris?

2 Rationes ſuadentes Patrem adhuc teneri alimenta cõferre.

Videtur prima fronte dicendum, quod vtique etiam in tali hypotheſi receſſus filij non eximatur ab onere contribuendi alimenta filio, quandoquidem adhuc viget ius ſanguinis, & naturalis pietatis, quod nõ ſoluitur ex eo, quod filius etiam ex propriæ voluntatis arbitrio ſit abſens à Patre, & ſicuti, ſi filius ſit emancipatus à Patre, nec habeat, quo poſſit ſe alere, tenetur Pater ex ſuperius allegatis, & probatis eidem præſtare alimenta, ita etiam ſi ſit abſens à Patre, tenebitur eidem Pater alimenta conferre. Accedit primo, quod Pater non tenetur alere filium ex vi patriæ poteſtatis per ea, quæ ſupra commendauimus, & etiam docent *Iaſon in l. fin. nu. 2. C. de verb. ſignif. Palæotus de noth., & ſpur. c. 48. n. 3., Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrimon. part. 2. c. 4. n. 276.*, ſed ex vi naturalis pietatis iuxta quartum præceptum Decalogi honorandi parentes; Hæc autem naturalis pietas æquè viget, ſiuè reſpectu filij habitantis cum Patre, ſiue ab eodem ſeparati, adeoque &c. Accedit ſecundo, quod ſi per diſpoſitionem hominis ſancitum eſſet, quod alicui deberẽtur alimenta, hęc eſſent pæſtanda, vbicunque alimentarius reperiretur, *Scaccialupus in l. ſi frater à fratre §. quæſitum q. 30. nu. 19. verſ. adde quod non eſt iuſta cauſa ff. de condict. indeb.*, ergo etiam, cum filio ex diſpoſitione iuris debeantur per Patrem alimenta, hæc debebuntur, vbicunque filius habitauerit ſeparatus à Patre; non enim plus iuris poteſt habere diſpoſitio hominis, ac legis. Nihilominus

Adhuc in Patre viget onus naturalis pietatis.

Reſpondeo, quod ſi filius ſine legitima cauſa à Patre receſſerit, & nolit cohabitare cum ipſo patre, non teneatur hic illi alimenta præſtare. *Iaſon in l. quidam cum filium n. 6. ff. de verb. oblig., Iaſon in l. cum hi §. vult igitur nu. 10. ff. de tranſact., Romanus in l. ſicut dotem §. tranſgrediamur in fin. ff. ſolut. matrim., Aſcanius Clemens de patria poteſt. effect. 17. n. 32., Stephanus Gratianus diſcept. forenſ. tom. 3. c. 552. num. 41., & 44., Rota Roman. deciſ. 117. n. 1. poſt tom. 1. conſil. Farinacij, & alij magis communitèr.* 3

3 Si ſine legitima cauſa nolit filius cohabitare, Pater non tenetur alimẽta conferre.

Ratio ex eo deducitur primo, quia Pater non tenetur alere filium, niſi quatenus indiget, & aliunde habere non poteſt per ea, quæ ſupra commendauimus, & vlterius docent *Silueſter verb. alimenta quæſt. 1. in princip., & verb. filij q. 22. verſ. 4., Vaſquez opuſc. de teſtament. c. 5. § 7. dub. 9., & 16. Bartolus in l. ſi quis à liberis §. ſed ſi filius ff. de lib. agnoſc., Tiraquel de nobilit. c. 20. nu. 104., & ſeqq., Carpanus ad Statuta Mediolani c. 317. nu. 48.*, & ex Theologis *Molina de iuſt. tom. 1. diſp. 160. §. alimenta, Graffius part. 1. lib. 2. c. 58. n. 2., Bonacina de præceptis Decal. diſp. 6. q. vnica p. 6. §. 1. num. 3.*, ſed filius in hac hypotheſi aliundè habere poteſt alimenta congrua redeundo ad domum, & habitationem paternam, ergo non tenetur eidem ſuppeditare, niſi quatenus redeat, non enim aliqua iuſta cauſa impeditur ad redditum, ſed dumtaxat ex propriæ voluntatis arbitrio.

Filius in hac hypotheſi ſimplicitèr non indiget alimentis.

Secundo, quia Pater non tenetur fouere arbitria filij, quando iuſta ratione non diriguntur, ſed potius remouere, ſed præſtando alimenta, quando contra voluntatem ipſius filius receſſit, & renuit reuerti

Filius à ſe ipſo priuaretur alimentis.

Digitized by Google

ti ad Patrem, ipſius arbitria nullo rationis dictamine directa foueret in præiudicium patriæ poteſtatis, ergo in hac hypotheſi non tenetur eadem præſtare. Confirmatur, quia in hac hypotheſi filius non priuaretur alimentis à Patre, ſed ipſa ipſe reſpueret, vt inani propriæ indulgeret voluntati, ergo &c.

Tertio, quia eodem iure, quo Pater tenetur conferre alimenta filio indigenti, tenetur filius obſequia præſtare Patri, & cum eodem cohabitare; vtrumque enim præceptum fundatur in illo quarto Decalogi *Honora parentes*, ergo renuente filio ſine cauſa cohabitare, & debita obſequia præſtare Patri, non tenebitur iſte illi obſequia alimentorum exhibere. *Filius deficeret ab obſequijs patri debitis.*

4 *Soluuntur rationes oppoſitæ ſententiæ.* Hinc ad rationes contrarias reſpondendum modo eſt, & quidem ad primum fateor onus in parentibus alendi filios deſcendere ex iure ſanguinis, & naturalis pietatis; ſed aſſero obligare dumtaxat, quando filius alimẽtis indiget, nec aliunde poteſt habere, quæ ratio ceſſat in præſenti hypotheſi, cum filius poſſit illa commodè habere, & ſi non habet, non eſt, quia deſint, ſed quia ex prauitate propriæ voluntatis nolit habere. Ad ſecundum idem ferè reſpondeas, quamuis enim illud onus non oriatur ex vi patriæ poteſtatis, ſed iure ſanguinis, & naturalis pietatis fundatæ in illo quarto Decalogi præcepto non extenditur, niſi ad ea, quæ neceſſaria ſunt, & niſi vbi filius non deficiat ab adimplemento oneris erga Patrem, ad quod ex ſimili iure naturali teneatur. Ad tertium quoad paritatem deſumptam à filio emancipato à Patre iam patet ex ſe diſcrimen, nam tunc non abeſt a Patre ex propriæ voluntatis arbitrio, ſed ſic volente eodem Patre, & ſicuti, ſi Pater recuſaret domi filium recipere, non eximeretur ab onere eidem alimenta præſtandi per ea, quæ docet *Corduba à Lara in ſæpius repetit. l. ſi quis à liberis in princip. nu. 12. ff. de lib. agnoſ.*, & cum eo alij DD. magis communitèr, ita, ſi filius ſit emancipatus à Patre, non eximi cenſendus eſt à tali onere, quod non militat, quando filius ex propriæ voluntatis arbitrio receſſit, & contra voluntatem Patris renuit cum illo cohabitare. Ad vltimum dicendum eſt, nedum diſpoſitionem hominis, ſed etiam diſpoſitionem iuris poſſe ſumi illimitate, ſeu non reſtrictiuè ad certum locum, quando alia ratio naturalis non reſtringit; in præſenti autem hypotheſi, de qua loquimur, diſpoſitio iuris obligantis Patrem ad præſtanda alimenta filijs conformatur alteri iuri obliganti filios ad præſtanda debita obſequia Patri, & ad cohabitandum cum ipſo; vnde, ſi filius receſſerit, non tenebitur Pater &c. Deinde diſpoſitio iuris non obligat, niſi in ſubſidium, in caſu ſcilicet, quo filius non poſſit aliunde habere, vt ſupra, adeoq; &c.

Dixi, *ſi ſine legitima cauſa à Patre receſſerit, & nolit cohabitare*; ſi etenim ex iuſta cauſa hoc præſtitiſſet, non renuerem concedere, Patrem filio etiam extra domum degenti teneri alimenta præſtare. *Pontanus de alimentis c. 5. num. 5.*, *Molina de primogen. lib. 2. c. 15. num. 74.*, *Molina Theologus de iuſt., & iure tom. 3. diſp. 616. nu. 10.*, *Menochius de arbitrar. caſ. 170. num. 12.*, *Rota Rom. deciſ. 617. poſt tom. 1. conſil. criminal. Farinacij per textum in l. cum ſic §. vult igitur ff. de tranſact.* Si autem inquiratur, quænam ſint cauſæ iuſtæ, ob quas filius poſſit nolle cohabitare cum Patre. Vide *Ioannem Angelum Boſſium tract. de effect. matrim. part. 2. c. 11. à num. 688. ad nu. 693. incluſiuè.* 5 *Si nolit cohabitare ex legitima cauſa, Pater tenetur illi alimenta conferre.*

---

§. IX.

An alij præter Patrem, qui tenentur alimenta præſtare, teneantur eadem præſtare etiam extra propriam domum.

SVMMARIVM.

Facti ſeries expoſita. 1.
Duplex conſideratio circa factum. 2.
Si alimenta ſint debita ex diſpoſitione iuris, non poteſt ea exigere, ſi ſine cauſa nolit cohabitare cum eo, qui tenetur præſtare. 3.
Si ſint debita ex diſpoſitione hominis, debentur etiam ſeorſim viuenti. 4.
Si eſſent ſimul debita ex diſpoſitione iuris, & hominis, eſſent debita etiam ſeorſim viuenti. 5.

Diſquiſitio IX. Quod dictum eſt de Patre in ordine ad filium quoad onus præſtandi alimenta reſtrictiuè ad domum eiuſdem Patris, quando cauſa non adeſt alibi conferendi, proponitur, an etiam ſit dicendum in ordine ad alios obligatos ad alimenta conferenda, an ſcilicet onus eorum reſtringatur ad domum propriam, an verò, vbi alimentarij habitare voluerint. Pro quo 1 *Factum in ſuis terminis.*

Aduerte alimenta poſſe eſſe alicui debita vel ex diſpoſitione iuris, quomodo debentur filio à Patre principalitèr, & per prius, ſecundario, & per poſterius ab auo paterno, & aſcendentibus ex linea virili, ſucceſſiuè à Matre, & ab eius aſcendentibus, & etiam vxori ab hæredibus mariti 2 *Duplex conſideratio circa factum*

Digitized by Google

mariti intra annum luctus; vel ex diſpoſitione hominis, puta per teſtamentum, ſub qua ſecunda conſideratione etiam conſiderandum eſt, an teſtator diſpoſuerit, vt alimenta præſtentur in domo hæredis expreſsè, an verò nulla facta expreſſione loci, in quo ſint præſtanda; rurſus in ſuppoſitione, quod expreſſerit eſſe præſtanda in domo hæredis, an iuſta adſit cauſa reſpectu alimentarij non habitandi cum illo, & an tunc adhuc præſtanda ſint, an verò nulla cauſa.

Reſpondeo primo. Si alimenta ſint debita ex diſpoſitione iuris alicui, alimentarius non poteſt ea exigere à debitore, ſi velit habitare extra domum ipſius. *Paulus de Caſtro in l. diuortio in princip. num. 9. ff.*

3 Si debentur ex iure, tenetur cohabitare.

ſolut. matrim., Petrus Barboſa ad l. 2. part. 1. in princip. num. 27. eod. tit., Mareſcotus var. lib. 2. c. 83. num. 61., Rota Romana in ſpoletana alimentorum 19. Decembris 1597. coram Giptio; hancque magis probabilem arbitratur *Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrimon. part. 2. c. 11. num. 708.* Ratio ex eo deducitur primo, quia, quando debentur ex diſpoſitione iuris, regularitèr debentur ſolum in ſubſidium, ſi ſcilicet alimentarius aliunde non habeat, quo commodè viuere, & alere ſe poſſit, ſed quando ſolummodo debentur in ſubſidium, non poteſt compelli debitor ad eroganda eadem alimenta extra domum propriam, quandoquidem tenetur tantum, quantum opus eſt ad conſulendum indigenti; ſufficientèr autem conſulitur per præſtationem alimentorum in domo eiuſdem debitoris, nec alimentarius aliud poteſt petere, niſi vt propriæ neceſſitati iuxta propriam conditionem ſubueniatur, ergo &c. Accedit, quod debitor tenetur quidem ſubuenire alimentario, quantum indiget iuxta exigentiam proprij ſtatus, non tamen tenetur cum maiori diſpendio, ſed poteſt conſulere propriæ indemnitati, dummodo non deficiat in neceſſarijs quoad ipſum alimentarium, ſed conferendo alimenta in domo propria confert, quantum idem alimentarius indiget, & parcit maioribus expenſis, quæ neceſſariæ eſſent in alendo extra propriam domum, ergo ſufficientèr ſatiſfacit, nec poteſt vlterius cogi.

Prima ratio pro reſponſione.

Secundo, quia, quando alimenta debentur ſolummodo ex diſpoſitione iuris, alimentarius videtur obligari erga altorem ad obſequia eidem, quoquo modo præſtanda, & eidem inſeruire, quantum patitur ipſius conditio; hoc enim videtur exigere ratio naturalis, cui iura innituntur, ne dum alter de ſuo impendit in fauorem alterius ſic ratione naturali exigente, alter otioſè viuat, & nihil in fauorem impendètis de ſuo impendat de ſuis operibus, & obſequijs, ergo tenetur manere in domo eiuſdem altoris, vbi poſſit talia opera iuxta conditionem proprij ſtatus exhibere.

Secunda ratio pro eadem.

Hæc procedunt ex ſuppoſitione, quod alimentarius aliqua legitima cauſa non excuſetur à cohabitatione cum ſuo altore; ſi enim iuſtam habeat cauſam non cohabitandi cum illo, non eximetur iſte ab onere eidem præſtandi alimenta etiam extra propriam domum, ſicuti in præcedentibus diximus de Patre, qui non deobligatur ab onere alendi filium extra propriam domum degentem, quando iuſta cauſa eximitur ab illa cohabitatione.

Dummodo nò excuſetur à cohabitando per legitimã cauſam.

Reſpondeo ſecundo. Si alimenta ſint debita ſolummodo ex diſpoſitione hominis ſine vlla expreſſione, quod debeantur in domo altoris, probabilius debentur alimentario etiam ſeorſim viuenti *Bartolus in l. diuortio num. 4. ff. ſolut. matrim., Baldus in l. in annalibus num. 4. C. de legat., Michael Graſſus de ſucceſſion. §. legatum q. 22. num. 3., Cancerius var. part. 1. c. 16. num. 15., Ioannes Angelus Boſſius d. c. 11. num. 708. præter præcitatos DD. pro prima reſponſione*. Ratio ex eo deducitur primo, quia legatum alimentorum ſupponitur liberalitèr factum, quando aliud in teſtamento non dicitur, ſine vllo onere legatarij, qui in re legata ſupponitur magis dilectus, quam hæres, ſed ſi obligaretur ad cohabitandum cum hæredibus teſtatoris, eſſet cum aliquo onere eiuſdem legatarij, vt per ſe patet, ergo &c. Confirmatur, quia legatum, quod præciſè prouenit ex liberalitate, & beneficio legantis reſpectu legatarij eſt maximè fauorabile, & per conſequens intelligendum eſt cum omni ampliatione reſpectu ipſius.

4 Si ſint debita ex diſpoſitione hominis, debentur etiam ſeorſim viuenti.

Exciperem tamen in caſu, quo ipſe alimentarius viuente teſtatore ſolitus eſſet cum eodem commorari; tunc etenim, quantumuis in teſtamento nihil expreſſerit de onere talis cohabitationis, nihilominus non incongruè poſſet eius voluntas interpretari, quod voluerit alimenta eſſe dumtaxat præſtanda, ſi perſeuerauerit in tali habitatione; atque ita interpretantur *Simon de Pretis de interpret. vlt. volunt. lib. 4. interpret. 1. dub. 11. num. 102., Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrimon. part. 2. c. 11. num. 706.*

Niſi ſolitus eſſet cohabitare.

Quod, ſi teſtator legans alimenta expreſſerit præſtanda eſſe in domo hæredũ ipſius, vel ſi cohabitauerit cum hæredibus, tunc indubitatum eſt, quod non debeantur, ſi non fuerit talis cohabitatio. Quod, ſi ſupponas, quod, quantumuis teſtator expreſſerit talem cohabitationẽ, legatarius tamen habeat iuſtam, & legitimam

Vel niſi teſtator expreſſerit præſtã da eſſe in domo hæredis.

timam cauſam non cohabitandi cum eiſdem, & tunc inquiras, an hæres teneatur alimenta præſtare legatario ſeorſim habitanti; concludendum erit affirmatiuè ſcilicet teneri *Menochius de arbitrar. c.* 170. *n.* 12., *& de præſumpt. lib.* 4. *præſumpt.* 157. *nu.* 53., *Rolandus à Valle conſ.* 22. *nu.* 11. *vol.* 1., *Graſſus de ſucceſ.* §. *legatum q.* 22. *nu.* 4., *Paſchalis de patria poteſt. part.* 2. *c.* 3. *nu.* 83., quia non cenſetur teſtator voluiſſe obligare ad illam cohabitationem exiſtente legitima cauſa non cohabitandi. Si autem cauſas legitimas non cohabitandi, ſeu excuſantes à cohabitatione ſcire deſideras, conſule *Menochium d. caſ.* 170. *n.* 14., *& d. præſumpt.* 157. *à num.* 53., *Surdum de aliment. tit.* 4. *q.* 15. *à nu.* 12.

5 Reſpondeo tertio, ſi alimenta ſint debita ſimul ex diſpoſitione iuris, & diſpoſitione hominis, quatenus teſtator in teſtamento diſpoſuerit, quod alimenta, ad quæ cæteroqui tenebatur, conferrentur, hęcq; legauerit probabilius credere, quod hæres teneretur eadem alimenta præſtare alimentario etiam extra domum. Rationem ex eo deduco, quia illa diſpoſitio expreſſa debet aliquid operari in fauorem legatarij ſupra id, quod ius diſponit per textum *in l.* 3. *in princip. ff. de iure iuran. l. ſi quando ff. de legat.* 1., quod præcipuè verificatur in teſtamentis *Romanus conſ.* 180. *num.* 5., *Caſtrenſis conſ.* 222. *ſuper primo in princip.* Nihil autem operaretur, ſi tantum deberentur alimenta in domo hæredis; Nec obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, quia omnis diſpoſitio expreſſa ſimpliciter concepta intelligitur, ampliatur, & reſtringitur ſecundum ius commune *Petrus de Ancharano conſ.* 6. *viſo Themate num.* 13. *verſ. omnis enim diſpoſitio, & conſ.* 182. *thema tale eſt nu.* 7., *& conſ.* 404. *tria dubia nu.* 3., *& conſ.* 421. *præmittendum in princip.*, *Romanus conſ.* 350. *in caſu nu.* 24. *verſ. tertio, Petrus Barboſa in l.* 1. *part.* 1. *nu.* 61. *ff. ſolut. matrim.* Sed ſecundum diſpoſitionem iuris communis alimenta ſunt præſtanda filijs, alijſque, quibus à iure debentur, in domo altioris, ergo &c. Non, inquam, obeſſe poteſt, quia licet debeat conformari iuri communi, addit tamen aliquid ſupra diſpoſitionē eiuſdem iuris communis, ſeu addere debet, ne ſuperflua, & fruſtratoria ſit, hoc autem eſſe non poteſt, niſi onus conferendi etiam alimenta extra domum.

Si ſimul eſſent debita ex diſpoſitione iuris, & hominis debētur etiam ſeorſim viuenti.

Dices illam diſpoſitionem expreſſam teſtatoris hoc operari, vt alimenta, quæ independentèr ab ipſa peti tantum poterant officio Iudicis, poſtea peti poſſint iure actionis, *Pontanus de alimentis c.* 17. *nu.* 1, *Surdus de aliment. tit.* 3. *q.* 4. *num.* 1., *Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrim. part.* 2. *c.* 14. *nu.* 867., ad hoc autem, vt diſpoſitio non ſit ſuperflua, ſufficit, quod habere poſſit quemcunque effectū, quantumuis modicum *Caſtrenſis conſ.* 193. *in fin. lib.* 2., *Ruinus conſ.* 79. *num.* 8. *lib.* 2. Sed contra, & ex hoc magis firmo noſtrā reſponſionem, quia admiſſo, quod talis diſpoſitio teſtamētaria inducat ius actionis ſequitur, quod alimentarius, ſeu legatarius poſſit eadem alimenta exigere non tantum in ſubſidium, ſed abſolutè, quod, quamuis in prętęritum non eſſent ſoluta, poſſet ea repetere, & actionem illam exigendi transferre in hæredes; ita communitèr *DD. in l. de alimentis C. de tranſact.*, *Vincentius de Franchis deciſ.* 605., *Pontanus de aliment. c.* 12., 16., *&* 17., *Surdus de aliment. tit.* 1. *q.* 2. *num.* 40., *& tit.* 5. *q.* 1. *nu.* 40., *Mareſcotus var. lib.* 2. *c.* 83. *à num.* 1. *ad* 7., *Stephanus Gratianus tom.* 1. *diſcept. for. c.* 60. *nu.* 20., quotieſcunque ius habet abſolutè, & non tantum in ſubſidium poteſt in quocunque loco exigere *Corduba à Lara in l. ſi quis à liberis in princip. num.* 60. *ff. de liber. agnoſ.*, & quotquot ſuſtinent, quod tunc tantum datur in alimentis officium Iudicis, quando eadem non abſolutè debentur, ſed tantum in ſubſidium *Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrimon. part.* 2. *c.* 14. *num.* 854. *verſ. qua propter veriorem.* Deinde cum alimentarius legatarius tranſmittat illam actionem in hæredes vtique indicat habere plenum ius non limitatum ad certum locum. Tandem magis confirmari poteſt ex eo, quod aſſerit *Surdus de alimentis tit.* 3. *q.* 4. *nu.* 2., nempè alimentarium legatarium ex vi illius legati habere actionem hypothecariam pro illis conſequēdis aduerſus bona hæredis, ſeu hæredi à teſtatore relicta, quod certè indicat plenum ius abſolutum, & illimitatum.

Soluitur inſtantia oppoſita.

---

§. X.

An aliquo aſſerente ſe eſſe filiū alicuius, hocque negante eſſe talem, ſint pendente lite eidem primo per ſecundum præſtanda alimenta.

SVMMARIVM.

Factum expoſitum. 1.
Si ſit in quaſi poſſeſſione filiationis, tenetur Pater negans ea alimenta conferre pendente lite, & expenſas litis. 2.
Si non ſit in quaſi poſſeſſione, Iudex debet ſummariè cognoſcere, & conſtante de fumo iuris decernere alimenta. 3.

Enume-

Digitized by Google

Enumerantur coniecturæ, quæ poſſint inducere fumum iuris. 4.
Sufficit vnus teſtis, qui ſit omni exceptione maior. 5.
Si rei præſumptiones ſint fortiores elidunt actiones, & præſumptiones actoris. 6.
Præſumptiones, vt ſe elidant, debent eſſe in eodem iudicio. 7.

1 **In quo conſiſtat difficultas**

DIſquiſitio X. Poſtquam diu incognitus manſit Titius tandem coram Caio apparuit petens ab eodem alimenta ſub eo motiuo, & ratione, quod ipſius eſſet filius, & eſſet indigens, & impotens ad eadem alimenta ſibi quærenda. Negabat Caius ſibi Titium eſſe filium; vndè excitata fuit lis, & controuerſia in contentioſo iuditio ſuper titulo filiationis. Interim pendente lite petebat Titius ſibi a Caio alimenta præſtari. Quæſitum fuit quid iuris? Pro quo

Conſiderabilia circa factum.

Conſiderandum eſt, an Titius fuerit in quaſi poſſeſſione filiationis, an vero nullam penitus poſſeſſionem habuerit; ex hoc etenim diſcrimine poteſt oriri diuerſa ratio, & iudicium. Tunc quis dicitur eſſe in quaſi poſſeſſione filiationis, quando ſatis communitèr reputatur, vt filius, vel quando a parente ſemel agnitus eſt, vt talis, vel exiſtit rumor in vicinia, & populo, quod ipſe ſit filius eiuſdem Caij.

2 **Si ſit in quaſi poſſeſſione filiationis habet ius ad alimenta, & ad expenſas litis.**

Reſpondeo primo, ſi Titius fuerit in quaſi poſſeſſione filiationis, & conſtet de ipſius inopia negante Patre ipſum eſſe ſuum filium, & pendente lite ſuper eadem filiatione non ſunt ipſi per Patrem negãtem neganda competentia alimenta, nec expenſæ, quibus & ſe alere poſſit, & litem proſequi etiam nulla præmiſſa ſummaria cognitione *Bartolus in l. ſi neget ff. de alend. lib., Molina de primog. lib. 2. c. 16. n. 36., Coaruuias pract. c. 6. nu. 8., Petrus Barboſa in rubr. part. 1. n. 19. ff. ſolut. matrim., Paſchalis de patria poteſt. c. 2. nu. 7., Stephanus Gratianus diſcept. for. tom. 2. c. 238. nu. 43., Molina de iuſt. tom. 3. diſp. 616. nu. 15. verſ. quando autem, Rota Rom. deciſ. 21. nu. 2. apud Verallum.*

Quaſi poſſeſſio non facit leuẽ præſumptionem.

Ratio ex eo deducitur primo, quaſi poſſeſſio libertatis, & filiationis facit nõ leuem præſumptionem pro actore, per textum *in l. circa ff. de probat.*, & inducit non leuem fumum iuris pro eo, qui ſe filium dicit *Rota Rom. d. deciſ. 21. n. 2. part. 1. apud Verallum, Coaruuias pract. c. 6. nu. 8., Molina de iuſt. tom. 3. diſp. 616. num. 16. vers. quando autem*, ſed ſtante efficaci præſumptione iuris, quando agitur de neceſſarijs ad vitam, & ad conditionem proprij ſtatus, non incongruè decernitur pro actore quantum pertinet ad eadem alimenta, & litis expenſas, ſiquidem æquitas poſtulat, quãdo iura aliquem fouent, ne defectu neceſſariorum ſuis iuribus decidat, ergo &c. hocque eo magis, quia in petitione talium alimentorum fundatam habet intentionem in iure communi.

Quaſi poſſeſſio filiationis inducit probationem in præparatorijs iudiciorũ

Secundo, quia quando quis habet quaſi poſſeſſionem filiationis, & legitimitatis, dicitur habere plenam probationem in præparatorijs, ſeu circa ea, quæ in præparatorijs iudiciorum veniunt per ea, quę latè docent *Ioannes Angelus Boſſius tom. 1. var. mor. tit. 1. §. 43. nu. 1437., Coaruuias de ſponſal. part. 2. c. 8. §. 3. num. 6. paulo poſt princip., Stephanus Gratianus tom. 3. diſcept. for. c. 567. nu. 23., Rota Rom. deciſ. 150. nu. 1. part. 1. apud Verallum*; ſed inter ea, quæ veniunt in pręparatorijs iudiciorum ſunt petitio alimentorum, litis impenſæ, quãdo petens non habet aliundè, vt præter præcitatos DD. docet etiam *Maſcardus de probat. concl. 799. n. 29., & ſeqq., Rota Roman. deciſ. 444. n. 9. prima part. recent. Farinacij, & alij, ergo &c.*

Euincitur etiam paritate.

Tertio paritate eorum, quæ dicuntur *in l. vlt. §. quod ſi ei C. de ord. cognit.*, vbi dicitur, quod ſi ille, qui eſt in quaſi poſſeſſione libertatis, fuerit ſpoliatus bonis ab eo, qui ſe Dominum aſſerit, & talem ſe eſſe contendit, deberet ab eodem habere pendente lite alimenta, & expenſas litis, ergo etiam ille, qui eſt in quaſi poſſeſſione filiationis aduerſus illum, qui ſe Patrem negat, habere debebit pendente eadem lite alimenta, & neceſſaria ad eandem litem expendendam.

3 **Iudex debet ſummariè cognoſcere, & conſtãte de fumo iuris decernere alimenta.**

Reſpondeo ſecundo. Si Titius non ſit in quaſi poſſeſſione filiationis altero negante eſſe talem, antequam decernat alimenta, & litis expenſas, debet Iudex ſummariè cognoſcere ſuper expoſitis, & vbi conſtiterit de fumo iuris eiuſdem petentis, vi cuius ex iudicio Iudicis poſſit haberi quaſi poſſeſſio, debebit decernere alimenta, & litis expenſas, donec in plenario iudicio lis filiationis abſoluatur *Ioannes Baptiſta Ferrarius in pract. Papienſi in forma libelli pro legato rei ſingularis nu. 110., Suarez de Paz in praxi tom. 3. §. 3. num. 10., Fontanella de pact. nupt. tom. 2. claus. 6. gloſ. 2. part. 4. n. 46., & 52., Stephanus Gratianus diſcept. for. tom. 2. c. 236. num. 43., & tom. 3. c. 563. num. 23., & ſeqq.* Expreſsè colligitur ex textu *in l. ſi quis a liberis §. ſi parens ff. de lib. agnoſ.*, vbi ſic legitur *Quod, ſi Pater neget filium, vel filius Patrem, petentem alimenta, vt filio, vel Patri decernantur alimenta oportet ſummatim conſtare eum eſſe filium, vel Patrem, & ſi ita conſtiterit Pater filium, & filius Patrem alere cogetur, donec in plenario iudicio cauſa filiationis finiatur*, quod idem habetur *in l. penult. ff. de his qui ſui, vel alieni.* Hæc iura intelligi de Patre, &

filio, qui non ſint in quaſi poſſeſſione paternitatis, & filiationis, expreſsè docent *Gloſa in c. 2. verb. nutriatur. Qui filij ſint legitimi, & in l. 1. §. Iulianus ff. de lib. agnoſ., & in l. ſi quis à liberis §. ſi vel parens verb. decernat eodem tit., Salicetus in l. fin. C. de liberis alend., & alij magis communitèr*. Nec incongrua ratione hæc decernuntur, quandoquidem ſicuti æquum eſt, vt exiſtente graui præſumptione de filiatione non denegentur interim alimẽta filio, ita æquum eſt, vt non habita tali præſumptione non admittatur ad talia alimenta, niſi prius quoquo modo Iudici, qui debet decernere, conſtet &c.

Solum difficultas aliqua hic remanet in explicando, in quonam conſiſtere debeat illa ſummaria cognitio, de qua *in d. §. ſi vel parens, Oportet ſummatim conſtare &c.* & ſi *ita conſtiterit*. Pro quo aduerte, quod, cum alimentorum decretum modicum inferat præiuditium, ita non plenam, & exactam exigat probationem, & cognitionem qualis requiritur in plenario iudicio, ſed ſufficit qualis qualis, & ſemiplena *Gabriel. conſ. 25 n. 13. vſq; ad 16. lib. 1.*

4 Enumerantur coniecturæ, quæ poſſint inducere probationẽ. *poſt Bartolum in l. ſi neges ff. de lib. agnoſ., Alciatus præſumpt. 9. reg. 3. n. 10.*, hæc autem qualis qualis, & ſemiplena probatio poteſt haberi ex natiuitate filij ex ea, quæ domi detinebatur, ex tranſmiſſione eiuſdem filij ad baptiſmum tanquam de filio, ex nominatione, & ex tractatu, & alimẽtis præſtitis ex fama publica *Rota Roman. deciſ. 21. num. 2. apud Verallum, Abbas in c. tranſmiſſæ n. 9., & 10., qui filij ſint legit., Paris. conſ. 10. num. 33. cum ſeqq. lib. 2., Surdus conſ. 1. nu. 44.* cum in iſta materia probationis filiationis ab eius difficultatem ſufficiant coniecturæ, & præſumptiones *Gloſa in l. Lucius in fin. de condit., & demonſt., Rota Rom. diuerſ. deciſ. 238. part. 1.* Rurſus aliquam præſumptionem poteſt inducere ſimilitudo, quam præfert filius ad Patrem, quæ quamuis ſecundum ſe fallere poſſit, prout tamen coniungitur cum alijs coniecturis multum facit ad probandam filiationem *Corneus cons. 1. n. 22. lib. 3., Gozadinus conſ. 13. n. 22., Tiraquell. ad l. 7. connubij glos. 1. part. 7. n. 52., Bolognin. in l. Gallus in princip. nu. 188. de lib., & poſth.*

Hæc quoad coniecturas, & præſumptiones inducentes quoquo modo filiationem; nunc quoad formam, & modum

5 Sufficit vnus teſtis ſingularis. probationis earundem; & quidem primo aſſero, ſufficere vnum teſtem, cum regulare ſit in omnibus cauſis ſummarijs, & poſſeſſorijs iudicijs ſaltem ſummariſſimis ſufficere vnicum teſtem *Decius conſ. 16. nu. 1., Didacus Coarruuias pract. qq. c. 6. nu. 8., & in Epitome ad 4. decret. part. 2. c. 8. §. 3. n. 6., Molina de primog. Hiſp. c. 16. n. 39. lib. 2., Ioannes del Caſtello Sottomaior. quotid. cont. iuris lib. 3. c. 171. n. 21.* hic tamen teſtis debet eſſe omni exceptione maior, ſeu ſaltem idoneus, *Menochius de præſumpt. lib. 1. q. 35. n. 32., Molina tom. 3. de iuſt., & iur. diſp. 616. n. 15. verſ. quando autem, Surdus de aliment. tit. 1. q. 112. n. 23.*, quæ qualitas in multorum ſententia debet articulari, & probari *Bartolus in l. 1. §. ſi neget col. fin. ff. quemad. teſtam. aper., Surdus d. quæſt. 112. n. 24.* Neceſſe eſt tamen, quod huiuſmodi teſtes inducantur parte citata *Gratianus diſcept. for. tom. 2. c. 236. nu. 49., Menochius de adipiſ. poſſeſ. remed. 6. num. 18.* Secundo aſſero, quod ad decernenda alimenta filio, & litis expenſas ſufficiat lectura atteſtationum etiam non publicatarum *Cephalus conſ. 127. num. 10. lib. 1., Aſinius in praxi §. 32. ampliat. 19. in fin., Alciatus præſumpt. 9. reg. 3. n. 11.* cum atteſtationes etiam non publicatæ faciant præſumptionem non mediocrem, per textum *in c. ſignificauerunt de teſtibus, Surdus de aliment. tit. 1. q. 112. n. 27., Simon de Pretis de interpret. vlt. vol. lib. 5. interpret. 2. in princip. n. 17. in fin. folij 511.* Tertio, aſſero in hac ſummaria cognitione ad inducendam præſumptionem boni iuris actoris non dari repulſam teſtium, vt notat *Romanus ſingul. 383., Curtius in l. admonendi num. 68. ff. de iur. iur., Coarruuias pract. c. 17. verſ. ſeptimo, Menochius de præſumpt. lib. 1. q. 32. nu. 10., Stephanus Gratianus diſcept. for. tom. 2. c. 236. n. 44.* cum poſſit reparari damnum, ſi quod contigerit, in plenario iudicio; neque obſtant ea, quæ ſupra mox dicta ſunt, quod ſcilicet requiratur teſtis omni exceptione maior; non obſtat, inquam, quia hoc requiritur tantum, quando vnus dumtaxat concurrit teſtis.

Qui ſit omni exceptione maior.

Teſtes debent induci in hác cauſa parte citata.

Aliæ conditiones, & præſumptiones.

Ex eo autem, quod requiratur hæc præſumptio fortis ad decernenda alimenta, & litis expenſas petenti ſequitur, quod Iudex debeat vtriuſque partis, ſeu colligatoris iura perpendere, quod ſi rei conuenti præſumptiones præponderent illis actoris, debet eundem actorem repellere, prout docent *Menochius de præſumpt. lib. 1. q. 35. num. 6., Paſchalis de patria poteſt. par. 2. c. 3. n. 8., Fontanella de pact. nupt. to. 2. claus. 6. glos. 2. part. 4. nu. 28., Surdus de aliment. tit. 1. q. 112. num. 27.* præſumptiones etenim fortiores obſcurant minus efficaces, & validas *Gabriel. cons. 25. nu. 6., Menochius cons. 484.* quinimmo etiam ſi ſint æquales, & pares, mutuò eliduntur *Menochius de præſumpt. d. lib. 1. q. 35. n. 6., Fontanus de aliment. c. 13. n. 6.*

6 Si rei præſumptiones ſint fortiores, elidunt illas actoris.

Rurſus debemus aduertere, quod ad hoc, vt præſumptiones pro vtraque parte mutuo elidantur ad effectum, vt filio petenti denegentur alimenta, & litis expenſas

Digitized by Google

penſas requiratur, quod huiuſmodi præſumptiones ſint in eodem iudicio; ſi etenim ageretur in iudicio poſſeſſorio, & pro tali iuditio fortiores militarent præſumptiones pro filio actore, quantumuis in petitorio reus conuentus fortioribus præſumptionibus muniretur, non propterea eidem actori eſſent denegâda alimenta, & litis expenſæ pendente lite, prout obſeruauit *Rota Romana in Beneuentana Hæreditatis coram Seraphino de anno* 1568., dum ageretur poſſeſſorio, per textum *in l. fin. C. de edict. D. Adriani tollendo*, & peterentur alimenta, & litis expenſæ.

7 Præſumptiones, debent eſſe in eodē iudicio.

Hæc, quæ hactenus dicta ſunt, æquè intelligenda ſunt, ſiue filius contendens ſe eſſe filium agat pendente lite ad conſecutionem alimentorum, & litis expenſarum aduerſus patrem negantem, ſiue ſit Pater, qui aſſerens ſe eſſe talem, agat aduerſus filium ad conſequenda eadem alimenta, ſiue ſit nepos aduerſus auum paternum, ſiue auus paternus aduerſus nepotem, cum eadem militet ratio.

§. XI.

An filius pauper agens contra poſſeſſorem paternæ hæreditatis ex cauſa inofficioſi teſtamenti, debeat habere à reo conuento pendente lite alimēta, & litis expenſas.

SVMMARIVM.

Senſus diſquiſitionis exponitur. 1.

Si filius in querela inofficioſi teſtamenti in prima inſtantia obtinuerit ſententiam, ſunt eidem decernenda alimenta, & litis expenſas vsq; ad vltimatam ſententiam. 2.

Poteſt exegere etiam in prima inſtantia alimenta, & litis expenſas, ſi habeat præſumptiones pro ſe. 3.

Præſumptiones pro filio debent eſſe rationales. 4.

Explicatur quænam ſint rationales præſumptiones. 5.

DIſquiſitio XI. Pater condito ſuo vltimo teſtamento hæredem ſibi inſtituit perſonam quandam extraneam, vel fortè etiam conſanguineam præterito, vel fortè etiam exhæredato filio, & hæreditas fuit adita per illam perſonam vocatam in teſtamento, filius contendebat de inofficioſo aduerſus hæredem vocatum à Patre, cumque eſſet pauper, & inops, petebat ab eodem pendēte lite prouiſionalem, tàm pro alimentis, quam pro litis expenſis, aduerſus quem excipiebat hæres de iure ſibi competente ex vi teſtamenti, ex quo plenè vocatus eſt ad hæreditatem. Quæſitum hic fuit quid iuris?

1 Factum expoſitū.

Reſpondeo primo, ſi filius in querela inofficioſi teſtamenti in prima inſtantia obtinuerit pro ſe ſententiam, indubitati iuris eſt, quod eidem decernenda ſint alimenta, & litis expenſæ vſque ad conſummationem eiuſdem litis per vltimatam ſententiam *Manſuerius in ſua praxi tit. de poſſeſſorijs n.*13., *Menochius de arbitr. c.* 169. *n.*13., *& de præſumpt. lib.* 1. *præſumpt.* 35. *n.*1., 4., *& ſeqq.*, *Caluinus de æquitate lib.* 1. *præſumpt.* 35. *n.*1., 4., *& ſeqq.*, *Caluinus de æquitate lib.* 1. *c.* 72. *n.* 1., *& ſeqq.*, *Stephanus Gratianus discept. for. tom.* 2. *c.* 236. *n.* 1., *Corduba à Lara in l. ſi quis liberis §. ſi vel parens n.* 42. *ff. de lib. agnos.*

2 Si obtinuerit primam ſententiam, debet habere alimenta, & litis expenſas vſque ad finem.

Expreſsè colligitur *in l. ſi inſtituta §. de inofficioſo ff. de inofficioſo*, vbi ſic legitur *De inofficioſo teſtamento Nepos contra patruum ſuum, vel alium ſcriptum hæredem pro portione egerat, & obtinuerat, ſed ſcriptus hæres appellauerat, placuit interim propter inopiam pupilli alimenta pro modo facultatum, quæ per inofficioſi teſtamenti accuſationem pro parte ei vendicabātur, decerni, eaque aduerſarium ipſi ſubminiſtrare neceſſe habere vſque ad finem litis*. Ex qua diſpoſitione plura veniunt conſideranda primo, quod, ſi agens ad conſecutionem alimentorum, & litis expenſarum non fuerit inops, & pauper, ſit à petitione excludendus -Ibi- *Placuit interim propter inopiam pupilli*, cum etenim hic aſſignetur pro cauſa finali inopia, ea ceſſante non videtur locum habere diſpoſitio. Secundo, quod per ſcriptum hæredem ſint ſubminiſtranda alimenta, & litis expenſæ vſque ad terminationem litis per vltimatam ſententiam, a qua non amplius detur appellatio, nec recurſus, nec ſupplicatio -Ibi- *vſque ad finem litis*. Tertio non habere ſolum locum hanc diſpoſitionem quoad totum, quando in omnibus alijs hæres ſcriptus vocatus eſt, ſed etiam, quando filius in aliqua tantum parte fraudatus eſt, dummodo tamen, nec aliquam partem obtinuerit, ex cuius fructibus poſſit ſibi acquirere alimenta, & litis expenſas -Ibi- *pro portione egerat*, & hoc ea ratione, quia non minus poteſt intentari querela de inofficioſo teſtamento, quando filius in toto præteritus eſt, vel ſimpliciter exhæredatus, ſed etiam, quando in parte aliqua priuatus eſt, quæ ſibi de iure deberetur. Ratio horum omnium ea eſt, quæ habetur *in l.* 1. *§. ſed, & ſi incertum ſit ff. de ventre in poſſeſſionem mitten.* nempe, quia æquius eſt impendia fruſtra fieri, quam denegare alimenta ei, qui aliquo modo poteſt fieri domi-

Iura, & rationes, quæ probant aſſertionem.

dominus, & cum ius ipſius nedum fuerit delibatum in prima ſententia, ſed & cognitum, non eſt æquum, quod interim alimentis priuetur, & neceſſarijs, quibus pleniſſimè ſuum ius poſſit exhibere.

Reſpondeo ſecundo. Quantumuis in prima inſtantia circa querelam inofficioſi teſtamenti non fuerit ſententiam conſecutus, ſi tamen habeat validas præſumptiones pro ſe ipſo, & foueat odorem boni iuris, poteſt exigere etiam in eadem prima inſtantia per Iudicem ſibi decerni alimenta, & litis expenſas, quæ & obtinebit *Molina de primog. Hiſp. c.16. nu.36. Alter Molina Theologus tom. 3. de iuſt. & iur. diſp.616. nu.15., Fachinæus controu. var. lib. 12. c. 62., Stephanus Gratianus diſcept. for. tom.2. c.236. num. 4., Merenda controu. iur. tom.1. lib.5. c.30. num.2., Fontanella de pact. nupt. tom.2. clauſ.6. gloſ.2. part.4. n.26., Paſchalis de patria poteſt. part. 2. c.3. nu.60.* Maior difficultas, quæ poteſt eſſe in probatione præſentis aſſertionis, videtur deduci ex allegato textu *in l. ſi inſtituta §. de inofficioſo ff. de inoffic.*, vbi, cum decernatur ſolummodo deberi alimenta, & litis expenſas, ſi ſententiam obtinuerit in prima inſtantia - Ibi- *De inofficioſo contra hæredem ſcriptum egerat, & obtinuerat* videtur eadem adhuc non obtenta, non eſſe decernenda. Sed facili negotio ab hac difficultate me eximo aſſerens, quod ibi facta fuit mentio de ſententia obtenta in prima inſtantia, non quia eadem arbitraretur neceſſaria, ſed quia in cauſa, de qua ibi agebatur, iam illa ſententia fuerat obtenta, prout rectè notarunt *Rota Romana deciſ.1. tit. de iudicijs in antiquioribus, & in cauſa bonorum de Ceulis 3. Decembris* 1584. *coram Clemente VIII., Surdus de aliment. tit. 1. q. 112. num. 18., Fachinæus controuerſ. var. lib. 12. c.62.* Ratio igitur pro noſtra reſponſione ex eo deducitur, quia conſtanto de odore boni iuris actoris eadem ratio militat decernendi talia alimenta, ac litis expenſas, quando in prima inſtantia obtenta eſt ſententia in ordine ad proſequẽdam cauſam in ſecunda inſtantia appellationis, ac quando nulla eſt obtenta ſententia, ſed adhuc verſamur in prima inſtantia; ſiquidem ratio, ob quam iura decernunt eſſe præſtanda huiuſmodi alimenta pendente lite eſt agentis inopia, ne ſcilicet ob eandem deſtituatur debitis auxilijs, & ne in lite ſuccumbat ob defectum neceſſariorum, quæ ratio habet locum in vtroque caſu, vt per ſe patet.

3 Poteſt etiam petere in prima inſtãtia, ſi habeat præſumptiones pro ſe.

Ratio pro reſponſione.

Dixi tamen, *ſi habeat validas præſumptiones pro ſe ipſo, & foueat odorem boni iuris;* non etenim ex quacunque inani aſſertione filiationis debet hæc commoda aduerſus hæredem inſtitutum obtinere, ſicuti diximus in præcedente diſquiſitione de filio agente aduerſus Patrem ex prętenſo titulo filiationis. Sed, ſi inquiratur, quænam, & quales requirantur præſumptiones ad hunc effectum, & qualitèr conſtare debeat de ipſius filiatione iam ſubdo.

4 Præſumptiones pro filio debent eſſe rationales.

Reſpondeo tertio. Sufficere eam præſumptionem, ſi ſit in quaſi poſſeſſione filiationis, vel deſcendentiæ, vel quod Iudici ſummariè conſtet de bono iure, quod fouet ipſe actor modo ſupra explicato in præcedenti diſquiſitione *Petrus Barboſa ad l.1. part.1. num.58., & ſeqq. ff. ſolut. matrimon., Hieronymus Gabriel deciſ.25. nu.1., Pontanus de aliment. c.13. nu.7., Farinacius in repert. Iud. q.52. num.7., Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrim. part. 2. c.17. num.980., & ſeqq.* Hoc vnum aduertendum moneo, cum *Menochio de præſumpt. q.35. num.5.* videri ſufficientem pręſumptionem pro quaſi poſſeſſione filiationis, ſi Pater illum filium in ſuo teſtamento exhæredauerit. Rationes, quæ euincunt in præcedenti diſquiſitione, quod quaſi filiatio, & ſummaria cognitio aſſumpta à Iudice pro filiatione, quando filius agit aduerſus Patrem, ſufficiant ad conſequenda alimenta, & litis expenſas pendente eadem lite, videntur etiam in præſenti ſufficientèr euincere, quod ſufficiant, dum agit aduerſus hæredem Patris per quærelam inofficioſi teſtamenti ad eadem conſequenda pendente lite ab eodem hærede; vnde ſufficit ſemiplena probatio, & ex lectura atteſtationum etiam non publicatarum per ea, quæ ſupra commendauimus.

5 Explicantur, quænam ſint rationales præſumptiones.

§. XII.

Ad quoſnam extendatur diſpoſitio textus in d. l. ſi inſtituta §. de inofficioſo ff. de inofficioſo teſtamento.

SVMMARIVM.

Exponitur ſtatus diſquiſitionis. 1.

Etiam filijs emancipatis pendente lite debentur alimenta, & litis expenſas, ſi foueant bonum ius. 2.

Etiam filijs legitimatis per ſubſequens matrimonium. 3.

Etiam filijs in vtero exiſtentibus ventris nomine. 4.

Etiam filijs adoptiuis. 5.

Etiam Nepotibus per lineam virilem deſcendentibus, extantibus debitis conditionibus. 6.

Etiam Patri, Auo, & aſcendentibus agentibus

Digitized by Google

bus aduerſus hæredes filij nepotis &c. 7.
Etiam fratribus indigentibus &c. 8.
Etiam filijs illegitimis, & ſpurijs. 9.

DIſquiſitio XII. In præcitatis, & allegatis verbis eiuſdem textus habetur ſolummodo mentio de Nepote agente contra Patruum ſuum, vel contra aliũ hæredem ſcriptum; ſed hic aduertendum eſt, quod ibi appelletur Nepos non comparatiuè ad eum, qui hæreditatem reliquit, nam hic ſupponitur ipſius Pater, ſed comparatiuè ad eum, qui fuit inſtitutus, qui erat frater Patris, & per conſequens ipſe erat ipſius Nepos, & inſtitutus ipſe erat Patruus ipſius; Nihilominus quamuis ſupponeretur, quod ipſe eſſet Nepos, & ille, qui hæreditatem reliquit eſſet Patruus ipſius, ſi hæc verificantur de Nepote aduerſus Patruum, & bona ipſius, à fortiori verificari debent de filio agente aduerſus bona Patris, & hæredem ipſius. Hic iam quæritur in ordine ad quoſnam filios, & deſcendentes locum habeat diſpoſitio illius textus *in l. ſi inſtituta §. de inofficioſo ff. de inofficioſo teſtamento.*

1 Diſquiſitio expoſita in particulari.

Filij alij ſunt ſub patria poteſtate, alij emancipati, alij legitimi, & naturales, alij legitimati, vel per ſubſequens matrimonium, vel per reſcriptum Principis, vel per oblationem curiæ; alij ad lucem nati, alij exiſtentes in ventre matris prægnantis; alij à natura; alij per adoptionem à iure. Rurſus in ordine ad Nepotes deſcendentes per lineam virilem non ſolum ipſi immediatius deſcendentes poſſunt hic conſiderari, ſed pronepotes, alijque, qui magis diſtant &c.

Diuerſæ qualitates filiorum.

Rurſus examinari poteſt, an hæc diſpoſitio poſſit etiam extendi ad laterales, puta ad fratres, & ſorores inopes aduerſus fratres, & ſorores diuites in ordine ad conſequenda bona, ad quæ ius prætendunt habere, & alia, prout ex proceſſu reſponſionum.

Reſpondeo primo. Nedum filij in patria poteſtate exiſtentes, ſed etiam emancipati agentes aduerſus Patrem, vel eius hæredes ex querela inofficioſi teſtamenti, ſi ſint inopes, & habeant odorem boni iuris pendente lite debent conſequi alimenta, & expenſas litis vſque ad finem eiuſdem *Ludouicus Molina de primog. lib. 2. c. 16. num. 31., Stephanus Gratianus diſcept. forenſ. tom. 2. c. 236. num. 2., Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrimon. part. 2. c. 17. nu. 984., Menochius de præſumpt. lib. 1. q. 35. num.* 8. Ratio ex eo deducitur, quia ius ſuccedendi in bonis paternis non ſolum competit filijs ſub patria poteſtate exiſtentibus, ſed etiam filijs emancipatis, ergo, ſi tàm primi, quàm ſecundi ſint pauperes, & fuerint præteriti vel exhæredati, & foueant odorem boni iuris iuxta præallegata iuſtè pendente lite ſuper filiatione poterunt conſequi alimenta, & expenſas litis vſque ad conſummationem eiuſdem. Antecedens expreſsè colligitur ex textu *in §. nullam verò in auth. de hæredibus ab inteſtato venientibus*, ſecundum quem hodie ſublata eſt differentia in ordine ad ſuccedendum Patri, quæ inerat inter emancipatum, & exiſtentem ſub patria poteſtate, & congrua quidem ratione hoc inductum eſt; niſi etenim eidem prouideretur de alimentis, priuaretur bonis ſuis, ex quo nihil haberet ad illa proſequenda, & cogeretur modico recepto cedere, vel fame perire *l. ſi longius §. fin. ff. de iudicijs*, & in hoc etiam militat textus *in d. l. ſi inſtituta §. de inofficioſo ff. de inoffic. teſtam.*, quem celebrem dicit *Coaruuias pract. qq. c. 6. nu. 6.* Confirmatur, quia filio etiam emancipato, ſi aliunde non habeat, debentur alimenta, aliaque neceſſaria per Patrem per ea, quæ ſupra latè ſparſim commendauimus, ergo eodem filio emãcipato agente aduerſus hæredem Patris ſcriptum querela de inofficioſo teſtamento, ſi fuerit pauper, & foueat odorem boni iuris, eidem durante lite erunt decernenda per Iudicem alimenta, & litis expenſæ.

2 Etiã filij emancipati, ſi ſint inopes, & foueant bonũ ius poſſunt habere alimenta, & litis expenſas.

Reſpondeo ſecundo. Etiam filij legitimati per ſubſequens matrimonium, quinimmo, & per oblationem curiæ, & per reſcriptum Principis agentes quærela inofficioſi teſtamenti aduerſus hæredem ſcriptum Patris, ſi fuerint pauperes, & foueant odorem boni iuris debent conſequi durante lite alimenta, & eiuſdem litis expenſas vſque ad conſummationem eiuſdem *Molina de primog. Hiſpan. lib. 2. c. 16. num. 32., Menochius de præſumpt. q. 35. num. 10., Surdus de alimentis tit. 1. q. 111. num. 9., Stephanus Gratianus diſcept. forenſ. tom. 2. c. 236. nu. 3., Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrim. part. 2. c. 17. num. 985.* Ratio ex eo deducitur, quia ſic legitimati in ordine ad ſucceſſionem, & ad alimenta non differunt à verè legitimis conceptis ex legitimo matrimonio, quinimmo legitimati per ſubſequens matrimonium dicuntur verè, & propriè legitimi per textum *in c. tanta, qui filij ſint legitimi, & l. cum quis C. de natur. liberis*, ergo, ſi verè fuerint pauperes, & bona iuris præſumptione muniantur æquè, ac legitimi habere debent pendente lite alimenta, & expenſas eiuſdem litis.

3 Etiam filijs legitimatis per ſubſequẽs matrimonium.

Reſpondeo tertio. Filij ne dum nati ad lucem, ſed etiam in ventre exiſtentes pendente lite per querelam inofficioſi teſtamenti conſequi poſſunt ventris nomine ali-

alimenta, ſeu litis expenſas, ſi venter, ſeu mater fuerit pauper &c. *Surdus de aliment. tit.1.q.111., & 114. per totum, Gutierez canon.qq.c.24., Paguerius deciſ.crim.21. nu.5., Barboſa in rub. ff. ſolut. matrimon. part. 2. num.44. in fin., Stephanus Gratianus diſcept. for. tom.2.c.236.num.3.* Ratio ex eo deducitur, quia mater ſemper habet alimenta ventris nomine *l.1., & l.curator ff. de ventre in poſſeſſ. mittendo*, & ſufficit, quod proles in eodem ventre exiſtens poſſit aliquo modo eſſe hæres, prout notant *Gratianus, & Surdus locis cit.*

4 Etiam filijs in ventre exiſtẽtibus ventris nomine.

Reſpondeo quarto. Etiam filijs adoptiuis agentibus querela inofficioſi teſtamenti, ſi fuerint pauperes, & habuerint alias conditiones, de quibus in præcedentibus, competit ius conſequendi alimenta, & litis expenſas pendente eadem lite vſque ad conſummationem eiuſdem *Stephanus Gratianus d.tom.2. diſcept. forenſ. c.236.nu.3., Surdus de aliment. tit.1.q.114., Ioannes Lupi tract. de illegitimis tom.2. §.3. num.63.* Ratio ex eo deducitur, quia adoptiui æquè ſuccedunt cum legitimis maximè, ſi adoptio facta ſit auctoritate Principis *§. ſed hodie Inſtit. de adopt. §. ſed, & verſ. inuenimus Inſtit. de hæred., quæ ab inteſt. defert*, quandoquidem reſpectu bonorum Patris adoptantis, adoptiui tenent locum hæredis ſui per *text. in l.cum adoptiuis §. ſed ſiquidem C. de adopt. l. arrogato ff. de Senat., Baldus in l. cum quem C. de fideicom., Romanus in l. venter ff. de acquir. hæred., Tiraquel in l. ſi vnquam verb. ſuſceperit liberos num.19., & 2. C. de reuoc. donat.*

5 Etiam filijs adoptiuis.

Reſpondeo quinto. Hæc diſpoſitio, ſi extent omnes conditiones, de quibus ex præcedentibus, extenditur non ſolum ad Nepotes per lineam virilem deſcendentes, ſed etiam ad pronepotes, & ad alios quoſuis deſcendentes à teſtatore *Rebuffus ad leges Galliæ in primo tom. tract. de ſententia prouiſ. art. 1. gloſ. 2. col. 2., Couarruuias pract. qq. c. 6. num. 6. in princ p., Molina de primog. Hiſp. lib. 2. c. 16. num. 34., Molina Theologus de iuſt. tom. 3. diſp. 616. n. 15.* Ratio ex eo deducitur, quia quoad iſtos etiam militat ratio illius inopiæ, ob quã deſtituerentur omnibus auxilijs ad proſequenda ſua, vel modico recepto tenerentur ſuis iuribus cedere, vel fame perire. Maior ratio dubitandi ex eo conſurgit, an hæc diſpoſitio in fauorem Nepotum, & pronepotum, aliorumque deſcendentium ex eodem teſtatore extendatur ad ipſos, ſi fuerint emancipati. Negant *Surdus de aliment. tit.1. q.111. num.6., Stephanus Gratianus diſcept. for. tom. 2. c. 236. num. 2.*, eo quia arbitrentur inter Nepotes emancipatos, & Nepotes exiſtentes ſub patria poteſtate non eſſe ſublatam differentiam, quæ modo ſublata eſt per textum *in §. nullam verò in auth. de hæred. ab inteſt. venient.* inter filium emancipatum, & exiſtentem ſub patria poteſtate, quod etiam habet *Cinus in l. qui, ſi Patris num.6. verſ. nec obſtat, ſi dicatur hodie C. vnde liberi*. Sed quidquid ſit de hoc tu cogita.

6 Etiam nepotibus per lineã virilem deſcendẽtibus, & pronepotibus, ſi aliunde non habeant.

Reſpondeo ſexto. Hæc diſpoſitio, quæ extenditur ad filios, Nepotes, cæteroſque deſcendentes, ſeruatis eiſdem conditionibus, & qualitatibus extenditur etiam ad Patrem, Auum, & aſcendentes *Menochius de præſumpt. lib.1. q.35. num. 16., Surdus de alimentis tit.1. q.111. num.26., Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrim. part. 2. c.17. num. 1002.* Ratio ex ijs deducitur, quæ ſupra dicebamus, quod ſcilicet non minus legitima debeatur Patri, ac cæteris aſcendentibus, ac debeatur a Patre filijs, & deſcẽdentibus, ergo eiſdem parentibus, quando indigent, ſunt à filijs alimenta præſtanda per textum *in l. nam etſi parentibus ff. de inoffic. l. ſcripto hærede in fine, & ibi Gloſa ff. vnde liberi, c. prædicator 16. q. 1.*

7 Etiam Patri, Auo, & aſcendentibus agentibus aduerſus hæredes filij Nepotis &c.

Reſpondeo ſeptimo. Prædicta diſpoſitio extendenda eſt etiam in fratribus, & ſororibus indigentibus petentibus à primogenito alimenta, legitimas, & dotes, quas titulo primogeniti eis præſtare tenetur *Afflictus deciſ. 11., Vrſillus ad deciſ. 10. num. 4., Paſchalis de patria poteſt. part. 2. c. 3. num. 68., Molina de primog. Hiſp. lib. 2. c. 16. num. 35.*, propter eandem rationem, de qua in præcedentibus.

8 Etiam fratribus indigẽtibus &c.

Demum procedit in ordine ad eos omnes, qui habent aliquod ius in ordine ad aliquam ſucceſſionem, vel ad alimenta etiam, ſi ſint laterales, prout notat *Alciatus conſ.449., Mareſcotus var. lib. 2. c. 83. num. 13., Simon de Pretis de interpretat. vlt. volunt. lib. 5. interpret. 2. dub. 2. num. 18.* ſiue tale ius habeant ex teſtamento, ſiue ex iure ſibi competente ab inteſtato; ſic in particulari conceditur talis diſpoſitio fratri contra fratrem agenti ad portionem hæreditatis paternæ ſibi debitæ actione familiæ erciſcundæ, vel communi diuidundo *Rebuffus in comm. ad conſtitut. Galliæ tom.1 tit. de ſent. prouiſ. art. 1. gloſ. 2. col. 2., Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrim. part. 2. c. 17. nu. 1006.*, in hoc etenim etiam militat eadem æquitatis ratio.

Sed quid ſentiendum ſit de filijs illegitimis, & ſpurijs? Dicendum eſt talem diſpoſitionem habere etiam locum in eiſdem, quatenus agant pro alimentis ex iuris diſpoſitione ſibi debitis, vel pro legato alimentorum ſibi a Patre relictorum *Corduba à Lara in l. ſi quis à liberis §. 1. vel parens num. 63. ff. de liber. agnoſcen., Rebuffus in primo tom. ad leges Galliæ tract. de ſent. prouiſ. art. 1. gloſ. 2. num. 30., Surdus de alim.*

9 Etiam filijs illegitimis, & ſpurijs.

tit.

Digitized by Google

tit. primo q. 115. *num.* 2., *Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrim. part.* 2. *c.* 17. *num.* 1007., cum etiam in ordine ad hæc omnia militat prædicta ratio æquitatis; quinimmò, ſi Pater eidem naturali aliquid reliquerit in caſibus, in quibus eum poteſt inſtituere, vel aliquid eidem relinquere, filius naturalis agens ad eorum conſecutionem, & non habens, quo poſſit viuere, & litem proſequi, debet conſequi alimenta, & neceſſaria ad litis proſecutionem ſic Iudice decernente *Surdus loc. cit. num.* 3., & 4., & *Ioannes Angelus Boſſius loc. pariter cit.*, propter eandem rationem. Hoc tamen vnum aduertendum eſt, quod, ſi Pater ſuum condiderit teſtamentum, & nihil filio naturali illegitimo reliquerit, non poſſit hic teſtamentum conditum infringere, nec illi debeantur alimenta, nec litis expenſas, cum haberet aduerſus ſe præſumptionem ex teſtamento inſurgentem, & calumnioſam litem ageret *Hieronymus Gabriel conſ.* 25. *nu.* 10. *p.* 1., *Ioannes Angelus Boſſius loc. cit. n.* 1008. non enim Pater ei aliquid relinquere tenetur ex teſtamento, ſi de eo nullam mentionem in eodem teſtamento fecerit, habetur omnino pro extraneo per textum *in l. fin. C. de natur. lib.*, & ſic nullam iuſtam habet cauſam agendi, & propterea ex tali actione non poteſt iuſtè conſequi alimenta, nec litis expenſas.

DISQVISITIONES II.

Ad reliquas omnes de Matrimonio IX. Prænotiones.

§. I.

An Pater teneatur iterum dare alimenta filio, qui culposè conſumpſit quantitatem ſibi ſemel pro eis datam.

SVMMARIVM.

Exponitur ſtatus diſquiſitionis. 1.
Pater iterum tenetur conferre, quamuis filius culposè conſumpſerit. 2.
In hac tamen hypotheſi tenetur tantum conferre neceſſaria naturæ. 3.
Intellige, ſi culpa fuerit præmeditata, & ordinata ad caſum. 4.
Soluuntur rationes oppoſitæ ſententiæ. 5.

DIſquiſitio I. Pater ſemel aſſignauit determinatam quantitatem, ſeu determinatos reditus filio, quæ ſeu, qui eidem inſeruirent pro alimentis ſucceſſiuè tempore. Filius vel cum culpa, vel ſine ea, vel cum dolo, vel ſine eo quantitatem illam, ſeu redditus conſumpſit. Quæſitum hic fuit, an Pater teneatur iterum eidem alimenta ſubminiſtrare? Y *Exponitur ſtatus diſquiſitionis.*

Nota hic, quod, quamuis Pater filiam dotauerit ſemel, teneatur iterum, atque iterum, & quoties opus fuerit eandem dotare, ſi ſine ipſius culpa fuerit conſumpta, prout docet *Bartolus in l. ſi ſocius pro filia, & ibi Baldus verſ. ſecundo nota ff. pro ſocio, Baeza de non melior. dot. rat. filiabus c.* 26. *num.* 32., *Michael de Accol. conſ.* 94. *in ordine in primo vol. conſ. ad vlt. volum.*, *Angelus de Gambellio conſ.* 95. *in ordine*, *Antonius Faber in ſuo Cod. lib.* 5. *tit.* 6. *de dotis promiſ. def.* 13., ſi tamen filia eandem dolosè, & culpabilitèr conſumpſerit, non teneatur Pater ad vlteriorem dotationem *Bartolus in l. ſi cum dotem* §. 1. *num.* 2., *& ibi Alexander num.* 6. *ff. ſolut. matrim.*, *Ludouicus Molina de primog. Hiſpan. lib.* 2. *c.* 12. *num.* 23., *Ripa in l.* 2. §. 2. *num.* 7. *ff. ſolut. matrimon.*, *Giurba deciſ. Siciliæ* 3. *n.* 10., *& num.* 39., *Tiraquel in l. boues* §. *hoc ſermone limit.* 9. *num.* 4. *ff. de verb. ſignif.*, & alij innumeri quos refert, & ſequitur *Fontanella de pact. nupt. tom.* 2. *clauſula* 5. *gloſ.* 1. *part.* 1. *num.* 72. *ad* 76., ex quo inferunt plures, quod etiam, ſi Pater alimenta tradiderit, ſeu quantitatem pro eiſdem, & filius culpabilitèr, & dolosè conſumpſerit, non teneatur amplius illa tradere, cum in hoc valere videatur argumentum de dote ad alimenta potiſſimum, cum dos conſtituatur loco alimentorum. Sed quidquid ſit de dote, de qua infra. *Nonnulla notabilia circa eadem.*

Reſpondeo, Patrem teneri iterum dare alimenta filio, quantumuis hic culposè conſumpſerit quantitatem ſibi aſſignatam pro eiſdem alimentis *Baldus in l. ſi captiui ad fin. C. de Epiſcop., & Cleric.*, *Cabedo deciſ.* 148. *in prima parte, vbi teſtatur ita deciſum fuiſſe in Senatu Portugalliæ. Iaſon in l. ſi cum dotem* §. 1. *num.* 7., *& ſeqq. ff. ſolut. matrim.*, *Fontanella de pact. nupt. tom.* 2. *clauſul.* 5. *gloſ.* 1. *part.* 1. *num.* 76., *Azorius part.* 2. *lib.* 2. *c.* 4. *q.* 12., *Merenda controu. var. lib.* 4. *c.* 34. *num.* 6. Ratio ex eo deducitur, quia onus, quod habet Pater alendi filios, deſcendit ab ipſa natura cum iure ſanguinis, & quidem non præcisè inclinante, ſed compellente per ea, quæ ſupra commendauimus. Sed hoc ius naturæ adhuc viget, quantumuis filius portionem ſibi aſſignatam pro alimentis dolosè conſumpſerit prodigendo in commeſſationibus, & luxurijs cum meretricibus, ſi filius reperiatur in egeſtate, nec habeat, quo poſſit ſibi victum acquirere, cum iura naturalia nullo extrinſeco accidenti Z *Pater tenetur iterum alimenta conferre filio, quãtumuis culposè quantitatem pro eiſdem aſſignatam conſũpſerit.*

Digitized by Google

poſſint tolli per textum *in l. eas obligationes ff. de capit. diminut. §. ſed naturalia Inſtit. de iure naturali, & l. iura ſanguinis ff. de reg. iur., Iaſon in l. ſi cum dotem §. 1. num. 7. ff. ſolut. matrim.*, ergo extante filio in neceſſitate, & indigentia alimentorum ex eo, quod conſumpſerit iam ſibi aſſignata à Patre, non eximetur hic ab onere illa iterum eidem præſtanda, cum iura naturalia non tollantur ex cauſa præterita, quantumuis culpabili *Oſaſcus deciſ. 124. num. 9., & 10., Peregrinus de fideicom. art. 36. nu. 145., & ſeqq.*

Contendunt hic DD. ex ſuppoſitione, quod alimenta iterum debeantur filio per
3 Patrem, quantumuis illa doloſè, & per culpam conſumpſerit, an debeantur ſecundum quantitatem, & qualitatem congruam ſtatui, & dignitati perſonarum, an verò dumtaxat neceſſaria naturæ? Communius ſuſtinent Iuris interpretes tantum deberi alimenta iterum præſtari juxta indigentiam, & neceſſitatem, non ſecundum dignitatem ſtatus, & perſonæ *Menochius de arbitrar. caſ. 182. à num. 45. ad 54., Giurba deciſ. 6. num. 13. in fin., Ludouicus Molina de primog. Hiſp. lib. 2. c. 1. ferè per totum, Corduba à Lara in l. ſi quis à liberis § idem Iudex num. 10. ff. de lib. agnoſc., Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrim. part. 2. c. 10. num. 672.* Rationem ex eo deduco, quia, quantumuis ex culpa præterita non poſſit tolli ius naturale obligans Patrem ad contribuenda alimenta filio; culpa præterita, ſi fuerit doloſa poteſt tamen demere, & quæ ſunt de congruentia naturæ, quæque non ita ſtrictè obligant; æquum enim non eſt, nec iuri naturali valdè conſonum, vt culpa nocentis noceat innocenti per textum *in l. ex duobus in fin. ff. de negot. geſt., & l. quiſquis in ſuo §. legis C. de inoff. c. teſtamento l. 1. ff. de iuſtitia, & iure c. culpa ſua de reg. iur. in ſexto*, præcipuè cum in iure cautum ſit maleficium, & malè merentem egeſtate debere laborare *l. bona fides ff. de poſiti*, & ſic Pater contribuendo alimenta iuxta neceſſitatem, & indigentiam, ne fame pereat, ſatisfacit iuri naturæ ſtrictè compellenti, denegando verò pinguiora iuxta decentiam, & dignitatem ſtatus, & perſonæ quodamodo conformatur iuri naturæ, dum comprimit alterius malitiam, & fraudem, ne ſcilicet ex ſuo maleficio, & dolo vtilitatem reportet, & moneatur ad vlterius delinquendum, in præiudicium Patris. Confirmatur, quia dato etiam, quod contribuere alimenta filio iuxta dignitatem perſonæ eſſet quoquo modo de iure naturæ, eſt tamen etiam contra ius naturæ, naturalemque rationem quoquo modo fouere alterius malitiam, & tribuere occaſionem vlterius peccandi, & vnum ex facto alterius delinquentis lædi; in concurſu autem huius duplicis iuris naturalis, potius eſt eligendum, quod delinquens egeſtate laboret, & remoueatur ab vlteriori occaſione delinquendi, dummodo tamen habeat neceſſaria naturæ; quam quod innocens ex ipſius facto lędatur, & foueatur delinquentis malitia, cum hoc cedat in damnum commune, & publicum bonum exigat, vt delinquentes coerceantur.

In hac tamen hypotheſi tenetur tantum conferre neceſſaria naturæ.

Rationes pro reſponſione.

Si autem hic inquiras, quid ſentiendum ſit, ſi filius quidem ſua culpa amiſerit portionem ſibi à Patre aſſignatam pro alimentis, ſed ſine dolo, aut culpa 4
præmeditata, & ordinata ad caſum; hocque contingeret, ſi delictum aliquod graue comiſerit, ob quod ad ſe redimendum à vexatione portionem illam expenderit, vel in ea paſſus fuerit confiſcationem, an ſcilicet tunc Pater iterum teneatur alimenta præſtare iuxta decentiam ſtatus? Probabilius crederem, teneri ad talia alimenta præſtanda iuxta *decentiam ſtatus Fulgoſius in auth. res quæ C. communia de legat., Decius in c. quæ in Eccleſiarum nu. 30. in fine de conſtit., Alexander in l. ſi fideiuſſor §. ſi neceſſaria ff. qui ſatiſd. cogant.* Rationem ex eo deduco primò, quia ex eo, quod filius deliquerit in aliquo genere, quantumuis grauitèr, non eximitur Pater ab onere eidem præſtandi congrua alimenta iuxta proprium ſtatum; quantumuis ad ipſum coercendum, & remouendum à tali delicto poſſit ad tempus talia alimenta aliqualiter diminuere, ergo, nec eximetur à tali onere, quantumuis ſemel contulerit portionem ſufficientem pro talibus alimentis, eaque ex cauſa talis delicti occaſionalitèr fuerint deperdita. Cõſequentia probatur, quia ſuppoſito, quod delictum ſecundum ſe non conferat ad priuationem iuris conſequendi alimenta, & quod illud non fuerit ordinatum ad caſum, illa amiſſio præcedentis portionis aſſignatæ pro alimentis perindè eſſet, ac ſi caſu fortuito euenerit; quando autem contingit amiſſio ex caſu fortuito, & inopinato nemine diſceptante iterum per Patrem debentur alimenta iuxta dignitatem ſtatus, & perſonæ *Corduba à Lara in d. l. ſi quis à liberis §. idem Iudex num. 14. ff. de lib. agnoſc., Peregrinus de fideicom. art. 36. num. 146., Menochius de arbitrar. caſ. 182. num. 24., Merlinus de legit. lib. 2. tit. 2. q. 30. num. 11., & 16., Mangilius de imput. q. 164. num. 4., Surdus de alimentis tit. 7. q. 15. nu. 11.* Quod autem perindè habeatur, ac ſi caſu fortuito illa amiſſio contigiſſet, docet *Gloſa in c. quâ diuerſitatem verb. ſuſpenſus de conceſſion. præbend., & ibi Auguſtinus Barboſa*

Intellige, ſi culpa fuerit præmeditata, & ordinata ad caſũ, ſecus, ſi ex accidenti.

Illud delictum nõ confert ad priuationem iuris ad alimenta.

Digitized by Google

boſa num. 8., & alij plures concordantes quos refert *Menochius de arbitrar. caſ.* 182. *num.* 59., dum dicunt, quod talis culpa in ordine ad hunc effectum nõ ſit conſiderabilis. Secundo rationem ex eo deduco, quia, ſi Pater non aſſignauerit filio certam portionem pro alimentis, & filius grauitèr deliquerit, & Pater ipſe ad liberandum filium à vexatione tantum inſumpſerit, quantum correſpondeat illi portioni, non propterea eximatur Pater ab onere præſtandi eidem filio alimenta ſecundum decentiam proprij ſtatus, & conditionis, non niſi, quia illud delictum non liberat Patrem ad præſtanda congrua alimenta, nec expenſæ factæ in redemptione vexationis ſunt computandæ pro onere alimentorum debitorum pro futuro, ergo, quamuis Pater aſſignauerit certam ſummam pro alimentis, & hæc conſumpta fuerit ad redimendam vexationem pro delicto ab eodem filio commiſſo non cum animo præmeditato, & ordinato ad caſum, non eximetur Pater ab onere eadem alimenta iterum contribuendi, quandoquidem parum referre poteſt, quod quantitas aſſignata pro alimentis conſumpta fuerit ad redimendam vexationem delicti, ac alia ſimilis quantitas, cum vtraque fuerit inſumpta in fauorem filij.

Aliæ rationes pro hac reſolutione.

5 **Soluuntur rationes oppoſitæ.**

Neque obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, quod neceſſitas illa non ſit conſideranda, quam propria culpa induxit per textum *in l. ſi fideiuſſor §. neceſſaria ff. qui ſatiſd. cog.*, *Bartolus in l. ſi poſt dotem §. ſi poſt ſolutum ff. ſolut. matrim.*, *Menochius de arbitrar. caſ.* 182. *num.* 58., *& ſeqq.*; cum igitur filius delinquendo in illam inopiam ſe induxerit, inopia illa non poteſt eadem ſuffragari; Non, inquam, obeſſe poteſt, quia conſideranda eſt culpa, an ſcilicet inducta animo ordinato ad caſum, an verò omnino diſparato, nec ad illam inopiam relato; textus procedit de culpa primo modo ſumpta, non de culpa ſecundo modo iuxta probata.

Ad rationem, quæ ex aduerſo contra reſponſionem afferebatur in principio diſquiſitionis, dicendum eſt (quidquid ſit de dote amiſſa, de qua latè erit ſermo in ſequenti volumine) diſparem omnino eſſe rationem, quia, vt benè explicant *Fontanella de pact. nupt. clauſ.* 5. *gloſ.* 1. *p.* 1., *Corduba à Lara in l. ſi quis à liberis §. idem Iudex num.* 25., *Peregrinus de fideicom. art.* 36. *num.* 146. alimenta vitæ neceſſaria debentur filijs iure naturæ; dos autem debetur tantum iure ciuili.

§. II.

An alimenta ſint per Patrem filijs ex redditibus tantum præſtanda, an verò etiam ex venditione proprietatum.

SVMMARIVM.

Explicatur ſtatus diſquiſitionis. 1.

Debentur ſolummodo tàm à Patre, quàm ab hærede ipſius ad ratam redditũum. 2.

Et ſunt detrahendæ expenſæ factæ in eorundem redditũum collectione. 3.

Pater ad alendos congruè filios, non tenetur alienare proprietatem patrimonij. 4.

Si tamen fructus non eſſet ſufficientes ad vitæ neceſſaria teneretur proprietatem vendere, quod à fortiori intellige de filio, qui ad neceſſaria Patri præſtanda teneretur proprietatem vendere, ſi fructus non eſſet ſufficientes. 5.

DIſquiſitio II. Dictum eſt in præcedentibus, ijs, quibus præſtanda ſunt alimenta iure ſanguinis, eadem deberi iuxta dignitatem, & conditionem perſonarum, & vires patrimonij. Modo ſupponimus, quod Pater plura habeat bona immobilia, ſed non reddentia proportionatos redditus, ſed modicos, adeout, ſi alimenta proportionanda ſint redditibus, debeant eſſe modica, ſeu in modica quantitate, ſi verò proprietatibus immobilibus, vtique eſſet pinguia, & in magna quantitate. Hinc quæritur, an quantitas alimentorum taxanda ſint ad normam redditũum, an verò ad normam proprietatum, quatenus iſtæ vendendæ ſint, vt ex eorum pretio extrahantur congrua alimenta? 1

Status diſquiſitionis expoſitus.

Reſpondeo deberi ſolummodo ad ratam redditũum, quod non ſolum verificatur in Patre in ordine ad filios, ſed etiam in hærede in ordine ad filios inſtitutoris, ſeu ad alimentarios, quos teſtator iuſſit ali iuxta vires proprij patrimonij *Simon de Pretis de interpret. vlt. volunt. lib.* 4. *interpr.* 1. *num.* 70, *Pontanus de aliment. c.* 17. *nu.* 25., *Menochius de arbitr. caſ.* 169. *nu.* 3., *Marta de ſucceſſ. part.* 4. *q.* 18. *art.* 7. *num.* 14., *Petrus Barboſa ad l. maritum num.* 13. *ff. ſolut. matrim.*, *Vaſquez opuſc. de teſtam. c.* 5. *§.* 7. *dub.* 12. *num.* 144. 2

Debentur ſolum ad ratam redditũum.

Expreſsè colligitur ex textu *in l. ius alimentorum §.* 1. *ff. vbi pup. educ. debeant, & in l. Imperator ff. ad Trebel.*, nec incongrua ratione hoc decerni cenſendum eſt, quandoquidem rationabilitèr præſumi nequit,

Rationes, & iura pro reſponſione.

quod iura, ſeu teſtator voluerint, quod proprietates alienarentur, ex quorum fructibus ſucceſſiuis percipiuntur alimenta, & reditus ad ſuſtentationem tùm Domini,ſeu hęredis, tùm ipſius alimentarij; ex qua alienatione contingere poteſt, quod quandoque tùm ipſe Dominus, tùm alimentarius priuentur alimentis; vnde vires patrimonij in ordine ad hæc onera alimentorum, & ſimilium ſumenda ſunt in ordine ad reditus, & fructus, non in ordine ad proprietates *Cranetta conſ.199. num. 1., Bologninus ad conſ. Ioannis de Anania in conſil. 12., Salgado in labyrint.credit. part.1.c.24.nu.16.*, vbi allegat textum *in l.ius alimentorum §.modum ff. vbi pupil. educ. deb.*, & ibi eſt optima gloſa in verb. redditum. *Bartolus in l.cum alimenta ff. de aliment., & cib. leg. Angelus in l. Imperator ff. ad Trebell.*, vnde,ſi adſint in patrimonio ædificia ſumptuoſa,magnique valoris, ſi reditus tamen ſiut parui, ij æſtimandi ſunt,non proprietas,nec hæc vendenda eſt ad alimenta præſtanda *Antonius Gomez in lib.10.,Tauri num.4., Tellus Fernandez in d.l.10.,Tauri num.14., Ioannes Garzias in tract. de expenſ.c.4. num. 18., Salgado loc.cit. num.18.*

Neque huiuſmodi reditus, ad quorum vires taxanda ſunt alimenta,ſumendi ſunt ſimpliciter, ſed deductis omnibus expenſis factis in eorum collectione, & perceptione, vt ſi ex agris, & predijs percipiũtur, debeant deduci expenſæ in aratione agrorum, & prædiorum,in collectione fructuum,& ſimilium,quandoquidem huiuſmodi expenſæ diminuunt fructus,prout habetur *in l. fructus ff. ſolut. matrim., Coarruuias var. lib.1.c.3.num.3., Menochius de recup. poſſeſſ. remed.15.num.574., Surdus de aliment.tit.9. q. 12. num. 15.* Sed, an etiam deducendæ ſit expenſæ, quæ fiunt in tributis, & oneribus Principi perſoluendis, abſolutè arbitror affirmatiuè reſpondendum, quandoquidem, & iſtæ fructus diminuunt. Neque hic audiendus eſt *Afflictus in deciſ. Conſil. Neapolit. deciſ.252. num.7., & ſeqq.*, dum vult conſiderandas eſſe, & deducendas ſolum expenſas, quæ fiunt in ordine ad fructus percipiendos,& colligendos,non autem, quæ fiunt ratione ſubiectionis, & obedientiæ in ordine ad ſolutionem tributorum regalium, quod videtur colligere *ex c.ſua nos de Decimis*,vbi Pontifex decernit decimam prædialem debitam Eccleſiæ, & Parocho ſoluendam ex omnibus fructibus, non deductis expenſis &c. Non,inquam,audiendus eſt, quia textus *in l. fructus ff. ſolut. matrimon.* loquitur abſolutè, & ſimpliciter ſine vlla limitatione, ac proinde comprehendit omnes expenſas;

3 Et ſunt detrahendæ expēſæ factæ in eorum redditū collectione.

nec textus *in d.c.tua nos de Decimis*, aliquid euincit aduerſus noſtrum aſſertum, nam hoc eſt ſpeciale in Decimis, quod propterea non eſt extendendum ad alia,vt benè notat *Sotus de iuſt. lib.9. q. 4.art.2. ante reſponſ.ad arg. ad fin.*

Ex quibus omnibus deducere poteris, quod Pater ad alendum filium iuxta decentiam proprij ſtatus,& conditionis nõ teneatur alienare proprietatem patrimonij, ſed ſolummodo eidem prouidere ex fructibus eiuſdem, prout docent in terminis *Crauetta conſ.199.num.1., Surdus de aliment.tit.4.q.9., Beniuendus deciſ.22.nu.5., Salgado de labyrint. credit. part.1.c.24. num.* 18. Ex aduerſo etiam ſequitur, quod, ſi filius debeat alere Patrem indigentem, non proprietates alienare teneatur, ſed tantum ex fructibus, & acceſſionibus proprietatis alere per textum *in d.l.Imperator ff.ad Trebell.*

4 Pater ad alendum filium nõ tenetur alienare proprietatem patrimonij.

Quid verò ſentiendum ſit, ſi fructus ex proprietate filij non ſint ſufficientes ad alendum Patrem indigentem, quantum ad vitæ neceſſaria, *tunc probabilius eſt, proprietatem ipſam diſtrahendam eſſe Corduba à Lara in l.ſi quis à liberis in princip. num.40. ff. de lib.agnoſ.*, cui non diſſentiri videtur *Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrim. part.2 c.13.num.791.*, rationemque ex eo deducunt, quod nos etiam alibi docuimus,quod ſcilicet Pater in neceſſitate vitæ propriæ poſſit filios vendere,& hoc *tom. 6. ſub tit. Contractus XV. de Matrimon.2. Diſq.2.§.15.num.2.*, prout etiam docent *Salicetus in l. 2. num. 1. C. de pat. qui fil. diſtrax., & ibi Baldus num. 3.*, & colligitur expreſsè *ex d. l. 2. in princip.*, ergo à fortiori poterit in hac hypotheſi vendere proprietatem filij *arg. textus in c. præcipimus 12. q.1.* Sed, an hoc idem dicendum ſit, ſi Pater, qui debet ex iure ſanguinis alere filium, non poſſit ex fructibus ſuarum proprietatum conferre filio alimenta,quantum ſufficiant ad vitę neceſſitatem, an ſcilicet teneatur vendere proprietatem ad præſtanda talia alimenta neceſſaria; dico, quod ob illam rationem,quam aſſignauimus pro Patre,quod ſcilicet poſſit filium vendere ad acquirenda ſibi neceſſaria ad vitam, non teneatur Pater proprietatem ſuorum bonorum vendere, cum filius nequeat Patrem vendere in ordine ad ſui etiam neceſſariam ſuſtentationem; ex alio tamen capite arbitror, teneri proprietatem alienare, ſi ex eiuſdem alienatione poſſet ſibi, & filio pro toto vitæ ſuæ tempore conſulere, quia neceſſitas, & obligatio naturalis pietatis præualere debet iuri, quod quis habet conſeruandi proprietates ſui patrimonij.

5 Si tamen fructus nõ eſſent ſufficientes ad vitæ neceſſaria teneretur proprietatem vendere.

Rationes pro reſolutione.

§. III.

Digitized by Google

§. III.

Vtrum filius, ſi habeat bona ſtabilia, ex quorum fructibus non poſſit ſufficientèr ſe alere, teneatur eadem bona alienare, vt an pretio ſe alat, an verò teneatur Pater ſupplementum alimentorum præſtare.

SVMMARIVM.

Status diſquiſitionis. 1.
Sententia aſſerens filios legitimos non teneri vendere proprietatem. 2.
Sententia aſſerens teneri vendere, nec Patrem teneri ſupplere. 3.
Sententia aſſerens filium non teneri vendere, ſed Patrem teneri ſupplere. 4.
Si proprietas ſit parui valoris, & modici redditus filius non tenetur vendere. 5.
Si ſit magni valoris, adeo vt pretium ex illa perceptum implicatum magnos redderet fructus, probabilius tenetur vendere. 6.
Soluuntur nonnulla inſtantiæ oppoſitæ. 7.

1 *Status diſquiſitionis.*

DIſquiſitio III. Certum eſt ex prædictis, quod, ſi filius aliunde habeat, quo congruè poſſit ſe alere, non teneatur Pater eidem alimenta conferre. Hinc ſuppono, quod filius aliunde habeat bona aliqua ſtabilia, non tamen talium reddituum, vt ſufficiant ad ipſius congruam ſuſtentationem. Subinde quæro, an filius teneatur ad ſibi ſubueniendum bona illa ſtabilia alienare, vt ex pretio illorum congruè viuat; an verò Pater teneatur ſupplementnm præſtare?

2 *Sententia diſtinguēs inter legitimos, & illegitimos, & dicens legitimos non teneri vendere proprietatem.*

Tellus *ad l. 10. Tauri num. 14.* diſtinguit inter filios illegitimos, & ſpurios, & inter legitimos, & naturales, vbi explicans textum *in l. fin. §. filijs autem C. de bon. matern.* aſſerit textum hunc procedere quoad filios legitimos, quibus quaſi debita prouenire debet Patris hæreditas, non autem quoad illegitimos, quibus Pater non debet niſi alimenta; vnde videtur apertè ſentire, quod filius legitimus non teneatur vendere proprietatem, vt ſe alat, ſed teneatur eidem Pater ſupplementum præſtare, bene tamen illegitimus, & ſpurius.

3 *Sententia aſſerens teneri vendere.*

Alij, inter quos *Petrus Barboſa ad l. maritum num. 18. ff. ſolut. matrimon., Vaſquez opuſc. de teſtament. c. 5. num.* 145. ſuſtinent teneri proprietatem vendere, cuius pretio poſſit congrua alimenta ſibi acquirere, & Pater non teneatur alimenta ſubminiſtrare, niſi illo pretio conſumpto, & in hypotheſi, qua filius non habeat aliunde, quo poſſit viuere; quorum ratio alia eſſe non poteſt, niſi quia, quando aliunde habere poſſunt quomodocunque ſine dedecore, quo poſſint viuere, Pater non tenetur eiſdem alimenta ſubminiſtrare, & ad hoc comprobandum adducunt textum *in l. ſi quis à liberis §. ſed ſi filius ff. de lib. agnoſ.*, vbi decernitur, quod filio artifici non teneatur Pater alimenta præſtare, quia ſibi poteſt ſubuenire de proprijs laboribus, & induſtria, & ſubinde inferunt, quod, ſi iura non parcunt laboribus filij, nec parcere debeant proprietati bonorum ipſius.

4 *Sententia aſſerens Patrem teneri ſupplere.*

Magis communis opinio docet, quod filius non teneatur bona ſtabilia alienare, ſed Pater teneatur alimentorum ſupplementum præſtare, & innititur textui *in d. l. fin. §. filijs autem C. de bon. patern.*, atque ita ſentiunt *Corduba à Lara in l. ſi quis à liberis in princip. n. 4., & §. ſed ſi filius n. 23., & 25., Surdus de aliment. tit. 4. q. 9. num.* 10., à quibus non videtur diſcedere *Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrim. part. 2. c. 13. num. 793.* Quid igitur concludendum?

Conſiderabilia circa factum

Pro ſolutione aduertendum eſt, an illa proprietas ſtabilium, quibus filius gaudet, quantumuis non reddat tot redditus, quot ſufficere valeant ad congruam eiuſdem filij ſuſtentationem, ſit tamen talis valoris, vt, ſi diuendatur, conſiderabile pretium poſſit exigi, ex cuius implicatione in agros, & prædia fructifera poſſint percipi fructus ſufficientes ad vitam honeſtam, & congruam alimentarij; an verò talis proprietas non ſolum ſit modicorum redditnum, ſed etiam modici pretij, adeout facilè, & modico tempore poſſint inſumi. Attenta hac vtraque conſideratione præſens titulus diſcutietur.

5 *Si proprietas ſit modici redditus, & parui valoris, non tenetur filius alienare, ſed Pater tenetur ſupplere.*

Reſpondeo primo. Si proprietas ſit modici reditus, & etiam parui pretij, quod breui inſumetur in alimentis, probabilius eſt, quod filius non poſſit compelli ad illam alienandam, ſed teneatur Pater ad præſtandum ſupplementum alimentorum. Conſentiunt omnes pro tertia opinione allegati. Ratio ex eo deducitur, quia iura computant pro alimentis ſolum fructus, nec compellunt pro eiſdem patrimonium quoad proprietatem alienare, quando in ſubſidium alimentarius debet ab alio, vel iure ſanguinis ali, prout colligitur *ex d. l. fin. §. filijs autem C. de bonis matern.*, vbi etiam redditur ratio, ne ſcilicet poſt conſumptum patrimonium alimentarius compellatur triſtem ducere vitam, ergo, vbi proprietas ſufficientes non reddit fructus ad congrua alimenta, debitor alimentorum cogetur

Digitized by Google

getur ſupplere defectum vſq; ad congruitatem, nec proprietas illa erit alienanda; Nec vrget argumentum pro ſecunda opinione adductum, quod ſcilicet alimēta non ſint conferenda quotieſcunque alimentarius poteſt aliunde quomodocunque habere; quod contingit in præſenti hypotheſi, ſecundum, quam per illam venditionem poteſt ſufficientèr ſaltem pro aliquo tempore alimenta illa acquirere; Non vrget, inquam, quia, vt patet ex allegato textu, iura volunt quidem, quod ex fructibus illius proprietatis cōputentur ad ratum alimenta, non autem, quod proprietas illa alienetur, ne poſt eandem conſumptam teneatur alimentarius miſerè, & infelicitèr viuere, maximè, ſi contingeret, quod ob inopiam, vel ob aliam cauſam debitores eximerentur ab onere eadem præſtandi; vnde debitores eximuntur quidem ab onere præſtandi alimentario eadem alimenta, ſi aliunde poteſt acquirere, vel ex propria induſtria, & laboribus ſine dedecore proprij ſtatus, non autem, ſi poſſit acquirere per id, ad quod eadem iura non obligant, quodque pro alio tempore in deteriori ſtatu conſtitueret; Nec currit paritas adducta *ex l. ſi quis à liberis §. ſed ſi filius ff. de liber. agnoſ.*, vbi eximitur Pater ab onere alendi filium artificem, quaſi, quod, ſi iura non parcunt vitæ, quæ in laboribus filij quoquo modo inſumitur, nec parcere debeant proprietati bonorū eiuſdem; Non currit, inquam, quia, quotieſcunque artificium, & labores exerceri poſſunt ſine ſtatus dedecore, & ſine nota dignitatis perſonæ computantur tanquam media decentia, & conſueta ad lucrandum, & lucra, quę inde acquiruntur, ſunt tanquam fructus ciuiles, & induſtriales, & ſecundum ſe ordinati ad vitæ, ſeu naturæ ſuſtentationem; natus enim eſt homo ad laborem iuxta decentiam, nec in hoc infertur aliquod præiudicium in ordine ad vitanda incommoda futura; ſicuti inferre poteſt venditio illius proprietatis.

Rationes pro reſponſione.

Soluuntur inſtantiæ oppoſitæ.

Minus officere poſſe videtur diſcrimen inter filios illegitimos, & ſpurios, & inter legitimos, & naturales, quod conſiderauit in prima opinione allegata *Tellus ad l. 10. Tauri num. 14.*; Minus, inquam, poteſt officere, quia, cum in ordine ad alimenta legitimi, & illegitimi ſeruata proportione ſint pares, illa ratio ſucceſſionis in legitimis, quæ non eſt quoad illegitimos, non eſt conſideranda; Deinde ratio textus *in d. l. fin. §. filijs autem C. de bon. matern.* æquè militat quoad illegitimos, ac quoad legitimos, ea etenim eſt, ne ſcilicet poſt conſumptum patrimonium infelicem, teneantur vitam ducere.

Alia inſtantia oppoſita diſſoluta.

Reſpondeo ſecundo, ſi proprietas ſit ſecundum ſe magni valoris, licet modicos reddat fructus, ita vt ex pretio eiuſdem venditæ implicato, vel in prædijs fructiferis, vel in locis montium, vel in alia cauſa ſecundum ſe fructifera poſſint fructus percipi ſufficientes ad congruam ſuſtentationem alimentarij, probabilius eſt, quod teneatur eandem vendere, & ſic implicare pretium eiuſdem, nec poſſit compellere patrem ad ipſi præbenda alimenta, vel ſupplementum ipſorum. *Corduba à Lara in ſæpius repet. l. ſi quis à liberis §. ſed ſi filius nu. 24. ff. de liber. agnoſ., Campeggius de dotis inſtauratione tertia part. q. 239., Petrus Barboſa ad l. maritum n. 14., & ſeqq. ff. ſolut. matrim., Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrim. part. 2. c. 13. n. 795.* Ratio eſt, quia iura eximunt debitores alimentorum, vel ex iure ſanguinis, vel ex diſpoſitione iuris quotieſcunque alimentarij aliunde habent, vel aliunde habere poſſunt ſine dedecore *proprij ſtatus, vel* ſine maiori damno, quod eidem alimentario poſſit impoſterum imminere, ob quam rationem decernunt *in d. l. fin. §. filijs autem C. de bon. maternis*, quod alimentarij non poſſint compelli ad vendendam proprietatem modici valoris, & modici fructus, ne poſt conſumptum patrimonium teneantur vitam ducere infelicem, ſed in pręſenti hypotheſi poſſunt aliunde habere congruam ſuſtentationem ſine dedecore proprij ſtatus, & ſine periculo deterioris conditionis de futuro, quandoquidem per illam venditionem proprietatis magni valoris licet modici redditus, & implicationem pretij in res fructiferas reddentes tot fructus, quot ſufficiant ad congruam ſuſtentationem, nullum patiūtur præiudicium contra honeſtatem propriæ conditionis, nec conſtituuntur in ſtatu, quo poſſint magis indigere, & teneantur vitam magis infelicem ducere, ergo &c. Neque hic conſideranda eſt affectio, quam alimentarij habere poſſunt ad illam proprietatem, quandoquidem hæc non eſt tanti habenda, vt ratione eiuſdem transferat onus in debitorem, qui tenetur tantum in ſubſidium, contribuendi illa alimenta.

6 *Si ſit magni valoris probabilius ſilius tenetur vendere.*

Rationes pro aſſerto.

Neque aduerſus ea, quæ in hac reſpōſione continentur, obeſſe poteſt id, quod *Baldus in l. ſi maritus in fine ff. ſolut. matrim.*, *& ibidem Zaſius nu. 118.* deducunt ex textu *in l. qui bonis ff. de ceſſione bonor.*, vbi dicitur, quod ſi ille, qui ceſſit bonis, deuenerit poſtea in pinguiorem fortunam, non poſſit compelli ad conferendum ſupra id, quod facere poteſt, ſed ſolum tantum, vt

7 *Soluuntur nonnullæ inſtantiæ oppoſitæ.*

non

non conſtituatur in ſtatu, quo poſſit egere, & ad iudicandum quid facere poſſit, ne egeat, dicitur, quod non ſit attendenda proprietas rerum, quibus gaudet, ſed fructus, & reditus; ex quo textu deducunt, quod cum non ſit conſideranda proprietas, ſed fructus, & reditus, non detur actio aduerſus eandem proprietatem, & cũ in dicto textu dicatur, *Sunt ex quantitate adquiſiti non ex qualitate æſtimandum*, quæ verba ponderans *Bartolus in d. l. qui bonis*, aſſerit, ita eſſe exponenda, vt non attendatur qualitas, hoc eſt quantum ex rei venditæ pretio poſſit haberi, ſed quantitas, ſcilicet fructuum, ergo etiam in præſenti hypotheſi ad decernenda alimenta alimentario debita per eum, qui teneatur iure ſanguinis, conſiderandi erunt fructus, & reditus proprietatis eiuſdem alimentarij, nec habenda erit ratio eiuſdem proprietatis, adeo vt, ſi ille reditus ſufficiant ad congruam ipſius ſuſtentationem, nil ſit eidem per debitorem erogandum, ſi verò non ſufficiant, tantum ſit per eundem debitorem conferendum, quantum computatis illis reditibus ſatis ſit, ne in ſuo ſtatu egeat nulla habita conſideratione ad pretium rei, quod ex illius venditione percipi poſſet. Non, inquam, obeſſe poteſt, quia in primis id, quod adducitur pro aſſumpto, eſt ex ſpeciali diſpoſitione in caſu particulari, quæ propterea non eſt extendenda ad alios caſus in alio genere, quamuis aliquam ſeruent cũ illo affinitatem, prout obſeruant *Alexander in l. ſi maritus ff. ſolut. matrim.*, *Corduba à Lara in d. l. ſi quis à liberis §. ſed ſi filius n. 32. ff. de lib. agnoſc.*, *Tellius ad l. 10. Tauri n. 14.* Ratio autem talis ſpecialis diſpoſitionis in caſu, quo fuerunt per debitorem acquiſita bona poſt ceſſionem bonorum, deducitur ex pia legiſlatorum intentione, qui non præſumuntur voluiſſe ſemel ſpoliatum ſuis bonis, ſuiſque fortunis iterum ex eadem cauſa in ſolidum damnari, prout colligitur *ex §. fin. Inſtit. de action.*, quæ ratio non militat quoad alimentarium, vt per ſe patet. Deinde non ita verum arbitror aſſumptum, vt vniuerſalitèr procedat, prout præfertur, & arbitrantur auctores contrariæ opinionis; ſed ad ſummum procedit, quando proprietas acquiſita poſt ceſſionem bonorum eſt dumtaxat modici valoris ſupra id, quod eſt neceſſarium debitori, qui prius ceſſerat bonis, pro ſua congrua ſuſtentatione, tunc etenim creditor non debet eſſe ita delicatus, vt velit pro illo modico proprietatem illorum bonorum acquiſitorum alienari. Cæterum, ſi proprietas bonorum acquiſitorum poſt ceſſionem eſſet magni valoris, adeo vt ex illorum venditione poſſet tantum percipi, quantum neceſſarium eſt congruæ ſuſtentationi ipſius debitoris, & vlteriùs quid aliud non modicum, quo poſſet creditori, ſeu creditoribus ſatisfacere, tunc non viderem, cur non poſſet compelli ad illorum venditionem, prout etiam notant *Petrus Barboſa ad l. maritum num. 15. ff. ſolut. matrimon.*, *Baldus in l. 2. num. 2. C. quam cum eo*, *Zaſius in l. ſi is, qui bonis in fin. ff. de ceſſion. bonor.*

---

§. IV.

An bona fideicommiſſi poſſint alienari pro alimentis filiorum tùm ipſius inſtitutoris, tùm primi vocati.

SVMMARIVM.

Exponitur diſquiſitionis ſeries. 1.
Sententia negans, poſſe alienari. 2.
Si nec legitima, nec reditus fideicommiſſi ſufficiant, poſſunt ad hunc effectum alienari bona eiuſdem fideicommiſſi. 3.
Idem dic de bonis maioratus, & primogenij. 4.
Etiam ſi ſubſtitutio facta ſit in cauſam piã. 5.
Etiam pro alimentis deſcendentium, qui nati ſint poſt obitum fideicommittentis. 6.

DIſquiſitio IV. Inſtituerat Caius fideicommiſſum vocatis ad ipſum filijs ſuis, & ſucceſſiuè filijs filiorum ſuorum in infinitum per lineam rectam. 1 *In quo conſiſtat ratio diſquiſitionis.* Aliquis ex vocatis ad idem fideicommiſſum, cum alia bona libera non haberet, & magna filiorum copia premeretur, nec reditus fideicommiſſi eſſet ſufficientes ad ſui, & filiorum congrua alimenta, alienauit quoad partem eadem bona ſibi per fideicommiſſum cõmendata, vt pretio eorum ſibi, ſuiſque conſuleret. Quæſitum hic fuit, an potuerit iuſtè talia bona alienare in præiudicium aliorum vocatorum ad eum effectum, de quo in facto.

Negarunt *Gloſa in auth. res quæ verb. obligationem in fin. C. communia de legat.*, & *ibi Baldus*, alijque plures, quos allegant *Surdus de aliment. tit. 8. priuil. 19. in princip.*, 2 *Sententia negans poſſe alienari.* tum propter eam rationem, quod iura *in auth. res, quæ C. communia de legat.*, & *in l. mulier §. cum proponeretur ff. ad Trebel.*, & *auth. de reſtitut.*, & *ea, quæ parit §. quamobrem* loquuntur tantum in terminis de dote conſtituenda, & reſtituenda, quæ propterea non videntur poſſe extendi ad terminos alimentorum, potiſſimum, cum potior ratio militat pro dote, quam pro alimentis, cum dos non ſolum reſpiciat alimen-

Digitized by Google

alimenta, ſed etiam bonum filiorum procreandorum. Addunt, quod per diſpoſitionem iuris ſoluatur filijs legitima, quam conſtituit, pro alimentis *per textum in auth. de orient., & ſemis. in princip.* His tamen minimè obſtantibus.

3 Si legitima, & fructus fideicommiſſi non ſufficiant, poſſunt alienari bona fideicommiſſi.

Reſpondeo, quod, ſi Legitima, & Trebellianica non ſufficiant ad ſui, & ſuorũ deſcendentium congruam ſuſtentationẽ, nec reditus fideicommiſſi ſatis fuerint ad eundem effectum, poteſt pater rogatus reſtituere fideicommiſſum, diſtrahere bona eiuſdem fideicommiſſi, vt ſibi, ſuiſq; deſcendentibus prouideat de congruis alimentis, iuxta decentiam proprij ſtatus *Bartolus in d. auth. res, quæ C. communia de legatis, Petra de fideicom. q. 8. nu. 480., Peregrinus de fideicom. art. 42. nu. 6. vers. contrarium, Menochius de præſumpt. lib. 4. præſumpt. 191., Antonius Merenda contr. tom. 1. lib. 4. c. 34., Stephanus Gratianus tom. 5. diſcept. forens. c. 832. nu. 31., Vincentius Fuſarius de ſubſtit. q. 536.* Ratio ex eo deducitur, quia cauſa alimentorum longè fauorabilior eſt, quam cauſa dotis *l. 1., & 2. C. de patrib., qui fil. diſtrax. l. necare ff. de lib. agnoſc. c. cum quis propter neceſſitatẽ*, atque ita arguendo de dote ad alimenta concedunt communitèr DD. apud *Gratianum loc. cit. num. 34.*, ſed in ordine ad dotem conſtituendum, & reſtituendam, quando bona libera non ſunt, iura permittunt alienationem bonorum fideicõmiſſo ſuppoſitorum *auth. res, quæ C. communia de legat. l. mulier §. cum proponeretur ff. ad Trebell.*, ergo, & permittere cenſenda ſunt in ordine ad alimenta congrua pro ſe, & ſuis deſcendentibus. Confirmari poteſt, quia bona fideicommittentis in fauorem præcipuè deſcendentium per lineam rectam intelliguntur affecta onere alendi nepotes per textum *in l. ſi quis à liberis §. item reſcriptum ff. de liber. agnoſcendis, Stephanus Gratianus loc. cit. num. 31.*, ergo in ordine ad ſui, & eorum alimenta poterunt diſtrahi huiuſmodi bona fideicommiſſo ſuppoſita.

Rationes & iura pro reſponſione.

Dixi, *ſi legitima, & Trebellianica non ſufficiant, nec reditus eiuſdem fideicommiſſi*. Pro quo aduerſo, quod præcipuè (quidquid ſit de tranſuerſalibus, de quibus fusè alibi ſuo loco) fideicommiſſis ab aſcendente conſtitutis in deſcendente per lineam rectam, ſi fuerint conditionalia, licitum ſit filijs deſcendentibus detrahere Trebellianicam, prout notat *Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrimon. part. 2. c. 13. num. 815.*, quo ſuppoſito, cum illa bona per Trebellianicam deducta, & item per legitimam ſint libera, ſi illa fuerint ſufficientia ſimul cum fructibus fideicommiſſi ad eadem congrua alimenta percipienda, vtique non poterit Pater eadem bona fideicommiſſa diſtrahere, cum ſint alligata, & eiuſdem fidei commendata cum onere reſtitutionis, quia tunc non militat ratio neceſſitatis ad illa diſtrahenda ad effectum percipiendi alimenta neceſſaria, cum aliunde ipſa habeat.

Explicatio reſponſionis.

4 Idem dic. quoad bona maioratus, & primogenij.

Hæc reſponſio ampliari poteſt, primò, vt locum habeat in bonis maioratus, & primogenij, prout notant *Padilla in d. auth. res, quæ C. communia de legat. nu. 79., Ludouicus Molina de primog. lib. 4. c. 6. num. 19., Coaruuias var. lib. 3. c. 6. nu. 10. §. illud autem*, & in hoc militare videtur eadem ratio, de quo ſupra.

5 Etiam ſi ſubſtitutio facta ſit in cauſam piam.

Ampliari poteſt ſecundò, vt etiam locum habeat, quantumuis facta eſſet ſubſtitutio in cauſam piam, quia in hoc cauſa pia non præualet alimentis *Romanus conſ. 267. circa id, de quo quæritur nu. 1., Menochius de præſumpt. lib. 4. præſumpt. 189. à num. 120. ad 139., Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrim. part. 2. c. 13. num. 821.*

6 Etiam pro alimentis deſcendẽtium poſt obitum fideicommittentis.

Ampliari poteſt tertiò, vt non ſolum procedat quoad filios, & Nepotes natos, & conceptos viuente aſcendente fideicommittente, ſed etiam quoad natos, & conceptos poſt illius obitum. *Petra de fideicommiſſis q. 8. num. 394., Fontanella de pact. nupt. clauſula 5. gloſ. 1. part. 2. nu. 77., Ferentillus ad deciſ. 641. Buratti num. 27., Theſaurus deciſ. 192. num. 11.*, qui teſtatur ita fuiſſe deciſum in Senatu Pedamontano, quidquid in contrarium dixerint *Alciatus conſ. 640., & Coarruuias lib. 3. var. c. 6. n. 10. verſ. illud tamen.* Ratio ex eo deducitur, quia, ſi ipſe conſtituens fideicommiſſum viueret pro tempore, quo nati eſſet huiuſmodi Nepotes, nec aliunde haberent, quo poſſent congruè viuere, teneretur eiſdem alimenta ſuppeditare iuxta decentiam ſtatus per ea, quæ ſupra probauimus, & in ſpecie notat *Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrim. part. 2. c. 13. num. 818. in fin.*, nec vim aliquam fecit auctoritas Altiati, quandoquidem ſæpius in facti contingentia confutatus eſt, & reiectus, & præcipuè *in Rota Romana in deciſ. 457. n. 2. verſ. non obſtat in recollectis per Proſperum Farinacium*, quæ eſt duplicata in eodem vol., & eſt 887. in ordine. Alias plures deciſiones aduerſus Altiatum eiuſdem Rotæ Romanæ refert *Mareſcotus var. reſol. lib. 2. c. 69. num. 23.*

Ampliari poteſt quarto, vt poſſint etiam alienari huiuſmodi bona fideicommiſſo ſuppoſita propter neceſſitatem alimenta præſtandi etiam filijs ſpurijs, & inſtitutoris, & ſucceſſoris grauati per ea, quæ docent *Molina de primog. lib. 4. c. 6.*

nu. 10.,

Digitized by Google

nu. 10., *Surdus de alim. tit.* 8. *priuil.* 19. *nu.* 9., *Fuſarius de ſubſtit. q.* 536. *n.* 4.; Rationem ampliationis ex eo deduco, quia ſtante diſpoſitione iuris Canonici *in c. cum haberet de eo, qui duxit in matrim.*, tenetur auus, & quicunque aſcendens in ſubſidium Patris alimenta eiſdem ſpurijs contribuere, vbi aliunde habere non poſſunt.

---

§. V.

Quid ſentiendum ſit, ſi aſcendens inſtitutor fideicommiſſi prohibuerit bona fideicommiſſi diſtrahi etiam ex cauſa alimentorum.

SVMMARIVM.

Exponitur controuerſiæ ſtatus. 1.
Vrgente cauſa alimentorum pro ſe, & filijs, non obſtante tali prohibitione poſſunt bona fideicommiſſo ſuppoſita alienari. 2.
Soluuntur rationes oppoſitæ ſententiæ. 3.
Illa conditio in caſu illo neceſſitatis habetur pro non appoſita. 4.

Diſquiſitio V. Aſcendens inſtituto fideicommiſſo in fauorem ſuorum
1 Explicatio ſtatus diſquiſitionis. deſcendentium per lineam rectã expreſsè in eodem prohibuit, ne deſcendentes grauati reſtituere ſub pæna priuationis auderent proprietatem bonorum fideicommiſſorũ alienare cum expreſſa clauſula, *etiam ad effectum alimentorum*. Alter ex vocatis, & grauatis reſtituere, qui iuxta ordinem diſpoſitum ſucceſſerunt in fideicommiſſo, cum reditus fideicommiſsi non ſufficerent ad congruam ſui, ſuorũq; deſcendentiũ ſuſtentationem, nec aliunde haberet, quo poſſet acquirere, bona aliqua fideicommiſsi diſtraxit ad effectum eorundem alimentorum. Quæſitum hic fuit, an validè alienauerit, & eximatur à pæna commiſſi?

Reſpondeo, non obſtante tali prohibitione facta per inſtitutorem fideicommiſſi vrgente cauſa alimentorum poſſe fideicommiſſarium alienare bona fidei-
2 Vrgente cauſa alimentorũ adhuc bona fideicommiſſi poſſunt alienari. commiſſo ſuppoſita ad ſibi, ſuiſque conſulendum *Decius conſ.* 579. *num.* 4., *Socinus conſil.* 75. *nu.* 6. *lib.* 1., *Iaſon in auth. res, quæ num.* 12. *C. communia de legat.*, *Fachineus lib.* 4. *controuers. iuris* 148., *Molina de primog. Hiſp. lib.* 4. *tit.* 6. *num.* 19., *Menochius de præſumpt. lib.* 4. *præſumpt.* 189. *nu.* 116., *Stephanus Gratianus diſcept. forenſ. tom.* 3. *c.* 832. *nu.* 38. *Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrim. part.* 2. *c.* 13. *nu.* 820., *Rota Romana in vna Romana dotis* 30. *Martij* 1616. *coram Veroſpio.*

Rationem ex eo deduco, quia ipſe aſcendens, ſi adhuc viueret, non poſſet in ſubſidium denegare tali vocato, eiuſque deſcendentibus alimenta, ſi aliunde non haberent per ea, quę ſupra latè commendauimus, ergo nec potuit prohibere, quin per ſuos hæredes, quantumuis commiſſarios ex ſuis bonis alerentur, & ſicuti, ſi ipſe non haberet ſufficientes reditus, teneretur etiam proprietatem alienare ad effectum eorundem alimentorum, argum. eorum, quæ tradunt *Natta conſ.* 48. *num.* 6., *Surdus de aliment. tit.* 4. *q.* 9. *num.* 21., *Petrus Barboſa ad l. maritum num.* 18. *& ſeqq. ff. ſolut. matrimon.*, *Megala part.* 2. *inſt. lib.* 2. *c.* 23. *q.* 2. *num.* 77. *vers. quibus hinc inde*, ita non poteſt prohibere, quin, quotieſcunque aliunde alimenta haberi non poſſunt, bona fideicommiſſo ſuppoſito diſtrahantur &c. **Rationes pro reſponſione.**

Neque hic audiendi ſunt *Cotta in memorab. verb. Dos habet vers. nota Additionator ad Molinam de primog. Hiſp. lib.* 4. *c.* 6. *num.* 19., *& alij* aſſerentes, quod quando inſtitutor prohibuit talem alienationem, **3 Soluuntur rationes oppoſitæ ſententiæ.** nec liceat bona eiuſdem fideicommiſſi alienare, etiam cauſa dotis; ex quo inferunt, quod nec cauſa alimentorum, cum dos, & alimenta pari paſſu procedant; Non, inquam audiendi ſunt, quia quidquid ſit de dote, de quo alibi erit ſermo vberrimus, certum, ſeu certius eſt, quod propter alimenta poſſit fieri talis alienatio, cum hoc ſit de neceſſitate naturæ, & magis vrgente, quam ſit cauſa dotis, quia viuere neceſſarium eſt, non ſit nubere.

Confirmari poteſt reſponſio, quia illa conditio non alienationis ſub pæna etiam amiſſionis fideicommiſſi etiam in caſu neceſſitatis alimentorum, habetur pro non appoſita, vtpotè aduerſans quodamodo iuri naturalis pietatis, & ſanguinis, ergo fideicommiſſum remanet in ſuis puris terminis fideicommiſſi, in quo non eſt ex genere ſuo, nec à iure prohibita alienatio, quando eſt neceſſitas alimentorum, cui aliunde non poſſit obuiari. **Illa conditio habetur pro non appoſita.**

Digitized by Google

§. VI.

Quid ſentiendum ſit, ſi fideicommiſſarius contraxerit æs alienum, & fructus fideicommiſſi non ſufficiant ad ſanandum idem æs alienam, & ad alimenta eiuſdem fideicommiſſarij, & ſuorum deſcendentium.

S V M M A R I V M.

Exponitur factum. 1.
Sententia aſſerens, quod, ſi creditores auctore Iudice occupauerint vſumfructum talium bienorum, teneantur filijs alimenta præſtare. 2.
Sententia negans creditores teneri talia alimenta præſtare. 3.
In concurſu iuris alimentorum cum onere debitorum in ordine ad fructus fideicommiſſi præferenda ſunt alimenta. 4.
Non poteſt fideicommiſſarius ad ſibi de alimentis conſulendum, & ſatisfaciendum ſuis creditoribus bona fideicommiſſi vendere. 5.

1 Expoſitio caſus in particulari.

DIſquiſitio VI. Inſtituit Caius aſcendens Franciſci in ſuis bonis fideicommiſſum, in eodemque vocauit eundē Franciſcum, & ſucceſſiuè eius filios, & filios filiorum in infinitum. Franciſcus primò vocatus poſt mortem inſtitutoris ſui adiuit omnia bona fideicommiſſo ſuppoſita, & ſubinde plurima contraxit debita, vnde in ea conditione conſtitutus eſt, vt ſimul debita non poſſet ſeruare, & ſibi, ſuiſque de alimentis conſulere ex fructibus, & reditibus eiuſdem fideicommiſſi, nec alia bona libera habebat. Creditores ſolliciti de ſuo iure timentes, ne ſi ipſe deficeret, ſua iura euaneſcerent, cū in bonis fideicommiſſo ſuppoſitis nullum ius, nullamq; cautionem habere poſſent, contendebant auctore Iudice omnes fructus fideicommiſſi capere, cum hi pleno iure pertinerent ad fideicommiſſarium debitorem ſuum, quouſque viueret. Excipiebat iſte de fortiori iure ſibi competente alimentorum, quod præualere debebat iuri perſonali eorundem creditorum, in qua contentione excitatus fuit articulus quid iuris?

2 Sententia aſſerens, quod ſi creditores auctore Iudice occupauerint vſumfructum talium bonorum teneatur filijs alimēta præſtare.

Duplicem circa hanc controuerſiam adinuenio opinionem. Altera eſt *Ioannis Baptiſtæ Coſtæ de ſubſidiar. remed. rem. 4. num. 6., Boerij decis. 7. num. 7.* aſſerentium, quod, ſi creditores Patris, auctore Iudice occuparint vſumfructum bonorum fideicommiſſorum, quos vtique occupare poſſe ad ſibi ſatisfaciendum pro ſuis creditis, viuente eodem fideicommiſſario debitore, aſſerunt *Aſcanius Clemens de patria poteſt. c. 6. effect. 12., Hondedeus cons. 19. num. 17., & ſeqq., Coaruuias var. lib. 1. c. 8. num. 7., Coſta loc. cit.* teneantur ijdem creditores filijs fideicommiſſarij debitoris ſubminiſtrare in ſubſidium alimenta, quos non alia ratione moueri cenſeo, niſi quia arbitrētur ſucceſſores bonorum paternorum etiam titulo oneroſo grauari quoad eadem alimenta erga filios eius, cui ſuccedunt, cum ſuccedunt in eo vſufructu, ex quo ipſis debentur alimenta in locum Patris.

3 Sententia negans teneri alimenta præſtare.

Altera eſt *Antonij Merendæ controuerſ. tom. 1. lib. 4. c. 34. nu. 10., & ſeqq.* aſſerentis creditores poſſe abſolutè auctore Iudice capere omnes fructus fideicommiſsi ſine onere alimentorum erga eundem fideicommiſſarum, & filios ipſius, cum pleno iure pertineant ad ipſum fideicommiſſarium debitorem; *Quo poſito, ſi ipſe fidei*commiſſarius non habeat aliunde, quo poſsit ſibi, & filijs de alimentis conſulere, poſsint diuendi bona fideicommiſſa in ordine ad eadem alimenta acquirenda; Quod, ſi vlterius ſupponas, quod fructus bonorum fideicommiſsi non ſint ſufficientes ad ſananda debita, tunc aſſerit idem Merenda, quod non propterea in ordine ad eadem ſint talia bona alienanda, ſed tantum dumtaxat, quantum eſt neceſſarium ad alimenta ſui, filiorum, & Nepotum, quod etiam firmauit *Gratianus diſcept. for. tom. 5. c. 832. nu. 31.* Quid iam in hac controuerſia concludendum?

Tota difficultas ad duo capita reducitur. Quorum primum eſt in ordine ad fructus fideicōmiſsi, an præualere debeat ius alimentorum in ordine ad ſe, & filios oneri debitorum, quæ fideicommiſſarius contraxit. Secundo in ordine ad proprietatem dictorum bonorum, an hæc potius alienanda ſit pro alimentis, an potius, vt eadem ſeruetur iuxta diſpoſitionem inſtituentis, non ſoluenda ſint debita excuſante impotentia.

4 In concurſu iuris alimētorum cū onere debitorum, præferendum eſt ius alimētorum.

Reſpondeo probabilius eſſe concurrente iure alimentorum cum onere debitorum per fideicommiſſarium contractorum in ordine ad fructus fideicōmiſſi præferendum eſſe ius, quod habent deſcendentes fideicommittentis ad alimēta iuri creditorum, ſaltem quoad hoc, quod, ſi fructus fideicommiſsi adiudicentur per Iudicem creditoribus, teneantur iſti in ſubſidium ex eiſdem fructibus alimenta eiſdem conferre. In hanc reſponſionem præter DD. præcitatos pro prima opinione inclinat *Ioannes Angelus Boſſius*

tract.

Digitized by Google

tract. de effect. matrim. part. 2. c. 13. n. 824. in fin. Ratio ex eo deducitur, quia ex quo aſcendens conſtituit fideicommiſſum, reſeruans proprietatem bonorum ipſius in ſucceſsiuè vocatos, intelligitur implicitè voluiſſe, quod ex fructibus eiuſdem, ſeu eorundem bonorum, & ex vſufructu ipſorum primo vocati adimplerent principalitèr onera, ad quæ tenentur iure ſanguinis, & naturalis pietatis, ad quę etiam teneretur ipſe aſcendens inſtitutor, ſi viueret, & hoc ne proprietas talium bonorum diſsipetur, ergo, ſi creditoribus adiudicetur vſufructus talium bonorum, iſti in locum fideicommiſſarij debitoris ſuccedunt, & propterea onera dicti debitoris in tali vſufructu tenebuntur adimplere, ſicque pręſtare alimenta deſcendentibus, ſi aliunde non habeant. Neque obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, quod talis vſusfructus bonorum fideicommiſsi non ſint obligatus, nec hypothecæ ſubiectus pro alimentis fideicommiſſarij, & eius deſcendentium, prout videntur innuere *Corduba à Lara l. ſi quis à liberis §. idem reſcripſit nu. 81. ff. de liber. agnoſcend., Petrus Barboſa ad l. 1. part. 4. num. 73. verſ. quæ tamen ratio ff. ſolut. matrimon., Surdus de aliment. tit. 8. priuil. 51. nu. 2., & alij*, dum aſſerunt, quod in bonis Patris non detur hypotheca filijs pro alimentis; vſusfructus autem ille, quo vſque vixerit, eſt in bonis liberis Patris, adeoq; &c. Non, inquam, obeſſe poteſt, quia quidquid ſit, quod talis vſusfructus non ſit ſubiectus hypothecæ pro alimentis filiorum, quod tamen negant *Caſtrēſis conſ. 8. vol. 1., Durandus de arte teſtandi tit. 5. de liber. inſtit. caut. 17. num. 7., Decius conſ. 376. n. 3., Lupus in c. per veſtras §. 23. nu. 16. ff. donat. inter vir, & vxorem*, vbi aſſerũt, quod bona Patris remaneant tacitè hypothecata pro alimentis filiorũ, denegari tamen non poteſt, quod in concurſu filiorum pro alimentis, & creditorum non debeant illi præferri, præcipuè in ordine ad bona, quæ ipſis ratione fideicommiſsi remanent vinculata. Addi etiam poteſt *cum Antonio Theſauro deciſ. 211. nu. 11. in fin.*, quod, ſi hæredes Patris etiam titulo oneroſo eiuſdem Patris bona alienauerint, detur filijs actio aduerſus poſſeſſores eorundem bonorum pro alimentis, quod idem ſenſiſſe videtur *Rota Romana deciſ. 747. num. 6., & 7. part. 4 diuerſ., & Merlinus de legitima lib. 3. tit. 1. q. 28. nu. 10.*, cuius rationem adducunt, quia, cum illa bona tranſierint ad primo vocatum cum onere alendi filios ſemper idem onus apud ipſum manet, a quo per translationem bonorum non poteſt ſe eximere, & ſic eadem bona alienata ſemper manent ſolutioni talium alimentorum obligata.

Rationes pro reſponſione.

Inſtantia propoſita & diſſoluta.

Confirmari poteſt reſponſio paritate ex ijs, quæ docet *Ioannes Baptiſta Coſta de ſubſid. remed. remed. 6. n. 6.*, nempè, quod, ſi Pater gaudeat vſufructu bonorum aduentitiorum filiorum, & interim plurima debita contrahat, & creditores, cum Pater alia bona libera non habeat, decreto Iudicis occupent vſumfructum talium bonorum ad ſibi conſulendum de ſuis creditis, quem etiam in hoc caſu occupare poſſe docent *Aſcanius Clemens de patria poteſt. c. 6. effect. 12., Couaruuias var. lib. 1. c. 8. nu. 7., Houdedeus conſ. 19. num. 17., & ſeqq.* docet, inquam, quod creditores in ſubſidium de eiſdem bonis, ſeu vſufructu eorundem bonorum teneantur alimenta filijs præſtare, quod etiam in his terminis firmauit *Boerius deciſ. 7. num. 7.*, ergo etiam &c. Hinc

Etiam paritate euincitur.

5 Reſpondeo ſecundo, quod in ea hypotheſi non poſsit fideicommiſſarius ad ſibi, ſuiſque deſcendentibus ſubueniendum de alimentis alienare bona fideicommiſſo ſuppoſita. *Ioannes Baptiſta Coſta de remed. ſubſid. remed. 4. nu. 6., & remed. 6. num. 6., Boerius dict. deciſ. 7. num. 7.*, quibus magis adherere videtur *Ioannes Angelus Bo[illegible]us tract. de effect. matrim. part. 2. c. 13. num. 824. in fin.* contra *Merendam controuerſ. tom. 1. lib. 4. c. 34. nu. 10., & 11.* Ratio ex præcedentèr dictis deducitur, quia bona fideicommiſſo ſuppoſita non poſſunt alienari, niſi in neceſsitate alimentorum reſpectu fideicommiſſarij, & ſuorum filiorum, quando aliunde habere non poſſunt; ſed in præſenti hypotheſi filij, & ipſe fideicommiſſarius aliunde poſſunt habere alimenta, nempè in vſufructu talium bonorum fideicommiſſorum per ea, quę hactenus probauimus, ergo bona illa non poſsunt in præſenti hypotheſi pro talibus alimentis alienari. Hinc alia ratio deducitur pro præcedenti reſponſione ſatis efficax. Non poſſunt creditores fideicommiſſarij compellere eundem ad alienationem bonorum fideicommiſſi, vt ſibi ſatisfiat de proprijs creditis; hoc autem indirectè ſaltem præſtarent, ſi vſumfructum talium bonorum poſſent plenè occupare ſine onere contribuendi eidem, & filijs alimenta, quandoquidem cum aliunde non haberent cogerentur ſibi prouidere per alienationem proprietatis eiuſdem fideicommiſsi.

Non poteſt fideicommiſſarius ad ſibi conſulendum de alimentis, & ad ſatisfaciēdum debitis alienare bona fideicommiſſi.

Digitized by Google

§. VII.

An, ſi grauatus fideicommiſſo habuerit legitimam, & Trebellianiacam, eaq; malè inſumpſerit, poſſet bona fideicommiſſi alienare pro ſuis, & filiorum alimentis.

SVMMARIVM.

Status diſquiſitionis exponitur. 1.
Sententia aſſerens culpoſum inſumptorem legitimæ non poſſe alienare bona fideicommiſſi ad ſibi, ſuiſque conſulendum de alimentis. 2.
Si culpa ordinata ad caſum malè inſumpſerit, poteſt detrahere ad neceſſaria naturæ, non ad congrua ſtatui. 3.
Pro filijs tamen innocentibus poteſt detrahere iuxta decentiam ſtatus. 4.
Si culpa non fuerit ordinata ad caſum, poteſt detrahere congrua. 5.

Diſquiſitio VII. Iuxta terminos præcedentis diſquiſitionis Caius aſcendens inſtituit ſibi hæredem fideicommiſſarium in omnibus ſuis bonis Franciſcũ, & ſucceſſiuè eius filios, & deſcendentes, & filios filiorum ſuorum. Franciſcus primo vocatus, cum eſſet filius eiuſdem Caij deduxit ex bonis eiuſdem legitimam & Trebellianicam, quas malè vtendo conſumpſit. Cum deinde reditus, & fructus eiuſdem fideicommiſſi non ſufficerent ad ſui, ſuorumque filiorum congruam ſuſtentationem contendebat, bona fideicommiſſo ſuppoſita alienare. Quæſitum hic fuit, quid iuris? 1 Exponitur factũ.

Hic etiam conſideranda ſunt, quæ conſiderauimus in præcedentibus *ſub hoc eodem titulo de Matrim. IX. Diſq. II. §. 1.*, an ſcilicet fideicommiſſarius primò vocatus inſumpſerit, nedum culposè, ſed etiam dolosè legitimam, & Trebellianiacam, quatenus hoc præſtiterit culpa præmeditata, & ordinata ad caſum, an verò dumtaxat culpoſa, quatenus culpam aliquam admiſerit, ex qua poſtea præter ipſius intentionem contigerit illa legitimæ, & Trebellianicæ conſumptio. Rurſus conſiderandus eſt titulus, vel in ordine ad ipſum fideicommiſſarium primò vocatum, qui malè inſumpſit illas penſiones ipſi liberas, vel in ordine ad ipſius filios, & deſcendentes, qui nullam culpam contraxerunt. Tandem ex ſuppoſitione, quod non obſtante culpa in conſumptione illarum portionum, poſſint alienari pro alimentis ſui, & ſuorum; an tot poſſint alienari, quot requirantur ad congruam ſuſtentationem, iuxta dignitatem ſtatus, & conditionis, an verò ſolummodo tot, quot ſufficiant ad neceſſaria naturæ? Conſiderabilia circa factum.

Abſolutè ſine vlla exceptione aſſerunt non poſſe alienari in hac ſuppoſitione bona fideicommiſſo ſuppoſita, nec pro alimentis vitæ neceſſarijs *Peregrinus de fideicommiſſis art. 42. num. 87. in fin., Menochius de præſumpt. lib. 4. præſumpt. 191. nu. 8., Padilla in auth. res, quæ num. 8. C. communia de legat., Fuſarius de ſubſtit. q. 536. num. 7.* Rationem ex eo deducunt, quia in hac hypotheſi, ſi Pater ipſe viueret, & contribuerit filio legitimam portionem pro alimentis, & hic malè conſumpſerit, non tenetur amplius alimenta ipſi conferre, adeoque nec ipſe filius fideicommiſſarius, poſtquam malè conſumpſit legitimam, & Trebellianiacãm, poſſit amplius per alienationem bonorum fideicommiſſorum ſibi de alimentis conſulere. Nihilominus 2 Sententia aſſerens non poſſe alienari.

Reſpondeo primo. Si Pater fideicommiſſarius ſua culpa ſecundum ſe ordinata ad caſum, puta luxurioſè viuendo, ludendo, expendendo in commeſſationibus alijſq; ſimilibus inſumpſerit legitimam, & Trebellianiacam, poſſit adhuc, ſi aliunde non habeat, quo viuat, alienare bona fideicõmiſſi ad comparanda alimenta ſecundum neceſſitatẽ naturæ, non ſecundũ dignitatem perſonæ. Conſonat cum ijs, quæ ſupra diximus *loc. cit. in princip. diſquiſit. allegato*, & ita ſuſtinere videntur *Menochius de arbitr. caſ. 182. à num. 45. ad 54., Ioannes Angelus Boſſius tract. de effect. matrimon. part. 2. c. 13. nu. 823., Merenda controu. tom. 1. lib. 4. c. 34. num. 4. & ſeqq.*, Quod poſſit alienare quantum pertineat ad neceſſitatem naturæ, ex eo facilè euincitur, quia ius alimentorum deſcendit cum iure ſanguinis ab ipſa natura, quod ius nõ poteſt demi per extrinſecam aliquam diſpoſitionem, & ſicuti, ſi Inſtitutor ipſe viueret, non poſſet talia alimenta denegare, quantumuis filius alimentarius portionem ſibi aſſignatam pro alimentis malè conſumpſiſſet, ita non potuit prohibere, quin de bonis ſibi relictis poſſet tantum extrahi, quantum neceſsè eſt ad talia alimenta. Quod verò non poſſit alienare, niſi quantum eſt ad neceſſaria naturæ, ex eo euincitur, quia maximè conſentaneum eſt naturæ, maleficum, & malè merentem egeſtate laborare, & ne ex culpa, & dolo ſic inſumentis præiuditium inferatur in bonis fideicommiſſi alijs ſucceſſiuè vocatis. 3 Si culpa fuerit ordinata ad caſum nõ poteſt detrahere, niſi pro neceſſarijs vitæ.

Sed hic immediatè oritur difficultas,

Digitized by Google

an quantumuis ipſe fideicommiſſarius, qui malè inſumpſit legitimam, & Trebellianiacam non poſsit in ordine ad ſua futura alimenta, niſi tantum alienare, quantum ſufficiat ad vitæ neceſſaria, ſi tamen habeat filios, in ordine ad eorum alimenta poſsit tantum alienare de bonis fideicommiſsi, quantum ſufficiat ad dignitatem ſtatus? Grauis videtur hæc difficultas, nam ex vna parte incongruum verè videtur, quod dum filij lautè viuunt, teneatur eorũ Pater infelicem, & parcam ducere vitam; ex alia non videtur rationi conſonum, quod ex patris delicto teneantur filij in eius pæna communicare. Quid ergo concludendũ? Probabilius crederem, quod in ordine ad alimẽta filiorum ipſius fideicommiſſarij primò vocati, qui malè inſumpſit legitimam, & Trebellianiacã poſſint bona fideicommiſſi alienari in ea quantitate, quæ ſufficiat ad eorum, & inſtitutoris dignitatem. Rationem ex eo deduco, qui iuxta communiorem ſententiam licitum eſt alienare bona fideicommiſſi paterni, nedum ex cauſa dotis congruæ aſſignandæ eiuſdem Nepoti; ſi aliundè haberi non poſſit, ſed etiam ex cauſa alimentorum iuxtà dignitatem præſtandorum eiuſdem Nepotibus

4 **Pro filijs tamen innocentibus poteſt detrahere quantum ſufficiat ad decentiam.**

per rectam lineam deſcendentibus per textũ in *l. ſi quis à liberis §. 1. ff. de lib. agnoſcen.*, & ipſe Auus, ſeu aſcendens inſtitutor fideicommiſſi, ſi viueret, teneretur eoſdem ſecundum dignitatem ſtatus alere. *Padilla in d. auth. res quæ num. 86. C. communia de leg.*, *Peregrinus de fideicom. art. 42. nu. 86.*, *Gomez ad l. 40. Tauri num. 87. verſ. octauo intellige*, *Menochius de præſumpt. lib. 4. præſumpt. 191. nu. 7.*, *Stephanus Gratianus diſcept. for. c. 832. num. 35.*, *Fuſarius de ſubſtit. q. 536. nu. 3.*, nec ex eo, quod eorum Pater primo vocatus ad fidecommiſſum deliquerit malè prodigendo legitimam, & Trebellianiacam, diminuitur ius ipſius filiorum quoad ſua alimenta congrua in eiſdem bonis fideicõmiſſi habenda, quandoquidem Auus inſtitutor eiuſdem æquè dilexit omnes deſcendentes, quos omnes vocauit, licet cum ordine ſucceſſiuo ſic exigente ordine eiuſdem ſucceſſionis, & ſicuti, ſi viuente Auo inſtitutore Pater deliquiſſet, & paſſus eſſet capitis dimminutionem, adeo vt etiam priuaretur alimentis, non propterea eximeretur auus ab onere præſtandi congrua alimenta eiuſdem filijs, ita, ſi eodem defuncto, & conſtituto fideicommiſſo licet primo vocatus deliquerit,

Rationes pro aſſerto.

adeo vt ratione delicti non poſſit ex bonis fideicommiſſi conſequi, niſi neceſſaria vitæ, non propterea eius deſcendentes ius amitterent conſequendi ex eiſdem bonis fideicommiſſi alimenta iuxta dignitatem congrua. Ad hoc plurimum conferre poſſunt ea, quæ docuimus *tom. de reſtitutione ſub tit. de Reſtitutione III. Diſq. I. §. 29. num. 4.* nempe, quod, ſi primogenitus fuerit vocatus ad bona primogenia, & paſſus fuerit capitis dimminutionem, non propterea excludatur ab eiſdem primogenijs filius ipſius primogenitus, ſed ipſe excludat quoſcunque alios ſecundo vocatos ad eadem bona, quia delictum Patris non poteſt ipſi præiudicare, ergo etiam, quantumuis Pater fideicommiſſarius primo vocatus deliquerit malè prodigendo legitimam, & Trebellianicam, ratione cuius delicti priuetur in bonis fideicommiſſi alimentis iuxta dignitatem perſonæ, non propterea ipſius filij priuabuntur iure ad eadem conſequenda iuxta propriam dignitatem, cum delictum Patris non poſſit ipſis præiudicium inferre.

5 **Si culpa non fuerit ordinata ad caſum, poteſt detrahere congrua ſtatui.**

Reſpondeo ſecundo. Si Pater fideicommiſſarius inſumpſerit legitimam, & Trebellianiacam ſua quidem culpa, ſed non ordinata ad caſum, ſeu, quod idem eſt, deliquerit, & ratione delicti non ordinati ad hunc caſum paſſus fuerit in eadem legitima, & Trebellianiaca confiſcationem, vel eaſdem inſumpſerit ad ſe liberandum à vexatione, probabilius crederem, quod non priuetur iure conſequendi ex alienatione bonorum fideicommiſſi alimenta iuxta decentiam proprij ſtatus. Conſonat cum ijs, quæ latè tradidimus *ſub hoc eod. tit. Contractus XV. De Matrimon. IX. Diſq. II. §. 1. verſ. ſi autem inquiras*. Conſule, quæ ibi latè dicta ſunt; atque hæc de effectibus matrimonij dicta ſint ſatis.

F I N I S.

Ad laudem omnipotentis Dei, Deiparæ Virginis, & Doctoris Gentium.

IN-

Digitized by Google

INDEX RERUM

C. ſignificat Contractum, M. Matrimonium, P. Prænotionem, S. Sectionem, D. Diſquiſitionem, §. Paragraphum, n. numerum marginalem, p. paginam.

A.

ABORTUS quot modis poſſit contingere. C. 15. M. 8. P. 1. num. 1. p. 361

Abortus definitio, prout fit violenter. Ibid. nu. 2. p. 362

Abortus poteſt eſſe fœtus vel animati, vel inanimis. Ibid. num. 3. p. 362

Abortus quot modis violenter poſſit contingere. Ibid. num. 6. p. 362

Abortus, ſi fuerit fœtus animati importat veram noxam homicidij. C. 15. M. 8. P. 2. num. 1. p. 363

Abortus fœtus factus per Patrem, vel Matrem violenter inducit parricidium. C. 15. M. 8. P. 2. num. 4. p. 364

Abortum committens grauioris culpæ homicidij conſtituitur reus propter periculum multiplicis necis. Ibid. num. 5. p. 364

Item propter læſionem innocentis. Ibid. nu. 6.

Abortus cōmiſſus ab vxore inuito marito inducit culpam aduerſus maritū, & coniugium. Ibid. n. 7. p. 365

Abortus deteſtatus ab omnibus legiſlatoribus. Ibid. num. 8. p. 365

Abortus repugnat iuri naturali, diuino, canonico, & ciuili. Ibid. num. 9. 10. 11. 12. p. 365., & 366

Abortus afficitur grauibus pœnis, & quibus. Ibid. nu. 13., & 14. p. 366

Abortus reſeruatio quoad peccatum, & excommunicationem lata per Sixtum V. correcta eſt per Gregorium XIV. etiam quoad fœtum animatum. C. 15. M. 8. P. 3. num. 2. p. 368

Abortus fœtus animati inducit irregularitatem Summo Pontifici reſeruatā. C. 15. M. 8. P. 4. n. 2. p. 369

Secus, ſi fuerit fœtus inanimis. Ibid. n. 3. p. 370

Abortus procuratio effectu non ſecuto non inducit excommunicationem. C. 15. M. 8. P. 7. num. 2., & 3. p. 375

Abortus propriè non committitur, ſi alter coniux poſt ſeminationem alterius ſe retrahat à copula. C. 15. M. 8. P. 8. num. 8. p. 379

Abortus quamuis commiſſus à Matre in ſe ipſa inducit in eadem excommunicationem. C. 15. M. 8. P. 9. num. 3. p. 380

Abortum procurans incurrit excommunicationem ante Iudicis ſententiam, non ſic alias pœnas. C. 15. M. 8. P. 14. nu. 1., & 2. 3. &c. p. 393., & 394

Abortum committens non priuatur immunitate Eccleſiæ. C. 15. M. 8. P. 18. num. 2. p. 404

Abortus fœtus inanimis, quomodo dicatur homicidij feſtinatio. C. 15. M. 8. D. 1. §. 2. nu. 1. p. 406

Reijcitur opinio aſſerentium talem dici, quia anima per traducem transfundatur cum ſemine. Ibid. num. 2.

Abortus fœtus inanimis dicitur homicidij feſtinatio, quia fœtus eſt homo in potentia. Ibid. num. 4.

Abortus inuoluit culpam homicidij, non ſacrilegij. C. 15. M. 8. D. 1. §. 5. num. 2. p. 410

Abortus pœnas non euitat, qui grauiter percutit fœminam prægnantem, ex quo ſequatur nex fœtus. C. 15. M. 8. D. 1. §. 15. num. 2. p. 428

Secus, ſi fuerit percuſſio leuis. Ibid.

Non euitat tamen irregularitatem. Ibid. nu. 3.

ACTUS proditorius quinam propriè ſit. C. 15. M. 8. P. 18. num. 1. p. 404

Actus proditorius non eſt abortum fœtus animati committere. Ibid. num. 2. p. 404

Actus proditorius non eſt occidere dormientem, niſi attraxerit per ſimulatam amicitiam. Ibid.

ADULTER, an teneatur lata ſententia diuortij reconciliari coniugi innocenti agenti ad talem reconciliationem. C. 15. M. 6. P. 11. S. 6. num. 1. p. 48

Adulter vtſupra non tenetur, quando res eſt integra reſpectu vtriuſque. Ibid. num. 2., & num. 3. p. 48

Adulter vt ſupra tenetur reconciliari. Ibid. n. 4. p. 48

Adulter tenetur reconciliari etiam non reuocata ſententia diuortij. Ibid. nnm. 7. p. 49

Adulter nulla ſententia lata diuortij non poteſt ſtatum mutare, nec per profeſſionem ſolemnem, nec per ordines ſacros, nec per votum ſimplex caſtitatis innocente inconſulto, vel inuito. Ibid. n. 11. p. 50

Adulter in facta hypotheſi inualide profeſſionem emitteret. Ibid. num. 12. p. 51

Adulter nulla lata ſentētia diuortij ſuſcipiens ordines ſacros valide ſuſcipit, ſed illicitè. Ibid. n. 13. p. 51

Adulter in ordinibus ſuſceptis non reuocatus ab innocente coniuge poteſt tales ordines miniſtrare. Ibid. num. 14. p. 52. afferuntur, & ſoluuntur obiecta contra hoc. Ibid. num. 15. p. 52., & hoc intelligendum eſt, etiamſi innocens non emiſerit ſimplex votum caſtitatis. Ibid. n. 16. p. 52

Digitized by Google

Adulter non poteſt in ſacris ordinibus, vt ſupra, miniſtrare, ſi coniux innocens non cedit iuri ſuo. Ibid. num. 17. p.53
Adulter ſacris initiatus reuocatus ab innocente poteſt mortuo innocente tranſire ad miniſterium ſacrorum ordinum. Ibid. num. 18. p.53
Adulter non poteſt ingredi religionem inconſulto coniuge innocente etiam poſita ſententia diuortij à Iudice. Ibid. num.32. p.58
Adulter, vt poſſit ingredi &c. ſufficit tacita licentia innocentis. Ibid. num.33. p.58
Adulter ſeparatus non poteſt reuocare innocentem, qui poſtea fornicatus fuit, ſi certioratus fuit de adulterio illius poſt emiſſam profeſſionem. Ibid. num. 19. p.64
Adulter occultus non poteſt in foro interno diuertere ab altero notoriè tali. Ibid. S.10. num.3. p.77
Adulter ocultus non priuatur iure petendi debitum. Ibid. num.4. p.77
Adulter, cui facta fuit condonatio, ſi denuo relabatur, poteſt ab innocente dimitti. Ibid. S.11. n.3. p.82
Adulter amittit donationem propter nuptias. Ibid. S.12. num.7. p.87
Adulter occultus pertinax in adulterio, an in foro conſcientiæ poſſit accuſare criminaliter vxorem adulteram. Ibid. P.14. D.2. §.32. num. 1. p.178
Adulter, vt ſupra, poteſt, & non poteſt vt ſupra. Ibid. p.179
Adulter cum coniugata obſtricta voto caſtitatis emiſſo ante matrimonium non ſolum committit adulterium, ſed etiam ſacrilegium. Ibid. M.7. P.5. D.1. §.12. num.3. p.311
Adulterium non facit licitum diuortium quoad vinculum coniugale. C.15. M.6. P.10. num.5. p.26
Adulterium in altero coniuge inducit celebrationem diuortij. Ibid. P.11. num. 1. p.27
Adulterium non inducitur per ſola oſcula, & amplexus. Ibid. S.3. num.19. p.39
Adulterium ex quibuſnam inferatur. Ibid n.20. p.40
Adulterium, an, & quomodo compenſetur. Ibid. S.10. num. 1. p. 76
Adulterij mutua compenſatio inter coniuges habetur vtroque adulterante ante ſententiam diuortij. Ibid. num. 1. p.76
Si tamen vtriuſque delictum eſſet liquidum, & ſufficiens ad diuortium. Ibid. nu.2. p. 76
Adulterium intelligitur remiſſum ab altero coniuge, quamuis iſte non nouerit omnia alterius adulteria. Ibid. P.11. S. 11. num.9. p. 83
Adulterium in vtroque coniuge compenſatur etiam quoad pœnas ciuiles. Ibid. S. 12. num. 11. p.88
AFFINITAS ex copula fornicaria quoad effectum impediendi matrimonium non extenditur vltra ſecundum gradum. C.15. M.7. P.3. S.8. nu.9. p.245
Affinitas ex copula, vt ſupra, reſtringitur etiam probabilius quoad effectum non impediendi debiti exactionem. Ibid. num.10. p. 245
ALIMENTA elapſo primo triennio debentur filijs à Patre. C.15. M 9. P.2. num.18. p.465
Alimenta debentur filijs à Patre ex vi naturalis pietatis ſtrictè obligantis etiam præciſo iure poſitiuo. C.15. M.9. P.4. num. 1. p.471
Alimenta eodem iure debentur à Patre etiam filijs illegitimis, & ſpurijs. Ibid. num.5. p.472
Alimenta etiam debentur filijs egreſſis limites pueritiæ, ſi aliunde non habeant. Ibid. nu.6. p.473
Alimenta non debentur de iure naturæ à Patre filijs, ſi aliunde habeant. Ibid. num.7. p.474
Alimenta etiam de iure naturæ debentur à filijs Patri, ſi aliunde non habeat. C.15. M.9. P.3. n.2. p.471
Alimenta, ſi fuerint à Matre præſtita filijs Patre diuite non præſtante poſſunt per eandem Matrem repeti. C.15. M.9. P.3. num.8. p.478
Alimenta filijs in defectum Patris debentur à Matre. C.15. M.9. P.4. num.21. p.481
Alimenta per prius debentur ab Auo paterno filijs, ſi illos habeat in ſua poteſtate. C. 15. M. 9. P. 5. num. 2. p.482
Alimenta mortuo Patre ſunt per prius conferenda Nepotibus per Auum paternum comparatiuè ad Matrem. Ibid. num.3. p.483
Intellige etiam quoad Nepotes illegitimos, & ſpurios. Ibid. num.4. p.484
Alimenta Nepotibus ſunt per prius conferenda per Auum paternum, quam per maternum. Ibid. n.5.
Alimenta in concurſu aui materni diuitis cum Matre diuite per prius debentur filijs à Matre. Ibid. num. 6. p.485
Alimenta mortuo Patre, & Matre ſunt tribuenda filijs ſpurijs, ordine ſucceſſiuo per Auum paternum, & maternum. C.15. M.9. P.6. num. 10. p. 486
Alimenta mortuo Patre, & Matre ſunt præſtanda filijs per eorum hæredem etiam extraneum. Ibid. num. 12. p.487
Alimenta ſunt tribuenda ab hærede etiam filijs illegitimis, & ſpurijs. Ibid. num.16.
Alimenta filio pauperi in concurſu Matris diuitis, & filij diuitis ſunt præſtanda per filium diuitem. C.15. M.9. P.6. num.17. p.389
Alimenta in defectum parentum ex linea virili, & eorum hæredum, & item parentum ex linea fæminina debentur filijs per hæredes parentum lineæ fæmineæ. Ibid. num.18. p. 490
Alimenta generalitèr ſumpta in triplici genere, & explicatur. C.15. M.9. P.8. num.1. p.496
Alimentorum nomine venit etiam habitatio. Ibid. num. 4. p.497
Alimentorum nomine veniunt etiam expenſæ pro medicinis, & medicis. Ibid. num.5.
Alimenta per Patrem præſtanda filijs ex vi naturalis pietatis debent eſſe talia, vt extrahant filios à neceſſitate graui reſpiciente bona naturæ. C.15. M.9. P.9. num. 4. p.499
Intellige etiam quoad ſpurios. Ibid. n. 5. p.500
Alimenta præſtanda per eos, qui tenentur tantum in ſubſidium ex vi naturæ debent eſſe tantum quoad neceſſitatem extremam, & grauem ſtrictè. Ibid. num.7. p. 501
Alimenta de iure ciuili ſunt præſtanda filijs à Patre iuxta decentiam ſtatus. C.15 M.9. P.10. n.2. p.502
Alimenta præſtanda filijs per eos, qui tenentur tantum in ſubſidium, debent eſſe iuxta decentiam ſtatus, cum quadam limitatione. C. 15. M. 9. P. 10. num.3. p. 502
Ali-

Digitized by Google

Alimenta taxanda ſunt iuxta conſuetudinem regionis. Ibid. num. 4.

Alimenta filijs diminutis vel auctis facultatibus paternis ſunt augenda, vel diminuenda. Ibid. n. 5. p. 503

Alimenta etiam ſunt per Patrem conferenda vxori filij. Ibid. num. 8. p. 504

Etiam, ſi filius eam acceperit inuito Patre. Ibid. num. 9.

Alimenta ſunt etiam tribuenda vxori filij illegitimi, & in quanam quantitate. Ibid. num. 10. p. 505

Alimenta nurui indignæ ſunt tantum à Patre mariti danda ſecundum neceſſitatē naturæ. Ibid. n. 11. p. 505

Alimenta per Patrem ſunt præſtanda etiam filijs emancipatis iuxta decentiam ſtatus. C. 15. M. 9. P. 10. num. 13. p. 505

Etiam bannitis quoad neceſſitatem naturæ. Ibid. num. 15. p. 506

Etiam excommunicatis. Ibid. num. 16.

Pertinaci in excommunicatione tantum quoad indigentiam. Ibid. num. 17.

Idem quoad hæreticum pertinacem. Ibid. num. 18.

Alimenta iuſtè poſſunt per Patrem præſtari filio damnato, vt fame pereat. Ibid. num. 19. p. 507

Alimenta ſunt per Patrem infidelem præſtanda filio conuerſo ad fidem. Ibid. num. 20.

Alimenta per Patrem ſunt tribuenda filio Monaco, ſi iuſtè fuerit à Religione eiectus, ſecus, ſi iniuſtè. Ibid. num. 21. p. 507

Alimenta per Patrem adoptantem ſunt tribuenda per prius adoptato. Ibid. num. 22. p. 508

Alimenta filijs illegitimis congrua ſtatui ſunt per Patrem præſtanda. C. 15. M. 9. P. 11. num. 3. p. 509

Alimenta non debentur illegitimis vltra vnciam. Ibid. num. 4. p. 510

Alimenta de iure canonico per Patrem debentur etiam ſpurijs, non ſic de ciuili. Ibid. num. 6. p. 511

Et quidem ſecundum facultates patrimonij. Ibid. num. 7. p. 512

Alimenta poſſunt à Patre ſpurio donari. Ibid. n. 8. p. 513

Alimenta debentur à Patre filijs legitimis, & è conuerſo officio Iudicis. C. 15. M. 9. P. 12. n. 2. p. 514

Ratio, cur debeantur officio Iudicis non iure actionis. Ibid. num. 3. p. 515

Alimenta, quando debentur loco legitimæ, debentur à Patre filijs iure actionis. Ibid. num. 4.

Item, quando debentur titulo legati. Ibid. n. 5.

Item, quando debentur ex conuentione. Ibid. nu. 6.

Alimenta, quæ debentur filijs ab alijs in ſubſidium, debentur tantum officio Iudicis. Ibid. num. 7.

Alimenta inter Patrem, & filium de præterito poſſunt compromitti. C. 15. M. 9. P. 13. num. 2. p. 516

Alimenta inter eoſdem de futuro non poſſunt compromitti. Ibid. num. 3. p. 516

Alimenta præterita non poſſunt repeti à filio aduerſus Patrem, quando filius eadem acquiſiuit mendicando, & titulo non oneroſo. C. 15. M. 9. P. 14. num. 2. p. 518

Alimenta præterita poſſunt repeti, quando filius acquiſiuit titulo oneroſo ſaltem, quantum ad ſatisfaciendum debito ex tali titulo. Ibid. n. 3. p. 518

Alimenta, quæ filius titulo oneroſo acquiſiuit, dum Pater eſſet impotens ad illa contribuenda, non ſunt compenſanda per Patrem, ſi deuenerit ad pinguiorem fortunam. Ibid. num. 6. p. 519

Alimenta, quæ alter præſtitit, Patre diuite non præſtante, poſſunt ab eodem Patre repeti. Ibid. n. 7. p. 520

Alimenta non ſunt tribuenda pinguiora per Patrem primogenito, ac alijs ſecundogenitis. C. 15. M. 9. D. 1. §. 7. num. 4. p. 434

Alimenta non debentur à Patre filio nolenti ſine cauſa habitare cum ipſo, ſecus, ſi cum cauſa. C. 15. M. 9. D. 1. §. 8. num. 3., & 5. p. 535

Alimenta, ſi ſint debita ex diſpoſitione iuris, non poteſt alimentarius ſine cauſa ea exigere extra domum debitoris. C. 15. M. 9. D. 1. §. 9. num. 3. p. 537

Alimenta poſſunt exigi etiam extra domum debitoris, ſi ſint debita ex diſpoſitione hominis. Ibid. n. 4. p. 537

Etiam, ſi ſint ſimul debita ex diſpoſitione iuris, & hominis. Ibid. num. 5. p. 538

Alimenta debentur filio aſſerenti ſe eſſe filium, quamuis Pater neget, ſi ſit in quaſi poſſeſſione filiationis. C. 15. M. 9. D. 1. §. 10. num. 2. p. 539

Alimenta etiam debentur eidem, ſi habeat fumum iuris pro ſe pendente lite. Ibid. num. 3.

Enumerantur coniecturæ, quæ inducunt fumum iuris. Ibid. num. 4. p. 540

Ad hoc ſufficit vnus teſtis, qui ſit omni exceptione maior. Ibid. num. 5.

Alimenta debentur filio per poſſeſſores bonorum paternorum, dum agit de inofficioſo teſtamento, ſi habeat pro ſe præſumptiones. C. 15. M. 9. D. 1. §. 12. nu. 2., & 3. p. 542

Alimenta pendente lite ſuper inofficioſo teſtamento debentur etiam filijs emancipatis, ſi foueant bonum ius. C. 15 M. 9. D. 1. §. 12. num. 2. p. 543

Etiam filijs legitimatis per ſubſequens matrimonium. Ibid. num. 3. p. 543

Etiam filijs in vtero exiſtentibus ventris nomine. Ibid. num. 4. p. 544

Etiam filijs adoptiuis. Ibid. num. 5.

Etiam Nepotibus per lineam virilem deſcendentibus, ſi habeant debitas conditiones. Ibid. n. 6.

Etiam Patri, Auo, & aſcendentibus aduerſus hæredes filij Nepotis &c. Ibid. num. 7.

Etiam filijs illegitimis, & ſpurijs. Ibid. n. 9. p. 545

Alimenta iterum ſunt per Patrem præſtanda filijs, etiam ſi capitale pro illis culposè conſumpſerint. C. 15. M. 9. D. 2. §. 1. num. 2. p. 546

Et quidem congrua ſtatui, niſi conſumpſerint culpa ordinata ad caſum. Ibid. num. 4.

Alimenta debentur filijs per Patrem ad ratam redditũm, non attento capitali. C. 15. M. 9. D. 2. §. 2. num. 2. p. 547

Et ſunt detrahendæ expenſæ factæ in collectione redditũm. Ibid. num. 3. p. 548

Alimenta debentur etiam filijs fideicommittentis, & primi vocati ex bonis fideicommiſſi, ſi legitima, & reditus nō ſufficiant. C. 15. M. 9. D. 2. §. 4. n. 3. p. 552

Etiam deſcendentibus, qui nati ſunt poſt obitum fideicommittentis. Ibid. num. 6.

Etiam, ſi aſcendens prohibuerit alienationem fideicommiſſi. C. 15. M. 9. D. 2. §. 5. n. 2. p. 553

AMENTIA quid, & quotuplex ſit. C. 15. M. 7. P. 3. §. 4. num. 5. p. 219

Amen-

Digitized by Google

Amentia in quantum quod eſt quædam fatuitas in vno, vel in vtroque coniuge non deobligat à redditione debiti. Ibid. num.2. p.220
AMOR coniugum præferendus eſt ieiunio. C.15.M.7. P.7. D.1. §.2. num. 4. p.297
APPROBANS abortum implicitè ante factum, & poſt factum explicitè probabilius non euitat pœnam excommunicationis. C.15. M.8. D.1.§.6.n.3.p.411
Approbans ſolummodo poſt factum non incurrit hanc pœnam. Ibid. num. 4.
Etiam ſi approbet, vt factum nomine proprio. Ibid. num.7. p.412
AVVS paternus mortuo Patre, & Matre præferendus eſt alijs in educatione filiorum. C.15. M.9. P.2. num. 27. p.467
Auus paternus acquirit vſumfructum bonorum aduentitiorum Nepotum. Ibid. p.468
Auus paternus conſeruatur in Nepotibus. Ibid.
Auus paternus venit appellatione Patris. Ibid.
Auus paternus per prius tenetur alere Nepotes, ſi illos habeat in ſua poteſtate. C.15. M.9. P.5. num.2. p.482
Auus paternus mortuo Patre tenetur per prius alere Nepotes comparatiuè ad Matrem. Ibid. n.3. p.483
Etiam quoad illegitimos, & ſpurios. Ibid. num.4. p.484
Auus paternus per prius tenetur comparatiuè ad Auum Maternum. Ibid. num.5.
Auus maternus non tenetur alere Nepotes, quando Mater poteſt illos alere. C.15.M.9.P.6.n.6. p.485
Auus paternus, & maternus in defectum Patris, & Matris tenentur ordine ſucceſſiuo ad alimenta nepotum ſpuriorum non ex coitu punibili. C.15. M.9. P.6. num.10. p.486
Auus paternus, qui tenetur alere filios filij, tenetur etiam eius filias dotare. C.15 M.9.P.7. n.3. p.491
Etiam illegitimas, & emãcipatas. Ibid. n.4., & 5
Auus, & Auia materna in defectum Patris, & Matris, alijſque ex linea maſculina tenetur dotare neptes ex filia. C.15. M.9. P.7. num.19. p.495
Intellige etiam quoad illegitimas, & ſpurias. Ibid. num. 20.
Auus maternus in concurſu cum fratre per prius tenetur. Ibid. num. 21. p.496
Auth. ſed hodie. C. ad leg. Iuliam de adult. correcta eſt per ius canonicum. C.15. M.6. P.11. S.6. num.31. p.57

B.

BAPTISMVS non eſt differendus vltra nouendium ſub pœna excommunicationis parentibus diutius differentibus. C.15. M.9. P.1. n. 3. p.453
Ex Concil. Prouinc. Mediolani. Ibid.
Baptiſmus in caſibus, in quibus differendus eſt extra caſum neceſſitatis congruè non eſt ſeparandus à ceremonijs. Ibid. num.5.
BVLLA Gregorij XIV. moderatiua pœnarum per Sixtum V. appoſitarum contra abortum. C.15. M.8. P.2. num.15. p.366
Corrigit reſeruationem peccati, & excommunicationis etiam quoad fœtum animatum. Ibid. num.2. p.368
Bulla Gregorij XIV. concedit facultatem cuicunque confeſſario abſoluendi ab excõmunicatione ob abortum, ſi fuerit approbatus, & deputatus ad hos caſus ab ordinario loci. C.15. M.8. P.5. n.2. p.371
Bulla Gregorij XIV. non tollit excommunicationem, quando fœtus eſt inanimis, ſed tantum reſeruationem. C.15. M.8. P.6. num. 2. p.373

C.

CARTHVSIANI nullo voto tenentur ad abſtinentiam carnium. C.15 M.8. D.2. §.8 n.5. p.443
Carthuſiani ſub pœna tenentur ad talem abſtinentiam. Ibid. num.6.
Carthuſiani in neceſſitate ab extrinſeco tenentur carnes ſumere. Ibid. num. 7.
Carthuſiani data neceſſitate ab intrinſeco poſſunt carnes ſumere. Ibid. num.8.
Etiam, ſi de abſtinentia votum emiſerint. Ibid. num. 9.
Carthuſiani in neceſſitate ab intrinſeco non tenentur carnes ſumere. Ibid. num.10. p.444
CAVTIO regularitèr loquendo debet eſſe pignoratitia, vel fideiuſſoria. C.15. M.6. P.14. n.10. p.103
Cautio iuratoria, quandoque ſufficit, & quando. Ibid. num. 11. p.103
CÆSAR dictus à cæſo Matris vtero. C.15. M.8. D.2. §. 1. num.2. p.433
Cæſar quinam primus fuerit, qui à cæſo Matris vtero dictus ſit talis. Ibid. num.3.
Cæſarea dicitur ſectio vteri materni, & quare. Ibid. num. 4. p.434
CÆSO vnde dictus. C.15. M.8. D.2. §.1. n.1. p.333
Cæſones veniunt ad ſucceſsiones, & hæreditates. C.15. M.8. D.2. §.9. num.3. p.444
Cæſones veniunt ad hæreditatem ſiue fuerint extracti ab vtero matris viuentis, ſiue mortuæ. Ibid. num. 4. p.445
Cæſones ſuccedunt cum alijs fratribus in quacunque alia hæreditate ab inteſtato. Ibid. num.5.
Cæſones veniunt nomine natorum in quacunque materia etiam odioſa, & reſtringibili. Ibid. num. 6.
Cæſo viuus extractus excludit ſubſtitutum à ſucceſſione, quantumuis modicum viuat. C.15. M.8. D.2. §.10. num.2., & 3. p.446
Late producuntur rationes. Ibid.
Cæſonum gemellorum ille habetur pro primogenito, qui prius lucem aſpexit. C.15. M.8. D.2. §.12. num.2. p.449
Cæſonum gemellorum quinam præferendus ſit, variæ opiniones. Ibid. n.3.4.5.
Cæſonum gemellorum ille præferendus eſt, quem ſortitio præfecerit. Ibid. n.6.
Cæſonum ex regia ſtirpe gemellorum quinam præferendus ad regnum, variæ opiniones. C.15. M.8. D.2. §.13. n.2. 3. 4. p.450
Cæſonum gemellorum ille præferendus eſt ad Regnum, quem Pater voluerit, ſi Pater ipſe viuat. vel Populus elegerit. Ibid. n.6.
CHIRVRGVS, qui in deſperatione partus primus ſe expoſuit ad ſectionem vteri materni peccauit, ſi temerè

merè ſe expoſuit, ſecus, ſi cum maturo iudicio C. 15. M.8. D.2. §.2. n.3. p.434

Chirurgus, ſi modo fuerit in tali periculo requiſitus, tenetur talem operam præſtare. C.15. M. 8. D.2. §.3. n.2. p.435

Chirurgus, ſi fuerit tantum deſtinatus ad curam, tenetur illud remedium ſectionis proponere. Ibid. num.3. p.436

Etiam, ſi non ſit deputatus. Ibid. n.4. p.436

Chirurgus reſpuente prægnante tale remedium eximitur à quocunque onere. Ibid. n. 5.

CLERICI procurantes abortum priuantur omni beneficio, & dignitate. C.15. M.8. P. 13. num. 1. 2., & 3. p.391., & 392

Quid veniat nomine officij, beneficij, & dignitatis. Ibid.

Clerici non priuantur huiuſmodi officijs, & beneficijs ante ſententiam Iudicis. C.15. M.8. P.14. n.4. p.393

Nec inhabiles fiant ante eandem. Ibid. n.8. p.344

COGNATIO ſpiritualis orta inter coniuges poſt contractum matrimonium, an excuſet à redditione debiti. C.15. M.7. P.3. S.7. n. 1. p. 234

Cognatio ſpiritualis contrahitur à coniuge baptizante filium communem, vel alterius coniugis ex alio matrimonio cum filio, vel cum vxore nouitèr conuerſa ad fidem. Ibid. n.2. p. 235

Cognatio ſpiritualis non contrahitur à coniuge ſuſcipiente filium, vel vxorem in baptiſmo cum neceſſitate. Ibid. num.6. p.237

Cognatio ſpiritualis ſuperueniens matrimonio non tribuit ius ad diuortium. Ibid. P. 11. D. 2. §.23. num.4. p. 356

COHABITATIO coniugum eſt de iure naturæ, & diuino. C.15. M.6. P. 1. n.2. p.2

Cohabitatio coniugum eſt onus iuſtitiæ. Ibid. n.3. p.2

Cohabitatio, vt onus iuſtitiæ, ad quod extendatur. Ibid. num.4. p. 3

Cohabitatio coniugum diſſolui poteſt manente vinculo coniugali. Ibid. n.6. p.3

Cohabitatio coniugum, vt onus eſt, intelligi debet cum moderamine. Ibid. n. 5. p.3

Cohabitatio non oritur ex dote, ſed ex iure naturali. Ibid. P.6. n.3. p. 13

COMPENSATIO mutua adulterij. C.15. M.6. P.11. S.10. num.5. p.76

Compenſatio vt ſupra non exigit, quod delictũ vtriuſque fuerit commiſſum eodem tempore, nec quod potius illud vnius, quam alterius præceſſerit. Ibid. num. 5. p.78

Compenſationis iuri non derrogat, quod alter pluries deliquerit. Ibid. n.6. p. 78

Compenſatio non datur quoad hunc effectum, ſi alter fornicationem, & alter ſodomiam commiſerit. Ibid. num. 7. p.78

Compenſatio fit, ſi alter alteri prius fornicanti iniuriam condonarit, etiamſi poſtea ipſe deliquerit. Ibid. num.8. p. 79

Compenſatio non fit lata ſententia diuortij ob vnius adulterium, ſi poſtea alter deliquerit. Ibid. n.11. p.80

Compenſatio adulteriorum, an fiat etiam quoad pœnas ciuiles, & criminales. Ibid. S.12. n.1. p.87

Compenſatio adulteriorum coniugum fit etiam quoad pœnas ciuiles. Ibid. n. 11. p.88

Compenſatio non datur inter coniuges adulteros quoad actionem criminalem. Ibid. n.12. p.88

Compenſatio non datur inter adulterium ſpirituale, & adulterium carnale. Ibid. P.12. n.18. p. 95

Compenſatio delictorum non datur inter vtrumq; coniugem damnatum apoſtatam. Ibid. n.20. p.96

COMPROMISSVM ſuper alimenta prætenſa inter Patrē, & filium poteſt eſſe. C.15. M.9. P.13. n.2. p.316

Compromiſſum ſuper alimenta futura inter eoſdem non poteſt eſſe. Ibid. num.3.

CONCIL. Prou. Mediolani afficit excommunicatione parentes, qui differunt baptiſmum filiorum vltra nouendium. C.15. M.9. P.1. n.4. p.453

Concil. Trid. afficit excommunicatione parentes, qui impediunt filias, ne velum ſuſcipiant, & profiteantur in Religione. Ibid. n.13. p.455

Concil. Trident. afficit etiam excommunicatione parentes impedientes filias à ſuſceptione habitus, & ingreſſu in Religionem. Ibid. n.16. p.455

Niſi adſit iuſta cauſa, & quænā. Ibid. n.18. p.456

Concil. Trident. ſolum afficit retrahentes fæminas, non maſculos. Ibid. num.19.

Concil. Trid. afficit etiam alios à parentibus. Ibid. n.20.

Concilium Tridentinum afficit excommunicatione parentes, qui compellunt filias ad Religionē. Ibid. n.21.

Quid veniat nomine coactionis. Ibid. nu. 22.

Concil. Trid. etiam afficit excommunicatione conſulentes, & opem præſtantes. Ibid. n.36. p.459

CONFESSIO adulterij per vxorem quomodo inducat ius in maritum ad diuortium. C. 15. M. 6. P. 14. D.2. §.28. n. 2. p.173

Confeſsio iſta quibus modis fieri queat. Ibid. num. 3. p. 173., & n.6. p. 173

Confeſsio vxoris de adulterio commiſſo neſciente marito, à quo vxor ob adulterium mariti receſſerat, & ingreſſa erat Religionem fieri poteſt in eadem in præiudicium Profeſsionis. Ibid. §.29. n.2. p.174

Confeſsio, vt ſupra, non teneret poſt profeſsionem in Religione. Ibid. num 4. p. 174

CONFESSARIVS approbatus ab ordinario loci, & deputatus ad hos caſus poteſt abſoluere ab excõmunicatione propter abortũ. C.15. M.8. P.5. n.2. p.371

Confeſſarius ad abſoluendum ab hac excommunicatione non ſufficit, quod ſit deputatus in genere ad abſoluendum à reſeruatis. Ibid.

Confeſſarius Regularis deputatus à ſuo Prælato ad hos caſus poteſt ſubditos ipſius ab hac cenſura abſoluere. Ibid. n.4. p.372

Confeſſarius approbatus ab ordinario licet non deputatus ad hos caſus poteſt ex vi Iubilei abſoluere à caſu abortus. C.15. M.8. D.1. §.16. n.3. p.429

CONIVX certus de adulterio alterius poteſt illi denegare debitum. C.15. M.6. P.11. S.3. nu.1. p.33

Coniux nequit ſeparari ab adultero coniuge, ſi adulterium ſit occultum. Ibid. n.2. p. 33. ſecus verò, ſi notorium. Ibid.

Coniux in foro externo nequit priuari, niſi per actum iudicialem. Ibid. n. 4. p.34

Coniux ſpoliatus &c. ex crimine occulto eſt reſtituendus. Ibid. num.5. p.34

Coniux, vt ſupra, an ſit reſtituendus quoad habitationem,

Digitized by Google

tionem, an quoad debitum. Ibid. n.6. p.35

Coniux, qui propria auctoritate receſſit, quando delictum eſt occultum, ſi redeat, eſt reſtituendus. Ibid. num. 9. p.36

Coniux offerens probationes delicti alteri coniugi non tenetur incontinentem reſtituere. Ibid. nu.12. p.36

Coniux innocens ad impediendam reſtitutionem, tenetur probare notorietatem delicti, & quomodo. Ibid. num. 13. p.37

Coniux innocens, vt poſſit iuſtè recedere, debet eſſe certus certitudine morali de alterius delicto. Ibid. num.14. p. 38

Coniux innocens, an poſſit, & an teneatur coniugem adulterum dimittere. Ibid. S.5. n.1. p.43

Coniux, an poſſit ingredi Religionem, vel ſacros ordines ſuſcipere inuito altero coniuge adulterante. Ibid. S. 6. p.48

Coniux innocens lata ſententia diuortij non poteſt amplius ſibi reconciliare adulterum, ſi ipſe mutauerit ſtatum, vel per profeſſionem in Religione, vel per ſacros ordines ſuſceptos. Ibid. num. 8. p. 49., & num.9. p. 50

Coniux innocens poteſt ſibi reconciliare adulterum, etiam ſi ſimplex votum caſtitatis emiſerit. Ibid. num.10. p. 50

Coniux innocens poſita ſententia diuortij poteſt ingredi Religionem, etiamſi adulter non voueat caſtitatem. Ibid. S.7. num. 1. p.59

Coniux innocens etiam poſita ſententia diuortij non poteſt ad Religionem tranſire altero inuito. Ibid. num.2. p.60., ſi delictum ſit notorium, non tamen, ſi occultum. Ibid. num. 3. p. 60

Coniux innocens, vt ſupra poteſt tranſire, & non poteſt tranſire ſecundum diuerſa. Ibid. num. 4. p.60

Coniux innocens poteſt adultero negare debitum: ex hoc tamen non infertur poſſe Religionem ingredi. Ibid. n.5. p.60

Coniux innocens poteſt ingredi Religionem, quantumuis adulter remanens in ſæculo non voueat caſtitatem. Ibid. num. 7. p. 61

Coniux innocens permanens in ſæculo poteſt altero inconſulto vouere caſtitatem. Ibid. n.8. p. 61

Coniux innocens, qui poſtea fornicauit, an poſſit ab adultero compelli ad reconciliationē. Ibid. n.9. p.62

Coniux innocens emiſſo voto caſtitatis poſt latam ſententiam diuortij, an poſſit ratione fornicationis ab ipſo commiſſæ cogi ad reconciliationem. Ibid. n.10. 11. p.62., & num.12. 13. 14. p.63

Coniux innocens ſeparatus ab altero ob adulterium alterius, ſi poſtea fornicatus fuerit, poſſit velle tranſire ad Religionem. Ibid. num. 16. p.63., & num.17. p. 64

Coniux innocens ſeparatus ab adultero notorio, ſi poſtea fornicatus fuerit, & tranſierit ad Religionem, in qua profeſſus fuerit, non poteſt reuocari. Ibid. n. 18. p.64., & hoc intelligendum eſt, ſi ſubſequens adulterium fuerit ignoratum. Ibid.

Coniux innocens, qui ſecuta ſententia diuortij fornicatus fuerit poſt emiſſum votum caſtitatis non poteſt amplius reuocari. Ibid. n. 20. p. 65

Coniux innocens etiam inconſulto adultero poteſt ſacros ordines ſuſcipere poſita notorietate adulterij, vel certitudine eiuſdem. Ibid. num.23., p.66., & hoc in foro animæ. Ibid. n. 24.

Coniux innocens, ſi in foro externo compelleretur ad cohabitandū cum adultero non teneretur ſub pœna excommunicationis, reddere debitum adultero. Ibid. num.25. p.66

Coniux innocens per errorem condemnatus reconciliari debet, ſi alter ſtatum non mutauerit. Ib. n.2. p.67

Coniux innocens tunc poſſet agere per viam actionis ad talem retractationem, & reconciliationem. Ibid. num.3. p. 67

Coniux innocens reſtitutus alteri poſt retractationem ſententiæ diuortij latæ ex errore tenetur reddere debitum, non tamen poteſt petere, ſi habuit animum, quando vouit, ſe obligandi, quantum potuit. Ibid. n. 6. p. 69

Coniux ſeparatus per ſententiam erroneam, ſi ſuſcipit ſacros ordines, non poteſt reuocari. Ibid. n.8. p. 70

Coniux adulter occultè non poteſt in foro interno diuertere ab altero notoriè tali. Ibid. S.10. n.3. p.77

Coniux adulter occultus non priuatur iure petendi debitum. Ibid. num.4. p.77

Coniux adulter corrigendo alterum in adulterio poteſt ab eodem diuertere, ſi contumax eſt in adulterio poſt correctionem. Ibid. n.10. p.80

Coniux innocens poteſt dimittere adulterum, qui poſt correctionem, & condonationem relabitur. Ibid. S. 11. n.3. p.82

Coniux innocens, qui adultero condonauit iniuriam, non poteſt exigere niſi pœnam poſterioris delicti. Ibid. num. 4. p.82

Coniux opinans probabilitèr de alterius adulterio petendo ab eodem debitum intelligitur condonare, ſecus reddendo. Ibid. n.7. p.83

Coniux innocens ſupponitur iniuriam remittere, quamuis non nouerit omnia alterius coniugis adulteria. Ibid. n.9. p.83

Coniux innocens poteſt alteri apoſtanti à fide negare debitum. Ibid. P.12. n.3. p.90

Coniux innocens, quod non poſſit diuertere ab altero apoſtata. Ibid. nu. 4. p. 90. tamen prima ſententia præponitur. Ibid. num.5. p.90

Coniux innocens ad hoc, vt poſſit diuertere, non requiritur Iudicis ſententia. Ibid. n.6. p. 91

Coniux innocens recedens ab apoſtata propria auctoritate, ſi iſte reſcipuerit ante ſententiam, tenetur reconciliari. Ibid. n.7. p.91

Coniux innocens debet reſtitui apoſtatæ, qui reſcipuit, etiamſi innocens profeſſus fuerit in aliqua Religione tempore apoſtaſiæ alterius. Ibid. n.8. p.91

Coniux fidelis poſita ſententia Eccleſiæ ſeparatus ab apoſtata, non poteſt compelli ad illum recipiendum. Ibid. n.9. p. 92

Coniux fidelis, vt non reſtituatur apoſtatæ, ſufficit, quod ſententia attingat apoſtaſiam, eamque declaret. Ibid. n. 11. p.93

Coniux fidelis poſita declaratione Eccleſiæ poteſt tranſire ad Religionem non obſtante, quod hæreticus reſcipuerit, & permanens in ſæculo non vouerit caſtitatem. Ibid. n. 13. p.93

Coniux apoſtata lata ſententia non poteſt innocente inuito mutare ſtatum. Ibid. n.15. p.93

Coniux innocens etiam lata ſententia poteſt vel tacitè, vel expreſsè ſibi reconciliare apoſtatam, ſi reſcipuerit. Ibid. n.16. p.95

Coniux poteſt recedere ab altero, quando hic induceret ad peccandum. Ibid. P.13. n.5. p.98., & ad hoc non requiritur ſententia Iudicis. Ibid. n.6. p.99

Coniux poteſt ab altero ſæuiente recedere, & nolle reconciliari, donec præſtetur cautio, etiamſi ipſe fuerit occaſio alteri ſæuiendi. Ibid. P.14. n.7. p.102

Coniux innocens ob alterius ſcelera illi noxia poteſt ab eo diuertere. Ibid. n. 13. p. 104., & etiam ob defectus naturales illi noxios. Ibid. n. 104.

Coniux non excommunicatus poteſt cohabitare, & petere debitum ab excommunicato. Ibid. D.1. §. 1. num.2. p. 105

Coniux innocens contrahens cum ignorantia excommunicationis alterius non priuatur communicatione. Ibid. §.4. n.3. p.113

Coniux excommunicatus contrahens cum alio ignorante ipſius excommunicationem probabile eſt, quod poſſit petere, & probabile, quod non. Ibid. n.4. p.113

Coniux quibus remedijs poſsit vti ad compellendum alterum nolentem cohabitare ad cohabitandum. Ibid. D.1. §.17. n.1. p. 128

Coniux, vt ſupra, poteſt petere reſtitutionem iudicio tàm petitorio, quàm poſſeſſorio. Ibid. nu.2. p.128. tùm in foro Eccleſiaſtico, tùm in foro laico. Ibid. num.3. p. 128

Coniux innocens poteſt adulterum dimittere non obſtante conſuetudine in contrarium. Ibid. D. 2. §. 3. n.3. p.142., etiamſi factus fuerit conſcius poſt longum tempus. Ibid. §.4. n. 3. p.143., etiamſi diſtulerit actionem, modo tacitè non condonarit. Ibid. nu.4. p.143., & nu. 5. ſoluuntur rationes oppoſitæ. p.143

Coniux innocens, an poſsit alteri remittere pænas adulterij, reſeruato ſibi iure ad aliquam partem dotis. Ibid. §.14. n.1. p.155

Coniux innocens pendente lite ſuper diuortio, an teneatur ad reddendum alteri debitum. Ibid. §. 17. num.1. p. 158

Coniux innocens certus de adulterio alterius non tenetur debitum reddere. Ibid. n.3., ſecus verò tenetur reddere. Ibid. n.4. p. 159

Coniux innocens temerariè expulſus, an ſit reſtituendus, quamuis poſtea fornicatus fuerit notoriè. Ibid. §. 18. nu. 1. p. 159. quid faciendum in caſu. Ibid. num.4. p. 160

Coniux certus de inualiditate matrimonij, an poſsit propria auctoritate diuertere, adeout dimiſſus non ſit reſtituendus. Ibid. §.19. n.1. p.160

Coniux, vt ſupra, non poteſt hoc agere propria auctoritate. Ibid. nu.2. p.160

Coniux in dato caſu poteſt, quantum ad forum internum recedere. Ibid. nu. 5. p. 161., ſecus verò in foro externo, ſi impedimentum non ſit notorium. Ibid. n. 6. p. 161. imò etiamſi impedimentum eſſet notorium. Ibid. nu. 7. p.161

Coniux dimiſſus ob adulterium notorium, cur non ſit reſtituendus, benè verò dimiſſus ob impedimentum notorium. Ibid. nu. 8. p.161

Coniux innocens poteſt propria auctoritate recedere ab altero adultero, ſi habuerit immediatè coniecturas, & hoc in foro interno. Ibid. §.30. n.2. p.175

Coniux præuidens periculum incontinentiæ in altero petente debitum tenetur ex iuſtitia reddere. Ibid. M.7. P.2. n.4. p.184., ſi nulla ſit ſpes vitandi incontinentiam. Ibid. n. 5. p.185

Coniux tenetur petere debitum, quando aliter ipſi imminet periculum fornicationis. Ibid. n.6. p.185

Coniux tenetur petere debitum, quando adeſt bonum Reipublicæ. Ibid. n.7. p. 185

Coniux ſub lethali tenetur non auertere alterum à petendo. Ibid. n. 12. p.185., & hoc ſi alter ſeriò petat. Ibid. nu.13. p.186

Coniux non excuſatur à graui culpa, ſi alteri ſeriò petenti vna vel altera vice neget debitum. Ibid. num. 15. p. 187

Coniux excuſatur à redditione debiti petita in loco publico. Ibid. P.3. S.1. n.2. p.188

Coniux petens, vel reddens in Eccleſia debitum ſine cauſa iuſta peccat. Ibid. n. 10. p.191

Coniux petens, ſi ſit in periculo incontinentiæ, & reddens in periculo ſalutis corporalis, hic tenetur reddere. Ibid. S. 2. n.3. p. 198

Coniux febri laborans, aut aliquo graui morbo, non tenetur reddere. Ibid. nu.4. p. 198

Coniux, non tenetur ſtatim poſt prandium alteri petenti reddere. Ibid. n.5. p.198., nec in balneis, vel ſtatim à balneis. Ibid. n. 6., nec poſt ſectionem venæ, & ſanguinis emiſſionem. Ibid. n.7., nec ſi alter immoderatè, & nimis frequentèr petat. Ibid. num. 8. p.199

Coniux non tenetur reddere debitum, ſi norit congreſſum futurum noxium petenti. Ibid. n.11. p.199

Coniux non tenetur reddere debitum tempore lactationis, ſi lactanti, vel proli immineat graue damnum. Ibid. n.12. p.199

Coniux ſanus non tenetur alteri leproſo reddere debitum, vbi eſt periculum infectionis. Ibid. n.13. p.200

Coniux ſanus non eximitur ab onere reddendi debitum extante periculo infectionis in prole. Ib. n.15. p.200

Coniux ſanus, quamuis non teneatur reddere debitum leproſo, poteſt tamen licitè reddere. Ibid. n.16. p.201

Coniux ſanus ex horrore congrediendi cum leproſo, quandoque eximitur ab onere reddendi, quandoque non. Ibid. n.17. p. 201

Coniux ſanus ex horrore graui eximitur, ſiue lepra præceſſerit, ſiue non. Ibid. n.18. p.202

Coniux non eximitur ab onere reddendi debitum ex eo, quod petatur pro diebus feſtis etiam ſolemnioribus, & ieiuniorum. Ibid. n. 32. p.207

Coniux accedens ad alterum in die Communionis, vel etiam in nocte præcedente ſanctam communionem non peccat læthalitèr. Ibid. n.33. p.208

Coniux non tenetur alteri petenti modo inordinato ex præciſa voluptatis cauſa reddere debitum. Ibid. S.3. num. 4. p.215

Coniux cognoſcens ſodomiticè ſolutam, vel aliam coniugatā non euitat ſpeciem adulterij. Ib. n.9. p.217

Coniux ſanus non poteſt petere ab altero coniuge amente, ſi ſit moraliter certus, quod amens debeat ſeminare extra vas. Ibid. S.4. n. 10. p.221

Coniux ſanus ſuppoſito, quod congreſſus inter ſanum,

&

Digitized by Google

& amentem ſit licitus, tenetur perpetuo amenti ceſſante periculo abortus, vel damni reddere debitum. Ibid. n.11. p.222

Coniux dubitans rationabiliter circa contractum matrimonij non poteſt petere debitum. Ibid. S.6. num.2. p.225

Coniux dubitans, vt ſupra, ob impedimentum dirimens ortum ante contractum non poteſt petere, tenetur tamen alteri non dubitanti reddere debitum. Ibid. num. 3. p.225

Coniux tamen non dubitans non tenetur alteri dubitanti reddere. Ibid. num.4. p.226. poteſt tamen, ſi velit. Ibid. n.5. p.226

Coniux non dubitans tenetur ex charitate debitum reddere extante periculo incontinentiæ in petente. Ibid. n.6. p.226., & p.227

Coniux dubitans de valore matrimonij contracti cum bona fide ex parte vtriuſque, etiamſi ſuperuenerit dubium diſcretum, tenetur alteri non dubitanti reddere. Ibid. n.10. p.228

Coniux dubitans vt ſupra, ſi poteſt præmittere inquiſitionem ſuper dubio, antequam exigatur debitum, tenetur. Ibid. n.11. p.229

Coniux dubitans, vt ſupra non tenetur detegere ſuum dubium non dubitanti. Ibid. n.12. p.230

Coniux dubitans ſuperueniente dubio poſt contractum matrimonium nec ante, nec poſt inquiſitionem dubij poteſt petere debitum. Ibid. num.13. p.230

Coniux dubitans mota lite, eaque pendente, tenetur alteri petenti reddere debitum. Ibid. n.14. p.231., & hoc intelligendum eſt, ſi lis ſit ſuper vinculo coniugij ſoluendo, ſecus verò, ſi ſuper diuortio. Ib. n.15. p.232

Coniux dubitans ante conſumatum matrimonium intra bimeſtre nec tenetur, nec poteſt reddere. Ibid. num.16. p.232

Coniux dubitans, qui propria auctoritate receſsit, eſt reſtituendus quoad habitationem, non quoad thorum, ſi offerat incontinenti probationes, abſolutè quoad omnia, ſi incontinenti non offerat. Ibid. num.17. p.232

Coniux dubitans contracto matrimonio legitimè ſuperueniente in altero dubio de impedimento, quod ipſe poſſit remittere, non tenetur alteri reddere. Ibid. nu. 19. p.233., etiamſi Iudex eidem dubitanti præciperet redditionem. Ibid. n.20. p.234., etiamſi ipſe dubitans moueret litem ſuper vxoris ſeruitute. Ibid. n.21. p.234., ſecus verò, ſi dubium eſſet leue. Ibid. n.22. p.234

Coniux baptizans filium commuem vel filium alterius coniugis ex alio matrimonio, vel vxorem nouiter conuerſam ad fidem contrahit cognationem ſpiritualem cum filio, & vxore. Ibid. S. 7. n.2. p.235

Coniux, vt ſuprà non interdicitur ab vſu matrimonij cum vxore. Ibid. n.3. p. 235

Coniux baptizans, vt ſuprà altero præſente filium interdicitur ab vſu matrimonij. Ibid. n.4. p.236. non tamen, ſi non aduerteret ſuper aliorum præſentia. Ibid. n.5. p.237

Coniux ſuſcipiens in neceſsitate vel filium, vel vxorem in baptiſmo probabilius non contrahit cognationem, nec interdicitur ab vſu coniugij. Ibid. n. 6. p.237

Coniux ſuſcipiens in neceſsitate in baptiſmo ſolemni filium contrahit cognationem, non tamen interdicitur vſu coniugij. Ibid. nu. 7. p. 237

Coniux ſuſcipiens communem filium vel alterius coniugis cum ignorantia inuincibili facti, vel perſonæ non priuatur iure petendi. Ibid. nu.9. p.239

Coniux baptizans communem filium, vel alterius coniugis cum illa ignorantia perſonæ contrahit cognationem cum illa. Ibid. nu. 10. p.239. non tamen priuatur iure petendi. Ibid. n.11. p.239

Coniux baptizans, vel ſuſcipiens vt ſupra priuaretur iure petendi, ſi ignorantia eſſet vincibilis, & culpoſa. Ibid. num.12. p.240

Coniux, qui ſcienter, & extra neceſsitatem tenuit vel baptizauit filium communem, vel alterius coniugis non eximitur ab onere reddendi alteri debitum. Ibid. nu. 15. p. 241

Coniux, ſi perfecto matrimonio perfectè cognoſcat conſanguineam alterius in gradu à iure prohibito priuatur iure petendi debitum. Ibid. S. 8. n.2. p.243

Coniux contracto matrimonio, ſi cognouerit alterius conſanguineam, an teneatur ingredi Religionem, & nequeat cogi ad conſumandum. Ibid. n.3. p.245

Coniux vt ſuprà licet priuetur iure petendi, non tamen eximitur ab onere reddendi. Ibid. n.4., & n.5. p.243

Coniux, qui copularetur cum proprio conſanguineo non priuaretur iure petendi debitum ab altero coniuge. Ibid. n.6. p. 243

Coniux, qui copularetur cum ea, cum qua habet publicam honeſtatem, non priuatur iure exigendi debitum ab altero coniuge. Ibid. n.7. p. 244

Coniux, qui conſenſit ſuam vxorem copulari cum proprio conſanguineo, amittit ius petendi ab eadem, ſi cooperatus eſt. Ibid. n. 11. p.246., ſecus verò, ſi merè negatiuè ſe habuit. Ibid. nu.12. p.246

Coniux agnoſcens conſanguineam alterius priuatur tali iure, quantumuis illa carnalis cognitio fuerit occulta. ibid. n 13. p.246., & etiamſi inceſtuoſus fuerit iuuenis, & in periculo incontinentiæ. Ib. n.14 p.246

Coniux inceſtuoſus non aquirit ius petendi debitum ex eo, quod innocens conſcius illius inceſtus eidem petenti reddiderit. Ibid. n. 15. p.246

Coniux habens copulam cum perſona, cum qua habet impedimentum publicæ honeſtatis, non priuatur iure petendi debitum. Ibid. num.16. p.246., & 247

Coniux, qui commiſit inceſtum cum conſanguinea alterius coniugis ignarus conſanguinitatis non priuatur iure petendi debitum. Ibid. n. 17. p. 247

Coniux, qui nupſit cum obſtricto voto caſtitatis ſcienter poteſt ab eodem petere debitum. Ibid. M.7. T.3. S.9. num.13. p. 259

Coniux infidelis, qui poſt votum caſtitatis nupſit, non poteſt petere debitum. Ibid. n.14. p.259

Coniux obſtrictus voto caſtitatis, ſi nouerit alterum pariter obſtrictum eſſe in periculo incontinentiæ poteſt ab ipſo petere debitum. Ibid. n. 17. p.260

Coniux obſtrictus voto caſtitatis præciſo periculo incontinentiæ petens etiam tacitè per aliqua ſigna peccat. Ibid. num.18. p.260

Coniux obſtrictus voto caſtitatis non tenetur ingredi Religionem, ſi alter, cum quo contraxit fornicatus fuerit. Ibid. num.21. p.262. hoc autem non valet de obſtricto voto caſtitatis. Ibid.

Coniux

Digitized by Google

Coniux non remittens pactum mutuum non petendi, nec reddendi debitum, non tenetur reddere debitum. Ibid. n.41. p.271

Coniux poteſt licitè reddere debitum, etiamſi alter petat ex malo fine. Ibid. n.7. p.276

Coniux non poteſt ſe ſubtrahere à copula incapta altero diſſentiente. Ibid. P.5. n. 3. p.283

Coniux nequit ſe ſubtrahere, vt ſuprà, ſi alter ſeminauerit à complemento ſub graui culpa. Ib. n.5. p.283

Coniux impeditus ratione voti ad actum coniugalem eſt etiam impeditus ad tactus, oſcula, & ſimilia in partibus pudendis. Ibid. P.7. n.7. p.293

Coniux exercens tactus impudicos in proprio corpore in abſentia alterius, vel ipſo præſente, non tamen cũ animo coeundi peccat grauiter. Ibid. n.11. p.294

Coniux cogitans de copula præterita, ac ſi eſſet præſens, non peccat læthalitèr, ſi non ſit periculum pollutionis. Ibid. n.12. p.294

Coniux, qui ſcienter per media illicita ſe reddit impotentem ad reddendum debitum, peccat læthaliter. Ibid. D.1. §.1. n.2. p 295

Coniux, qui per media illicita ſe reddidit impotentem, tunc ſolum peccauit, quando talem ſe reddidit, non quando non reddit debitum. Ibid. num. 5. p. 296

Coniux, vt ſupra, non toties peccat, quoties non reddit. Ibid. n. 6. p. 296

Coniux, ſi labatur in fornicationem ex eo, quod alter impos non reddat, peccat ipſe, & culpa non eſt imputabilis non reddenti. Ibid. n.7. p.296

Coniux, qui aduertenter ſe reddidit impotentem per media licita peccat, ſi illa media forent immoderata. Ibid. n.8. p. 296

Coniux, an teneatur vti cibis calidis, & ſimilibus veneris irritamentis, vt potentior fiat ad reddendum. Ibid. D.1. §.3. n.1. p.298

Coniux non tenetur vti, vt ſupra. Ibid. n.2. p.298

Coniux tenetur vti, vt ſupra, imminente periculo incontinentiæ alteri, ſi poſſit ſine diſpendio propriæ ſalutis corporalis Ibid. n.3. p.298

Coniux altero inconſulto, an poſsit vouere aſſumere habitum tertij ordinis S. Franciſci, ſeu Eremitarum. Ibid. §. 5. num.1. p.300

Coniux, vt ſupra, poteſt validè vouere, non poteſt tamen exequi votum ſine alterius conſenſu. Ibid. num.2. p. 301

Alter coniux poteſt dictum votum irritare. Ibid. n.3. p.301., & tale votum irritatum non amplius reuiuiſcit. Ibid. n.4. p.302

Coniux negans debitum ex dubio valoris matrimonij poteſt compelli ad illud reddendum per Iudicem Eccleſiaſticum. Ibid. §.14. n.2. p.315

Coniux optans in actu coniugali non ſuſcipere prolem ſecundum ſe non peccat grauiter. Ibid. D. 2. §.1. num.2. p.317. immò non peccat, ſi tale deſiderium veſtiatur aliqua iuſta cauſa. Ibid. num.3. p. 317., dummodò non ponat impedimentum ad ſuſcipiendam prolem. Ibid. num.3. p. vt ſuprà.

Coniux exigens debitum in diebus feſtis in contemptum eorumdem peccat grauitèr. Ibid. §. 3. num.3. p.320., & hoc intelligendum eſt, ſi directè in contemptum exigat, nam indirectè in contemptum petere non eſt ex ſe graue. Ibid. n. 4. p.320

Coniux in actu coniugali referens intentionem ad Amaſiam tamquam ad finem peccat læthaliter. Ibid. §.4. n.2. p.321

Coniux in actu coniugali ſe delectans de pulchritudine Amaſiæ tamquam medio peccat læthaliter. Ibid. num.4. p. 322

Coniux in facta hypotheſi non peccaret læthaliter, ſi delectaretur de pulchritudine Amaſiæ, veluti de pulchritudine plantæ. Ibid. num.5. p.322

Coniux in dicto caſu non peccaret, ſi actu non cogitaret de Amaſia, ſed tantum habitu. Ibid. num.6. p. 322

Coniux viduus nequit delectari de copula præterita tamquam de præſenti. Ibid. §.6. num.6. p.326

Coniux tangens alterum cum præuiſione pollutionis non referens tactus ad copulam grauitèr peccat. Ibid. §.9. num.3. p. 332., & ſi tangatur ab altero non peccat. Ibid. num.4. p.332., & p.333

Coniux tangens ſe ipſum in pudendis cum præuiſione pollutionis grauitèr peccat. Ibid. n. 5. p. 333

Coniux cognoſcens carnaliter conſanguineam proprij coniugis, cum quo nondum conſumauit matrimonium, priuatur iure petendi debitum. Ibid. §.20. n.3. p 350., & illa copula non eſt propriè inceſtus, ſed tantum ſimilitudinariè. Ibid. num.4., & priuatio iuris petendi debitum prouenit ex publica honeſtate. Ibid. num.5. p.350

Coniux cognoſcens conſanguineam vltra ſecundum gradum conſumato matrimonio non amittit ius petendi debitum. Ibid. §.21. num.2. p.351., & hic afferuntur tres ſententiæ vna. nu. 3. p. 352. altera num.4. p.352., & alia num. 5. Ibid.

Coniux inceſtuoſus petens debitum læthaliter peccat. Ibid. §.22. num. 2. p.354

Coniux ratione cognationis ſpiritualis ſuperuenientis matrimonio, an impediatur à iure petendi debitum, & an poſsit ab altero expelli ab habitatione. Ibid. §.23. num.1. p.356., & rationes pro parte affirmatiua, exponuntur. num.2., & pro parte negatiua. num.3. p. 356

Coniux, qui altero inſcio emiſit votum caſtitatis, non poteſt ab illo dimitti. Ibid. num.5. p.356., & n.6. ſatisfit obiectionibus. Ibid. p.357

Coniux cognoſcens conſanguineam alterius in gradu probibito cum ignorantia facti non amittit ius petendi debitum. Ibid. §.25. num.3. p. 359., etiamſi coierit cum ignorantia vincibili. Ibid. n.4. p.359

Coniux, ſi coierit cum ignorantia iuris probabilius eximitur à tali pœna. Ibid. num. 5. p.360

Coniux ſe retrahens à copula carnali poſt alterius ſeminationem non committit crimen abortus, grauiſsimè tamen peccat. C.15. M.8. P.8. num.8. p. 379

CONIVGES tenentur cohabitare. C.15. M.6. P.1. num. 1. p.2

Coniuges tenentur cohabitare ex iuſtitia. Ibid n.3. p.2

Coniuges eximi poſſunt à cohabitatione manente vinculo coniugali. Ibid. num.6. p.3

Coniuges poſſunt mutuo conſenſu ſeparari à communi thoro. Ibid. P.3. num. 1. p.8

Coniuges non poſſunt ſeparari, vt ſupra, ſi immineat periculum incontinentiæ. Ibid. nu. 2. p.8

Coniuges nequeunt mutuo conſenſu ſeparari habitatione

Digitized by Google

ne prole exiſtente. Ibid. n.3. p. 8
Coniuges poſſunt habitatione ſeparari mutuo conſenſu, ſi proles fuerit adulta. Ibid. nu.4. p.8
Coniuges non poſſunt ſe vendere. Ibid. P.5.nu.1. p.11
Coniuges reconciliandi ſunt, ſi innocens per errorem condemnatus fuit, & ſi neuter ſtatum mutauerit. Ibid. P.11. S.8. nu.2. p.67
Coniuges excommunicati poſſunt communicare in habitatione, & debito. Ib. P.14.D.1.§.1.n.5. p.106
Coniuges excommunicati poſſunt ab Eccleſia priuari mutua communicatione, Ibid. §.2. num.2. p.107
Coniuges tenentur abſtinere ab vſu coniugij pendente lite de valore matrimonij. Ibid. §.5. nu.2. p.114., & ſoluuntur rationes oppoſitæ. n. 4. p.115
Coniuges diuortio ſeparati, ſi excommunicentur, an poſſint adinuicem communicare. Ibid.§.6.n.1.p.115
Coniuges poſito diuortio, ſi alter, vel vterque excommunicetur, nequeunt adinuicem communicare. Ibid. num.2. p. 115. poſſunt verò communicare, ſi alter excommunicatus reſcipuerit. Ibid. n.3. p.116
Coniuges ſeparati per diuortium non inſtaurabile, niſi per conſenſum eius, in cuius fauorem factum eſt, non poſſunt communicare, niſi poſt abſolutionem. Ibid. num.4. p.116
Coniuges impediti ad petendum debitum ſeparandi ſunt quoad thorum, non quoad habitationem. Ibid. §.24. p.139
Coniuges certò ſcientes ſe diù detinendos eſſe in Eccleſia poſſunt ſtatim reddere, & petere debitum. Ibid. P.3. S.1. num.8. p. 190
Coniuges, vt poſſint licitè congredi in Eccleſia, debent ſaltem per octo dies abſtinere. Ibid. num.9. p.190
Coniuges excuſantur à reddendo debito, quando redditio eſſet noxia reddenti. Ibid. S.2. n.2. p.198
Coniuges conuenienter abſtinent à Communione in ea die, in qua habuerunt copulam. Ib. S.2.n.34. p.209
Coniuges accedentes ad Sanctam Communionem poſt debitum coniugale habitum ex recto fine nullam contrahunt culpam. Ibid. num.35. p.211
Coniuges accedentes ad ſacram Communionem eo die, quo habuerunt vſum coniugalem voluptatis gratia, peccant venialitèr. Ibid. n.33. p.212
Coniuges ſimul congredientes poſt habitam Communionem in eadem die non peccant. Ibid. n.38. p.213
Coniuges amentes poſſunt ſimul congredi pro tempore, quo gaudent lucidis interuallis. Ibid. S. 4. num. 3. p.220., dummodo tamen non ſequatur periculum abortus. Ibid. n.4. p.220
Coniuges plenè amentes ſunt ſeparandi, & grauitèr peccaret excitans illos ad copulam. Ibid. n.5. p.220
Coniuges poſſunt conuenire de non congrediendo ad vitandam prolis multiplicitatem. Ibid. S.5 n.1. p.222
Coniuges non poſſunt conuenire, vt ſupra, ſi adſit periculum incontinentiæ in altero. Ibid. n.2. p.223
Coniuges non eximuntur ab onere reddendi debitum ex eo, quod non habeant, quod poſſint poſt mortem proli multiplicatæ relinquere. Ibid. num.3. p.223., & etiamſi non habeant, vnde prolem alant, dum viuunt. Ibid. num.4. p.223
Coniuges, qui dubitarunt de valore Matrimonij ante contractum, ſi contraxerint, nequeunt nec petere, nec reddere debitum, Ibid. nu.7. p.227
Coniuges, qui contraxerunt modo dicto ſeparandi ſunt à thoro. Ibid. n.8. p.227
Coniuges ſuperueniente dubio diſcreto poſt contractum matrimonium nequeunt petere, nec reddere ſiue ante, ſiue poſt præſtitam inquiſitionem. Ibid. num. 18. p.232
Coniuges, an excuſentur ab vſu coniugij ob affinitatem ortam inter ipſos poſt matrimonium. Ibid. S.8. num.1. p. 242
Coniuges cognoſcentes inceſtuosè conſanguineos alterutrius nequeunt petere, nec reddere debitum. Ibid. num. 18. p.247
Coniuges in caſu ſuppoſito nequeunt nec reddere, nec petere, etiamſi vterque dolosè contraxerit affinitatem cum animo fraudandi alterum à iure petendi. Ibid. num.19. p.248
Coniuges, qui ſunt obſtricti voto caſtitatis nequeunt petere, & tenentur ambo reddere debitum. Ibid. P.3. S.9. n.16. p. 260
Coniuges non timentes incontinentiam poſſunt licitè, & liberè vouere caſtitatem. Ibid. n.38. p.270
Coniuges ſibi mutuò remittentes votum caſtitatis conſtituuntur rei violati. Ibid. num.39. p.270., & in ſequenti ſoluuntur inſtantiæ.
Coniuges, qui mutuo conſenſu vouerunt caſtitatem, nequeunt adinuicem votum irritare. Ibid. S.10. n.6. p.275., & hæc omnia etiam quoad votum religionis intelliguntur. Ibid. num. 7.
Coniuges non tenentur ſimul ſeminare. Ibid. P. 5. n.8. p.285. eſt tamen congruum, vt ſtudeant ſimul ſeminare. Ibid. p.286
Coniuges quot modis fieri poſsint impotentes. Ibid. P.6. nu.1. p.288
Coniuges extante impotentia ſine ſpe ſeminationis intra vas nequeunt licitè congredi. Ibid. n.2. p.288
Coniuges etiam extra periculum incontinentiæ poſſunt ſumere cibos calidos, dummodo ſumptio ſit ordinata ad copulam ob finem honeſtum. Ibid. P.7. D.1.§.3. num.4. p. 299
Coniuges nequeunt ſumere, vt ſupra præcisè per hoc ad maiorem voluptatem captandam. Ibid. n.5. p.299
Coniuges, an poſsint vouere abſtinentias, & alia in præiudicium debiti coniugalis. Ibid. §.4. n. 1. p.299
Coniuges non poſſunt vouere, vt ſuprà ſine alterius licentia, quæ obſtant debito coniugali moderato reddendo. Ibid. num.2. p.299
Coniuges à quonam Iudice poſsint compelli ad ſibi reddendum debitum. Ib. M.7.P.5.D.1.§.14.n.1. p.315
Coniuges in actu coniugali optantes non ſuſcipere prolem non peccant grauiter. Ibid. D.2. §.1 n.2. p.317., immò non peccant, ſi tale deſiderium veſtiatur aliqua iuſta cauſa, & non ponant vllum impedimentum ad concipiendam prolem. Ibid. nu. 3. p.317
Coniuges habentes dictum deſiderium, ſi intendant voluptatem tantum carnalem, peccant venialiter. Ibid. n.4. p.317. vbi ſoluitur inſtantia. p.318
Coniuges in facta hypotheſi non peccant, nec venialiter, ſi concubitus referatur ad vitandam incontinentiam. Ibid. num.5. p.318
Coniuges, ſi delectentur morosè de copula præterita ſine periculo pollutionis, non peccant læthalitèr. Ibid. D. 2. §.6. nu.3. p.325

Digitized by Google

Coniuges abſentes, ſi delectentur de copula futura inter eoſdem, non peccant lethaliter. Ibid. nu. 4. p. 325., & etiamſi delectarentur, ac ſi eſſent in copula præſenti. Ibid. num. 5. p. 325., & p. 326., vbi ſoluitur inſtantia Coniux viduus nequit delectari de copula præterita tamquam de præſenti. Ibid. n. 6. p. 326

Coniuges dantes operam rei licitæ neceſſariæ, vel vtili non peccant, quamuis præuideant pollutionem. Ibid. §. 8. num. 2. p. 329

Coniuges extra actum coniugij exercentes actiones ſecundum ſe turpes in genere luxuriæ ſine neceſſitate cum præuiſione pollutionis peccant lethaliter. Ibid. §. 9. num. 2. p. 332

Coniuges nequeunt licitè coire impediendo conceptionem prolis. Ibid. §. 12. num. 2. p. 338., & hic aſſignatur diſparitas de concumbente cum ſterili. Ibid. num. 3.

Coniuges ex vi legis antiquæ non interdicuntur ab vſu coniugij durante tempore purificationis. Ibid. §. 15. num. 3. p. 343

Coniuges impediti ambo ad petendum debitum tenentur thoro ſeparari, non autem habitatione. Ibid. §. 23. num. 7. p. 357

Coniuges conſentientes mutuo ad violentam oppreſſionem fornicariam priuantur iure petendi debitum, tenentur tamen reddere ambo. Ibid. §. 24. n. 5. p. 358

CONSVLENTES, & mandantes abortum comprehenduntur ſub excommunicatione Sixti V. C. 15. M. 8. P. 10. num. 1. p. 381

Conſulentes, & mandantes incurrunt omnes pœnas homicidij attenta conſtitutione Sixti V. C. 15. M. 8. P. 10. num. 2. p. 382

Non ſic attenta conſtitutione Gregoriana, ſi fœtus non fuerit animatus. Ibid.

Conſulentes abortum fœtus animati præter pœnam excommunicationis non incurrunt alias pœnas de iure canonico, & ciuili impoſitas homicidis, niſi in iure exprimantur. Ibid. num. 3. p. 382

Conſulentes, & mandantes non contrahunt excommunicationem effectu non ſecuto. Ibid. num. 4.

Conſulentes reuocato concilio non euitant pœnas, ſi in illo oſtendant vtilitatem conſulti, benè tamen mandantes reuocato mandato. C. 15. M. 8. P. 10. num. 6. p. 383

CONSVLENS abortum fœtus inanimis non euitat pœnas procurantium abortum fœtus animati, ſi fœmina diſtulerit executionem conſilij poſt fœtus animationem, ſi motiuum conſilij vigeat etiam poſt animationem. C. 15. M. 8. D. 1. §. 7. n. 3. p. 413

Secus, ſi motiuum ſit tale, vt non moueat poſt animationem. Ibid. num. 4. p. 414

Conſulens in hac hypotheſi ex quocunque motiuo non incurrit excommunicationem. Ibid. n. 5. p. 415

Conſulens mulieri prægnanti paratæ ſe ipſam occidere cum fœtu, vt tantum fœtum perimat probabilius non peccat, quando alia via non poteſt auerti à ſui, & fœtus occiſione. C. 15. M. 8. D. 1. §. 9. n. 5. p. 418

Conſulens minus malum ad euitandum maius, vbi vtrumq; non poteſt auertere, non eſt reus culpæ. Ibid. num. 3.

Conſulens in dubio, an fœmina mota fuerit ex ſuo conſilio ad abortum, an verò ex ſe ipſa, ſi dubium fuerit æquale probabilius non euitat pœnas. C. 15. M. 8. D. 1. §. 18. num. 2. p. 432

Conſulens in tali dubio, ſi maior fuerit probabilitas, quod fœmina ex ſe mota fuerit probabilius euitat pœnas. Ibid. num. 3.

Conſulens euitat pœnas, ſi fœmina fide digna dicat ſe motam fuiſſe ex ſe. C. 15. M. 8. D. 1. §. 18. n. 4. p. 432

Conſulens, qui ſolum mouit ad modum, cum eſt determinata ſubſtantia, non incurrit pœnas. Ibid. num. 5.

CONTEMPTVS nomine quid propriè veniat. C. 15. M. 7. P. 5. D. 2. §. 3. num. 2. p. 319

Contemptus poteſt contingere directè, & indirectè. Ibid. num. 2. p. 319

Contemptus dierum feſtorum non habetur à coniuge frequenter exigente debitum in iiſdem diebus feſtis. Ibid. num. 5. p. 320

CONTRAHENS ſcienter cum excommunicato peccat lethaliter. C. 15. M. 6. P. 14. D. 1. §. 3. n. 2. p. 110

Contrahens non excommunicatus cum excommunicato denuntiato, non poteſt cohabitare, nec reddere debitum. Ibid. num. 3. p. 111., & poſſe &c. n. 4. p. 111. probabilius tamen eſt non poſſe, donec excommunicatus abſoluatur. Ibid. n. 5. p. 111

Contrahens cum excommunicato neſcius tamen excommunicationis, an poſſit petere, & reddere debitum cognita illius excōmunicatione. Ibid. §. 4. n. 1. p. 113

Contrahens cum ignorantia excommunicationis alterius non priuatur communicatione. Ibid. n. 3. p. 113

Contrahens infidelis cum voto caſtitatis, non poteſt petere debitum. M. 7. P. 3. S. 9. num. 14. p. 259

Contrahens cum voto Religionis adhuc eſt liber ad obſeruantiam voti. Ibid. num. 19. p. 261

Contrahens cum voto ſacrorum ordinum, quamuis peccet contrahendò, non peccat tamen vtendo matrimonio. Ibid. num. 22. p. 263. etiam prima vice conſumando. Ibid. num. 23.

Contrahens cum voto ſacrorum ordinum non eſt impeditus ab vſu matrimonij. Ibid. num. 24. p. 263. niſi intenderit etiam abſtinere non tantum à nuptijs, ſed etiam ab vſu coniugij. Ibid. num. 25. p. 264

Contrahens in dicta hypoteſi non impediretur ab vlteriori vſu. Ibid. num. 25. p. 264., & num. 26. p. Ibid. exponitur quid ſentiendum ſit, vbi non conſtat de intentione.

Contrahens ſcienter matrimonium cum obſtricto voto ſimplicis caſtitatis, an poſſit petere debitum. Ibid. P. 5. D. 1. §. 11. num. 1. p. 309., & num. 2. exponuntur rationes ſuadentes non poſſe petere. num. 3. concluditur poſſe petere, & alterum teneri reddere, & nu. 4. ſoluuntur rationes in contrarium, & hæc omnia. p. 310

Contrahens matrimonium cum intentione, & deſiderio excludente ſuſceptionem prolis non peccat, nec venialiter. Ibid. D. 2. §. 2. num. 6. p. 319

COPVLA ſequta ante tractatum matrimonij, hoc poſtea ſequto non impedit tranſire ad religionem dūmodo non fuerit conſummatum. C. 15. M. 6. P. 14. D. 2. §. 2. n. 2. p. 142., etiamſi tractatus matrimonij præceſſerit ipſam copulam. Ibid. n. 3. p. 142

Copula inter coniuges in Eccleſia ſine iuſta cauſa inuoluit ſacrilegium. Ibid. M. 7. P. 3. S. 1. n. 13. p. 192

Copula immoderata ſecundum ſe inter coniuges non eſt pecca-

Digitized by Google

peccaminoſa lethaliter. Ibid. S.2. n.9. p.199
Copula immoderata coniuncta cum certo moraliter periculo detrimenti ſalutis corporalis eſt peccaminoſa lethaliter. Ibid. num. 10. p.199
Copula ex parte modi, vel ſitus multiplex. Ibid. S. 3. num. 1. p.214
Copula ſeruato vaſe naturali non eſt lethaliter peccaminoſa, etiamſi habeatur variatio modi, vel ſitus. Ibid. nu.2. p.214
Copula conſumata non ſeruato vaſe naturali inter coniuges eſt illicita, & neminem obligat. Ibid. num.5. p.216
Copula inter coniuges, quorum alter eſt amens, & alter ſanus non eſt illicita ſecluſo periculo abortus, ſeu damni prolis. Ibid. S.4. num.7. p.221
Copula perfecta inter perſonas, inter quas adeſt impedimentum publicæ honeſtatis quid ſit. Ibid. S. 8. num.8. p. 244
Copula coniugalis exercita ex fine prolis ſecundum ſe licita eſt, & honeſta. Ibid. P.4. num. 3. p.276., dummodo talis finis non ſit vltimus, & vltimatò intentus. Ibid. num.4., & ad hoc ſufficit intentio virtualis prolis. Ibid. num.5. p.276
Copula coniugalis, vt ſit licita ex fine boni fidei debet includere finem generationis. Ibid. num. 8. p.277
Copula coniugalis relata ex intentione coniugum ad finem mortalitèr malum eſt mortalitèr peccaminoſa. Ibid. n.9. p.277
Copula coniugalis ex fine venialitèr malo eſt venialis. Ibid. n.11. p.277
Copula coniugalis relata ad bonum Sacramenti non eſt mala, ſi alij fines non excludantur. Ibid. num. 12. p.277. afferuntur rationes. p.278
Copula coniugalis relata ad finem vitandæ incontinentiæ vel in ſe, vel in altero eſt licita. Ib. n.13. p.278
Copula coniugalis relata ad finem extrinſecum ſanitatis, & lucri licita eſt, ſi non excludantur alij fines ordinati. Ibid. n.14. p. 279
Copula coniugalis relata præcisè, vel principalitèr ad delectationem carnalem non vacat culpa veniali. Ibid. n.15. p.280., & à quonam deſſumatur talis culpa. p.281
Copula coniugalis incæpta, & diſſoluta ante vtriuſque ſeminationem, an inuolat culpam, & quamnam. Ibid. P. 5. num. 1. p.282
Copula fornicaria obligat maſculum, vt ſe retrahat à ſeminatione, etiamſi fæmina iam ſeminaſſet. Ibid. P.5. num.10. p.286., & in ſequenti ſoluuntur plures inſtantiæ. Ibid. p. dicta, & p.287., etiamſi ex vi commotionis carnis eſſet periculum ſeminandi extra vas. Ibid. num.11. p.287
Copula coniugalis non eſt licita extante impotentia ſine ſpe ſeminationis intra vas. Ibid. n.2. p.288
Copula coniugalis eſt licita, ſi non conſtet de omnimoda impoſſibilitate, & ſit ſpes perficiendi. Ibid. n.4. p.289., & numero 7. exponitur quodnam tempus concedendum ſit ad experimentum. p. 289
Copula coniugalis poteſt haberi inter coniuges, ſi maritus poteſt ſeminare intra vas, etiamſi fæmina nequeat illud ſemen retinere. Ibid. n.6. p.289
Copula coniugalis ſecum trahens diſtractionem mentis impedit ſub veniali Euchariſtiæ ſumptionem. Ibid. D.2. §.14. num.7. p.242
Copula coniugalis, an ſit licita durante purificationis tempore. Ibid. §.15. num.1. p.343
Copula coniugalis tempore purificationis non eſt illicita ex vi legis veteris. Ibid. num.3. p.343
Copula coniugalis immediatè poſt partum, an ſit lethalis. Ibid. num.4. p.343., & an ſit venialis num.5., & an nullo modo ſit peccatum. Ibid. num.6. probabilius tamen eſt eſſe graue peccatum. Ibid. n.7. p.344
Copula coniugalis poſt aliquod tempus à partu durante fæditate non eſt lethalis. Ibid. num.8 p.344
Copula coniugis cum conſanguineo alterius coniugis, cum quo non conſumauit matrimonium, propriè non eſt inceſtus, ſed tantum ſimilitudinariè. Ibid. §.20. num.4. p. 350
Copula, vt ſupra, priuat Coniugem iure petendi debitum, & hæc priuatio prouenit ex publica honeſtate. Ibid. num.5. p.350
Copula cum conſanguineo vltra ſecundum gradum, ſi matrimonium conſumatum fuerit, non inducit, vt amittat ius petendi debitum Ibid. §.21. n.2. p.351
CRIMEN ſodomiæ non inducit ius ad diuortium. C.15. M.6. P.11. S.2. nu.5. p.31
Crimen beſtialitatis non inducit ius ad diuortium. Ibid. num.6. p. 32

D.

DEBITI petitio inter coniuges per ſe, & propriè loquendo non eſt neceſſaria ad ſalutem. C.15. M. 7. P.2. num.1. p.183
Debiti petitio implicita obligat alterum ad reddendum ex iuſtitia. Ibid. n.3. p. 184
Debiti petitio haberi debet, quando altéri imminet periculum fornicationis. Ibid. n.6. p.185
Debiti redditio regularitèr loquendo eſt neceſſaria ad ſalutem. Ibid. num.8. p. 185
Debiti petitio nequit fieri à coniuge rationabilitèr dubitanti circa contractum valoris matrimonij. Ibid. P.3. S.6. n. 2. p.225
Debiti petitio nequit fieri à coniuge dubitante de valore Matrimonij ab impedimentum ortum ante contractum. Ibid. num.3. p.225
DELECTATIO moroſa quid ſit propriè loquendo. C. 15. M.7. P.5. D.2. §.6. num.2. p.325
Delectatio de copula illicita ſub conditione, ſi eſſet licita, eſt mala. Ibid. num.9. p.326., & hoc ob cauſalitatem, quam præſtat. Ibid. vſque ad fine dicti §. 6.
Delectatio moroſa inter coniuges, qui ratione circunſtantiæ extrinſecæ in bonum eorundem vel prolis nequeunt habere copulam non eſt lethaliter mala. Ibid. §.7. num.2. p. 327
Delectatio in coniuge de copula in loco ſacro, vel publico non eſt grauis. Ibid. nu.3. p.327., nec etiam quando ob impedimentum phyſicum copula nequit haberi. Ibid.
Delectatio, vt ſupra non dicenda lethaliter grauis, etiamſi copula ſit interdicta ratione præcepti Eccleſiaſtici. Ibid. num.4. p. 327
Delectatio, vt ſupra non eſt licita, ſi copula ſit prohibita ex dubio valoris Matrimonij. Ibid. n.5. p.328

Delectatio, vt ſupra, non eſſet licita, ſi eſſet in parte ſenſitiua de redditione debiti. Ibid. n.6. p.328

Delectatio ſupradicta eſſet illicita interdicta copula ob votum caſtitatis vtriuſque Coniugis, vel ob profeſſionem emiſſam ab altero de conſenſu alterius. Ibid. n.7. p.328., & ſoluitur inſtantia. p.329

Delectatio dicta non eſt licita in obſtricto voto caſtitatis; nec in altero coniuge non obſtricto voto caſtitatis. Ibid. num.8. p. 329

DIVORTIVM quid ſit. C. 15. M.6. P. 10. n.1. p.26

Diuortium non poteſt eſſe ex quacumque cauſa altero inuito. Ibid. num.3. p.26

Diuortium vnde oriatur. Ibid. n.4. p.26

Diuortium ex cauſa adulterij quoad vinculum coniugale non eſt validum. Ibid. n.5. p.26

Diuortium poteſt celebrari ratione adulterij in altero Coniuge. Ibid. P.11. num.1. p.27., quo iure. Ibid. n.2. p.27. etiam inter infideles. Ibid. n.3. p.27

Diuortium ex parte innocentis non exigit præmonitionem. Ibid. num.8. p. 28

Diuortium non inducitur per ſolam voluntatem efficacem, & ſenſibilem fornicandi. Ibid. P.12. n.1. p.29

Diuortium lato modo ſumptum poteſt dupliciter conſiderari. Ibid. S.3. nu.1. p.33

Diuortium non habetur, quando offenſus condonauit iniuriam. Ibid. P.11. S.9. num.15. p. 76

Diuortium poni poteſt ex conuentione vtroque exiſtente coniuge in adulterio. Ibid. S.10. n.9. p.79

Diuortium, vtrum habeatur ex ſola fornicatione. Ibid. P.12. num. 1. p.89

Diuortium licitum eſt innocenti ob apoſtaſiam à fide, & pertinaciam alterius. Ibid. num.2. p.89

Diuortium regulariter loquendo non habetur ob alia crimina. Ibid. P.13 num.1. p.97

Diuortium ob inductionem ad peccatum non eſt perpetuum, ſed ad tempus donec deſiſtat. Ibid. n.7. p.99., etiamſi ſeparatio ſecuta fuerit per Eccleſiam. Ibid. num.8. p. 99

Diuortium, an dari poſſit propter ſæuitiam, vel propter defectus naturales alterius coniugis. Ibid. P.14. num.1. p. 100

Diuortium ex quibus cauſis poſſit haberi. Ibid. num.1. p.100., & an ob defectus naturales. Ib. n.14. p.104

Diuortium propter adulterium, an per conſuetudinem poſſit abrogari. Ibid. D.2. §.3. num.1. p. 142

Diuortium quo modo faciendum. Ibid. §.33. n.1. p.179

Diuortium regulariter faciendum eſt ſummariè, & ſine ſtrepitu. Ibid. num.4. p. 179

Diuortium faciendum exigit teſtes omni exceptione maiores. Ibid. num. 5. p.180

DOS, quæ acquiritur marito amittitur ab vxore adultera. C.15. M.6. P.11. S.12. num.1. p. 87

Dos non aquiritur à marito ob adulterium vxoris ante Iudicis ſententiam. Ibid. num.3. p.87

Dos aquiritur à Marito accuſante Vxorem adulteram vel ciuiliter, vel criminaliter. Ibid. num.4. p.87

Dos, an poſſit repeti ab Vxore à Marito excommunicato. Ibid. P.14. D.1. §.9. num. 1. p.119

Dos non accreſcit marito, ſi adulterium fuerit commiſſum poſt cognitam inualiditatem matrimonij. Ibid. D.2. §.6. num.5. p.145

Dos accreſcit marito ſequuto adulterio, dum perſeuerat bona fides matrimonij validi. Ibid. num.6. p. 146

Dos, an amittatur à marito occidente vxorem deprehenſam in adulterio. Ibid. §.7. n.2., & 3. p.147

Dos adiudicata marito ob adulterium non amittitur ab eodem, ſi occiderit vxorem deprehenſam in adulterio. Ibid num.4. p.147

Dos, an aquiratur à marito ob adulterium vxoris. Ibid. §.8. num.1., & num.2. p.148

Dos poteſt retineri à marito vſque ad mortem vxoris adulteræ. Ibid. n.4. p.148

Dos filiabus eſt conſtituenda à Patre per prius, & auo paterno. C.15. M.9. P.7. n. 3. p.491

Dos per eoſdem eſt conſtituenda etiam filiabus illegitimis, & emancipatis. Ibid. num.4., & 5.

Dos etiam excedens alimenta conſtituenda eſt filiabus, quando aliter nubere nequeunt. Ibid. n.6. p.492

Dos ſemel conſtituta eiſdem filiabus conſtante eodem matrimonio non eſt iterum per Patrem conſtituenda, ſi fuerit deperdita. Ibid. nu. 8. p.492

Dos in ſubſidium per fratrem ſororis inopi iterum danda eſt pro nouo matrimonio. Ibid. n.10. p.493

Dos in ſubſidium Patris, & Aui Paterni eſt per fratrem ſorori conferenda. Ibid. n.11. p. 493

Etiam ſi ſoror fuerit ex vno tantum latere coniuncta. Ibid. n. 12.

Etiam ſi à Patre fuerit exhæredata. Ibid nu. 14.

Etiam ſororem ſpuriam. Ibid. num. 16.

Dos in ſubſidium Patris, & Aui Paterni eſt per Matrem diuitem filiabus conſtituenda Ibid. n.18. p.495

Dos in concurſu Matris, & fratris diuitum eſt per prius conſtituenda à Matre. C. 15. M. 9. P. 7. num. 18. p.495

Dos eſt in defectum Patris, & Matris, & aſcendentibus Patris conſtituenda per auum, & auiam maternam. Ibid num.19. p.495

Dos per prius eſt conſtituenda per Auum maternum, quam per fratrem. Ibid. num.21. p.496

DOTALITIVM amittitur ab vxore adultera. C.15. M.6. P. 11. S. 12. num. 5. p. 87

Dotalitium quid ſit. Ibid. num. 6. p.87

E.

ECCLESIA poteſt priuare cohabitatione coniuges excommunicatos. C.15 M.6. P.14. D.1 §.2. num. 2. p.107

Eccleſia non poteſt vt ſupra. Ibid. num.3. p.108

Eccleſia non poteſt coniuges excommunicatos ſeparare quoad debitum, benè quoad alia. Ibid. nu.4. p. 108

Eccleſia non poteſt interdicere debitum innocenti, ſi maritus fuerit excommunicatus. Ibid. nu.5. p.108

Eccleſia poteſt condere legem, vt coniuges excommunicati priuentur iure debiti. Ibid. num.7. p. 110

Eccleſia poteſt coniuges excommunicatos priuare communicatione quoad alia, quæ non habent ità ſtrictam connexionem cum vſu coniugij. Ibid. num.8. pag. 110

Eccleſia non violatur propter quamcumque irreuerentiam. Ibid. M.7. P.3. S. 1. num.16. p.192

Eccleſia polluitur per actum coniugalem exercitum ſine iuſta cauſa. Ibid. num. 20. p.194

Eccleſia non intelligitur quicumque locus immunis. Ibid. nu.21. p. 194., & enumerantur loci, qui non ve-

Digitized by Google

veniunt nomine Eccleſiæ. Ibid. num. 22. p. 194

Eccleſia dicitur quæcunque pars interior eiuſdem. Ibid. num. 23. p. 195

Eccleſia, vt ſit talis, debet eſſe benedicta, & diuino cultui dicata. Ibid. nu. 24. p. 195

Eccleſia diruta, an ſit locus aptus ad inducendum ſacrilegium in ſuppoſita materia. Ibid. nu. 26. p. 195

Eccleſiæ nomine veniunt capellæ conſtitutæ intra Eccleſiam quoad hunc effectum. Ibid. nu. 27. p. 196

Eccleſia non polluitur tota, ſi caſus ſuppoſitus habeatur in Cæmeterio benedicto. Ibid. nu. 31. p. 197

Eccleſia intelligitur etiam chorus, & locus organorum, ſi intra Eccleſiam contineatur. Ibid. nu. 31. pag. 197

EPISCOPVS ſolus habet poteſtatem iudicandi in cauſis matrimonialibus. C. 15. M. 6. P. 14. D. 2. §. 33. num. 2. p. 179

Epiſcopus poteſt tamen alijs committere huiuſmodi cauſas. Ibid. nu. 3. p. 179

ERROR quiſnam poſſit eſſe in ferenda ſententia diuortij: C. 15. M. 6. P. 11. S. 8. num. 1. p. 67

EVCHARISTIA, an ſumi poſſit ſine peccato veniali ab eo, qui conſcius eſt venialium. C. 15. M. 7. P. 11. D. 2. §. 14. nu. 1. p. 340

Euchariſtiam ſumere in peccato veniali, diſtractione, & affectu ad ipſum, an ſit peccatum veniale. Ibid. num. 2. p. 340

Euchariſtiam ſumere cum actuali voluntaria diſtractione ad obiecta mala præter malitiam taliũ obiectorum, inuoluit etiam malitiam irreuerentiæ. Ibid. num. 4. P. 4. p. 341

Euchariſtiam ſumere cum peccatis venialibus habitualibus, quæ non ſint crebra quamuis ſine dolore regulariter non eſt venialiter peccaminoſum. Ibid. num. 5. p. 341

Euchariſtiam ſumere modo dicto, quando peccata venialia ſunt crebra, & valde grauia ſine dolore, & propoſito emendationis infert noxam irreuerentiæ. Ibid. num. 6. p. 341

Euchariſtiam ſumere poſt coitum coniugalem trahentem ſecum diſtractionem mentis inducit noxam venialem. Ibid. num. 7. p. 342

EXCOMMVNICATVS nominatim denuntiatus poteſt debitum petere à non excommunicato. C. 15. M. 6. P. 14. D. 1. §. 1. num. 3. p. 105

Excommunicatus contrahens cum alio ignorante ipſius excommunicationem probabile eſt, quod poſſit petere, & reddere debitum, & probabile, quod non. Ibid. §. 4. num. 4. p. 113

Excommunicatus, an poſſit agere in iudicio ad repetendum alterum, qui ob excommunicationem ipſius receſſit. Ibid. §. 8. num. 1. p. 118

Excommunicatus in facta hypoteſi poteſt repetere per aliquos. Ibid. num. 2. p. 118

Excommunicatus ſpoliatus non poteſt agere in iudicio ad repetendum eum, qui temerè receſſit. Ibid. num. 3. p. 118

Excommunicatus ſordeſcens in excommunicatione habetur pro hæretico. Ibid. §. 9. num. 4. p. 119

Excommunicatus ob graue delictum factis ſponſalibus non poteſt ducere ſponſam. Ibid. §. 10. n. 2. p. 120

EXCOMMVNICATIO ob abortum ex vi Bullæ Gregorij XIV. poteſt abſolui ab ordinario loci. C. 15. M. 8. P. 5. num. 1. p. 371

Excommunicatio hæc poteſt abſolui à Confeſſario approbato, & deputato ad hos caſus ab ordinario loci. Ibid.

Non tamen à deputato in genere ad abſoluendum à caſibus reſeruatis. Ibid.

Excommunicatio hæc, ſi eſſet ſolum Epiſcopalis, poſſet abſolui à deputato in genere ad abſoluendum à reſeruatis. Ibid.

Excommunicatio, quando eſt abortus fœtus inanimis, non eſt ſublata per Gregorium XIV.; ſed tantum reſeruatio. C. 15. M. 8. P. 6. nu. 2. p. 373

Excommunicatio ob abortum non incurritur effectu non ſecuto. C. 15. M. 8. P. 7. nu. 2., & 3. p. 375

Excommunicatio contra parentes ex Concil. Prouinciale Mediolanenſi differentes baptiſmum filiorum vltra nouendium. C. 15. M. 9. P. 1. num. 4. p. 453

Excommunicatio contra parentes impedientes filias à ſuſceptione veli, & profeſſione in Religione. C. 15. M. 9. P. 1. num. 14. p. 455

Quotuplex ſit velum, & de quo intelligenda diſpoſitio. Ibid. num. 15.

Excommunicatio contra parentes impedientes filias à ſuſceptione habitus, & ingreſſu in Religionem. Ibid. num. 16.

Excommunicatio, vbi lata eſt contra tenentes pueros in lecto, non afficit tenentes niſi effectu ſecuto. C. 15. M. 9. P. 3. num. 4. p. 470

Excommunicatio hæc non afficit tenentes pro modico tempore. Ibid. num. 5. p. 470

EXPONENTES filios etiam legitimos ad Hoſpitale ex neceſſitate non peccant. C. 15. M. 9. D. 1. §. 1. num. 3. p. 122

Exponentes facti potentes tenentur eos reuocare. Ibid. num. 4.

Non tenentur compenſationem facere Hoſpitali. Ibid. num. 5.

Exponentes illegitimos ad infamiam vitandam, & mortem non peccant. Ibid. num. 6.

Tenentur tamen expenſas compenſare eidem Hoſpitali. Ibid. num. 7. p. 523

Expoſitis filijs in Hoſpitali tenetur mater in ſubſidium Patris expenſas eidem compenſare. C. 15. M. 9. D. 1. §. 2. num. 2. p. 524

Expoſitis filijs mater diues pro primo triennio tenetur Hoſpitali expenſas compenſare. Ibid. num. 4. pag. 524

Expoſitis filijs non valentibus parentibus compenſare, tenentur alij, qui obligantur in ſubſidium. Ibid. n. 5. pag. 525

Expoſitus ad ianuam alicuius poteſt per hunc ſine labe ad Hoſpitale deferri. C. 15. M. 9. D. 1. §. 3. n. 2. p. 525

Debet tamen deferens cauere, ne fame, vel frigore pereat. Ibid. num. 3.

Expoſitus ad domum vnius poteſt per hunc deferri ad domum alterius, ſi deferens poteſt ſubeſſe infamiæ. Ibid. num. 4. p. 526

Exponentes, ſi fuerit Pater, & Mater, Patronus, & Dominus amittunt patriam poteſtatem, & ſeruitutem. C. 15. M. 9. D. 1. §. 4. n. 1. p. 527

Exponentes Pater, & Mater, ſi ex interuallo filium

ſic expoſitum agnoſcant recuperant patriam poteſtatem. Ibid. num.4. p.528

Exponentes æquiparantur parricidis. Ibid. n.5.

Exponentes incurrunt pœnam priuationis patriæ poteſtatis ipſo iure. Ibid. nu.6.

Expoſitus non tribuit ius ſuſceptori ſuccedendi ipſi ab inteſtato. C.15. M.9. D.1. §.4. num.9. p.530

Exponentes priuantur iure ſucceſsionis in bonis expoſitorum. Ibid. num.10. p.531

Exponens, ſi fuerit Pater, non acquirit vſumfructum in bonis aduentitijs expoſiti. Ibid. num.11.

Exponentes filios non poſſunt validè ipſos præterire in teſtamento. C.15. M.9. D.1. §.5. n.2. p.531

Expoſitus, & præteritus rumpit teſtamentum Patris. Ibid. num.3. p.532

Exponens filiam, quamuis amittat patriam poteſtatem, non tamen eximitur ab onere ipſam dotandi. Ibid. num.4. p.532

Expoſitus ad ianuam Monaſterij non eſt alendus ſumptibus Monaſterij, ſed vel à Principe, vel à communitate. C.15. M.9. D.1. §.6. n.3. & 4. p.533

F.

FÆMINA, quæ conſentit fornicationi, poteſt in actu corpus ſuum retrahere, ne recipiat ſemen virile. C.15. M.7. P.5. num.12. p.287

Fæmina intendens nubere, an poſſit ſoluere ieiunium, ne deformis fiat. Ibid. P.7. D.1. §.9. n.1. p.307

Fæmina, vt ſupra, poteſt ſoluere iuxta Sanchez. n.2., & non poteſt. num.3. p.307

Fæmina, vt ſupra, poteſt ſoluere ieiunium extante illo periculo deformitatis. Ibid. num.4. p.307., & ſoluuntur rationes in contrarium. Ibid. n.5. p.307., & p.308

Fæmina voluntariè abortiens grauioris culpæ homicidij rea conſtituitur propter periculum multiplicis necis. C.15. M.8. P.2. num.5. p.364

Item propter læſionem innocentis. Ibid. n.6. p.364

Fæmina abortiens inuito marito peccat contra eundem maritum, & coniugium. Ibid. num.7. p.365

Fæmina procurans in ſe ipſa abortum non euitat pœnam excommunicationis. C.15. M.8. P.9. n.3. p.380

Fæmina, quæ fornicariè concepit, nec ad euitandam infamiam, nec mortem ab extrinſeco poteſt procurare abortum fœtus ſiue animati, ſiue inanimis, nec eiectionem ſeminis etiam non coagulati. C.15. M.8. P.15. num.5. p.401

Confutantur variæ opiniones oppoſitæ. Ibid. n.1. 2.3.4. p.401

Fæmina nedum duos, ſed etiam plures fœtus experientia concepit. C.15. M.8. D.1. §.4. n.2. p.409

Fæmina, vel alius ab ipſa procurans abortum conſtituitur rea, ſeu reus multiplicis homicidij. Ibid. num.4. p.409

Fæmina, quæ poſt coitum mingit, vel digitis conatur ſemen expellere non propriè committit abortum, peccat tamen grauiter. C.15. M.8. D.1. §.10. nu.3. pag. 420

Vt plurimum illud peccatum eſt in intentione, non in executione. Ibid. num.4. p.421

Fæmina ſic procurans eiectionem ſeminis virilis non incurrit pœnas procurantium abortum. Ibid. nu.5. pag. 421

FÆTVS alius animatus, alius inanimis. C.15. M.8. P.1. num.3. p.362

Fœtus maſculus probabilius animatur quadraginta diebus, fœminæ octuaginta. Ibid. num.4. p.362

Fœtus in vtero matris exiſtens non viuit vita matris, C.15. M.8. P.2. num.2. p.363

Dum adhuc in vtero eſt propriè homo eſt, dum viuit. Ibid. nu.3. p.364

Fœtus non prius animatur vita vegetatiua, quam rationali, C.15. M.8. D.1. §.1. num.4. p.406

FIDEICOMMISSI bona poſſunt alienari ad alendos filios inſtituentis, & primo vocati, ſi legitima, nec reditus fideicommiſsi ſufficiant. C.15. M.9. D.2. §.4. num.3. p.552

Etiam ſi ſubſtitutio facta ſit in cauſam piam. Ibid. num.5. p.552

Etiam pro alimentis deſcendentium, qui nati ſint poſt obitum fideicommittentis. Ibid. nu.6.

Bona fideicommiſsi in data hypotheſi poſſunt etiam alienari, quamuis fideicommittens etiam ad hanc cauſam prohibuerit alienationem. C.15. M.9. D.2. §.5. num.2. p.553

FIDEICOMMISSARIVS, qui contraxit æs alienum ad ſibi de alimentis conſulendum, & ſatisfaciendum ſuis creditoribus, non poteſt bona fideicommiſſi vendere. C.15. M.9. D.2. §.6. num.5. p.595

Fideicommiſſarius in concurſu iuris alimentorum cum onere debitorum ad fructus fideicommiſſi præferendus eſt pro ſui, & ſuorum alimentis. Ibid. n.4. p.554

Fideicommiſsarius, qui culposè inſumpſit legitimam adhuc poteſt alienare bona fideicommiſsi, ſi aliunde non habeat pro ſuis, & filiorum alimentis. C.15. M.9. D.2. §.7. num.2. p.556

Neceſſaria tamen tantum naturæ, ſi inſumpſerit culpa ordinata ad caſum. Ibid. nu.3. p.556

Pro alimentis filiorum in hoc caſu poteſt etiam vendere pro alimentis congruis eorum ſtatui. Ibid. num.4. p.557

Fideicommiſſarius, qui culposè inſumpſit legitimam, non tamen culpa ordinata ad caſum poteſt vendere pro congruis ſtatui. Ibid. num.5. p.557

FILIVS poteſt agere in iudicio aduerſus Patrem ad repetendam vxorem ab eo detentam. C.15. M.6. P.13. D.1. §.18. num.3. p.129

Filius Familias in ordine ad Matrimonium eſt ſui iuris. Ibid. num.3. p.129

Filius poteſt agere, vt ſupra, coram Iudice ſiue Eccleſiaſtico, ſiue laico. Ibid. num.4. p.129

Filius, ſiue filij facto diuortio inter coniuges educandi ſunt apud innocentem. Ibid. §.34. nu.2. p.180

Filius genitus in ſacerdotio ex vxore legitima eſt irregularis. Ibid. M.7. P.5. D.1. §.13. num.9. p.313

FILII, & filiæ primo triennio ſunt educandi à matre, & penes matrem. C.15. M.9. P.2. n.2. p.460

Filij etiam illegitimi eodem triennio ſunt educandi ab eadem. Ibid. num.3.

Excipe niſi mater eſſet egena. Ibid. num.3.

Filij, quando mater pro illo triennio non poteſt illos alere, non ſunt expenſis matris alendi. Ibid. num.6.

Filij elapſo primo triennio, nec diſſoluto matrimonio ſunt

Digitized by Google

ſunt alendi à Patre, & apud Patrem. Ibid. num.8.
Niſi viuendo apud ipſum ſubiacerent periculo male viuendi. Ibid. num.9.
Vel niſi Pater eſſet infidelis. Ibid. num.10. p.462
Vel niſi ob ſæuitiam Patris filius præiudicaretur. Ibid. num.11.
Filij facto diuortio educandi ſunt apud eum, qui non dedit cauſam diuortij. Ibid. num.13.
Filij ſunt educandi apud Patrem, quando hic eſt diues, & noxius Mater pauper, & innocens Ibid. num.14. pag. 463
Filij ſunt educandi apud Patrem ſumptibus Matris, quando Mater eſt noxia, & diues, & Pater innocens, & diues. Ibid. num.15. p.463
Filij poſito diuortio ſine culpa vtriuſq; vltra primum triennium alendi ſunt apud Patrem. Ibid. n.6. p.465
Filij vtriuſque expenſis ſunt alendi, quando matrimonium fuit nullum ex impedimento occulto. Ibid. num. 17. p.465
Filij elapſo primo triennio ſunt alendi apud Patrem expenſis eiuſdem. Ibid. num.18.
Filij altero parente fideli, altero infideli alendi ſunt apud fidelem. Ibid. num. 19.
Filij mortuo Patre ſunt alendi apud eum, quem Pater elegerit, aliter apud Matrem. Ibid. num.20.
Excipe niſi Pater elegerit perſonam ſuſpectam. Ibid. num.21. p.466
Filij mortuo Patre, & Matre tranſeunte ad ſecundas nuptias alendi ſunt apud eum, quem Iudex elegerit. Ibid. num.22. p.466
Nec Iudex debet eligere Matrem binubam. Ibid. num.23.
Filij ſunt alendi mortuo Patre apud Matrem non obſtante, quod hæc illis debeat ſuccedere ab inteſtato. C.15. M.9. P.2. nu.24. p.467
Filij mortuo Patre, & Matre potius ſunt alendi apud Auiam maternam, quam apud fratrem. Ibid. nu.25.
Excipe niſi pupilli magis commodè, & vtiliter poſſent educari apud fratrem. Ibid. n.26.
Filij mortuo Patre, & Matre ali debent apud auum paternum. Ibid. num.27.
Filiæ illegitimæ mortuo Patre congruentius ſunt educandæ apud Matrem, ſi fuerit emendata. Ibid. nu.29. pag. 468
Filij iure naturæ ſtrictè obligantis ſunt alendi à Patre etiam præciſo iure poſitiuo. C.15. M.9. P.3. nu.1. pag. 471
Filij eodem iure tenentur alere parentes indigentes. Ibid. num.2. p.471
Filij illegitimi, & ſpurij etiam alendi ſunt eodem iure à Patre. Ibid. nu.5. p.472
Filij egreſſi etiam limites pueritiæ, ſi aliunde non habeant, ſunt alendi à Patre. Ibid. num.6. p.473
Filij de iure naturæ non ſunt alendi à Patre, ſi aliunde habeant, quo commodè poſſint viuere. Ib. n.7. p.474
Filij habentes aliunde pro parte alimenta ſunt pro alia parte alendi à Patre. Ibid. nu.9. p.475
Filij per prius ſunt alendi à Matre, quam ab auo materno. C.15. M.9. P.6. num.6. p.485
Filij ſpurij in duplici differentia, & vtraq; explicatur. C.15. M.9. P.6. n.8. p.485
Filij ſpurij ex coitu non punibili ſunt in defectum parentum alendi ordine ſucceſsiuo per Auum paternum, & maternum. Ibid. num.10. p.486
Etiam ſpurij ex coitu damnato ſtante æquitate canonica. Ibid. nu.11.
Filij mortuo Patre, & Matre ſunt alendi ab hærede eorundem etiam extraneo. Ibid. n. 12. p.487
Filij quinam ſint naturales ſecundum ius antiquum, & ſecundum nouum. C.15. M.9. P.11. n.1. p.509
Filij ſpurij quinam propriè nunc ſint. C.15. M.9. P.11. num. 2. p.509
Filij illegitimi habita vncia, quam habere poſſunt ex teſtamento, nequeunt alimenta exigere, niſi illa ſit inſufficiens. Ibid. n.4. p.510
Idem intellige, ſi non extantibus legitimis, duas vncias habuerint. Ibid. n.5.
Filij ſpurij de iure canonico poſſunt habere alimenta, non ſic de ciuili. Ibid. nu.6. p.511
Et quidem ſecundum facultates patrimonij. Ibid. num.7. p.512
Filij ſpurij poſſunt habere per donationem à Patre, quantum capit debitum alimentorum. Ib. n.8. p.513
Filij ſpurij non poſſunt à Patre recipere aliquid ſupra debitum alimentorum. Ibid. n.9. p.513
Niſi illud eſſet cauſa remunerationis. Ibid. n.10.
Filius non poteſt repetere alimenta præterita, quando illa acquiſiuit titulo non oneroſo. C.15. M.9. P.14. num.2. p.518
Filius, quando acquiſiuit alimenta præterita titulo oneroſo, Pater tenetur ſatisfacere debito ex illo titulo. Ibid. num.3. p.518
Actio aduerſus Patrem ad debitum ex illo titulo competit æquè filio, ac creditori. Ibid. n.4.
Filij, ſi ſint in quaſi poſſeſſione filiationis Patre negante pendente lite ſunt alendi à Patre. C.15. M.9. D.1. §.10. num.2. p.539
Filij etiam in tali caſu ſunt alendi, ſi habeant fumum iuris pro ſe. Ibid. num.3.
Enumerantur coniecturæ inducentes fumum iuris. Ibid. num.4. p.540
Filius pauper, ſi in querela inofficioſi teſtamenti obtinuerit in prima inſtantia ſententiam habet ius ad alimenta, & litis expenſas. C.15. M.9. D.1. §.11. num. 2. p.541
Etiam ſi non obtinuerit, ſi habet præſumptiones pro ſe. Ibid. num. 3. p.542
Enumerantur præſumptiones, quæ ad hoc ſufficiant. Ibid. num.4. p.542
Filij etiam emancipati pendente lite ſuper inofficioſo teſtamento habent ius ad alimenta, ſi foueant bonum ius. C.15. M.9. D.1. §.12. num. 2. p.543
Filij etiam legitimati per ſubſequens matrimonium. Ibid. num. 3.
Filij etiam exiſtentes in vtero matris ventris nomine. Ibid. num.4. p.544
Filij etiam adoptiui. Ibid. num. 5.
Filij etiam filiorum. Ibid. num.6.
Filij etiam illegitimi, & ſpurij. Ibid. num.9. p.545
Filij, ſi habeant bona ſtabilia, ex quorum fructibus non poſſint ſufficiēter ali, Pater tenetur ſupplere, nec filij tenentur vendere ſtabilia, ſi ſint parui valoris, & modici reditus. C.15. M.9. D.2. §.3. num.5. p.549
Secus, ſi ſint magni valoris, & modici reditus. Ibid.

Ibid. num.6. p.550
FORNICATIONIS, voluntas etſi efficax, & ſeſibilis non inducit ius ad diuortium. C.15.M.6.P.11.S.2. num. 1. p.29
Fornicatio inchoata per oſcula, amplexus, tactus, &c. non inducit ius ad diuortium. Ibid. num.2. p.29
Fornicatio, in qua non ſequitur emiſſio ſeminis intra vas fœminæ, vel receptio eiuſdem alterius viri intra ſuum vas ab adultero non inducit diuortium. Ibid. num. 3. p. 30
Fornicatio, an inferatur ex ſuſpicione ſola. Ibid. P.11. S.3 num.17. p. 39
Fornicatio ex quibus circumſtantijs inferri poſſit. Ibid. num.18. p. 39
Fornicatio cum coniugata obſtricta voto caſtitatis emiſſo ante matrimonium non ſolum inducit adulterium, ſed etiam ſacrilegium. Ibid. P.5.D.1. §.12. num.3. p.311
FRATER in ſubſidium tenetur ſorori inopi iterum conferre dotem pro nouo matrimonio ineundo. C. 15. M. 9. P. 7. n. 10. p.493
Frater in ſubſidium Patris, & Aui paterni, tenetur ſororem inopem dotare. Ibid. num.11. p. 493
Etiamſi ſoror fuerit ex vno tantum latè coniuncta. Ibid. nu. 12.
Etiamſi à Patre fuerit exheredata. Ibid. nu.14.
Etiam ſororem ſpuriam. Ibid. nu.16.
FVROR quid, & quotuplex ſit. C.15. M.7. P.3. S.4. num. 1. p.219

H.

HÆRES Patris quamuis extraneus, tenetur alere eiuſdem filios. C.15. M.9. P.6. n.12. p.487
Hæres Patris tenetur per prius alere eius filios. Ibid. num.13.
Hæres Patris tenetur eoſdem filios alere, quamuis habeant parentes propinquos, qui teneantur alere in ſubſidium. Ibid. n. 14.
Hæres Patris tenetur etiam alere filios illegitimos, & ſpurios. Ibid. nu. 16. p.489
Hæredes parentum, ex linea fœminea in defectum parentum ex linea maſculina, & eorum hæredum tenetur filijs alimenta præſtare. C. 15. M. 9. P. 6. num. 18. p.490

I.

IGNORANTIA alia iuris, alia facti, alia pœnæ. C.15 M.7. P.11. D.2. §.25. nu.2. p.359
Ignorantia facti in coniuge coeunte cum conſanguineo alterius in gradu prohibito excuſat ab amiſſione iuris petendi. Ibid. nu.3. p.359
Ignorantia facti quoad abortum excuſat à pœnis. C.15. M.8. D.1. §.14. nu.3. p. 427
Ignorantia item iuris. Ibid.
Niſi hæc ignorantia eſſet connexa cum ingenti temeritate. Ibid. num. 5.
INCESTVS coniugis priuat coniugem iure petendi debitum, & ſi peteret, lethaliter peccaret. C.15. M. 7. P. 12. D.2. §.22. nu. 2. p.354
Inceſtus, cur ſit reſpectu coniugis, qui cognouit alterius conſanguineam, non verò reſpectu coniugis innocentis. Ibid. nu.5. p.355
INFIRMVS tenetur remedia, quæ Medicus neceſſaria ducit ad ſalutem, adhibere, ſi ordinaria ſint, & non difficilia. C.15. M.8. D.2. §.7. nu.3. p.440
Infirmus in nonnullis caſibus poteſt ab illis abſtinere. C.15. M.8. D.2. §.8. num. 2. p.442
Enumerantur huiuſmodi caſus. Ibid. num. 3., & ſeqq.
IRREGVLARITAS impoſita per Sixtum V. contra procurantes abortum, ſiue fœtus animati, ſiue inanimis. C.15. M.8. P.4. num.1. p.369
Irregularitas hæc ob abortum fœtus animati adhuc eſt reſeruata Pontifici. Ibid. nu.2. p.369
Irregularitas non contrahitur, ſi fœtus nondum fuerit animatus. Ibid. n. 3. p.370
Irregularitas incurritur per procurantes abortum in dubio, an fœtus ſit animatus, an inanimis, prout importat priuationem ad ordines ſuſcipiendos, & in illis miniſtrandum. C. 15. M.8. P.12. num. 1. pag. 390
Non ſic prout importat priuationem beneficiorum, aliaque ex diſpoſitione Iudicis. Ibid. num. 2. p. 391
IVDEX poteſt capite damnare vxorem adulterā. C.15. M.6. P.11. S.12. nu. 14. p. 88
Iudex Eccleſiaſticus poteſt procedere contra detentorem alienæ vxoris. Ibid. D.1. §.18. nu.2. p. 129
Iudex Eccleſiaſticus, an poſſit cognoſcere cauſam ſuper alimentis negatis vxori à marito. Ibid. D.2. §.11. num.1. p.151
Iudex laicus debet cognoſcere cauſam de alimentis præciſè. Ibid. nu. 4. p. 151
Iudex Eccleſiaſticus verò, vbi agitur etiam de diuortio. Ibid. nu.5. p. 151
Iudex Eccleſiaſticus debet (vbi agitur de diuortio) prius reſoluere, quam Iudex laicus cognoſcens cauſam ſuper alimentis. Ibid. nu.6. p. 151
Iudex, an poſſit occidere vxorem propriam deprehenſam cum Drudo in adulterio. Ibid. D.2. §.15. nu. 1. p. 156., & num.2. habetur opinio affirmatiua. Ibid. num.156.
Iudex in facta hypotheſi non poteſt vxorem occidere. Ibid. num.3. p.157
Iudex antiquitus decernebat apud quem ex coniugibus per diuortium ſeparatis educandi eſſent filij eorum. Ibid. §.34. nu.3. p.180
Iudex ſiue Eccleſiaſticus, ſiue Secularis poteſt compellere vxorem ad reddendum debitum, quod negat marito ex propriæ voluntatis arbitrio. Ibid. M. 7. P. 5. D. 1. §. 14. n.4. p. 316
Iudex Eccleſiaſticus tantum poteſt compellere coniugem negantem debitum ex dubio valoris matrimonij ad illud reddendum. Ibid. nu.2. p.315., & etiam in caſu, quo negaret ob adulterium præſumptum à marito commiſſum. Ibid. nu.3. p.315
Iudex mortuo Patre, & Matre transeunte ad ſecundas nuptias debet eligere perſonam, apud quam filij ſint alendi. C.15 M.9. P.2. n.23. p.466
Iudex probabilius non debet eligere matrem binubam. ibid.
IVDICIVM intelligitur completum quando tranſijt

in

in rem iudicatam. C.15.M.6.P.14.D.2.§.13.n.8. pag. 155
IVS ad diuortium unde oriatur. C.15.M.6.P.11.nu.2. pag. 27
Ius ad diuortium nequit contraria conſuetudine tolli. ibid. num.6. p.28
Ius quoad pœnam criminalem, & ciuilem poteſt præſcribi. ibid. num.7. p.28
Ius ad diuortium non contingit per ſolam voluntatem efficacem, & ſenſibilem fornicandi. ibid. P.11.S.1. num.1. p.29
Ius dat Iudici poſſe damnare capite uxorem adulteram; ibid. S.12. num.14. p.88
Ius ad diuortium regulariter non datur ob quæcunq; crimina. ibid. P.13. num.1. p.97
Ius ad dotem quando præſumatur ceſſum. ibid. D.11 §.19. num.5. p.130
Ius diuortij propter adulterium, an per conſuetudinem poſſit abrogari. ibid. D.2.§.3. num.2. p.141
Ius uxoris adulteræ. ibid. §.6. num.2. p.145
Ius dotis nequit reſeruari à marito nondum lata ſententia ſuper Vxore adultera. Ibid. D.2.§.14. nu.4. pag. 156
Ius ad diuortium quomodo per confeſſionem Vxoris acquiri poſſit à marito. ibid. §.28 nu.2. p. 173
Ius poſitiuum poteſt poſponi à coniugibus ad ſocialia fœdera fouenda. Ibid. P.5. D.1.§.10. nu.6. p.308
Ius, quod obligat ad vitandam pollutionem, obligat ad vitanda ea, quæ proximè inducunt pollutionem, non autem illa, quæ ſe habent occaſionalitèr ad illam. Ibid. D.2.§.9. num. 7. p.333

L.

LICENTIA tacita quid ſit. C.15. M.6. P.11. §.6. num. 34. p.58

M.

MARITVS ex cauſa neceſſaria familiæ poteſt diù abeſſe ab uxore. C.15.M.6. P.2.nu.1. p.3
Maritus diù abfuturus ab uxore an teneatur uxorem ducere, ſi illa velit ſequi. Ibid. nu.4. p. 4
Maritus diù abfuturus non tamen permanſurus in eodem loco, non tenetur ducere uxorem Ibid. nu.5. p.4
Maritus diù abfuturus in eodem loco permanſurus, tenetur uxorem ducere. Ibid. nu.6. p.4
Maritus poteſt aſſumere breuem peregrinationem deuotionis, vel recreationis cauſa inuita uxore. Ibid. num.7. p.5
Maritus non poteſt vouere longam peregrinationem inuita uxore. Ibid. num.8. p.5
Maritus poteſt vouere peregrinationem in Hyeruſalem in ſubſidium terræ ſanctæ inuita uxore. ibid n.9. p.5
Maritus, an poſſit dictum votum elicere, ſi uxor iuuenis nollet ſequi, & eſſet periculum incontinentiæ. ibid. num. 10. p.6
Maritus, non tenetur ex lege iuſtitiæ reuocare uxorem, quæ ſine cauſa receſſit ab eodem. ibid. P.4. nu.1. p.9
Maritus tenetur ex iuſtitia ipſam recipere, ſi ſponte petat admitti. ibid. num. 2. p.9
Maritus non tenetur reuocare uxorem, quæ ſine cauſa receſſit, etiamſi adſit proles, quæ indigeat educatione. ibid num.3. p.10
Maritus, ut ſupra, quamuis non teneatur ex iuſtitia, tenetur tamen ex lege charitatis, ſi ſit ſpes boni futuri. ibid. num.4. p. 10
Maritus, ut ſupra, non tenetur reuocare uxorem, ut ſupra, nec ex charitate, ſi ex reuocatione immineat ei aliqua grauis infamia. ibid. num.5. p.10
Maritus ex iuſtitia tenetur reuocare uxorem, quæ ob cauſam mariti receſſit ab eodem. ibid. num.6. p.10
Maritus poteſt vendicare uxorem, quæ ſe vendidit ſine conſenſu. ibid. P.5. num.3. p.11
Maritus inuita uxore an poſſit ſe vendere. ib. n.4. p.11
Maritus ſe ipſum vendens grauiter peccat. ib. n.6. p.12
Maritus non poteſt dimittere uxorem ob dotem promiſſam non ſolutam. ibid. P.6. num.1. p.13
Maritus ob dotem non ſolutam nequit uxori negare alimenta, ſi aliundè non habeat. ibid. num.4. p. 13
Maritus ob dotem non ſolutam, non poteſt ceſſare à traducenda uxore à domo Patris ad propriam. ibid. num. 6. p.15
Maritus tenetur ſequi uxorem mutantem domicilium ex cauſa neceſſaria, non autem ſine cauſa neceſſaria. ibid. P.7. num.4. p.16
Maritus tenetur ſequi uxorem fugientem, vel bannitam. ibid. P.7. num.8. p.17
Maritus poteſt recedere à pacto de habitando in certo loco, etſi firmauerit iuramento adueniente tamen cauſa neceſſaria. ibid. P.9. num.6. p.22
Maritus, ut ſupra, non tenetur pœnam luere, ſi recedit à pacto ex cauſa neceſſaria. ibid. num. 9. p.23
Maritus, qui receſſit à pacto, ut ſupra ſine cauſa, conueniri poteſt coram iudice Eccleſiaſtico. ibid. nu.11. p.24. etiam coram iudice laico num. 12. p.24
Maritus, qui receſſit &c., debet conueniri coram iudice loci, à quo receſſit. ibid. num.13. p.24
Maritus, qui receſſit &c., debet conueniri etiam coram iudice loci, ad quem acceſſit. ibid. num. 14.
Maritus poteſt celebrare diuortium, ſi uxor adulteretur. ibid. P.11. num.5. p.28
Maritus iniuſtè eijciens uxorem, & eidem negans alimenta, non tamen ad finem, ut uxor fornicetur, ſi iſta fornicata fuerit, adhuc ille habet ius ad diuortium. ibid. S.4. num.3. p.41
Maritus eiciens, ut ſupra, uxorem, ut fornicetur, amittit ius ad diuortium. ibid. num.4. p.41
Maritus tenetur uxorem pertinacem in adulterio dimittere. ibid. S.5. num. 3. p.43
Maritus non tenetur dimittere, ut ſupra ex capite ſuſpicionis, ſi delictum ſit occultum. ibid. n.5. p.44
Maritus non ſatisfaceret, ſi uxorem pertinacem in adulterio retineret tamquam ſororem. ibid. num. 6. pag. 44
Maritus tenetur corrigere uxorem adulteram, & quado. ibid. num.7., & num.8. p.44., & p.45
Maritus habet onus dimittendi uxorem pertinacem in adulterio ſub lethali. ibid. num. 9. p.46
Maritus non poteſt irritare vota caſtitatis uxoris quoad ius petendi. ibid. S.6. num. 23. p. 55., ſi tamen maritus eſſet puſilanimis ad petendum, poteſt irritare. ibid. num.24. p.55
Maritus in facta hypotheſi non irritaret votum, ſed ſuſpen-

Digitized by Google

Maritus nequit inire pactum cum vxore, vt Amaſio tentanti adulterium conniueat, non vt illud perficiat, ſed vt in crimine deprehendatur. Ibid. num.3. pag. 166

Maritus, an teneatur potius excommunicationem ſuſtinere, quam redire ad vxorem pertinacem in adulterio. Ibid. num.2., & num.3. p.166

Maritus non ſatisfacit oneri dimittendi vxorem pertinacem in adulterio præcisè denegando eidem debitum coniugale. Ibid. §.25. nu.3. p.169., & rationes in contrarium ſoluuntur. Ibid. n.4. p.170

Maritus, an teneatur vxorem pertinacem in adulterio dimittere ob ſolam prolis incertitudinem. ibid. §.26. num.1. p. 170

Maritus ex dicto capite non tenetur vxorem dimittere ſub onere peccati grauis. ibid. num.3. p.170., & pag. 171

Maritus non aquirit ius dimittendi vxorem per hoc, quod aliquis glorietur ſe concubuiſse cum illa. Ibid. §.27. num.2. p. 171., ſi tamen illa iactantia non fuerit ſuffulta alijs adminiculis. Ibid. n.3. p. 172., & num.5. ſoluitur inſtantia. p. 172

Maritus quomodo per confeſſionem vxoris aquirat ius ad diuortium. Ibid. §.28. nu.2. p.173

Maritus in foro conſcientiæ poteſt ab vxore diuertere, quæ in litteris ad Amaſium mentionem facit de copula præterita. ibid. num. 3. non tamen, ſi præcisè Amaſium inuitet ad illam. Ibid. n.4. p.173

Maritus, vt in foro externo poſsit recedere ab vxore, debet habere confeſsionem legitimam eiuſdem. Ibid. num.6. p.173

Maritus adulter volens vxorem criminalitèr accuſare adulteram an teneatur eidem reddere debitum. Ib. §.31. n.1. p.176. ſententia affirmatiua habetur. n.2. p.176. negatiua verò habetur. n.3. p.177

Maritus, vt ſupra, tenetur reddere. Ibid. n.5. p. 177

Maritus adulter, an poſsit in foro conſcientiæ accuſare vxorem adulteram criminaliter. Ibid. §.32. num.1. pag. 178

Maritus, vt ſupra, poteſt, & non poteſt vt ſupra ſecundum diuerſa motiua. Ibid. n.4. p.179

Maritus accedens ad vxorem tempore menſtrui non peccat lethaliter. Ibid. M.7. T.3. S.2. n.27. p.205

Maritus cognoſcens ſodomiticè vxorē tenetur aperire in confeſſione qualitatē coniugis. Ib. S.3. n.10. p.218

Maritus cognoſcens ſodomiticè vxorem inuitam peccat etiam contra iuſtitiam. Ibid. n.11. p.218

Maritus incipiens ob voluptatem maiorem copulam ſodomiticam cum vxore grauiter peccat, quamuis non habeat animum conſumandi in vaſe præpoſtero. Ibid. num.12. p.218

Maritus perfricans membrum ad vas præpoſterum vxoris, vel immittens illud in os eiuſdem vxoris peccat grauiter. Ibid. n.13. p.219., & n.14. ibid. p.219. exponitur ſententia negatiua.

Maritus nequit vota vxoris de ipſius licentia emiſſa conſtante matrimonio irritare. Ibid. T.3. S.10. n.4. p. 274. neque etiam quoad onus reddendi. Ib. n.5. p. ibid.

Maritus non poteſt ſe ſubtrahere à copula diſſentiente vxore. Ibid. T.5. num.3. p.283

Maritus ſe ſubtrahens à copula, poſtquam ſeminauit, & non vxor peccat. Ibid. nu.5. p.284

Maritus ex grauiſſima cauſa poſtquam ſeminauit, & non vxor, poteſt recedere. Ibid. num.6. p.287

Maritus priuatus vtroque teſticulo non poteſt congredi, ſecus verò, ſi vno tantum. Ibid. num. 7. p.289., & ſoluitur inſtantia facta. p.290

Maritus ſe reddens ſcienter impotentem ad reddendum debitum per media illicita peccat lethaliter. Ibid. D.1. §.1. num.2. p.295

Maritus crebrò ſe polluens, & fornicans, itaut non poſsit vxori petenti moderatè reddere debitum, peccat etiam contra iuſtitiam. Ibid. num. 4. p.295. hic excitantur quædam curioſa. p.296

Maritus non tenetur, quinimo non poteſt adhibere ieiunia voluntaria, nec præſcripta, quando non poteſt reddere vxori periclitanti, niſi crebrò reddat. Ibid. T.7. D.1. §.2. num.4. p. 297., & in hoc non requiritur licentia vel declaratio ſuperioris, vt eximatur ab onere ieiunij. Ibid. num.5. p.298

Maritus poteſt vouere independenter ab vxore, quæ non poſſunt officere debito coniugali, non ſic vxor independenter à marito. ibid. §.4. num. 3. p.300

Maritus irritans vota coniugis, quæ obſtant debito coniugali moderatè reddendo hoc præſtat tum ratione poteſtatis in voluntatem, tum ratione iuris in materiam. Ibid. n.6. p. 301

~~Maritus ſciens votum uxoris, & tacens cum~~ animo interno approbandi illud, an poſſit reprobare. Ibid. §.6. num.5. p.304., vbi affertur ſententia affirmatiua, & negatiua.

Maritus, qui contra licentiam datam, vel approbationem factam de voto, illud irritat an, & qualiter peccet. Ibid. §.7. num.1. p.305

Maritus, qui ſine cauſa irritaret votum emiſſum ab vxore de ſui licentia, peccaret. Ibid. n. 3. p.305

Maritus non obſtante facultate ex iuſta cauſa poteſt irritare votum ſibi præiudiciale. Ibid. nu.4. p.305

Maritus irritans huiuſmodi vota ſine iuſta cauſa regulariter peccat lethaliter. Ib. n.5. p.305., & quidem peccato reducibili ad ſacrilegium. Ibid. n. 6. p.306

Maritus, ſi conceſſerit facultatem vxori vouendi, & ipſa vouerit, ſe illud votum emiſſuram, poteſt ſine cauſa illud irritare. Ibid. §. 8. num.3. p.306., vbi ſoluitur inſtantia. Ibid. p. 306

Maritus conſentiens, vt vxor contrahat affinitatem cum conſanguineo per copulam fornicariam, an priuetur iure petendi debitum. Ibid. D.2. §.19. num.1. pag. 348

Maritus per dictum conſenſum non eſſet inceſtuoſus, Ibid. num. 3.

Maritus per dictum conſenſum præſtitum priuatur iure petendi debitum. Ibid. num. 4. p.348

Maritus conſentiens vxorem baptizare filium communem priuatur iure petendi debitum. Ib. n.6. p.349

Maritus conſentiens ad violentam oppreſſionem vxoris priuatur iure petendi debitum. Ibid. §.24. n.3. p.357

Maritus congrediens cum propria vxore prægnante cum magna corporis agitatione, ex qua ſequatur abortus, incidit in omnes pœnas, ſi congreſſum habuerit animo, vt abortus ſequeretur. C.15. M.8. D.1. §.12. num. 3. p.423

Maritus, ſi illum congreſſum non ordinauerit ad eum

 finem,

Digitized by Google

finem, ſed ad maiorem libidinem, non incurrit illas pœnas. Ibid. num.4. p.424
Probabilius tunc incurrit irregularitatem. Ibid. num.5. p.424
MASCVLVS in copula fornicaria, poſtquam fœmina ſeminauit, poteſt, & tenetur non ſeminare. C.15. M.7. P.5. num.10. p.286
Maſculus tenetur vt ſupra, etiamſi ex vi commotionis carnis eſſet periculum ſeminandi extra vas. Ibid. num.11. p.287
MATER prægnans in periculo vitæ, quod nequit aliter euitare poteſt ſumere pharmaca ordinata directè ad ipſius ſalutem, quamuis indirectè poſſint tendere ad fœtus interitum. C.15. M.8. P.11. nu.2. p.384
Intellige, quando fœtus non eſt adhuc animatus. Ibid.
Mater prægnans etiam in tali periculo non poteſt ſumere pharmaca ex ſe tendentia ad fœtus etiam inanimis eiectionem. Ibid. num.3. p.385
Mater poteſt ſumere pharmaca, quæ æquè tendant ad ſalutem Matris, ac ad fœtus inanimis eiectionem. Ibid. num.4. p.386
Mater extante ſpe, quod proles poſsit edi viua, & baptizari tenetur ab huiuſmodi remedijs abſtinere. Ibid. num. 8. p.389
Mater, ſi ſit in ſtatu peccati mortalis, & non poſſit ſibi conſulere, poteſt ſumere remedia ex ſe ordinata directè ad ipſius ſalutem. Ibid. num.9. p.389
Mater prægnans fœtu iam mortuo poteſt licitè pati ſectionẽ uteri ad ipſum extrahendũ, ſi aliter non poſſit extrahi. C.15. M.8. P.15. num.2. p.395
Non tamen tenetur eam pati. Ibid. n.3. p.396
Mater prægnans, ſi duos gemellos conceperit altero mortuo poteſt licitè pati ſciſionem ad extrahendum mortuum. Ibid. num. 4. p.396
Matre prægnãte, ſi iam fuerit mortua, poteſt ipſius vterus ſcindi, ſi ſit ſpes, quod poſsit fœtus viuus extrahi. Ibid. num.5. p.397
Matre mortua ſæpe fœtus viuus extractus eſt. Ibid. num.6. p.397
Matre viuente, & fœtu, ſi alia via ſalus vtriuſque, vel alterius haberi non poteſt, licita eſt ſectio Matris. Ibid. num. 7. p.398
Mater in ordine ad ſalutem æternam fœtus tenetur ſectionem pati. Ibid. num.8. p.398
Mortua iam Matre cum fœtu licita eſt ſectio ad aliorum inſtructionem. Ibid. num. 9. p.399
Matre prægnante damnata ad mortem diferendum eſt ſupplicium ad partum. Ibid. num. 10. p.399
Mater prægnans punienda eſt pœna mortis, ſi accepto pretio abortum procurat, vt ſubſtitutus partui ſuccedat. C.15. M.8. D.1. §.3. num.2. p.408
Alius ab ipſa Matre hoc crimen perpatrans ad eum finem non punitur pœna mortis. Ibid. num.3. p.408
Mater hoc crimen perpatrans non ad eum finem non punitur pœna mortis. Ibid. num. 4.
Mater non redditur ſterilis per ſectionem vteri. C.15. M.8. D.2. §.4. num.2. p.437
Varijs exemplis euincitur. Ibid. num. 3.
Mater, quamuis per ſectionem redderetur inepta ad generationem, non propterea redderetur illicita ſectio. Ibid. num.5. p.438
Mater prægnans ſaltus edens, & choreas cum agitatione ducens peccat. C.15. M.8. D.2. §.5. num.2. pag. 438
Niſi ederet ſtatim poſt conceptum. Ibid. n.3. p.439
Etiam illi, qui inducerent prægnantem ad eaſdem præuiſo periculo. Ibid. num.4.
Mater prægnans tenetur præcauere à nimia iræ paſſione ob periculum abortus. C.15. M.8. D.2. §.6. num.2. pag. 439
Et etiam alij ne eaſdem excitent. Ibid. num.3.
Mater prægnans tenetur adhibere remedia, quæ Medicus neceſſaria exiſtimat ad ſalutem, ſi ſint ordinaria, & non difficilia. C.15. M.8. D.2. §.7. num.3. pag. 440
Mater tenetur alere filios, & filias primo triennio. C.15. M.9. P.2. num. 2. p.460
Etiam illegitimos. Ibid. num. 3.
Niſi ipſa ſit egens. Ibid. num.4.
Vel infirma. Ibid. num.6.
Vel nobilis, ſi conſuetudo aliter exigeret. Ib. n.7.
Mater, quando ipſa non poteſt pro illo triennio alere, non tenetur proprijs expenſis alere apud nutricem. Ibid. num.6.
Mater, quando eſt noxia, & diues tenetur ſumptus tribuere Patri pro alimentis filij. Ibid. n.15. p.463
Mater ex eo, quod deberet ſuccedere filio ab inteſtato, non eſt excludenda ab eius educatione. Ibid.
Mater grauiter peccat tenens infantem in lecto, in quo ipſa cubat ſine debita cautela, etiam ſi ſuffocatio non ſequatur. C.15. M.9. P.3. num. 1. p.469
Mater excuſatur à culpa in aliquibus caſibus, qui enumerantur. Ibid. num. 3.
Mater tenens puerum in lecto non contrahit excommunicationem non ſecuto effectu, niſi aliud exprimatur. Ibid. num.4. p.470
Mater vltra primum triennium non tenetur æquè primo cum Patre alere filios. C.15. M.9. P.5. num.2. pag. 476
Intellige ſiue de iure poſitiuo, ſiue de iure naturæ. Ibid. num.4. p.477
Mater etiam in ordine ad filios ſpurios non tenetur æquè primo cum Patre. Ibid. num.7. p.477
Mater, ſi præſtiterit filijs alimenta Patre diuite non præſtante poteſt eadem repetere. Ibid. n.8. p.478
Etiamſi nullam proteſtationem præmiſerit. Ibid. num.9.
Mater, ſi contulerit alimenta filijs, dum Pater diues non præſtitit, ſupra proprium ſtatum, & Patris non poteſt repetere exceſſum. Ibid. n. 10.
Mater, ſi contulerit moderatè aliquid detrahendum eſt arbitrio Iudicis. Ibid. num. 11.
Mater, ſi mortuo Patre filijs diuitibus alimenta contulerit ſine proteſtatione non poteſt ea repetere. Ibid. num. 12.
Mater, ſi fuerit pauper, & filij diuites, & contulerit alimenta eiſdem magna, non præſumitur donaſſe. Ibid. num.15. p.480
Mater, ſi fuerit diues, & filij etiam diuites, præſumitur donaſſe. Ibid. num. 16. p.480
Mater, quæ tempore adminiſtrationis ex ſuo contulit alimenta filijs, poteſt eorum æſtimationem repetere. Ibid.

Digitized by Google

Ibid. num. 18. p. 480
Mater debitrix filiorum conferens eiſdem alimenta non præſumitur illa donare. Ibid. num. 19. p. 481
Mater in defectum Patris, & aſcendentium tenetur alere filios in ſubſidium. Ibid. num. 21. p. 481
Mater per prius tenetur alere filios, quam auus maternus. C. 15. M. 9. P. 6. num. 6. p. 485
Mater in defectum Patris, & aui paterni tenetur filias dotare. C. 15. M. 9. P. 7. num. 18. p. 495
Mater in concurſu fratris diuitis, ſi ipſa etiam ſit diues, tenetur per prius filiam inopem dotare. Ibid.
Mater in ſubſidium Patris, ſi ipſa fuerit diues, tenetur Hoſpitali compenſare expenſas. C. 15. M. 9. D. 1. §. 2. num. 2. p. 524
Mater, ſi fuerit diues non obſtante, quod etiam Pater fuerit talis, pro primo triennio tenetur compenſare expenſas Hoſpitali. Ibid. num. 4. p. 524
MATRIMONIVM non poteſt inſtaurari, ſi innocens fornicatus fuerit ante ſententiam diuortij ob adulterium alterius, & poſtea ignorata ipſius fornicatione lata fuerat ſententia ob adulterium prioris. C. 15. M. 6. P. 11. S. 7. num. 21. p. 65
Matrimonium poſſet inſtaurari, ſi poſt alterius adulterium non ſecuta ſententia diuortij, innocens tranſierit ad Religionem. Ibid. num. 22. p. 65
Matrimonium non poteſt diſſolui, etiamſi non fuerit conſumatum ob defectum mulieris, quæ ſcit ſe eſſe parituram cum mortis periculo. Ibid. M. 7. P. 3. S. 2. num. 21. p. 203
Matrimonium contractum cum dubio de valore inſtaurandum eſt per depoſitionem dubij practicè. Ibid. S. 6. num. 9. p. 228
Matrimonij bona quot, & quænam ſint. Ibid. P. 4. n. 1. pag. 275
Matrimonij vſus, & varij fines enumerantur. Ibid. num. 2. p. 276
Matrimonium fuit etiam ordinatum ad finem vitandæ incontinentiæ. Ibid. P. 4. num. 13. p. 278
Matrimonium non extinguit votum caſtitatis antea emiſſum. Ibid. P. 5. D. 1. §. 12. num. 4. p. 311
Matrimonium eſt fundamentum legitimationis. Ibid. §. 13. num. 4. p. 313
Matrimonium, an poſſit licitè contrahi cum intentione, & deſiderio excludente finem prolis. Ibid. D. 2. §. 2. num. 1. p. 318., & concluditur affirmatiuè ſecundum opinionem Boſsij contra Sanchez. num. 5., & 6. p. 319
MEDICVS, qui pharmacum ordinauit pro vna prægnante ad fætus interitum, & ex errore aromatarij datum fuit alteri prægnanti, in qua ſecutus eſt abortus, grauiter peccauit. C. 15. M. 8. D. 1. §. 13. n. 2. pag. 425
Medicus in data hypotheſi non incidit in pœnam reſeruationis excommunicationis. Ibid. num. 4.
Nec probabilius in irregularitatem. Ibid. nu. 7.
Medicus maximè à Deo commendatus. C. 15. M. 8. D. 2. §. 7. num. 4. p. 441
MONIALIS, quæ ex ſacrilego coitu concepit pugnis ſe percutiens ad abortum incurrit pœnas procurantium abortum. C. 15. M. 8. D. 1. §. 11. n. 2. p. 421
Monialis ſic ſe percutiens ad eum effectum ſecundum aliquos non incurrit cenſuram canonis, ſi quis ſuadente. Ibid. nu. 4. p. 422
Monialis ſic ſe percutiens probabilius illam cenſuram incurrit. Ibid. num. 5.
MOTVS ſenſualitatis quomodo ſint peccaminoſi. C. 15. M. 7. P. 5. D. 2. §. 5. num. 1. p. 322
Motus ſenſualitatis quot ſint. Ibid. num. 2. p. 322
Motus primò primi ſenſualitatis etiam extrà actum coniugij non ſunt grauiter peccaminoſi. Ibid. num. 3. pag. 323
Motus ſecundò primi habentes in cauſa aliquam honeſtatem non ſunt grauiter mali. Ibid. n. 4. p. 323
Motus dicti, in quibus caſibus non ſint mali. Ibid. n. 4. pag. 323
Motus dicti, ſi proueniant ex cauſa illicita, in qua potuerunt præuideri, ſunt graues, ſi cauſa fuit grauis, ſunt leues, ſi cauſa fuit leuis. Ibid. num. 5. p. 323
Motus dicti regularitèr ſunt grauitèr peccaminoſi interueniente conſenſu poſitiuo, & directo. Ibid. n. 7. p. 323., & p. 324
Motus dicti ſunt tantum venialitèr mali interueniente conſenſu in cauſa, quæ tantum eſt venialitèr mala. Ibid. num. 8. p. 324
Motus graues, ſi non reprimantur à potente reprimere, induunt noxam grauem. Ibid. num. 9. p. 324., & ad noxam grauem in huiuſmodi motibus requiritur maior voluntarietas. Ibid. nu. 10. p. 324

N.

NVTRIX tenens puerum in lecto ſine debita cautela grauitèr peccat, etiamſi non ſequatur ſuffocatio. C. 15. M. 9. P. 3. num. 1. p. 469
Excuſatur tamen in pluribus caſibus, & enumerantur. Ibid. num. 2.
Nutrix ſic tenens non contrahit excommunicationem, nec reſeruationem, vbi hæ latæ ſunt non ſecuto effectu, niſi aliud exprimatur. Ibid. num. 4. p. 470

O.

OSCVLA, & ſimilia in partibus inhoneſtis non ſunt prohibita coniugibus, ſi referantur ad copulam coniugalem, & non ſit periculum pollutionis extrà vas. C. 15. M. 7. P. 7. num. 2. p. 292., & etiamſi referantur ad fouendum mutuum amorem. Ibid. num. 3.
Oſcula, vt ſupra vitanda ſunt extante periculo pollutionis. Ibid. p. 291., vbi referuntur quædam inſtantiæ, & ſoluuntur. p. 292
Oſcula, vt ſupra, ſi ſint vltrà modum, & nimis fœda, nec ordinata ad copulam coniugalem non carent culpa veniali. Ibid. num. 4. p. 292
Oſcula circa pudenda non carent culpa veniali. Ibid. num. 5. p. 292

P.

PACTVM inter coniuges de habitando in certo loco non tenet. C. 15. M. 6. P. 9. num. 1. p. 21
Pactum, vt ſupra tenet. Ibid. num. 2. p. 21
Pactum, vt ſupra teneret, ſi fuerit factum ex iuſta cauſa. Ibid. nu. 5. p. 22

Digitized by Google

Pactum habitandi in certo loco firmatum cum iuramento poteſt ſolui adueniente cauſa neceſſaria. Ibid. num. 6. p.22
Pactum initum à Marito cum vxore, vt Amaſio tentanti adulterium conniueat, non vt illud perficiat, ſed in crimine deprehendatur eſt illicitum. Ibid. P.14. D.2. §.21. num. 4.
Pactum mutuum non reddendi, nec petendi debitum tenet, poteſt tamen licitè remitti. Ibid. nu 40. p.271
Pactum, vt ſupra, ſi fuerit ſolum iuramento firmatum in fauorem vtriuſque poteſt mutuo conſenſu remitti. Ibid. num.42. p.271., ſecus verò, ſi fuerit emiſſum titulo pietatis.
PATER, vel Mater committens abortum fœtus animati dicuntur parricidæ. C.15. M.9. P.2. n.4. p.364
Pater, & Mater non impedientes abortum, cum poſſint, peccant contra naturalem pietatem. C.15. M. 8. P.17. num.3. p.403
Pater, & Mater, quamuis grauiſsimè peccent non impediendo, non contrahunt tamen excommunicationem. C.15. M.8. P.17. num.4. p.403
Pater, & Mater tenentur ad honeſtam filiorum educationem ex vi naturalis pietatis. C.15. M.9. P.1. num.1. p.452
Pater, & Mater vrgente periculo vitæ filiorum tenentur ſtatim ſub graui curare ipſorum baptiſmum. Ibid. num.2. p.453
Pater, & Mater etiam non vrgente tali periculo tenentur non diferre talem baptiſmum. Ibid. nu. 3.
Pater, & Mater diferentes baptiſmum vltra nouendium ex Concil. Prouinciali Mediol. ſubduntur excommunicationi. Ibid. num.4.
Pater, ſi fuerit fidelis Matre infideli tenetur quamprimum curare baptiſmum, vel Mater fidelis, ſi Pater fuerit infidelis. Ibid. num. 6.
Pater, & Mater tenentur filios inſtruere in fide catholica, aliiſque ad ſalutem neceſſariis. Ibid. num.7.
Et quidem explicitè in miſteryo, & articulis fidei. Ibid. num.8. p.454
Pater, & Mater tenentur erudire filios in bonis moribus. Ibid. num.10.
Pater, & Mater quomodo ſe gerere debeant erga puellas. Ibid. num. 11.
Pater, & Mater tenentur abſtinere ab illis actionibus, quæ poſſunt reuocare filios à recta via. Ibid. nu.12.
Pater, & Mater tenentur non impedire filios, vel filias ab ingreſſu in Religionem. Ibid. num.13. p.455
Pater, & Mater impedientes filias, ne velum ſuſcipiant, vel profeſſionem amittant excommunicantur. Ibid. num. 14.
Pater, & Mater impedientes filios à ſuſceptione habitus, & ingreſſu in Religionem excommunicantur. Ibid. num. 16.
Non tamen, ſi impediant ab emittendo voto ſimplici Religionis. Ibid. num. 17.
Pater, & Mater non incurrunt in excommunicationem, ſi retrahant à Religione ex iuſta cauſa, & quanam. Ibid. num.18. p.456
Pater, & Mater, non excommunicantur, ſi retrahant maſculos ab ingreſſu in Religionem ex vi Concil. Trid. C.15. M.9. P.1. num.19. p.456
Pater, & Mater compellentes filios, & filias ad Religionem grauitèr peccant. Ibid. num. 21. p.456
Pater, & Mater compellentes filias ad Religionem contrahunt excommunicationem. Ibid. num. 21.
Quid veniat nomine coactionis. Ibid. num.22. & ſeqq.
Pater, & Mater non contrahunt hanc excommunicationem, ſi inducant ſub pœna priuationis lucri, ſi filiæ non habeant ius ad tale lucrum. Ib. n.27. p.457
Pater, & Mater contrahunt excommunicationem, ſi filiæ minitentur maledictionem, ſi non ingrediatur. Ibid. num.28.
Item, ſi induxerint per dolum, & fraudem. Ibid. num. 29.
Pater, & Mater non incurrunt hanc cenſuram, ſi non fuerit ſecutus effectus. Ibid. num. 30.
Pater, & Mater incurrunt hanc cenſuram, ſi compellant ad ingreſſum ſub fine habitus ſumendi. Ibid. num.31. p.458
Non tamen, ſi ſine tali fine. Ibid. num. 35.
Pater elapſo primo triennio tenetur apud ſe prolem alere. C.15. M.9. P.2. num. 8. p.461
Pater, quãdo eſt diues, & noxius, & Mater pauper, & innocens tenetur apud ſe prolem educare. Ibid. n.14. pag. 463
Pater tenetur alere filios ſecuto diuortio abſque culpa. Ibid. num.16. p.465
Pater elapſo primo triennio tenetur alere filios propriis expenſis. Ibid. num. 18.
Pater cubans in lecto vbi vxor tenet puerum, non peccat. C.15. M.9. P.3. num.3. p.469
Pater ex vi naturalis pietatis ſtrictè obligantis tenetur alere filios etiam præciſo iure poſitiuo. C. 15. M. 9. P.4. num.1. p.471
Pater de iure naturæ tenetur alere etiã filios illegitimos, & ſpurios. Ibid. num. 5. p. 472
Pater de iure naturæ tenetur etiam alere filios egreſſos limites pueritiæ, ſi aliunde non habeat. C. 15. M.9. P.4. num.6. p.473
Pater non tenetur de iure naturæ, ſi aliunde habeant, quo commodè poſſint viuere. Ibid. num.7. p.474
Pater non tenetur alere, ſi per artem filius poſſit ſibi victum quærere. Ibid. num. 8. p.474
Pater tenetur ad ſupplementum, vbi filius aliunde non habet alimenta in totum. Ibid. num. 9. p.475
Pater diues, ſi non præſtiterit alimenta filiis, & Mater ea præſtiterit poteſt hæc illa repetere. C. 15. M. 9. P.5. num.8. p.478
Etiamſi Mater nullam præuiam proteſtationem præmiſerit. Ibid. num.9.
Pater, qui tenetur alere filios, & filias, tenetur etiam filias dotare. C.15. M.9. P.7. num.3. p.491
Etiam filias illegitimas, & ſpurias. Ibid. num.4.
Etiam emancipatas. Ibid. num. 5.
Pater tenetur conferre dotem etiam excedentem alimenta, quando aliter filia nubere nequit. Ibid. nu.6. pag. 492
Pater non tenetur iterum conferre dotem filiæ, quando ſemel data conſtante matrimonio deperdita eſt. Ibid. num.8. p.492
Secus, ſi ageretur de nouo matrimonio. Ibid. n.9.
Pater ex vi naturalis pietatis tenetur filiis alimenta talia præſtare, vt extrahant eoſdem filios à neceſſitate

Digitized by Google

tate graui reſpiciente bona naturæ. C.15. M.9. P. 9. num.4. p.499

Etiam ſpurijs. Ibid. num. 5. p.500

Pater ex vi naturalis charitatis præcisè inclinantis tenetur filios alere in neceſſitate graui quomodocunque. Ibid. num. 6. p.500

Pater de iure ciuili tenetur præſtare filijs alimenta iuxta decentiam ſtatus. C.15. M.9. P.10. n.2. p.502

Pater auctis facultatibus vel diminutis tenetur augere, vel diminuere alimenta filijs. Ibid. n.6. p.503

Pater tenetur etiam ad alimenta vxoris filij. Ibid. num.8. p.504

Pater ſecundum eam quantitatem tenetur alimenta tribuere vxori filij illegitimi, qua tenetur eidem filio dare. C.15. M.9. P.10. num.10. p.505

Pater non tenetur alere nurum indignam ſecundum decentiam ſtatus, ſed tantum ſecundum neceſſitatem naturæ. Ibid. num. 11. p.505

Pater filijs emancipatis tenetur præſtare alimenta iuxta decentiam ſtatus. Ibid. num.13. p.505

Etiam filijs bannitis. Ibid. num.14. p.506

Intellige tantum quoad neceſſitatem naturæ. Ibid. num. 15. p.506

Etiam excommunicatis. Ibid. num.16.

Pertinaci in excommunicatione tantum ad indigentiam naturæ. Ibid. num. 17.

Idem quoad hæreticum pertinacem. Ibid. nu.18.

Pater poteſt licitè præſtare alimenta filio iuſtè damnato, vt fame pereat, non tamen tenetur. Ibid. n.19. pag. 507

Pater infidelis tenetur præſtare alimenta filio conuerſo ad fidem. Ibid. num.20.

Pater tenetur alere filium Monachum eiectum iuſtè à Religione, aliter ſecus, ſi iniuſtè. Ibid. n.21. p.507

Pater adoptans tenetur per prius filium adoptatum alere. Ibid. num. 22. p.508

Pater attenta qualitate illegitimitatis tenetur filijs dare alimenta congrua. C.15. M.9. P.11 n.3. p.509

Pater de iure canonico tenetur ſpurijs alimenta dare, non ſic de ciuili. Ibid. num.6. p. 511

Et ſecundum facultates patrimonij. Ibid. nu. 7. pag. 512

Pater poteſt donare ſpurio, quantum capit debitum alimentorum. Ibid. num. 8. p. 513

Pater, ſi donet ſpurio ſupra debitum alimentorum non ſuſtinetur donatio quoad exceſſum. Ibid. n.9. p.513

Excipe niſi donatio eſſet remuneratoria. Ibid. num.10.

Pater tenetur dotare filiam ſpuriam vſque ad quantitatem alimentorum. C.15. M.9. P.11 n.11. p.514

Pater, qui in ſtatu impotentiæ non aluit filium non tenetur debitum filij ſoluere, quod contraxit pro alimentis. C.15. M.9. P.14. num.6. p.519

Pater tenetur iterum conferre alimenta filio, quamuis hic culposè conſumpſerit capitale pro illis aſſignatum. C.15. M.9. D.2. §.1. num.2. p.546

Intellige quoad neceſſaria naturæ. Ibid. n.3. p.546

Si culpa fuerit præmeditata, & ordinata ad caſum. Ibid. num.4.

Pater tenetur ſolummodo ad alimenta filiorum ad ratam redditium, non capitalis. C.15. M.9. D.2. §.2. num. 2. p. 547

Pater ad alendos congruè filios non tenetur alienare proprietatem patrimonij. Ibid. num. 4.

Niſi in caſu, quo fructus non eſſet ſufficientes ad vitæ neceſſaria. Ibid. num.5. p.548

Pater tenetur alimenta, ſeu æſtimationem eorum ſoluere illi, qui filium aluit, dum ipſe diues noluit conferre. C.15. M.9. P.14. num. 7. p. 520

Pater diues renuens alimenta præſtare filio inopi poteſt cogi ad eadem præſtanda à die petitionis. Ibid. nu.8. pag. 520

Pater, & Mater exponentes filios etiam legitimos ad Hoſpitale ex neceſſitate non peccant. C.15. M.9. D. 1. §.1 num.3. p.522

Pater, & Mater facti potentes tenentur eos reuocare ſub graui. Ibid. num.4. p. 522

Nec tenentur compenſationem facere loco pio. Ibid. num. 5.

Pater, & Mater non peccant exponentes filios illegitimos ad tegendum crimen, & vitandam infamiam, & mortem. Ibid. num.6. p.522

Tenentur tamen compenſare expenſas Hoſpitali. Ibid. num.7. p.523

Pater, & Mater, ſi non valeant expenſas compenſare Hoſpitali, tenentur alij in ſubſidium compenſare ordine ſucceſſiuo. Ibid. nu.5. p.525

Pater, & Mater exponentes filios ſine cauſa ad Hoſpitale amittunt patriam poteſtatem. C.15. M.9. D.1. §.4. num.1. p. 527

Pater exponens filium ipſumque præteriens in teſtamento inualidè præterit. C.15. M.9. D.1. §.5 n.2. pag. 531

Pater exponens filiam, quamuis amittat patriam poteſtatem, non tamen eximitur ab onere illam dotandi. Ibid. num.4. p.532

Pater quouſque vixerit non tenetur pinguiora alimenta tribuere primogenito. C.15. M.9. D.1. §.7. nu.4. pag. 534

Pater non tenetur alimenta præſtare filio nolenti ſine cauſa habitare cum ipſo, ſecus, ſi cum cauſa. C.15. M.9. D.1. §.8. num.3., & 5. p.535

PETITIO debiti inter coniuges per ſe, & propriè non eſt neceſſaria ad ſalutem. C.15. M.7. P.2. n.1. p.183

Petitio, vt ſupra, eſſet neceſſaria, ſi alter ſummoperè apeteret coitum, & præ rubore non auderet petere. Ibid. num.2. p.184

Petitio implicita obligat alterum ad redditionem debiti. Ibid. num. 3. p. 184

Petitio debiti, etiam non expreſſa, maximè in fœminis ſufficit ad obligandum alterum coniugem ad reddendum. Ibid. num.10. p.185

Petitio debiti expreſſa viri poteſt expectari ab vxore. Ibid. num.11. p.186

Petitio debiti, & quicunque alij actus turpes in loco publico ſunt illiciti. Ibid. P.3. S.1. num.3. p.189

Petitio debiti in diebus feſtis in contemptum eorundem feſtorum eſt ex ſe grauis culpa. Ibid. M.7. P.5. D. 2. §.3. num. 3. p.320

POLLVTIONIS periculum in coniugibus, quandonam efficiat noxam mortalem. C. 15. M. 7. P. 7. D. 8. num. 1. p. 329

Pollutio præuiſa à coniugibus dantibus operam rei licitæ, & neceſſariæ, vel vtili non efficit in eiſdem noxam

Digitized by Google

xam lethalem. Ibid. num.2. p.329

Pollutio præuiſa à confeſſario ex occaſione audiendi confeſſiones non eſt peccaminoſa, ſi non adſit eiuſdem conſenſus. Ibid. num.3. p.330

Pollutio occaſionata ex cibis, & potu moderatis, vel ex equitatu, vel ex perfricatione partium verendarum ad ſedandum pruritum, vel ex eo, quod mundentur à lanugine partes verendæ vel eo, quod remoueantur impedimenta virtutis generatiuæ non eſt peccaminoſa, ſi abſit periculum conſenſus. Ibid. n.4. 5.6.7.8.9. p.330., & omnes dictæ actiones licitæ ſunt vrgente graui neceſſitate non obſtante experientia lapſus. Ibid. num. 11. p.331

Pollutio præuiſa non tamen intenta ex nimio cibo, vel potu non induceret nouam malitiam ſupra intemperantiam. Ibid. §.9. num. 7. p. 333., & in ſequenti ſoluuntur obiecta p. Ibid.

Pollutio procedit potius à virtute naturali expulſiua, quam à cauſa. Ibid. num.7. p. 334

Pollutio non inducit diuerſam malitiam ab ea, quam inuoluit cauſa eiuſdem. Ibid. §.10. num.2. p. 334

Pollutio volita in cauſa, reuocata tamen ante implementum eiuſdem, non inducit diuerſam malitiam, quam inuoluit malitia cauſæ. Ibid. num. 3. p. 335., & in hac ſuppoſitione non eſt neceſſaria in confeſsione pollutionis ſecutæ expreſſio. Ibid. num. 3. p.334., niſi effectus pollutionis eſſet in via. Ibid. vbi ſoluuntur plura obiecta aduerſariorum.

Pollutionis deſiderium, an aliquando licitum ſit. Ibid. §.11. num.1. p.336., & num.2. affertur ſententia negatiua. p. Ibid.

Pollutionis deſiderium ſolummodo in ordine ad captandam delectationem veneream nullo modo licitum eſt. Ibid. num.3. p.336., ſi verò fuerit in ordine ad finem honeſtum non eſt peccaminoſum. Ibid. num.4.

Pollutionis ſequutæ complacentia propter bonum effectum non eſt peccaminoſa. Ibid. num.5. p.337

Pollutionis deſiderium ob bonum honeſtum, quamuis licitum ſit, non tamen poteſt procurari. Ibid. num.6. pag. 337

Pollutio deſiderata nimio cibo procurata eſt grauiter peccaminoſa. Ibid. num.7. p.337

PÆNÆ tàm de iure ciuili, quàm canonico contra abortum. C.15. M.8. P.2. num.13., & 14. p.366

Pœnæ Sixti V. contra abortum. Ibid. num.14. p. 366

Pœnæ Sixtianæ moderatæ per Gregorium XIV. Ib. n.15.

Pœna reſeruationis peccati, & excommunicationis propter abortum appoſita per Sixtum V. ſublata eſt per Gregorium XIV. etiam quoad fœtum animatum. C.15. M.8. P.3. num.2. p.368

Pœna irregularitatis ob abortum fœtus animati incurritur, quæ eſt adhuc reſeruata Pontifici. C.15. M. 8. P.4. num.2. p.369

Secus, ſi fœtus fuerit inanimis. Ibid. nu.3. p.370

Pœna excommunicationis ob abortum eſt relaxabilis per confeſſarium approbatum ab ordinario loci, & deputatum ad hos caſus. C.15. M.8. P.5. n.2. p.371

Pœna excommunicationis afficit etiam conſulentes, & mandantes. C.15. M.8. P.10. num.1. p.381

Pœnæ aliæ contra homicidas afficiunt etiam conſulẽtes, & mandantes abortum ex vi Bullæ Sixti V., non ſic attenta conſtitutione Gregorij XIV. Ibid. n.2. p.382

Pœna excommunicationis non afficit conſulentes, & mandantes effectu non ſecuto. Ibid. num.4.

Pœna excommunicationis afficit conſulentes etiam reuocato conſilio, ſi conſilium oſtenderit vtilitatem conſulti. Ibid. num.6. p.383

Non tamen mandantem, ſi reuocauerit mandatum. Ibid. num. 6.

Pœnæ latæ contra homicidas non incurrũtur per abortum procuratum in dubio, an fœtus fuerit animatus, an inanimis. C.15. M.8. P. 12. num. 3. p.391

Pœna lata contra Clericos procurantes abortum eſt priuatio officiorum, & beneficiorum. C.15. M.8. P.13. num. 1. p.391

Quid veniat nomine officij, & beneficij. Ibid. n.1., & 2. p.391., & p.392

Quid veniat nomine dignitatum. Ibid. n.3. p.392

Pœnæ in duplici genere, & quonam. C.15. M.8. P.14. num.2. p. 392

Pœna excommunicationis ob abortum incurritur ante Iudicis ſententiam. C.15. M.8. P.14. n.3. p.393

Pœna priuationis officiorum, & beneficiorum exigit Iudicis ſententiam. Ibid. num.4. p.393

Pœna cum particula ipſo facto *afficit, vt ſi poſtea ſequatur ſententia executio quoad fructus retrotrahatur ad tempus commiſſi delicti. Ibid. num.5. p.394*

Item, vt delinquens amittat titulum, non poſſeſſionem. Ibid. num.6. p.394

Pœnæ iſtæ non incurruntur ante ſententiam, quamuis delictum fuerit notorium. Ibid. nu.7. p.394

Pœna inhabilitatis ad officia, & beneficia impoſterum obtinenda non incurritur ante ſententiam declaratoriam. Ibid. num.8. p.394

Pœna mortis afficitur Mater, quæ accepto pretio abortum procurat, vt ſubſtitutus partui ſuccedat. C.15. M.8. D.1. §.3. nu.2. p. 408

Pœna mortis non afficitur alius à Matre, qui tale crimen perpatrat ad eum finem. Ibid. num. 3.

Pœna mortis non afficitur Mater, qui tale crimen perpatrat non ad eum finem. Ibid. num. 4.

Pœnas abortus non euitat, qui grauiter percutit fœminam prægnantem, ex quo ſequitur fœtus interitus. C.15. M.8. D.1. §.15. num.2. p.428

Secus, ſi percuſſio fuerit leuis. Ibid.

Pœnam irregularitatis tamen non euitat, ſi ex percuſſione leui euenerit abortus. Ibid. num.3. p.428

Pœnæ exponentium infantes ad Hoſpitale, præcipuè priuatio patriæ poteſtatis. C. 15. M.9. D. 1. §.4. num.1. p. 527

Pœna hæc contrahitur etiam ab iniquè denegantibus alimenta. Ibid. num.7. p.529

Pœna exponentium eſt etiam priuatio iuris ſuccedendi expoſito. Ibid. num. 4. p.531

PERITVS interrogatus de remedijs abortiendi à fœmina prægnante, ſi nouerit ex modo, & ſignis peti remedia ad vſum indicando remedium contrahit irregularitatem. C.15. M.8. D.1. §.8. num.2. p.416

Non ſic, ſi non nouerit peti ad vſum. Ibid. n.3.

Peritus interrogatus, ſi illud remedium propallauerit bona fide, non incurrit excommunicationem, ſecus, ſi mala fide. Ibid. num.4.

PRÆCEPTVM poſitiuum non obligat, quando adimpleri nequit, niſi cum ſcandalo. C. 15. M.7. P. 5. D. 1.

Digitized by Google

D.1. §.10. num.6. p.209

PRÆLATVS Regularis poteſt ſuos ſubditos habilitare ad officia, qui crimine abortus deliquerunt. C.15. M.8. D.1. §.17. num.2. p.430

Prælatus Regularis etiam poteſt habilitare per generalem diſpenſationem. Ibid. n.4. p.431

PROCVRANS abortum fœtus non ſecuto effectu non incurrit excommunicationem. C.15. M.8. P.7. n.2., & 3. p.375

Procurantes ſterilitatem fœminis ex vi Bullæ Sixti V. incurrebant pœnas procurantium abortum. C.15. M.8. P.8. n.1. p.376

Non ſic procurantes viris. Ibid.

Procurans modo ex vi Bullæ Gregorij XIV. non incurrit has pœnas. Ibid. n.4. p.376

Procurans grauiſſimè peccat. Ibid. num.5. p.377

Procurans hoc pacto ſterilitatem etiam grauiter peccat, quamuis experientia conſtet Matrem in partu periclitari. Ibid. n.6. p.378

Etiam tradendo pharmaca ſecundum ſe ordinata ad fœtus interitum. C.15. M.8. P.8. n.7. p.378

Procurans abortum in dubio, an fœtus ſit animatus, vel inanimis non euitat pœnam irregularitatis, prout impedit ordines ſuſcipere, & in illis miniſtrare. C.15. M.8. P.12. num.1. p.390

Non incurritur tamen, prout importat priuationem beneficiorum, aliaque ex diſpoſitione Iudicis. Ibid. num.2. p.391

Procurans abortum fœtus animati conſtituitur reus multiplicis homicidij. C.15. M.8. D.1. §.4. num.3. pag. 409

Etiam ſi in ventre matris vnus tantum fœtus fuerit. Ibid. num.4.

Procurans abortum dicitur homicida, non propriè ſacrilegus. C.15. M.8. D.1. §.5. num.2. p.410

PROLES ſuſcepta ex coniugatis voto mutuo caſtitatis obſtrictis vel ab altero profeſſo, vel promoto ad ſacros ordines, an ſit legitima, vel ſpuria. C.15. M.7. P.5. D.1. §.13. num.1. p.312

Proles ſuſcepta, vt ſupra habetur illegitima. Ibid. n.2. pag. 312

Proles ſuſcepta, vt ſupra, habenda eſt legitima. Ibid. num.3. p.312

Proles habita à marito, qui conſumato matrimonio profeſſus eſt Religionem diſſentiente vxore habenda eſt pro legitima. Ibid. num.7. p.313., ſecus verò, ſi profeſſus eſſet conſentiente vxore. Ibid. n.8. p.313

Proles maſcula genita in ſacerdotio ex vxore legitima eſt irregularis. Ibid. num.9. p.313

Proles eo, quod ſit irregularis eſt illegitima. Ibid. nu. 11. p.314

Proles ſuſcepta poſt profeſſionem ſolemnem emiſſam à coniugibus eſt illegitima. Ibid. num.12. p.314

Proles eſt illegitima, ſi ante conſumatum matrimonium vel vnus, vel vterque coniux profeſſus fuerit, poſtea eſt ſuſcepta. Ibid. num.13. p.314

Proles eſt illegitima, ſi ante conſumationem alter ad ſacros ordines fuerit promotus, altero ignorante poſtea habita ſit. Ibid. num.14. p.315., & hoc intelligendum eſt etiam poſt conſumatum matrimonium. Ibid. num.15. p.315

Proles eſſet illegitima ex ſpeciali iure, ſi foret ſuſcepta poſt conſumatum matrimonium, & alter eſſet promotus ad ſacros ordines altero conſentiente. Ibid. num. 16. p.315

PROFESSIO emiſſa ab adultero inuito, vel inconſulto coniuge innocente eſt inualida. C.15. M.6. P.11. S.6. num.12. p.51

Profeſſio emiſſa ab vtroque coniuge poſt latam ſententiam diuortij ex errore tenet in vtroque, ſi vterque erat conſcius profeſſionis alterius, ſecus verò, ſi cum ignorantia. Ibid. num.7. p.69

Profeſſio emiſſa à marito conſentiente vxore eſt valida. Ibid. M.7. P.5. D.1. §.13. num.8. p.313

Profeſſio emiſſa altero coniuge conſentiente transfert dominium in Deum. Ibid. num.10. p.314

PVELLA ſtatim poſt ſtuprum an poſſit alteri nubere. C.15. M.7. P.12. D.2. §.17. n.1. p.346

Puella ſtatim poſt ſtuprum, ſi nubat ad vitandum mortis periculum ſibi imminentis à parentibus, non incurrit graue peccatum. Ibid. num. 2., & etiamſi nubat ad vitandam grauem infamiam. Ibid. num.3.

Puella præciſis dictis finibus in caſu ſuppoſito non poteſt ſtatim poſt ſtuprum licitè alteri neſcienti nubere. Ibid. num.4. p.346

Puella, vt ſupra nubens alteri non tenetur ad aliquam compenſationem Marito ob dubium, ex æquitate tamen facienda eſt ad ratam dubij. Ibid. num.5. p.346

PVRIFICATIO mulieris, quid ſit. C.15. M.7. P.12. D.2. §.15. num.2. p.343

Purificatio in lege veteri. Ibid.

R.

REDDITIO debiti regularitèr loquendo eſt neceſſaria ad ſalutem. C.15. M.7. P.2. nu.8. p.185

Redditio debiti eſt ex iure diuino, & naturæ. Ibid. num.9. p.185

Redditio debiti non habetur per præceptum negatiuũ, ſed per præceptum poſitiuum. Ibid. num.14. p.186

Redditio debiti petita in loco publico eſt illicita. Ibid. P.3. S.1. num.3. p.189

Redditio debiti in loco ſacro non eſt illicita, ſi fiat vrgenti cauſa, ſecus, ſi ſine illa. Ibid. num.5. p.189

Redditio debiti in Eccleſia eſt licita ratione diutinæ detentionis coniugum in Eccleſia etiam ſine periculo incontinentiæ. Ibid. num.7. p.191

REMISSIO duplex, alia tacita, alia expreſſa. C.15. M.6. P.11. S.11. num. 1. p.81

Remiſſio, vt ſit valida, non requiritur acceptatio adulteri. Ibid. num.2. p.81

Remiſſio, vt ſit valida requiritur, quod remittens fuerit conſcius delicti remiſſi. Ibid.

Remiſſio non intelligitur facta ab innocente conſcio delicti per aliquam actionem, ſi ſit immemor illius. Ibid. num.6. p.83

Remiſſio, vt ſit valida, non requiritur, quod delinquens nouerit ſuum delictum eſſe notorium remittenti. Ibid. num.8. p.83

Remiſſio, vt ſit valida non eſt neceſſe, quod innocens noſcat in facto, in quo conſiſtat condonatio. Ibid. num. 10. p.84

Remiſſio valida ſit actibus liberis. Ibid. num. 11. p.84

Remiſsio tacita ex quibus actionibus arguitur. Ibid. num. 12.

Digitized by Google

num.12. p.84.,& tales actiones enumerantur.n.13. p.84., & num.14. 15.,& num. 16. p.85
REPVDIVM quid ſit. C.15.M.6. P.10. nu.2. p.26

S.

SACRILEGIVM inducitur per concubitum coniugum factum in Eccleſia ſine iuſta cauſa. C.15.M.7.P.3.S.1.num.13. p.192
SACRILEGII culpa non deſumitur à grauitate delicti. ibid. num.14. p.192
Sacrilegij culpa vtrum oriatur ex iure poſitiuo Eccleſiaſtico, an ex ipſa turpitudine actus exerciti in Eccleſia cui adiecta eſt violatio Eccleſiæ. ibid.num.15. pag. 192
SENTENTIA diuortij retractanda eſt, quando Reus damnatus eſt, cum tamen alter eſset æquè nocens. C.15.M.6.P.11.S.8.num.4.p.68., ſi tamen delictum alterius fuerit deductum in iudicium, & ex errore illius nulla habita fuerit conſideratio. ibid. num.4.
Sententia diuortij lata ex errore retractari debet. ibid.num.5. p.68
SÆVITIA alterius coniugis, an inducat diuortium. C.15.M.6.P.14. num.1. p.100
Sæuitia nimia alterius poteſt alter diuertere, ſi timeat grauia damna. ibid. num. 2. p.100
Sæuitia debet eſſe talis, vt ingerat timorem cadentem in conſtantem virum. ibid. nu. 3. p.100
Sæuitia ſufficienti ſuppoſita poteſt alter propria auctoritate recedere. ibid. num.5. p.101
Sæuitia alterius dat alteri poſſe denegare debitum donec debita præſtetur cautio. ibid. num.7. p.102
Sæuitia futura in pluribus cauſis reddit licitum recedere à coniuge ſæuiente. ibid. num.8. p.103
Sæuitia, ſi eſt talis, vt timeatur cautio non profutura poteſt innocens nolle reconciliari. ibid. n.9. p.103
Sæuitia inemendabilis facit, vt celebrato diuortio poſſit alter ingredi in Religionem. ibid. num. 12. pag. 103
SODOMIA inter Maritum, & Vxorem non inducit ius ad diuortium. C.15. M.6.P.11. S.2. n.5. p.31
Sodomia non importat ſeminis commiſtionem. ibid. pag. 31
Sodomia inter coniuges non eſt grauior, ſi præſcindatur à circunſtantia inferente diuerſam ſpeciem. ibid. M.7. P.3. S.3. num.6. p.217
Sodomia inter coniuges inuoluit quodamodo ſpeciem adulterij diſtinctam à peccato contra naturam. ibid. num.7. p.217., & hæc ſpecies adulterij ſe tenet ex parte vtriuſq; ibid. num. 8.
SPONSVS diſſolutis ſponſalibus ob aliquod vitium cognitum in ſponſa, ſi poſtea illam oſculetur, amplectatur, & coeat cum ea non intelligitur illud vitium remittere. C.15. M.6. P.14. D.2. §.24. n.3. pag. 168
Sponſus in dicto caſu non diſſolutis ſponſalibus memor illius vitij intelligitur illud remittere per illos actus. ibid. num.4. p.168., ſecus verò, ſi eſſet immemor illius vitij. ibid. num.5. p.168
Sponſus, ſi exercuerit illos actus ſine animo remittendi poteſt ſponſalia diſſoluere in foro interno, non ſic in externo. ibid. num. 7. p.169
Sponſus exercens tales actus nec cum animo remittendi, nec non remittendi præſumitur remittere. ibid. num. 8. p.169
Sponſus, vel ſponſa non poteſt delectari de copula futura, tamquam de præſenti, benè tamen, vt futura. ibid. M.7. P.5. D.2. §.6. n. 7. p.326
STERILITATIS inductio non eſt abortus. C. 15. M. 8. P.8. n.1. p.376
Sterilitatem inducens non incurrit pœnas inducentium abortum. C. 15. M.8. P.8. num.4. p.376
Grauiter tamen peccat. ibid. n.5. p.377
Nec excuſatur ex eo, quod expreſsè conſtet Matrem periclitari in partu. ibid. n.6. p.378
Sterilitas non inducitur in Matre per ſectionem vteri ad extrahendam prolem. C.15.M.8. D.2. §.4. n.2. pag. 437
Varijs exemplis euincitur. ibid. n. 3.
SVSPICIO quæcumque fornicationis quid inducat. C.15.M.6. P.11. S.3. n.15. p.38
Suſpicio violenta quomodo haberi poſsit. ibid. nu. 16. pag. 38
Suſpicio ſola ſecundum ſe non infert efficacitèr fornicationem. ibid. num.17. p.39
Suſpicio vehemens, vt probetur requiruntur teſtes non ſingulares. ibid. n. 21. p.40
Suſpicio in vxore, quod Maritus ipſi conniueat adulterare, deobligat Maritum ab vxore dimittenda, ibid. S.5. num. 5. p.44

T.

TACTVS in partibus inhoneſtis, & ſimilia, ſi referantur ad copulam coniugalem, & non ſit periculum pollutionis extra vas non ſunt prohibiti coniugibus. C.15. P.7. nu.1. p.291
Tactus, vt ſupra liciti ſunt, etiamſi referantur ad fouendum mutuum amorem. ibid. num.3. p.291. ſunt tamen vitandi extante periculo pollutionis. ibid., vbi afferuntur quædam inſtantiæ, quæ ſoluuntur. pag. 292
Tactus, vt ſupra, ſi ſint nimis fœdi, & non ordinati ad actum coniugalem non carent culpa veniali. ibid. num. 4. p.292
Tactus circa pudenda exerciti maioris voluptatis cauſa in ipſa copula coniugali captandæ non carent culpa veniali. ibid. n.6. p.292
Tactus, vt ſupra, ſi fiant abſque intentione copulæ ob ſolam voluptatem à coniugibus non ſunt lethales, ſed veniales. ibid. nu.7. p.292., & rationes afferuntur ſub eodem numero. p.293
Tactus non intelliguntur interdicti, ſi referantur ad bonum finem, interdicto vſu coniugali ob morale periculum valetudinis. ibid. nu.8. p.293., etiamſi vſus eſſet interdictus ob impedimentum phyſicum. ibid. n.9., nec ſi ſit interdictus ob affinitatem. ibid. n.10. p.293., & p.294
Tactus impudici, & turpes in proprio corpore, quos coniux exercet in abſentia alterius, vel eodem præſente ſine animo coeundi ſunt peccaminoſi. ibid. n.11. pag. 294
Tactus turpes vnius ad alterum coniugem ſine neceſ-

ſitate

Digitized by Google

ſitate cum præuiſione pollutionis ſine intentione habendi copulam ſunt peccaminoſi lethalitèr. Ibid. D. 2. §.9. num. 3. p.332

TRANSACTIO ſuper alimenta præterita poteſt eſse inter Patrem, & filium. C. 15. M. 9. P. 13. num. 2. p.516

Tranſactio ſuper alimenta futura inter eoſdem non poteſt eſſe. Ibid. num. 3.

Requiritur auctoritas prætoris. Ibid. num. 4.

V.

VENDITIO ſpontanea Mariti, an Vxore inconſulta tribuat Vxori ius ad diuortium. C.15. M.6. P.14. D.1. §.13. num.1.2.3. p.124

Venditio Mariti, vt ſupra eſt contra iuſtitiam. Ibid. §.14. num.2. p.125., & num.3. habetur opinio negatiua. Ibid. p.125

VENTER prægnans, antequam ad lucem deueniat non excludit ſubſtitutum. C.15. M.8. D.2. §.11. num. 3. p.448

Venter prægnans non excludit ſubſtitutum, quamuis fætus inceperit naſci, ſi non ſit perfectè natus. Ibid. num.4.

VIDVA non poteſt delectari de copula præterita, tamquam præſenti. C.15. M.7. P.5. D. 2. §.6. num.6. p.326., ſecus verò, ſi delectetur, ac de re præterita.

VINCVLVM coniugale quomodo cohæreat in diuortio cum iuribus, & SS. PP. auctoritatibus. C.15. M.6. P.14. D.2. §.1. p.139., & hic expenditur dictum Zaccharia Pontificis, vt non fauens hæreticis. n.2. pag. 140

Pariter vendicatur dictum Diui Ambroſij à ſenſu hæreticorum. Ibid. nu.3. p.140

Pariter vendicatur dictum Concilij apud Vermetias à prauo ſenſu eorundem. Ibid. num.4. p.140

VOTVM ſimplex caſtitatis in coniuge tenet, non tamen obligat in præiudicium coniugis innocentis. C.15. M.6. P.11. S.6. num.19. p. 54

Votum caſtitatis emiſſum ante matrimonium impedit petitionem non redditionem debiti reſpectu vouentis Ibid. M.7. P.3. S.9. num. 10. p.257

Votum caſtitatis non diſſoluitur per ſubſequens matrimonium. Ibid. num.11. p.258

Votum caſtitatis includit obligationem præcepti negatiui. Ibid. num. 12. p.258

Votum Religionis emiſſum ante contractum matrimonium impedit primam conſumationem ſiue petendo, ſiue reddendo, non ſic vlteriorem. Ibid. n.19. p.261

Votum Religionis non diſſoluitur ſuppoſita prima conſumatione matrimonij. Ibid. num.20. p. 262

Votum abſtinendi à nuptijs impedit contractum, non tamen vſum poſt contractum matrimonij. Ibid. nu. 24. p.263

Votum ſimplex Religionis emiſſum poſt contractum ſine facultate alterius impedit conſumationem, ſi autem fuerit conſumatum matrimonium non impedit vlteriorem congreſſum. Ibid. num.27. p. 264

Votum caſtitatis emiſſum ſine licentia alterius poſt contractum obligat in præiudicium vouentis. Ibid. num.28. p.264

Votum caſtitatis emiſſum cum animo ingrediendi Religionem obligat ad omnimodam caſtitatem. Ibid. num. 19. p. 265

Votum caſtitatis emiſſum poſt conſumationem obligat ad non petendum, non autem ad non reddendum. Ibid. num.30. p.265

Votum non petendi debitum poſt conſumatum matrimonium tenet. Ibid. num. 31. p. 266. ſiue ſit elicitum à marito, ſiue ab vxore. Ibid.

Votum ſimplex Religionis obligat ad non conſumandum, conſumato verò obligat pro tempore habili. Ibid. num.32. p.266

Votum ſuſcipiendi ſacros ordines poſt emiſſum matrimonium quomodo obliget. Ibid. num.33. p.266

Votum caſtitatis conſtante matrimonio, & conſumato, de licentia alterius emiſſum impedit reſpectu vouentis petitionem, & reſpectu alterius redditionem. Ibid. num.34. p.266., & afferuntur rationes. p.267

Vota ſecundum diuerſas qualitates conſiderata. Ibid. S.10. num.1. p.272

Vota caſtitatis &c. emiſſa ante matrimonium non poſſunt ab altero coniuge irritari. Ibid. n.2. p.272., nec etiamſi fuerint emiſſa conſtante matrimonio. Ibid. num.3. p.272., & p.273., vbi pariter ſoluitur quædam inſtantia.

Votum caſtitatis emiſſum à coniugibus mutuo conſenſu nequit ab iiſdem irritari. Ibid. S.10. num.6. p.275., & hoc idem dicendum eſt quoad votum Religionis. Ibid. num.7. p.275

Votum, quod obſtat debito coniugali moderatè reddendo, non eſt ipſo iure irritum. Ibid. P.7. D. 1. §.4. num. 4. p.300

Votum, vt ſupra irritatum ab altero coniuge, mortuo irritante reuiuiſcit. Ibid. num.5. p.300

Votum elicitum à coniuge ſine alterius licentia de aſſumptione habitus lis ordinis S. Franciſci, vel Eremitarum, eſt validum, nequit tamen exequi ſine licentia alterius. Ibid. §.5. num.2. p.301

Votum ſupradictum poteſt irritari ab altero coniuge. Ibid. num.3. p.301

Votum ſupradictum irritatum non amplius reuiuiſcit. Ibid. num.4. p.302

Votum adhuc poteſt irritari à coniuge, etiamſi coniux ſciens immediatè ſtatim non contradixerit voto. Ibid. §.6. num.2. p.302

Votum, vt ſupra non intelligitur approbatum, etiamſi coniux tacuerit, & non contradixerit. Ibid. num.3. pag. 303

Votum emiſſum ſine licentia alterius, poteſt ſine cauſa irritari, ſecus, ſi cum licentia alterius coniugis. Ibid. num. 4. p.303

Votum alterius coniugis, vt ſupra, poteſt irritari per actum interpretatiuum, dummodo ſit cum voluntate ſigno exteriori expreſſa. Ibid. num. 8. p.304

Votum ſimplicis caſtitatis emiſſum ante matrimonium non extinguitur per ſubſequens matrimonium. Ibid. M.7. P.5. D.1. §.12. num.4. p.311

Votum coniugis de non communicando in die habitæ copulæ, an teneat. Ibid. D.2. §.16. num.1. p.344. illud votum ſubſiſtit. Ibid. num.3. p.345., & ſoluuntur Sanctij obiecta. num.2. p.344

VSVS coniugalis ex ſe, & ex obiecto eſt licitus. C.15. M.7.

Digitized by Google

M.7.P.1.num.1. p.182

Vſus coniugalis eſt meritorius ex opere operantis, ſi ad debitum finem referatur. Ibid. num.2. p.182

Vſus coniugalis poteſt deprauari ex aliqua circumſtantia, vel ex prauo fine. Ibid. num.3. p. 182

Vſus coniugalis exercitus ob ſolam voluptatem eſt prauus venialitèr. Ibid. num.3. p.182

Vſus coniugalis ob voluptatem exercitus non eſt prauus mortalitèr. Ibid. num.4. p.182

Vſus coniugalis quid ſit, & quomodo definiendus. Ibid. num.5. p.183

Vſus coniugalis in Eccleſia ſine cauſa inuoluit ſacrilegium. Ibid. P.3. S.1. num.13. p.192

Vſus coniugalis tempore menſtrui non eſt læthalis. Ibid. P.3. S.2. num.27. p.205

Vſus coniugalis in nocte præcedente Sanctam Communionem, vel in die eiuſdem Communionis non eſt peccaminoſus læthalitèr. Ibid. num.33. p.208

Vſus coniugalis exercitus ex fine prolis ſecundum ſe licitus eſt, & honeſtus. Ibid. P.4. num.3. p.276., dummodò talis finis non ſit vltimus, & vltimatò intentus. Ibid. num.4., & ad hoc ſufficit intentio prolis virtualis. Ibid. num.5. p. Ibid.

Vſus coniugalis, vt ſit licitus ex fine boni fidei, debet includere finem generationis. Ibid. nu.8. p.277

Vſus coniugalis relatus ex intentione coniugum ad finé mortalitèr malum eſt læthalis. Ibid. num.9. p.277

Vſus coniugalis ex fine venialitèr malo eſt venialitèr malus. Ibid. num.11. p.277

Vſus coniugalis relatus ad bonum Sacramenti non eſt malus, ſi alij fines non excludantur. Ibid. num.12. pag.277. afferuntur rationes. p.278

Vſus coniugalis relatus ad finem vitandæ incontinentiæ vel in ſe, vel in altero eſt licitus. Ibid. nu.13. pag. 278

Vſus coniugalis relatus ad finem extrinſecum ſanitatis, & lucri licitus eſt, ſi non excludantur alij fines ordinati. Ibid. num.14. p.279

Vſus coniugalis relatus preciſè, vel principalitèr ad delectationem carnalem non vacat culpa veniali. Ibid. num.15. pag.280., & à quonam deſſumatur talis culpa. p.281

Vſus coniugalis inceptus, & diſſolutus ante vtriuſque ſeminationem, an inuoluat culpam, & quamnam. Ibid. P.5. nu.1. p.282

Vſus coniugalis inceptus, ſi neuter ſeminauerit, & non ſit periculum effuſionis ſeminis mutuo conſenſu poteſt diſſolui. Ibid. nu.2. p.282

Vſu coniugali interdicto propter morale periculum valetudinis non intelliguntur interdicti tactus, oſcula, & ſimilia. Ibid. P.7. n.8. p.293., ſi referantur ab bonum finem.

Vſus coniugalis inter coniuges obſtrictos voto mutuo caſtitatis, vel ab altero profeſſo, vel promoto ad ſacros ordines non eſt fornicarius. Ibid. P.5. D.1. §.13. nu.3. p.312

Vſus coniugalis cum intentione ad Amaſiam, tamquam ad finem, eſt læthalis, & fornicarius. Ibid. D.2. §.4. nu.2., & 3. p.321

Vſus coniugalis nequit haberi impediendo conceptionem prolis. Ibid. D.2. §.12. nu.2. p.338

Vſus coniugalis modo dicto regularitèr eſt peccaminoſus ex parte vtriuſque coniugis. Ibid. n.4. p.339

Vſus coniugalis inceptus cum bono fine poteſt in proſecutione vitiari etiam læthaliter ibid. §.3. nu.2. p.339. poterit aliquando excuſari ob nimiam ſpirituum commotionem à culpa læthali. Ibid. nu.3. p.339

Vſus coniugalis trahens ſecum diſtractionem mentis impedit Euchariſtiæ ſumptionem ſub veniali. Ibid. §.14. nu.7. p.342

Vſus coniugalis, an ſit licitus durante tempore purificationis. Ibid. §.15. n.1. p.343

Vſus coniugalis non eſt illicitus tempore purificationis ex vi legis veteris. Ibid. nu.3. p.343

Vſus coniugalis immediatè poſt partum, an ſit læthalis. Ibid. nu.4. p.343., & an ſit venialis. Ibid. nu.5., & an nullo modo ſit peccatum. Ibid. nu.6. p.343., probabilius tamen eſt eſſe graue peccatum. Ibid. nu.7. p.344

Vſus coniugalis poſt aliquod tempus à partu durante adhuc fœditate non eſt læthalis. Ibid. nu.8. p.344

VXOR niſi ob quaſdam ſpeciales cauſas diù poteſt abeſſe à marito. C.15. M.6. P.2. nu.3. p.4

Vxor non poteſt aſſumere peregrinationem breuem renuente marito. Ibid. nu.7. p.5

Vxor non poteſt vouere longam peregrinationem inuito marito. Ibid. nu.8. p.5

Vxor inuito marito, an poſſit vouere peregrinationem in Hyeruſalem in ſubſidium terræ ſanctæ. Ibid. n.11. pag. 6

Vxor renuente marito non tenetur dictum votum redimere mittendo alium. Ibid. nu.12. p.7

Vxor exempta à voto quomodo intelligatur exempta ab onere alium, quem duxiſſet, ſi iuiſſet. Ibid. n.13. pag. 7

Vxor, quæ ſine cauſa receſſit à marito, ex iuſtitia recipi debet ab eodem ipſa ſponte petente admitti. Ibid. P.4. n.2. p.9

Vxor inuito marito non poteſt ſe ipſam vendere. Ibid. P.5. n.2. p.11

Vxor ſe vendens inuito marito poteſt vendicari ab eadem. Ibid. nu.3. p.11

Vxor non poteſt dimitti à marito ob dotem non ſolutam. Ibid. P.6. n.1. p.13

Vxor regulariter loquendo, tenetur ſequi maritum mutantem domicilium ex iuſta, & legitima cauſa. Ibid. P.7. n.1. p.15

Vxor vtſupra, non teneretur cum periculo vitæ, vel grauis damni. Ibid. nu.2. p.16

Vxor tenetur ſequi maritum, etiamſi mutat ſine cauſa, dummodo non turpi. Ibid. nu.3. p.16

Vxor tenetur ſequi maritum longè abeuntem per longum tempus moraturum ex cauſa. Ibid. n.5. p.17

Vxor regularitèr loquendo, tenetur ſequi maritum fugientem, vel bannitum. Ibid. n.6. p.17

Vxor tenetur ſequi maritum vagantem, ſi contraxit conſcia talis moris mariti. Ibid. n.9. p.19

Vxor vtſupra non tenetur, ſi non erat conſcia talis moris ante contractionem. Ibid. nu.10. p.18

Vxor, an ſequatur forum mariti. Ibid. P.8. n.1. p.19

Vxor ab alio à marito conuenta, tenetur reſpondere in loco mariti, non autem in loco priſtino. Ibid. nu.2. pag. 19

Vxor, ob delictum commiſſum in loco à quo receſſit, poteſt

Digitized by Google

teſt in eodem conuenire. Ibid. nu. 3. p. 19

Vxor ob litem cum marito tenetur adire iudicem mariti. Ibid. num. 7. p. 20

Vxor non tenetur ſequi maritum, qui ſine cauſa violat pactum de habitando in certo loco. Ibid. T. 9. nu. 7. pag. 22

Vxor tenetur ſequi maritum violantem dictum pactum ex cauſa neceſſaria. Ibid. nu. 8. p. 23

Vxor poteſt celebrare diuortium, ſi maritus adulteret. Ibid. T. 11. nu. 5. p. 28

Vxor adultera, quæ ſua temeritate receſſit à marito non eſt per maritum quærenda. Ibid. T. 11. S. 3. num. 10. p. 36

Vxor ſine cauſa eiecta à marito, tenetur ad eundem repetentem redire. Ibid. nu. 11. p. 36

Vxor pertinax in adulterio debet à marito dimitti. Ibid. S. 5. nu. 3. p. 43

Vxor pertinax in adulterio debet à marito dimitti ex motiuo charitatis, & correctionis fraternæ. Ibid. num. 4. p. 43

Vxor ex genere ſuo tenetur diuertere à marito pertinaci in adulterio. Ibid. nu. 10. p. 46

Vxor tamen excuſatur pluribus cauſis, ne dimittat maritum pertinacem in adulterio. Ibid. n. 11. p. 47

Vxor an dependeat à marito quoad ſuos actus, & voluntatem. Ibid. nu. 20., & nu. 21. p. 54

Vxor quoad ea, quæ non concernunt matrimonium non, ſubditur marito. Ibid. nu. 22. p. 54

Vxor poteſt votum caſtitatis mariti de non petendo debito, donec vixerit, ſuſpendere. Ibid. nu. 26. p. 56

Vxor adultera non poteſt profiteri niſi elapſo biennio poſt ſententiam Iudicis de ſeparatione. Ibid. nu. 27. pag. 56

Vxor, vt poſſit profiteri vtſupra debet adulterium eſſe notorium pro ſententiam Iudicis. Ibid. nu. 28.

Vxor adultera elapſo biennio vtſupra poteſt reconciliari à marito, ſi non mutauerit ſtatum. Ibid. n. 29. pag. 57

Vxor proſtituta à marito non poteſt ab eo dimitti. Ibid. S. 9. n. 1. p. 71

Vxor ſciens futurum adulterium mariti, & non impediens, quia annuit, non poteſt ab eodem diuertere, ſecus, ſi non annuit. Ibid. n. 4. p. 73

Vxor eiecta à domo mariti, vel priuata alimentis, ſi adulterauit, poteſt dimitti. Ibid. nu. 5. p. 73., niſi tamen fuerit eiecta à marito, vt adulteraret. Ibid.

Vxor per vim oppreſſa non poteſt à marito per diuortiũ dimitti. Ibid. nu. 6. p. 73

Vxor monita à marito, vt fugeret, eximitur etiam ab hac pæna, quantumuis fuerit oppreſſa. Ibid. nu. 7. p. 73., & pariter, ſi ob metum grauem paſſa eſt fornicationem. Ibid. nu. 8. p. 74

Vxor, quæ nupſit alteri cum probabilitate, quod prior maritus deceſſerit, non poteſt ab eo dimitti. Ibid. num. 9. p. 74

Vxor, quæ alteri nupſit vtſupra, ſi certiorata de vita prioris concubuit cum ſecundo, poteſt à primo dimitti. Ibid. nu. 10. p. 74

Vxor alteri nupta vtſupra, dubia de vita primi non debet petere, ſed tantum reddere debitum, & excuſatur à pæna diuortij. Ibid. nu. 11. p. 75

Vxor in bona fide mortis mariti fornicans cum altero eximitur à pæna diuortij. Ibid. nu. 13. p. 75

Vxor concumbens cum altero arbitrans eſſe ſuum maritum eximitur à pæna diuortij. Ibid. nu. 14. p. 75

Vxor adultera amittit dotem, quæ aquiritur marito. Ibid. S. 12. nu. 1. p. 87., & hæc pæna eſt abſoluta, non reſtricta ad vitam mariti. Ibid. nu. 2. p. 87

Vxor adultera amittit dotalitium. Ibid. nu. 5. p. 87

Vxor adultera criminalitèr punienda pæna capitis. Ibid. num. 8. p. 87

Vxor adultera hodie punitur carcere, & flagellis. Ibid. num. 9. p. 87

Vxor non poteſt criminalitèr accuſare maritum adulterum. Ibid. nu. 10. p. 88

Vxor adultera poteſt damnari capite à Iudice. Ibid. num. 14. p. 88

Vxor ad coercendum maritum à criminibus non poteſt ab illo recedere. Ibid. T. 13. num. 4. p. 98

Vxor, an poſſit participare cum excommunicatis, cum quibus participat maritus. Ibid. T. 14. D. 1. §. 7. n. 1. pag. 117

Vxor, vt ſupra poteſt aſſidere ad menſam, non autem interuenire in alijs. Ibid. num. 2. p. 117

Vxor non habet ius communicandi cum excommunicatis, cum quibus communicat maritus, niſi ad ſummum incidenter. Ibid. num. 3. p. 117

Vxor quomodo licitè poſſit communicare, vt ſuprà. Ib. num. 4. p. 117

Vxor, an poſſit repetere dotem ab excommunicato marito, & contumaci. Ibid. §. 9. nu. 1. p. 119

Vxor non poteſt repetere dotem à Marito excommunicato contumaci, ſi tamen non habeatur, vt hæreticus. Ibid. num. 5. p. 19., etiamſi tandiù in illa ſorduerit, vt habeatur pro hæretico. Ibid. n. 6. p. 120., ſecus verò, ſi ſit damnatus, vt hæreticus ab Eccleſia. Ibid. num. 7. p. 120

Vxor contracto matrimonio licet non conſumato poteſt communicare cum Marito excommunicato. Ibid. §. 10. num. 3. p. 121

Vxor intra bimeſtre abſtinere poteſt ab obſequijs coniugalibus erga Maritum. Ibid. num. 5. p. 121

Vxor communicans cum Marito in crimine, ob quod excommunicatus eſt, nequit cum illo in obſequijs communicare. Ibid. §. 11. num. 2. p. 122

Vxor communicans cum Marito in crimine communicando cum ipſo contrahit eandem excommunicationem, quam alij contraherent. Ibid. num. 3. p. 122

Vxor non impeditur ab vſu coniugij cum Marito, quamuis communicarit in crimine. Ibid. num. 5. p. 123

Vxor libera, an teneatur ſequi Maritum venditum à Domino ſuo. Ibid. §. 12. num. 1. 2. 3. 4. p. 123

Vxor, an acquirat ius ad diuortium, ſi Maritus ipſa inconſulta ſe vendat. Ibid. §. 13. num. 2. p. 124

Vxor vendens ſe ipſam inconſulto Marito peccat contra iuſtitiam. Ibid. §. 14. num. 4. p. 125

Vxor non tenetur ſequi Maritum ductum in captiuitatem. Ibid. §. 16. num. 2. p. 127. tenetur autem ſequi venditum. Ibid. num. 3., ſi tamen emptor non vagaretur. Ibid. num. 4. p. 128

Vxor, cuius culpa dos perijt, debet alimentari à ſuis parentibus diuitibus. Ibid. §. 20. num. 2. p. 132. à marito verò, ſi eius parentes non ſint diuites, nec ipſa poſſet ſibi aquirere victum. Ibid. num. 3. p. 133

Vxor

Digitized by Google

Vxor in carcere ob delictum propter publicationem bonorum dotalium debet alimentari à Marito. Ibid. num. 4. p. 133

Vxor diues tenetur Marito inopi præſtare alimenta. Ibid. §. 23. num. 4. p. 138

Vxor non poteſt expelli à Marito impedito ad petendum debitum. Ibid. §. 24. num. 2. p. 139

Vxor non poteſt expelli à Marito etiam ſi ſit impedita ad petendum, non tamen ad reddendum debitum, & hoc etiam in caſu, quo vterque coniux ſit impeditus ad petendum. Ibid. num. 3. p. 139

Vxor legitimè accuſata de adulterio, ſi falſis teſtibus ſe defendat, an teneatur ad pœnam. Ibid. D. 2. §. 9. num. 2., & num. 3. p. 149

Vxor in facta hypotheſi non tenetur ad pœnam amiſſionis dotis. Ibid. num. 4. p. 149

Vxor in facta hypotheſi tenetur ad expenſas factas à Marito. Ibid. num. 5. p. 149

Vxor in facta hypotheſi tenetur conſentire diuortio. Ibid. num. 6. p. 149

Vxor in facta hypotheſi tenetur expenſas reſtituere, & litem non proſequi, ſi Maritus ſe appellauerit. Ibid. §. 10. num. 2. p. 150

Vxor non tenetur dotem relinquere pendente appellatione, licet ex iniuſta cauſa. Ibid. num. 3. p. 150

Vxor regularitèr poteſt expectare petitionē expreſſam viri. Ibid. M. 7. num. 11. p. 186

Vxor non tenetur reddere debitum, ſi nequeat parere abſque mortis periculo. Ibid. M. 7. P. 3. S. 2. nu. 19. pag. 202

Vxor eximitur à dicto onere, quamuis proprium defectum nouerit ante celebrationem contractus. Ibid. num. 20. p. 203

Vxor conſcia talis defectus, & non manifeſtans peccat. Ibid. num. 22. p. 203

Vxor in dato caſu tenetur abſtinere à thoro. Ibid. n. 23. pag. 203

Vxor in dato caſu, quamuis non teneatur reddere debitum, poteſt tamen. Ibid. num. 24. p. 203

Vxor tempore menſtrui regularitèr non tenetur reddere debitum. Ibid. num. 26. p. 204

Vxor non tenetur reddere debitum tempore prægnationis cum periculo abortus fœtus. Ibid. nu. 28. p. 206., & hoc etiamſi fœtus non ſit animatus quando adeſt periculum eiuſdem. Ibid. num. 29. p. 207

Vxor ſtatim poſt partum non tenetur reddere debitum, quando ipſi imminet periculum infirmitatis. Ibid. num. 30., etiamſi nullum ſit periculum. Ibid. nu. 31. pag. 207

Vxor ſanæ mentis poteſt à Marito amente petere, & eidem reddere debitum. Ibid. S. 4. num. 9. p. 221

Vxor, quæ non ſeminauit ſimul cum Marito poteſt ſtatim ſe excitare ad ſeminationem, etiamſi ſe retraxerit Maritus. Ibid. P. 5. num. 9. p. 286

Vxor per vim oppreſſa poteſt conari, vt ſemen virile eijciat extrà vas. Ibid. P. 5. num. 12. p. 287. affertur hic ſententia tùm negatiua, tùm affirmatiua. Ibid. num. 13., & num. 14. p. 288

Vxor bona fide ſe extenuans per conſueta ieiunia Eccleſiaſtica, & alia pietatis opera, non peccat. Ibid. D. 1. §. 2. num. 2. p. 297., & etiamſi per illa, ſe reddat aliqualitèr deformem. Ibid. num. 3.

Vxor non poteſt vouere independenter à Marito, quæ poſſunt officere debito coniugali, benè tamen Maritus independentèr ab vxore. Ibid. §. 4. num. 3. p. 300

Vxor ob viri præceptum præcisè, an poſſit ſoluere ieiunium Eccleſiaſticum. Ibid. §. 10. num. 1. p. 308., & num. 2. exponitur varius ſtatus, in quo poteſt examinari caſus. p. 308

Vxor non poteſt ſoluere ieiunium, ſi ſciat Maritum præcipere ſolutionem in ſpretum Eccleſiæ. Ib. n. 3. p. 308

Vxor, vt ſupra non poteſt ſoluere, etiamſi Maritus non præcipiat in contemptum Eccleſiæ, dummodo non adſit periculum diſcordiarum. Ibid. n. 4. p. 308

Vxor, vt ſupra poteſt ſoluere, ſi timeantur graues rixę inter coniuges. Ibid. num. 5. p. 309., & in ſuppoſito caſu non eſt expectanda proprij Sacerdotis diſpenſatio. Ibid. num. 7. p. 309

Vxor negans debitum Marito ex propriæ voluntatis arbitrio poteſt compelli per vtrumque Iudicem Eccleſiaſticum, & ſecularem. Ibid. §. 14. n. 4. p. 316

Vxor extante tempore menſtrui periculo monſtruoſitatis in prole non tenetur Marito petenti reddere debitum. Ibid. D. 2. §. 8. num. 2. p. 347

Vxor in dicto caſu poteſt debitum reddere Marito cedendo iuri ſuo. Ibid. num. 3. p. 347

Vxor per vim oppreſſa conſentiente Marito non priuatur iure petendi debitum. Ibid. §. 24. num. 2. p. 357

Vxor oppreſſa ipſa conſentiente paritèr de conſenſu Mariti non poteſt petere debitum. Ibid. num. 4. p. 358

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google